Cap. 11. ℣. 20 Conuenientibus vobis in unũ, iam non eſt dominicã cœnam manducare, cap. 6. uerſic. 2. doc. 2 G
28 Probet ſe ipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, c. 6. uer. 2. doc. 2 L, ibid. B, & c. 9. uer. 12. doc. 2. F
29 Qui manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit: non diiudicans corpus Domini, capit. 6. uerſ. 2. docum. 2. G, & cap. 9. verſ. 12. doc. 2. A
30 Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, ibidem
Cap. 12. ℣. 26 Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, c. 4. verſ. 20. doc. 2. A
Cap. 13. ℣. 3 Si diſtribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas: charitatẽ autẽ non habuero, nihil mihi prodeſt, cap. 4. ver. 11. n. 1. ibid. uer. 18. n. 3. & uer. 23. doc. 4. K, & L
Si tradidero corpus meũ, ita vt ardeam, charitatẽ autem non habuero, nihil mihi prodeſt, ca. 7. verſ. 16. doc. 1. D
4 Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas nõ æmulatur, non agit perperam, non inflatur, cap. 2. verſ. 18. doc. 3. B, ibidem uerſ. 21. doc. 1. B, & cap. 4. uer. 16. doc. 3. N, & cap. 7. verſ. 5. in doc. A
5 Non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, ibidem
6 Nõ gaudet ſuper iniquitatẽ, cõgaudet autẽ veritati, ibid.
7 Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, vbi ſupra
8 Charitas nunquam excidit, cap. 1. uerſic. 22. doc. 1. B
11 Cum eſſem paruulus, loquebar ut paruulus, ſapiebam ut paruulus, c. 1. uerſ. 4. num. 2. ibid. uer. 12. n. 4
Cap. 14. ℣. 20 Nolite pueri effici ſenſibus: ſed malitia paruuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote, c. 1. ver. 4. in doc. H
Cap. 15. ℣. 10 Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me uacua non fuit: ſed abũdantius illis omnibus laboraui: non ego autẽ, ſed gratia Dei mecum, cap. 5. ver. 15. doc. 1. B
32 Si ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? cap. 7. verſ. 16. do. 2. B
39 Nõ omnis caro eadem caro: ſed alia quidem hominum, alia uero pecorum, alia uolucrum, alia autem piſcium, cap. 6. verſ. 6. n. 1
54 Abſorpta eſt mors in uictoria, cap. 3. verſ. 15. doc. 2. C
56 Stimulus mortis, peccatũ eſt, cap. 3. verſic. 6. doc. 1. C & de peccat. docum. 4. B
Cap. 16. ℣. 20 Salutate inuicem in oſculo ſancto, c. 9. uer. 8. n. 4

EX EPIST. II. AD CORINTH.

Cap. 1 uer. 3 BEnedictus Deus, & Pater Domini noſtri IESV Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, cap. 10. verſic. 6. documen. 2. C
4 Qui cõſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt per exhortationem, qua exhortamur, & ipſi a Deo, ibidem
5 Sicut abundãt paſſiones Chriſti in nobis, ita per Chriſtũ abundat conſolatio noſtra, cap. 3. verſ. 23. doc. 2. E
Cap. 3. ℣. 5 Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, ca. 3. verſ. 13. doc. 6. E, & capit 4. uerſ. 20. num. 4
17 Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas, ca. 1. verſ. 14. do. 2. C
Cap. 4. ℣. 7 Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, cap. 3. verſ. 6. document. 2. H
17 Momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis cap. 1. verſ. 23. in doc. B, & cap. 7. uerſ. 20. in doc. A & cap. 8. verſ. 10. in doc. E, & cap. 13. verſ. 2. in doc. B, ibidem verſ. 8. in doc. D
Cap. 6. ℣. 2 Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, cap. 1. uerſ. 25. documen. 1. M
10 Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes, capit. 13. uerſ. 10. in documen. D
16 Vos eſtis templum Dei, de ſuperb. c. 11. C C
Cap. 7. ℣. 4 Repletus ſum cõſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra, cap. 5. verſ. 12. doc. 1. G
10 Quæ ſecũdum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutẽ ſtabilem operatur, cap. 3. uerſ. 1. docum. 2. D, & cap. 10 uerſ. 3. in doc. A
Cap. 8. ℣. 2 Altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum, cap. 4. verſ. 23. documen. 1. F
14 Veſtra abundãtia illorum inopiã ſuppleat, c. 4. v. 9. d. 1. B
Cap. 9. ℣. 10 Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti: & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrũ, cap. 4. verſ. 10. in docum. O
Cap. 11. ℣. 14 Transfigurat ſe in Angelũ lucis, de ſuperb. c. 7. A
29 Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? cap. 2. ver. 6. do. 2. C, & c. 7. uerſ. 8. in d. D
Cap. 12. ℣. 2 Siue in corpore, neſcio, ſiue extra corpus, de ſuperb. cap. 10. G
7 Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet, c. 4. uerſ. 13. d. 7 H, & c. 12 verſ. 14. in d. A
8 Propter quod ter Dominũ rogaui, vt diſcederet a me, ib.
10 Dum infirmor, tunc potens ſum, cap. 3. verſ. 23. doc. 3. A
12 Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, cap. 3. uerſ. 23. in doc. F

AD GALATAS.

Cap. 1 ℣. 12 NEque ego ab homine accepi illud, neque didici: ſed per reuelationẽ Ieſu Chriſti, c. 12. ver. 8. doc. 1. E
20 Viuo autem, iam non ego: viuit uero in me Chriſtus, capit. 8. uerſ. 3. in doc. L, & de ſuperb. cap. 14. I
Cap. 3. ℣. 3 Spiritu cœperitis, nunc carne conſummemini, cap. 2. uerſ. 18. doc. 3. F
16 In ſemini tuo, qui eſt Chriſtus, cap. 6. uerſ. 22. numero 5
Cap. 4 ℣. 3 Cum eſſemus paruuli, ſub elemẽtis mundi eramus ſeruientes, cap. 6. verſic. 22. in doc. B
29 Secundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum, capit. 5. uerſic. 17. num. 1
Cap. 5. ℣. 9 Modicum fermentum totam maſſam corrumpit, cap 13. verſ. 11. num. 4
14 Omnis lex in vno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum, cap. 4. verſ. 16. doc. 1. A
17 Caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritũ, cap. 12 verſ. 19. num. 3
19 Manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, cap. 4. verſ. 13. num. 4. & ca. 9. verſ. 12. doc. 1. G
Cap 6. ℣. 9 Tempore ſuo metemus non deficientes, c. 4. ver. 7. doc. 3. G, & cap. 5. verſ. 15. documen. 1. A
10 Dum tempus habemus, operemur bonum, ibidem

AD EPHESIOS.

Cap. 3. ver. 14. HVius rei gratia flecto genua mea ad Patrẽ Domini noſtri IESV Chriſti, cap. 5. verſ. 17. docum. 2. D
15 Ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur, ibidem
Cap. 4. ℣. 15 Veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, capit. 4. uer. 6. num. 6
25 Deponentes mendacium, loquimini veritatẽ vnuſquiſq; cum proximo ſuo: quoniam ſumus inuicem membra, cap. 7. verſ. 14. in docum. B
27 Nolite locũ dare diabolo, cap. 4. verſ. 13. docum. 4. H, & cap 6. uerſ. 4. in doc. A, & cap. 8. uerſic. 3. in docum. D
32 Donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit

vobis, cap.5.verſ.19. doc.2.A

Cap.5.℣.14 Surge qui dormis,& exurge à mortuis,de peccat. docum. 6. I

19 Cantantes,& pſallentes in cordibus veſtris Domino, cap. 8. verſ.18. in docum. B

20 Gratias agentes ſemper pro omnibus,in nomine Domini noſtri IESV Chriſti,Deo,& Patri, ibid.

29 Nemo vnquã carnẽ ſuam odio habuit,c, 1. verſ. 21. n.3 & cap. 2. uerſ. 9. doc.2.F,& cap.10. verſ. 7. in docum,C

Cap.6.℣.1 Filii obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim iuſtum eſt, cap. 4. verſ. 4.in docum.B

5 Serui obedite Dominis carnalibus cũ timore,& tremore in ſimplicitate cordis veſtri,ſicut Chriſto, c.10. u.13.n.3

6 Non ad oculũ ſeruiẽtes,quaſi hominibus placẽtes: ſed vt ſerui Chriſti,facientes voluntatem Dei ex animo,ibid.

15 Calceati pedes in præparatione euangelii pacis, cap. 2. verſ. 20. docum.1,G

AD PHILIPPENSES.

Cap.1 ℣. 21 Mihi viuere Chriſtus eſt,cap.12.uerſ.30.in doc.C, & de pecc. docum. 14.C

23 Coarctor è duobus deſiderium habens diſſolui,& eſſe cum Chriſto,multo magis melius,cap. 3. verſ.6.doc.1.F, & ,cap.6.uerſic.6.in document. F

24 Permanere autem in carne neceſſariũ propter vos,ibidẽ

25 Et hoc cõfidens ſcio,quia manebo,& permanebo omnibus vobis ad profectũ veſtrũ,& gaudium fidei, ibidem

29 Vobis donatum eſt pro Chriſto,nõ ſolũ, vt in eũ credatis:ſed vt etiã pro illo patiamini,cap,12. uer.14.in doc D

Cap.2.℣.3 Nihil per contentionem,neque per inanem gloriã, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, c.3.uerſ.5. doc.1. C

8 Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem,mortem autem crucis,cap.1.verſ.14.doc.2.B,& cap. 3.uerſ.13.n.2, & ca.13, verſ.15, n.4.

9 Propter quod & Deus exaltauit illum,ibidem

Donauit illi nomen,quod eſt ſuper omne nomen, de ſuperb. cap.14. P

10 Vt in nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium,& infernorum, vbi ſupra

13 Deus eſt,qui operatur in vobis,& velle, & perficere pro bona voluntate,cap,8.verſ,10.in d. C,& de ſup.c.12.NN

17 Si immolor ſupra ſacrificium, & obſequiũ fidei veſtræ, gaudeo,& congratulor omnibus vobis, c.5.v.12.do.1.G

18 Idipſum autem & vos gaudete,& congratulamini mihi, ibidem

Cap.3.℣.8 Arbitror vt ſtercora,vt Chriſtum lucrifaciam,cap. 5. verſ. 25. doc. 3. B

13 Fratres,ego me non arbitror comprehendiſſe, Vnum autẽ,quæ quidẽ retro ſunt,obliuiſcens:ad ea vero, quæ ſunt priora extendens me ipſum c.14.ver. 4.in do.F

14 Ad deſtinatum perſequor,ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto IESV, ibidem

17 Imitatores mei eſtote fratres,& obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram, capit.5. verſ. 10.in doc, E

Cap.4.℣.4 Gaudete in Domino ſemper, iterum gaudete, cap.5.verſ.12.docum.1.A

6 Nihil ſolliciti ſitis,ſed in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione,petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum,cap.10.verſ.2,in docum.F

12 Scio abundare,& penuriã pati,cap.3. uerſ.21.doc.2.B

13 Omnia poſſum in eo,qui me confortat,c.12.uerſ.6. n.2

AD COLOSSENSES.

Cap.1.℣.9 Vt impleamini agnitione volũtatis eius in omni ſapientia & intellectu ſpirituali,cap. 14. verſic. 10. num. 2

10 Vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes, ibid.

Cap.2.℣.14 Chirographum decreti, quod erat contrariũ nobis,& ipſum tulit de medio,affigens illud cruci, capit. 6. verſ. 8. in docum. E

15 Et expolians principatus,& poteſtates,traduxit cõfidenter,palam triumphans illos in ſemetipſo, ibidem

Cap.3.℣.9 Nolite mentiri inuicem,cap.7.verſ.14. in docum.B

17 Omne quodcunque facitis in verbo,aut in opere,omnia in nomine Domini IESV Chriſti,gratias agentes Deo,& Patri per ipſum, cap.8.uer,10,in doc,A

20 Filii,obedite parentibus per omnia:hoc enim placitum eſt in Domino,cap.4.verſ.4.in doc,B

24 Scientes, quod à Domino accipietis retributionem hereditatis, cap.3.ver.21.doc,1 L

EX EPIST. I. AD THESSAL.

Cap.4 ℣.3 VT abſtineatis vos a fornicatione,cap.4. uerſ.13.documm.1. A

4 Vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione,& honore,ibidem

Cap.5.℣.17 In omnibus gratias agite. cap. 8.uer. 18.in doc.B

22 Ab omni ſpecie mala abſtinete vos, cap. 8. verſic. 12. in docum. C

EX EPIST. I. AD TIMOTH.

Cap.1 verſ.9 LEx iuſto non eſt poſita,cap.1. uerſ 14.doc.2.B

15 Chriſtus Ieſus uenit in hunc mundum peccatores ſaluos facere,quorum primus ego ſum, capit. 3 verſ.5. docum. 1. B,& cap.4. verſ. 6. docum. 4.F

16 Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum:ut in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam ad informationem eorum,qui crediturí ſunt illi in uitam æternam,ibidem

17 Regi ſæculorum immortali,inuiſibili,cap.12.verſ.12. n.4 Soli Deo honor,& gloria.cap.8.verſ.9.in doc.B,& cap. 12.uerſic.7. docum. 2. F

Cap.2 ℣.4 Omnes homines uult ſaluos fieri. ca.6.v.13.d.2.D

8 Volo uiros orare in omni loco,leuantes puras manus, cap.6. verſ.18.doc.2. C

Cap.4.℣.8 Corporalis exercitatio,ad modicum utilis eſt: pietas autem ad omnia utilis eſt,cap. 4. verſ. 6, n.2

12 Exemplum eſto fidelium in uerbo,in conuerſatione, ca. 5.verſ. 10.in docum.E

Cap.5.℣.8 Si quis ſuorum,& maxime domeſticorum curam non habet fidem negauit,& eſt infideli deterior,c.2. uerſ. 2. in doc. E,& capit. 4. verſ. 7. docum.3.G

22 Teipſum caſtum cuſtodi,cap. 4. verſ. 13.doc. 5. F,ibidẽ verſ.16.doc.3.A

23 Noli adhuc aquam bibere: ſed modico uino utere propter ſtomachum tuũ,& frequẽtes tuas infirmitates,ibidẽ,

Cap.6.℣.8 Habentes alimenta,& quibus tegamur,his contenti ſumus,capit. 5. verſ. 5.docum.2.D,ibid. uerſ.25.d.1. D

9 Qui uolunt diuites fieri,incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli,& deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum,& perditionem,ca. 1 verſ.17. in doc.C,& cap.4.uerſ.17. doc. 2. D, & capit. 5 uerſ.25.doc.1.D,& capit. 13.verſic.20. in docum. A

10 Radix omnium malorum cupiditas,cap.4.verſ. 14. nu. 6 cap. 5. verſ.25. doc.3.F, ibidem doc. 3.C

17 Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neq; ſperare in incerto,cap.1. verſ.17. in doc. G, & cap. 4. verſ. 23.doc.2.B

EX EPIST. II. AD TIMOTH.

Cap.1 verſ. 3 NOcte,ac die,cap.7.verſ.5 in do.C

4 Deſiderans te uidere, memor lacrymarum tuarum,ut gaudio implear,ibidem

Cap.2.℣.5 Non coronatur,niſi legitime certauerit,ca.3.verſ. 21.doc.1.F,& capit.13. verſiculo 18. in doc.I

22 Sectare iuſtitiam,cap.2.verſ 3.doc.2.D

Cap.4.℣.2 Inſta opportune, importune:argue,obſecra, increpa in omni patientia,& doctrina,cap.2.uer.18.doc.1.F

7 Bonum certamen certaui,curſum conſummaui, fidem ſeruaui,cap.3.verſ.21.docum.5.D,& cap.13. uerſ. 18. in docum. H

8 Corona iuſtitiæ,quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex,cap.5.verſ.15. doc.1,B

18 Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & ſaluum faciet in regnum ſuum cæleſte,cap.3.verſic.23. doc.3. C

AD TITVM.

Cap.2 ℣.9. SEruos Dominis ſuis ſubditos eſſe,in omnibus placẽtes,non contradicentes,cap.10. verſ.13.num. 3

10 Non fraudantes,ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes, ibidem

Cap.3.℣.10 Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita,cap.1. verſ.15.in doc. G

11 Sciens,quia ſubuerſus eſt, & proprio iudicio condemnatus, vbi ſupra

AD HEBRÆOS.

Cap.1 ℣. 3 POrtans omnia verbo virtutis ſuæ,capit.4. uerſic.6. docum.1.E

5 Cui dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu?

capit. 5. verſ. 8. numero 3

14 Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capient ſalutis? cap. 3. verſ. 15. num. 3. & cap. 5. v. 15. doc. 2. D, ibidem verſ. 18. n. 1. & de ſuperb. c. 4. D

Cap. 2. ℣. 9 Videmus IESVM, propter paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum, cap. 3. uerſ. 21. doc. 1. O

Cap. 4 ℣. 13 Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius, c. 4. uerſ. 6. doc. 1. E

Cap. 6. ℣. 18 Fortiſſimum ſolatium habeamus, capit. 2. uer. 18 doc. 1. D

19 Sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, cap. 13. uer. 18. in docum. D

Cap. 9. ℣. 27 Statutum eſt hominibus ſemel mori, cap. 4. uerſ. 21. num. 2

Ca. 10 ℣. 34 Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam, cap. 13. uerſic. 18. in document. C

35 Nolite amittere confidentiam veſtram, ibid. in doc. G

Cap. 11. ℣. 6 Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, de ſuperb. c. 13. C

10 Expectabat fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex, & conditor Deus, cap. 1. verſ. 18. n. 3

26 Aſpiciebat in remunerationem, cap. 4. verſ 6. doc. 3. E

27 Inuiſibilem enim, tanquam videns ſuſtinuit, ibidem

33 Operati ſunt iuſtitiam, de pecc. doc. 13. B

36 Ludibria, & verbera experti, inſuper & uincula, & carceres, cap. 2. verſ. 12. in doc. G, & cap. 3. uerſic. 21. docum. 1. M, & cap. 5. uer. 5. doc. 1. F

37 Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, vbi ſupra

Cap. 12. ℣. 3 Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes, cap. 2. uerſ. 12. in doc. E

6 Omnem filium, quem recipit, cap. 13. verſic. 2. n. 3

8 Cuius participes facti ſunt omnes, cap. 3. verſ. 13. docum. 3. O

11 Omnis diſciplina in preſenti videtur non eſſe gaudii ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ, cap. 13. verſ. 5. n. 4

17 Non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cũ lacrymis inquiſiſſet eam, capit. 3. verſ. 1. docum. 2. G

Cap. 13. ℣. 4 Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus: capit. 6. verſ. 2. docum. 2. D

14 Non habemus hic manentem ciuitatem: ſed futuram inquirimus, capit. 6. uerſ. 6. in document. A

16 Talibus hoſtiis promeretur Deus, cap. 4. verſ. 12. num. 2 & cap. 7. verſ. 3. doc. 1. I, & c. 8. verſ. 19. num. 1

EX EPIST. CATHOLICA B. IACOBI.

Cap. 1 ℣. 2 OMne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, cap. 2. uerſ. 12. num. 1 & capit. 3. uerſic. 21. doc. 2. I

5 Dat omnibus affluenter, & non improperat, cap. 3. ver. 7. num. 2

6 Poſtulet in fide nihil hæſitans: qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur, cap. 4. verſ. 1. in doc. B

7 Non ergo æſtimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino, vbi ſupra

12 Beatus uir, qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, cap. 3. verſ. 21. num. 2 ibidem doc. 1, C

13 Deus intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat, de ſuperb. cap. 6. B, & de pec. docum. 12. B

14 Vnuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus, ibidem

17 Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, cap. 3. verſ. 13. docum. 6 E

Non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, c. 14. ver. 4. in doc. A

Cap. 2. ℣. 10 Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus, de peccat. doc. 6. C

13 Iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam, cap. 1. verſ. 20. doc. 2. E & cap. 4. verſ. 7. num. 6

14 Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſaluare eum? cap. 4. verſ. 23. docum. 4. C

Cap. 3. ℣. 2 In multis offendimus omnes, cap. 4. uerſ. 23. doc. 3 A, & c. 5 uerſ. 9. in doc. A

7 Omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium, & ceruorum domantur, & domita ſunt à natura humana, de ſuperb. c. 3. H

8 Linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, plena veneno mortifero, ibidem

Cap. 4. ℣. 4 Adulteri, neſcitis, quia amicitia huius mundi inimica eſt Dei, cap. 6. uerſ. 18. n. 2

6 Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, cap. 4. verſic. 14. docum. 2. C, & de ſuperb. cap. 13. O, & 14. A

13 Hodie, aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, cap. 5. verſ. 20. n. 1

14 Qui ignoratis, quid erit in craſtino, ibidem

Cap. 5. ℣. 1 Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſeriis ueſtris, quæ aduenient vobis, cap. 5. ver. 25. doc. 1. D, & de pecc. doc. 1. G

2 Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt: & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt, ibidem

3 Aurum, & argentum veſtrum æruginauit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus, vbi ſupra

4 Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, cap. 4. uerſ. 15. in docum. A

10 Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini, cap. 2. uerſ. 12. in docum. B

13 Triſtatur aliquis ueſtrum? oret, c. 5. uer. 1. n. 1

16 Multum ualet deprecatio iuſti aſſidua, cap. 3. uerſ. 11. docum. 1 B

20 Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum, cap. 1. verſic. 25. in docum. G

EX EPIST. I. B. PETRI.

Cap. 1 uer. 3 IN ſpem uiuam per reſurrectionem IESV Chriſti ex mortuis, c. 6. uer. 22. in docum. C

4 In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem, ibidem

6 Modicum nunc ſi oportet contriſtari in uariis tentationibus, cap. 3. verſiculo 21. doc. 2. P

18 Scientes, quod non incorruptibilibus auro, uel argento redempti eſtis, cap. 4. uerſ. 20. doc. 1. E

19 Sed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti, ibidem

Cap. 2. ℣. 9 Vt uirtutes annuncietis eius, qui de tenebris uos uocauit in admirabile lumen ſuum, cap. 12. verſiculo 7. docum. 2. E

11 Chariſſimi, obſecro uos, tanquam aduenas, & peregrinos abſtinere uos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam, cap. 5. verſ. 5. doc. 2. A

12 Conuerſationem ueſtram inter gentes habẽtes bonam: ut in eo quod detrectant de uobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus uos conſiderantes, glorificent Deum in die uiſitationis, c. 13. ver. 6. n. 4

21 In hoc uocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis uobis relinquens exemplum, ut ſequamini ueſtigia eius, cap. 12. verſ. 14. in docum. E

Cap. 3 ℣. 6 Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum uocans, cap. 10. uerſic. 13. n. 2

Cap. 5. ℣. 5 Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, de ſuperb. cap. 14. A

6 Humiliamini ſub potẽti manu Dei, vt vos exaltet in tempore uiſitationis, ibidem V

8 Tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cap. 5. verſ. 15. docum. 2. F

9 Fortes in fide, cap. 6. verſ. 4. in docum. A

14 Salutate inuicem in oſculo ſancto, cap. 5 verſ. 6. num. 1

EX EPISTOLA II.

Cap. 1 ℣. 10. SAtagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis, cap. 5. verſ. 15. docum. 1. E, & capit. 13. verſic. 18. in doc. G

Cap. 2. ℣. 19 A quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt. cap. 1. verſic. 12. in doc. D

21 Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam

poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis tra ditum eſt ſancto mandato. cap. 2. uerſ. 18. docum. 3. G

EX EPISTOLA I. B. IO. APOST.

Cap. 1 ℣. 5. DEus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. cap. 1. verſ. 5. in doc. O

8 Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus: ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, capit. 4. verſic. 23. docum. 3. A

Cap. 2. ℣. 16 Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, cap. 13 verſ. 10. in doc. A

Cap. 3. ℣. 16 In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere, ca. 6. uerſ. 6. in doc. I

17 Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatē habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? capit. 1. uerſ. 3. in documen. D, ibidem, verſ. 20. doc. 2. B

18 Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate, cap. 4. verſ. 7. num. 3

21 Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, cap. 2. uerſic. 18. doc. 2. F, & cap. 3. verſ. 16. docum. 1. A, ibidem, docum. 2. A

22 Et quidquid petierimus, accipiemus, vbi ſupra

Cap. 4. ℣. 1 Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, capit. 6 verſ. 3. in docum. G

16 Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, cap 6. uerſ. 14. num. 1

18 Perfecta charitas foras mittit timorem, cap. 2. verſ. 3. docum. 1. D

Cap. 5. ℣. 4 Omne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra, cap. 5. verſ. 2. in document. F

EX EPIST. B. IVDÆ APOST.

Cap. 1 ℣. 11. VÆ illis qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt, de ſuperb. cap. 7. E

15 Veniet Dominus arguere impios, capit. 8. verſiculo 14 in docum. C

EX APOC. B. IO. APOST.

Cap. 1 ℣. 4. GRatia vobis, & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt: & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt, capit. 12. uerſ. 15. numero 2

Cap. 2. ℣. 9 Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed diues es, cap. 4. verſ. 23. doc. 1. E

13 Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt ſatanæ, & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam, cap. 5. verſ. 4. doc. I

17 Vincenti dabo manna abſconditum, cap. 7. verſ. 20. in documen. D

Cap. 3. ℣. 1 Nomen habes, quod viuas, & mortuus es, de pec. doc. 14. D

14 Hæc dicit amen, teſtis fidelis, & verus, qui eſt principiū creaturæ Dei, cap. 9. uerſ. 12. num. 1

15 Vtinam frigidus eſſes, aut calidus, cap. 2. verſ. 18. doc. 3. H

16 Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo, ibidem

17 Dicis quod diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: Et neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus, cap. 3. verſ. 5. doc. 1. E, & capit. 6. verſic. 10 docum. 1. C

Cap. 4. ℣. 5 Septem lampades ardentes ante thronum, cap. 12 verſ. 15. numero 5

Cap. 5. ℣. 8 Habentes ſinguli citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum, cap. 6. verſ. 8. num. 6

13 Sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria, cap. 12. verſ. 7. doc. 2. E

Cap. 7 ℣. 13 Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & vnde venerunt? cap. 1. uerſ. 1. in docum. D

17 Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, cap. 7. verſ. 20. in doc. B

Cap. 8. ℣. 3 Alius Angelus uenit, & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei, cap. 12. verſ. 12. numero 3

Cap. 9. ℣. 2 Aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ: & obſcuratus eſt Sol, de pecc. docum. 8. F

6 Quærent homines mortem, & non inuenient eam, cap. 3. uerſ. 6. n. 1

Cap. 12 ℣. 4 Draco magnus ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret, cap. 4. verſ. 7. docum. 2 E, & cap. 15. verſ. 8. in docum. D

5 Et peperit filium maſculum, qui raptus eſt ad Deum, & ad thronum eius, ibidem

6 Et mulier fugit in ſolitudinem, ubi ſupra

8 Neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo, cap. 12. verſ. 21. n. 2

12 Deſcendit diabolus ad uos, habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet, cap. 4. uerſic. 6. doc. 4. H

Cap. 14. ℣. 12 Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt mādata Dei, & fidem IESV, cap. 3. verſ. 5. document. 5. G

13 Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam, dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis, cap. 3. verſ. 15. doc. 2. C

Opera illorum ſequuntur illos, cap. 5. verſic. 15. document. 1. F

Cap. 18. ℣. 16 Væ, uæ ciuitas illa magna, quæ amicta erat byſſo, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioſo, & margaritis, cap. 4. verſ. 14. doc. 1. H

17 Quoniam una hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ, ibidem

Cap. 19. ℣. 16 Habet in ueſtimento, & in femore ſuo ſcriptū: Rex regum, & Dominus dominantium, cap. 3. verſ. 21. docum. 1. N

Cap. 21. ℣. 6 Ego ſitienti dabo de fonte aquæ uiuæ gratis, cap. 3. verſ. 3. do. 2. F

Cap. 22. ℣. 11 Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, cap. 14. verſ. 4. in doc. F

12 Ecce uenio, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua, cap. 5. ver. 15. doc. 1. B

17 Qui audit, dicat: Veni, cap. 1. uerſic. 15. in doc. C

PRAEFATIO AD LECTOREM.

Cur auctor hunc librum exponendum ſuſceperit.

1 CVM Sacrorum bibliorum liber Tobię argumẽto præclarus,& varietate maxime iucundus mihi extiterit, in eoque paſſim legantur, quæ propter ipſorum vberem vtilitatẽ ab omnibus ſingulariter amati deberent: propter ſanctitatem incredibilem ſæpius regustari: propter ſanctitatem,ac luculentã, quã de Eccleſia tradit prophetiã coli:propter maieſtatẽ ſuſpici: propter euentus inſperatos, & diuinæ potentiæ, ac prouidẽtiæ teſtes magna cũ admiratione conſiderari; hæ me cauſæ, lector optime, impulerunt, vt hunc ex omnibus delectum, vnum, meis illuſtrandum explanationibus hiſtoricis, documentiſque ſuſciperem.

Tobiæ liber ſic dictus à Tobia ſeniore, cuius geſta continet.

Multa habet loca difficilia

2 Et quamquam alicui fortaſſe haud ita difficilis videri poteſt, vt aliena explanationis luce indigeat, quippe qui ſimplicem continere narrationem videatur hiſtorię Tobiæ patris, & filij, à quibus & nomen accepit, potiſſimum vero à patre, cuius geſta ab ipſo pene vitæ exordio ad mortem vſque proſequitur; ei tamen quamplurimi non deſunt loci,& prophetiæ adeo obſcuræ, implicitæque, vt in illis explicandis plurimum, & temporis, & operæ inſumendum fuerit.

A nullo hucuſque totus, & continuatim explicatus.

Eius cognitio vtiliſſima

3 Ad conditiones quoque morumque reformationem adeo eſt opportunus, & vtilis; vt plura fortaſſe documenta virtutum exemplo comprobata in alia quapiam tam breui hiſtoria, vel ſacra, vel profana,occurrere vix poſſe videantur. Accedit, nullum hucuſque fuiſſe,quod ego quidem nouerim,qui illum totum explanarit: nam licet Nicolaus Serarius de obſcurioribus eius locis doctiſſime ſane diſputet: multa tamen diſquirere,& ponderare omittit,quæ,& diſquiſitione egere maxima, & ponderatione legẽti patebit.

Beda præf. in Tobiam.

4 Eius porro cognitionẽ vtiliſſimam eſſe ad mores, cum proprios,tum alienos informandos docet Beda, qui initio expoſitionis allegoricæ, quam in illum habuit: *Liber*,inquit,*Sãcti Patris Tobiæ, & in ſuperficie ſalubris patet legentibus, vt pote qui maximis vitæ moralis, & exemplis abundet,& monitis*. Et quidem talibus, vt omni hominum vitæ, fortunæ, officio,in proſperis, & aduerſis; erga Deum,& proximum,viuos,& mortuos, non parum vtilitatis afferre poſſint.

5 Quis Auctor huius libri extiterit,

Ex varijs eiuſdem verſionibus nõ obſcure conijciet, qui iuniorem Tobiam à nullo interpretum aliquando Tobit appellatum intelliget; Tobiam vero ſeniorem à Syro, & à LXX. & demum ab Hebræo ſemper Tobit: Quia cum exordio capitis decimiquarti legat Hebræus: *In illo tempore ſcripſit Tobias vltima verba hæc cum gaudio*. Syrus vero, & LXX. *Scripſit Tobit hanc laudationem cũ gaudio*; ſatis liquet, totum librum ad idem vſque caput decimum quartum,& à Tobia filio, & à Tobit patre fuiſſe conſcriptum. Et quidem iuxta Angeli Raphaëlis præceptum, qui & patri, & filio dixerat: *Narrate omnia mirabilia eius*. Arabs: *Loquimini omnia mirabilia eius*. hoc eſt, vt LXX. legunt; *Scribite omnia, quæ conſummata ſunt in libro*. Syrus: *ſcribite hæc in libro*.

Arabs.
LXX.

Syrus.

Hebræus.

6 Porro cum ex Caldæo vulgatus de Tobia patre in tertia perſona ſemper loquatur; probabile cenſeo Vulgatum à Tobia filio Chaldaice fuiſſe exaratum: Syrum vero, in quo de eodẽ Tobia ſemper agitur in prima, multaque continet, quæ non habet Chaldæus, ab ipſomet deinde Tobia patre Syriace,vt populo Chaldæo,Iudæoq. faceret ſatis: cum, teſte Bellarmino, ſit lingua Syriaca quaſi proles Hebraicæ,& Chaldaicæ tunc primum formata, quando Hebræi in Babylonicam adducti captiuitatem propriæ Chaldaicam immiſcuerunt: qua etiam pro Vulgari impoſterum vſi ſunt.

Robertus. Bellarm. Cõtrou. tom. 1

Lingua Syriaca eſt quaſi proles Hebraicæ, & Chaldaicæ.

Serar. hic prolog. 2

7 Serarij ſententia eſt, Tobiam patrem ad caput decimum quartum ſcripſiſſe; filium vero ea ſolum, quæ à principio eiuſdem capitis ad verſ. decimum ſextum ſequuntur: quod etiam ſentire dicit Ioannem Benedictum, & Xiſtum Senenſem; probabilius tamen ex dictis cenſeo, librum totum ad caput vſque decimum quartum, ab vtroque Tobia fuiſſe conſcripum, reliqua vero cum extremis verſibus quis addiderit non facile diuinari poſſe: nam licet idem Serarius ad verſ. vſque decimum ſextum eiuſdem capitis,in quibus ſenioris Tobiæ mors deſcribitur, & quæ poſt ipſam mortem acciderunt, à Tobia iuniore conſcripta cenſeat,nulla tamen ratione probat, cum verba capitis decimi quarti ad ſuam confirmandam ſententiam ex Hebræo ab eodẽ allata: *Scripſit Tobit vltima verba hæc*,ad præcedentia non ad ſequentia referenda ſint,vt ex alijs interpretationibus infra patebit. Ex quibus etiam liquet,

Io. Bened. Xiſtus Senen. l. 1

Scriptor capitis 14. libri Tobiæ ignoratur.

Serarii ſentẽtia reiicitur

Inf. c. 14. v. 1

8 Qua lingua ſcriptus hic liber ſit,

Primo nimirum Chaldaice,vt teſtatur Hieronymus, qui etiam illum ex Chaldaico,in Latinum ſermonem tranſtulit, vnde ait. *Quia vicina eſt Chaldæorum lingua ſermoni Hebraico,vtriuſque linguæ peritiſſimum loquacem inueniens vnius diei laborem arripui, & quicquid ille mihi Hebraicis verbis expreſſit, hæc ego accito notario ſermonibus latinis expoſui.* Et quidem,vt dictum eſt à Tobia filio: deinde etiam à Tobia patre cum additionibus Syriace: ex quo forte textu Græca; & Hebraica manauit interpretatio: nam Arabicã, cum noſtræ vulgatæ in omni-

Interpretationes huius libri, quæ reperiantur, & vbi.

Hier. ep. 100. ad Cromatiũ. & Eliodorum

bus

bus fere conſentiat ex Chaldaica originem habuiſſe probabiliſſimum puto.

9 Quod ſi Græca, Hebraica, & Syriaca variæ ſæpe inter ſe, diuerſæque eſſe dignoſcuntur, librariorum id vitio contigiſſe, nemini dubium eſſe debet. De Græca, & Hebraica Serarius: *Extat*, inquit, *hodie Græca huius libri verſio, & Hebraicæ duæ, quarum alteram à Conſtantinopolitanis acceptã ante annos amplius quadraginta noſtra hæc edidit Germania.* Hæc ille circa annum Domini milleſimum ſexcenteſimum. Syriacum vero textum reperi in Romana bibliotheca Medicea: Arabicum apud D. Victorium Maronitam inſignem linguarum in Romana Sapientia interpretem, à quo etiam Latinam vtriuſque interpretationem accepi.

Serar. hic prolog. 3

10 Quanta ſit huius libri auctoritas.

Docet Concilium Tridentinum, quod illud inter Canonicos retulit. Quare blaterent quicquid velint Centuriatores Mogdeburgenſes, Brentius, Lutherus, Zuinglius, Caluinus, & reliqui huius farinæ homines, qui præcipuæ auctoritatis, & authenticum eſſe negant, quod in canone non ſit Hebræorum deſcriptus; quia ſolam ſacri Oecumenici Concilij auctoritatem illos omnes ſatis, ſuperque confundere, nullus, qui ſapiat dubitabit. Accedit Carthaginenſe Concilium tertium, à quo eodem gradu, & ordine liber hic numeratur, cum cæteris canonicis, & communi omnium iudicio probatis. Præterea ſummi Pontifices Innocentius I. & Gelaſius magna confeſſione, vna cum Auguſtino, Iſidoro, Caſſiodoro, & alijs illum, vt Dei afflatu exaratam ſcriptionem in medium proferunt. Concilium Carthaginenſe diuinum appellat. Cyprianus ſcripturam, in qua loquitur Spiritus Sanctus. Calixtus I. ſacram ſcripturam. Ruffinus diuinum eloquium. Auguſtinus illum inter canonicos numerat. Cromatius per Antonomaſiã ſcripturã dictitat.

Cõc. Trid. ſeſſ. 4.
Cent. 1. c. 4. col. 52.
Conc. Carthagin. 3. can. 47
Innoc. I. ep. ad Exuper.
Gelaſ. in Decr. lib. Eccl.
Cypr. de oper. & eleemoſ. & de orat. Dom.
Ambr. li. de Tobia tom. 2. poſt c. 14

11 Quod ſi aliqui ex SS. Patribus canonicum non eſſe cenſuerunt, idcirco factum eſt, quod ſub iudice adhuc de eo lis eſſet. Certe Hieronymus phariſæos vocat, qui quod non ſit in canone Hebræorum deſcriptus, de catalogo illũ diuinarũ ſcripturarũ expungunt.

Aug. lib. 2. de doctr. chriſt. c. 18. & ep. 120 de gratia nou. teſtam. c. 29.
Hier. ep. 100

12 Nec officit hiſtoriæ, vt peſſime argumentatur Lutherus, quod in prima perſona de ſe ipſo Græce, Syriace, & Hebraice loquatur; quia & alios prophetas eodem modo loquutos legimus. Sic Nehemias; *Ego*, inquit, *eram in Suſis Caſtro*. Et alibi: *leuaui vinum, & dedi regi*, Et Iſaias: *Vidi Dominum ſedẽtem ſuper ſolium excelſum* Et Ezechiel: *Et uidi & ecce ventus turbinis.* & ſexcentis in locis alibi.

2. Eſd. 1. 1.
Iſaiæ 6. 1
Ezech. 1. 4

13 Interpretes huius libri,

Præter Gloſſam ordinariam, Lyranum, Hugonem, Carthuſianum, *bona quidem*, vt ait Serarius, *ſed Vulgatæ nota*, ſunt V. Beda, Petrus Berchorius, quorum vnus allegorice, alter moraliter, ſed ieiune admodum, illum explicant, Federicus Nauſea, & Italice Euangeliſta Marcellinus, qui ad mores, & ad literã aliqua non contemnenda in eo proponunt, S. Ambroſius, qui vno ſermone, ſeu libro, quem Auguſtinus vocat expoſitionem libri Tobiæ, aliqua de illo paucis attingit: omniũ nouiſſimus doctiſſime, breuibus commentarijs, ac fuſioribus quæſtionibus, illum expoſuit Nicolaus Serarius inter illuſtriſſimos Societatis Ieſu ſacrarum ſcripturarum expoſitores, qui hucuſque prodierint nulli ſecundus, per quem multũ in meo hoc opere profeciſſe me ingenue fateor. Ferunt etiam Bellatorem illum quinque libris olim, teſte Caſſiodoro, mille ab hinc annis expoſuiſſe, & circa annũ Domini 1381. Riccardum Labenhain Carmelitã, Matthæũ Vindocinẽſem presbyterũ. è recẽtioribus, Gerardũ Lorichium, Hadamariũ, & Germanice Hoffmeiſterium, quorum tamen ſcripta licet à me diligentiſſime conquiſita, haud vnquã reperire valui.

Serar. in Tobiã prolog. 7
Aug. li. con. Iulia. Pelag. c. 3
Caſſiod. lib. de diu. lect. c. 6

14 De Explanationibus, & documentis,

His meis qualiacunque ſint, illud ſolum præfari libet, omnem in eis laciniosam verborum prolixitatem, & rerum ſupernacaneam cõgeriem me in primis euitandam curauiſſe, ijs duntaxat in explanationibus contentũ, quæ ſufficere ad textus intelligentiam ſum arbitratus, nullam, quam animaduerterim difficultatem intentatam, nullũ inexplicatũ locũ relinquens, vt *Sapientibus & inſipientibus*, quibus me debitorem cum B. Paulo noueram, ſatis, cumulateque facerem. Documenta ea ſolum tractaui, ne opus in infinitum excreſceret, quæ magis ad literæ explanationem, iuxta ac morum inſtitutionẽ opportuna mihi ſunt viſa; omnia in eis breuiore, qua potui ſcriptione perſtringens: quę partim olim in Eccleſia S. Mariæ in Vallicella meæ Congregationis Romæ, & partim in mea Catredali Adiacenſi ad populum fuſius explicaui. Illud identidẽ fieri poſſe confidens, vt quæ non parum viua voce profuiſſe nouerim, & ſcripta poſteritati proſint: ea tamen à literæ expoſitione ita ſeiũxi, vt qui ſolam hiſtoriam legere voluerint, facile, ſi libuerit, prætermittant.

Rom. 1. 14.

15 *Sed hæc de præfatione*, dicam cum ſacro hiſtorico, *tantum dixiſſe ſufficiat: ſtultum etenim eſt ante hiſtoriam effluere, in ipſa autẽ hiſtoria ſuccingi.* Quod ſi in aliqua, vt humana fert conditio lapſum me eſſe deprehendes, te pie, ac erudite lector, vt patienter corrigas, etiam atque etiã rogo; cum mea omnia non modo iudicio S.R. Eccleſiæ, ſed etiam tuo, libens, volenſque ſubijciam.

Li. 2. Machab. c. 2. 33

INDEX

SYNOPSIS CAPITIS I.

Tobias in captiuitate conſtitutus à lege Dei non recedit: filium ex Anna coniuge ſuſceptum Deum timere docet: gratus regi Salmanaſar pergit quocunque vult: confratres captiuos conſolatur: decem argenti talenta Gabelo dat mutua: eum Sennacherib, quòd mortuos ſepeliret, perſequitur.

CAPVT PRIMVM.

1 TOBIAS ex Tribu, &
Ciuitate Nephthali,
(quæ eſt in ſuperiori-
bus Galilææ ſupra
Naaſſon, poſt viam,
quę ducit ad Occiden-
tem, in ſiniſtro habens ciuitatem Sephet)
2 Cùm captus eſſet in diebus Salmana-
ſar Regis Aſſyriorum, in captiuitate ta-
men poſitus, viam veritatis non deſeruit,
3 Ita vt omnia, quæ habere poterat,
quotidie concaptiuis fratribus, qui erant
ex eius genere, impertiret.
4 Cùmq. eſſet iunior omnibus in Tribu
Nephthali, nihil tamen puerile geſſit in
opere.
5 Deniq. cùm irent omnes ad vitulos
aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Iſraël,
hic ſolus fugiebat conſortia omnium,
6 Sed pergebat in Ieruſalem ad Tem-
plum Domini, & ibi adorabat Dominum
Deum Iſraël, omnia primitiua ſua, & de-
cimas ſuas fideliter offerens,
7 Ita vt in tertio anno proſelytis & ad-
uenis miniſtraret omnem decimationem.
8 Hæc & his ſimilia ſecundum legem
Dei puerulus obſeruabat.
9 Cùm verò factus eſſet vir, accepit
vxorem Annam de Tribu ſua, genuitq. ex
ea filium, nomen ſuum imponens ei,
10 Quem ab infantia timere Deum do-
cuit, & abſtinere ab omni peccato.
11 Igitur cùm per captiuitatem deueniſ-
ſet cum vxore ſua, & filio in ciuitatem
Niniuen cum omni tribu ſua.
12 (Cùm omnes ederent ex cibis Genti-
lium,) iſte cuſtodiuit animam ſuam, & nun-
quam contaminatus eſt in eſcis eorum.
13 Et quoniam memor fuit Domini in
toto corde ſuo, dedit illi Deus gratiam in
conſpectu Salmanaſar Regis,
14 Et dedit illi poteſtatem quocumque
vellet ire, habens libertatem quæcumque
facere voluiſſet.
15 Pergebat ergo ad omnes, qui erant in
captiuitate, & monita ſalutis dabat eis.
16 Cùm autem veniſſet in Rages ciuita-
tem Medorum, & ex his, quibus hono-
ratus fuerat à Rege, habuiſſet decem ta-
lenta argenti:
17 Et cùm in multa turba generis ſui
Gabelum egentem videret, qui erat ex
Tribu eius, ſub Chyrographo dedit illi
memoratum pondus argenti.
18 Poſt multum verò temporis, mortuo
Salmanaſar Rege, cùm regnaret Senna-
cherib filius eius pro eo, & filios Iſraël
exoſos haberet in conſpectu ſuo:
19 Tobias quotidie pergebat per om-
nem cognationem ſuam, & conſolabatur
eos, diuidebatq. vnicuique, prout pote-
rat, de facultatibus ſuis:
20 Eſurientes alebat, nudiſq. veſtimenta
præbebat, & mortuis atque occiſis ſepul-
turam ſollicitus exhibebat.
21 Deniq. cùm reuerſus eſſet Rex Senna-
cherib fugiens à Iudęa plagam, quam cir-
ca eũ fecerat Deus propter blaſphemiam
ſuam, & iratus multos occideret ex filijs
Iſraël, Tobias ſepeliebat corpora eorum.
22 At vbi nunciatum eſt regi, iuſſit eum
occidi, & tulit omnem ſubſtantiam eius.
23 Tobias verò cum filio ſuo, & cum
vxore fugiens, nudus latuit, quia multi
diligebant eum.
24 Poſt dies verò quadraginta quinque
occiderunt Regem filij ipſius.
25 Et reuerſus eſt Tobias in domum
ſuam, omniſq. facultas eius reſtituta eſt ei.

VERS. I.

Tobias ex tribu, & ciuitate Nephthali (quæ eſt in ſuperioribus Galilææ ſupra Naaſſon, poſt viam, quæ ducit ad Occidentem, in ſiniſtro habens ciuitatem Sephet.)

1 *Tobiæ nomen quid ſignificet.*
2 *Tribus quid, & quot eſſent apud Hebræos.*
3 *Nephthali quis fuerit: Iſaac, & Moyſis prophetiæ de eodem explicantur.*
4 *Galilea ſuperior quæ eſſet, quæ ciuitas Naaſſon, & via ducens ad Occidentem.*
5 *Siniſtrum, & dextrum mundi quale dicatur.*

VERS. I.

1 TOBIAS Nomen eſt proprium auctorum huius libri, idem ſonans, quod bonus Deus, ſeu bonus Dei, ſiue bonitas Dei: nam apud Hebræos טוב *Iob* bonum ſignificat יה *ia* verò Deum. Sunt tamen & alij, qui hoc nomine ſunt appellati, non ſolùm in ſacris literis; ſed etiam apud Ioſephum, Epiphanium, & apud Græcorum menologos, & noſtros martyrologos.

2 *Ex tribu, & ciuitate Nephthali* Hoc eſt, ex generatione deſcendentium à Nephthali: nam tribus nihil aliud ſignificat, quàm multorum ab vna ſtirpe deſcendentium generationem, in qua ſint multæ familiæ varias in domos diſtributæ, & harum duodecim numerantur in ſacris literis, iuxta numerum filiorum Iſraël, nimirum, ſecundum ordinem natiuitatis ipſorum. Prima Ruben, ſecunda Simeon, tertia Leui, quarta Iudæ, quinta Dan, ſexta Nephthali, ſeptima Gad, octaua Aſer, nona Iſſachar, decima Zabulon, vndecima Ioſeph, duodecima Beniamin, ex quibus totus Iudæorum populus conſtabat: vnde in terram promiſſionis intrantes in terrarum partitione, ſortibusq. ducendis, cùm tribus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſe remanſerint citra Iordanem: Vltra eum primam ſortem obtinuit Iudas ad Auſtrum, eique ad Aquilonem iunctus fuit Ephraim, cum reliqua dimidia tribu Manaſſe ad mare: ſecundam Simeon in Iudæ finibus: tertiam Zabulon: quartam Iſſachar: quintam Aſer: ſextam Nephthali: ſeptimam Dan. Sic & Athenienſes populum in duodecim partes diuidebant, quarum vnamquamque φυλὴν, ideſt tribum nominabant.

Duodecim tribuum filiorũ Iſraël ordo, & diſpoſitio.

3 *Nephthali.* A quo nomen, & originem tribus, & ciuitas Nephthalica duxit; ſextus fuit filius Iacob ex Balà ancilla Rachelis eius vxoris prognatus; ſic dictus, quòd ſtatim genitus tantà cum lætitia in filium adoptionis ab eadem Rachele ſuſceptus ſit, vt in ea verba lætabunda prorupe-rit: *Pro quo comparauit me Dominus cum ſorore mea*, nimirum, Lia, quæ ipſa fœcundior, filios iam quatuor ex eodem Iacob ſuſceperat: nam licet vocem Nephthali interpretetur Ioſephus, artificioſum, hoc eſt, vafrum, & callidum, & Oleaſter dicat ſignificare inuolutum, ſeu inuolucrum, quod eodem redit; ſolent enim callidi ſuas artes inuoluere, & tegere; veteres tamen cum Hieronymo illam interpretati ſunt, comparatum, ſeu comparationem. De illo pater ipſius iam morti proximus prophetans ait: *Nephthali ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis*, quibus verbis, à cerui emiſſi velocitate metaphoram ducens, futurum ſignificauit, vt in terra, quæ ſorte eiuſdem tribui contingere debebat, celeriùs naſcerentur fruges, & abundantiùs, quàm in alijs aliarum tribuum ſortibus: vnde etiam propter temporaneas illius oblationes, ſacerdotes pulcherrimas Deo laudes cantaturi eſſent, iuxta quem ſenſum Moyſes ait: *Nephthali abundantia perfruetur*, copia nimirum frugum, & opum, & dum præcoces dabit fructus, ex quibus primitiæ offeruntur Deo in templo, *plenus erit benedictionibus Domini*, à ſacerdotibus illos excipientibus, & Deo gratias agentibus; *mare, & meridiem poſſidebit:* etenim conſiſteret licèt ſedes huius tribus ad prorſus diuerſam partem, nempe Septentrionem, & ſolis ortum, montem Libanum, & Iordanis fontes verſus; per commercia tamen mutuæ ſocietatis habebat quicquid boni apud alias tribus, quæ ad meridiem iuxta mare poſitæ erant, perueniret.

Nephthali quis fuerit.

Geneſ. 30. 8.

Ioſephus. Oleaſter.

Hieron. quæſt. Hebraic. in Geneſ.

Gen. 49. 21.

Deut. 33. 23.

4 *Quæ eſt in ſuperioribus Galilææ.* Hoc eſt, vt interpretatur Arabs, *in Galilæa ſuperiore*, proximiore nimirum fontibus Iordanis, vtramque Galilæam ſuperiorem, & inferiorem alluentis. Qua etiam ratione, & nos hodie Germaniam ſuperiorem illam dicimus, quæ fontibus Rheni proximior eſt. Habebat Galilæa ſuperior, vt docet Ioſephus, à Septentrione Cæſaream Philippi, & Libanum montem; à meridie Galilæam inferiorem; ab Ortu Iordanem; ab Occaſu maritimas vrbes Sydonem, Tyrum, & Ptolemaidam: quare Gentibus finitima, Galilæa etiam Gentium dicebatur. Galilæa verò inferior habebat à Septentrione Galilæam ſuperiorem, à meridie Samariam, ab Ortu mare Thyberiadis, ab Occaſu mare magnum.

Arabs.

Galilæa ſuperior illa dicebatur, quæ erat fontibus Iordanis proximior.

Ioſeph. lib. 3. de bell. Iud c. 2.

Supra Naaſſon, Quæ ad mare declinans Mediterraneum, & ſicut teſtatur Brocardus in planitie poſita, tribus ferè milliaribus Orienti propior eſt ciuitas, quàm Nephthali. Sit ne tamen vna, & eadem cum Aſer (quòd Græcus hic dicat ſupra Aſer) non ſatis conſtat.

Brocardus in deſcript. terræ ſanctæ par. 1. c. 3.

Poſt

Digitized by Google

Arabs. Matth. 4. 15. Brocard. vbi ſupra.

Poſt viam, quæ ducit ad Occidentem, Arabs: *Poſt viam, qua indicat Occidentem*, quæ apud Matthæũ dicitur *via maris trans Iordanem Galilææ gentium*. Illam Brocardus publicam eſſe aſſerit, quæ initium in Syria ſumens, per montana Traconitidis regionis, & ciuitatis Cedar, & Corazaim, atque Iordanem fluuium ad litus maris Galilææ protenditur; Ptolemaidamq́. decurrens merces ſuas in Occidentem vniuerſum diſtrahendas ad mare Mediterraneũ exonerat.

Lyran. hic. Mundi dextrum, & ſiniſtrum quale ſit.

5 *In ſiniſtro* Hoc eſt, in ſiniſtra parte Nephthali vno milliario à Septentrione: eſt enim, vt docet Lyranus, ſacræ Scripturæ mos, ſiniſtram, & dextram partem oſtendere; quando verſa facie ad Orientem, à dextris eſt Auſter, & à ſiniſtris Aquilo: *nam ſecundum Philoſophum*, ait ille, *dextrum mundi eſt Oriens, & Occidens ſiniſtrum, ſecundum verò communem loquendi modum, quem magis ſequitur ſcriptura, ſiniſtrum mundi illud dicitur, quod eſt ad ſiniſtram hominis verſa facie ad Orientem, & ſic pars Aquilonaris eſt ſiniſtra pars mundi: ciuitas verò Sephet eſt in Aquilonari parte reſpectu Nephthali.*

Andrichom. in deſcriptione Ieruſalem.

Habens ciuitatem Sephet Quæ Græcè dicitur Cades Nephthali, hodie, vt eſt apud Andrichomium Suſiz, vel Siſiz, vel Syſin.

De Tobiæ Generis nobilitate, & quòd vera nobilitas in virtute conſiſtat.

DOCVMENTVM.

A Tobiæ patria nobiliſſima.

QVANTA eſſet Tobiæ patriæ nobilitas, non ſolùm ex iam dictis apparet; ſed etiam ex eo, quòd Chriſtus Dominus ſuperiorem Galilæam, in quâ, ſicut vidimus, ſors, tribusq́. Nephthalica ſita erat, *primo tempore*, iuxta Iſaiæ prophetiam, luce ſuæ diuinæ prædicationis illuſtratam voluerit; & Capharnaum, Bethſaida, aliasq́. præcipuas ipſius ciuitates, ſicut docet B. Matthæus, toto ferè vitæ ſuæ tempore peculiariter incoluerit.

Iſaia 9. 1. Matth. 4. 13. & 9. 1.

Græcus. Syrus. Hebræus.

Quanta verò eſſet eiuſdem Tobiæ parentum nobilitas, non ſatis liquet: nam licèt Græcus, Syrus, & Hebræus interpretes, præter patriam, & ciuitatem, de eiuſdem etiam parentibus, & conſanguineis meminerint; ex eorũ tamen notitia, cùm & multi ignobiles in ſcripturis numerentur; nihil certum de ipſius generis nobilitate colligitur. Haud tamen à veroſimili longè eſt, fuiſſe nobiliſſimos, cùm ipſe Tobias in captiuitate poſitus, à rege Salmanaſar conſtitutus ſit omnium, quæ ad regem ſpectabant, emptor, & procurator; & Achiacharus Anaël filius fratris eius à rege Sarchedono (qui poſt regem Sennacherib Salmanaſaro ſucceſſit) electus ſit ab anulo ſignatorio, adminiſtrator totius regni, & computator; vt infra ex lectione LXX. interpretum apparebit.

B Tobiæ parentes fuiſſe nobiliſſimos non caret probabilitate.

Infra hoc eodem cap. verſ. 14. & 21.

Senec. lib. 5. epiſt. 44.

Dicendum tamen, quicquid de illa ſit, quod Seneca dicit: *Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc ſumus nobiles: Patritius Socrates non fuit: Cleantes aquam traduxit, & rigando hortulo locauit manus. Platonem non accepit nobilem Philoſophia, ſed fecit.* & paulò poſt: *Quis ergo generoſus? ad virtutem benè à natura compoſitus. Hoc vnum eſt intuendum. Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. Nemo ad noſtram gloriam vixit; nec quod ante fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione ſupra fortunam licet ſurgere.* Hinc & Poëta ille:

C Vera nobilitas in virtute ſita.

Ouid. lib. 1. de Ponto.

Non cenſus, nec opes, nec clarũ nomen auorũ;
Sed probitas magnos, ingenuosq́. facit.
& alibi:
Nobilitat virtus animum, virtute remotus
Migrat in exilium nobilitatis honor.
Nobilitas animi ſola eſt, atque vnica virtus.

D

1. Reg. 2. & 31.

Apoc. 7. 13.

Quod ipſe Deus non obſcurè ſignificauerat, quando populum arguendo per Samuelem, dixit: *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum*. Hoc eſt: faciam eum nobilem, & glorioſum; *Qui autem contemnent me, erunt ignobiles*: in virtute veram nobilitatem ſitam eſſe oſtendens. Et Senex ille in Apocalypſi declarauit, quando nobiles cæli amictos ſtolis albis, & palmas in manibus habentes B. Ioanni in extaſim rapto oſtendens, ab illo petijt: *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & vnde venerunt?* Cui ille: *Domine mi, tu ſcis*. Et ſenex, vt indicaret, nihil referre in domo Dei ſcire, fuerint ne homines nobiles, vel ignobiles, qui illi eſſent indicare omittens, vnde veniſſent his verbis aperuit: *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni.*

Querit Deus non qui ſint homines, ſed vnde veniãt.

Plutarch. in apophteg. E

Sanè quo pacto regem Antigonum, cuidam adoleſcentulo ſtipendia patri mortuo dari ſolita flagitanti reſpondiſſe ferunt: *At ego, ò adoleſcentule, non ob patrias, ſed ob proprias cuiuſque viri virtutes, mercedem, & munera dare ſoleo*. Sic Deus nobilitatis ſtipendia concedit, non ei, qui patris tantùm nobilitate nobilis eſt; ſed ei, qui ſe ipſum ſuis factis nobilem reddit, quique ex magna venit tribulatione.

Nihil prodeſt ſanguinis nobilitas, ſi nobilitati propriæ virtutis non ſit adiuncta.

Chryſoſt. in Matth. c. 22. hom. 4.

Ex quo inferre licet, nobilitatem habentem à parentibus, niſi eam virtutibus ornet, & laudabilem reddat in ſe ipſo, nullam mereri laudem, neque iure in ea gloriari poſſe. Sic filijs Samuel nihil profuit patrem habere nobilem, quòd virtutum eius hæredes non fuerunt: vnde Chryſoſtomus, & Cyrillus non ſatis eſſe docent ad veram nobilitatem his, qui claris ſunt orti parentibus,

F

Cyrill. in Iſa. c. 48. parum poſt princ.

Aug. to. 4. de ſalut. docum. cap. 8.

Hier. ad Celant. epiſt. 14.

paternam habere gloriam, niſi etiam eorundem virtutis fuerint imitatores. Quapropter nullam aliam nobilitatem ſe agnoſcere dicebat Auguſtinus, niſi diuinam amicitiam: *Quæ*, inquiens, *rogo, maior eſſe poterit gloria, vel ſublimior honor, quam eius imperatoris eſſe amicos, qui ſuper omnes imperatores eſt?* Et S. Hieronymus: *Nulli te vnquam*, ait, *de generis nobilitate præponas, nec obſcuras quaſque, & humiliore loco natas te inferiores putes. Neſcit religio noſtra perſonas accipere, nec conditiones hominum, ſed animos inſpicit ſingulorum, ſeruum, & nobilem de moribus pronuntiat. Summa apud Deum libertas eſt, non ſeruire peccatis. Summa apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus.* Poterit ergo ignobilis quiſque nobilitatem adipiſci virtutis,

G

quæ in dies hominem nobiliorem, & ſanctiorem reddit, veram perquirendo nobilitatem: ſatius enim eſt, vt ipſemet Cicero docuit, vnumquemque ſuis rebus geſtis florere, quàm maiorum opinione niti; & ita viuere, vt ſit poſteris ſuis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Sæpè enim fit, vt multi nobilitatis mundanæ occaſione inſoleſcant, & infimos quoſque ſuperbè deſpiciant, & nobilitatis obtentu omnia ſibi licere putent: nam mens humana, cùm ad licentiam magis, & voluptatem, quàm ad honeſtatem propenſa ſit, à nobilitatis dignitate ſuperbiendi potiùs, quàm patrias virtutes imitandi occaſionem accipere plerunque ſolet. Quod Dionyſij ſenioris Syracuſanorum Tyranni filius, exemplo ſuo nos, docuit, qui cùm à patre corriperetur, quòd Syracuſani cuiuſdam ciuis vxori vim intuliſſet, atque inter alia diceret: An vnquam à ſe rem factam huiuſmodi audiuiſſet; filius ita ei reſpondit: *Hoc accidit, quòd nunquam patrem regem habuiſti.* Et vnus hic regis filius multos habet intemperantiæ ſuæ ſectatores, qui nobilitatis occaſione omnia ſibi licere arbitrantur, cùm tamen in maxima potentia minima eſſe licentia debeat; ſed plura de hac materia habentur inferius.

Cicero contra Saluſtium.

Nobiles multi nobilitatis occaſione inſoleſcant.

Fulg. lib. 7.

H

Infra cap. 5. verſ. 17. decum. 1. & 2.

VERS. II.

Cùm captus eſſet in diebus Salmanaſar regis Aſſyriorum, in captiuitate tamen poſitus viam veritatis non deſeruit,

VERS. III.

Ita vt omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere impertiret.

1 *Captiuitas Tobiæ quando contigerit.*
2 *Salmanaſar, qui fuerit, & quo tempore decem Tribus translatæ.*
3 *Seruitutem morte ipſa duriorem, quàm patienter Tobias tulerit.*
4 *Via veritatis quæ.*
5 *Eleemoſyna profuſa Tobiæ.*
6 *Concaptiui eiuſdem fratres, qui.*

VERS. II.

1 *CVM captus eſſet* Anno ſcilicet à creatione mundi ter milleſimo quadringenteſimo ſecundo, Ezechiæ regis Iudæ ſexto, Oſeæ regis Iſraël nono, poſt primam captiuitatem decem tribuum, quam Teglathphalaſar fecerat, de qua in libris regum, cum vxore, & filijs à Salmanaſar rege Aſſyriorum captiuus ductus eſt in ciuitatem Niniue.

4. Reg. 15. 29.
3. Reg. 17.

2 *Salmanaſar regis Aſſyriorum* Et quidem tertij, quem Aſtrologi Prutenici perperam, vt bene Scaliger, eundem eſſe putant cũ eo, qui à Ptolomæo Nabonaſar vocatur; cùm fuerit Salmanaſar, vt infra patebit, non rex Babylonis, vt ille, ſed Niniue, nec eo tempore, vt ex eodem Ptolomæo conſtat, quo ille vixerit.

Scaliger lib. 4. & 5.
Infra verſ. II.

Hoc tempore tranſlatæ ſunt è terra promiſſionis decem Tribus Iſraël, ita vt ſola tribus Iudæ cum adiuncta Beniamin remaneret, quæ deinde, vt docet Auguſtinus, nomine Iudæ vocatæ ſunt.

Auguſt. 18 in Geneſ. c. 14.

3 *In captiuitate tamen poſitus* In duriſſima nimirum ſeruitute, quæ mors quædam ciuilis eſt, cùm in ea ciuilis vita depereat, ex quo gentes verè potiùs emori, quàm ſeruire voluerunt. Sic Philippo regi, vbi in agrum Spartanum irrumpens, cuidam Spartano dixiſſet: *Quid nunc facietis lacones?* reſpondit ille: *Quid aliud, quàm moriemur fortiter? Soli enim Græcorum nos liberi eſſe, & non obedire alijs didicimus.* Tobias tamen conſtans in aduerſis, vt olim filij Iſraël in duriſſima Aegyptiorum captiuitate poſiti, qui *quantò magis opprimebantur, tantò magis multiplicabantur*, ibat de virtute in virtutem, quaſi fluuius, qui quò magis arctatur, atque concluditur, eò maiori vi, & copia eluctatur, aggeres, obiceſq; proſternit, & erumpit; ita maiori ille ſemper virtutum vi, atque copia eluctabatur, & erumpebat, vt inferius apparebit.

Exod. 1. 12.

4 *Viam veritatis non deſeruit.* Ideſt veram Dei mandatorum viam, quam ſibi ſeriò ſequendam in libertate propoſuerat, nec deſerere in captiuitate voluit: vnde cum Dauid dicere poſſet: *Viam veritatis elegi: iudicia tua non ſum oblitus.* Mandata Dei viam veritatis eſſe, idem teſtatur Dauid, cùm ait: *Omnia mandata tua veritas.* Syrus: *Viam veritatis currebam, & iuſtitia, omnibus diebus vitæ meæ.* Quod eò mirabilius in eo fuit, quò erat iunior.

Pſal. 118. 30.
Dei mandata ſunt veritatis via.
Pſ. 118. 86.
Syrus.

Sanè poſt cladem, duce Agide, acceptam,

cùm

[Puerorum mores facilè corrumpuntur.]

cùm Antipater obſidum loco pueros quinquaginta depoſceret, Eteocles tum Ephorus, ſe eos daturum negauit, ne videlicet malè educarentur, & ab inſtitutis patriæ diſcedentes ciuitati pernicioſi fierent: ſenum autem, aut mulierum duplum, ſi vellet numerum obtulit. Cúmq. Antipater atrocia minaretur, niſi darentur; publico nomine reſpondit: *Si difficiliora morte imperas, facilius nobis erit mori*; quòd morte difficilius ducerent filios hoſti permittere, à quo non niſi malè educari poterant, prauis moribus imbui, & à via abduci veritatis.

VERS. III.

5 *ITA vt*. Ad concaptiuorum in quantum poſſet ſubleuandam miſeriam,

Omnia, quæ habere poterat, quotidie [Arabs.] Arabs: *Omnem rem, quam poterat acquirere in ſingulos dies*, illis benignè impertiretur. Sic enim, haud dubiè, quaſi alienorum bonorum procurator, de bonis ſuis faciendum exiſtimabat, vt quantùm poſſet, contribulum inopiam ſubleuaret, nec ſuperflua tantum; ſed neceſſaria quoque in eam rem inſumens, id quod hominis amiciſſimè erga pauperes affecti, argumentum erat clariſſimum. [Faciēda eleemoſyna non ſolùm de ſuperfluis: ſed etiam de neceſſariis.] Quod omnibus faciendum docet Ambroſius: [Ambr. lib. 2. de offic.] *Nam hoc*, ait, *maximum eſt incentiuum miſericordiæ, vt compattamur alienis calamitatibus, neceſſitates aliorum quantùm poſſumus iuuemus, & plus interdum, quàm poſſumus*. Et quidem hoc ille ſcripſit, cùm ex omnibus ſuis bonis Eccleſiæ vaſa conflari, & pauperes ſubleuari iuſſiſſet.

6 *Concaptiuis fratribus*. Et ſpeciatim ex tribu Nephthali, & generatim fratribus ex progenie Iacob, à quo omnes tribus originem ducebant: ita Syrus: [Syrus.] *Et miſericordias multas feci fratribus meis, & populo, qui ibat mecum in regionem Aſſyriorum*. Arabs: [Arabs.] *Diſtribuebat fratribus, qui erant ex genere ſuo captiui cum eo*. Nam licèt omnibus, iuxta B. Pauli documentum, debeatur miſericordia; maximè tamen domeſticis debetur fidei, ſi egeant, vt latiùs infra. [Gal. 6. 10. Infra cap. 2. verſ. 2. in doc. & c. 4. verſ. 7. docum. 3.]

Quòd opera noſtra quales ſimus oſtendant.

DOCVMENTVM.

A MAXIMAM Tobiæ fuiſſe virtutem hic in litera patet, vbi eius in primis charitatis opera recenſentur adeò illuſtria, vt quaſi ſui ipſius oblitus, omnia, quæ habere poterat, concaptiuis dediſſe fratribus dicatur: nam, cùm virtutum, & vitiorum habitus, ita hæreant animo, vt oculis nequeant cerni corporeis, ſed ex operibus dumtaxat, quæ ab illis proficiſcuntur, deprehendi valeant; maximam eius fuiſſe virtutem affirmare neceſſe eſt, qui præclaris, & inſignibus operibus enitebat; & ſicut eum ſuperbum, & arrogantem iudicamus, qui ſplendido nimis habitu ornatus ad pompam, inceſſu graui, erectis oculis, & elata ceruice progreditur, atque magnificè de ſe loquitur; [Superbiæ indicia.] ita illum per viam veritatis incedere, magnoquè erga Deum, & proximum amore flagrare dicere debemus, qui legem ipſius Dei obſeruat, miſericordem ſe præbet erga proximum, aliaq. huiuſmodi, quæ oculis intueri corporeis licet, atque ab ipſa ſunt veritate præcepta, opere ipſo exequitur. B Sic ſummi ipſius, & omnipotentis Dei potentiam priſci philoſophi, qui de Deo acutè, & grauiter diſputarunt, mundi creationem, prouidentiam, &c. ab effectibus cognouerunt. [Dei attributa, & naturam quomodo cognouerint philoſophi.] Vnde B. Paulus: *Quod notum eſt Dei*, ait, *manifeſtum eſt in illis*: [Ad Rom. 1. 19. & 20.] Ideſt quod cognoſcibile eſt de Deo ab homine, in creaturis per ratiocinationem manifeſtum eſt, quia nimirum vt ſubdit: *Inuiſibilia ipſius à creatura mundi*, ideſt ab homine, *per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*. C Sic rerum creatarum natura occulta dignoſcitur, ſic artificis cuiuſque peritia: nam quo pacto ex imagine egregijs picturæ coloribus, ſummoq. artificio expreſſa, pictoris excellentia; ita ab heroicis cuiuſcunque operibus, heroica ipſius animi virtus dignoſci poteſt. [Hominis virtus ex operibus cognoſcitur.] Præterea quo pacto, in vita animali illud corpus viuum dicimus, quod ſe mouet, reſpirat, & loquitur, illudq. mortuum, quod his omnibus caret: ſic in vita morali, cuius quaſi forma, & anima eſt virtus, illum debemus virtute præditum dicere, qui virtutis, illum verò vitijs coinquinatum, qui vitij actus, & opera exercet. Quare cùm de Chriſto Domino Iudæi quidam inuidi, qui nouerant cœcum natum ab illo fuiſſe illuminatum, dixiſſent: D *Hic dæmonium habet*: alij ex operibus meliùs argumentantes dicebant: *Hæc verba non ſunt dæmonium habentis: nunquid dæmonium poteſt cœcorum oculos aperire?* [Io. 10. 20. 21.] ideſt, non ſolent dæmoniaci huiuſmodi opera exercere.

Eodem eſt argumento vſus B. Ioannes in ſua Canonica, ad probandam charitatem in aliquo: *Qui habuerit*, inquiens, *ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli non diligamus verbo, aut lingua, ſed opere, & veritate*: [1. Io. 3. 17.] nam nullus credet ei, E qui ſe proximum diligere ait, & ipſius indigentiam, cùm poſſit, non ſubleuat; quòd nequeat ignis in ſinu abſconditus retineri, nec Punicum malum decoris repletum granis, ardentiſſimis ſolis radijs occluſum reſiſtere. Hinc loquens Iſaias de Chriſti Ec-

Iſa.61.3.

cleſia, & fortitudine fidelium noui teſtamenti in operibus virtutis. *Et vocabuntur*, ait, *in ea fortes iuſtitia plantatio Domini ad glorificandum*: hoc eſt fortes ad opera iuſtitiæ peragenda, vnde inducuntur homines ad glorificandum Deum: nam quo pacto ex conſpectu arboris onuſtæ fructibus excitantur homines ad Dei gloriam celebrandam; ita viri Chriſtiani tot bonorum fructuum operibus onuſti eſſe debent, vt quiſquis illos viderit, confeſtim Domino, à quo bona vniuerſa promanant, benedicat.

F

Leuit. 11. 4.

Indiuiſæ vngulæ animalia cur immunda apud Hebræos.

Theodoretus in Leuit.

Vngulæ diuiſio quid ſignificet.

Sic etiam animalia omnia, quamuis pulchra, immunda eſſe voluit Deus, quæ vngulam non diuidebant, vt inde ſciremus, alterius vitam, non ex pulchritudine, ſed ex diuiſione vngulæ, ex operibus ſcilicet prudentiæ, & conſilij, quod vngulæ diuiſione ſignificari Theodoretus affirmat, dignoſcendam, immundamq́. vel mundam eſſe cenſendam. Quare nullus eſt, qui iure conqueri poſſit, quòd ſe homines vſurarium, ſuperbum, prophanum, & ſenſualem iudicent, ſi opera talium operatur.

G

1. Reg. 12, 3.

Hinc volens Samuel innocentiam ſuam filijs Iſraël manifeſtam fieri, non ſacerdotale munus, ſed egregias, quas præſtiterat, actiones conſiderandas proponit: *Loquimini*, dicens, *de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrum bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem: ſi de manu cuiuſquam munus accepi*. Quibus verbis conſilij ſui cauſam optimè reddit: ſeq. non animal immundum; ſed mundũ, vngulam diuidens, (quod prudentia, & conſilio in ſuis actionibus pollet) oſtendit. Sic prudentiſſimus Iſaac, volens filium ſuum dignoſcere, cùm cæcus eſſet, non voci credendum; ſed manibus cenſuit: *Vox quidem*, dicens, *vox Iacob eſt; ſed manus manus ſunt Eſau*, vt doceret opera noſtra quales ſimus oſtendere, non verba.

Geneſ. 27, 22.

H

VERS. IV.

Cùmque eſſet iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile geſſit in opere.

1 *Iunior omnibus cur dictus Tobias.*
2 *Puerilia quæ dicantur, & quomodo ſanctorum quàmplurimi illa contēpſerint.*

VERS, IV.

Syrus.

1 IVNIOR *omnibus*. Syrus: *Et cùm puer eſſem tota tribus Nephthali patris mei*. Hoc eſt, vnus iuniorum, vel ferè iunior, vel etiam, cùm eſſet iunior inter omnes alicuius notæ viros ſuæ tribus. Nam *omnes*, haud ſemper ſignificare omnimodam vniuerſitatem docet Hieronymus, vbi ait: *Secundum illum canonem, quem ſæpè expoſuimus ſcripturarum: omnia non ad totum referenda eſſe, ſed ad maximam partem, vt omnes declinauerunt; & omnes, qui venerunt ante me, fures fuerunt: & omnes, quæ ſua ſunt quærunt.*

Hieron. epiſt. 146. ad Damaſum.

Pſ.13.

Io.10.

Phil.2.

Nihil. Quod non eſſet laudabile, ætatem tranſcendendo ſuam opere geſſit; ſed, vt habet Græcus: *Cùm eſſet iuuenis, & omnis tribus Nephthali receſſiſſet à Dei cultu; ipſe tamen nihil puerile geſſit*. Arabs: *Non operatus eſt opus iuuenum.*

Græcus.

Arabs.

Puerile. Vt obſeruat Serarius, duplex; vnum leue, & ludicrum, ſed ab omni vitio remotum, vt:

Serarius hic.

Ludere par impar, equitare in arũdine lõga.

Puerilia quæ Sanctorum multi adhuc pueri contēpſerunt.

2 Quod licet in viris meritò improbetur, niſi fiat animi relaxandi gratia, pueris tamen concedi meritò videtur. Nam: *cùm eſſem paruulus*, ait B. Paulus, *loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus*. Alterum leue, & ludicrum; ſed cum malitia; vt otiari, compotare, & tempus iocis, & verbis pernicioſis malè, vel nimium traducere: quod quamquam in omni ætate ſit fugiendum; communibus tamen pueris ſat commune eſſe conſpicitur: vnde canit Horatius:

1. Cor. 13. 11.

Aetatis cuiuſque notandi ſunt tibi mores.
Reddere qui voces iã ſcit puer, & pede certo
Signat humũ, geſtit, paribus colludere, & irã
Colligit, et ponit temerè, et mutatur in horas.

Horatius de arte poetica.

Quin & ipſe Auguſtinus puerum ſe luſui pilæ nimium deditum fuiſſe confitetur: *Non deerat*, inquiens, *Domine memoria, vel ingenium, quæ nos habere voluiſti pro illa ætate ſatis, ſed delectabat ludere, & vindicabatur in nos ab eis, qui talia vtique agebant, ſed maiorum nugæ negotia vocantur, puerorum autem talia cùm ſint puniuntur à maioribus, & nemo miſeratur, pueros, vel illos, vel vtroſque: niſi verò approbet quiſquam bonus rerum arbiter vapulaſſe me, quia ludebam pila puer, & eo ludo impediebar, quò minus celeriter diſcerem literas, quibus maior deformiùs luderem*. Verùm qui maiore indole, ac nobiliore pueri ſunt, non tantùm ludos poſteriores; ſed etiam priores aut omnino deſerunt, aut certè vix attingunt. Sic de Themiſtocle narrat Plutarchus, quòd cæteris pueris ludentibus, ipſe orationes tacitè meditabatur ſecum, adeò vt illi magiſter diceret: *Te, ò puer, paruum nihil; ſed magnum aliquod, aut bonum, aut malum futurum auguror*. Et de Malachia, ait Bernardus: *Agebat ſenem moribus puer expers laſciuiæ puerilis*. Et vnum ſubiungit, quod non bonæ modo, ſed etiam magnæ cuiuſdam ſpei inſigne in puero erat: nam cùm excitus opinione magiſtri cuiuſdam, ad eum diſcendarum literarum cauſa veniſſet, cumq. ludentem ſubula, & ſulcos neſcio quos in pariete

Auguſt. lib. 1. Confeſſ. c. 9. & 10.

Plutarchus.

Luſus pueriles pueri multi contempſerunt.

Bernard. initio vit. S. Malach.

per

Digitized by Google

per otium ducentem animaduertiſſet, eo ſolo viſo offenſus, puer ſerius, quòd leuitatem redoleret, abſceſſit. Talem etiam deſcribit Baſilium Nazianzenus. Hinc Auguſtinus: *Sit ſenectus veſtra, ait, puerilis, & ſit pueritia ſenilis, ita vt, nec ſapientia veſtra, ſit cum ſuperbia, nec humilitas ſine ſapientia, vt laudetis Dominum ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.*

Nazianzen. ... 20. *Aug. Pſ. 112. ... med.*

Quòd puerilia ſint mundana omnia, & contemnenda.

DOCVMENTVM.

A *CVM QVE eſſet iunior omnibus in Tribu Nephthali; nihil tamen puerile geſſit in opere.* Sapientiſſimus noſter puer, puerilia fugiens, inſipientiam hominum maximã, puerilia inſipientium redarguit, nimirum mundana hæc omnia, quæ puerilia eſſe ipſemet Seneca docuit, dum illorum amatores pueris comparans ait: *Non ideò quicquam inter illos, puerosq; intereſſe quis dixerit, quod illis talorum, nucumque, & æris minuti auaritia eſt, his auri, argentique, & vrbium? quod illi inter ipſos magiſtratus gerunt, & prætextam, faceſq. ac tribunal imitantur; hi eadem in campo, foroque, & in curia ludunt; illi in litoribus arenæ congeſta ſimulacra domuum excitant;* B *hi, vt magnum aliquid agentes, in lapidibus, ac parietibus, & tectis moliendis occupati, ad tutelam corporum inuenta in periculum verterunt: ergo par pueris, longiusq. progreſſis. Sed in alia, maioraq. error eſt.* Quare poſt iuuentam, & annos, facilè vnuſquiſque hæc omnia mundana contemneret, niſi depoſita ætatis pueritia, puerilitatem morum, & in ſenum ætate puerorum, ac infantium vitia retineret. Et quidem ſi bullas facere, & vmbram ſequi, puerile dicimus, cur non puerile item dicamus, bullas dignitatum, & vmbras vanitatum huius mundi quærere? *Vanitas vanitatum*, ait Eccleſiaſtes, *& omnia vanitas.* Et indicatus Seneca: *Tota*, inquit, *rerum natura vmbra eſt inanis, & fallax*; vmbra, quia, teſte experientia, fugiunt mundana omnia inſtar vmbræ ſequentes ſe, nec vnquam capi poſſunt: Cuius rei inter reliquos teſtis eſt rex Syriæ Alexander Antiochi Epiphanis filius, Banes dictus, qui poſtquàm adiutore, & amico Ionatha Machabæo, Demetrium hoſtem ſuum ſuperauerat, atque occiderat, regiſquè Aegypti Ptolomæi filiam ſibi deſponſauerat, dum mundanæ felicitatis vmbram, ſe iam conſecutum fuiſſe arbitrabatur, ex improuiſo ita ſe deriſum inuenit; vt hoſtis ſoceri ſui effectus, ab illo

Seneca quod in ſap. nõ cad. iniuria.

Mundani homines pueris ſimiles.

Eccleſ. 1. 2. *Senec. ad Lucill. ep. 88. c. fin.*

Res mundi vmbra ſunt fugaciſſima.

fugatus ſit, & non ſolùm vxore priuatus, quam Demetrio mortui Demetrij filio Ptolomæus deſponſatam voluit, ſed etiam vita; nam à rege Arabum, ad quem confugerat, obtruncatus eſt, & caput ipſius Ptolomæo donum acceptiſſimum miſſum. Teſtis eſt idem ipſe Ptolomæus, qui tanta inſoleſcens victoria, tertio die, ex improuiſo, obijt. Teſtes ſunt Romani ferè omnes Imperatores, & Reges propèmodum infiniti, qui dum rerum omnium dominium adepti exiſtimarentur, ex improuiſo defecerunt. O mundanarum rerum conſtantiſſimam inconſtantiam! O vmbram vmbrarum omnium fugaciſſimam! D

Verùm non ſolùm vmbra veriſſimè dicuntur mundana; ſed vmbra inanis, & fallax; quòd cùm nihil habeant eorum, quæ præſeferunt, ſequentes ſe ludant, ac fallant. E Nam cùm inane illud omne dicatur, quod eſt ſine fructu, quo pacto nucem inanem dicimus, quæ nucleo caret, & granum inane, quod medulla; ita inania mundi omnia dicuntur, quæ cùm maximam gloriam, maximamq. felicitatem promittant; nec gloriam tamen, nec felicitatem habent. Vnde: *Dominus exercituum*; ait Iſaias, *cogitauit hoc, & detraheret ſuperbiam omnis gloriæ; & ad ignominiam deduceret vniuerſos inclytos terræ.* Fallit præterea mundus amatores ſuos, quia ſicut illum notabiliter deceptum diceremus, qui ex circumuentione eligeret ſimplum, vbi poſſet eligere centuplum, aut aliud bonum infinitè melius; ita ſuos notabiliter mundus decipere F dicitur, dum minima ſua dona, vt magna proponens, illos verè magnis priuat, quoſquè glorioſiſſimos futuros promittebat, inglorios ad extremum vſque ſpiritum, deluſoſque perducit. Hinc Sapiens: *Eſt datum*, inquit, *quod non eſt vtile*, quid verò illud ſit docens, ſubdit: *Eſt propter gloriam minoratio*, per gloriam ſcilicet, huius mundi, quam mundus promittit, gratia in præſenti, & gloria in futuro minorari: Quia, vt quidam è S. Patribus dicere ſolitus erat: *Impoſſibile eſt, vt habentes gloriam ſæcularem, ſimiliter & fructum capiamus cæleſtem.* Vt enim, teſte Seneca, lege cautum ab antiquis fuit, vt hæreditatis à patre acceptæ diuiſio quidem penès filium natu maiorem, electio autem penes minorem eſſet, quod Abraham feciſſe legimus, qui ſenior terram promiſſionis diuiſit, & Loth iunior elegit; G Sic Chriſtus *primogenitus*, vt ait B. Paulus, *in multis fratribus*, paternum regnum diuidens, ex vna parte mundi bona poſuit, & diuitias, quas licet paruas, viſibiles tamen, & ſenſibiles eſſe voluit; ex alia verò bona cæleſtia, quæ licet magnitudine terrena ſuperent in infinitum; inuiſibilia tamen, & fide eredenda illa eſſe voluit: noſtrum eſt eligere; nec poſſumus, ſæcularia eligentes,

Res mundi vmbra ſunt fallax.

Similitudo.

Iſa. 23. 9.

Mũdi fraus.

Eccleſ. 20. 10.

Vit. PP.

Senec. 6. decl. 3.

Geneſ. 3.

Ad Rom. 8. 29.

habere cæleſtia: Noſq. ò Deus! adeò paruuli erimus, adeò dementes, vt veluti rationis expertes, ſenſibus tantùm credamus? decipit nos, ò mortales, decipit mundus, dum partem ſuam potiorem dicit: ſimplum proponit, vt centuplum à nobis æternæ felicitatis tollat: Dicam itaque cum B. Paulo: *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote.* Tobiam imitantes puerulum, qui puerilia hæc omnia contempſit, *quod iunior omnibus eſſet*, hoc eſt, corde humilis: nam benè iuniorem, hoc eſt, humiliorem interpretari poſſumus, ſi Ambroſium docentem audiamus; quia ſpecialis ſingulis iuſtis ſuppetit prærogatiua dicendi: *Iuuenis ſum, & deſpectus*, ſi humilis corde ſit, ſi mitis, atque manſuetus: Quare ideò *nihil puerile geſſit in opere* ſuo ſanctus Tobias, nihil laſciuum, nihil minùs pudicum, nihil minùs graue commiſit, quæ commiſiſſet, ſi modeſtiam, & humilitatem à moribus ſuis ablegaſſet. Hæc eſt enim, quæ amatores ſuos ab vniuerſis vitijs protegit; ſicut è contra ſuperbia ſe ſequentes innumeris malis immergit, quod Gregorius docet dum ait: *Sicut virtus humilitatis omne vitium enecat; ſic arrogantia roborat.* Quia nimirum, ſicut initium, & quaſi compendium omnis peccati eſt ſuperbia; ita & humilitas eſt omnium virtutum exordium. Verùm de mundanarũ rerum vanitate plura dicemus infra.

H 1. *Cor.* 14. 20.

Iunior idem quòd humilior. *Ambr. hic ſer. 18. verſ. 5.*

I Humilitas ab omni culpa protegit, ſuperbiaq. inducit. *Greg. 8. moral. c. 30.*

Infra in tract. de ſuperbia vitio.

VERS. V.

Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Iſraël, hic ſolus fugiebat conſortia omnium.

1 *Ieroboam, quos vitulos erexerit adorandos.*
2 *Rex Iſraël cur dictus.*
3 *Tobias quomodo ſolus iret ad Templum.*

VERS. V.

DENIQVE *&c.* Quæ patri contigerunt ante captiuitatem, dum adhuc puerulus in ſua tribu eſſet, & ciuitate, iterum narranda hic Tobias proponit, neque enim omittenda duxit, vt angelico pareret præcepto, quæ Dei erga ſe miſericordiam non modicè exaggerabant, nimirum, illam fuiſſe ipſius pueritiam, vt non modò nihil puerile in opere ſuo geſſiſſet, ſed potius,

Cum irent omnes. Nimirum Tribus Domini, ita Syrus: *Et omnes Tribus Domini cùm receſſiſſent, ſacrificabãt in Bethel oblationẽ, & domus Nephthali patris mei, & ego ſolus ibam in Ieruſalem, multis vicibus.*

Syrus.

1 *Ad vitulos aureos.* Quos Vatablus putat non quaſi Deos iam erectos fuiſſe, ſed tantum vt Dei ſimulacra: ſcriptura tamen repugnat, & maximè lib. 2. Paralip. vnde & Ioſephus ait, vitulos fuiſſe ipſi Deo Eponymos.

Vatablus. 2. *Paralip.* 19. 9. *Ioſeph.*

Quos Ieroboam fecerat. Arabs: *Quos fabricauerat Ieroba filius Nabath regis Iſraël.* Etenim, vt ſacra narrat hiſtoria, cùm timeret Ieroboam, ne decem tribus filiorum Iſraël, quas ſuæ ditioni ſubiecerat, ad Robam filium Salomonis reuerterentur, ſi Ieroſolymã ſecundum Dei præceptum adirent, vt ipſi Deo in templo ſacrificarent; paulò ante Scenopegiorum feſtum, duos fecit vitulos aureos, illoſq. in Regni ſui finibus, in Bethel vnum; alterum verò in Dan adorandos propoſuit.

Arabs. 2. *Reg.* 12.

2 *Rex Iſraël* Ad diſtinctionem regis Iudæ: nam poſt Salomonem duas in partes Iſraëliticum regnum diuiſum eſt; dictaque eſt vna, vt explicat Auguſtinus, Regnum Iudæ, quo continebantur duæ Tribus, Iuda, & Beniamin, & qui ad eas ſeſe ſponte contulerunt Leuitæ, & ex alijs Tribubus alij, de quibus in lib. Paralip. Altera Regnum Iſraëlis, vt ait Hieronymus, à plurium Iſraëlitarum Tribuum multitudine: vel regnum Ephraim, ab earum decem Tribuum præcipua.

Iſraëlitici regni diuiſio poſt Salomonem. *Aug. lib. 17. de Ciuit. Dei c. 21.* Regnũ Iuda quod fuerit. 2. *Paralip. c.* 11. *Hier. in Ezechiel. 37.*

Ad vitulos itaque aureos, quos Ieroboam Rex Iſraël fecerat, cùm Tobiæ tempore: (nam anni pluſquàm ducenti à regno Ieroboam ad Tobiæ tempora efluxerunt) ex omnibus Tribubus maxima vndique multitudo conflueret, ipſe Tobias

Quid regnũ Iſraëlis.

3 *Solus* Inter contribules ſuos, vel ſolus, quòd valde pauci illum comitarentur: ſic enim in libris etiam Regum legimus, ſolam Tribum Iuda ſecutam Roboam fuiſſe, cùm tamen etiam Tribus Beniamin eundem ſecuta in libris Regum legatur.

3. *Reg.* 12. 4. *Reg.* 17. 18.

Græcus ſocios aliquando illum habere conſueuiſſe Ananiã, & Ionatham docet: qui tamen cuius eſſent Tribus non ſatis conſtat, licet dum ait: Tunc πλεονάκις, innuere videatur quod vulgatus docet, videlicet ſolum fuiſſe.

Græcus c. 5.

Quòd difficile ſit bonum inter malos eſſe, & quòd mala ſocietas diligentiſſimè ſit euitanda.

DOCVMENTVM.

EXTOLLIT ampliſſimis encomijs Epiphanius Ioſephum quendam à Conſtantino Magno Comitem factum, quòd Scithopoli cùm omnes eſſent Arriani, ſolus Orthodoxam fidem egregiè

A *Epiphan. hæreſ. 30.*

tue-

tueretur; ſed laude; maiore noſter Tobias laudandus, qui cùm omnes irent ad vitulos aureos, ſolus adhuc puerulus, in Dei ſeruitio perſeuerabat; veluti fluuius (quod de Baſilio dicit Nazianzenus) per ſalſum mare dulcis fluens; & veluti animal inter ignẽ omnia conſumentem incombuſtus permanens: moribus, ſcilicet, incorruptus, inter viros moribus corruptiſſimos, degens: ſolus inter illos vadens ad templum Dei, vt Domino ſacrificaret; & verè ſolus; quia ſicut ſol, ideò ſol, quia ſolus lucet, & alia omnia fulgent illius illuſtrata ſplendore; ita ille ſolus in vitæ ſanctitate fulgebat; eratq. lucerna lucens in caliginoſo loco, & lilium inter ſpinas. Magna quidem, & exagerata virtus, inter Idololatras fidelem viuere, & inter flagitioſos, & impios homines, purum, integrumq. conſeruari: Vnde Bernardus: *Non mediocris*, inquit, *titulus perfectæ virtutis eſt, inter prauos viuere bonum, & inter malignantes, innocentiæ retinere candorẽ*; & Gregorius: *Sicut*, ait, *grauioris eſt culpæ inter bonos bonum non eſſe; ita immenſi eſt præconij inter malos etiam, bonum extitiſſe*. Et quis neſciat, ex impiorum conuictu, ſummum periculum ſanctitati creari? Hoc, vt nobis innueret Eliſæus, ſermonem cum Naaman Syro leproſo habere minimè voluit, niſi poſtquàm à lepra mundatus eſt. Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta (vt ex ijs, qui à Polycarpo martyre audierũt, refert Irenæus) cùm Epheſi in balneum introiſſet, vbi Cerinthus hæreticus lauabatur, exilijt illico, vt eum vidit dicens: timere ſe, ne balneum concideret, in quo eſſet Cerinthus inimicus veritatis. Eunomium hæreticum à Valente Imperatore loco Euſebij, in Epiſcopatu Samoſatenſi ſuffectum, adeò populus catholicus abominatus eſt, vt nunquam illum adire, nunquam ſalutare, nunquam audire voluerit; nec aliquis fuerit, qui vel illis publicis balneis lauari voluerit, in quibus ipſe ſe lauerat, donec aqua tota, quæ hæreticum tetigerat hominem, non fuiſſet eiecta. Et quidem, ſi ferrum, quo nihil durius, & à quo vniuerſa metallorum genera domantur, in terra diu defoſſum, duritia ſua conſumpta, in terram conuertitur; quid faciet carneum cor, ſi carnalibus cum hominibus conuerſetur? Si Iſaias, vir inter prophetas, & ſanctos veteris teſtamenti non minimus: *Væ mihi*, ait, *quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum*: quia nimirum Oziam regem alienum miniſterium temerè, & arroganter ſibi vſurpantem, & lepra percuſſum, leproſorum legem non cuſtodientem, minimè, ſicut debuiſſem, corripui: *Et in medio populi polluta labia habentis ego habito*: hoc eſt: quia *in medio populi* regem corripere metuentis, *ego habito*. Eſt enim hoc in loco particula *Et* cauſalis, idemq. valens ac quia: vt etiam apud Matthæum, vbi Chriſtus: *Veni*, inquit, *ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus Socrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius*; ideſt, quia inimici hominis &c. Si inquam tantus vir, malorum conſortio, pollutus labijs euaſit, quales tandem euaſuros nos credimus, ſi cum eiſdem indifferenter verſemur?

Naz. orat. 20.
B
2. Petr. 1. 19.
Cant. 2. 2.
Quantæ virtutis ſit bonum eſſe inter malos.
Bernard. ſer. 48. in Cant.
Greg. moral. lib. 1. c. 1.
C
Iren. lib. 3. adu. hær. c. 3.
Theod. lib. 4. hiſt. c. 14.
D
Quàm periculoſa ſit malorum ſocietas.
Iſa. 6. 5.
Iſaias malorum conſuetudine labiis pollutus euaſit.
E
Matth. 10. 35. 36.

Certè ſicut magnum eſſet miraculum, animalia manſueta inter ferocia, & immania viuere, nec ab illis interfici; & ædificiũ, à debita rectitudine iam deficiens, vel hominem infirmum vix pedibus conſiſtentem, magna vi impulſum, non cadere; ita magnum, ſine dubio, miraculum cenſendum eſt, hominem vi nulla præditum, & per peccatum à rectitudine iuſtitiæ originalis deficientem, ſpiritualiq. peccatorum ſuorum ægritudine grauiter laborantem, inter malos incolumem viuere, nec eorum impulſibus cedere. Sic Moyſes magnum appellauit miraculum, filios Core immunes à ſeditione, & à punitione patris ipſorum fuiſſe. Vnde: *Factum eſt*, inquit, *grande miraculum, vt Core pereunte, filij eius non perirent*. Hoc eſt, grande factum eſt contra naturam prodigium, vt *Core pereunte*, & à terra pro meritis abſorpto, filij illius, qui vnà cum patre viuebant, exempti à crimine patris, & à morte fuerint.

F
Similiũ congeries.
Num. 26. 11.
Miraculũ eſt magnũ cum malis bene viuere.
G

Hinc S. Franciſcum legimus, in montibus commorari conſueuiſſe, & cum timore maximo ſe populis commiſcuiſſe: quòd homines ex diuina conuerſatione diuin[illegible], & ex humana humanos effici diceret. Et de quodam S. Anachoreta, qui ab humana conuerſatione quinquaginta ipſis annis remotus, in receſſibus montium vixit, nulla alia indutus veſte, niſi quam pili corporis ſui ſibi miniſtrabant, legitur, quòd cùm viros, ſiue ſæculares, ſiue religioſos ad ſe venire cognoſceret, curſu rapido illorum fugiebat occurſum. Cùmq. vni tantummodò, qui id ab eo potenti fide obtinuit, ſemel ſe videndum præbuiſſet, inter multa colloquia percunctanti: Cur homines tantopere fugeret; reſpondit: *Qui ab hominibus frequentatur, non poteſt ab Angelis frequentari*. Et homo, qui adhuc eſt in perfectione, & virtute rudis, & nouus, malis aſſociabitur, nec timebit?

S. Franciſcus cur homines ſtudioſè fugeret.
S. Bonauent. in vit. S. Frãc.
Vit. PP.
H
Ab hominibus frequentati non poſſunt ab Angelis frequentari.

Intraturis filijs Iſraël terram Chanaam, præcepit Dominus, vt omnes Chananæos interficerent: *Quando*, dicens, *tranſieritis Iordanem intrantes terram Chanaam, diſperdite cunctos habitatores terræ illius. Sin autem nolueritis interficere, habitatores, qui remanſerint, erunt vobis, quaſi claui in oculis, & quaſi lanceæ in lateribus*: animas, nimirũ, veſtras prauis exemplis, quaſi clauis ita excœcabunt, & prauis ſuaſionibus, quaſi lanceis ita percutient, & ſtimu-

Num. 33. 51.

labunt,

labunt, vt vos à fidei veritate ſubmoueant. Quod ipſis contigiſſe ad literam teſtatur Dauid, dicens: *Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum.* Quod omnibus iniquorum ſocietate vtentibus contingere ferè ſolet: dum paulatim ab iracundo iracundiam, à ſuperbo ſuperbiam addiſcentes, ſe tandem cum illis immiſcent, & Deum ipſum derelinquunt. Quæ commixtio qualis ſit, ex commixtione vini cum aqua, non difficilè apparet. Eſt enim ab Iſaia dictum: *Vinum tuum mixtum eſt aqua.* Nam ſicut vinum ſtatim ac aqua diluitur languet, friget, decoloratur, odorem amittit, ac demum euaneſcit; ſic ex impiorum familiaritate, languet primum in homine virtus, deinde friget, decolor tandẽ, & acida redditur. Quare huic commixtioni faciendæ, & adulterandæ, deprædandæq. virtuti, nunquam non inuigilat callidiſſimus Dæmon, ſui ſemper quæſtus, damniq. noſtri, ac diſpendij, diligentiſſimus procurator.

I

*Pſ.*105.35.

*Iſa.*1.22.

Impiorum ſocietas quãta pariat mala.

I

Eſt denique tam difficilè bonum inter malos eſſe, vt ille tantùm felix, beatuſq. eſſe poſſe Dauid regi viſus ſit: qui non ſolum inter impios non vixit; ſed qui neque *abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Hoc eſt, qui tam procul diſceſſit ab impijs, vt non ſolùm eorum opera non fecerit; ſed nec auribus eorum conſilia percipere; nec viam, per quam ipſi ambulauerint, calcare; nec veſtes ipſorum, ac ſi peſte affectæ eſſent, tangere; nec ipſorum tandem occupare ſedem, voluerit. Sic Ioſeph pallium ſuum in manu impuriſſimæ fœminæ reliquit; quia, (vt obſeruauit Hieronymus) contactu impuriſſimæ manus, contagione peſtilentiæ contaminatum eſſet. Sic ipſe Dauid vſque adeò ab impijs abhorruit, vt nec nominis ipſorum auderet reminiſci: *Nec memor,* dicens, *ero nominum eorum per labia mea:* Nihil ſibi ipſi fidens, cùm humanam optimè noſceret fragilitatem. Quod etiam nobis faciendum eſſe Petrus Alphonſus non inconcinna narratione probat, duos fuiſſe aliquando ſocios memorãs, qui ſimul iter habentes, ad viam cùm deueniſſent, in qua fatuorum quædam congregatio morabatur, alter ipſorum, cùm per illam tranſire, ſocio renuente, voluiſſet; ad eorum dulcem cantum, & inſolentem iucũditatem parumper cùm ſubſtitiſſet, ſic allectus fuit, vt inuitatus eorum ſe contubernio coniunxerit: Vnde, inquit, non poſt multos dies contigit, *vt illorum vnus in villa homicidium faceret, & furtum: quare à Præfectorum miniſtris ad ſocios fugiens, cum magna poteſtate vnà cum illis captus eſt, & capite plexus; quod cùm ille, qui ab ipſorum via declinauerat, percepiſſet: Ecce quam verum eſt, inquit, Sapientis dictum, Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te:* Omnino igitur malorum conſortiũ fugiendum eſt, ſi vel ipſo rationis lumine orbari nolumus: nam ſicuti latuit ſtella, quæ Magos ad Chriſtum ex Oriente adduxit, ſubtraxitq. ſeſe ab eorum oculis, cùm primùm Ieroſolymã ad Herodem ingreſſi ſunt, & rurſum comparuit, cùm diſceſſerunt ab illo; ita caligat in nobis rectæ rationis lumen, quandiu malis iungimur; tunc verò effulget, & clarè apparet, cum his relictis ad ſolum Deum quærendum conuertimur. Quoniam, vt Ioannes docet: *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* Sed iterum de hac materia dicemus infra.

*Pſ.*1.1.

Geneſ. 59. 12.

M

Hieron.

*Pſ.*15.4.

Petrus Alphõſus in ſua hiſtoria.

*Matth.*7.

O

1.*Io.*1.5. *Infra cap.* 3. *verſ.*17.*dic.*2

VERS. VI.

Sed pergebat in Ieruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſraël, omnia primitiua ſua, & decimas ſuas fideliter offerens;

VERS. VII.

Ita vt in tertio anno proſelytis, & aduenis miniſtraret omnem decimationem.

VERS. VIII.

Hæc, & his ſimilia ſecundum legem Dei puerulus obſeruabat.

1 *Tobias quomodo Ieroſolymam pergeret, & quoties in anno. Iudæorũ feſta quæ.*
2 *Paſcha quid, & cur olim celebratum.*
3 *Cur feſtum Pentecoſtes.*
4 *Cur feſtum Tabernaculorum.*
5 *Ieruſalem quæ Ciuitas, & cur ſic dicta.*
6 *Templum Salomonis quale fuerit.*
7 *Cur potius in templis, quàm alibi Deus ſit adorandus.*
8 *Quas offerrent Iudæi primitias, quas item Gentiles.*
9 *Decimæ tres olim perſoluebantur, & quomodo.*
10 *Proſelytæ qui eſſent, & quæ illis decima ſoluenda.*
11 *Nullum in lege naturæ fuiſſe præceptum de ſoluendis decimis.*

1 S*ED pergebat in Ieruſalem.* Quando Ieroſolymam pergeret, declarat Syrus, & Græcus addentes: *In feſtis ter, videlicet, quotannis.* In Paſchate, in Pentecoſte, & in feſtis tabernaculorum. Sic enim Hebræis præcepto fuerat ſempiterno mandatum: VERS. VI.

Syrus.

Græcus.

tum:

Deut. 16. 16.

tum: *Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui & in loco, quem elegerit: in ſolemnitate azimorum, in ſolemnitate hebdomadarum, & in ſolemnitate tabernaculorum*; quibus in feſtis longiſſimis etiam locorum interuallis diſtantes ad templum Ieroſolymitanum quotannis conferre ſe ſe Iudei tenebantur; vt in eo Deum adorarent; ſacrificia immolarent; nuncupata vota perſoluerent; ac debitas tandem pro acceptis beneficijs gratias agerent.

Paſcha quid.

2 *In Paſchate*, quod tranſitum ſignificat, à voce Hebræa פסח, Paſah, tranſitum celebrabant; ſed qualem non vna eſt interpretum ſententia: nam Auguſtinus, & Nazianzenus tranſitum eos celebraſſe exiſtimant, quo ex Aegypto in terrã olim patribus promiſſam migrarunt, vel quo mare rubrum tranſierunt. Hieronymus verò illum putat ab eis tranſitum fuiſſe celebratum, quo Angelus Domini in Aegypto oſtiorum poſtes, & ſuperliminaria domuum Hebræorũ, agni immolati ſanguine ſignificata tranſiliens, Aegyptiorum domos miſeranda primogenitorum cæde funeſtauit. Et quoniam id accidit Luna decimaquarta menſis Martij, à quo deinde menſe annus, Deo ita mandante, ſumpſit exordium; ideò in ſingulis annis, iuxta Domini præceptum, fuiſſe eadem Luna celebratum: quod verius communiter, magisq́. ſacris conſentaneũ Scripturis videtur, iuxta illud, quod habetur in Exodo. *Cùm dixerint vobis filij veſtri, quæ eſt iſta religio? dicetis eis: Victima trãſitus Domini eſt, quãdo tranſiuit domus Iſraël in Aegypto, percutiens Aegyptios, & domos noſtras liberans.*

Aug. trac. 55. in Euangel. Ioann.
Nazianz.
Hieronym. in Matth. 26.
Exod. 12. 26.

Quid feſtum Pentecoſtes.
Leuit. 23.
Deut. 16.

3 *In Pentecoſte*, hoc eſt, die quinquageſimo à Paſchate, (à voce Græca πεντηκοστὴ, quæ numerum quinquagenarium ſignificat, qui ab altero die Sabbati Paſchatis numerari incipiebat, ſecundo, ſcilicet, azimorũ, quando manipulus offerebatur ſegetũ, vel etiam in hebdomadarũ celebritate; ſic dicta, quòd expletis ſeptem hebdomadis, quæ dierum nouẽ ſupra quinquaginta orbem conficiunt, ab altero die poſt primum diem feſtum Azimorum celebraretur) ſingulæ familiæ duos panes noui tritici, è noua ſcilicet meſſe offerebant. Quid à Iudæis hac feſtiuitate maximè celebraretur, nec ſatis liquet: nam SS. Patres hoc ſolùm affirmaſſe videntur, filijs Iſraël datam legem fuiſſe in monte Synai die quinquageſima à Paſchate, & ab egreſſu ex Aegypto; quo nimirum, Spiritus ſancti Aduentus, & Euangelij promulgatio eſt ſignificata. Quo circa eos in hac putant multi extitiſſe ſententia, vt feſtum Pentecoſtes in memoriam legis à Deo traditæ celebratum olim fuiſſe dicerent. Verùm pro gratiarum actione in ſegetum, ſeu frugũ vbertate celebrari conſueuiſſe, Ioſephi conſtans ſententia eſt, & innuere videntur verba illa Deuteronomij: *Celebrabis diẽ feſtum Hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationẽ ſpontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui.* Vnde feſtũ quoq́. primitiarum dicebatur: quin etiam pro lege accepta, quod nonnulli ex patribus, & communis doctorum ſententia teſtatur: neque enim vnam, & eandem feſtiuitatem ſuę inſtitutionis cauſas habere plures abſurdum eſt.

Aug. ex nouo teſtam. c. 95. & epiſt. 119. c. 16.
Leo ſerm. 1. de Pentec.
Pentecoſtes celebrandæ ratio apud Hebræos.
Ioſeph. lib. 3. antiq. c. 10.
Deut. 16. 10.
Leuit. 23.
Cyprian. ſer. de Spiritu ſancto.

4 *In tabernaculorum* feſtiuitate Græcè σκηνοπηγία, Scenopegia, non à publica comeſtione, vt Toſtato placuit; ſed à figendis tabernaculis, in menſe ſeptimo Septẽbri videlicet, memoriam dierũ celebrabant, quibus eduxit eos Dominus de terra Aegypti, & habitare illos fecit in tabernaculis, ſeptemq́. abſoluebantur diebus, eratq́. primus eius dies, in quo ab omni opere ſeruili feriandum erat, celeberrimus, atq́. ſanctiſſimus. Habitabant his ſeptem diebus in domatibus, ſeu in tectis domorum, & in locis ſpatioſis ſub dio poſitis, vt apud Nehemiã pręcipiebatur, ſiue in ciuitate, ſiue extra, in tabernaculis. Erant materia tabernaculorũ non ſolùm rami arborum (vt aliqui voluerunt) cùm tantæ multitudini, neq. in deſerto, neq. in Ieruſalẽ ſufficere ſyluę quotannis potuiſſent; ſed etiam ligna, lintea, & pelles; poſtquam enim ad tabernacula cõſtituenda fixiſſent ligna, linteaq́. ad modum domicilij inſuper aptaſſent, vt pluuiam, ęſtumq́. arcerent, mox pellibus animalium tabernacula vndiq́. tegebant, quo pacto legimus factum in Exodo fuiſſe. Atque huiuſmodi tabernaculorum artificem fuiſſe B. Paulum, ex Actibus Apoſtolorum non obſcurè colligitur, vbi de eo dicitur: *Erat autem ſcenofactoriæ artis.*

Scenopegia quid, & vnde dicta.
Leuit. 23.
Nehemia ſeu Eſdra 2 c. 8.
Tabernaculorum materia quæ.
Exod. 26.
Act. 18. 3.

De alijs verò feſtiuitatibus, quas Iudęis erat ſolemne celebrare, nempè Tubarũ, Expiationis, Collectæ, Mardochæi, & Eſther, cùm ex illis non ſint, in quibus Tobias pergebat Ieruſalem ad Templum Domini, quòd quisq́. illas poſſet in propria domo celebrare, non eſt cur dicamus.

5 *In Ieruſalem*, quæ etiam in ſacris literis dicitur Salem, Iebus, Solyma, Ieroſolyma, & Ieroſolymæ numero plurali, ciuitas Dauid, Mons Sion, ciuitas Sancta, ciuitas Dei &c. & ab Aelio Hadriano Imperatore ex nomine ſuo Aelia. Interpretatur viſio pacis, ſiue viſio pacifica: nam ſignificat ראה, Ran, videre, & שלם, Salam pacificum eſſe שלם, Sillen verò perficere.

Ieruſalem nomina multiplicia.

Dicta eſt Salem Hebraicè à Melchiſedech eius conditore circa annum à mundi creatione 2023. tempore Abraham, à quo & quinquaginta annis poſſeſſa videtur. Græcè Solyma. Iebus deinde à Iebuſæo filio Chanaam, ſeu Iebuſena, vbi ab eius eſt occupata ſucceſſoribus, qui illam poſtea octingentos, & viginti quatuor tenuerunt annos: quibus à Dauid expulſis, Euphoniæ gratia B. in R. mutata, vt aliqui volunt, Ieruſalem,

quaſi

Ieruſalem vnde dicta.

quaſi Iebuſalem eſt appellata, & Græcè inflexo vocabulo Ieroſolyma, ſiue à templo, quod Salomon ibi magnificentiſſimum extruxit, Ieroſolymæ, quaſi Iero Salomonis nuncupata: nam Græcè *ἱερόν*, templũ vocant.

And. Maſius in Ioſue 10.

Verùm magis placet, quod Andreas teſtatur Maſius, nomen Ieruſalem confectum eſſe ex יראה ijre, ideſt, videbit, & antiquo vrbis nomine Salem: nam *videbit*, vt in Geneſi habetur, mons Syon, ſiue moria, cui Salem ſubiecta erat, ab eo tempore dictus eſt, à quo Abraham immolaturus filium Iſaac illum conſcendit, filioq́. de victima interroganti reſpondit: *Dominus videbit, & prouidebit ſibi victimam holocauſti, fili mi.* Vndè patet, ſcribendum eſſe Ieruſalem per I, vt habet origo Hebræa, non per H, vt malè aliqui ſcribunt.

Geneſ. 22. 3. 8. 14.

Ieruſalẽ vrbis laudes.

Superabat hæc ciuitas loci eminentia, cæli, ſoliq́. felicitate vniuerſas mundi vrbes, vt quæ in totius orbis, & Iudeæ medio, centro, & vmbilico ſita, eminens tanquam regia inter omnes accolas, velut caput in corpore, ſplendidiſq́. ædificijs, ſicut ſol præ cæteris lucens, tantiſq́. gloriæ illuſtrata ſplendoribus, vt ſingulari quodam priuilegio, vnicus olim à Deo ſit locus electus.

6 *Ad Templum Domini.* Quod vnicũ Iudęis in Ieruſalem fuerat: in alijs enim vrbibus Synagogas extruebant, in quibus ſacrarum literarum lectionem audirent. Fuerat, teſte Ioſepho, Templum hoc à Salomone exædificatum in vertice montis Syon, annis cẽtum quinquagintatribus ante quàm Tyri Coloniam Carthaginenſem conderent, opere mirabili, ſupra ædificia, quæ orbis inter miracula connumerantur. Extructum à multitudine penè innumerabili operariorum, quorum erant ſeptuaginta millia, qui onera portabant; & octingẽta millia Latomiorum; in monte tria millia & trecenti eorum, qui præcipiebant opera, præter eos, qui opus ipſum exequebantur: ex lapidibus admodum præſtantibus, &, vt ait Ioſephus, albis, & Arias, marmoreis: ex lignis verò cedrinis, abiegnis, pineis, arcentiuis, ſeu iuniperinis: ex auro, ferro, ære, electro, hyacintho, purpura, cocco, byſſo.

Ioſeph. lib. 8. Antiq. & lib. 1. con. Apionem.

Ieroſolymitani templi magnificentia & ſtructura.

3. Reg. 5. 17.

Deſcriptio.

7 Tota verò ædificatio ex domo inferiore, & ſuperiore conſtabat, cui adiuncta erant veſtibula, & cellę; & ex atrijs, ſeu altaribus.

Inferioris domus ædificium in vna ſui parte erat quadrangulum, longitudinis cubitorum ſexaginta, latitudinis viginti, altitudinis triginta; diuidebaturq́. in duas partes, quarum vna, eaq́. præcipua, occaſum verſus quadrata erat, habens viginti cubita longitudinis, latitudinis, altitudinis; & vocabatur Debir, Oraculum, Sanctum, ſeu Sancta Sanctorum, ſecundum tabernaculum, Aditum, Domus interior.

Sancta Sanctorum quid eſſet.

In altera verò parte erat reſiduorum quadraginta cubitorum longitudinis Ortum verſus, Templumq́. propriè vocabatur, item Sanctum palatium, Exterior Aedes, Sanctum Templum, Domus exterior, Domus ante Oraculum, Aedes, ſecundum tabernaculum. Diuidebaturq́. à Sanctis Sanctorum vno pariete, & velo.

2. Paralip. 3. 30.

Feneſtrę quales eſſent in Templo Ieroſolym.

Erantq́. in eo feneſtræ exteriùs anguſtiores, interiùs latiores: omnes parietes, & pauimentum cedro, aureiſq́. laminis tegebantur. Domus ſuperior incipiebat exteriùs à trigeſimo altitudinis cubito, & aſcendebat adhuc per nonaginta, ita, vt tota altitudo eſſet centum viginti cubitorum, vt explicat Serarius. Tectum habebat, vt alia Iudæorum ædificia, planum, erantq́. in eo tabulata, in quibus varia templi ſuppellex reponebatur. Ad has ſuperioris domus cõtignationes per cochlidem ſcalam aſcendebatur, quæ in ipſa murorum craſſitudine fabricata erat; & ianuas ad latera, quibus è ſuperiore loco in mediam, & ſupremam contignationem aſcenderetur.

Serarius in lib. 3. Reg. c. 6. & 8.

Veſtibulum domui contiguum, ſeu porticus ante portam Templi quadrãgulum erat, eiuſq́. longitudo Templi latitudini reſpondebat, atque à Templo pariete interiecto diuidebatur.

Cellæ erant tabulata, cœnacula, apothecę, & promptuaria, cellaria exteriora, extracta circa latera tria Templi, nimirum Meridionali, Occidentali, & Septentrionali, ita vt in quolibet latere tres eorum eſſent ordines, ſuperior ſemper inferiore vno cubito latior: vel quia Templi muri poſt decẽ cubitos reducerentur, & eſſent cellæ in reductionibus iſtis ſuperædificatæ, vel propter montis anguſtias, ſuper lapidibus, vel trabibus è muro extantibus, qui canes vocantur.

Atria Ieroſolymitani Tẽpli qualia eſſent.

Atria, quæ etiam porticus, & aulæ dicebantur, duo erant loca perampla, partim ſub dio aperta, & patentia, partim ædificijs contecta, domumq́. totam circundantia: quorum vnum interius, ſeu Sacerdotum, quòd Sacerdotes, & Leuitæ ſolùm illud intrarent, dicebatur: aliud verò exterius, ſeù ſecundũ, inferius, Baſilica grandis, & laicorum. Diuidebaturq́. in ſacrum, & profanum, quorum illud erat Iſraëlitarum tantùm, hoc verò Gẽtilium, eſtq́. atrium iſtud exterius illa porticus Salomonis, de qua apud Ioãnem, & Acta: in eoq́. omnia geſta ſunt, quæ in Templo Chriſtus Dominus dixiſſe, & feciſſe memoratur.

Io. 10. 23. Act. 3. & 5.

Templum Ieruſalem quandiu ſteterit, & à quo fuerit euerſum.

Stetit hoc Templum quadringentis, & decem annis, euerſumq́. & incenſum à Chaldęis fuit, anno vndecimo, & vltimo Sedechiæ.

Sed plura de eo, inter recentiores, Ribera, Villalpandius, & Serarius.

Ribera de tẽplo. Villalpand. in Ezech. Serarius loco ſup. citato.

Et ibi adorabat, publicis interueniendo ſacrificijs, oblationibus, & orationibus.

Dominum Deum Iſraël, etenim licèt vnicuique Deum vbique locorũ priuatim adorare liceret, nam Deus vbique deprecantes

videt,

Digitized by Google

Iudic. 17. *Leo conſt. nouell. 4.* *Leuit. 17.* *Gratian. in Decretal. diſtin. 1.*

videt, & gloriam, & laudem ſibi meritò tribuentes, & canentes exaudit; non tamen licet publicis ſacrificijs, ne quis nouum Dei colendi modũ ſibi arroget, aut nouos Deos ſibi more Gentilium confingat, vt Michas feciſſe in libris Iudicum legitur; ſimulq́. ordinem eccleſiaſticum, ſacramq́. Hierarchiam conturbet, & polluat, vt videtur Leo fateri, hæreticorumq́. conuenticula ſatis docent. Et hæc videtur appoſita in prohibitione ratio, quam in Leuitico Deus fecerat, de non offerendo alibi ſacrificio, quàm in oſtio tabernaculi teſtimonij, quod etiam fusè probatur ex varijs ſacræ paginę locis, patrumq́. ſententijs, & Sacroſanctis Concilijs per totam ferè primam diſtinctionem apud Gratianum maximè c. 1. & 2.

Deut. 26. 2. Primitiua, quæ ſint. *Exod. 13. 2.*

8 *Omnia primitiua ſua.* Offerebat ſanctus iuuenis in Templo *omnia primitiua ſua*, hoc eſt, omnes primitias, quas Græci *ἀπαρχὰς*, vocant, primos ſcilicet agrorum, & arborũ fructus, vt in Deuteronomio illis verbis præceptum fuerat: *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo*; nam *primitiua*, in pecoribus vocantur *primogenita*, vt conſtat in Exodo, vbi omnia primogenita maſculini ſexus Domino conſecrantur.

Supra hoc eod. c. & verſ. De primitiarum quantitate nihil certi erat apud Hebræos. *Hieronym. in Ezech. c. 45.* *Innoc. in c. decimam de decimis.*

Offerebant primitiua ſpicarum, vt ſupra vidimus, in Paſchate: primitiua frugum, duorum ſcilicet panum in Penteçoſte: primitiua fructuum in Feſto tabernaculorum, quod Autumnali tẽpore celebrabatur. Eorũ quantitas nulla certa conſtituta erat; nam licet Hieronymus dicat, eos, qui plurimum ſoluebant, quadrageſimam partem Sacerdotibus dare conſueuiſſe; qui minimam, ſexageſimam: vnde licitum omnibus eſſet, intra quadrageſimam, & ſexageſimam partem, quantum vellent, offerre; docet tamen Innocentius, nihil de illarum quantitate fuiſſe præſcriptum; ſed omnes ad libitum, ſecũdum conſuetudinem, illas obtuliſſe.

Plin. lib. 18. c. 2. *S. Thom. 2. 2. q. 84. ar. 4.* Primitiæ de iure naturali ſunt. *Geneſ. 4. 4.*

Offerebantur primitiæ Deo, vt teſtis eſt Plinius, non ſolùm à Iudæis; ſed etiam à Gentilibus: nam, ſicut ille docet, conſueuerunt priſci Romani non niſi poſtquàm ſacerdotes primitias libauerant, nouas fruges, aut vina guſtare: ſoluebantur illæ, quatenus ad cultum ſacrum, & honorem, & cultum Diuinum ſpectant iure naturali; cùm ad ius naturale pertineat, hominem ex rebus ſibi datis à Deo, aliquid ad honorem Diuinum exhibere. Hinc eſt, vt ſacræ teſtantur literæ, quod Cain longè multo ante legem datam de terræ frugibus, Abel verò de animalibus illas obtulerint Deo. Sic ille: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum,* hoc eſt, de gregibus ſuis primas, & maximè pingues, vel primas oues, & omnem eorum *adipem*, vt pote ſibi chariora, & gratiora.

Decimæ quomodo olim ſoluerentur.

9 *Et decimas,* hoc eſt, offerebat etiã vnum de decem ex omnibus terræ fructibus, Leuitis, & Sacerdotibus in ſtipendium ſuſtentationis pro miniſterio, quod Templo miniſtrabant.

Decimæ, ſeu primitiæ quales eſſe debeant.

Fideliter, hoc eſt integras, nec vllo pacto diminutas, quod impij non faciunt, qui, & in quantitate, & in qualitate, eas ſæpiſſimè fraudant, & Cain ſimiles, deteriorem ſemper earum partem, vel certè diminutam offerunt.

An debeantur ex fructibus, & animalibus terræ pinguioribus.

Verùm debeantur ne ex fructibus, & animalibus terræ pinguioribus, & melioribus, non vna eſt omnium ſententia: quidam ſatis eſſe dicunt, ſi ex mediocribus ſoluãtur, & citant diſtinctionis 49. c. vlt. vbi tamen nihil tale reperio. Tolerabile tamen eſſe puto, ſi citra fraudem inter meliora aliqua, & mediocria ſoluantur.

VERS. VII.

10 *PROSELYTIS etiam,* Hoc eſt ijs, qui ad Iudaiſmum conuertebantur.

Et aduenis. Peregrinis debitas adminiſtrabat Sanctus Tobias decimationes.

Quotuplices eſſent Hebræorum decimæ. Prima decima. *Num. 18. 21.*

Tres enim erant decimæ, quas ſoluere tenebãtur Iudæi. Vna, quam Leuitis debebant, ſicut in libro Numerorum præcipitur; vbi dicitur: *Filijs autem Leui dedi omnes decimas Iſraëlis in poſſeſſionem pro miniſterio, quod ſeruiunt mihi, & in tabernaculo fœderis.* Nam cùm Leuitæ omnes Diuino cultui dediti eſſent, ne ab illo vnquam diſtraherentur; eos Dominus, vel agros, vel vineas, vel oliueta poſſidere vetuit, cuius tamen decimæ partem decimam, vt in eodem libro habetur, ipſi quoque ſacerdotibus dare tenebãtur: ſic enim Dominus ibi: *Cùm acceperitis à filijs Iſrael decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, ideſt decimam partem decimæ.* Erant Leuitæ omnes deſcendentes ex Leui filio Iacob: Sacerdotes verò, qui ex Aaron ducebant originẽ.

Decimas Leuitæ quoque ſacerdotibus perſoluebant. *Num. vbi ſupra.* Secunda decima. *Caietanus in c. 14. lib. Deut.* *Deut. 12. & 14.*

Altera, quam ſoluebant, decima filii Iſaël, inter ſpontanea ſacrificia connumerabatur, quòd nõ verè decima eorum pars eſſet, quæ poſt primam decimam remanſerant; ſed, vt Caietanus obſeruat, eorumdem arbitraria quædam portio, quam, vel cuius pretium, ſi longius à Ieroſolymis eſſent, tribus vicibus per annum ad Templum Domini deferebant, vt illa ſe ipſos alerent, nuncupata vota, & ſacrificia ſoluerent, & in epulum ſacrum, cuius, & Leuitæ, & gentes participes eſſent, vt in Deuteronomio habetur, conſerrent.

Tertia decima quibus ſolueretur. LXX.

Tertia tandem decima ex ijs, quæ ſecundæ ſuperfuerant decimationi triennio quolibet peregrinis, pupillis, & viduis perſoluenda erat. Primam, & tertiam perſoluere conſueuiſſe ſanctum Tobiam ante ſuam captiuitatem, hic vulgatus docet: Græcus verò LXX. addit etiam ſecundam dicens: *Primam decimam dabam filijs Aaron, miniſtratoribus in Ieruſalem; & ſecundam decimam vendebam, & ibam, & expendebam illam in Ieruſalem per ſingulos annos; & tertiam*

dabam, quibus conueniebat. Proſelytis, ſcilicet, & aduenis, vt vulgatus explicat. Addit Hebræus: *In fabricam* etiam, ſeu reſtaurationem Templi.

4. *Reg.* 12.

Ante legem ſcriptā nullum erat decimarū præceptum.

Hugo de S. Vict. lib. 1. de ſacr. p. 2. c. 3. & 4.

Geneſ. 6. 20. & *Heb.* 7. 4. *Geneſ.* 28. 22.

11 Ante legem ſcriptam in lege naturæ nullum fuiſſe præceptum diuinitus datum, de decimis perſoluendis; ſed tantum conſilium, Hugo de S. Victore docet. Legimus tamen in Geneſi, Abraham de omnibus, quæ, deuictis quatuor Regibus, reportauerat, Melchiſedech Sacerdoti decimam partem ſoluiſſe. Et Iacob, cùm patris iuſſu Meſopotamiam peteret, vt ibi vxorem duceret, ſuorum bonorū decimam ſe daturum Deo religioſè promiſiſſe. Immò Ethnicos etiam decimam fructuum partem Dijs dare conſueuiſſe aſſerunt Plinius, Diodorus, Plutarchus, & alij. Vnde Camillus cùm ob Veios bello captos, vt idem Plutarchus refert, Delphico Apollini decimam prædæ dari voluiſſet, nec de publico aurum ſoluendi facultas eſſet, matronæ patriæ magis, quàm ſuis commodis conſulentes, omnia ſua ornamenta, mundumq. muliebrem in ærarium contulerunt. Ageſilaum tradit Xenophon, duorum annorum ſpatio centum talenta, eoq. amplius Deo apud Delphos in decimam dediſſe. Sed plura in documento quarto.

Decimas Ethnici quoque ſuis Dijs perſoluebant.

Plin. lib. 9. c. 54. & 59. Diodor. lib. 5. Plut. in probl. Liuius lib. 5. c. 2. Xenophon. in orat. de laudib. Ageſilai.

VERS. VIII.

HAEC & ſimilia legis, nimirum, diuinæ præcepta

Arabs.

Puerulus obſeruabat. Arabs: *Hæc, & his ſimilia obſeruabat à pueritia ſua propter legem Dei cæli,* quæ ad primitiarum, & decimarum ſolutionem obligabat, ſicut & hodie lex Eccleſiaſtica omnes fideles obligat, qui ab earum præſtatione ſingulariter non ſunt exempti. Quare debentur à fidelibus Eccleſiæ, non tantum ex obligatione charitatis, ſed etiam iuſtitiæ, vt in Concilio Conſtantienſi decretum eſt contra Vvicleſum, qui art. 18. decimas eſſe puras eleemoſynas aſſerebat. Vide Documentum quartum.

Decimæ non tantū ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia debentur.

Quòd templa frequentanda ſint, & quanta cùm reuerentia.

DOCVMENTVM I.

A

Deus vbique adorandus.

Io. 4. 24.

Hieronym. ad Euſtoch.

CAETERVM, quamuis, vt in litera vidimus, Deus ſpiritus ſit, eosq. requirat, qui, vt Ioannes ait, *illum in ſpiritu, & veritate,* vbiq. locorū *adorent,* vnde Hieronymus de ſe ipſo dicebat: *Sicubi aſpera montium, concaua vallium, rupium prærupta cernebam, ibi mea orationis locus:* Et Dauid in præruptis conuallium, & Ionas fugitiuus, & naufragus in ipſo ceti ventre, locum orationis inuenerunt; certum tamen ac proprium locum, templa ſcilicet, haberi voluit, ad quæ olim etiam magno cum labore accedendum eſſet, vt homo, qui ſenſibus maximè ad operationē mouetur, longa peregrinatione, ſacrificijs, muſicis concentibus, alijsq. externis apparatibus, & cæremonijs, quæ in illis habentur, ad maiorem Dei cultum, & deuotionem excitaretur.

Templa Diuino cultui propiè dicata.

B

Et certè ſi apparatus, ſplendorq. Regis Salomonis, veſtes, & ordines ſeruorum, quæq. in Templo quotidie offerebantur ſacrificia, ſapientiſſimam illam Sabæorum Reginam in maximam admirationē impulerunt; quid mirum ſi templorum ornatus, & ſplendor, ordines, & officia miniſtrorum ad cultum, & venerationem Diuini numinis vulgares præſertim homines occulta vi quadā exacuant?

Templorum ornatus Dei venerationē ſuadet.

Socr. in hiſt. Eccleſ.

Sanè, vt refert Socrates, cùm audiſſet Chryſoſtomus, Arrianos in vrbe Conſtantinopolitana die Sabbati, & Dominico, nocturnos hymnos peruerſi dogmatis canere, ne ſimplices huiuſmodi cantibus traherentur, alios Catholici dogmatis à ſuis cantari voluit, vt tali pacto, illorum obſeruaretur opus, & fidelium firmaretur profeſſio.

Diuinas laudes in tēplo canere quāti momenti ſit.

C

Verùm ſi olim tanto cum labore ter quotannis Templum Domini adire tenebātur Hebræi, cùm tamen non niſi Arca teſtamenti, legis tabulæ, & virga Aaron in illo eſſent; quo ſtudio nobis eſſet ad templa properandum, in quibus inæſtimabili Redemptoris noſtri beneficio, ſacrum ipſius Corpus adoratur, & Deus ipſe peculiari modo reſidet? In illo lex, in his legiſlator; in illo Arca, in his verus Deus; in illo Virga, in his Sapientia eſt Patris, & Virga virtutis Dei.

Dei Templa quam religioſè frequentanda.

Magno cum mentis feruore ad Vallem Hebron, quòd in illa ſepultus eſſet primus Pater Adam, & reliqui Patriarchæ; Abrahā, Iſaac, Rebecca, Iacob, Elias, & reliqui, properabant Hebræi, ibiq. vota vouebant, & ſoluebant: vnde legimus, Abſalonem patri ſuo dixiſſe: *Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron.* Nec minore feruore pergebant in Galgala, vbi prima ipſorum manſio facta eſt, poſtquàm Iordanem tranſierunt, vbi celebrata Circumciſio eſt, & duodecim poſiti lapides; quò Eliam Prophetam, antequàm igneo curru in paradiſum terreſtrem veheretur, properaſſe legimus; & nos loca Sancta, in quibus SS. Apoſtoli, & Martyres collocati quieſcunt: in quibus non duo, aut tres Sancti; ſed infiniti propèmodum iacent: in quibus non tantùm Domini eſt ſepulchrum, quod triduo Dominicum corpus retinuit, ſed ipſe Dominus, vel non viſitabimus, vel id abſque vllo Spiritus feruore, ac deuotione faciemus? O tepiditatem! Magi ab Oriente Ieroſolymam venerūt & Bethlehem, vt Dominum Regem adorarēt; & nos à proprijs domibus ad Eccleſias, in quibus nobis adorandus ipſe idem Rex, ipſe idem Meſſias proponitur cum Sanctis, non properabimus? Sanctus Dominicus nullam ferè aliam cellam, niſi Eccleſiam habebat:

2. *Reg.* 15. 7.

1. *Reg.* 11. 14. 15.

D

E

In 1. par. hiſt. Ord. Prædicatorum.

Google

bebat: poſtquam enim lucris animarum copioſis inſtiterat, in Eccleſiam, vt ad conclaue Domini ſui, ſe recipiebat, & ibi lectioni, orationi, gemitibus, & ſuſpirijs vacabat: itaque ſe Angelis, Chriſto (in ſanctiſſima Euchariſtia) præſenti, aſſiſtentibus, ſe adiungebat.

Quòd in Templis Diuino cultui dicatis maxima cum reuerentia immorandum ſit.

DOCVMENTVM II.

A ET ibi adorabat *Dominum Deum Iſraël.* Sic enim faciẽdum Pſaltes docuerat, dicens:

Pſ. 131. 7. *Introibimus in tabernaculum eius, & adorabimus in loco ſancto eius.* Neque enim, quod multi faciunt, in tẽplis confabulationibus, iocis, vel facetijs indulgendum; ſed cum Tobia adorandus eſt Dominus. *Multi*, ait

Chryſoſt. hom. 38. in epiſt. ad Cor. 1. c. 14. Chryſoſtomus, *pergunt ad Templum Domini, non vt orent, ſed vt negotientur, vt ciuilium, domeſticorumq. negotiorum ſermones faciant, vnde cætera omnia facilius in Eccleſia deprehendes, quam Eccleſiam ipſam.* Quod quantum dedeceat, vel ex eo colligi poteſt, quod cùm Iacob fugiens Eſau iret in Meſopotamiam, ac in via dormiens vidiſſet Deum innixum ſcalæ, per quã Angeli aſcen-

B debant, & deſcendebant, expergefactus tre-

Geneſ. 28. 16. 17. mens dixit: *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* Et pauore correptus: *Terribilis eſt*, ait, *locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta Cæli:* nam ſi terribilem locum illum, ideſt, omni reuerentia dignum appellat Iacob, in quo iuxta doctiſſimorum virorum ſententiam, templum ædificandum erat, ſimulq. ſe ipſum repræhendit, & excuſat, quod talem non cognouerit locum, minúsq. reuerẽter ſe habuerit, cùm in illo dormierit; quid dicerent homines de Eccleſia, in qua quotidie adoratur, & colitur ipſe Deus, quamq. ipſe ſua etiam corporali præ-

C ſentia inhabitat; ſi illã ipſius Dei domiciliũ eſſe cogitarent? nam ſi ibi dormire turpe, quid hic peccare, Diuinamq. impiè bonitatem lædere? Et quidem hac vel vna de cauſa nonnullos puto exiguum templis cultum adhibere, quia in illis Dominum, ac Deum noſtrum commorari non animo ſecum aduertunt: nam ſi hoc perpenderent, nemo certè ibit inficias, quòd ſingulari quadam affecti pietate, & ipſi cum Iacob dicerent, *Quàm terribilis eſt locus iſte*, neque ſolum portam Cæli Eccleſiam dicerent, ſed, cum Chryſo-

Chryſoſt. in 1. ad Cor. hom. 36. c. fin. ſtomo, cælum ipſum: *Non eſt*, ait ille, *Eccleſia officina forenſis, ſed locus Angelorum, regia Dei, cælum ipſum:* Nam ſicut cælum ſummam dignitatem, & præſtantiam habet, non ex pulchritudine, ſeu cæleſti natura, qua præditũ eſt, ſed ex eo, quod Deus Opti- Templũ cælum eſt & quomodo.

mus Maximus illud peculiari quadam ratione incolat; ita cum templa domicilia D quædam ſint Dei, in quibus ipſe Deus Patris æterni Filius humana forma indutus manet: vbi Deus ab ipſis beatis mentibus, ſicut in ipſo Cælo ſuſpicitur, & cæleſtibus encomijs, ac laudibus effertur; iure optimo illa Angelorum locus, Regia Dei, cęlumq. ipſum vocantur, & ſingulari veneratione, ac religione coluntur.

Quare ſi Philiſtæi, vt in lib. Reg. habetur, 1. Reg. 5. 4.

quando Idolum Dagon, quod coram Arca Dei in altari collocauerant, abſciſſo capite, manibuſq. ambabus in templi limine, coram ipſa Arca iacens inuenerunt, ipſummet B

limen adeò ſunt venerati, vt ipſorum nullus illud deinceps calcare ſit auſus; ſi, inquam, illi tanta veneratione dignum eſſe locum cenſuerunt, quem Dagon tetigerat, vt nec illum poſtea ſint auſi contingere; quanta nos colere veneratione loca debemus, in quibus tam ſingulari modo Deus ipſe inhabitat? Hæc prius quidam religioſus puer infimæ claſſis Collegij Rhemenſis Societatis Ieſu conſiderans, vt narrat auctor Alphabeti Chriſti, cùm afflictus morbo moneretur à præceptore, vt in Templo valetudinis cauſa ſtaret, reſpondit: *Mori ſe malle, quam honorem, reuerentiamq. Deo non exhibere, quem in æde ſacra præſentem agnoſceret.* Sed quantùm nobis cauere debeamus, ne ipſum Deum in propria domo lædamus, (ſicut ille grauiſſimè lædit, qui in Eccleſijs, Peccati in templo commiſſi grauitas.

quæ domus Dei ſunt, irreuerenter ſe habet) docuit Ieremiam Dominus, dum illi dixit:

Tonde capillum tuum, & proÿce, & ſume Ierem. 7. 29.

indirectum planctum; quia fecerunt fily Iuda malum in oculis meis: poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum. Erat enim, apud veteres, lu- F

ctus indicium, non ſicut apud nos comam dimittere; ſed illam omnino tondere: vnde Iob legimus, audita filiorum, ac filiarum morte capillos totondiſſe. Quare volens Deus eorum exaggerare peccatum, qui offendicula, & ſcandala ponunt in templis: *Tonde*, ait Ieremiæ, in ſignum luctus, *capillum capitis tui, & proÿce*, amariſſimoq. inſuper planctu grauiſſimum luge peccatum populi, qui offendicula in domo mea poſuit; offendiculum enim, ſiue impedimentum, ſeu obſtaculum dicimus, in quod ſi quis incurrit, læditur, aut cadit, Græcè σκάνδαλον. Of- G

fendicula igitur in domo Dei ponunt, quicunque adeò in illa, & verbis, & iocis vacant, vt ibi proximos orare non ſinant: offendicula in domo Dei ponunt quicunque immodeſtè, & indecorè ſeſe in Eccleſijs gerunt; quod præcipuè mulieribus obſeruandum eſſe B. Paulus docuit, dum omnes illas 1. Cor. 11. 10.

in Eccleſijs orantes velato eſſe capite, propter Angelos, præcipit: *Propter Angelos*, ait Anſelmus, *velanda ſunt capita mulierum in tẽplis, quia adeſt ibi multitudo Angelorum, & ingratum eſt Angelis ſpectaculum, cum mulieres vident comptas, & ornatas exterius:* nam ſicut nos fœdiſſimũ quidpiam oculis noſtris obiectum ſuſtinere non poſſumus, ſed illud procul aſportari curamus; ita cùm fœdiſſimum Angelis ſpectaculum laſciuè compta mulier ſit, nec illam reſpicere poſſunt: ſed quemadmodum Iehu videns Iezabelem in feneſtra comptam, præcipitem illam dari iuſſit; ita Angeli Sancti videntes mulierem in Eccleſijs ornatam, & virum immodeſtum, de medio illos tolli procurant. *Stat Sacerdos Deo*, ait Chryſoſtomus *orationem offerens cunctorum, tu autem rides? nihil times? non contremiſcis? non colligis te ipſum? In aulam regiam intraturus, & habitu, & oculis, & inceſſu, & in cũctis alijs componis te ipſum; huc autem ingreſſurus, vbi verè aula Regia eſt, & talis, qualis eſt cæleſtis, rides? Et tu quidem ſcio, quia non vides, audi tamen, quia Angeli præſentes ſunt vbique, maximè in domo Dei, vbi adſtant regi, & omnia plena ſunt incorporeis illis virtutibus.*

Anſelmus in epiſt. B. Pauli. Mulieres cur velato capite in templis eſſe B. Paulus præcipiat.

Mulier laſciuè compta fœdiſſimum Angelis ſpectaculum.

H

4. Reg. 9. 33.

Chryſoſt. hom. 15. in epiſt. ad Heb. poſt med.

Templa Dei Angelis plena ſunt.

I

Tanta reuerentia Idolorum templa Gentes colebant, vt in illis confabulari, dum ſacrificia fierent, omnino putarent nefas: vnde Plutarchus à Numa inſtitutũ refert, vt Principe, aut Sacerdote rem diuinam faciente, præco ingenti voce clamaret: *Hoc age*: animum ſcilicet ſacrificio adhiberi iubens; ſilentium inſuper, vt Seneca refert, indicebatur his verbis: *Fauete linguis*. Quod tanta diligentia præſtabant, vt ſicuti Valerius narrat, Alexandro Macedonum Rege ſacrificãte puer barbarus, turibulo arrepto, ante ipſum adſtans brachio carbonem ardentẽ excepit, ipſiusq. naturæ victor, aduſta iã carne, immobilem tamen ſeſe conſtantiſſima patiẽtia tenuit: nec doloris acerbiſſimi ſignũ dedit, tanta in illo diſciplina, tanta ſacrificij reuerentia fuit. Quòd ſi barbarus puer magnum dolorem regis reuerentia cõpreſſit, cur Dei omnipotentis reuerentia, ac cõſpectus linguã Chriſtianorum, vel modico tempore, non frenabit? Sed illud addã, quod idem ſanctiſſimus Pater in hanc rem ſubdit: *Frequens*, inquit, *ſermo eſt; cùm plurima ranarum murmura religioſa auribus plebis obſtreperent; ſacerdotem Dei præcepiſſe, vt conticerent, ac reuerentiam ſacræ deferrent orationi, tunc ſubitò circumfuſos ſtrepitus quieuiſſe*. Silent igitur paludes; homines non ſilebunt? & animal expers rationis per reuerentiam cognoſcet, quod per naturam ignorat; & hominum tanta erit immodeſtia, vt mentium religioni deferre neſciant, quod deferunt aurium voluptati?

Præclarum Numæ inſtitutum in ſacrificiis peragendis. *Plut. in vit. Coriol. Senec. in lib. de vit. beat. Valer. Max. lib. 3. c. 3.* Ethnicorum religio quãta in ſacrificiis. Exuri potius, quam loqui ethnicus puer in templo voluit.

L

Ranæ ad Sacerdotis vocem ne orantes in Templo perturbarent ſuas voces coercent.

Cùm Moyſes ad videndam illam magnam viſionẽ rubi ardentis pergeret, dixit ei Dominus: *Ne appropies huc, ſolue prius calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt*: Terra ſancta, non niſi per diuinam præſentiam, inquit Hugo de S. Victore. Si igitur locus cui Angelus, Dei nomine præerat, adeò ſanctus fuit, vt Moyſi ad illum accedere non licuerit, niſi ſolutis calceamentis, quam reuerentiam habere debemus locum illum intrando, in quo Rex ipſe Angelorum peculiariter manet? in quo ipſe Deus admirabilem ſe modo ſpeciali demonſtrat? Nam licèt admirabilis Deus in cælo ſit, vbi gloriam ſuam cum Beatis communicat; licèt admirabilis ſit in Inferno vbi iuſtitiam ſuam oſtendit; licèt admirabilis ſit in Mundo, vbi omnipotentiam, ſapientiam, & Diuinam ſuam prouidentiam, quibus omnia prudentiſſimè gubernat, manifeſtat; in ſuo tamen ſanctuario præcipuè eſt admirabilis, vbi dormientes animas ſuſcitat, vbi peccatorem pœnitentem mirabiliter donis, & gratijs ornat: Vnde Hieronymus locum Pſalmi *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis: Mirabilis*, legit; *Deus in Sanctuario ſuo*. Solue igitur calceamentum de pedibus tuis, cùm Eccleſiam intras, & illam terram ſanctam eſſe conſidera: conſidera in ea Deum inhabitantem, qui licèt aliàs opprobrijs, & contumelijs affectus, & Samaritani, Energumeni, alijsq. contumelioſis nominibus appellatus conticuerit, tantasq. iniurias mira animi tranquillitate diſſimulauerit; tamen, cùm templum contaminari cerneret, videretq. illud factum domum negotiationis, zelo domus Dei ſuccenſus, *fecit flagellum quaſi de funiculis*, quo negotiatores eiecit: Vnde quo pacto ſi regem ſuis manibus malefactorem punientem videres, ſummè ab illo offenſum fuiſſe diceres; ita ex hoc intueri licèt, quanto dolore afficiatur Deus, quantumq. illum offendas, cùm templum illius irreuerenter inhabitas. Humili igitur corde ad templum accede; & ibi cum ſancto Tobia Deum tuum adora.

Exod. 3. 5.

M

Hugo de S. Victore.

Deus admirabilem ſeſe in Templis oſtendit.

N

Hieronymi lectio.

Quantã velit Deus Tẽplis reuerentiam exhiberi.

Io. 2. 15.

O

Quòd feſtis diebus Deum in Templo adorare, boniſq. operibus vacare debeamus.

DOCVMENTVM III.

TOBIAS, qui ſingulis feſtis diebus ibat Ieruſalem, vt decimas, quibus debebãtur, perſolueret, Deumq. in Templo adoraret, nos ſuo exẽplo docet, nullis indignis operibus feſtos dies profanandos, vt profanant illi, qui licita honeſtaq. non contenti animi, & corporis recreatione, totos illos conſu-

A

Profanant dies feſtos, qui voluptatibus in illis vacant.

Digitized by Google

munt in vanitatibus, aut voluptatibus, venationibus, torneamentis, luſibus, choreis, fabulis, ſpectaculis, conuiuijs, compotationibus, contentionibus, ebrietatibus, & ſimilibus, otio ad nequitiam abutentes; ſed ſanctis operibus in illis vacandum eſſe, nimirũ, adorando in Templo Dominum Deum Iſraël; Miſſæ ſacrificio integrè, & reuerenter aſſiſtendo; diuinis inſuper, ac ſolemnibus precibus, religioſiſq. alijs officijs, Sacramẽtis, ad animi curationem inſtitutis, vacando; ſacram concionem audiendo; & ſimilia opera exequendo, quæ Templum Dei decẽt: extra tẽplum eleemoſynis, charitatiſq. operibus inſiſtendo; immaculatum ſe ab omni graui culpa cuſtodiendo; operaq. omnia omittendo ſeruilia, quæ nimirum propriè ſeruienti conueniunt, qualia ſunt mechanicarum artium opera, & agricolarum, niſi vel neceſſitate, vel charitate, vel etiam animi cauſa nulla ſpe lucri fiant. Sic

Quid faciendum feſtis diebus.

B

Seruilia opera quæ.

Tibullus.

Luce ſacra requieſcat humus, requieſcat arator.

Inquit Tibullus. Nec non ea, quæ ſeruilia ſunt ex placito, & conſtitutione Eccleſiæ, vt ſunt mercatus, niſi fortè talis, qui ſemel annuatim contingat; ſtrepitus iudicialis, & præſtatio iuramenti in iudicio; à quibus abſtinere die feſto etiam Ethnici conſueuerunt. Vnde Liuius: Nefaſtos, faſtoſq. dies diſtinxit; quia aliquando nihil cum populo agi vtile futurum erat. Et Ouid.

C

Liuius lib. 1. ab vrbe cond.

Ouid. lib. faſt.

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur.

Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Tria illa verba intellige, Do, Dico, Abdico, quæ à Prætore die nefaſto ſilentur. Sed omnia maximè opera peccatorum, quæ ex placito Dei, Eccleſiæ, ſanctorum, quin & ipſorum Philoſophorum, ſeruilium maximè ſeruilia ſunt. Ex quo Diogenes rectè Alexandrum Magnum ſeruum ſeruorũ ſuorum appellat, quod proprijs ſeruiret affectionibus, auaritiæ, ſcilicet, & ambitioni. Atque adeò Sabbatum, ſicuti, & ieiunium magnum eſt à peccatis abſtinere, quod Sabbatum illud eſt, quod apud Iſaiam Dominus ipſe delicatum vocat.

Seruilium omniũ operum ſeruiliſſimum eſt peccatum.
Diogenes.

D

Iſa. 58.

Iuſtum enim eſt, & rationi conſentaneum, certos quoſdam dies eſſe, qui toti Diuino tribuantur cultui, Deuſq. in eis maximè agnoſcatur, colatur, laudetur, ac celebretur, ipſiuſq. memoria beneficiorum repetatur Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum exẽpla imitanda proponantur; gratiarum actiones fiant bonorum acceptorum, ſupplicationes accipiendorum; & alia, quæ ex ſanctæ matris Eccleſiæ conſtitutione Chriſtianis exequenda proponuntur.

E

Quale peccatum ſit feſta non colere.

Quare qui feſtos dies non ea, qua decet religione obſeruant, peccãt primò in Deum Patrem, cuius potentia die Dominico mundum creauit: Secundò in Filium, qui eodem die nos redemit: Tertio in Spiritum ſanctum, qui eodem die ad nos miſſus eſt, eoſq. ſeueriſſimè Deus punit: vnde per Ezechielem ait: *Sabbata mea violauerunt, dixi ego, vt effunderem furorem meum ſuper eos in deſerto, & conſumerem eos.* Vide 2. Eſdræ 13. 15. Exodi 31. 14. Numer. 15. 35. 2. Machabæorum 15. 4. & ſequenti, vbi Nicanor Iudæorum Sabbatum contemnens, ab eis occiditur. Vide Gregorium Turonenſem libro de gloria Confeſſorum, vbi auctor eſt, contemnentem feſtum B. Mariani, igne fuiſſe conſumptum, & ibidem narrat de alio, qui in feſto S. Aniti laboribus vacãs, fœda colli, vultuſq. contorſione punitus eſt. Item de alio narrat ruſtico, qui cùm in die feſto ab aratione ceſſare negligeret, contracti digiti manubrio ſecuris, qua vomerem perpurgare inſtiterat, adhæſerunt.

Ezech. 20. 13.

Greg. Turon. de gloria Confeſſ. c. 16. & c. 99. & alibi. Pœnæ violantium feſtos dies.

F

Porrò fructus, & prẽmia colentium feſta deſcribit Iſaias dicens: *Si auerteris à Sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, & Sanctum Domini glorioſum, tunc delectaberis ſuper Domino.* Quadam nimirum ſpiritus volnptate perfrueris in rebus ad Deum pertinentibus, *& ſuſtollam te ſuper altitudinem terræ*, hoc eſt, faciam, vt magno animo terrena omnia contemnas, eaq. cum B. Paulo arbitreris vt ſtercora, *& cibabo te hæreditate Iacob patris tui*, te videlicet ſpiritualibus bonis in cæleſti hæreditate cumulabo. Denique adijciet Dominus temporalia bona, vt in Leuitico promiſit. Cuius rei exemplum, & quidem illuſtre, illud eſt, quod his verbis refert Cantipratanus. *In Theutoniæ partibus miles quidam ad deponendam herbam de prato conduxerat falcatores. Illis igitur falcantibus in vigilia cuiuſdam Sancti, vbi tempus veſpertinum aduenit, per villas in circuitu compulſabatur: & mox vnus ad ſocios falcatores; deſiſtamus, inquit, ab opere, quia iam veſperæ compulſantur, ſed cũ illi nollent, imò magis verbis confunderent admonentem, ipſe mox opere relicto ad veſperas iuit. Tertio autem die ad opus imperfectum cum alijs rediens, vidit, quòd antecedentibus alijs, ſe ſolum falcare poſterius oporteret, & propter hoc ab omnibus eſt deriſus. Patienter autem ferens riſus omnium, & cachinnos, vbi manum ad falcem poſuit, ante ſe pendentem in ſurculo graminis drachmam mirè, & inuiſæ magnitudinis auream mox inuenit. Curuatus ergo in genibus cum lacrymis Dominum benedixit. Quo clamante concurrunt ſocij, concurrit, & miles prati dominus, vident diuinum miraculum ſcripturamq. miles literatus in nummo voce patria legens, hæc, vt interpretari potuimus, continebat: manus Dei me compegit, & in donum me redegit pauperis, qui non*

Iſa. 58. 13. Prẽmiũ colentiũ feſta.

Philip. 3. 8.

Iſa. 58. 14.

G

Leuit. 16. 2. 4.

Thomas Cãtipratanus li. 2. apum. c. 25. par. 9.

H

iufregit diem Sancto celebrem. Hanc drachmam vxor militis ferè marcba erga pauperem emit, & multis poſtea iu rei geſta probationem oſtendit.

Quòd primitiæ, & decimæ fideliter Deo, eiuſq. miniſtris perſoluendæ ſint.

DOCVMENTVM IV.

A

EXEMPLO docet ſuo Tobias, primitias, ac decimas Deo eiuſq. miniſtris, integrè, ac fideliter eſſe perſoluendas: etenim ſicut in veteri lege Leuitis decimæ pro tabernaculi miniſterio, & portione totius ſuæ Tribus vniuersè debebantur, vt habetur hic, & in libro Deuteronomij, & Numerorum; ita in nouo teſtamento, Epiſcopis, & Sacerdotibus pro miniſterio Verbi, & diſpenſatione myſteriorum Dei, nec non ob reliqua Eccleſiaſtica munia debentur. Et certè, ſi, vt eſſet eibus in domo Dei, vt dicitur Malachiæ 3. rectè olim inferebatur omnis decimatio, quando neque tanta erat dignitas miniſterij Diuini Sacerdotij, Sacramentorum, & ſacrificij; neque multitudo Templorum tanta, quanta in noua lege; multò profectò magis nunc pro ęſtimata miniſtrorum ſuſtentatione exigi decimas conuenit.

Deut. 14. 18.

Malach. 3. 10.

B

Et ſi ratio, ipſumq. naturæ lumen oſtendit, principibus, militibus, atque doctoribus, qui humana tantum negotia pertractant, è publico ſtipendia eſſe tribuenda, quòd publicæ rei, & omnium commodis inſeruiant; quantò magis alendi illi ſunt, & neceſſarijs rebus inſtruendi, qui in hoc omnì contentione laborant, vt generatim omnibus, & pro virili parte, ſalutem cuilibet afferant, & cæleſtia bona impertiantur? *Quis*, ait B. Paulus, *militat ſuis ſtipeudijs vuquam? aut quis plantat vineam, & de fructu eius non edit?* Sic: *Iubemur*, ait Gregorius, *ab omnipotenti Deo omnium bonorum uoſtrorum decimas dare.* Et quidem ab Omnipotenti Deo; quia iure Diuino, & naturali miniſtrantibus populo ſpiritualia debetur ſuſtentatio: nam vt B. Paulus ait: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?*

1. Cor. 9. 7.

Greg. c. 40. de conſecr. diſt. 5.

Decimæ de iure Diuino, & naturali perſoluendæ ſunt.

1. Cor. 9. 11.

C

Porrò cùm aliquid certi à populo pręſtari pro ſuſtentatione debeat, vt ſtabilis, & ſufficiens eorumdem Eccleſię miniſtrorū ſuſtentatio ſit; iam inde ab initio pro illa conſtituit Eccleſia decimam fructuum terræ partem, & quidem ad Dei imitationem, qui illam etiam in veteri lege couſtituerat, & ad Sanctorum Patriarcharum exemplum, quos Diuino inſtinctu ante legem decimas dediſſe in litera vidimus.

Decimā fructuū partem cur Eccleſia ſuis miniſtris perſoluendā decreuerit.

Quin & Gentiles, quodam religionis impulſu, ſæpè in bello de Manubijs decimas vouerunt, & reddiderunt. Id à Poſtbumio factum eſt, obtenta belli Latini victoria, nec non ab alijs Romanorum Ducibus, vti narrat Dionyſius Halicarnaſſeus, Liuius, & alij. Xenophon quoq. in Cyro: *Pecuniam*, inquit, *de captiuis collectam partiri, eamq., quam decimæ nomine, aut Apollini, aut Epheſiæ Dianæ vouerant, couſeruandam Prætores acceperunt.* Idem de Ageſilao: *Hoſtium*, ait, *ita fruitus agro eſt, vt duobus annis centū taleuta, & amplius Deo apud Delphos, decimam dedicaret.* Et Crœſus ad Cyrum Regem Perſarnm, vt narrat Herodotus: *Siſte*, ait, *ad ſingulas portas aliquot ex tuis ſatellitibus cuſtodes, qui vetent exportari opes, vt earum decimæ Ioui neceſſario reddantur.* Quin & Iaponios, auctor eſt Gagius, conſueuiſſe dum adhùc Ethnici eſſent, de rebus omnibus, quas à Deo acceperant, item de lucro venditarum, ſiue emptarum mercium partem aliquam varijs ſuis Dijs offerre.

ſup. in litera.

Ethnici Imperatores, & Duces decimas Diis perſoluebant.

Dionyſ. Halicarnaſſeus lib. 0.

Liuius.

Xenophon in Cyro lib. 5.

D

Idem de Ageſilao.

Herodotus in Clio.

Balthaſar Gagius in epiſt. annua 1559.

Iapones Ethnici decimas Diis perſoluebant.

Sanè, vt optimè Origenes docet, impium eſt, eum, qui Deum colit, & ſcit, eius miniſtros aſſiſtere altari, & Verbo Dei, & Eccleſiæ miniſterio deſeruire, de fructibus terræ, quos dat Deus Solem ſuum producendo, & pluuias ſnas miniſtrando, primitias Sacerdotibus non offerre: non enim videtur talis anima Dei habere memoriam, nec cogitare, nec eredere, à Deo ſibi eſſe datos fructus, quos cœpit.

Orig. hom. 11. in lib. Num.

E

Hinc iam olim in Concilio Matiſconenſi ſecundo ſnb Pelagio Papa celebrato anno 587. ſaneitum eſt, vt decimæ, & primitiæ darentur à fidelibus, & qui detrectarent, anathemate ferirentur, his verbis: *Leges Diuinæ conſuleutes Sacerdotibus, ac miniſtris Eccleſiarum pro bæreditaria portione, omni populo praceperunt decimas fructuum ſuorum locis ſacris præſtari, vt nullo labore impediti per res illegitimas, ſpiritualibus poſſint vacare miuiſterijs. Quas leges Chriſtianorum cougeries longis temporibus cuſtodiuit intemeratas, vnde ſtatuimus, vt decimas Eccleſiaſticas omuis populus inferat, quibus Sacerdotes, aut iu proprium vſum, aut iu captiuorum redemptiouem prorogatis, ſuis orationibus pacem populo, ac ſalutem impetrent. Si quis autem contumax noſtris ſtatutis fuerit, à membris Eccleſiæ omui tempore ſeparetur.* Hucuſque verba Concilij. Cui concordat Concilium Tridentinum. Et quidem hanc Eccleſiæ determinationem adeò religioſè S. Io. Chryſoſtomus obſeruari volebat, vt cùm Sutores, alijq. artifices, calceos, aliaq. ſuæ artis venderent, aut emerent, decimam ſaltem pretij partem Deo impendere iuberet.

Conc. Matiſc. 2. can. 5.

F

Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 12

Chryſoſt. hom. 43. in epiſt. 1. ad Cor.

G

Sed & fideles omnes iam inde ab ipſo Eccleſiæ naſcentis exordio illas ſoluere cōſue-

uiſſe

Maffeius lib. 8. hiſt. indic.

Decimarum perſoluẽdarum mos antiquiſſimus.

niſſe, probat Maffæius docens Meliaporæ in India, à Luſitanis inuentum ſepulchrum eſſe S. Thomæ Apoſtoli, cui priſcis literis inſcriptum erat, Templum illud à ſancto Dei Apoſtolo Thoma quondam extructum fuiſſe, & in eo tuendo, colendoq́. mercium, quæ in vrbem portarentur, decimã à Sagano Rege attributam. Acceſſerat obteſtatio ad poſteros, ne quid ex eo vectigali, ac donatione imminutum vellent. Quare non ſoluentes decimas Chriſtiani, vt Petrus Rebuffus

Rebuff. de decimis c. vlt. c. 26.

aſſerit: *Filij ſunt perditionis, non obſtante quacũque conſuetudine, immò veriùs vſurpatione, & violenta occupatione: ſunt in*

G

ſtatu damnationis, & eis participantes conſilium, auxilium, conſenſum, & defenſionem directè, vel indirectè, quod non ſoluantur decimæ, vel primitiæ, præbentes, ipſi omnes, & ſinguli ſunt fures, & latrones bonorum Dei, & Sanctorũ deprædatores, & manifeſti Eccleſiæ Dei ſacrilegi, & excommunicati, & ab omni oratione, Miſſa, ſacrificijs, & beneficijs Eccleſiæ ſegregati: & ſi per ſe, vel ſuos hæredes non ſatisfaciant ante mortem, & reſtituant, eis non prodeſt ad ſalutem Sacramentorum perceptio, aut Sacerdotis abſolutio, vel confeſſio, & cum Iuda proditore ſunt proditores, & fures Theſauri Dei, qui eſt decima, ac infideles, & ingrati ſunt, & in inferno erũt perpetuo damnati. Hæc ille ex Andrea Hiſpano.

I

Neque enim eas tantummodò perſolui Eccleſia, ad Eccleſiaſticorum ſuſtentationem, ſed etiam Deo in ſignum vniuerſalis

Innoc. de decimis c. 33.

dominij offerri voluit. Sic Innocentius: *Nos*, ait, *& Eccleſiarum diſpendijs, & animarum periculis obuiare volentes, ſtatuimus, vt in prærogatiuam dominij generalis exactionem tributorum, & cenſuum præcedat ſolutio decimarum*. Quare hanc Eccleſiæ decimarum ſolutionem Deus ipſe comprobauit, ſoluentibus fertilitatem ſæpè, ac benedictionem concedens; non ſoluentibus verò ſterilitatem, ac maledictionem immittens. Vnde Auguſtinus: *Maiores*, inquit, *noſtri ideo omnibus copijs abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæſari cenſum reddebant; modò autem, quia diſceſſit deuotio Dei, acceſſit indictio fiſci. Noluimus cum Deo partiri decimas, modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus*. Et alibi. *Hæc eſt Dei iuſtiſſima conſuetudo, vt ſi tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris*. Huiusq́. rei ſingulare illud eſt exemplum, quod ſub annum Domini 475. contigiſſe narrat Egypius teſtis oculatus in vita ſancti Seuerini Noricenſis Epiſcopi de Lauriacenſibus Ciuibus, qui moniti à S. Seuerino, vt decimas pauperibus darẽt, id cùm facere diſtuliſſent, eorum ſegetes, alioqui lætiſſimas, tanta inuaſit rubigo, vt illas totas conſumpſiſſe videretur: quapropter, cùm illi reſipiſcentes, culpam confeſſi veniam eſſent à S. Seuerino deprecati; reſpondit illis vir Dei. *Si decimas obtuliſſetis, non ſolùm æterna mercede frueremini; ſed etiam commodis poſſetis abundare præſentibus; ſed quia culpam propria confeſſione caſtigaſtis, de Domini pietate polliceor, quòd rubigo præſens, licèt tam valida, non nocebit: tantum fides veſtra vlterius non vacillet*. Inde expleto ieiunio, quod indixerat, placidus imber deſperatæ meſſis amputauit incommoda.

L

Auguſt. lib. 50. hom. Hom. 48.

Idem Serm. 219. de tempore.

Egypius vita S. Seuerini c. 17.

M

Decimas ſoluere negligẽtes frugum inopia puniuntur.

N

Eorum verò bona multiplicari, qui eas fideliter cum Tobia ſoluunt, alio exemplo docet Cæſarius: *Miles*, inquiens, *quidam circa decimarum ſuarum ſolutionem tantæ erat deuotionis, ac iuſtitiæ, vt ei ſummum eſſet ſtudium illas ſoluere ſine mora. Habebat autem quandam vineam quæ circa decem carratas vini annuatim faciebat. Tempore quodam poſt quàm collectum eſt vinum, vna tantum inuenta eſt carrata, quo audito miles ſeruo ſuo dixit: quod meum erat mihi Dominus abſtulit, ego illi portionem ſuam non auferam; vade, & da eam Sacerdoti pro decima: quod & factum eſt. Eodem tempore, & anno Sacerdos eiuſdem militis germanus, tranſiens iuxta vineam prædictã, vuis refertam vidit, mox ad fratrem intrans, eum de negligentia redarguit, dicens: quare nondum collecta eſt vinea veſtra? reſpondente illo, iam diu collecta eſt, Sacerdos reſpondit, nequaquam, iam illam plenam vidi: quæſitum, & inuentum eſt, nec vnquam vberiores fructus fecit, quàm illo anno*. Aliud habetur in Speculo hiſtoriali his verbis. *Legitur in vita ſancti Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi, quòd quidam Balliuus fecit colligi fructus Autumnales cuiuſdam manerij, ſeu prædij ſui, non reddendo decimas. Cum igitur Sanctus veniſſet, borrea ſua inuenit vix ſemiplena, & diabolum ſedentem ſuper vnum bladi cumulum: quæſiuit ergo à Balliuo: quare cumuli illo anno non erant pleni: reſpondit ille, quòd de hoc miraretur, aſſerens omnia blada manerij ibi fuiſſe repoſita, etiam ſine præſtatione decimarum, quod audiens Sanctus, ſtatim fecit omnia extrahi, & decimari, & iterum reponi, cùm reponerentur poſt decimationem, ita multiplicata erant, quod ea borrea vix capere poterant*.

Cæſarius in lib. illuſtr. mirac. c. 13.

Decimas Deo perſoluentes frugum affluentia donãtur.

O

Specul. hiſtorial. cap. de decimis parte 7.

P

Sed ipſum Dominum apud Malachiam loquentem audiamus: *Inferte omnem decimam in borreum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ; nec erit ſterilis vinea iu agro dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes, eritis enim vos terra deſiderabilis dicit Dominus exercituum*.

Malach. 3. 10 11. 12.

Q

Onus legis Moſaicæ quàm graue eſſet, & importabile; Chriſti verò quàm leue ſit, & ſuaue.

DOCVMENTVM V.

A
Moſaica lex iugum importabile.

HAEC, & his ſimilia ſecundùm legem Dei puerulus obſeruabat, quæ in veteri teſtamento tam grania, tamq́. multiplicia continebat præcepta, vt duriſſima ad ferendum eſſet: vnde illam iugum importabile B.Petrus appellauit: *Quid*, dicens, *tentatis imponere illi iugum, quod nec nos, nec patres noſtri portare potuerunt?* Et Auguſtinus illam *ſarcinam innumerabilium obſeruationum* vocat: Et quidem meritò: tot enim erant in illa præcepta ceremonialia, vt vix numerari poſſe viderentur. Abulenſis ſexcenta, & tredecim illa fuiſſe memorat. Rabbi Moyſes, vt Carthuſianus refert, tot fuiſſe ait, quot ſunt oſſa in homine. Verùm ille affirmatiua ducenta & octoginta fuiſſe ſecundũ numerum membrorum aſſerit, & negatiua ſecundum numerum dierum anni, trecenta ſexaginta quinque; tam multis enim præceptis opns fuit rudem, & peruicacem coërcere populum, ne, vt Gulielmus Pariſienſis ait, *tot intentus cæremonijs ad idola facilè ſe conuertere poſſet*. Hanc tamen legem duriſſimam portabat noſter Tobias: *hæc præcepta, & his ſimilia*, licet grauia, *puerulus obſeruabat*. O nos beatos, ſi illum imitantes ſaltem noſtræ legis iugo, quod, teſte Chriſto, leue admodum eſt, & ſuaue, colla noſtra ſubijceremus! *Iugum enim meum*, inquit ille, *ſuaue eſt, & onus meum leue*. Et quidem leue, quia ſicut iugum non ab vno ſolo, ſed à duobus animalibus portatur, ſic nunquam ex vna parte aliquis Euangelicæ legis obſeruantiam ſuſcipit, quin ex alia Deum ſibi coadiutorem habeat: vnde per Oſeam: *Ego*, inquit, *ero eis, quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum*, quia ſcilicet, ſicut B. Paulus ait: *Dei ſumus adiutores*, licet debiles, cùm ſit ipſe, vt Dauid loquitur, *adiutor fortis*.

Act. 15. 10.
Aug. Serm. 9. de verb. Dom.
Præceptorũ in lege Moſaica multitudo.
Abulenſis in c. 1.
Rut. q. 24.
Rabbi Moyſes 3. doct. dub. c. 1.
Carthuſ. in c. 15. Act.
B
Gulielm. lib. de fid. & leg. c. 1.
Iugum legis Chriſti cur leue ſit.
Matth. 11. 30.
Oſea. 11. 4.
1. Cor. 3. 9.
Pſal. 30. 7.
C

Quare qno pacto, ſi duo animalia, quorum aliud debile ſit, aliud verò forte, vnà iugum ferant, multò plus facit in onere deportando forte, quàm debile, ſic in perferenda legis nouæ obſernantia, ita Chriſtus nos adiuuat, vt quod præcipuum eſt in noſtris bonis operibus, gratia ſua totum illud ipſe perficiat. Eſt etiam legis Chriſti iugum ſuaue, quia non timore, vt in lege Moyſis, ad illud ferendum, ſed amore trahimur.

Oſea. 11. 4.

Quod futurum per Oſeam Deus ipſe prædixerat, dum ait: *In funiculis Adam traham eos, & in vinculis charitatis. In funiculis hominum*, habet Hebræus, quia nullus eſt funiculus ad hominem attrahendum amore validior, & aptior, qno generoſum illius cor arctiſſimè compræhenditur, & alligatur. Hoc itaq. funiculo cum Adam compræhenſus ſit, quando amore coniugis, vt Auguſtinus ait, Diuinnm eſt mandatum tranſgreſſus, ſequitur, vt idem omnino ſit dicere: *In funiculis Adam traham eos*, ac in funiculis amoris.

D
Auguſt. lib. 9. de Ciuit. Dei.
Legem Euãgelicam amor ſuauem facit, & leuẽ.
Ezech. 10. 2.

Sed quod amoris ſit lex Euangelij, apparet maximè apud Ezechielem, vbi Chriſto Domino ibidem per virum indntum lineis deſignato, ab illo, qui præſidebat in curru rotarum quatuor, in throno Sapphirino (Deo ſcilicet patre) dictum fuiſſe legimus: *Ingredere in medio rotarũ, quæ ſunt ſubtus Cherubin, & imple manum tuam prunis ignis, quæ ſunt inter Cherubin, & effunde ſuper Ciuitatem*. Ipſe verò ingreſſus, prunas ardentes ſuper Ciuitatem effudit, quibus tota ſuccenſa eſt, & combuſta. Aſcendit enim Chriſtus currum Euangelij, in quo mirificè de mundo, & diabolo triumphans, ex illo prunas ardentes charitatis, ſuper totam Eccleſiam fudit, vt cæleſti hoc igne inflammati fideles ſe inuicem diligerent, & charitate diuina proſequerentur: nam vt Moyſes ait: *In dextera eius ignea lex eſt*, hoc eſt, in filio, qui dextera patris dicitur, lex eſt charitatis, quam mundo attulit, pro vt Auguſtinus dicit.

E
Deut. 33. 2
Auguſt. q. 16. in Deut.

Quin eſt ipſe Chriſtus ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Adeò enim remiſſus apparebat in lege Moyſis ignis charitatis, vt ad amorem tantum amicorum, & proximorum vim habere videretur; ſed in lege Enangelica in qua Chriſtus ignem tulit, non ſolùm ad amicos, benefactores, & conſanguineos; ſed etiam ad ipſos inimicos liberè extenditur. O nos miſeros, qui in medio tanti ignis non ardemus quiq́. iugum tam ſuaue ferre detrectamus! Pudeat, pudeat nos puerulum videre Tobiam legem adeò grauem, & lapideam ferentem, nos verò iam viros ſuauem Chiſti legem adeò negligentes.

Luca 12. 49.
F

VERS. IX.

Cum verò factus eſſet vir accepit vxorem Annam de Tribu ſua, genuitq. ex ea filium, nomen ſuum imponens ei;

VERS. X.

Quem ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato.

1 *Aetas virilis quæ?*
2 *Tobias cur de tribu ſua vxorem ſumpſerit.*
3 *Nomẽ ſuum cur filijs parentes imponãt.*

4 *Omnium ætatum aptiſſimam eſſe ad diſciplinam pueritiam.*
5 *Quomodo filium ſuum doceret Tobias, vt abſtineret ab omni peccato.*

VERS. IX.

Aetas virilis quæ.

Num. 1.

1 C*VM factus eſſet vir.* Ad virilem ſcilicet, cùm perueniſſet ætatem, quæ iuxta legem Moyſis ab anno vigeſimo ſumit exordium: factusq́. eſſet potens viribus, & rei familiaris procurator, qualis ante illam ætatem, vel nemo, vel certè admodum rarus eſſe conſueuit, in pueritia, & adoleſcentia.

L. maiorem. ff. de rit. et nupt. Et Inſti. de nupt. §. iuſtas autem.

Accepit vxorem Annam. Nam licèt lege ſit cautum completa pubertate, tam virum, quàm mulierem ad coniugium eſſe aptos, maturiorem tamen ætatem virilitatis, vt aptiorem eligendam eſſe Tobias cenſuit.

Num. 36. 8.

Cur vxores eiuſdem tribus ducere Hebræi iuberentur.

2 *De Tribu ſua,* Hæc enim lex erat Moyſis: *Omnes viri ducent vxores de Tribu, & cognatione ſua, & cuncta fœmina de eadem Tribu maritos accipient.* Quam legem maximè obſeruatam Deus voluit, ſicut ibidem habetur, vt hæreditas in familia permaneret, nec inuicem tribus miſcerentur: nam quotieſcunque huiuſmodi tribuum cõmixtionis nullum periculum aderat, non ſolùm permiſſum Hebræis fuerat vxorẽ mulierem alterius tribus habere, quo pacto legimus Dauid vxorem habuiſſe Michol filiam Saul de Tribu Beniamin, & Achiran Iſraëlitem; ſed etiam alienigenas conuerſas ad fidem. Sic enim Dauid vxorem habuit Maacham filiam Tholomai Regis Geſſur; matrem Abſalon; & Salomon Raab Iericuntinam: Booz Ruth Moabitidem &c. quod communiter expreſsè cõceſſum fuerat in Deuteronomio.

1. Reg. 18. & 25.
2. Reg. 3.
Matth. 1.
Ruth. 4.
Deut. 21.

Genuitq́. ex ea filium, Nimirum ex Anna filium Tobias genuit, quem ſuo nomine vocauit Tobiam.

Luc. 1. 59. & 2. 21.

Nomina infantibus quãdo imponerentur.

Tit. in Luc. 1. 59.

3 *Nomen ſuum imponens ei.* Octauo videlicet die Circumciſionis, quo, ſicut apud Lucam patet, Hebræorum mos erat, nomina infantibus ponere, vt qui iam Dei erant populo adſcripti, nominari etiam, & agnoſci mererentur. *Par erat,* inquit Titus, *vt per ſignaculum, quod Deus præceperat, hoc eſt per circumciſionem, primò omnium in Dei populum infans cenſeretur, ac tum demum humano nomine inſigniretur.* Licèt mos iſte initio obſeruatum non fuerit: nam Iſaac ſtatim à partu inditum fuiſſe nomen legimus: ſimiliter & Eſau, Iacob, Phares, & Gerſon filio Moyſis. Apud veteres autem Romanos, vt Macrobius, & Plutarchus docent, nono ab ortu die maſculis nomen indebatur; fœminis verò octauo. Et apud Athenienſes, vt teſtis eſt Suidas, decimo à natiuitate die, quo, ſicut ille docet, vocabantur affines, agnati, vicini, & amici, & illis præſentibus fiebat impoſitio nominis; & poſtea ſacrificia Deo offerebantur, & poſtremò conuocatis epulæ apponebantur. Sanè, vt ſuum cuique proprium ſit nomen, adeò eſt neceſſe, vt hoc ſi demas, nulla inter homines ſocietas, nec mutua vitæ, operumq́. vtilitas vigere vlla ratione poſſit.

Geneſ. 21. 3. et 25. 25. & 38. 29.
Exo. 2. 22.
Macrob. 1. ſat. c. 16.
Plut. in quæſt. Cent. Rom.
Suid. in verb. docetim.

Nomen vnicuique propriũ eſt neceſſarium.

Parentum nomina cur filiis imponantur.

Et quidem, *vocauit Tobiam filium ſuum nomine ſuo,* vt nomine etiam patrem ſuum mundo referret, qui patrem non iuxta naturam modò; ſed etiam iuxta virtutem referre debuerat. Sic enim olim patrum nomina filijs frequenter imponebantur, vt in Decretis Gratianus obſeruat; quòd ex delectatione paterni nominis filius redderetur acceptior, vt etiam habetur in legibus.

c. olim in pr. 8. q. 1. l. cum filius. §. pater ibi in honore nominis mei. ff. de leg. 2.

VERS. X.

QVEM ab infantia, à prima ſcilicet hominis ætate, quę ad ſeptimum vſque annum perdurat, infantia idcirco dicta, quòd in illa haud ſatis commodè fari puer queat.

Pueritia omniũ ætatum aptiſſima eſt ad diſciplinam.

4 *Timere Deum docuit;* Quod ſciret, ætatem illam omniũ eſſe ad diſciplinam aptiſſimam, dum adhuc animus velut intacta, & pura carta, omnibus quæ inſcribuntur recipiendis idoneus eſt, & velut tenera arbor, in omnem partem facilè deduci, flectiq́. poſſit. Cuius rei euidens exemplum in pleriſq́. animantibus habemus, vt in equis, & in canibus, auibusq́. nonnullis, quę ſi dum adhuc teneriores ſunt erudiantur, ſunt omnes in ſuo quæq́. genere diſciplinę cuiuſdam capaces, cum autem id tempus effluxerit, ita obdureſcunt, vt planè indociles fiant. Homines autem ſemper quidem ad virtutem opportuni ſunt; verum ſi facilitatem, & agilitatem quamdam quærimus, eſt ſine dubio maior in illa ætate, quæ nondum obcalluit vitijs, aut vanitati. Quare Dauid pueros alloquens: *Venite,* inquit, *filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Neque enim parentes filios edocere debent artes huic mũdo placendi, & opes coaceruandi; ſed cum Tobia, & Dauid quomodo Deum timeant, & revereantur.

Pſ. 33. 12.

Peccata vitari poſſunt ſingula, non omnia.

5 *Et abſtinere ab omni peccato,* quoad nimirum fieri poſſet: nam licèt collectiuè, vt logici loquũtur, hoc eſt generaliter loquendo ab omni peccato, præſertim veniali, liber homo eſſe non poſſit, iuxta illud Sapientis: *Septies in die cadit iuſtus;* ideſt multoties: diſtributiuè tamen hoc eſt ab omni peccato in particulari etiam veniali nullus eſt, qui abſtinere, ſi velit, cum Diuina gratia non poſſit, de qua te infra dicendum.

Prouerb. 24. 18.

Infra cap. 4. verſ. 22. doc. 3.

Quòd à parentibus filij in Dei timore inſtitui à pueritia debeant.

DOCVMENTVM.

DOCET ſanctiſſimus Tobias, filios A
à parentibus ſecundum Dei timorem inſtituendos, præſertim in tenera, & puerili ætate, *ab infantia* 1

ſunt

Filii à pueritia erudiẽdi ſunt.

ſunt enim filij quemadmodum arbores infirmæ, quales ſunt hedera, vitis, & aliæ huiuſmodi, quæ erigi de terra nequeunt, niſi alicuius, aut ligni, aut parietis adminiculo; quod ſi rectum eſt ipſa quoque arbor, recta, ſi obliquum, tortuoſa producetur; cùm enim paruuli nihil ferè in tenera ætate cognoſcant, aliorum facilè ductum ſequuntur:

Parentũ mores imitantur filii.

quare ſi rectus eſt pater, rectamq́. filios doctrinam edoceat, recti illi per viam virtutis incedunt, quòd ſi obliquus ſit, & à virtutis via deflectens, deflectunt & illi à virtute, & obliquè ſuccreſcunt. Quare Dauid: *Beatus*, ait, *vir, qui timet Dominum: potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur*. Hoc eſt filij rectorum timentium, nimirum, Deum, recti & ipſi, ac potentes erũt:

Pſal. 111. 1. & 2.

B

Greg. lib. 6. epiſt. 187.

Plut. in lib. de educ. puer.

Verba, ait Gregorius, *nutrientiũ lac erunt, ſi bona; venenum, ſi mala*. Quod Licurgus Spartiatarum legiſlator, vt teſtis eſt Plutarchus, oſtendit, dum geminos catellos, iiſdem parentibus natos ſuſcipiens, alterum, helluonem, luxuriaq́. ſolutum; alterum indagine ſagacẽ, & venationibus aptum educatione reddidit. Cùmq́. poſtea Lacedæmonij vnà conueniſſent, *ad virtutem*, inquit, *viri Lacedamonij ingens eſt momentum conſuetudo, diſciplina, doctrina, & vitæ inſtitutio, quæ vobis illico manifeſta vehementer eſſe faciam*; duos ſubinde Catulos

C

adducens, cùm ollam in medio, leporemq́. poſuiſſet: alter quidem in ollam; alter in leporem vehementer irrupit: cùm autem Lacedæmonij nondum quid ſibi vellet aſſequerentur, nec quam ob rem catulos oſtentaſſet: *hi ambo*, inquit, *iiſdem orti parentibus, cæterum diuerſam vitæ conſuetudinem aſſecuti, alter guloſus, alter venator euaſere*. Sic manifeſtum faciens conſuetudinem ingentis eſſe in liberorum educatione momenti.

Quantã vim habeat conſuetudo in liberorum educatione.

Chryſoſt. to. 2. hom. de Ann & Sam. educ.

Sanè, vt Chryſoſtomus docet, quo pacto Samuel ab vberibus maternis ad vbera venit ſpiritualia; *Sic*, inquit, *oportet, filios ab vberibus carnis, protinus ad vbera transferri ſpiritualia, vt rebus diuinis aſſueſcãt*. Cùm itaque duas habeat filius partes, animam, & corpus; partis vtriuſque parentes diligenter curam gerere debent, & animi

D

tantò maiorem, quantò maior eſt animus corpore. At, proh dolor! in corpore, quod illi genuerunt, inſiſtendo, omnem curam ponunt; animam verò à Deo procreatam penitus negligunt: temporalem hæreditatẽ filijs relinquere ſtudent, qua corpus breui tempore alitur; at de hæreditate æterna eiſdẽ procuranda nõ cogitant. Quamobrem non inſulsè Ariſtippus, quẽdam mentis impotentem patrẽ carpſit, qui cùm ab ſe quæſiuiſſet, quanta inſtituendi filij ſui gratia, mercede contentus eſſet, milleq́. reſpondiſſet drachmis: magnum certè, ſubdit ille, poſtulatum: nam ſeruum mille drachmis cõparare poſſum: Tunc Ariſtippus: *Duos*, inquit, *habebis ſeruos, & filium, & quem mercaberis*.

Deploranda parentũ conditio in educãdis liberis.

Plutarch. in Apoph.

E

Chryſoſt. hom. 60. in Matth.

Sed Chryſoſtomum de hac re diſſerentem audiamus. *Vxoris, liberorum, & famulorum*, inquit, *nullam curã habemus, ſed alia pro alijs, quaſi temulenti, ſolicitè cogitamus: quomodo ſcilicet plures famulos comparabimus, quomodo liberis amplas hæreditates relinquamus; quomodo vxor ornatu aureo potiatur; nullam noſtri, ſed rerum noſtrarum curam habemus, vxoris obliuiſcimur, & quæ vxoris ſunt, recordamur; de liberis non prouidemus, & quæ liberorum ſunt, augere, & amplificare ſtudemus; itaque iis ſimiles ſumus, qui cùm malè materiatam, & ruinoſam videant domum, ipſam quidem reſtituere negligunt, amplos autem ei hortos in circuitu præparant, aut illis, qui quamuis morbo conficiantur; cura tamen valetudinis neglecta, aureas ſibi veſtes contexunt*.

Parentes quæ filiorum ſunt curant, filios ipſos negligunt.

F

Ierem. 7. 16.

Quod quantum Deo diſpliceat, non obſcurè ipſemet Dominus docuit, dum Ieremiam alloquens, ait: *Tu noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te*: rationemq́. aſſignans ſubdit: *Nonne vides quod isti faciunt in Ciuitate Iuda, & in plateis Ieruſalem? filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cæli, & libent Dijs alienis, & me ad iracundiam prouocent?* Quibus verbis, quod tractamus, quaſi egregijs picturæ coloribus expreſſum nobis reliquit; cum diuitias, voluptates, honores, & alia huiuſmodi tantoperè homines colant, vt illis, quaſi Dijs, ſacrificent: & patres, qui huiuſmodi

G

filiorũ ligna extinguere correctione, & monitis deberent, potiùs accendunt, dum eiſdem, quod optant, miniſtrant. Ex quo non patres, ſed hoſtes filiorum iure optimo appellandi eſſent: nam ſi Pſaltes, tanquam aliquid crudele, & inhumanum commemorat, nonnullos ex Iſraëlitis dæmoni liberos ſuos offerentes: *Immolauerunt*, inquiens, *filios, & filias ſuas dæmonijs, effuderunt ſanguinem innocentem &c.* Sanè crudeliores parentes cenſendi ſunt, qui liberos mundo immolant, vitamq́. illis, tali pacto, non corporalem, ſed æternam adimunt.

Pſal. 105. 37. 38.

Deus parẽtes filiis, quos nimium diligunt, orbat.

H

Sed profectò illud ſæpè Diuino iudicio contingit, vt tales parentes ſuis, quos nimis diligunt, orbentur filijs: nam, quo pacto Princeps filios ſuos ab illorum pædagogorum inſtitutione, qui malè illos inſtruũt, amouere ſolent; ita filios à parẽtibus Deus aliquando remouet, quos tanquam eorum pædagogos conſtituerat, ſi malè illos inſtituant: quod Heli contigiſſe legimus, qui cùm malè filios ſuos educaſſet, ait illi Dominus: *Pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit*, quod ſicut prędixerat in illum deinde compleuit: *Eo quòd*

1. *Reg.* 2. 33. & 3. 13.

nouerat indignè agere filios ſuos, & non ſicut debuerat *corripuerit eos*. Dauid etiam filios ſuos, quos maximè diligebat, amiſit, Amon ſcilicet, & Abſalon, quòd vnius inceſtum obiurgare non ſit auſus, nec alterius, quem vnicè diligebat, ſpiritum contriſtare: ideò illum vulneribus confoſſum audiuit, & hunc, quo cum nimis indulgenter ſe habuit, in arbore ſuſpenſum, & à Ioab diriſſimis lanceis tranſuerberatum.

Greg. Dial. lib. 4. c. 18. Huius etiam Diuinæ vltionis aliud mirum & horrificum exemplum refert ſanctus Gregorius, de puero quinquenni, quem cùm nec blaſphemantem pater corriperet, iuſto Dei iudicio ab ipſius blandi patris ſinu à dęmonibus viſibiliter auulſus, vinċs ad inferos deductus eſt. Ex quo apparet, patres, qui filios viam virtutis non docent, quòd illos correctione contriſtare timeant, ijs ſimiles eſſe, qui periclitantes in flumine filios, potiùs interire patiuntur, quàm apprahenſis eorum crinibus, cum leuiſſimo dolore à flumine ſaluos educere; quæ quidem crudelitate pietatis obtentu ſe occultante nullam eſſe poſſe maiorem, ſapiens nemo inficiabitur.

Prou. 13. 24. Rectè itaque Salomon: *Qui parcit virgæ odit filium ſuum, qui autem diligit illum, inſtanter erudit*: nam cùm virtus omnis circa difficilia ſit, pueri, qui à parentibus in delicijs enutriti nūquam aliquid difficilè in pueritia experti ſunt, non ſolùm, viri facti, virtutem attingere negligunt, verùm etiam illam fugiunt, ab eaq; abhorrent.

Corripiendi filii dum adhuc pueruli. Corripiendi igitur ſunt filij, cùm paruuli ſunt, quòd facilè vulnus recēs curetur, vetuſtū contra difficilè; & in timore Domini inſtruēdi. Sic Iob ſurgens manè offerebat holocauſta pro ſingulis, dicebatq; *ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis*. Sic ſancta illa mater Ludouici Regis repetere filio identidem ſolebat: Vtinam ô fili, te potius mortuum, quàm in peccatum aliquod lethale prolapſum videam. Hæc pietas; hic verus amor parentum; hæ veræ ipſorum diuitiæ. Sic Tobias *filium ſuum ab infantia Deum timere, & ab omni abſtinere peccato docuit*. Aliam huius thematis enarrationem habes infra. Vide etiam de educatione filiorum plura apud Ioannem Chryſoſtomum. Quæſo te lector, ſi delicioſis pabulis ſaginari cupis, illum adire ne pigeat.

Iob. 1.
Surius in vita S. Ludouici. tom. 4.
Infra in c. 14. verſ. 4. Chryſoſt. lib. 3. adu. vitup. vit. monaſt. tom. 5. Ad Gent. aliq. in fid. Pat. Et lib. 3 circa medium vbi etiam fructū bonæ educationis filiorū deſcribit.

VERS. XI.

Igitur, cùm per captiuitatē deueniſſet cū vxore ſua, & filio in ciuitatem Niniuen cū omni tribu ſua,

VERS. XII.

(Cum omnes ederent ex cibis gentilium) iſte cuſtodiuit animam ſuam, & nunquam contaminatus eſt in eſcis eorum.

1 *Niniue quæ ciuitas.*
2 *Captiuitas duriſſima eſt ſeruitus, ipſaq; morte deterior.*
3 *Omnes, ideſt multi.*
4 *Cur Iudæis nonnulli ciborum vetiti.*
5 *Cibi Gentilium immolari ſoliti.*

1 IN ciuitatem Niniuen. Fuit Niniue, quam Strabo Ninum vocat, & Diodorus Syculus Ninam, ciuitas magna, Metropolis Aſſyriorum, ab Aſſur filio Sen iuxta ripas Tigris fluuij in campis Atruſiæ exædificata, quam deinde, multis poſt annis, cum Rex Ninus, vel paruam amplificaſſet, vel dirutā refeciſſet, abolita memoria Aſſur, illam de ſuo nomine appellauit; adeoq; illuſtrem fecit, vt nec antè, nec poſt habuerit parē: vndè meritò apud Ionam appellata eſt ciuitas magna, & itinere trium dierū. Erat huius ciuitatis ambitus quadringētorum octoginta ſtadiorum, ideſt, ſexaginta millia paſſuum, altitudo murorum pedum centum, eorumq; tam ingens latitudo, vt tres currus ſuper illos pares incedere poſſent.

VERS. XI. Strabo lib. 16. Diod. Syculus lib. 3. c. 4.
Niniues magnificentia.
Iona. 3. 3.

2 Ad hanc Tobias cum multis de ſingulis familijs ſuæ tribus captiuus adductus fuit, & cum mortuis deputatus; hoc enim nomine Baruch captiuitatem appellat, dicens: *Quid eſt Iſraël, quòd in terra inimicorum es? coinquinatus es cum mortuis*: Et quidem meritò: tantam enim calamitatem eſſe captiuitatem multi ſunt arbitrati, vt mortem illa tolerabiliorem iudicauerint: ex quo, vt externa exempla taceam, Catonis, videlicet, Vticenſis, C. Bruti, Marci Antonij, Annibalis Carthaginēſis, & aliorum quàmplurimorum, qui proprijs potiùs manibus mori voluerunt, quàm illius ſeruitutem tolerare, de Saul ſacræ ferunt literæ, quòd, cùm fractus bello in montibus Gelboë cecidiſſet, ne in hoſtium manus deueniret, proprias in ſe ipſum connertit, diſtrictoq; gladio ſibi mortem conſciuit; & viſione illa qua Ezechiel ſe vidiſſe refert campum plenum oſſibus mortuorum, & cadaueribus ad vocem prophetæ reſurgentibus, filiorum Iſraël captiuitatem fuiſſe figuratam, Hieronymus, & Lyranus interpretantur. In hac igitur captiuitatis morte Tobias noſter poſitus eſt; *Sed, vt* Ambroſius ait, *non niſi ad virtutes augendas, quibus præditus fuerat.*

Baruch. 3. 10.
Captiuitas morte ipſa peior.
1. Reg. 31. 4.
Ezech. 37. 1.
Hieronymus, & Lyranus in Ezech. Ambroſius lib. 1. de Tobia

3 *CVM omnes*, ideſt multi, vt etiā ſupra & apud B. Ioannem, vbi de ſe dixit Chriſtus: *Ego ſemper docui in Synagoga*; cum tamen ex Euangelio diſcamus, in mōte, vicis, & plateis docuiſſe. In ſynagoga verò docuiſſe dicitur, quia ibi plerunque populum docebat. Sic ergo cùm maior Iudæorum pars, cibo-

VER. XII. Omnes ideſt multi. ſup c. 1. verſ. 4. & 5. Io. 18. 20.

rum

rum delectum haberet nullum, ſed indifferenter ederet.

Caro ſuilla & multorũ animalium Iudæis cur eſſet vetita. *Leuit.* 11. *Deut.* 14.

4 *Ex Gentilium cibis* Iudæis vetitis, quales erant ſuilla, & multarũ auium, & pecudũ carnes, quæ in Leuitico, & Deuteronomio notantur: nam cùm infirmos, & pueros, non gulæ, ſed rationis modum, & regulam in cibis tenere oporteat, quippè qui noxia maximè appetere ſoleant; eſſentq. elementa legalia, & ſtatus legis Moyſis puerorum, quod expreſſit B. Paulus, dum ait: *Cum eſſem paruulus loquebar, vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, &c.* Meritò cibus illis præſcribebatur; magisq. vnus, quàm alius dabatur; quod in Eccleſia non fit: quia, vt idem ait, *cùm autem factus ſum vir, euacuaui ea, quæ erant paruuli.*

Status legis Moyſis puerorum. *1. Cor.* 13. 11.

5 *Cuſtodiuit animam ſuam* à tranſgreſſione nimirum legis: *& nunquam contaminatus eſt in eſcis eorum* illicita comedendo: ſciebat enim primos parentes à gratia ob id excidiſſe, quòd ab eſu fructus prohibiti noluerint abſtinere: vnde maxima cum diligẽtia, non modò legem de cibis vetitis cuſtodiebat, quam, vt ait Ambroſius, ad Iudæorum contundendam duritiam, & coërcendam pertinaciam Dominus promulgauerat; ſed etiam, vt hic in litera dicitur, *nunquam contaminatus eſt in eſcis eorum*. Solebant enim gentes eſculenta, & pocnlenta pleraq. quibuſdam Deorum imprecationibus, etiã in ipſo macello, vt innuit B. Paulus, varijs ſuperſtitionibus cõtaminare; ideò nõ à ſuillis tantùm carnibus, alijsq. Iudæis vetitis; ſed etiam, quod Theodoretus affirmat, ab alijs quoquo modo ſuſpectis diligenter ſibi Tobias cauebat.

Ambroſius.

1. Cor. 10. 25.

Theodoretus lib. 3. hiſt. c. 14

Quòd vnuſquiſque maximè ſibi cauere debeat à duriſſima ſeruitute peccati.

DOCVMENTVM.

A

ATQVE adeo, iuxta legis obſeruantiam, cuſtodiebat Tobias animam ſuam ne contaminaretur in eſcis Gẽtilium, vt dicere cum Pſalte poſſet: *Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua: & dilexit ea vehementer.* Ita per dilectionem mandatorum Dei, mandata ipſius Dei obſeruando; & per ipſorum obſeruantiam animam ſuam cuſtodiendo, vt corpore in captiuitate conſtituto, animam à ſeruitute peccati liberam conſeruaret: ſic noluit de cibis regijs comedere Daniel in captiuitate, & Eleazarus, & Machabæi fratres acerbiſſimam potius mortẽ perpeti voluerunt, quàm animam cibis vetitis contaminare, eiuſdem animæ magis expaueſcentes captiuitatem, quàm corporis. Et quidem meritò: nam ſi corporalis captiuitas adeò deploranda eſt, vt ipſam cum morte, ac putridis ſepulchris comparãdam eſſe diximus; quid de ſpirituali dicẽdum? Quid de animæ ſeruitute, quam per peccatum incurrimus? *Captiui ſunt*, ait Hugo Cardinalis, *qui voluntatem ſuam imperio diaboli ſubiecerunt, à quo captiui tenentur*, & hæc eſt vera captiuitas, de qua Sapiens: *Iniquitates*, inquit, *ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*. Sic ligatur, vt docet Auguſtinus, non ferro, ſed ſua ipſius ferrea voluntate. Quin, vt Gregorius ait, *Quot vitiis praua frequentationis peccator aſtringitur, quaſi tot vinculis ligatur. Et ſic multiplicatur captiuitas, ac ſeruitus peccati, duriorq. fit, ac miſerabilior multiplicatis vitijs*. Et quidem peccata funes eſſe, quibus alligamur, oſtendit Dominus, dum apud Ioannem quoſdam peccatores à templo eijciens, non ſine magna ſui auctoritate, & ſtupore videntium, fecit flagellum, quaſi de funiculis, vt ſignificaret ex vinculis peccatorum ſe flagellum ad nos puniendos conficere, peccatum in pœnam peccati, vt alibi diximus, non rarò permittens. Sic quando in Deum peccamus, noſtris ipſis peccatis flagellamur, quibus etiam adeò cõſtricti tenemur, vt ab eis liberari, non niſi per Diuinam gratiam poſſimus. *O miſerabilis ſeruitus*, ait Auguſtinus, *plerumque homines cùm Dominos malos patiuntur, venales ſe petunt, non ſperantes dominum non habere, ſed ſaltem mutare: ſeruus peccati quid faciat? quem interpellet? apud quem ſe venalẽ petat? Deinde ſeruus hominis aliquando domini ſui duris imperijs fatigatus fugiẽdo requieſcit; ſeruus peccati quò fugit? ſecum ſe trahit quocunq. fugerit: non fugit ſe ipſam mala conſcientia, non eſt quò eat, ſequitur ſe, immo non recedit à ſe: peccatum enim, quod fecit, intus eſt*. De hac captiuitate loquens. B. Ioannes. *Qui facit peccatum*, ait, *ſeruus eſt peccati*: nam licèt peccati ictus ſtatim tranſeat; remanet tamen peccator ſeruus peccati, quia illi obediuit, ab eoq. fuit ſuperatus: nam: *Serui eſtis*, ait B. Paulus, *eius, cui obediſtis*. & B. Petrus: *A quo*, inquit, *quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.* vbi videtur ad ius gentium alludere, quo bello captos ſeruituti licebat addicere; ita cùm verſetur homo inter carnem, & ſpiritum, ſeruus ſpiritus efficitur, ſi vincat in eo ſpiritus; carnis verò, & peccati, ſi caro vincat, & peccatum. Sed quàm dura, & aſpera peccati hæc ſeruitus ſit, non obſcurè Dominus in Deuteronomio ſignificauit, dum peccatorem alloquens hæc habet: *Eo quòd non ſeruieris Domino Deo tuo, ſeruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, & ſiti, & nuditate, & omni penuria.* O peccati ſæuitiam à nullo vnquam vel cru-

Pſal. 118. 167.

Dan. 1.
2. Mach. 6. & 7.

B
Sup. in expoſit. litera.

Peccatores ſeruitute premuntur duriſſima.

Hugo ſuper illud Iſa. c. 61. vt prædicaret captiuis.

Prou. 5. 22.

Aug. lib. 8. Confeſſ. c. 5.

Greg. 4. Moral. c. 21.

Luca 19. 45.
Io. 2. 15.

Peccata funes ſunt, quibus anima ligatur.

C

Infra in tractatu de ſeruitia, & hoſtilitate peccati Docum. 6. & Docum. 16.

Auguſt. tract. 41. in Ioan.

Peccatoris ſeruitus duriſſima.

D

Io. 8. 34.

Ad Rom. 6. 16.
2. Pet. 2. 19.

Deut. 28. 47. & 48.
E

deliſſimn

deliſſimo tyranno exæquatam! nam licèt aliquando tyranni duriſſimam ab ipſorum mancipijs ſeruitutem exigant; nunquam tamen in fame, ſiti, ac nuditate eos ſeruire patiuntur. Hanc peccatoris miſeram ſeruitutem expreſſam voluit Bethſabee, vbi, Adoniam in regem acclamatum in Gihon cùm accepiſſet, regem maritum adiens, ſuppliciter ab illo petijt, vt Salomonem regni ſucceſſorem crearet, illud ſubdens, quòd ſi viuens regem poſt ſe illum non conſtitueret, futurum eſſet, vt ipſa cum illo tanquam in miſera eſſent ſeruitnte relinquendi. ſic illa:

F

3. Reg. 1. 21.

Erimus ego, & filius meus Salomon peccatores, hoc eſt ſerui ſnmmè miſeri, quod voce peccatoris expreſſit, vt ea miſeram mancipiorum conditionē longè ſignificantiùs exprimeret: eſt enim Græcis conſuetus loquēdi modus *κατάχρησιν*; quo vtimur cùm exceſſiuum aliquod opus, qnalitatemq. explicare contendimus, non proprio, & vſitato rei nomine, ſed alio diſtincto alterius rei, quæ in ea, quam exaggerare intendimus, qualitate ſit ſumma: quo pacto hominē ſæuum appellamus Neronem; mulierem, ſerpentem; pulchrum, Seraphinum; fœdum, Diabolum; extremè enormem, coruum: ſic, inquam, cum vellet Bethſabee cōiugi ſuo ſeruitutem repræſentare ſummè miſeram, in quam futurum erat, vt ipſa cum filio Salomone incurreret, ſi poſt ipſius mortem alius à Salomone imperaret, *erimus*, ait, *peccatores*. Et, ſi adhuc vmbram huius miſeræ ſeruitutis intueri deſideramus, quid fortiſſimo Sampſonī cōtigerit, conſiderare poterimus, qui cùm Dalidæ, qnæ figura peccati fuit, ſe totum dediſſet, vix illi ſui pectoris arcanum reuelauerat, quando ab illa, quaſi mancipiū, capillis abraſus eſt, (nam vt narrat Pierius, & etiam hodie vſitatū videmus, capilli ſeruis emptitijs abradi ſolent) & Philiſthæis traditus, qui illum orbatum luminibus, catenis onuſtum, clauſumq. in carcere molendo aſſiduè tritico addixerunt; ita cùm primùm ſe peccator peccato dedit, ab illo Philiſtæis dæmonibus traditur, qui lumine gratiæ orbatum, aliorum peccatorum catenſs alligant, & clauſum in carcere ignorantiæ (nam, vt dicit Sophonias: *ambulabunt, vt cæci, quia Domino peccauerunt.*) illū de peccato in peccatum, quaſi in orbem dncunt: Vnde Pſaltes: *In circuitu impÿ ambulant*, ipſiq. illudentes: *Solue*, dicunt, *vincula colli tui captiua filia Sion*, anima ſcilicet, quæ te ad Dei imaginem effectam gloriabaris, ſolue nnnc, ſi potes, in noſtra poſita ſeruitute, vincula colli tui. pedes etiam bonarum affectionum ita illi præcidunt, vt nonniſi per miraculū deinceps reſurgere poſſit. Faciunt enim dęmones, quod de Annibale refert Valerins, *Annibal*, inquiens, *omnium captiuorum pedeſtrium Romanorum primam partem pedum crudeliter abſcidit*, ne ſcilicet

Gracis. κατάχρησιν

G

Peccatoris miſeranda ſeruitus in Sampſone expreſſa.

Pier. lib. 22. tit. de coma.

H

Soph. 1. 17.

Pſ. 11. 9.

Iſa. 52. 2.

Anima poſt peccatū non poteſt niſi per miraculum reſurgere.

Val. lib. 9. c. 2.

I

euadere poſſent. Meritò itaque hanc peccati ſæuitiam conſiderans Cæſarius Arelatenſis, peccatorem hortatut, vt quamprimùm à tam dura ſeruitute ſecedat, *ne*, ait, *conſuetudine peccati, in ipſis ſe ruinis ſepeliat*: ſed plura de ſænitia peccati habes in fine explanationum.

Cæſarius Arelat. hom. 7. to. 7. Biblioth. Vet. Patr. In tractatu de ſæuitia peccati.

VERS. XIII.

Quoniam memor fuit Domini in toto corde ſuo, dedit illi Deus gratiā in conſpectu Salmanaſar regis.

VERS. XIV.

Et dedit illi poteſtatem quòcunque vellet ire, habens libertatem quæcunque facere voluiſſet.

1 *Quinam legis Dei obliuiſcantur.*
2 *Libertas animi quæ.*

1 *QVONIAM memor fuit Domini*. Arabs: *recordatus eſt Domini*, præceptorum nimirum Dei: Quod ſciret, vt Auguſtinus docet, obliuionem præcepti ad maximam culpam damnabilis negligentiæ pertinere, qualis fuit filiorum Iſraël in deſerto, de quibus Pſaltes: *Non fuerunt memores*, inquit, *multitudinis miſericordiæ tuæ*, &: *Cito fecerunt, obliti ſunt operum eius*. deinde: obliti ſunt *Deum, qui ſaluauit eos*. Contra verò Tobias memor erat mandatorum Domini, & quidem, vt Dauid loquitur, *ad faciendum ea*.

VERS. XIII.

Arabs.

Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 30.

Pſ. 105. 7. 13. 21.

Pſ. 102. 19

In toto corde ſuo. Vtpotè præceptorum Dei iuſtus æſtimator: nam, vt S. Thomas ait: *obliuio paruipenſionis eſt euidens ſignum, cùm ea magis infigamus memoriæ, quæ magis æſtimamus*. Quare nō poterat ſanctus iuuenis pręceptotum Dei nō recordari, qui ex toto corde, hoc eſt, vero, ſincero, ſolidoq. amore ea diligebat, & ſuper omnia ęſtimabat: nam qui legem Dei ſeruant, & non ex corde, quales illi fuerunt, de quibus in pſalmis: *Dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei*, hypocritę ſunt, nec mandatorum Dei iuſti ęſtimatores. Sic iuſtus diuinorum mandatotum ęſtimator Tobias; cùm memor fuerit Domini in toto corde ſuo, ita vt cum Dauid dicere poſſet: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper*, Dominus

S. Tho. 12. q. 47. ar 2. ad 3. Obliuio paruipenſionis ſignum eſt.

Pſ. 77. 36.

Pſ. 15. 8.

Dedit illi gratiā, vt regi ſcilicet Salmanaſar placeret, gratusq. eſſet, quam etiā gratiā legimus datā fuiſſe Ioſepho in conſpectu Pharaonis, Mardochęo in conſpectu Aſſueri, Danieli in cōſpectu Nabnchodonoſor: vnde benè à Sapiente dicitur: *Qui diligit cordis munditiā, amicū habebit regē*. addit Gręcus:

Gen. 41. *Eſther. 6.* *Dan. 4.* *Prou. 22. 11.* *Græcus.*

Deditq. Dominus Tobiæ gratiam, & pulchritudinem: & quidem non ſolùm in Regis terreni conſpectu, ſed, quod inæſtimabile eſt, *in conſpectu*, ait, *ſummi Regis Dei*: vnde etiam propter ipſius ſummam patientiam, & mira facta, in dies gratia ſua pulchriorem illum reddebat: ſicut enim *ille memor erat Domini in toto corde ſuo*; ita Dominus, qui *protector eſt omnium ſperantium in ſe*, illius memor erat.

Pſ.17.31.

In conſpectu Salmanaſar Regis, De quo ſupra.

Sup. verſ. 2. n. 2.

VERS. XIV.

2 *ET dedit illi poteſtatem* non modò eundi quòcunque vellet, ſed etiam libertatem faciendi, quæcunque placerent, conſtitutus ab eo, vt Græcè habetur, ἀγοραστὴς, hoc eſt omnium, quæ ad Regem ſpectabant, emptor, & procurator, &, vt Hebraicè dicitur, *ſuper omnia, quæ habuit Salmanaſar*: qualem fuiſſe conſtitutum à Pharaone Ioſephum in Geneſi legimus, & hoc quidem, quando illi in captiuitate poſito, nulla iam ſpes elabendi ſupererat.

Hebræus.

Gen.41.

Habens libertatem. A Salmanaſar, non animi, quem nunquam captiuum habuit, ſed corporis: quia, vt Auguſtinus ait, *Bonus, etiam ſi ſeruiat, liber eſt*. Sic Diogenes, teſte Laërtio, à latronibus aliquando captus, & ſeruo deterior effectus, rogatus, quam artem calleret, reſpondit: Scio hominibus præeſſe, ſe videlicet probum, liberumq. eſſe innuens, non obſtante captiuitate, & ſeruitute extrema. Hinc & ipſe Cicero, niſi ſapientem, liberum eſſe neminem, docet: nam: *Quid eſt libertas*, ait, *niſi poteſtas viuẽdi, vt velis? Quis igitur viuit, vt vult, niſi qui recta ſequitur?* & infra: *ſoli hoc contingit Sapienti, vt nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus*. Et paulò inferius, poſtquam multis hæc comprobarit: *Igitur*, ait, *omnes improbi ſerui*. Et Plutarchus: *Qui parent*, ait, *ſoli digni ſunt qui liberi habeantur: ſoli enim hi viuunt, vt volunt, qui quid velle debeant, didicerunt*: vnde & poëta ille cecinit:

Bonus vir etiam in captiuitate liber eſt.
Aug. lib.4. de Ciuit. Dei c. 3. tom.5.

Vera libertas quæ ſit.
Cicero Paradox.5.

Plut. tom.1. moral. libell. de audit. ration.

Horat. ſerm. lib.2. ſat.7.

Quiſnam igitur liber? ſapiens, ſibiq. imperioſus,
Quem neque paupertas, nec mors, nec vincula terrent.

Quanta homini bona proueniant ex Diuinæ præſentiæ conſideratione.

DOCVMENTVM I.

A

SANE, vt in litera patet, Diuinæ præſentiæ conſideratio hominem non ſolùm hominibus, Diuina ſic diſponẽte gratia, reddit acceptũ; ſed etiam, quod magis refert, ipſi Deo: vnde beatũ illum dicere poſſumus, qui cum Tobia toto corde ſuo memor eſt Domini: etenim ſicuti, vel teſte Dauid, eorum, qui ante conſpectum ſuum Deum ſemper non habent, inquinatæ ſunt viæ; vnde ait: *Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore*; ita viæ illorum ſunt mundæ, qui memores Domini ſunt in toto corde ſuo, & in omni tẽpore. Nam, cùm nihil ſit, quod magis coinquinet animã, quàm terrenarum rerũ affectio; ita nihil eſt, quod magis illã purificet, quàm Diuinæ puritatis cõſideratio, quæ, cũ affectum cogitantis attrahat, paulatim terrena relinquere, & amplexari cæleſtia facit, quod teſtatur Bernardus docens, præſentiam ſponſi animarum ad cæleſtia ſolia tollere, & omnia praua, indirecta, & aſpera in vias planas reddere, & abſceſſum perinde eſſe, ac ſi ollæ bulliẽti ignis ſubtrahatur, in qua illico lãguore quodam torpere videntur omnia, & iam iam frigida iacere. *Sic enim*, ait, *multis accidiſſe videmus, qui dum nullo pacto Deum præſentem ſuis malè factis putabant, in dies grauiora perpetrabant peccata*: quando verò Deum præſentem contemplati ſunt, animum ad cæleſtia eleuantes, eo maiori affectu cæleſtia dilexiſſe, quò terrena dilexerant. Talis impudens illa meretrix Edeſſena fuit, quæ, cùm aliquando ſanctiſſimum Ephrem per feneſtram ipſius impudenter conſpicata, ad peccatum inuitaſſet, audiens ab illo: ſi vis nos ambos ſimul dormire in medio ciuitatis, poſtulata concedo: negauit illa, quòd diceret, ſine rubore ſe tam publicè peccare non poſſe: Cui Ephrem: *Oculos hominum ſatis eſſe indicas ad tuum pudore afficiendum animum, & à mala actione abducendũ; & Dei oculos, qui omnia intuentur, tam quæ clam, quàm quæ apertè fiunt, non multò magis reuerebimur, & extimeſcemus?* Suffecerunt hæc, vt mala illa mulier malum relinqueret, totoq. affectu bonum cum monialibus incluſa deinceps requireret. Sic famoſa illa meretrix Taida, cùm ſolidum quaſi pro mercede peccati, à ſancto Paphnutio aliquando accepiſſet, illumq. lectum pretioſis veſtibus ſtratum conſcendere iuſſiſſet, & ille ad tantum facinus perpetrandum remotiorem locum requireret: *Sic Deum*, ait illa, *metuis? non eſt locus, qui Diuinis eius oculis abſcondatur*. Tunc vir ſanctus: *Et ſcis*, ait, *eſſe Deum, & Diuinam illius præſentiam non times, iudiciumque?* Quibus auditis, adeò illa de peccatis dolere cœpit, vt omnibus, quæ ex peccato lucrata fuerat, collectis, in media ipſa ciuitate accenſo igne combuſſerit: venite, clamans, omnes, qui mecum peccaſtis, & quomodo ea, quæ mihi contuliſtis, exuram, videte: & ad eremum ſe conferens, Diuinæ præſentiæ conſideratione, quæ terrena ſunt, relinquens, adinuenit cæleſtia: nam memor deinceps Domini, adeò ſtabilis in bono fuit, vt ad mortem vſque ibidem pœnitens manſerit.

Pſ.10.6.

Dei præſentia quanta bona pariat.

B

Bernar. ſerm. 48. in Cantic. circa med.

Dei præſentia mentem ad cæleſtia eleuat.

C

Sur. tom.1. in vit. S. Ephræ.

Meretrix à S. Ephrem Dei præſentia propoſita conuertitur.

D

Vit. SS. PP. lib.1. tom.1. Alſab.17.

E

Et verè

Et verè, quis vnquam malum agere auſus fuerit, ſi ſe coram ſnmma Dei maieſtate adſtare conſiderauerit? Caſtiſſima Suſanna, cùm ab iniuſtiſſimis illis iudicibus ad peccatum ſub interminatione mortis, & infamiæ ſolicitaretur, diuinā conſiderando præſentiam, exclamauit: *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* O ſententiam! Suſanna, nullus hominum te videbit, ſalua vitam, ſalua honorem tunm, pecca, cum per-

F

uerſis hominibus coniungere: falleris, ait illa, nam mortalium licèt peccando iudicium deuitarem; diuinum tamen, multo magis mihi formidandum, haud effugerem. O poteutiſſimam conſiderationem! ò ſalntarem memoriam! ò præſentiſſimum peccati cuiuſcunque remedium!

Diuinæ præſentię cum anchora cōparatio.

Sanè quo pacto uauis in medio mari poſita, ſæuiſſimiſq. agitata procellis, facilè mergitur, niſi nauta eius incolumirati anchoræ præſidio proſpiciat; ſic anima varijs hinc iude curarum fluctibus agitata, facilè ad peccata delabitur, niſi anchoram diuinæ præſentiæ in mente ſua fixam retineat, qua firmiter poſita, fruſtra impellnnt vndæ, fruſtra flant venti; multoq́. tutior alia quacunque naui conſiſtit. Quare ſanctam Cathariuam Senenſem, in domeſticis negotijs à parentibus diu, noctuq́. occupatam, cellu-

G

Raymund. in eius vita.

lam in corde ſibi feciſſe Raymundus refert; iu qua adeò permanenter Deum collocauit, vt nunquam in tātis negotijs vel minimum adduci à Dei ſui cogitatione poſſet. Vnde plures etiam alios ad hanc cellam ædificandam deinceps cum literis, cum verbis, hortata eſt. Et quidem, ſi miles ad conſpectum

Ducis præſentia, & oculus militis animum exacuit.

ſui Ducis, ad quem prædæ nouit ſpectare diuiſionem, & honoris gloriam, gaudet, viribus creſcit, nnllum formidat, aut vitat periculum; ſed fortiter, & audacter dimicat; quid eſt qnod timeat homo, ſi cæleſtem ducem, cæleſtia præmia victori præparantem ſpectet? Indas Machabæus, & qui cum eo erant, vt libri ferunt Machabæorum, pro-

2. *Mach.* 15. *&* 26.

ſtrauerunt vſque ad trigintaquinque millia hoſtium, præſentia Dei magnificè delectati: & non proſtrabit homo peccatum, non ſu-

H

Infra cap. 4. verſ. 6.

perabit hoſtes, ſi Deum pręſentem habeat? Sed plura de hac re dicemns infra.

Quòd ſeruos ſuos Deus deprimere ſoleat, vt eos magis extollat, & de iuſtorum maxima libertate, dominio, ac regno.

DOCVMENTVM II.

A

TANTAM Tobię dari libertatem, poteſtatemq́. Deus voluit, quando iam uulla ſpes libertatis, vel poteſtatis illi ſupererat, vt diſcamus, tunc Deum ſubleuare ſuos, quando iam nulla ſpes elabendi reliqua illis eſſe videtur; & quidem, vt gratior eius ſit miſericordia, euidentiuſq́. appareat, diuinam adfuiſſe potentiam, vbi humana prorſus deſperabatur induſtria, cognoſcantq́. homines, tūc magis ſe gloriam ſuorum quærere, quando magis illos inglorios apud homines reddit. Sic Mardochæum tunc exaltatum voluit, &

Eſth. 6. 10.

Tunc Dei propior eſt miſericordia, quando abeſſe magis putatur.

ſecundum ab ipſo Perſarum Rege per ciuitatem acclamatum, quando iam ſalus ipſius deſperata erat. Suſannam è manu ſceleſtiſſimorum iudicum liberatam, quando iam lapidibus quaſi adultera erat obruenda. Et quod mirum eſt, ſe ipſum noluit Chriſtus exaltatum, niſi poſt Crucis homiliationem.

Daniel. 13. 63.

B

Quare B. Paulus ad Philippenſes ſcribens, ait: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltauit illū, &c.*

Ad Phil. 2. 8. 9.

Et dedit illi poteſtatem, quam poteſtatem? eundi quòcunqne vult, & faciendi quæcunque libent: etiam iuſtus habet, quòd *iuſto*, vt B. Paulus ait, *nulla lex ſit poſita*, cùm ipſe ſibi lex ſit, nec habeat ueceſſitatem longiùs formā ſibi accerſere virtutis; quam in corde ſcriptam gerit, vnde illi ſcriptum dictūq́. eſt: *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui:* Liber igitur iuſtus eſt, qnia quæ vult, facit: odit malum, & illud fugit, diligit bonum, & illud quærit: ergo, ſi quod bonum eſt, eligit, eſtq́. arbiter electionis, &

1. Tim. 1. 9

Prou. 5. 15.

Iuſtus ſeruus eſſe non poteſt.

C

eligens operationis, liber eſt, quia quod vnlt, facit: & iuſtus omnia ſecundum iuſtitiam facit, alioqui iuſtus non eſt: vnde nec habet, quod metuat: uam metus in peccato eſt: vbi autem nulla formido eſt, ibi libertas, & vbi libertas eſt, ibi eſt & poteſtas faciendi, quæ libent. Præterea, qui neque cogi poſſunt, neque prohiberi, ij nequaquam ſerui ſunt: ſed iuſti ueque cogi poſſnut, neque prohiberi, cùm ea faciāt omnia, quę deſiderant, videlicet iuſta: ergo non ſerui, ſed liberi ſunt. Vnde etiam meritò B. Paulus: *Vbi*, inquit, *Spiritus Domini, ibi libertas:* quiuimmò cùm ſint iuſti, Domini mundi, Dæmonis, & carnis; & Reges in ſacris literis dicuntur. Sic apud Iob illos appellat Eliu, dicens: *Reges in ſolio collocat in perpetuum, & illi eriguntur.* Quem locum de iuſtis intelligendum eſſe, uemo ibit iuficias; quòd terrenis Regibus nequaquam competat regnum perpetuum. Sic etiam in libris Regum dicitur: Saul *duobus tantùm annis* regnaſſe, quòd, ſicut exponit Gregorius, licèt multò pluribus regnauerit, illis ſolùm reguaſſe dicatur, in quibus innocens, & humilis fuiſſe perhibetur: nam etſi poſtea coronam, & ſceptrum habuerit; haud tamen Rex appellari, quòd peccator eſſet, meruit. Vnde illi Samuel: *Quia*, inquit, *proiecisti ſermonem Domini, proÿciet te Dominus, ne ſis Rex.* nam peccator, quicunque ille ſit,

2. *Cor.* 3. 17

Iuſti, Reges ſunt.

Iob 36. 7.

D

1. *Reg.* 13. 1

Greg. in primum Regum c. 1. in princ.

Nemo Rex, ſi malus.

nonrex, ſed ſeruus debet appellari peccati. Quare,vt iuſtum tantũmodo propriè regnare propheta regius doceat, de illo ait: *Tecum principium in die virtutis tuæ:* quo in loco, illud principium, cùm idem ſonet ac *principatus*, & verbum Hebræum, vt Eugubinus obſeruat, idem ſignificet,quod *princeps* & *Dux*; & vocem *tecum* verterit Hieronymus, *populi tui*: ſequitur idem ſibi voluiſſe Dauid, quando dixit: *tecum principium*,ac ſi dixiſſet: *populi tui princeps*.Quare Ambroſius: *Quicunque*,ait,*proprium corpus ſubegerit, nec eius paſſionibus turbari animam ſuam permiſerit, is benè regia poteſtate ſe cohibens,rex dicitur*. Debet enim, ſicut docet Auguſtinus, non rex, ſed latro dici rex terrenus, qui non ſeruat iuſtitiam: nam *remota*, inquit, *iuſtitia, quid ſunt regna,niſi magna latrocinia? Et ipſa latrocinia, quid ſunt niſi iniuſta regna?* Sic eleganter, & veraciter quidam comprehenſus pyrata, illi Magno Alexandro interroganti, cur mare haberet infeſtum; libera contumacia reſpondit, cur tu orbem terrarum? Sed quia ego exiguo nauigio facio, latro vocor: quia tu, magna claſſe, Imperator. Quare ſi reges, ideò reges, quia iuſti ſnnt, nec reges appellari iniuſti merentur; ſequitur, quod iuſtus ſit rex. Et verè qnid rex habet,quod iuſtus nõ habeat? *Rex*, ait Hieronymus, *multos habet exercitus; at nos longè plures habemus cogitationes. Quæ res alia facit regem? veſtes: at iuſtus melioribus indutus eſt, potioremq. geſtat ſtolam, quam neque tinea exedit, neque tempus conſumit. Deinde variam geſtat coronam, tum eam, quæ eſt gloriæ, tum eam, quæ eſt miſerationum Dei: ait enim: Benedic anima mea Domino, qui te coronat in miſericordia, & miſerationibus: rex dominatur, ſatellitibus omnibus imperat, & obediunt omnes, eiq. inſeruiunt; iuſto ſubduntur cogitationes. Patriarcha Abraham cùm iuberetur interficere filium, cogita quàm multa cogitationes tunc inſurrexerunt in illum, & tamen ſubegit omnes, omnes illum metuebant magis, quàm regem metuunt ſatellites, omnes ſolum oculorum intuitu compeſcuit; nec vlla illarum auſa eſt erumpere, ſed ſubmittebant vultus, ac velut Imperatori, cedebant vniuerſæ, quamuis erant acerrimæ omnes. Attamen, tot cogitationibus in illum armatis, multa erat tranquillitas, ſtabant compoſitæ omnes, ornantes illum veriùs, quàm terrentes; & hoc verum regnum eſt, verum imperium:* nam quid ſcelerato regi proderunt ſerui, & miniſtri innumeri; ſi illius animo dominorum imperet multitudo, nimirum auaritia, ira, libido, & perturbationes reliquæ? Diadema quid prodeſt, ſi facere non poteſt, quo minus ſubditus ſit? Quid corona? nihil aliud certè, niſi quòd eum maiori tormento conficiat. Quemadmodum, ſi apud Barbaros ſeruus retineretur rex aliquis, & illi ad maioris ſeruitutis indicium, neque purpuram, neque Diadema auferrent; ſed cum illis inſignibus, aquas ferre, eſcas coquere, & alia inferre miniſteria iuberent ad maiorem ſui ipſorum honorem, & illius ignominiam: Ita Barbaris omnibus immaniora vitia iſta hominibus imminent: nam Barbari, cùm præualent, concidunt corpus, hæc verò animum cruciant, & omni ex parte dilaniant. Barbarus à ſe victos temporali tradit neci; hæc autem in æternam præcipitant mortem. Solus ergo liber, ſolus rex, qui libertatem, & regnum intrinſecus habet iuſtitiæ.

Pſ. 109. 3. E *Eugub. in Pſ.* *Hieron.* *Ambr ſer. 14. in Pſ. 118. 5.* Paſſionum ſuarum Dominus rex eſt. *Aug. lib. 4. de Ciu. c. 4.* Reges iniuſti latrones ſũt. F *Hier. hom. 3. in 2. epiſt. ad Cor. tom. 4.* G H I

VERS. XV.

Pergebat ergo ad omnes, qui erant in captiuitatem, & monita ſalutis dabat eis.

1 *Feruor, & charitas Tobiæ erga ſuos.*
2 *Cur eiſdem monita ſalutis daret.*

VERS. XV.

1 PERGEBAT *ergo*, Nimirum Tobias in libertate poſitus, non ſolùm ad contribules ſuos; ſed etiam ad reliquos omnes ſuæ gentis.

Qui erant in captiuitate. Addit Arabs: *ſecum*: magis eligens, quod B. Paulus de Moyſe refert, affligi cum populo Dei, vt captiuis prodeſſet, quàm redire, cùm poſſet, ad propria. Et quidem ex eo maximè, quòd, ſicuti regum narrat hiſtoria,Regnum decem Tribuum tunc à Gentibus idololatris, quas illuc tranſtulerat Salmanaſar, occupatum erat. *Arabs. Ad Hebr. 11. 25.* *4. Reg. 17.*

2 *Et monita ſalutis dabat eis*, Quæ ſcilicet eos ad captiuitatem ęquanimiter ferendam animarent, & ad perſeuerandum in diuina lege, & ſicuti Scholaſtica refert hiſtoria, contribules ſuos non cuſtodientes ſe, grauiter arguebat, zelo quidem Diuini amoris incenſus: etenim, vt Chryſoſtomus ait, *nobis non eſt ſatis ad ſalutem, quòd virtuoſè viuamus, ſed oportet aliorum ſalutem re ipſa deſiderare:* & alibi,citans verba B. Pauli Apoſtoli ad Theſſalonicenſes: exhortamini inuicem, ſicut & facitis. *Ne quis*, ait, *diceret, quid mea intereſt aliorum curare ſalutem? qui perit, pereat, & qui ſeruatur, ſeruetur,nihil horum pertinet ad me:mei autem ipſius curam habere,mihi imperatum eſt;ne quis,inquam,iſta diceret,immanem hanc, & prorſus inhumanam iugulans cogitationem, legibus iſtis illam ſepſit, quibus plurima iuberet noſtrorum commodorum negligere, vt proximorum ſaluti conſuleremus.*

Petr. Comeſt. 1. hiſt. Schol. *Chryſoſt. hom. 60. in Matth.* *Idem lib. 3. con. vitup. vitæ monaſt.* Proximi ſalus vnicuiq. procuranda.

Quòd

Quòd veri amici ſit amicorum errata corrigere, & eiſdem monita ſalutis dare.

DOCVMENTVM.

A ADEO neceſſarium eſt amicum errata corrigere, vt
neutiquam ille amicus cenſendus ſit, qui hoc facere
prætermittat, quòd amicus amici bonum in tantùm velle debeat, vt
omne malum, quodcunque illud ſit, ab amico amouere ſemper, cùm poſſit, teneatur:
quod nec ipſi ignorarunt Ethnici: vnde Senecę hæ fuerunt luculentæ ſententiæ in prouerbijs.

Seneca ſententia in prouerbijs.

Amici vitia, ſi feras, facis tua.
Cum his conuerſare, qui te corrigant.
Secreto admone amicos, palam lauda.
Vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit.
Bonis nocet, qui malis parcit.

Sic ſolet agricola ſenticoſam terrã à ſenti-
B bus, & olitor fruticoſam arborem à fruticibus, quòd eas diligant, emendare, vt fructuũ
plus afferant. Quare magnus ille Alexander, à ſua famulum ſeruitute excluſiſſe legitur,
quòd nunquam illum monitorẽ, nec correptorẽ haberet, fieri haud poſſe dicens, vt ille
fidelis eſſet ſeruus, qui domini errata non corrigeret, nec ille bonus, qui illa in eodem
(cùm *nemo ſine crimine viuat*) non animaduerteret. Et quidem ſi peccat ille, qui indi-

In lib. de vit. & mort. Philoſ. de dict. Alex.

genti proximo pecuniam, aut frumentũ abſcondit: nã vt ſapiens ait: *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis*; cur nõ peccabit ille, qui peccanti fratri, & fameſcenti panẽ correptionis abſcondit? *Sapientia abſcondita, & Theſaurus inuiſus*, ait Sapiens, *quæ vtilitas in vtriſque?* Chirurgus non ampu-

Prou. 11. 26.

Amicus amicum corripere errantem debet.

C tans membrum, quãdo neceſſe eſt, peccatum fraternæ mortis committit; cur non cõmittat peccatum ille, qui fraternæ mentis vulnera, cùm poſſit, curare negligit? *Maledictus* ait Ieremias, *qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*, Hoc eſt, qui prohibet verba prædicationis à carnalis vitæ interfectione: quod nunquã ſe prohibuiſſe teſtatur B. Paulus dicens: *Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium, non enim ſubterfugi, quominus annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Audi quid voce Angelica B. Ioannes loquitur: *qui audit, dicat veni*, ideſt, qui intus vocatur à Deo, alios ſuis monitionibus ad Deum trahat: nam, vt ait Sapiens: *Anima, quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipſe quoq; inebriabitur.*

Ier. 48. 10.

Act. 20. 26. 27.

Apoc. 22. 17.

Prou. 11. 25.

D Sic Moyſes illos Dei eſſe docet, qui gladio feriunt correptionis. *Si quis eſt Domini*, dicens, *iungatur mihi, ponat vir gladium ſuper femur ſuum, ite, & redite de porta vſque ad portam, & occidat vnuſquiſque fratrem ſuum*, gladio ſcilicet correptionis. Et quidem, vel ipſo teſte Sapiente, *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudolenta oſcula odientis. Sed corripiat*, inquit Auguſtinus, *vultus triſtior, & ſermo deiectior, intercipiant verba lacryma, vt non ſolùm videat, ſed ſentiat correptionem ex amore procedere*: nam & ipſe Cicero, talem eſſe debere correptorem docet, dum ait: *Monendi ſæpè ſunt amici, & obiurgandi; ſic tamen, vt monitio acerbitate, & contumelia careat.*

Exo. 32. 26

Prou. 27. 6

Aug. lib. de amicit. to. 4.

Modus corripiẽdi amicum.

Cic. de amicitia.

E Sic enim legimus, Dominũ in Exodo præcepiſſe, vt *emunctoria* templi de auro fierent puriſſimo, vt correctionem è charitatis auro procedere debere ſignificaret: nam is lucernam emũgit, qui hominis vitia reprehendit: *Qui increpant*, ait Baſilius, *eiuſmodi animo eſſe debent, quali vteretur pater, & medicus, cùm miſericordia, & lenitate, ſi filium ſuum curaret; & maximè ſi adeſſet dolor, & ſine cruciatu adhiberi curatio non poſſet.*

Exod. 25. 38.

Baſil. de reg. breu. interr. 99.

Corripiens alterum debet eſſe vt pater, & medicus.

Cùm vellet Eliſæus puerum Sunamitidis à morte ſuſcitare, Giezi puero præcepit, vt tolleret in manu baculum ſuũ, illumq́. ſuper pueri mortui faciem poneret; quod cùm ille feciſſet, vt ſacra teſtatur hiſtoria: *non erat vox, neque ſenſus.* Quare in occurſum Eliſæi reuerſus, nuntiauit, dicẽs: *non ſurrexit puer:*

4. Reg. 4. 31.

F ingreſſusq́. Eliſæus domum, in qua puer mortuus iacebat in lectulo, *clauſit hoſtium ſuper ſe, & ſuper puerum, & orauit ad Dominum, & aſcendit, & incubuit ſuper puerum, poſuitq́. os ſuum ſuper os eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro eius, & reuixit.* Quanta charitate amicum in aliquo peccato mortuum admonere debeamus, ad viuum exprimens, ſimulq́. docens, non baculo aſperæ reprehenſionis illum feriendum eſſe, quem reſurgere à peccatis volumus, ſed ſuauiſſimis amplexibus compaſſionis, qua nos ita ſuper illum incuruemus, vt manus ad manum, oculos ſuper oculos, & os ſuper os admoueamus, & vnà cũ illo nos peccatores oſtendamus.

G O illum felicem, qui tanta nouit charitate fratrẽ ſuum ab errore abducere! nã, vt Iacobus ait: *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Sed plura de hac materia vide infra.

Iac. 5. 20.

Infra.

Cæterùm in correptione facienda, non eodem cum omnibus modo agendum ſemper eſt: nam pertinaces illi, qui ſuperbè nimis, agnoſcant licèt ſe peccare, in ſua tamen opinione perſiſtere, nec ab errore concepto, etiam ſi manifeſtè conuincantur, reſipiſcere in animum induxerint, vel omnino relinquendi ſunt, vnde Apoſtolus: *Hæreticum*, inquit, *hominem, poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita, quia ſubuerſus eſt, & proprio iudicio condemnatus.* Et Chriſtus Dominus: *Sinite eos*, ait, *cæci ſunt,*

Correptio quomodo adhibenda.

Ad Tit. 3. 10. 11.

Cũ peruicacibus, & obſtinatis, quã vtendum correptione.

Matth. 15. 14. Ibid. 23. 13. H Ibid. 3. 7. Act. 7. 51.

& duces cæcorum; vel palàm confundendi, & increpandi, vt idem Dominus agens cum Phariſæis nos docuit. *Væ vobis*, dicens, *Scribæ, & Phariſæi hypocritæ*. Et B. Ioannes Baptiſta: *Progenies viperarum*. Et B. Stephanus: *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus: vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*. Et hoc quidem ad eorum minuẽdam auctoritatem, ne alios in errorem inducant. Cum his tamen, qui pertinaces non ſunt, quiq. ignorantia tantummodò quadam, vel fragilitate peccant, modeſtè, & beneuolè agendum eſt, ad eum modum, quem ſupra docuimus; nec tam rationibus, & argumentis obruendi, quàm Deo per orationem commendandi ſunt. Sic orabat pro Saulo B. Stephanus, qui ex præpoſtero zelo Synagogam defendebat, Deiq. perſequebatur Eccleſiam, de quo Auguſtinus: *Si*, inquit, *S. Stephanus non ſic oraſſet Eccleſia Paulum non haberet. Ideò de terra erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus.*

Per ignorantiã, vel fragilitatem peccãtes, vt corripiendi.

Act. 9. 2.

Aug. ſerm. 1. de Sanctis & ſer. 4.

I

Videat tamen, qui admonet, vt ipſe mundus ſit à ſorde: nam vt Gregorius ait: *Munda debet eſſe manus, quæ ſordes tergit*. Etenim ſicuti à Dauide, quòd multum fuderit ſanguinẽ Templum Dominus ædificari vetuit; ita neque Templũ Domini ſpirituale, quod eſt vir fidelis, à viro polluto ædificari debet; quare cùm Phariſæi adulteram ad Chriſtum duxiſſent, ait illis Chriſtus: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*. Quo in loco Gloſſa ait, Chriſtum talibus verbis ſignificare nobis voluiſſe, quòd ante punitionem peccati mundi eſſe debemus à ſorde: nam aliter, vt B. Paulus ait: *In quo iudicas alterum, te ipſum condemnas*.

Gregorius.

1 Paralip. 22. n. 8.

Alium de peccato reprehenſurus a peccato liber eſſe debet.

Ioan. 8. 7. Gloſſ. Ad Rom. 2.

VERS. XVI.

Cùm autem veniſſet in Rages ciuitatem Medorum, & ex his, quibus honoratus fuerat à Rege, habuiſſet decem talenta argenti:

VERS. XVII.

Et cùm in multa turba generis ſui Gabelum egentem videret, qui erat ex Tribu eius, ſub chyrographo dedit illi memoratum pondus argenti.

1 *Medi qui, Rages quæ ciuitas, & cur ſic dicta.*
2 *Talentum quid.*
3 *Chyrographum quid.*

VERS. XVI.

1 C*VM autem veniſſet*, poſt multas ſcilicet peragratas ciuitates, & loca, ad captiuos conſolandos.

1 *In Rages ciuitatem Medorum*, Populorum ſcilicet Mediæ, quæ regio eſt, vt Solinus, Ptolomæus, atque Ioſephus teſtantur, in Aſia; à Septentrione Hircano terminata mari, ab Occaſu maiore Armenia, & Aſſyria, à Meridie, Perſide; ab Oriente ipſa Hircania, quæ etiam tunc tẽporis Aſſyrijs ſubdita erat; vnde, & ad illam, ſicuti in libris Regum dicitur, Iudæi tranſlati ſunt.

Solin. Ptolom. Ioſeph.

4. Reg. 17.

Rages, ſeu, vt multi profani ſcriptores eam vocant Raga, vel Rhagas, nobiliſſima Medorum ciuitas fuit, ſic appellata, vt aſſerunt Diodorus, & Strabo, à rupturis, & labibus ex terræ motibus excitatis, quibus, vt idem Strabo docet, pluſquàm duo millia vrbium, & locorum perierunt, quam vnam, eandemq. exiſtimat Hieronymus cum Ara, ad quam filios Iſraël tranſlatos fuiſſe legimus. Nonnullis Seleucum Nicanorem illam habuiſſe fundatorem, placet, ſed perperam, cùm fuerit ille hiſce temporibus multò poſterior. Ad hanc igitur ciuitatem, quæcunq. illa ſit, cum perueniſſet ſanctus Tobias,

Diod. lib. 24. Strabo 12.

Hier. de locis Hebraicis.

1. Paralip. 1. 15.

Ex his, quibus honoratus fuerat à Rege, videlicet, nummis: etenim non dignitatibus tantùm rex illum honoratum voluerat, ſed etiam diuitijs, cùm ſecum

2 *Habuiſſet decem talenta argenti*. Arabs: *decem pondera auri*, quæ tamen decem talenta argenti, vt habet vulgatus noſter, conficiebant. Eſt enim talentum nomen non nummi, ſed ponderis, ſiue nummorum certo pondere cuſorum, ſiue maſſarum auri, argenti, alteriuſvè metalli. Quòd ſi Epiphanio viro Hebraicarum rerum peritiſſimo, & antiquiſſimo, cui omnino adhęrendum cenſeo, credimus, omnem menſuram, quæ ponderatur excedit, & iuxta libræ pondus eſt librarum centum vigintiquinque; libra autem eſt duodecim vnciarum. Vnciæ autem erãt octo drachmarum: nam ſi aliorum diſputationes de eius pondere examinare vellemus, nihil eſſet, quod in tanta opinionum varietate ſtatuere certi poſſemus. Si libet Villalpandum de hac re grauiter diſputantem adi, in ſuo libro de apparatu Vrbis, & Tẽpli.

Arabs.

Talentum ponderis nomen non nummi.

Epiph. lib. de menſ. & pond.

Talentum pōdus eſt librarum centum viginti quinque. Libra quid. Vncia.

Villalpãd. to. 3. app. Vrb. & Templ. par. 2. lib. 2 c. 33.

VERS. XVII.

ET cùm in multa turba generis ſui quam captiuam in illa ciuitate repererat, *Gabelum egentem videret*, Inſigniorem Tribus ſuæ virum, quem Græcus, & Syrus Gabaëlum vocant fratrem Gabriæ, addit Arabs: *ex progenie Aai*.

Græcus. Syrus: Arabs.

3 *Sub Chyrographo*, Hoc eſt ſub cautione, ſeu ſcheda, propria ipſius manu deſcripta: nam χειρ Græcè idem eſt, quod manus γράφειν, verò ſcribere.

Dedit illi memoratum pondus argenti. Cum obligatione, ſcilicet, reſtituendi, quando poſſibilitas adfuiſſet: nam LXX. legunt. *Depoſui Gabelo fratri Gabriæ*. Et Syrus: *Depoſui depoſitum apud Gabaëlum*. Arabs: *Dedit ei mutuum*. Videtur tamen, non mutuò dediſſe, ſed in depoſitum, cum, ſicut benè

LXX. Syrus. Arabs.

Serarius

Serarius.

Serarius admonet, Græcè ſit παραθήκην, & depoſitum τράπεζαν, vocetur, idemq́. ſignificet vox Hebræa בפקרין Bephicadon, ita tamen, vt illo vti poſſet ad ſuam ſublenandam egeſtatem, vt in litera patet: nec abhorret à ratione depoſiti, cùm ipſo teſte Vlpiano, ita olim pecunia deponeretur, vt ſi voluiſſet depoſitarius, illa vti poſſet.

Vlp. l. 1. § ſi pecunia ff. depoſiti.

Quòd cautos nos eſſe deceat in dando mutuum, deq́. vſura, & auaritiæ damnis.

DOCVMENTVM.

A

DOCET exemplo ſuo Tobias, cautè nobis in noſtris eſſe negotijs procedendum; ita, ſcilicet, vt, ſicuti in libris Paralipomenon dicitur: *Cùm diligentia cuncta faciamus, amputantes omnem occaſionem eorum, qui quærunt occaſionẽ.* Quare non debent amici egrè ferre, ſi ab eis chyrographa depoſcantur, quandoquidem non ſolùm fidei pignora; ſed etiam gratitudinis ſunt, & beneficẽtiæ memorialia, & obligatoria, ſi fortè, vt ſæpè contingit, vita defungerentur illi, quibus datum eſt mutuum, & egerent, qui illud dederant.

2. Paralip. 19. 7.

Chyrographa non ſolùm fidei, ſed gratitudinis pignora sũt.

Docet etiam, nec difficiles nos eſſe debere in ſubleuandis proximorum neceſſitatibus, vel ſaltem illis mutuũ præbendo, quod opus habent: Et quidẽ eo modo, quo Chriſtus docet: *Nihil inde ſperantes*, propter mutuum, ſcilicet, datum nihil omnino, nec accipientes, nec ſperantes; nã licèt in principio legis alienis fœnerari vetitum minimè fuerit, vt in Deuteronomio patet, vbi dicitur: *non fœnerabis fratri tuo ad vſuram, ſed alieno*; tamen apud Ezechielem, omne fœnus Iudæis prohibetur: vnde ibidem dicitur: *Ad vſuram non commodauerit vir, ſi iuſtus fuerit, & amplius non acceperit.* Quo in loco Hieronymus admonet, nec munuſcula quidem ex hoc capite licita eſſe. Vnde Dauid; *Domine*, ait, *quis habitabit in tabernaculo tuo? qui*, reſpondit, *pecuniam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit:* qui, ſcilicet, ita innocenti ſuccurrit, vt nec munera, nec aliam vſuram ab illo exigat. Quare Chryſoſtomus, vel auctor, quicumq́. ille ſit, operis imperfecti, citans verſiculum illum Pſalmi: *Quoniam non cognoui negotiationem, introibo in potentias Domini*: poſt pauca ſubdit: *ſuper omnes peccatores maledictus eſt vſurarius; ſi enim, qui rem comparatam vendit* (intellige plus æquo) *mercator eſt, & maledictus: quantò magis maledictus erit, qui non comparatam pecuniam; ſed à Deo donatam ſibi, dat ad vſuram?* Vnde benè B. Paulus: *Qui volunt*, inquit, *diuites fieri, incidunt in tentationẽ, & in laqueum Diaboli.* Hugo Cardinalis, *incidunt*, ait, ideſt, *intus cadunt:* nam, qui volunt auri diuites fieri, in ipſam auri tentationem ita cadũt, vt ab auri cupiditate penitus obruãtur. Miſeranda quidem cupidorũ conditio! Et quid miſeri in auro ſubinde ſperare poterunt, niſi mentis extremè deplorandam cœcitatem? Etenim pulchræ licèt exteriùs diuitiæ appareant, intus tamen, vel ipſo teſte Diogene, verè malitia plenæ ſunt, & dolo: vnde ait: *Diuitiæ nihil aliud ſunt, niſi velamen malitiæ.* Quare, cùm auri diuitiæ, velamen ſint malitiæ, & iuxta vulgò decantatam parœmiam: *Pecuniæ obediant omnia.* (nam nulla eſt voluptas, nullus honor, quem pecuniæ mundus non tribuat) nulla erit in mundo malitia, quæ diuitiarum velamine occultari non poſſit: ſed nec vlla erit miſeria vlla ſolicitudo, quam ſub hoc velamine conſtituti diuites non acquirant. Ex quo ſemper mihi placuerunt illius ciuis lamentationes, qui cùm ab Imperatore multis eſſet locupletatus diuitijs, ſæpè dicere ſolitus erat, illius inſidijs, ſe otio, & ſomno fuiſſe priuatum, ac ſi dixiſſet:

B

Luc. 6. 35.

E mutuo nihil omnino ſperandũ eſt.

Deut. 23. 19.

Ezech. 18. 8.

Hier. in Ezechiel.

Pſ. 14. 1.

C

Chryſoſt. in Matth. hom. 18.

1. Tim. 6. 9.

Hugo Card. in epiſt. Beati Pauli.

D

Diuitiarum cupiditatis damna.

Diog. Laer.

Vulgare dictum.

E

Plut. in Sympoſ. lib. 2.

Horat. 1. ſer. ſat. 1.

Me vigilare metu exanimem: noctesq́. diesq́.
Formidare malos fures, incendia, ſeruos;
Ne me cõpilent fugiẽtes, quid iuuat? horũ
Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum.

Quòd experiretur, non niſi ſolicitudine abundare poſſe, qui diuitijs abundaret.

Sed illud damna cupiditatis aggrauat, quòd non ſolùm illam habentes in tentationem cadunt; ſed etiam, *in laqueum Diaboli*, hoc eſt in laqueum omnium potentiſſimum: nam ſicut quædam in ſacris literis propter ipſorum excellentiã dicuntur Dei, vt *montes Dei, ciuitas Dei, cedri Dei, caligo Dei*; ſic etiam Diaboli quædam dicũtur, propter ipſorum extremam miſeriã, vt *laquei Diaboli, fouea Diaboli, &c.* In hunc itaque omnium laqueorum fortiſſimum incidunt, qui volunt diuites fieri, ex quo haud vtique per ſe ipſos euadere poterunt, ſed illo, miſeri, arctiſſimè alligati, ac diuitiarum pondere oppreſſi, in profundum cadent, *in deſideria*, nimirum, *multa*, vt idem B. Paulus ait, *inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum.* Quòd *iniquitates*, vt ait Pſaltes, *ſicut onus graue grauatæ* ſint ſuper illos: vel, vt vertit Pagninus: *ſicut diuitiæ*; animaduertens, vocem כבד Cabed, ſignificare in ſacra Scriptura, nõ ſolùm pondus; ſed etiam diuitias. Sic in Geneſi, vbi dicitur: *Abraham erat diues valdè*, alia habet lectio: *erat grauis valdè*, ex quo liquet, diuitias, & põdus diuitiarum, adeò ſimul ſemper eſſe, vt illa vix nomen diſiungat; ita vt, quem nos

Laqueus diaboli.

F

Pſ. 39. & 79.

Pſ. 29. 11.

Ierem. 23.

Vbi ſup.

Pſ. 37. 5.

G

Geneſ. 13. 2.

Diuitiæ magnũ pondus.

diuitem,

Solicitudo quanta in diuitiis.

diuitem, & abundantem appellamus, graui etiam pondere granatus dici queat. Benè id Anacreon Teius, vt Laërtius refert, percepir, qui, cùm à Polycrate Samiorum Tyranno duobus eſſet talentis donatus, ac duas propterea noctes varijs agitatus curis traduxiſſet inſomnes, mane conſurgens, illa Polycrati retulit, dicens, *ſe tantum pondus ferre non poſſe*. Quare Apoſtolus Timotheo: *Diuitibus*, inquit, *præcipe, non ſublime ſapere*, *hoc eſt*, inquit S. Thomas, *non ſentire aliquid excelſum de ſe*; præcipe illis, ne cogitent aliquid altum in ſe ipſis habere, quia licèt diuitię primos locos præbeant; non tamen extollunt, nec alas ad volandum præbent, ſed magis pondus, quo in profundum deprimant. Quod etiam Dominus ſignificauit, quando filios Iſraël de Aegypto educens, non mare illos calcare voluit, ſed illud potiùs miraculosè diuidere; vt ſuper aridam ambularent: Petrum verò iuſſit ad ſe venire ſuper aquas: quòd eſſent illi Aegyptiorum diuitijs onuſti, iſte verò nudus, & pauper. Ex quibus liquet, quanta ſit mortalium dementia, dum hoc grauiſſimo pondere tanta quærunt auiditate grauari: *Cum*, ſicut ait Apuleius, *prorſus ad viuendum, velut ad natandum, is melior, qui onere liberior: ſunt enim ſimiliter etiam in illa humana tempeſtate leuia ſuſtentatui, grauia demerſui*. Sanè ſi aliquam pręſtantiſſimam gemmam pręmium currentibus propoſitam eſſe conſpicerent, vt illam faciliùs ſibi compararent, nudi, ſi opus eſſet, omnes accurrerent: Et ad gemmam pretioſiſſimam æternæ beatitudinis accipiendam, non modò non denudabũtur; ſed ſuperueſtiri potiùs contendent, & multitudine grauari diuitiarũ? Nullus itaq. ſit, qui tanto ſuo damno diuitias immodicè appetat; ſed potiùs, vt diues fiat, Dei ſit fœnerator: *Attende*, ait Auguſtinus, *quid facit fœnerator; minus vult dare, & plus accipere; hoc fac & tu: da modica, accipe magna; vide, quàm latè creſcat fœnus tuum; da temporalia, accipe æterna; da terrena, accipe cælum: id enim erit tibi, ſi pauperibus ſubuenias, & dando, & accommodando, ſicut potes: fœneratur enim Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddit ei*. Sic noſter faciebat Tobias, dum pauperibus neceſſitatem patientibus ſuccurrebat, & Gabelo mutuum dabat.

1. Tim. 6. 17. — *S. Thom. in epiſt. B. Pauli.* — H — *Laërt. in Anacreon. & Gyrald. in poet. hiſt.* — *Apuleius Apolog. 1.* — I — *Aug. in pſal. 36. enarr. in verſ. tota die miſeretur. &c.* — L — *Prou. 19. 17.*

VERS. XVIII.

Poſt multum verò temporis mortuo Salmanaſar Rege, cùm regnaret Sennacherib filius eius pro eo, & filios Iſraël exoſos haberet in conſpectu ſuo,

1 *Sennacherib Iudæis omnibus infenſus.*

2 *Quis eſſet, & cur filios Iſraël exoſos haberet.*

1 POST *multum verò temporis*, A die, ſcilicet, quo electus fuit Tobias domus regiæ emptor, & procurator. *Mortuo Salmanaſar*, Qui decem tantùm annos regnauerat.

Cùm regnaret Sennacherib. Cùm, ſcilicet, loco eius ſuffectus eſſet Sennacherib Iudæorum omnium hoſtis acerrimus, *via ſancti Tobiæ*, vt ait Græcus, *ceſſauerunt, & non potuit amplius ire in Mediam*, quòd illum rex maxima, qua pollebat, dignitate, ſtatim ac regnare cœpit, ſeſe abdicare coëgerit, & exercitum etiam ad totam debellandam Iudæam inſtruxerit, anno Ezechiæ regis Iudæ quartodecimo, vt in libris Regum habetur.

2 Fuit Sennacherib quartus Aſſyriorum Rex, qui Eſdræ 4. nominatur Aſenaphar, & Iſaiæ 20. Sargon, licèt aliqui, vt Hieronymus docet, diuerſos illos fuiſſe Reges exiſtiment.

Et filios Iſraël exoſos haberet Arabs: *Et erat iratus iracũdia magna in filios Iſraël*. magno, nimirum, odio eos perſequebatur. Verùm, vt Auguſtinus ait; *in comparatione odij ira feſtuca eſt, ſed feſtucam ſi nutrias, trabs erit, ſi euellas, & proycias, nihil erit*.

Græcus. — *4. Reg. 18.* — *1. Eſdra. 4.* — *Iſ. 20. 1.* — *Hier. in Iſai. 36.* — *Arabs.* — *Aug. in ſerm.* Odium ira deterius.

Quòd mali bonos exoſos habeant.

DOCVMENTVM.

GLOSSA moralis *per Sennacherib*, ait, *qui filios Iſraël exoſos habebat, quilibet tyrannus ſignificatur, qui communiter odit viros bonos, propter quod eos perſequitur in rebus, & corporibus*. Semper enim fuit deprauatorum, & peruerſorum hominum ingenium, inſectari, & perſequi odio quemcũquè ſuæ ipſorum cognoſcerent prauitati contrarium, quales ſunt veri religioſi, virtutiſq. cupidi: quod fieri oportere Chriſtus nobis ſignificauit, dicens: *Si me perſequuti ſunt, & vos perſequentur*. Quare Sapiens: *Fili*, ait, *accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*; non in ipſa tantum virtute, ſed in ipſo ad illam acceſſu, docens, multos ad eam accedentibus ſemper eſſe ſolere contrarios, quod, ſicut habetur in Geneſi, cum iuſto Iacob, ſemper reprobus naſcatur Eſau. Sic in veteri teſtamento Prophetæ omnes ab improbis multa ſunt paſſi, & in nouo, infinitus propemodum numerus Martyrum, & Confeſſorum, malitia impiorum occubuit. Quin & ipſos mundi ſapientes ab inſipientibus ſemper odio habitos fuiſſe, docet Boëtius; quia, ſicuti Cicero ait, *diſpares mores diſparia ſemper ſequun-*

A — *Io. 15. 20.* — *Eccl. 2. 1.* — B — *Geneſ.* — Sapientibus infenſi eſſe inſipientes ſolent. — *Boët. lib. 1. de Conſol. prof. 3.*

quun-

Google

Cic. de amicitia poſt med. *quuntur ſtudia, quorum diſſimilitudo ſoluit*
amicitiam : neque enim vnquam impro-
bis , neque probi improbis amici eſſe poſ-
ſunt : nam, & cur obſecro tantum inter fri-
gida,& calida ; humida, & ſicca diſſidium,
niſi quia qualitatibus ſunt affecta cõtrarijs?
Sic boni , & mali inter ſe diſſident , quia eo-
rum ſunt mores diſpares , voluntateſq́. diſ-
Eccli. 33. 15. ſimiles : vnde, teſte Sapiente, ſicut *contra*
malum bonum eſt,contra mortem vita ; ſic &
C *contra virum iuſtum peccator*. Habet iuſtus
illud ſolùm in decretis , vt vias ſuas cuſto-
Pſ. 38. 2. Dixi, hoc eſt firmiſſimæ ſtabiliui. diat , idcirco cum Pſalte dicit: *Dixi*, hoc
eſt firmiſſimè, & inuiolabiliter ſtatui , *cuſto-*
diam vias meas,vt non delinquam in lingua
Pſal. 118. 57. *mea* : Vt cuſtodiat legem Dei, vnde etiam
eum eodem ait : *Portio mea , Domine , dixi*
Prou. 4. 23 *cuſtodire legem tuam :* Vt iuxta Sapientis
monitum , ſe ab omni malo ſeruet : Sic ille :
Omni cuſtodia, ait , *ſerua cor tuum, quia ex*
ipſo vita procedit.At impius illud ſolùm ſta-
tutum habet , vt omne perpetret malum .
Pſ. 35. 2. Sic Pſaltes : *Dixit* , ait , *iniuſtus , vt delin-*
quat in ſemetipſo . Et alibi: *Auertit*, iniuſtus
ſcilicet , *faciem ſuam, ne videat æquitatem.*
nec vult intelligere, vt bene agat ; ſed vt ait
Iſai. 3. 10. Iſaias : *Dicit videntibus , nolite videre , &*
D *aſpicientibus,nolite aſpicere mihi ea,quæ re-*
cta ſunt : loquimini mihi placentia , videte
mihi errores. Quare boni, quòd iniquitatem
odio habeant, improbos ſemper perſequun-
tur,ſeu potiùs improbitatem,dicentes,quod
Marci 6. 18. Ioannes Baptiſta Herodi : *Non licet tibi,&c.*
Impij verò, quòd bonorum ſe ac virtutis lu-
ce confundi, ægre ferant , inſequuntur pro-
Pſ. 37. 21. bos, illiſq́. detrahunt : Ex quo Dauid : *Qui*,
ait, *retribuunt mala pro bonis , detrahebant*
mihi , quoniam ſequebar bonitatem . Quæ
omnia in eductione filiorum Iſraël de pote-
ſtate Pharaonis, luce clariora apparuerunt ;
nam, vt in Exodo habetur, cùm vellet Moy-
ſes iuxta Dei præceptum,populum Hebræo-
rum à tyrannide Pharaonis liberare , vt ipſi
E Deo in deſerto ſacrificaret, dicebat Pharao-
Exod. 5. 11. ni : *Hæc dicit Deus : Dimitte populum meũ,*
vt ſacrificet mihi, cui poſt multa Pharao,*Ite*,
ait , *& ſacrificate Domino Deo veſtro , in*
terra hac. Non poteſt ita fieri, ſubdit Moy-
ſes , *abominationes enim Aegyptiorum im-*
molabimus Deo noſtro ? quòd ſi mactaueri-
mus ea , quæ colunt Aegyptij coram eis, lapi-
Iuſti, quòd odio habent, quæ peccatores amant, ab illis male accipiuntur. *dibus nos obruent*. Etenim hæc iniquorum
eſt cauſa contra iuſtos, hæc inimicitiarum
origo, & ſemen: quod illi viuere volunt , iu-
ſti mortificant: quæ illi adorant, iuſti ſacrifi-
cant : quę illi magnificant,iuſti contemnunt,
Io. 15. 19. vitulos,nimirum, aureos diuitiarum, digni-
F tates , honores mundi : vnde mirum vide-
ri nemini debet , ſi iuſti ab impijs contem-
nantur : etenim , vt Chriſtus ſuos alloquens
ait , *Si de mundo fuiſſetis , mundus , quod*
ſuum erat,diligeret: ſed quia de mundo non
eſtis , propterea odit vos mundus. Ad quem

enim modum ex vna factione,in alteram de-
ficiens, à deſerta factione multis , ac variis
conuitijs impetitur ; ſic qui mundi factionẽ
relinquunt iuſti, à mundanis tanto odio ha-
bentur , vt cum Pharaone vnuſquiſque ipſo- Exod. 15. 9
rum furibundus cõtra illos proclamet: *Per-*
ſequar, & comprehendam , diuidam ſpolia,
euaginabo gladium meũ , interficiet eos ma-
nus mea . Talia enim dixit Pharao, cùm pri-
mum filios Iſraël à ſua factione recedentes
vidiſſet,vt in Exodo conſtat . Verùm: *Beati*, Matth. 5. 10.
vt Chriſtus ait , *qui perſecutionem patiun-*
tur propter iuſtitiam , quoniam ipſorum eſt
regnum cælorum: Beati,inquam,illi, qui ta-
lia ab iniquis patiuntur, quoniam, tali per-
ſequutione, cæleſtis regni promerentur co- Malorum odia & perſecutio iuſtis vtilia ſunt.
ronam : etenim quo pacto , ſi aliquis ira , &
excandeſcentia contra aliquem commotus,
pretioſas in illum gemmas, & monilia iace- G
ret, non ſolùm nihil officeret , ſed potiùs il-
lum diuitijs cumularet; Sic qui iuſtum inſe-
ctatur , dum varijs illum calumnijs, & iniu-
rijs laceſſit, illius auget coronam , eoq́. ma-
gis extollit , quò magis illum perſequitur :
nam quo pacto, (vt in Geneſi habetur) *mul-* Geneſ. 7.
tiplicata ſunt aquæ , & eleuauerunt arcam
in ſublime : ita dum aquæ multiplicantur
tribulationum , in ſublime eleuantur virtu-
tum : quod impijs non contingit , qui , vt
Pſaltes ait:*in miſerijs non ſubſiſtent*: ex pro- Pſal. 139. 11.
fundo miſerarium nunquam emerſuri .

VERS. XIX.

Tobias quotidie pergebat per om-
nem cognationem ſuam , & con-
ſolabatur eos , diuidebatq́. vnicui-
que , provt poterat , de facultati-
bus ſuis.

VERS. XX.

Eſurientes alebat,nudiſque veſtimen-
ta præbebat , & mortuis, atque oc-
ciſis ſepulturã ſolicitus exhibebat.

1 *Tobia quanta in proximos miſericordia* .
2 *Eſurientes quomodo aleret* .
3 *Nudis quomodo veſtimenta praberet* .
4 *Sepelire mortuos quale opus ſit* .

1 Q*VOTIDIE*, Hoc eſt,non VERS. XIX.
vno, aut altero die,ſed plu-
ribus diebus continuis, &
quotieſcunque opportuni-
tas ferebat .
Pergebat per omnem co-
gnationem ſuam . Arabs : *Familiam ſuam,* Arabs.
per omne genus , & progeniem ſuam , nimi-
rum , ſpeciatim per illos , qui erant ex ge-
nere , & gente ſua .
Et conſolabatur eos . Non ſolùm verbis

ſpiritu,

ſpiritu,& ſanctitateplenis,docens illos myrrham amaram tribulationem patienter ferre; ſed etiam

Dabat vnicuique, pro vt poterat, de facultatibus ſuis. Quod & filium poſtea facere docuit, vt infra, vbi & nos plura de hac re: erant enim *labia illius diſtillantia myrrham primam*, & *manus illius tornatiles, aurea, plenæ hyacinthis*, hoc eſt, erant opera ipſius ſine aliqua tortuoſitate, aut imperfectione, quales res eſſe ſolent, quæ torno fiunt, auro inſuper charitatis perfulgida, & hyacinthis, hoc eſt, cæleſtibus cogitationibus plena: eſt enim hyacinthus flos cærulei coloris, quo cæleſtia ſignificantur.

Lactantius de ira Dei c. 23.

Sic dabat facultates ſuas Tobias, non vni tantum,aut alteri; ſed vnicuique, prout poterat: nam, vt ait Lactantius: *Quantum poſſumus, boni, & benefici eſſe debemus, & ſi quid nobis opum, ſi quid ſuppetit copiarum, non voluptati vnius, ſed multorum ſaluti impertiri debemus*.

VER. XX.

Homines hominibus ſuccurrere natura docet.

Liuius init. hiſt.
Iuſtin. init. lib. 1.
Procop. de bello Goth. l. 2.

2 *Eſurientes alebat*. Quod ipſum,vt omnes faciamus,natura nos docuit, quæ vt parens optima,non ſolùm homines ad hominibus ſuccurrendum impellit; ſed ipſas etiam aliquando feras, vt videre eſt apud Liuium, Iuſtinum, Procopium, & alios.

Iob. 31.
Greg. lib. 1. Dial. c. 9.

Mira quorũdã in pauperes liberalitas

Marul. lib. 1. c. 2.
Fulgoſ. lib. 4. c. 8.

3 *Nudisq́. veſtimenta præbebat*. Et quaſi alter Iob,nunquam deſpiciebat pretereuntẽ, eo quòd non haberet indumentum, ſed de velleribus ouium ſuarum illos calefaciebat: quos ſapientiſſimè inter reliquos imitati ſunt S. Bonifacius, qui, vt refert Gregorius, cùm adhuc puer apud matrem degeret, interdum ſine exteriore tunica, ſæpiſſimè etiã ſine interiore, quas pauperibus erogauerat, domum redibat. Serapion, vt Leontius Epiſcopus Marulus, & Fulgoſius docent, cùm hoc idem aliquando feciſſet, interrogatus à quodam, quis eum expoliaſſet; ille, nullo reſponſo dato, Diuinum Euangeliorum volumen oſtendit, ſignificans Chriſti doctrinam, quæ nudos veſtire præcipit.

Iſai. 58. 7.

Sanè,qui nudum deſpicit, cùm humanitatis, & carnis proximi particeps ſit, ſe ipſum profectò deſpicere cenſetur: Vnde Iſaias: *Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris*.

Arabs.
Aug. de conſolat. mort.

4 *Et mortuis, atque occiſis ſepulturam ſollicitus exhibebat*. Mortuis, nimirum, naturaliter, & occiſis violenter, diligentiſſimè, *cum angore*, habet Arabs, extremum reddebat pietatis officium: nam, vt Auguſtinus ait: *Iacet corpus exanime, & gelidum; homo ſine homine, cadauer ſine ſpiritu, nemo ſuorum adiuuat, nec ipſe auxilium poſtulare poteſt. Igitur*, vt inferiùs ſubdit, *nihil mirum, ſi inſit à natura humanis pectoribus ſingularis erga defunctos pietas, & miſeratio*.

Quare in hoc pium incumbebat opus non ſolùm Abraham, Iacob, Ioſeph, alijsq. in veteri lege complures egregij pietatis cultores; ſed etiam diligentiſſimè naſcentis Eccleſiæ Chriſtiani omnes, & quidem Alexandrini, vt refert Nicephorus, ſæuiſſima in ciuitate peſte graſſante, ipſemet ſuis manibus defunctorum cadauera excipiebant,& ſepulturæ mandabant. Qua in re nihilo inferiores fuere Antonius, Praxedes, Pudentiana, Priſcilla, Cyriaca, Lucina, alijq́. complures è primaria nobilitate homines, ac mulieres, quos recenſere nimis longum eſſet.

Nicephorus hiſt. Eccl. lib. 4. c. 17. & lib. 17. c. 28.

Lactantius in lib. de Inſtit.

Sanè, vt Lactantius ait: *Redimere ab hoſte captiuos magnum miſericordiæ opus eſt: item ægros pauperes viſitare, atque fouere inopes, & pauperes, ſi obierint, non patiamur inſepultos iacere: hæc ſunt opera, hæc officia miſericordiæ, quæ ſi quis perfecerit, verum, & acceptum Deo ſacrificium immolabit*. Verùm de his, & ſingulis Tobiæ operibus poſtea ſuo loco dicendum.

Quòd non ſolùm dictis, ſed etiam factis, egentibus ſuccurrendum ſit, & de frequentanda erga egenos beneficẽtia.

DOCVMENTVM I.

TALI enim pacto morientes conſolari debemus,vt,quemadmodum exemplo ſuo ſanctus Tobias nos docuit, non ſolùm verbis, ſed etiã factis, illorum nos verè miſereri appareat: ſic enim ille concaptiuos ſuos, & verbis conſolabatur, & factis; ita vt dicere cum Sapiente poſſet: *Quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honeſtatis*: multi enim flores verborum producunt, qui tamen ſtatim emarceſcentes,nullum afferunt fructum, folijs, & pampinis tãtùm vigentes exterioris cultus, oculos ad cælos leuantes, verba grauia proferentes, omni bonorum operum fructu vacui, quales fuiſſe filios Iſraël Dominus per Oſeam teſtatum reliquit, dum ait: *Vitis frondoſa Iſraël, fructus adæquatus eſt ei*: Hebræus: *fructus inanis, & vacuus*. Et per Ieremiam: *Non ſunt ficus in ficulnea, folium defluxit*; quia dum operabantur, non manus torno factas habebant, nec aureas cum Tobia, ſed peccatis pollutas, ſine charitate Dei, ſine hyacinthis cæleſtis intẽtionis. Quare licèt Deo flores exterioris cultus, & verborum placeant; non tamen per ſe ipſos placent, ſed quatenus interiori animæ fructui iunguntur, aut in quantum illum gignunt, atque conſeruant: quo pacto Eccleſiæ cæremoniæ, arboris folijs ſimiles eſſe dicuntur, quæ fructus à ſolis ardoribus, pluuijs, & tẽpeſtatibus defendunt: nam ad hoc ordinantur, vt deuotionem excitent, excitatamq́.

A

Eccl. 24. 23.

Opera noſtra verbis reſpondere debent.

Oſeæ 10. 1.

Ierem. 8. 13.

B

Cæremoniæ Eccleſiæ foliis arborum comparãtur, quæ fructus arborum tuẽtur.

augeant

Verba inania cēſentur, quæ non iungūtur operi.

Matth. 3. 10.

augeant, ac conſeruent. Sic externa opera cæremoniæ, & verba in tantum bona ſunt, in quantum ad interiora augenda, & conſeruanda opera conducunt. *Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum exeidetur, & in ignem mittetur*, inquit æterna Sapientia: nam nihil nobis proderit verbis

C

Diuina prædicare præcepta, ſi verbis nequaquam facta conſenſerint. Sic apud Matthæum Dominus phariſæorum ingenium, quorum iuſtitia in ſolis verbis, rebusq. exterioribus ſita erat, quadam refellit parabola, quæ vtinam & noſtram non taxaret inobedientiam, qui multa licèt promittamus verbis, factis tamen, req. ipſa multo pauciora perficimus.

Matth. 21

Homo quidam, inquiens, *habebat duos filios, & accedens ad primum dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea. Ille autem reſpondens ait: Nolo. Poſtea autem pœnitentia motus abijt. Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter. At ille reſpondens, ait: eo, Domine; & non iuit.* qua parabola poſita, interrogauit illos: *Quis ex duobus fecit voluntatem patris?* qui reſponderunt: *primus*. Subintulit Ieſus: *Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regno Dei*, Oſtendens malle ſe, verba nos omittere, quæq. ipſe præcipit operari, quàm multa verbis promittere, factisq. nihil præſtare.

D

Verbis itaque, ac promiſſis licèt bonum ſit mœrentes conſolari, ac ſubleuare; tamen, *vult Deus*, ait Hieronymus, *vnumquemque, alterius anguſtias, vt proprias, ſentire, & quomodo ſibi, in tali tribulatione ſi eſſet, ſubueniri cuperet; ita ipſe alteri propter Deum ſubuenire nō poſtponat.* quod tum demū perfectè agitur, cùm non ſolùm verbis, animiq. commiſeratione; verùm etiam rebus, quibus proximus indiget, ſubleuatur. id quod ſanè natura ipſa nos docet: ſiquidem, vt bene ait Ambroſius, *nihil tam ſecundum naturam, quàm iuuare conſortem naturæ.* Quare, qui, cùm poſſit, proximo egenti non prodeſt, vt docet Lactantius, hominis ſe appellatione expoliat: *quia*, ait, *humanitatis officium eſt, neceſſitati hominis, ac periculo ſubuenire.* Sic enim, vt teſtis eſt Caſſiodorus, ob id geminas homini manus natura tribuit, geminas aures, geminos oculos, vt robuſtiùs, diligentiùs, ac circumſpectiùs peragerentur ea, quæ ad iuuandam aliorum vtilitatem, & neceſſitatem ſpectant. Hinc factum eſt, vt tanta ſolicitudine de omnibus benè meteri Titus Veſpaſianus Imperator ſtuderet, vt, ſicuti de illo Suetonius refert, cùm recordaretur Super cœnam, nihil ſe cuiquam beneficij tota die præſtitiſſe, memorabilem illam, vereq. Imperatoria dignam Maieſtate ſententiam frequentiſſimo vſurpare ſermone conſueuerat: Amici, diem perdidi. O veri Imperatoris animum! O beneficentiam Chriſtiano homine digniſſimam! Vtinam, & nos diem illum nos perdidiſſe exiſtimaremus, in quo nullum proximo beneficium exhibuimus.

Hieron. in epiſt.

E

Ambr. de offi.

Lactan. lib. 6. c. 10.

Caſsiod. lib. 2 epiſt.

Duas manus homini cur natura tribuerit.

Suet. in Tito Veſpaſiano.

F

Sanè beneficium ſerere, vt metere poſſit fructum, prudentis animi eſt. Nam, ſicut ait Chryſoſtomus: *Qui in terris bene facit, in cælis ſibi theſaurizat.*

Chryſ. hom. 1.

Noſter itaque imitandus Tobias, qui, vt hanc erga proximum, in quantum poterat, beneficentiam exerceret, *pergebat per omnem cognationem ſuam*, non ſemel in anno, menſe, aut hebdomada, ſed *quotidie*: multi enim ſunt, qui ſibi feciſſe videntur ſatis, ſi aliquando in Xenodochijs ægrotantes inuiſant, ſi aliquando eleemoſynam tribuant, pupillos ſubleuent, aut quoduis aliud opus bonum perficiant: at viri ſancti quotidie, ſi poſſint, talia operantur: quippè quibus *calceati ſunt pedes*, vt B. Paulus ait, *in præparatione Euangelij*: hoc eſt, per viam virtutis, licèt difficultatibus obſeptam, non minùs prompti, & expediti incedunt, quàm viatores ſoleant calceatis pedibus per viam tribulis, & ſentibus plenam incedere: quales ſuos omnes eſſe debere, ipſe Dominus ſignificauit, quando Iudæis præcepit, vt agnum feſtinanter, calceatisq. pedibus comederent. Sic ſponſus in canticis, naſum ſponſæ (prudentiæ iuſtorum ſymbolum) turri aſſimilans, ait: *Naſus tuus, ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum*: quòd viri iuſti, Diuinæ prudentiæ vi, tanquam è turri editiſſima, amœnas paradiſi delicias, terræq. ſordes, ac lutum procul adorantes, hæc quidem reſpuere, ac deuitare, illas verò appetere, ac bonis operibus comparare feſtināt.

G

Beneficentia in proximos vti ſæpe, & perſeueranter debemus

Epheſ. 6. 15.

Exod. 12. 11.

H

Cant. 7. 4.

Quòd verè miſericors aliorum miſeriam, in quantùm poteſt, ſubleuare procurat.

DOCVMENTVM II.

TANTA erat Tobię erga miſeros, egentesq. compaſſio, vt non poſſet eorū non miſereri, à quibus miſeram egeſtatem ope ſua tollere ſe poſſe nouerat, ſiue huius lucis fruerētur vſura, ſiue morte interueniente ad aliam migraſſent vitam, eo quòd veræ miſericordiæ virtutē penitus induiſſet, quæ, vt Auguſtinus ait, *Alienæ eſt miſeriæ quædam in noſtro corde compaſſio, qua vtiq, ſi poſſimus, ſubuenire compellimur.* Quo pacto videmus, vt ait B. Paulus: quòd ſi *patitur vnum membrum, compatiuntur cætera mēbra.* Et quia, vt ait Auguſtinus, *Si ſpinam calcat pes, oculus, loco remotiſſimus, proximus efficitur charitatis affectu: illuc conuertuntur omnia membra. Spina dorſi incuruat ſe, oculi quærunt,*

A

Vera miſericordia quæ ſit.

Aug. de ciu. Dei l. 4. c. 5.

1. Cor. 12. 26.

Auguſt.

manus

manus operantur, cor dolet, lingua conqueritur, nihilq́. vacat in homine ad ſubueniẽdũ:
B Sic qui verè miſericordes ſunt, proximorum non poſſunt non miſereri, & illorum, in quãtum poſſunt, non ſubleuare miſeriam, idq́.
Miſericordia in pauperes propter Deũ eſſe debet. maximè propter Deum, communem egentiũ patrem: quo pacto legimus, Dauid miſertum fuiſſe Miphiboſeth filij Ionatæ, vtroque pede claudicãtis; & quidem propter Ionatham eius patrem: ſic illi, vel maximè propter Deum, proximo in calamitate poſito compatiũtur, quamuis vtroque pede ſit claudus, nimirum, impatiens in aduerſis, & in paupertate ſuperbus. Nam, *qui habuerit*, ait B.
1. *Io.* 3. 17. Ioannes, *ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, quicunque ille ſit, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* Sanè, ſi-
C cut impoſſibile eſt, ferrum diu in ſuccenſa permanere fornace, abſq. eo, quòd emolliatur; ſic impoſſibile eſt humanum cor in fornace Diuinæ eſſe charitatis, & egentium non miſereri proximorum: eſt enim ferrum humano corde durius, ignisq́. Diuinus materia hoc noſtro fortior. Quare comparans ſa-
Prou. 12. 10. piẽs iuſtorum miſericordiæ affectũ cum affectibus impiorum, ait: *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas; viſcera autem impiorum crudelia:* hoc eſt, adeò procliuia ſunt iuſtorum viſcera ad miſericordiam, vt non ſolũm hominum ſibi commiſſorum curam habeant, ſed etiam iumentorum ſuorum; vnde ſolicitè quærunt, nũquid eis deſit. Quod nullo pacto impiorum viſcera patiuntur,
Miſericordię exemplum. quæ, nullius hominis, ne dum belluarum, miſeria commouentur: cuius rei exemplum
D Angelus præbuit, qui cùm vellet Prophetam Habacuc prandium, quod ille ſuis meſſori-
Daniel. 14 35. bus parauerat, ad Danielem perferre, illum capillo capitis traxit; hanc iuſtorum procliuitatem ad miſerandum ſignificans, quæ tanta eſt, vt vel per vnicum capillum capitis facillimè ad opera trahantur miſericordiæ. *Viſcera autẽ impiorum crudelia*, hoc eſt, impij verò crudeles ſunt, & ſine aliqua miſericordia: nam per viſcera miſericordiam ali-
Geneſ. 43. 13. quando ſignificari, ex Geneſi conſtat: vbi Ioſepho *commota* fuiſſe *viſcera* dicũtur, cùm fratrem Beniamin vidit: hoc eſt, vt alia habet lectio, *Incaluerunt miſericordiæ.* At, ſi-
Matth. 5. 7. cuti miſericordes miſericordiam, (vt teſtis eſt Dominus) cõſequentur; ſic immiſericor-
E des nullam recipient miſericordiam: *Iudi-*
Iac. 2. 13. *cium*, ait Iacob, *ſine miſericordia fiet illi, qui non fecerit miſericordiam.* eſt enim Deus
Deus Miſericordiæ operibus placari debet. iuſtiſſimus iudex, extremum quoque quadrantem exigens; quare, ſi mitem illum habere volumus, & placatum, miſericordiæ ſunt nobis munera præmittenda. Sic Iacob, quando fratrem ſuum ſibi placatum voluit:
Geneſ. 32. 20. *Placabo*, ait, *illum muneribus, quæ præcedunt, & poſtea videbo illum. Da inopi*, in-
Chryſ. hom. 5. *de pœnit.* quit Chryſoſtomus, *& iudicem mitigaueris.*

Superexaltat autem miſericordia iudicium: nam, iuſtiſſima licèt ſit libra Dei; ſi tamen in lance vna, miſericordia collocatur, in al-
F tera verò iudicium, ſemper iudicio miſericordia præponderat, quòd ſemper maioris illa ſit ponderis apud Deum; iudiciumq́. ſuperexaltet, atque eleuet; vnde Græcè habetur κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως, hoc eſt, *miſericordia gloriatur aduerſus iudicium.* Et quidem ex eo, quia miſericordes ſemper ſunt miſericordiam conſecuturi: quare tale quiddam docet Oecumenius efficere miſericordiam in nobis, quale efficit oleũ in athletis: nam quo pacto, illo inuncti facilè aduerſariorum manibus elabuntur; ita in iudicio per miſericordiam impetiis, & pericula, quæ à dæmonibus accuſatoribus nobis imminebunt, effugiemus. Quare mirabiles nobis propoſitas eſſe nũdinas Chryſoſtomus docet, in quibus, paruis noſtræ miſericordiæ operibus, infinitam Dei miſericordiam emamus, & ſic miſericordiam ab illo, iuſto quodam titulo, quaſi nobis debitam, quodammodo repetamus. Sic S. Eleazarus Comes die quodam, cùm multas auri vncias, & pannum coccineum oblata ſibi munera repudiaſſet; intra cubiculum ſuum, vt ſancta meditatione animum ſuum in Deum colligeret, huiuſmodi verbis vſus fuiſſe dicitur: Tu mihi, Domine Deus, in paradiſo debes centum auri vncias, & duos pannos coccineos. Cùm itaq. tanta nobis ex miſericordia bona proueniant: *omni tempore*, ait Sapiens, *ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat*: oleum, nimirum, miſericordiæ, quo cætera opera noſtra veſtimentis ſignificata, non inficiuntur, ſed candidiora, & illuſtriora fiunt. Sed plura de hac materia infra.

Miſericordia iudicio præponderat.

Oecum. in comment. epiſt. B. Iacobi.

Chryſoſt. hom. 5. de pœnit.
G

In eius vita apud Surium.
Miſericordiã in proximos exercentes, à Deo ipſi quoque miſericordiam ſuo quodammodo iure repetunt.

Eccleſ. 9. 8

VERS. XXI.

Denique cùm reuerſus eſſet Rex Sennacherib, fugiens à Iudæa plagam, quam circa eũ fecerat Deus propter blaſphemiam ſuam, & iratus multos occideret ex filijs Iſraël; Tobias ſepeliebat corpora eorum.

VERS. XXII.

At vbi nuntiatum eſt regi, iuſſit eum occidi, & tolli omnem ſubſtantiam eius.

1 *Sennacherib quando à Iudæa.*
2 *Quo modo fugerit, & qua plaga ab Angelo percuſſus.*
3 *Tobias cur mortuorum ſepeliret corpora.*
4 *A quo accuſatus ſit, & cur.*

DENIQ.

VERS. XXI.

1 *DENIQVE*, Septimo, nimirum, anno, poſtquam rem cum Medis rebellibus habuiſſet, Azotumq́. Paleſtinorum per Tartanem præfectum expugnaſſet, ſimiliterq́. Iudæam infeſto exercitu inuaſiſſet, Ezechiamq́. regem in Deo ſpem reponentem, & per legatos pacem ſuppliciter deprecantem, tributumq́. offerentem, barbarico facto circumueniſſet, atque per Rabſacem legatum irriſiſſet, impieq́. exagitaſſet.

Cùm reuerſus eſſet rex Sennacherib, ſeu, vt illum Herodotus dictitat, *Sanacharibus*, Niniues, in hoſtili Iudæorum terra moram diutius trahere non potens,

Herodotus in Euterpe ad f.

2 *Fugiens*, Nudatus armis, vt narrat Herodotus, quæ fuga eſt militi ignominioſiſſima.

A Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus, Qui nocte vna, vt in libris Regum, in pœnam violati numinis, miſſo Angelo ſuo in caſtra Aſſyriorum, centum quinquagintaquinque hominum millia interfecit, ex quibus patet, errare Herodotum, dum loco ſupra allegato, plagam hanc Sacerdoti cuidam Vulcani tribuit, illamq́. in Aegypto contigiſſe ait, & quidem à muribus violatæ religionis vltoribus: *Tradunt*, inquit Hieronymus, *Hebræi, illæſis veſtibus, Aſſyriorum corpora, occulto ardore cremata, ſieq́. lumen Iſraëlis, ideſt Angelum, fuiſſe in igne, & flamma, vt ibi ſcribitur, & tradunt ijdem de Sennacheribi exercitu decem tantum remanſiſſe: vnde ibidem: erit terrore profugus*. Huius hiſtoriæ Angelus fictus olim, pictusq́. fuit, valdeq́. Chryſoſtomo placuit, vt ipſemet enarrat dicens: *Ego ex cera fuſilem picturam pietate plenam amaui; vidi enim Angelum, in imagine barbarorum nubes pulſantem, vidi barbarorum cohortes conculcatas*: eoſdem Aſſyrios alij vino ſepultos, alij luſui ſe intentos fuiſſe affirmant.

4. Reg. 18. 19.

Hier. in c. 10. Iſa. 5. 14.

Plaga magna Sennacherib.

Chryſoſt. orat. quòd vet. & nou. teſtam. vnius legiſ.

Propter blaſphemiam ſuam, Qua, nimirum, per miniſtros ſuos Deum verum, impotentem, & ſeductorem, quales erant Dij gentium, appellare non eſt veritus, *Filij*: dicens, *Iſraël, nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens: Dominus liberabit nos: nunquid liberauerunt Dij Gentium terram ſuam de manu Regis Aſſyriorum? Et hæc dicite Ezechiæ: non te ſeducat Deus tuus, in quo habes fiduciam*. Eſt enim blaſphemia, vt ait Auguſtinus, *cùm aliqua mala dicuntur de bonis. itaque iam vulgo blaſphemia non accipitur, niſi mala de Deo verba dicere, de hominibus namque dubitari poteſt: Deus verò ſine controuerſia bonus eſt*.

4. Reg. 18. 32.

Blaſphemia quid ſit.

Auguſt. lib. de morib. Manich. c. 11.

Et iratus multos occideret ex filijs Iſraël, Nam iuxta Sapientis dictum, *Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor; & impetum concitati ferre quis poterit?*

Prou. 27. 4

3 *Tobias ſepeliebat corpora eorum*; Vt quibus iam prodeſſe viuentibus non poterat, mortuis ſaltem prodeſſet, eos ab ignominia liberando, quam tuliſſent, ſi eorum cadauera inſepulta iacuiſſent, ipſorumq́. ſatis deſiderio faceret, qui poſt obitum ſuam carnem honeſtè tractari voluerunt: nam, vt B. Paulus ait, *carnem ſuam nemo odio habet*

Ad Eph. 5. 29.

VERS. XXII.

4 *AT vbi nuntiatum eſt*. A quodam Niniuita, ſic Græcus: *Itaque cum quidam Niniuita me ad regem detuliſſet, quòd illos ſepelirem, latitaui*.

Iuſſit eum occidi. Græcus: *Et cùm cognouiſſem, me ad necem requiri, ſeceſſi*.

Græcus.

Et tolli omnem ſubſtantiam eius. Quod factum fuiſſe Græcus item docet his verbis: *Omnia autem bona mea fuerunt direpta, nec mihi quicquam relictum eſt, præter vxorem Annam, & Tobiam filium*.

Græcus.

Quòd omnium peccatorum grauiſſimum ſit, & deteſtabiliſſimum blaſphemia.

DOCVMENTVM I.

A

QVAM verum ſit, quod Pſaltes ait: *Benedicentes Domino hæreditabunt terram: maledicentes autem ei diſperibunt*; ex ipſomet literæ verſiculo colligi facilè poteſt: etenim qui Domino benedixerat Ezechias, hoſtilibus ditatus ſpolijs, ab inimicorum ſuorum manibus liberatus eſt: blaſphemus verò Sennacherib in fugam, diſperſionemq́. eiectus. Sanè grauiſſimum, & deteſtandum eſſe peccatum blaſphemiam, vel ex eo liquet, quod non ſeruos, aut res ſeruorum Dei, vt cætera faciunt peccata, nimirum, furtum, rapina, homicidiumq́. &c. lædat; ſed ipſum Deum, in quem lingua, quaſi funda, contumelias, & verborum iacula contorquet. Vnde ſicut principem grauius lædit, qui in propriam ipſius perſonam inuehitur, quàm qui in perſonas, vel res ſeruorum eius; ita multo magis Deum lædit blaſphemus, quàm reliqui peccatores, licèt ſint idololatræ, periurij, & ſacrilegij, ſi ab illis tamen blaſphemia directè volita ſit. Hinc Gloſſa ex Hieronymo: *Omne*, inquit, *peccatum, comparatum blaſphemiæ, leuius eſt*. Auget huius peccati malitiam, nullo ex illo voluptatem, nullam vtilitatem ex his, quæ in alijs ſaltem excogitari peccatis ſolent, blaſphemo euenire poſſe.

Pſ. 36. 22.

Blaſphemia Deum ipſum attingit.

E

Gloſ. in c. 18. Iſaiæ.

Quolibet peccato grauior eſt blaſphemia.

Quare quo pacto ad magnitudinem charitatis exaggerandam dicit B. Paulus: *Charitas nunquam excidit*, quòd defuturæ licet ſint in patria fides, & ſpes, illa in

1. Cor. 13. 8

C æternum perfectior ſit duratura; ita ad oſten-
Blaſphemia ſéper durat: dendam blaſphemiæ ſummam malitiam,
quòd *nunquam excidat*, dici poteſt, vtpotè
in æternum, cum damnatis duratura. Nam,
ſicut Deum ex dilectione laudare beatorum
eſt proprium; ita eundem ex odio blaſphe-
mare, proprium eſt damnatorum. Vnde
blaſphemo dictum illud accommodari po-
teſt, quod olim ancilla oſtiaria dixit Petro,
Matt. 26. 73. nempe: *Verè tu ex illis es*; ex diſcipulis,
nimirum, non Chriſti, ſed Diaboli: *nam*
& loquela tua manifeſtum te facit. Etenim,
Inferni loquela quæ ſit. quo pacto, ex lingua Hiſpanica Hiſpanum,
& ex Gallica Gallum; ita ex lingua Infer-
ni, quæ eſt blaſphemia, aliquem inferna-
D lem eſſe cognoſcimus. Ex quo, adeò ſem-
per abominabilis loquela iſta fuit, vt non
dicam ſancti, ſed nec ipſi ſceleſtiſſimi viri
ipſam vocem blaſphemiæ nominare ſint
auſi. Sic offerens Iob per ſingulas hebdo-
madas pro filijs ſuis ſacrificia, dicebat: *Ne*
Iob 1. 5. *forte peccauerint filÿ mei, & benedixerint*
Deo; Hoc eſt, ne fortè blaſphemauerint: &
coniux ipſius, cùm illum ad blaſphemiam
hortari vellet, dicebat: *Benedic Deo, & mo-*
rere: & falſi teſtes contra Naboth dice-
3. Reg. 21. 13. bant: *Benedixit Naboth Deum, & regem*:
& antiquitus, ſi aliquem blaſphemantem
audiuiſſent, in ſignum doloris, & blaſphe-
miæ deteſtationem, ſcindebant veſtimen-
4. Reg. 19. 1. ta propria, quod feciſſe Ezechiam legimus,
cùm primùm blaſphemiam Sennacherib au-
E diuiſſet. Sic ingentis criminis in ſacris li-
teris illi notantur rei, qui cùm ſacrum le-
gis volumen dilaceratum vidiſſent, & com-
buſtum, nullam doloris ſignificationem
Ierem. 36. 24. præ ſe tulerunt: *Non timuerunt, neque*
ſciderunt veſtimenta ſua rex, & omnes ſer-
ui eius, qui audierunt ſermones iſtos. Sic
Herodes miſerè interijt; *eo quòd*, inquit ſa-
cra hiſtoria, *non dediſſet honorem Deo*: nec
ſcidit veſtimenta ſua, ſicuti peculiari ratio-
ne tunc debuiſſet, cùm diuinos ſibi hono-
res deferri à populo intellexit. Aliter BB.
Paulus, & Barnabas, quibus cùm Iouis Sa-
cerdos ſacrificia pararet, conſciſſis tunicis
exilierunt in turbas clamantes, & dicentes:
Act. 14. 14. *Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſu-*
mus. Herodes enim, quia filius erat Diaboli
honoris Dei curam gerebat minimam. Con-
F tra verò BB. Paulus, & Barnabas, quia filij
erant Dei, blaſphemiam hanc tantam ferre
Dei Filii blaſphemiam ferre omnino non poſſunt. Diod. lib. 24. non poterant: etenim filij de patris igno-
minia maximè dolent, nec illam, ſi verè ſint
filij, ſine magno doloris ſenſu ferunt: quod
exemplo filiorum regis Cimmeriorũ oſten-
di poteſt, qui, (vt Diodorus refert) patre de-
functo de paterni regni hæreditate inter ſe
contendentes, cùm ad litem dirimendam
iudicem regem Thraciæ Ariophanem ele-
giſſent, ille mortui regis cadauer è ſepul-
chro erui, arboriq. alligari iuſſit, arcuq. il-
los inter ſe contendere, vt, qui cadaueris
emortui patris cor transuerberaſſet, is in
regnum ſuccederet. Sic primogenitus il-
lius guttur, ſecundus, medium pectus, cor-
de illæſo, transfixit. Supererat minimo G
ſpes regni, (tres enim tantummodo fratres
erant,) qui cæteris iuſta ſanè indignatione
ſuccenſus, quòd patris cadauer ſagittis auſi
fuiſſent impetere; ſe potiùs regno cedere
velle dixit, quàm tale facinus perpetrare.
Ex quo Thrax regnum illi adiudicatum
voluit, quòd tali pietate, naturæ propen-
ſione ſe verum emortui regis filium, & vir-
tute fratribus præſtantiorem oſtenderit. Sic
illi, qui Dei verè ſunt filij, cõtra ſagittantes
blaſphemia æternum Patrem, indignantur,
& potius mundi regna deſpiciunt, ac re-
nuunt, quàm vel minimùm diuinam illam
maieſtatem impijs vocibus violare audeãt.
Sic illum in Leuitico Deus præcepit lapi- Leuit. 24. 14.
dibus à tota communitate obrui, qui com-
munem Patrem, & Dominum blaſphemia
ſagittauerat, Moyſi hæc dicens: *Educ bla-* H
ſphemum extra caſtra, ne polluantur ſan-
guine humano, *& ponant omnes, qui au-*
dierunt, ideſt, qui teſtes fuerunt ſceleris, ad
quos magis, quàm ad alios ſpectat, pœnam
criminis appetere, quaſi ratam habentes
pœnam illi infligendam, *manus ſuas ſuper*
caput eius, & lapidet eum populus vniuer-
ſus, vt omnes, nimirum, de communitate,
peccatum, in auctorem communitatis per-
petratum, vindicarent.

Quanta ſit iræ dementia, deq. eius remedijs.

DOCVMENTVM II.

ET *iratus multos occideret ex* A
filijs Iſraël. Sanè quo pacto
flumina ingentia, cùm intra
aluei ſui ripas continentur,
adeò nihil nocent, vt etiam
humanæ vitæ vſibus, commo-
diſq. maximè deſeruiant: vbi verò aquarum
inundatione eaſdem tranſgrediuntur; agros,
& prata multo cum detrimento ſubuertunt;
ita cùm affectus humani intra rationis fi-
nes, quaſi intra aluei ſui ripas, clauduntur,
veluti calcaria quædam, & ſtimuli languen-
tem naturam ad res gerendas exacuunt;
qui, ſi rationis excedant aggeres, adeò
vehementes exurgunt, vt hominem ab ip- Ira hominẽ impotẽtem, & inſanum reddit.
ſa aliquando ratione deducant. Sic exci-
tat ira animum ad vltricem exercendam
iuſtitiam, quæ Sennacherib regem Aſſy-
riorum adeò ab omni conſilio, menteq. B
deturbat, vt dum contra filios Iſraël ira-
ſcitur, inſanire credatur. Quare meritò hu-
iuſmodi iram, *momentaneam quandam*
inſaniam dixerunt Baſilius, & Chryſoſto-

Baſil. hom. 10. ex var. quæ eſt de ira to. 1
Chryſoſt. hom. 47. in Ioan.
Sen. l. 21. de ira c. 31.
Plut. in opuſc.

mus; quòd nihil rectum, nihil ſecundum rationem operari ſinat. Nam, vt Seneca dicit: *Si aliter irati nocere non poſſunt, terras, mare, cælumq. ruere cupiunt.* Sic refert Plutarchus, Xerſem iratum, Atho montem talibus verbis compellaſſe: *Atho infelix, ad cælum vſque porrecte, ne meis operibus facias tuos lapides magnos, & ad elaborandum difficiles; alioquin te exciſum proijeiam in mare.* Et Seneca, Cyrum feſtinantem ad bellum (cuius maxima momenta in occaſionibus ſita eſſe, nemo eſt, qui inficietur) Babylonem oppugnaturum, Gyndo Fluuio, adeò indignatum fuiſſe refert, (quòd illum C transmeando ex regijs equis vnus abreptus eſſet) vt iureiurando affirmarit, amnem illum regis commeatum auferentem eò ſe redacturum, vt tranſiri, calcariq. etiam à fœminis poſſet. Sic omnem belli apparatum eò transferens, tandiu aſſedit operi, donec centum, & octoginta canalibus diuiſum, in trecentos, & ſexaginta riuos diſpergeret, ſiccumq. in diuerſa fluentem relinqueret. Ex quo illi perijt & tempus, & militum ardor, quem inutilis labor fregit, & occaſio aggrediendi imparatos, dum ille bellum indictum hoſti cum flumine gerit, eluſit: etenim, vt magnus docet Gregorius: *Dum perturbata mens iudicium ſuæ rationis exaſperat, omne, quod furor ſuggerit, rectum putat*: quo pacto rubra omnia, & cærulea illis apparere ſolent, qui, rubro, aut cæruleo vitro oculis obiecto, conſpiciunt. Ideò Chryſoſtomus: *Puri*, ait, *ab ira ſimus: nam nihil puri poteſt ingredi, vbi ingreditur furor: ſicut enim in tempeſtate maris magnus eſt tumultus, magnus clamor, & nec ad tempus poteſt quis philoſophari, ſic neque in ira. Non vides, quomodo, quando volueris de aliquibus neceſſarijs loqui, locos à turbatione mundos obſeruamus? Si autem quis foris eſt tumultus, impedit; multò magis in terra turbatio*: hæc ille.

Greg. l. 5. moral. c. 31. D

Chryſoſt. hom. 37. in act.

Quare Seneca, hac de cauſa monet, ne irati aliquid faciamus: *Cum*, dicens, *iratus fueris, nihil agas, nihil dicas, quod ab ira imperetur.* Sicut nec nautæ vela vètis in tempeſtate permittunt, ne ſe periculo exponant naufragij; ſed tempus tranquillum ad nauigandum expectant, quod ſe facere conſueuiſſe teſtatur Dauid, dũ ait: *turbatus ſum, & non ſum loquutus.* Hinc Athenodoro eflagitãti, vt domum ſibi ſuam ſenectutis cauſa redire liceret, conceſſit Auguſtus, cui volẽs ille aliquod Philoſopho dignum monumentum relinquere, eidem vale dicendo, hæc habuit: *Cæſar, cum fueris iratus, ne quid dixeris, feceriſue prius, quàm Græcarum literarũ viginti quatuor nomina apud te recenſueris.* Cæſar autem, philoſophi dextram, hæc audiens, amplexatus: *Adhuc*, inquit, *te præſente opus eſt mihi*, illumq. per integrum deinceps

Sen. vbi ſup. In ira nihil agendum. E

Pſ. 76. 5.

Plutarch. in apopht. Rom.

annum apud ſe retinuit. Et B. Ambroſius Theodoſio iniunxit, vt pœna capitis nullus plecteretur, niſi poſt triginta dies à ſententia lata, quod etiam lege ab illo poſtea cautum eſt.

Hiſt. tripart. l. 9 c. 30. F

Sed quia morbus iſte nullũ, eũm viget, remedium admittit, vt Plutarchus ait; ideò antequàm in illum incidamus, nos opportunis præmunire remedijs neceſſe eſt: nã quo pacto illi, qui vnà cũ ipſis ædibus incenduntur, tumultu, fumo, & caligine ita confunduntur, vt eos, qui ſubuenire ſibi cupiunt, nec audire, nec videre poſſint; ſic irati in ipſa iræ caligine, propoſita nequeunt remedia percipere. Sicut etiam nec peruicacem, frænoq. minimè parentem equum, poteſt quis fræno in ipſo curſu cohibere. Quare, ſicut illi, qui obſidionem expectant, ante hoſtis aduentum ſe ipſos rebus neceſſarijs præmuniunt; ita qui animo ſunt ad iram præcipiti, multo ante ſe ipſos præmunire debent, ne ex improuiſo ab hoſtibus opprimantur. G

Verùm inter varia iræ remedia, illud ſine dubio præcipuum cenſendum eſt, quod affert Plutarchus, dum ait: *Radix iræ inordinatus amor ſui eſt, cupiditas nimia, ſuperbia, elatio animi, hæc tolle, & remedium appoſuiſti iræ.* Hinc de Stephano ſeruo Dei, memoriæ prodidit Gregorius, quòd eũm inuidus homo vniuerſam ipſius ſegetem, qua alendus ipſe cũ diſcipulis ſuis erat, incendio conſumpſiſſet, eiq. dixiſſet quidã. *Væ; tibi enim malum contigit*: reſpondit: *Væ ei, qui incendit, mihi enim quid contigit?* nam, cùm neque inordinato amore ſui, neq; diuitiarum teneretur, facilè ſine aliqua animi perturbatione, malum ſibi illatum pertulit. Etenim, quo pacto ſolent aſpides binæ incedere, earumq. altera alterius cauſam, defenſionemq. ſuſcipere; ſic iraſcibilis concupiſcibilem ita ſemper comitatur, vt illius cauſam agat, & à lædente defendat: quod ſi cõcupiſcibilis per virtutes morales eo ſit conſtituta moderamine, vt lædi non facilè poſſit, nec iraſcibilis in lædentem inſurgit. Sic percuſſum colaphò aliquando Socratem, nihil aliud dixiſſe ferunt, niſi moleſtum valde ſibi eſſe, quòd neſciret, quando ad colaphos tutò excipiendos eum galea prodeundum eſſet.

Plut. lib. de cohib. iræ. Quæ ſit iræ cauſa.

Greg. in dial. lib. 4. 19.

H Iraſcibilis animæ pars concupiſcibilem defendit.

Socratis mira patientia.

Moderandi igitur, componendiq. appetitus, vt ira componatur, & quieſcat. Vnde B. Paulus ait: *Date locum iræ*: quod cùm de ira Dei, & de ira noſtra intelligi poſſit, vtriq. locũ dare debemus: Et quidem iræ Dei, ne nos interficiat; nã ipſius cùm ſit, illatã nobis vindicare iniuriã, vnde ait, *Mihi vindictam*, nemo eã ſibi vſurpare, & arrogare impudenter debet, ne cadat ſuper illum mors, quam aliàs lædenti Deus ipſe parauerat: ſicut illi contingere non rarò ſolet, qui dum ſe inter duos certantes litis componendæ gratia medium infert, vulnus hoſti paratum in ſe ipſo ſuſcipit. Dare etiam locum iræ

Appetitus moderandi, vt ira tollatur.
Ro. 12. 19.
Iræ locus quomodo dandus ſit.
I
Ibidem.

propriæ debemus, ita nimirum, vt exeat: nam, ſicut fornacem, in qua eſt ignis inclnſus, ni ſpiramen habeat, pluribus locis frangi neceſſe eſt; ſic ira, niſi per patientiæ foramen exitum habeat, nos ipſos interficit: *Virum*, enim, *ſtultum*, ait Iob, *interficit iracundia*; cùm contra de viro forti, ac patienti egregiè poëta ille cecinerit:

Baptiſta Mãt.

Fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Oppida, nec virtus altiùs ire poteſt.

Et rurſus:

Ardua res viciſſe alios, victoria maior
Eſt, animi ſtuctus compoſuiſſe ſui.

Quòd vitium deteſtabiliſſimum ſit inuidia, reſq. iniuſtiſſima ſimul, & iuſtiſſima.

DOCVMENTVM III.

A SED cur peſſimns iſte Niniuita ſanctiſſimum Patriarcham regi puniendum detulerit, non ſatis liquet: cauſa mihi inter cæteras probabiliſſima innidia videtur, quàm fortè cum ſuis diu ante contra illum contraxerat, nimirum, à tempore Salmanaſar regis, quando regijs illum negotijs præpoſitum viderat; vt iam gauderet videre dolentem, quem videre gaudentem doluerat. Eſt enim ſolius inuidiæ proprium de aliena cruciari felicitate, & de dolore lætari, & quibus cæteri pingueſcunt bonis macreſcere. vnde poëta ille cecinit:

Horat. epiſt. 1. ad Lol.

Inuidus alterius macreſcit rebus opimis.

Quare ſicuti vaccæ illæ macilentæ, quas in
B ſomnis vidit Pharao, pingues alias ſeptem deuorarunt; ita illi tabeſcentes inuidia eorum, quibus inuident, pinguedinem deuorare curant. Etenim, vt dixit olim Cato ſenior: *Non verbis, ſed bonis, quæ nos circumſtant, inuident homines*. Vnde Plutarchus: *Nemo eſt*, ait, *qui miſeris inuideat, ſed quemadmodum cantharides lætioribus frumẽtis, & viridioribus roſis maximè inhærent; ita inuidia eos præcipuè tangit, qui boni ſunt, quiq. ad virtutem, gloriamq. graſſari videntur*. Gregorius Nazianzenus de hoc vitio loquens, illud iuſtiſſimũ, ſimul & iniuſtiſſimum vocat: *Inuidia*, dicens, *eſt iuſtiſſima, & iniuſtiſſima res*: quibus ſanè verbis optimè huius vitij natura explicatur. Ideò enim res iniuſtiſſima dicitur, qnia optimæ virtuti, charitati ſcilicet, ſe opponens, omne, quod eſt iniuſtum, ſuperat: quare illam Iacob feram peſſimam appellauit, quando mortem Ioſeph inuidia fratrum venditi illacrymans, ait: *Fera peſſima deuorauit filium meum*
C *Ioſeph*. Et quidem iniuſta eſt auaritia, quæ ſua communicare reſpuit: at iniuſtiſſima inuidia, quæ nec aliorum vult, nec ſua bona communicare; ſed omnia, & ipſam diuinæ bonitatis immenſitatem, ſi poſſet, ſuis commodis coarctare. Iniuſta ſunt ira, & odium, verùm à malitia lædentis proximi aliquando ducunt originem; at iniuſtiſſima inuidia tota eſt ab ipſa inuidentis malitia. Iniuſta res eſt gnla, & luxuria, ſed ab inuidia ſnperantur, quòd illa, licet iniuſta ſint; à ſpecie tamen apparentis boni attrahuntur; iſta tamen, non bonum, ſed malum tantummodo proximi quærit, eoq. ſolummodo delectatur: Vnde Baſilius: *Inuidia*, inquit, *dolor eſt de proximi proſperitate*, & quidem tantns, vt à lacrymis vix ſe abſtinere inuidus queat: vnde poëta ille de eo cecinit:

Cato ſenior. — *Plut. de od. & inuid.* — *Greg. Naz. in orat. quadã.* — Inuidia eſt res iniuſtiſſima. — *Geneſ. 37. 33.* — *Baſil. hom. de inuid.* D

Vix retinet lacrymas, qui nil lacrymabile cernit.

Ouid. 2. met.

Et Chryſoſtomus: *Inuidus*, ait, *alienas iacturas ſuum quæſtum putat*. Quare, vt teſtis eſt Macrobius, cùm olim in publicis triumphis, omnibus gaudendnm eſſe Romani exiſtimarent; bullam rotundam, & in cordis figuram formatam ante pectus triũphantis annectebant in collo, vt inuidentibus facerent ſatis, ſic ille: *Bulla*, inquit, *geſtamen erat triumphantium, quam in triumphis præ ſe gerebant, incluſis etiam intra remedijs, quæ crederent aduerſus inuidiam valẽtiſſima*: nam cùm illa humanarum rerum inconſtantiam, & fluxibilitatem ſignificaret, triumphum illum non niſi breui tempore duraturum, eo ſymbolo demonſtrabant; vt vel tali pacto E
malorum conſideratione, & inuidi gandere poſſent. Sic dum in Chriſti morte amarè Angeli flerent, ſimulq. cũ illis creata ferè omnia ſignum pręſe doloris ferrent: (nã ſol obſcuratus eſt, terra tremuit, petræ ſciſſæ ſunt, mare infremuit, ſepulchra aperta ſunt, &c.) ſoli Iudęi, qui Chriſtum propter inuidiã tradiderãt, malum, quod optauerant, iã aſſecuti, lætabãtur. Sed cùm & illis in eo ſolẽni luctu triſtandum eſſet, voluit Deus, in ipſa Crucis ſummitate hanc poni inſcriptionẽ, I. N. R. I. quę cùm gloriã triũphantis oſtenderet, tanto illos dolore affecit, vt protinus ad Pilatum euntes, illam tolli efflagitauerint; ſed negauit Pilatus: vnde, & ipſi vel nolentes dolore F
affecti ſunt. O iniuſtiſſima planè res inuidia!

Chryſoſt. in Matth. hom. 4 — *Iſa. 33. 7.*

Sed illius etiam iuſtitia ex eo maximè liquet, quòd ipſa ſecum grauiſſimam ſui pœnam ferat: nã quo pacto ſanitas cordis omnibus animi, corporiſq. paſſionibus prodeſt; ita inuidia & animæ nocet, & corpori. Hinc ſapiens: *Vita carnium*, inquit, *ſanitas cordis, putredo oſſium inuidia*. Sanitas cordis, hoc eſt, vt notat Epiphanius, ſanitas mentis. Eſt enim inuidia non tantùm putredo carnium, quæ infirmiores ſunt corporis humani partes, ſed etiam oſſium, ac tabes omnium internorum, ſolidiorumq. membrorum corporis: nam vt poëta ille de innido cecinit:

Inuidia quomodo iuſta ſit. — *Prou. 14. 30.* — *Epiphan. in Ancherato.* — Inuidia mẽbrorum corporis, & animi tabes.

Sed videt ingratos, intabeſcitq́. videndo
G *Succeſſus hominum, carpitq́., & carpitur vnà,*
Suppliciumq́. ſuum eſt.

Quare illam erucæ Amos comparat, dicens: *Oliueta veſtra, & ficeta veſtra comedit eruca;* quòd eruca, ſicut docet Hieronymus, nõ aduolet, vt locuſta, & huc, illucq́. diſcurrat, ſemeſa dimittens pabula, ſed perituris frugibus inſiſtit diù, tardoq́. lapſu, pigriſq́. morſibus vniuerſa conſumit. Sic inuidia bona corporis, & animi ſemper exedit, nec aduolat, ſed quieſcit, donec pertinaci, fœdoq́. morſu quicquid poteſt omnino corroſerit, atque conſumpſerit. Vnde Gregorius: *Inuidia,* ait, *cum meninem caleſecerit, cuncta, quæ inuenerit benè facta conſumit:* nam quo pacto rubigo ferrum conſumit, ita inuidum inuidia. Sic Menander:

Amos 4. 9. Hier. ibi. Inuidia erucæ ſimilis.

Greg. in mor.

Menander apud Stobæũ.

Omnes corruptionis cauſæ veniunt intriuſecus:
H
Vt ferrugo, ſi conſideres ferrum, ſi veſtes, tinea, teredo, ſi lignum ſpectes.
Inuidia verò malorum omnium peſſima:
Tabidum fecit hominẽ, & faciet, & facit
Propter impias animæ praua cogitationes.

Hinc Baſilius, & Bernardus inuidiam cum vipera comparant, quòd, ſicut illa, prolem non niſi diſrupto, ac lacerato ſuo ipſius ventre in lucem producat: Vnde Cyprianus, docens, inuidum omnium miſerabiliſſimũ eſſe ait: *Quiſquis ille eſt, quem zelo, perſequeris, ſubterfugere, & euitare te poterit: tu te fugere, & vitare non potes: vbicunq; fueris, & aduerſarius tuus tecum eſt: hoſtis ſemper in pectore tuo eſt: pernicies intus incluſa eſt: ineluctabili catenarũ nexu ligatus, & vinctus es: zelo dominante captiuus es, nec ſolatia tibi vlla proueniunt.* Etenim nec cibus talibus lætus, nec potus poteſt eſſe iucundus, & paulo poſt: *Mala cætera habent terminum, & quandocunq; delinquitur, delicti conſummatione finitur. In adulterio ceſſat facinus, perpetrato ſtupro: in latrone conquieſcit zelus, homicidio admiſſo: & prædoni rapacitatem ſtatuit præda poſſeſſa; & falſario modum ponit impleta fallacia: zelus terminum non habet, permanens iugiter malum, & ſine fine peccatum; quantoq́. ille, cui inuidetur, ſucceſſu meliore profecerit; tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardeſcit.*

Baſil. & Bernardus. Inuidia viperæ ſimilis. *Cyprianus de zelo, & liuore circa med.* Inuidus hominum omnium miſerabiliſſimus.

I *Idem paulo inferius.*

Eſt itaque iniuſtiſſima, & iuſtiſſima res inuidia, quàm ille vitat, qui alieno bono tanquam proprio gaudet. Sanè cùm Ioannis
L aliquando diſcipuli veniſſent dicentes: *Magiſter cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum:* ille reſpondit: *Qui habet ſponſam ſponſus eſt, amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi: hoc ergo gaudium meum impletum eſt.* Ac ſi dixiſſet: ſicut enim ſponſi amicus amici gaudet coniugio, eximioq́. ſponſæ erga illum amore; ita ego magnam capio lætitiam, cùm homines, (quibus Chriſti contincitur Eccleſia) ad Ieſum cõfluentes audio. Hoc ergo animo, hac mẽte eſſe debemus, cùm alios glorioſos videmus, nemini inuidentes bonũ.

Io. 3. 26. 29

VERS. XXIII.

Tobias verò cum filio ſuo, & cum vxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum.

1 *Fuga cedendum iræ perſequentium.*
2 *Nudus pro paupere.*
3 *Multi, qui Tobiam diligebant, qui.*

1 TOBIAS *verò.* Arabs: *Fugitq́. Tobias ipſe, & filius eius, & vxor ſua.* Sic fugit Moyſes furorem Pharaonis, volentis ſe occidere propter interfectum Aegyptium, & manebat in terra Madian. Fugit Dauid iram Saulis, Elias iram Iezabel; fugerunt, & in nouo teſtamento BB. Paulus, & Barnabas impetum Iudæorum, Sanctus Athanaſius hoſtium inſidias, neceſſarios ſuos hac voce compellans: *Secedamus ad tempus, nubecula eſt, quæ cito euaneſcet.* Cùmq́. illi fuga probro ab infidelibus daretur: *Si,* inquiebat, *fugere mihi turpe; vobis me perſequi turpius.* Sic S. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus Romam ad tempus ipſe quoque ſeceſſit. Sanctus Felix Nolanus presbyter tres ipſos menſes, eoq́. amplius in domo viduæ cuiuſdam delituit: concipiebant enim animo viri ſancti, quantum in fuga emolumenti ſitum eſſet; quippe qui fugientes redire ad ſuos poſſent, eiſq́. iterum aliquando prodeſſe: laude dignum eſſe, vbi nullus Dei honor, vel Eccleſiæ vtilitas aliud omnino poſtulare videatur, fuga iræ perſequentium cedere. Sic Demoſthenes, auctore Plutarcho, olim clypeo ſuo aureis literis inſcripſerat ἀγαθῇ τύχῃ, ideſt bona fortuna, attamen cùm ad pugnam ventum eſſet, clypeo proiecto, aufugit: quod cùm ei probro verteretur, eluſit vulgato verſiculo: *Vir fugiens reintegrabit prælium,* inſinuans patriæ, vtilius eſſe fugere, quàm in prælio dimicantem occumbere: mortuus enim non pugnat; at qui fuga incolumem ſeſe cõſeruauit, poteſt adhuc in multis prælijs ſua vtilis eſſe induſtria. Et de Antigono narrat idem Plutarchus, quòd aliquando cedens imminentibus hoſtibus, dixerit: *non fugio, ſed opportunitatem à tergo ſitam proſequor.*

VERS. XXIII. *Arabs.*

Exod. 2. 2. Reg. 20. Act. 14.

Iræ, & perſequutionibus cedendũ, niſi aliud Dei honor, & Eccleſiæ vtilitas exigat.

Plut. in vita Demoſthenis.

Plutarchus in Apophth.

2 *Nudus latuit.* Nam, vt legunt LXX. *direptæ ſunt omnes ſubſtantiæ meæ, & non remanſit mihi quidquã, præter Annam vxorem meam, & Tobiam filium meum.* Dicuntur enim pauperes nudi, vt eſt apud Iob,

LXX. Pauperes aliquando in ſacris literis dicuntur nudi.

Iob 22. 6.
Orig. in Iob.

vbi Eliphaz eundem Iob alloquens: *nudos*, ait, *ſpoliaſti veſtibus*. Quo loco Origenes: *Atqui nudos ſpoliare qui poterat? Nudos igitur valde inopes cogitare debemus, qui non alteram habent veſtem.*

Niniuitæ Tobiam diligebant.

3 *Quia multi diligebant eum*, Nimirum, ex Niniuitis, cùm nec minima de Iudæis oriri ſuſpicio potuerit, quòd illum non diligerent, & quoad poſſent, protegerent, quippe qui omnes in eadem eſſent cum illo captiuitate poſiti, eiuſdemq́. eſſent cum illo gentis, ac patriæ, vt interim beneficia miſſa faciam, quibus Tobias illos ſibi omnes deuinxerat.

Præterea cùm verſiculo ſuperiore dictum ſit, Tobiam inuidia cuiuſdam Niniuitæ regi, vt perduellem, regijq́. tranſgreſſorem præcepti, delatum fuiſſe; ſatis liquet, multam quidem eſſe ſuſpicionem de reliquis Niniuitis potuiſſe: de Iudæis autem nec minimam. quare ad illam tollendam non modo non omnes Niniuitas Tobiæ infenſos fuiſſe legimus; ſed ex eis multos, quòd illum diligerent, latibulum fugienti præbuiſſe.

Quòd virtus ſolo labore, ac ſolertia acquiri poſſit.

DOCVMENTVM.

A
S. Auguſt. in quæſt. ex vtroque teſtam. mixt. c. 19. in fin.

AVGVSTINVS, ſiue auctor quicunque ille ſit, quæſtionum ex vtroque teſtamēto, mixtim magnam hic Tobiæ virtutem exaggerans: *Quam laudabilis*, inquit, *ſit ſanctus Tobias ſcriptura docemur, cuius deuotionē nec captiuitas minuit, nec exhauſta ſubſtantia à via virtutis auertit*. Neceſſitas probat iuſtum: in egeſtate æquitatem ſeruare, vera, ac perfecta iuſtitia eſt: vnde enim quorundam deuotio minuitur, inde augmētum facit laude dignus Tobias:

Virtus Tobiæ quanta.

Neque enim erat eius virtus, vt parua ſcintilla, quæ facilè extinguitur; ſed vt magnum incendium, quòd ventis, hinc inde flatu vehementiori inſurgentibus, magis magiſq́. amplificatur & creſcit: non aqua parui fontis, quæ vel minima quauis è cælo ſuperueniente pluuia perturbatur; ſed aqua maris profundiſſima, quæ nulla tempeſtate cæruleum colorem amittit, quòd illa colorem ſuum à terra, iſta à cælo ſumat:

B
Virtus conſtans eſſe debet.

non talis multorum virtus, quæ in minima quaque tempeſtate, quaſi riui aquarum, perturbatur, qualis fuit filiorum Ephrem, de quibus

Pſ. 77. 9.

Pſaltes: *Filij Ephrem*, inquit, *intendentes, & mittentes arcū conuerſi ſunt in die belli*: quam idcirco non veram fuiſſe virtutem, [illegible]mo inficiabitur. Quare hęc ſanctiſſimi noſtri Patriarchæ virtus profundiſſima nobis imitanda eſt, quæ à noſtris pectoribus nulla vi, nulloq́. vnquam tempore poſſit euelli. Magna hæc ſanè res eſt, & ardua: ſed quæ ſolùm, vt B. Paulus ait, *in ſublimitate æternū gloriæ pondus operatur in nobis*. Etenim ſicuti dulcem fructuum ſuccum guſtare nequaquam poſſumus ſine eo, quod per amaras arboris radices pertranſeat; ita nec virtutis, niſi per magnos labores: nam

2. Cor. 4. 17
C

Dulcia nō nouit, qui non guſtauit amara.

Quòd illa ſint χαλεπὰ τὰ καλά, *difficilia, quæ pulchra*, vt ait Plato: Vnde Ieremias virgam virtutis, qua actiones diriguntur humanæ, virgam vigilantem appellat, vt non niſi vigilia, ac labore illam acquiri poſſe ſignificaret: vel, vt Theodotion interpretatur, *virgam amigdalinam*; quòd dulcis amigdalæ fructus, nempe virtutis, duris in coleolis cùm recludatur, non niſi magno labore, & induſtria obtineri poſſit.

Plato.
Virgam virtutis vigilantem cur viderit Ieremias.
Ierem.
Theodotion.

Verùm cùm ſoli virtuti honos, & gloria debeatur, vt increata Sapientia teſtatur, dicens: *Flores mei fructus honoris*. ſequitur, neminem neque honorem, neque gloriam poſſe adipiſci virtutis, niſi per magnas difficultates, quòd, ſicut Ambroſius teſtatur, *non ſit glorioſa victoria, niſi vbi fuerint glorioſa certamina*.

Eccl. 24. 23.
D
Ambr. lib. 1. offic.

Quare cùm in arena vir quidam Romanus aliquando luderet, peltamq́. lignei ſimulacri maxima dexteritate ictu haſtæ feriret, & à Philoſopho Demoſthene, ſpectaculo aſtante, glorioſè ne ſe gereret, quæſiuiſſet, reſpōdit ille: *glorioſè quidem, nimirum, aduerſus hoſtem ligneum*: talibus verbis indicans, non illum laude dignum cenſendum, qui facilia, ſed qui ardua gereret, quiq́. contra inimicos reſiſtentes, non contra cedentes, certaret.

Non magna virtus, vbi non magni ſunt hoſtes ac difficultates.
Pyrrhus rex Epyrotarū.
E

Sic Pyrrhum Epirotarum regem (Epirus autem eſt, quæ nunc Albania vocatur) à filijs aliquando interrogatum, quis ipſorum regni eſſet hæres futurus; reſpondiſſe ferunt, qui ex vobis enſem habuerit acutiorem; qui nimirum maiori labore illum ab hoſtium oppreſſionibus defendere poterit. Quin & ipſe Dominus, de regno cælorum agens, *violenti*, ait, *rapiunt illud*, quòd violentus ille ſit, qui ſibi ipſi vim facit, & laborat, vt per arduam virtutis viam incedendo ad cælum perueniat. Hinc Dauid, iuſtum palmæ aſſimilans: *Iuſtus*, ait; *vt palma florebit*, & Sponſus in canticis de eodem verba faciens: *Statura*, inquit, *tua aſſimilata eſt palmæ*: nam quo pacto, vt Aulus Gellius docet, ſicut ſuper palmę lignū magna pondera imponas, ac tā grauiter vrgeas, oneresq́. vt magnitudinem oneris ſuſtinere nequeat, non tamen frangitur palma, nec infra flectitur, ſed aduerſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur, recuruaturq́.; ita viri iuſti, nullo vnquam tempore, vrgentibus, ac penè opprimentibus, paſſionum difficultatibus, cedunt.

Pſ. 91. 13.
Cant. 7. 7.
Gell. noct. att. lib. 6. c. 6.
F
Palmæ natura mirabilis.

Præterea ſicut palma inter acutiſſima folia, enſium figuram præſeferentia, flores ſuos, & fructus, poſt longiſſima tempora,

Alia palmæ proprietas.

poſt multorum annorum æſtus, & pruinas producit; ita illi inter enſes difficultatum, poſt multos exantlatos labores, flores, & fructus producunt virtutis.

Quintius.

Quod etiam Quintius Græcus auctor pictura quadam virtutis non inconcinnè ſignificauit, illam in rupis altiſſimæ vertice ſuper

Sedes virtutis altiſſima.

arbore palmæ conſidentem proponens, vn-

G

dequaque tantis difficultatibus circumſeptam, vt nullus ad illam, niſi per magnos labores acceſſus pateret. Quare. *amans vitam beatam*, ait Auguſtinus, quæ nimirum virtute acquiritur, *timebam illam in ſede ſua*; amabat enim illam, quòd pulchra eſſet: vnde & ad illam conſcendere volebat, ſed timebat, multis vndique gradibus, ijsq. præmunitis, illam circunuallatam intelligẽs.

Aug. lib. 1. Confeſſ.

Similitudo.

Ita vſu venire illi ſolet, qui domum ſibi, ad animum curis aliquando diſtractum, variéq. occupatum, recolligendum, ædificare deſiderat, quam varijs pretioſisq. ornamentis, ſolarijs, viridarijs, & ambulacris ornare conſtituit, multaq. alia de illa cogitat: in quorum conſideratione, ac ſi facta iam eſſent, exultat, qui cùm primũ ab architecto audit,

H

ædificium eiuſmodi non niſi decẽ, aut duodecim millium aureorũ ſumptu perfici poſſe; ita repente percellitur, animumq. deſpondet, vt ſtatim de domo perficienda cogitationem omnem deponat. Sic, inquit Auguſtinus, amabam equidem vitam beatam, ſed timebam illam in ſede ſua, cùm meam, nimirum, fragilitatem, impotentiam, aſcenſusq. difficultatem conſiderarem. Cæterùm cùm ipſum habeamus in tali aſcenſu adiutorem Deum, non eſt, cur timeamus: nam:

1. Cor. 10. 13.

Fidelis Deus, ait B. Paulus, *qui non patitur, vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere*. Pyrrum ferũt Epirotarum Regem, de quo ſupra, cùm duas de Romanis victorias magna cum laude reportaſſet, poſt ſecundam, cum recenſeret exercitum, adeò diminutum ſenſit, vt dicere minimè dubita-

I

uerit: *Si adhuc vno prælio Romanos vicerimus, actum eſt de nobis*. Infelix certè victoria, quæ tanto acquiritur diſpendio. At non huiuſmodi eſt virtutis victoria, ſed in illa victor ſemper viribus creſcit, & facit cum tentatione prouentum, ſicut Sol, vt docet

Caſſiod.

Caſſiodorus, qui quanto magis aſcendit, tantò ſplendidior, calidior, potentior apparet. Ad quem itaque modum res graues, & ponderoſæ aſcendendo ſemper debiliores fiunt, & deſcendendo fortiores, quia aſcenſus illis violentus eſt, & naturalis deſcenſus, quod nõ contingeret, ſi aſcendendo mutarẽt naturam leuitatemq. induerent; ſic homo, licèt à cor-

Via virtutis ipſo fit progreſſu facilior.

pore corruptibili aggrauetur; cùm tamen in aſcendendo per viam virtutis, grauitatẽ ſemper, & imperfectum corruptionis amittat, paulatim naturam leuitatis acquirit, ita vt non velociùs deinde deorſum, vt res graues ſolent, ſed ſemper maiore facilitate ſurſum ad centrum ſuum, quod Deus eſt, tendat. Sic B. Paulus, cum plus cæteris in virtute laborauerit, adeò virtutis naturam induerat, vt diceret: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Rom. 8. 35.

VERS. XXIV.

Poſt dies verò quadraginta quinque occiderunt regem filij ipſius.

VERS. XXV.

Et reuerſus eſt Tobias in domum ſuam, omniſq. facultas ſua reſtituta eſt ei.

1 *Quo tempore occiſus Sennacherib.*
2 *Quando & cur occiſus à filijs.*
3 *Cur non percuſſus ab Angelo.*
4 *Quando Niniuen Tobias redierit.*

1 POST *dies verò quadraginta quinque*. Syrus, & Græcus: *Et non tranſierunt dies quinquaginta*. plerique codices Græci legũt ἡμέραι πεντηκονταπέντε, *dies quinquaginta quinque*. Arabs: *poſt dies verò viginti quinque*: hoc eſt, antequàm quinquaginta dies præterirẽt ab acceptæ cladis principio, non, vt perperam multi interpretantur, ab exilio Tobiæ, quem Hebræus decem, & nouem tantummodò diebus delituiſſe docet.

VERS. XXIV. *Syrus. Græcus. Arabs.*

Hebræus hic.

2 *Occiderunt Regem filij eius*; Quòd, ſicut docet Lyranus ex ſententia Rabbi Salomonis, ſtulta Abraham æmulatione, ſicuti Hebræus hic etiam docet, vt proſperitatem ab Idolo Dagon impetraret, timens ſuorum odia, qui grauiter ferebant filios, & amicos extinctos, duos ex ſuis filijs immolare ſit auſus: ſed illi nefarios patris conatus anteuertentes, eum, Idolo ſuo in Templo ſacrificantem, priores ipſi mactarunt. Nam, vt habetur apud Iſaiam, *cum adoraret in Templo Neſroch Deum ſuum, Adramelech, & Saraſer filij eius percuſſerunt eum gladio, fugeruntq. in terram Ararath, & regnauit Aſarhaddon filius eius pro eo*: ſeu, vt LXX. hoc loco addunt, *& regnauit Sarchedonus filius eius pro eo*. Parricidæ, vt etiam Regum narrat hiſtoria, in montes Ararath, quæ, vt ibi Gloſſa ait, Regio eſt Armeniæ campeſtris, incredibilis vbertatis, ad radicem Tauri montis, qui illuc vſque protenditur, ſita.

Lyranus in Iſai. 37. 38.

Iſai. 38. 38

4. *Reg.* 18

3 Ex quibus patet, idcirco, vt docet Hieronymus, Sennacherib fuiſſe ſeruatum à plaga, quam circa eum fecit Dominus, de qua ſupra, vt cognoſceret Dei potentiam, contra quam ſuperbè, atque impiè fuerat loquutus; ſimulq. ignominiam ſubiret fugæ

Hier. in Iſaiã

Supr. verſ. 21.

tum in ſuis, tum in aliorum regnis, qui victor ea non multò antea luſtrauerat, quæ ſuperbo regi multo fuit ipſa morte acerbior; vel etiam, vt ſui regni cædem, motusq́. ſuorum contra ſe excitatos, & ſpectaret, & mortem perferret à filijs, qua nihil aſperius.

VERS. XXV.

4 *ET reuerſus eſt Tobias*: Nam, vt reuerti poſſet, precibus obtinuerat à Rege Achiarus Anaël, filius fratris eius, à Sarchedono cõſtitutus pincerna, ab annulo, adminiſtrator Regni, & computator, vt hic L X X. docent.

LXX.

Omnisq́. facultas, &c. Quæ, ſcilicet, reſidua à direptione fuerat, ſed abſque priſtina dignitate *reſtituta eſt ei*: nam, vt ait Ambroſius: *Vix tandem per amicum potuit, direpto patrimonio, egenus, & exul, reſtitui ſuis*. Facultatem poſuit interpres, vt obſeruat Serarius, pro facultatibus, ſicut etiam Cicero copiam pro copijs alicubi poſuit, & in hoc ſenſu à quibuſdam accipitur, quod dicit Paulus l. cùm pluris, &c.

Ambr. de Tob. c. 1.

Cic. ad Attic. lib. 2. epiſt. 17. & 19.

l. cum pluris. ff. de admon. tutel. §. vlt.

Quòd peccati punitionem Deus aliquando differat, vt pœna grauiore peccatorem puniat, & ſpatium pœnitentiæ præbeat.

DOCVMENTVM I.

A

DOCET mors iſta improuiſa Regis Sennacherib, Deum, licèt peccati punctionem aliquando differat; non tamen illius obliuiſci, niſi conuertatur peccator à vijs ſuis peſſimis, & egerit pœnitentiam: vnde Pſaltes: *Niſi*, ait, *conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit*. hoc eſt, niſi conuerſi à peccatis, nimirum, ad virtutes, non vltra Deus punitionem ſuã protrahet, quippe qui iam gladium ſuum euaginauit, iamq́. eum, vt qui iam iam ſit percuſſurus, vibrat: tetendit arcum ſuum, & in promptu habet, in eoq́. ſagittas mortiferas, & ignibus obductas adaptauit. Quare non eſt, cur à Dei furore ſe quiſpiam ſecurum exiſtimet, quia ſtatim ac peccauit, ſupplicio non afficitur: ſentiet enim Diuinam vindictam ad puniendum paratam, quando ſecurior viuet, ſicuti impio huic Regi eueniſſe conſtat, qui cùm incolumis ab Angelo percutiente in Iudæa relictus eſſet; in Niniue tandem Diuinam vltionem, eoq́. grauiorem, quo tardiorem perſenſit. Nam quo pacto ſagittarius, quanto contentiùs neruum intendit, tanto diſtrictior ex arcu ſagitta prodit, & maiore plaga ferit; ſic quanto magis punitio peccati Deus differt, tanto illud pœna grauiore deinde caſtigat. *Vidi impium*, ait Pſaltes, *ſuperexaltatum, & eleuatum ſuper cedros Libani; tranſiui, & ecce non erat, quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.* Ac ſi diceret: vidi impium, non tam exaltatum, quàm ſuperexaltatum, nimirum, ſuper omnes exaltatos poſitum ſuper cedros, & cedros Libani, quæ magnitudine alias ſuperãt; ita eleuatum, vt cum cælo ſua magnitudine contendere videretur. *Fortem, vireſcentem, & radicatum*, ait marginalis Gloſſa: hæc enim tria ſecuritatem arbori faciunt: nam ſi parua illa ſit, facilè abſcinditur, & conſumitur; ſi arida, rumpitur; ſi non radicata, facilè euellitur. Impium itaq́. ſe vidiſſe teſtatur Dauid, *fortem, vireſcentem, & radicatum*, & ſicut cupreſſum, quam feriunt fulmina, vel ſicuti reliquas arbores, quas pulchritudine ſua hyberna frigora ſpoliant: ſed, vt alia habet lectio, *ſicut lauros vigentes*, quæ nimirum ſemper vireſcunt, ac florent. Vidit tandem impium, non cæli fulmine territum, non tribulatione concuſſum; ſed adeò firmum, vt nihil excogitari firmius poſſet: ſed vide quid ſequatur: *Tranſiui, & ecce non erat*: Tranſiui, & quidem, vt magis ipſius viderem pulchritudinem: at cùm iterum illum contemplari vellem, *ampliùs non erat*: quòd vno momento, vno oculorũ ictu euanuerit: & non ſolùm pulchritudinem, ſed totum, quod habebat, amiſerit. O Diuinam vltionem! *Tranſiui, & ecce non erat*: Sic fuerat Sennacherib non ſolùm exaltatus, ſed ſuperexaltatus: at cùm primùm blaſphemia ſua Deum, qui dormire videbatur, excitauit: *Tranſiui, & ecce non erat*: Sic *infirmatus eſt Baſan, & Carmelus, flos Libani elanguit: excitatus eſt enim dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit eis.* Etenim licèt Dominus ad flagellandum, & percutiendum dormire videatur, quaſi potens crapulatus à vino, qui, ſicut potenter bibit, ita dormit potenter, nec facilè excitatur; tamen ſicut ille, vt docet Incognitus, *excitatus* ad iracundiam eſt facilis, & ad actus fortitudinis exercendos potentiſſimus; ita Dominus, completo malitię peccatoris tempore, *excitatus*, illum aliquando percutit in poſteriora, hoc eſt ex improuiſo potentiſſimè caſtigat: nam, vt Origenes ait, *ſicut omnia in pondere, & menſura, & numero fecit Deus; ſic etiam patientia eius certa menſura eſt, quam credendum eſt fuiſſe conſumptam, vel ab alijs, qui in diluuio periere, vel ab ijs, qui Sodomæ cæleſti igne vaſtati ſunt. Vnde & de Amorrhæis dicitur: nec dum completa ſunt iniquitates Amorrhæorũ:* quòd licèt ſtatuiſſet Deus illos poſſeſſione terræ promiſſionis priuare; non priùs tamen id ſe facturum eſſe oſtendit, quàm completæ eſſent iniquitates eorum, tempus nimi-

Pſal. 7. 15.

Differt Deus punitionem, vt grauiore pœna caſtiget.

B

Pſal. 36. 35 36.

Impii exaltatio momentanea.

C

Gloſſ. ordinaria ibid.

D

Habum. 3. 4.

E

Pſal. 77. 65. 66.

Incogn.

Dei patientiæ certa eſt menſura.

Orig. lib. 2. in epiſt. ad Rom. 2. tom. 2.

F

Gen. 15. 16

rum,

Digitized by Google

Peccatũ aliquando in ſacris literis ſumitur pro pœna peccati.

Deus peccatorum opera peccatores ipſos punit.

G

rum, in quod ſtatuerat pœnam peccatis ipſorum debitam, differre. Eſt enim frequens in ſacris ſcripturis, vt iniquitas, ſeu peccatum pro pœna ſumatur peccati, quam quidem pœnam ſolet Deus aliquando differre, vt eorundem peccatorum opera ad ſuos caſtigandos vtatur. Quo pacto vſum fuiſſe legimus opera regum Aſſyriorum, & Chaldæorum, per quos primùm decem tribus, deinde etiam tribum Iuda vehemẽter afflixit, ipſos tandem Aſſyrios, & Chaldæos meritis afficiens ſupplicijs. Vnde ait Iſaias, de Rege Aſſyriorum verba faciẽs: *Veh Aſſur, virga furoris mei, & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea:* & narrationem tormentorum proſequens, quæ populo ſuo per illum Deus parauerat: *Et erit*, ait, *cùm impleuerit Dominus cuncta opera ſua in monte Syon, & Ieruſalem, viſitabo ſuper fructũ magnifici cordis regis Aſſur, & ſuper gloriam multitudinis oculorum eius.* Sic vſus eſt Deus Sennacherib Rege Aſſyriorum, tanquam baculo, vt populum ſuum corrigeret, quem poſtea Diuina ſua vltione viſitans, extrema oppreſſit calamitate. Quod etiam fieri quotidie in Eccleſia Chriſti cernimus, quã per hæreticos olim diù multumq́. exercuit, & hoc noſtro ſeculo exercet: ſicut etiam Chriſtianos circa fidem, & ſtudia pietatis languentes, & frigidos, olim per Gothos, Hunnos, Alanos, Vuandalos, & Longobardos caſtigauit, & ſuperiore hoc ſeculo per Turcas. Sed qualem aliarum barbararum, & ſacrilegarum gentium finem, & interitum fuiſſe legimus; talem futurum hæreticorum omnium, ac Turcarum, cùm eorum fuerint iniquitates completæ, proculdubio ſperare debemus: nam lenta licèt Dei vindicta eſſe ſoleat; eſt tamen certa: vnde de illa quidam poëta cecinit:

Iſai. 10. 5.

H

Horat. lib. 3. od. 2.

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

I

Solet etiam Deus longiùs differre ſcelerum vindictam, vt maius pœnitendi ſpatium peccatores habeant, quòd, ſicut ipſemet apud Ezechielem ait, nolit mortem peccatoris, ſed magis, vt conuertatur, & viuat. Verùm poſt diutinam peccatorum diſſimulationem, longamq́. vltionis dilationem, cum magis inſoleſcat peccator, procedit tandem ad puniendum, eoq́. grauius, quo tardius, vt ſupra diximus. Cuius etiam rei inſignem locum habemus apud Iob, qui peſſimos ſuos conſolatores alloquens, ait: *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo, eleuati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent, & ſicut ſummitates ſpicarum conterentur.* Quo in loco verbum, dandi, gratuitã quandam munificentiam, & liberalitatem indicat. Nam, *ſi malè egeris* (Dixit Deus Caim) *ſtatim in foribus peccatum aderit*, ideſt, vt Oleaſter interpretatur, *propter te eſt punitio peccati.* Quare, ſicuti gratuita quędã eſt principis, ſiue miniſtrorum beneficentia, vt qui capite damnatus eſt, pendente iam ex collo fune, non ſtatim ad ſupplicium educatur; ita magna Dei eſt miſericordia, vt qui peccat, & iam paratam habet punitionem peccati, non ſtatim merito afficiatur ſupplicio. Dat igitur Deus peccatoribus locum pœnitentiæ, mera ſua liberalitate: ſed quia illo abutuntur, cùm eleuantur ad modicum, poſt illud modicum non ſubſiſtunt, quòd auferantur à Deo, & conterantur, ſicut ſummitates ſpicarum; quia, vt S. Thomas dicit: *Non conteruntur ſpicæ, quandiu ſunt in herba, & creſcunt, ſed quando iam ad perfectam maturitatem peruenerunt.* Sic impij non ſtatim puniuntur à Deo, ſed quando ad ſummam peruenerunt peccatorum, ſecundum menſurã à Deo præuiſam. Cùm itaque, ſicut docet B. Paulus, *Nunc ſit tempus acceptabile, nunc ſint dies ſalutis*, breuiſſimum videlicet, tempus ſit, quod Deus Iudex pro ſua bona voluntate nobis ad pœnitentiam conceſſit; *abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*, vt cum ſancto Tobia ſalutem conſequi mereamur.

Ezech. 8. 33.

Peccatorum vltionẽ differt Deus, vt pœnitentiæ ſpatium peccator habeat

Supra hoc eod. documento.

Iob. 24. 23.

L

Geneſ. 4. 7

Oleaſter in hunc locum.

S. Thomas in Iob.

M

2. Cor. 6. 2.

Quòd amicorum ſuorum mœrores magnis ſoleat Deus conſolationibus leuare.

DOCVMENTVM II.

R*EVERSVS eſt Tobias in domum ſuam, omniſq́ facultas eius reſtituta eſt ei.* Solet enim Deus ſuorum dolores aliqua ſemper conſolatione leuare, ne penitus animo concidant. Sic Ioſephum poſt longos carceres ad regni gubernacula perduxit: ſic filios Iſraël multis in Aegypto vexatos laboribus, in manu potenti ab Aegyptijs liberauit: quin & eoſdem labore itineris grauatos, & calore Solis æſtuantes, nube protexit, & fame oppreſſos, pane, qui, vt in libro Sapientiæ dicitur, *omne delectamentum habebat ſuauitatis*, pauit. Sic etiam Mardochæum, ab imminenti morte liberauit, & primum à rege fecit, tali pacto ſuam in eos, quos diligebat, filios, dulcedinem demonſtrans: quo ferè modo in ſpiritualibus anguſtijs omnibus ſe diligentibus præſto eſt, & è longiſſimis ærumnoſiſſimiſq́. exilijs cum Tobia reducit; nunquam tamen afferens pacem, niſi belli ſignum præmittat: quod in Geneſi figuratum voluit, quando Noe arcum cæli, qui ad ſimilitudinem arcus bellici in nubibus roridis efformatur, futuræ pacis ſymbolum dedit: *Ponam*, inquiens, *arcum meum in nubibus cæli.* Sed quanta ſit pax, & conſolatio, quæ poſt bellum, & tempeſtatem ſuis ipſe præ-

A

Geneſ. 41. 40.

Exod. 12. 41.

Sap. 16. 20

Eſther. 8. 2.

Deus pacem non niſi poſt bellum ſuis afferre conſueuit.

B

Gen. 9. 13.

ſtare

ſtare ſolet, indicat Pſaltes, dum ait: *Quam abſcondiſti timentibus te: Quàm magna* dicens, quo pacto etiam ad exaggerandam Diuinæ bonitatis magnitudinẽ dixerat: *Quàm bonus Iſraël Deus:* Et ad exaggerandam Diuinorum operum præſtantiam: Quàm magna ſunt opera tua Domine: ita & nos, cùm

C

rem aliquam verbis augere volumus, dicere ſolemus: quàm magnam rem! quàm pulchrã! quàm præclaram! &c. hoc pacto indicantes, tantam eſſe rei magnitudinem, pulchritudinem, &c. vt nullis eam verbis explicare valeamus. Quare Ambroſius magnitudinem conſolationum animæ ſanctæ in Cãticis explicans, illam ſic Dominum alloquentem introducit: *Quàm citò guttur meum dulcedinem gratia tuæ attingit, ita me recreatam ſpiritu, & amore terrenarum in superna translatam ſentio, ac ſi in cellam vinariam introducta ſim, noui meri odore, & poculo refertam.* Nam talis eſt meri natura, vt non ſolùm ſapore, ſed etiam odore facilè mentem lætificet, & exhilaret: ſic Deus poſt labores animam hoc diuinarum conſolationũ

Ambroſ. *Cant.* 2. 5.

Diuinæ dulcedinis magnitudo, ac præſtantia.

D

mero lætificat, quo nihil caſtius, ſapidius, aut calidius eſſe poteſt: caſtius, quia quo magis bibitur, eo magis cõcupiſcentiæ ſitim extinguit, quòd *vinũ* illud ſit *germinãs virgines:* ſapidius, quia præbet guſtum, &, vt Dauid loquitur, oſtendit, quòd *ſuauis eſt Dominus, & lætificans corda:* calidius, quia velut ignis piorum mentes inflammat, renes vrit, & corda potenter inebriat, animam vſque ad ſui obliuionem in ſolitudinem ducens, in qua Deus, vt Oſeas dicit, *loquitur ad cor eius*, blandis nimirum verbis eam conſolando: nam *loqui ad cor*, inquit Hieronymus, *eſt blandis verbis conſolari*, quod Deus ſolus præſtare poteſt, qui ſolus eſt ſolatium, & leuamen cordis: etenim Dei, mundiq. ſolatia in hoc maximè differunt, quod illa interiorem cordis lætitiam; iſta verò externam tantummodo afferant: illa animam ſine faſtidio ſatiant; iſta verò vix habita faſtidium generant, eoq. maius, quo plus eorum poſſidetur: habent enim iſta limitatã perfectionem, quæ tandem conſumitur, ſuiq. deſiderium inane relinquit.

Pſ. 33. 9.

Pſal. 103. 15.

Oſea. 2. 14.

Loqui ad cor quid ſit.

Hier. in Oſeã. c. 2. 14.

Mundi ſolatia à Diuinis qua ratione differant.

E

Ita nullæ ſunt epulæ, quæ, licèt dulciſſimæ, non ſatient: Vndè nauſeabant Iſraëlitæ ſuper ipſo Man, dulcedinem guſtus explente. Et nullæ turpes voluptates, quæ perceptæ odioſæ non ſint. Sic poſtquam oppreſſiſſet Ammon ſororẽ ſuam, quam miſerè deperibat, Thamar, vt habet ſacra Scriptura: *Exoſam illam habuit odio magno nimis, ita vt maius eſſet odium, quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat.* Et nullæ tandem mũdanæ dignitates ſunt, quas adeptus cùm fueris, vanas confeſtim non reperias. Quare Gelon Dux ſtrenuus, ſicut narrat Elianus, poſt ſubiugatam Carthaginem, Regnumq. Siculum ſibi tributarium effectum, cùm tantis victorijs non dum ſatiatum ſe, expletumq. cognoſceret, ſibi ipſi indignatus, nudus in plateas exiliens, regno ſe, opibusq. omnibus quæ nunquam ſatiant, renuntiare dixit.

Turpes voluptates, perceptæ cum fuerint, odioſæ ſiunt.

2. *Reg.* 13. 15.

Elian. lib. 6. *de var. hiſt.*

F

Mundana ſolatia nunquã hominem ſatiant.

Verùm cæleſtium ſolatiorũ, in quibus perfectio ſuccedit perfectioni, ſicut in Oceano fluctus fluctui, nulla ſatietas deeſſe poteſt. Idcirco Dauid has omnes mundi voluptates ſpernens, cęleſtia à Domino flagitabat, dicens, *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui*, hoc eſt, da mihi, Domine, lætitiam illam, quæ verè ægrotanti cordi ſalutem affert. *Salutaris*, nimirum, *tui*, quòd veram lætitiam mundo, ſolus Chriſtus eſſet allaturus.

Cæleſtes voluptates nullam ſatietatẽ afferunt.

Pſ. 30. 14.

Vndè meritò Habacuc: Væ, inquit, *qui multiplicant non ſua, vſquequò aggrauant contra ſe denſum lutum:* væ, ſcilicet, qui ſenſuales voluptates quærunt, quæ quidem hominum non ſunt, ſed beſtiarum; nam illas quæritantes *aggrauant*, ideſt, multiplicant contra ſe *denſum lutum*: multiplicant contra ſe rem viliſſimam: in re nullius pretij, nulliusq. momenti laborant. Etenim licèt multas mundanas voluptates multiplicent; nunquam tamen, quam optant, felicitatem aſſequuntur, ſed quomodo infirmus frigidæ potum fruſtra quærit ad febris calorem intimè hærentem leuandum, cùm nequeat externum illud frigus aquæ interno calori mederi; ita fruſtra quærunt homines, externis hiſce voluptatibus, internis animæ deſiderijs ſatisfacere, cùm potiùs, non ſecus, ac potus aquæ febricitantibus, animabus noceat, quàm proſit.

Habacuc. 2. 6.

G

H

Atque ego quidem inficiari minimè auſim, aliqua terrena bona ad corporis ſuſtentationem eſſe neceſſaria, ita vt ſi homo illis non vtatur, vitam diutius tolerare nequeat, qualia ſunt cibus, potus, indumentum, ſomnus, & honeſta aliqua corporis recreatio, quia *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*, ſed curandũ eſt, ne limites neceſſitatis, dum hæc ſumuntur, excedant. Nam, ſicut omnes illum fatuum iudicarent, qui baculo vno cùm egeat ad ſui ſuſtentationem, quoſcunque inuenerit, ſibi portandos aſſumeret: (quòd licèt ex illis vnum habeat neceſſarium; aliorum tamen multitudine opprimitur, ne dum iuuatur) ita fatui omnino cenſendi ſunt, qui cùm aliqua ſe voluptate indigere cognoſcant, neceſſarijs non cõtenti, omnes habere, quas poſſunt, ſtudent, vndè animo, & corpore oppreſſi, miſerè ſub earum pondere deficiunt. *Væ* igitur, *qui multiplicant non ſua*; *aggrauant* enim, hoc eſt, multiplicant ſuper ſe *denſum lutum*.

Humana ſolatia quædã ad vitam neceſſaria.

Sap. 9. 15.

I

Sumit hic Propheta metaphoram ab illo, qui in cænoſum locũ veſtigio fallente prolapſus, ex illo omnem, quam poteſt, immunditiam contrahere curat: hoc ipſum fieri à mundanis innuens, dum è cænoſis mundi voluptatibus omnes, quas poſſunt habere, procurãt: à quorum miſera conditione Dauid ſe miſe-

ricor-

Digitized by Google

Pſal.39.3. ricorditer eductum prædicat, dicens: *Eduxit me de lacu miſeria, & de luto fecis: ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos*: ideſt, *ſtatuit ſupra petram pedes meos*, ita vt pertranſirem per hunc mundũ abſque eo, quòd me luto deturparet ſuo. Etenim ad quem modum olim patres, vt Moyſes in
Exod.14.29. Exodo refert, ſicco veſtigio per maris rubri medium tranſierunt: Sic Dauid, & om-
1 nes iuſti, per mare huius mundi ſicco veſtigio tranſierunt, mundanas tantummodo voluptates eas admittentes, ſuper quas, veluti ſuper petras neceſſe habebant aliquo modo, vt diximus, pedem ponere, vt viuerent.
Prou.23.3 *Ne* itaque, quod Sapiens admonet, *intuearis vinum, quando ſplenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit, vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet*. Caue, ſcilicet, tibi à mundi vino, hoc eſt, voluptate, quod ſplendet quidem, & flaueſcit; ſed in vaſe vitreo, in vita nempe hac miſera, quæ vitri inſtar facilè frangitur. Ne intuearis vinum hoc, quando in tali vitro ſplendeſcit color eius: nam blãdè ingreditur, ſuaue eſt palato, & gutturi; ſed *in nouiſſimo mordebit, vt coluber*, & ſicut baſiliſcus venenum per totam animam, corpuſq. diffundet: initio dulce erit, & ſuaue, & in fine coluber, & baſiliſcus: ne itaque intuearis initij dulcedinem, ſed finis amaritudinem. *Quando ſederis, vt comedas cum principe*, ait idem Rex Salomon, *diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuã*: reſpice finem, faciem ne conſideres, ſed caudam: *Scorpioni*, inquit Bernardus, *non eſt in facie, quod formides, ſed pungit à cauda*. Tandem ſi conſolationem cæleſtium voluptatum guſtare deſideras; egredere de terra tua, & de cognatione tua.

Mundi voluptates fugiẽdæ.

Prou. 23. 1.

Bernard. li. 4. de conſid.

Geneſ. 12.

SYNOPSIS CAPITIS II.

Tobias mortuorum ſepultura fatigatus, hirundinis ſtercore in patientiæ probationem excæcatur, & vxori, amicisq. ipſum irridentibus, opprobrio eſt.

CAPVT SECVNDVM.

1 POST hæc verò, cùm eſſet dies feſtus Domini, & factum eſſet prandium bonum in domo Tobiæ,

2 Dixit filio ſuo: Vade, & adduc aliquos de tribu noſtra, timentes Deum, vt epulentur nobiſcum.

3 Cùmq. abijſſet, reuerſus, nuntiauit ei, vnum ex filijs Iſraël iugulatum iacere in platea, ſtatimq. exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus:

4 Tollenſq. illud portauit ad domum ſuam occultè, vt, dum ſol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum.

5 Cùmq. occultaſſet corpus, manducauit panem cum luctu, & tremore,

6 Memorans illum ſermonem, quem dixit Dominus per Amos prophetam: Dies feſti veſtri conuertentur in lamentationem, & luctum.

7 Cùm verò ſol occubuiſſet, abijt, & ſepeliuit eum.

8 Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes: Iam huius rei cauſa interfici iuſſus es, & vix effugiſti mortis imperium, & iterum ſepelis mortuos?

9 Sed Tobias, plùs timens Deum, quàm regem, rapiebat corpora occiſorum; & occultabat in domo ſua, & medijs noctibus ſepeliebat ea.

10 Contigit autem, vt quadam die fatigatus à ſepultura, veniens in domũ ſuam, iactaſſet ſe iuxtã parietem, & obdormiſſet:

11 Et ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderint ſuper oculos eius, fieretq. cæcus.

12 Hanc autem tentationem ideò permiſit Dominus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob.

13 Nam cùm ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei.

14 Sed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.

15 Nam ſicut beato Iob inſultabant re-

ges, ita iſti parentes, & cognati eius ir-
ridebant vitam eius, dicentes:
16 Vbi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſy-
nas, & ſepulturas faciebas?
17 Tobias verò increpabat eos, dicens:
Nolite ita loqui.
18 Quoniam filij ſanctorum ſumus, &
vitam illam expectamus, quam Deus da-
turus eſt his, qui fidem ſuam nunquam
mutant ab eo.
19 Anna verò vxor eius ibat ad opus
textrinum quotidie, & de labore manuum
ſuarum victum, quem conſequi poterat,
deferebat.
20 Vndè factum, vt hœdum caprarum
accipiens, detuliſſet domi:
21 Cuius cùm vocem balantis vir eius
audiſſet, dixit: Videte, ne forte furtiuus
ſit, reddite eum Dominis ſuis, quia non
licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut
contingere.
22 Ad hæc vxor eius irata reſpondit:
Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua, & elee-
moſynæ tuæ modò apparuerunt.
23 Atque his, & alijs huiuſcemodi ver-
bis exprobrabat ei.

VERS. I.

Poſt verò, cùm eſſet dies feſtus Domini, & factum eſſet prandium bonum in domo Tobiæ.

VERS. II.

Dixit filio ſuo: vade, & adduc aliquos de tribu noſtra, timentes Deum, vt epulentur nobiſcum.

1 *Hebræorum dies feſti ſolemniores epulis celebrati, & cur.*
2 *Antiquorum conuiuiorum frugalitas quanta.*
3 *Tobiæ, aliorumq. ſanctorum in conuiuijs celebrandis modeſtia.*
4 *Ad conuiuia qui vocandi.*

VERS. I. POST hæc. Enarratis his, quæ ab exteris Tobiæ patri acciderant, nimirum, captiuitate, bonorum direptione, exilio, &c. iam enarrare incipiens, quæ ab amicis, atque à domeſticis perpeſſus eſt, ait:

LXX. *Cùm eſſet dies feſtus Domini*, Videlicet, dies Pẽtecoſtes: ſic LXX. *In Pentecoſte feſtiuitate, quæ eſt ſancta ſeptem hebdomadarum.*

1 *Et factum eſſet prandium bonum*, Multorum obſoniorum, ipſoq. inſcio Tobia: (LXX.) vnde LXX. ſic legunt: *Factum eſt prandium bonum mihi, & accubui ad manducandũ, & aſpexi obſonia multa, & dixi filio meo, &c.* (Hebræus. Nõ dedecet, feſtos dies epulis etiam celebrare.) Hebræus legit: *Prandium lautum*. Mos enim Hebræorum fuerat inter alia epulis feſtiuitates celebrare, quod etiam Dominus in Deutoronomio, & alibi mandauerat, (Deut. 12.) vel vt carnalem populum magis ad eas celebrãdas alliceret, vel etiam, vt caro cum corde exultet in Deum viuum, & externa lætitia index ſit incitamentumq. internæ, atque ſpiritualis. Vnde illud: (Ouid. 1. Faſt.)

Proſpera lux oritur, linguiſq. animiſq. fauete:
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.

Hinc veteres Chriſtianorum Agapę, & Eſdras (2. Eſdræ 8. 10.) populo in die ſolemni mœrenti: *Ite*, inquit, *comedite pinguia, & bibite multum, quia ſanctus dies Domini eſt*. Et in libro Eſther, (Eſther 9. 22.) propter victoriam contra Aman ab Hebræis diem ſolemnem conſtitutum legimus, in quo omni deinceps tempore epulis, gaudijs, & conuiuijs vacandum erat.

2 Neque tamen ſubinde nobis ſuſpicãdum eſt, talia Hebræorum tunc temporis fuiſſe conuiuia, qualia hodie noſtra: nam certè pręclarè noſtris cum temporibus actum putarẽ, (Abuſus noſtrorum temporum in cõuiuiis.) ſi prorſus, vel in egentium conuiuijs cibi illi ſatis eſſent, qui olim optimatibus, & regibus in delicijs erant. Apud Homerum paſſim (Homerus de reg. cõ. Iliad. 24.) videre eſt, in regum conuiuijs bubulam apponi. Abraham, cùm Angelos excepiſſet hoſpitio, (Geneſ. 18.) vitulum occidi ſaginatum iuſſit. Samuel populi princeps, (1. Reg. 8.) vt in Regum libris habetur, (Atiquorum conuiuiis frugalitas.) Sauli Regi electo, ſecum in primo menſæ loco accumbenti, armum dari pręcepit: ſic ille coquo: (1. Reg. 9. 23.) *Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, vt reponeres ſeorſum apud te; leuauit autem coquus armum, & poſuit ante Saul*: Et in menſa Salomonis Regum omnium locupletiſſimi, vt ibidem dicitur, boues apponebantur, arietes, & bubali. Auctor eſt Matthæus, (Matth. 2. 4.) Regem etiam fuiſſe, qui, nuptias filio cum feciſſet: *Ecce prandium meum*, ait, *paraui, tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias*: Et pater ille diues apud Lucam in epulo (Lucæ 15. 23.) exultationis pro recuperato filio: *adducite*, ait, *vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur; quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.* At nũc, ò tempora! quicquid mari, terraq. aut cælo gignitur, ad ſatiandã noſtram ingluuiem non ſufficit. (Ingluuie dominium.) Quare ſi olim exclamabat Amos: (Amos 6. 1.) *Væ vobis, qui opulenti eſtis in Syon, & confiditis in monte Samariæ, qui comeditis agnum de grege, & vitulum de medio armenti:* quid diceret modo ſi tanta, & tam exquiſita parari obſonia cerneret:

2 Non itaque in domo Tobiæ conuiuium

immo-

Digitized by Google

immoderatum quid fuiſſe putandum eſt, licèt ipſius Tobię modeſtia illud plus quiddã, & maius penè, quàm decens eſſet, iudicarit. Quemadmodum faciebãt, vt obſeruat Serarius, S.Ioannes eleemoſynarius, S.Otho Bãbergenſis Epiſcopus, & S. Palæmon ille, de quo in vitis Patrum, cui cùm ipſius diſcipulus S.Pachomius ipſo Reſurrectionis Dominicæ feſto, olei aliquantulum præter morem appoſuiſſet, ille manibus frontem fricans, & vbertim lacrymas fundens, in hæc prorupiſſe verba legitur: *Dominus meus crucifixus eſt, & ego nunc oleū comedam?* Sic præcepit ideirco Tobias filio ſuo, vt aliquos timẽtes Deum accerſiret, qui ſecū epularẽtur, dicẽs:

Serarius hic in vita S. Io. Eleemoſynarij. S. Othonis Bamb. in Vit. PP.

VERS. II.

4 *Vade, & adduc aliquos de tribu noſtra, &c.* Qui nimirum egeant: Sic LXX. *Vade, & adduc quemcunque inueneris fratrū noſtrorum egentem:* quòd in primis, vt etiam B.Paulus præcipit, domeſticis fidei benefaciendū eſſe non ignoraret. Quo etiam pacto Chriſtus Dominus, non diuites conſanguineos, ſed pauperes inuitandos ad conuiuium docet, dum ait: *Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neq; cognatos, neq; vicinos diuites*, ſuadens abſtinendum ab eo fine inuitandi cõuiuas, quem homines plerunque omnes ſpectãt, vt videlicet ab eis viciſſim tu quoq; inuiteris, aut viciſſim beneficiū aliquod ab ijs, quos inuitaueris, in hoc ſeculo accipias: id quod tunc fieri præſumitur, quando ij à nobis inuitantur, qui conuiuio noſtro non egent: vnde ſubdit: *ne fortè te ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio, ſed voca pauperes*,

Ad Gal. 6. 10.
1. Tim. 5. 8
Luca 14. 12. 13.
Finis inuitãdi conuiuas præpoſterus.

Timentes Deum: Quales vocandos eſſe docuit Sapiens, dum ait: *Viri iuſti ſint tibi cōuiuæ, & in timore Dei ſit tibi gloriatio.* Homerus quoque ἀρίστους καὶ ἐντίμους, ſuadet eſſe inuitandos: nam ad conuictum, præſertim frequentius, indigni vocari homines abſque infamiæ nota minimè poſſunt; cùm habeat conuiualis conſuetudo vim maximam ad hominum mores variè afficiẽdos, atque commutandos, & beneficium pijs debitum, contra ius & æquitatem, hoc pacto, ab illis tollatur.

Ad conuiuiū qui vocandi.
Eccl. 9. 22.
Homer. Iliad.

Quòd in noſtris conuiuijs pauperes habendi ſint commenſales, præſertim conſanguinei, quibus maximè egentibus ſuccurrendum eſt.

DOCVMENTVM.

Luc. 14. 13
A

IVXTA Sancti Tobiæ documentum: *Cùm facis conuiuiū, ait Chriſtus, voca debiles, & cæcos:* etenim, vt ipſemet docet, qui amicos, & diuites ad prandium ſuum vocat, temporalem in hac vita mercedem recepit, quam nõ recipit, qui mutilum vocat, & pauperem; ſed Deum conſtituit ſibi debitorẽ, qui æterna mercede debitum ſoluit; non itaque cùm prãdium aliquod, aut cœnã facimus, diuites, & amicos inuitare debemus, qui temporali amicitia acceptum nobis rependant beneficium, ſed Deum, qui æterna remunerabitur. Etenim, vt docet Chryſoſtomus, iſta amicitia velociùs, quàm quælibet temporum, aut momentorum exordia, conſumitur: quòd ſi pauperem, aut mutilum vocaueris, nunquã peribit gratitudo: nã debitorẽ habebis Deū, qui perpetuò reminiſcitur, & nunquã obliuioni tradit. *Non dicas quæſo,* ait, *te pauperū immunditiam ferre non poſſe: nã bene, ſi immundus eſt, lauare illū potes; & ſi indumentum habet ſqualidum, cum tuo permutare: non ne, quantum hic ſit lucri, vides? quantum voluptatis tibi ſit, in tua menſa tuum Dominum paſcere? certè ipſa teſtatur veritas: Quod vni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis. Ponantur duæ menſæ, vna quidem ex iſtis impleatur, & habeat pauperes veſtibus laceros, cæcos, debiles, claudos. Habeat altera optimates, duces, & principes, ac reges pretioſis indutos veſtibus, zonis præcinctos aureis, &c.* Et paulo inferiùs: *Habeat,* ait, *pauperum menſa, quæ ſufficiunt, & exhilarare valent: Sint vaſa illis terrea, & vitrea, & miniſtri pauci, qui quæ oportet, curent, nec amplius. Menſa verò diuitum argentea, & aurea vaſa habeat, exquiſitis, & bene conditis plena cibis, abundent omnia, habeat accumbentium multos miniſtros, veſtibus geminatis ornatos, & ſplendidè indutos, ſint in illa quæque deſiderari poſſunt: ego ad eam proficiſcar, quæ cæcorum eſt, & claudorum:* & iure quidẽ, cum illam maiore voluptate, & iucūditate refertam eſſe cõſtet, non ſolùm ex eo, quia Deum, & Dominū habet recumbentem; illa verò homines, & ſeruos: ſed etiam quia pauperem hanc menſam eligentes, alios, & libertate, & honore ſuperant, quibus, quod ad voluptatis rationem attinet, nihil conferri poteſt: Vnde *melius eſt,* inquit Sapiens, *vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum ſaginatum cū odio.* In hac, qui accumbunt, multa cum libertate, animiq. delectatione omnia & loquūtur, & audiunt: In hac honoratior apparet quiſque: nam quicquid humile eſt, & abiectū, tūc maximè apparet, cum ſublimi coniungitur: contra verò, qui diuitū eligunt menſam, trementes, ac timẽtes, ne manum quidẽ protendere audent, tãquam ad pædagogiū quoddã, non ad prãdium ingreſſi, ſed veluti corã moleſtis, ac ſæuis dominis, tremẽtes manducãt, magisq. illorū tenuitas apparet, quãdo conuiuæ reliqui ſeruorum more abiectè loquūtur, quicquid diuites dixerint, laudare adulãdo coguntur, aut certè illos veritati patrocinãdo offendere. Et tandem ſi optimè talis

Chryſoſt. in epiſt. ad Coloſſ. c. 1 hom. 1.
B
Idem vbi ſup.
C
Menſa diuitum iniucunda, & pauperum iucūda.
Pauperū mẽſa longe præſtat mẽſæ diuitum.
Prou. 15. 17.
D
Menſæ diuitum incommoda.

E

Quod commenſales ſuper oẽs habendi ſint cõ ſanguinei egentes.

Gal. 6. 10.
1. Tim. 5. 8

menſa conſideretur; non voluptate, ſed amaritudine referta apparebit. Sed præcipuè Deum accumbentem conſiderans Tobias, ad ſuam menſam pauperes, egentesq. vocabat, & quidem non quoſcunque, ſed qui de illius erant tribu, memores Domini, eumque timentes, vt diſcamus, ſicuti in textus expoſitione diximus, iuxta B. Pauli monitum, maximè domeſticis eſſe in neceſſitate ſubueniendum. Quare Nicolaum Primum Pontificem anno Chriſti 862. Bulgaris interrogantibus de ordine, & eleemoſyna facienda, ſeruando, reſpondiſſe ferunt, illam propinquis priùs faciendam eſſe, Apoſtoli verba in medium adducens: *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei*. Et alibi: *Carnem tuam ne deſpexeris*: Deinde iuſtis, & bonis, iuxta illud Eccleſiaſtici: *Da miſericordi, & ne ſuſcipias peccatorem*; & rurſum: *Ne dederis impio*: quem ordinem noſtrum Tobiam ſeruaſſe hic in litera apparet, ſicut etiam infra. Et illum ab omnibus obſeruandum eſſe docuit Auguſtinus: *Cùm omnibus*, dicens, *prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui conſtrictius tibi quaſi quadam ſorte iunguntur*: quia, vt Sanctus Thomas docet, gratia, & virtus naturæ ordinem à diuina Sapientia inſtitutum imitatur, qui talis eſt, vt vnumquodque agens naturale, per prius, magisq. diffundat ſuam actionem ad ea, quæ ſibi magis propinqua ſunt; ſicut ignis magis calefacit rem ſibi magis propinquam, & ſimiliter Deus in ſubſtantias ſibi propinquiores, per prius, & copioſius dona ſuæ bonitatis diffundit, vt per Dionyſium apparet. Aduertendum tamen, ſicut docet Ambroſius, ne eleemoſyna, quæ conſanguineis erogatur, eleemoſynæ limites excedat, ea illis tribuẽdo, quæ inopibus conferre deberes: *Eſt etiam*, ait, *illa probanda liberalitas, vt proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoueris, non tamen vt illi ditiores eo fieri velint, quod tu poſſes conferre inopibus*: Cautè igitur nobis agendum eſt, ne plus illis impartiamur, quàm neceſſitas cogat. Subueniendum deinde iuſtis, vt infra oſtendemus: demum cæteris omnibus egentibus, cuiuſcunque illi ſint gradus, & conditionis, maiorem ſemper neceſſitatem conſiderãtes, vt ſimul filij patris noſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos.

Conc. tom. 3. in fin. q. 105. de eleemoſyn. & tom. 3. epiſ. decret. fo. 200

Quo ordine eleemoſyna pauperibus eroganda.

Eccl. 12. 4

F

infra c. 4. verſic. 28.

Aug. lib. 1. de doctr. Chriſt. c. 28. in princ. tom. 3.

S. Thom. 2. 2. q. 31. art. 3.

Virtus & gratia naturæ ordinem imitantur.

Dion. 7. c. celeſt. hierarch.

Amb. lib. 1. offic. c. 30.

G

Conſanguineorũ ſubleuandæ neceſſitates, nõ amplificandæ opes.

Infr. c. 4. verſ. 18.

V E R S. III.

Cumq. abijſſet, reuerſus, nuntiauit ei, vnum ex filijs Iſraël iugulatum iacere in platea: ſtatimq. exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandiũ, ieiunus peruenit ad corpus.

1 *Iugulatus Iſraëlita cur.*

2 *Tobias quomodo exilierit de accubitu ieiunus.*

3 *Feruidus in opere, quàm potens.*

VERS. III.

CVMQVE *abijſſet*, Tobias, nimirum filius, vt parenti pareret optimo, & pauperes timentes Deum conuiuas adduceret, ex improuiſo in platea quendam ex filijs Iſraël iugulatum reperiens, re infecta domum reuerſus eſt, & renuntiauit patri.

Vnum ex filijs Iſraël iugulatum, &c. Nũ aliquo priuato odio, an regis auctoritate, incertum, licèt non careat probabilitate, priuato potiùs aliquo odio contigiſſe; cùm Regem; qui Achiacarum Anaël Iſraëlitam, vt vidimus, ad tantam euexerat dignitatem, Tobiamq. ab exilio redire permiſerat; iam filij Iſraël beneuolum potius, quàm infenſum haberent: ſed quia edicta à Sennacherib promulgata de non ſepeliendis Iſraëlitis, non dum reuocata fuerant; non facilè erat, qui illos ſepelire auderet.

Tobias tamen, qui, vt Ambroſius ait, *interdicto non reuocabatur magis, quàm incitabatur, ne deſerere officium pietatis mortis metu videretur*; vt illum ſepulturæ mandaret, per ſe ipſum curauit.

Ambroſ. de Tobia c. 1.

2 *Statimq. exiliens de accubitu ſuo*, è veſtigio omnem rumpens moram, cum impetu quaſi ſaltando currens, acubitumque ſuũ, ſeu lectum, in quo inter prandendum cubare ſolitus erat (nam ſumebant tunc temporis Iudæi cibum in lectis recumbentes, & cubito innixi, atque in orbem circa menſam poſiti, vnde & recumbere dicebantur, qui cibum ſumebant parentes, vt eſt apud Matthæum, relinquens, & prandium.

Matt. 8. & vlt.

Ieiunus, Ante, quàm, ſcilicet, aliquid cibi ſumpſiſſet, peruenit ad corpus.

Sanè, vt Ambroſius ait: *Vir iuſtus, miſericors, hoſpitalis, dum conuiua accerſitur, nuntiatis inſepulti corporis reliquijs, deferebat, nec ſe cibum ſumere pium putabat, cùm in publico corpus iaceret exanime.* Vnde canit Prudentius:

Ambr. vbi ſupra.

Prudentius hinno 10.

Sancti ſator ille Tobiæ
Sacer, ac venerabilis heros,
Dapibus iam ritè paratis,
Ius protulit exequiarum.
Iam ſtantibus ille miniſtris,
Scyphos, & fercula liquit,
Studioque accinctus humandi,
Fletu dedit oſſa ſepulcro.

3 Efficit enim animi ardor, vt diligentes ſimus, & ſtrenui; contra vero remiſſio, pigri, & inertes: vnde ſicut eſt in libris prouerbiorum: *Dicit piger, leo eſt in via, & leæna in itineribus*; formicas putans eſſe leones: contra verò feruidus cum Pſalte dicit: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.* Hinc Sanctus Bernardus, *Adami*

Feruor hominem fortem, ac diligẽtem facit.

Prou. 26. 13.

Pſ. 26. 3.

in-

inquit, *voluntas uon habuit fortitudinem, quia non habuit feruorem*. Quare ſi cum Tobia minas mundi nequaquam perhorreſcere, nobileſq. de eo victorias reportare cupimus, nos feruentes in Dei ſeruitio eſſe oportet: palmæ feruidas amant regiones; ſic victoriæ feruidos, ardenteſq. homines poſtulant: nam, vt pulchrè ait Venerabilis Beda: *niſi mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur, per quam anima ſemper ad ima reuocatur*.

V. Beda in Luca 3.

Quòd veri amatores Dei nullo mundi timore à bono reuocari queant.

DOCVMENTVM I.

A

CVM viri iuſti, veriq. Dei amatores iuxta Chriſti præceptum illos minimè timeant, qui occidnnt corpus; ſed eum, qui animam poteſt perdere in Gehennam; nullo mundano interdicto à bono reuocari poſſunt; ſed magis cum Tobia ad illud incitantur, ne mortis metu pietatis officium deſerere videantur, quod mundani neutiquam faciunt, qui Deum verè timendũ minimè timent, & mundum, qni corpus tantummodo lędere poteſt, ſummopere expaueſcunt, elephanto perſimiles, qui Ambroſio teſte, tantæ licèt ſit fortitudinis, vt turrim armatis refertam viris, nullo negotio ſuſtineat, tantæq. audaciæ, vt à nullis poſſit inſtrumentis bellicis absterreri; tamen, mure conſpecto, tremens in fugam conuertitur: ſic, inquam, illi ſpe licèt aſſequendarum diuitiarum, voluptatũ, magiſtratuum, honorum allecti, tantæ ſint fortitudinis, vt nullnm reformident laborem, ad muris tamen aſpectum, minimarum ſcilicet difficultatum virtutis, ieiuniorum, vigiliarum, orationum ſe ſtatim ita fugæ dedunt, vt aſſerant, ſe ita capite dolere, languere ſtomacho, eaq. demum cruciari infirmitate, vt boni facere omnino nihil queant: ſic tandẽ miſeri, quaſi pueri, vt docet Chryſoſtomus, laruas timent, non, manum lucernæ, & flammæ immittere. *Timent*, vt ait Auguſtinus, *carcerem, & non timent Gebennã: timent cruciatum temporalem, & non timẽt pœnas ignis æterni: timent modicum mori, & non timent in æternum mori*. Nec mirũ, quia lunæ quamſimillimi cum ſint, lunæ etiam paſſionibus ſubijciuntur: & ſicut illa ab vmbra terræ obſcuratur, & lumen amittit; obſcurantur & ipſi ad vmbram mundani timoris, gratiæq. lumen amittunt: qualis vir iuſtus minimè cenſetur, quem quaſi ſydus firmamenti nullam rerum terrenarum attingit vmbra, nullus mundanus timor obſcurat: Vnde Pſaltes de illo: *Altiſſimum*, inquit, *poſuiſti refugium tuum, & ideò non*

Elephanti natura.

Mundanorũ hominũ imbecillitas in bonis operibus.

Chryſoſt. hom. ad pop. Ant.

Aug. ſerm. 18 de verb. Apoſtoli paulò ante med.

Stultitia.

C

Pſ. 90. 9. 10

accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, Quale cùm poſuiſſet Tobias perfectaque eſſet præditus charitate, nullo mouebatur timore: nam, vt Beatus Ioannes ait, *perfecta charitas foras mittit timorem*, ideſt hominem adeò fortem reddit, vt dicere cum Dauid poſſit: *ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum*. Vnde Iſaias: *Qui ſperant in Domino*, ait, *mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*. Mutant quidem fortitudinem; quia, cum fortitudo, dicit Auguſtinus, *amor ſit facilè omnia tolerans propter id, quod amatur*: qui priùs fortes erant in malo, fortes in bono fiunt, dum ſpem ſuam figunt non in bonis terrenis, ſed in Domino, & ad actus exercendos virtutis non minori ſolicitudine currunt, quàm prius ad actus vitiorum, & quaſi aquilæ ad illos volantes, currunt, nec laborant; ambulant, nec deficiunt: *nam ſola charitas*, vt ait Hieronymus, *non laborat, cùm nihil amanti durum ſit, nihil difficile cupienti*. Et Auguſtinus. *O anima*, inquit, *amore potes aſcendere, amanti nihil eſt difficile, nihil impoſſibile*. Et alibi, *Remigant omnia, quæ in hoc mundo ſunt, ac ſi eſſent in triremi: ſolus amor non laborat, quia nulla res amanti difficilis*: Et alibi: *Omnia enim ſaua, & immania prorſus facilia efficit amor*: quòd nimirum ſit ille, veluti farina, qnam miſcens Eliſeus in ollam amariſſimi pulmenti, ex collocyntida filijs prophetarum errore Giezi parati, illud dulce efficit: *nam verus amor*, vt idem Auguſtinus ait, *non ſentit amaritudinem, ſed dulcedinem, quia ſoror amoris dulcedo, ſicut ſoror odij amaritudo*. Exemplum ſit nobis ipſa lex Dei, quæ, dura licèt vulgaribus videatur hominibus; amantibus tamen perinde leuis efficitur, ac Leuitis arca fœderis, quæ licèt propter ligna Setin, laminas, & cælaturas aureas, quibus intus, & foris perfecta erat, graue humeris onus minaretur; tamen tanto deſiderio, & affectu à Leuitis portabatur, vt ponderis difficultatem, Deo adiuuante, vt in libris Paralipomenon dicitur, non ſentirent. Idcirco legimus Lacedæmonas, ituros ad bellum amori, quem tanquam Deum venerabantur, ſacrificia offerre conſueuiſſe, vt ipſe armorum pondus, & belli laborem ſpe leuaret victoriæ.

Quare iure optimo ſponſus in canticis. *Si*, inquit, *dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*, ſeu, vt L X X. legunt: *ſi dederit vitam*: Protritum eſt enim, & vulgare prouerbium: *Argentum, ſanguis & vita eſt mortalibus*: quia nimirum pecunia cuncta, quæ vitæ ſunt humanæ vſibus neceſſaria, comparantur: ſunt enim adeò vberes, &

Iuſtus timore non mouetur.

Io. 4. 18.

Pſal. 26. 3.

Iſa. 40. 31.

D

Fortitudo quid ſit.

Aug. lib. de morib. Eccleſ. cap. 11.

Hier. in ep. ad Gal. c. 5. et epiſt. 22. de cuſtod. virg. ſub finẽ ad Euſt. Aug. in manual. c. 24. & ſer. 46. ſub finem. & ſer. 9. de verb. Dom. item ſub finẽ.

Amoris vis.

E

4. Reg. 4.

Amore etiã amara dulceſcunt.

Aug. 13. Confeſſ. c. 36.

1. Paralip. 15. 26.

Mos Lacedęmoniorũ ante pugnã ineundam.

F

Cant. 8. 7.

Paroemia, ſeu dictum vulgare de pecunia.

Digitized by Google

iucundi huiuſmodi dilectionis, & charitatis
fructus, vt qui ſemel eam eſt conſequutus,
facilè iacturam cæterorum bonorum, & ip-
ſius vitæ nihili pendat: quod Chriſtus exem-
plo ſuo nos docuit, amariſſimam ſuam paſ-
ſionem, quam dixit Ieremias, *magnam, ve-*
Thren. 2. *luti mare*, & Dauid, *diluuium aquarum*
Pſal. 31. 6. *multarum*, paruum calicem appellando,
Io. 18. 11. Petro dicens: *Calicem, quem dedit mihi pa-*
ter, non vis, vt bibam illum? Et propè *ni-*
Amãti leuia quæcſique videntur. *hil*, dum diſcipulis euntibus Emaus, ſibiq́.
dicentibus: *Tu ſolus peregrinus es in Ie-*
G *ruſalem, & non cognouiſti ea, quæ facta,*
&c. Reſpondit: *Quæ?* Nihil ſe ducere oſtē-
dens præ amoris magnitudine; quæ ſæua, &
immania fuerat perpeſſus. Sic & Seraphin,
qui Deo hac præditi charitate aſſiſtunt, dum
Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant,
vt eſt apud Iſaiam, quaſi erubeſcant, Deo
Iſaiæ 6. 3. omni laude digno tam exiguas procla-
Seraphim facies ſuas ante Deum velare cur dicantur. mare laudes, pennis ſuas facies velant, ni-
hili præ amoris magnitudine æſtimantes
quæcunque faciunt.

Quod omnibus faciendum eſſe Chriſtus
oſtendit, quando Apoſtolis hæc habuit:
Cum feceritis omnia, dicite ſerui inutiles ſu-
Luc. 17. 10 mus: quod tamen minimè ille facit, in quo
diuina charitas non admodum viget; ſed po-
tiùs, vt teſtis eſt ſapiens, *exigua dabit, &*
Eccl. 20. 15. *multa improperabit.* Sic Apoſtoli, cùm ma-
gno feruerent amore, *ibant gaudentes*, dum
H ſæuiſſima paterentur ſupplicia. Verùm quã-
do adhuc erant in charitate tepentes, *Ecce,*
dicebant, *nos reliquimus omnia, & ſecuti*
ſumus te: quaſi magnum quid pro Chriſto,
Lex noua cur modò ſermo, modò ſermones appelletur. qui pauperes priùs fuerant, reliquiſſent.
Quę ſanè cauſa fuit, vt Chriſtus apud Ioan-
nem legem nouam, nunc *ſermonem*, nunc
ſermones appellet: etenim de illis agens, à
Io. 14. quibus amabatur, in ſingulari loquens, di-
cit: *Qui diligit me, ſermonem meum ſer-*
uabit: de alijs verò verba faciens, à quibus
non amabatur: *Qui non diligit me*, ait, *ſer-*
mones meos non ſeruat: nam ſunt præcepta
Similitudo. Dei, ſtellarum inſtar, quæ in aëre puro ab
oculo ſano ſigillatim cum voluptate nume-
rantur; ſed in aëre, vaporibus occupato, ab
oculo hebeſcente, aut palpebris intorto, ita
I multiplicantur, vt vna ſtella, duas, aut etiã
plures repręsẽtare ſtellas videatur; ſic ama-
tor Dei ſanctiſſimus Dauid veteris legis præ
Antiquæ legis præcepta plurima. cepta plus, quàm octoginta ſupra ducenta,
vnum vocabat, dicens: *Præceptum Domini*
Pſal. 118. *lucidum, illuminans oculos*, cuius etiam af-
fectus ſit à malo animas reuocare; *conuer-*
tens animas: Eua verò, quæ Deum non dili-
gebat, iam inde ab ipſo ſuæ creationis exor-
dio, acceptum à Deo præceptum multipli-
care incipiens, diabolo illius tranſgreſſionẽ
ſuadenti: *De fructu*, ait, *ligni, quod eſt in*
Geneſ. *medio, præcepit nobis Deus, ne comedere-*
mus: & aliud addens, quod præceptum non
fuerat, ſubdit: *& ne tangeremus illud.*

Curandum itaque eſt ei, qui cum Tobia
dura, & immania quæque pati propter Deũ L
deſiderat, vt ipſum priùs Deum amet; quod
faciet, ſi ipſius magnitudinem, & infinitam
bonitatem perpenderit: nam quo pacto ille,
qui gemmæ alicuius inæſtimabilem valorẽ
dignoſcit, nullo parcit ſumptui, vt illam
emat: ita qui pretioſæ regni cęlorum mar-
garitæ infinitum expendit valorem, nulli vel
labori, vel ſumptui parcet, vt illam aſſe-
qui poſſit.

Quòd virtus, maxima cum eſurie quærenda ſit.

DOCVMENTVM II.

STATIM Q. *exiliens de ac-*
cubitu ſuo, relinquens pran- A
dium Sanctus Tobias, cibo ſe
corporali priuauit, vt ſpiri-
tualem, quẽ maximè eſurie-
bat, virtutis habere poſſet: &
quemadmodum cibum corpotalem eſurien
tes, vbicunque illum adinuenerint, auidiſſi-
mè ſumũt; ita ille, vbi ſpirilualem adinuene-
rũt, auidiſſimè ſumũt; ita ille, vbi ſpiritualem
adinuenit operã virtutis, ſtatim exiliens de
accubitu ſuo, vt illum haberet, quæſiuit: hinc
meus cibus eſt, ait Chriſtus, *vt faciam volũ-*
tatem patris mei, qui in cælis eſt: Cùm ſitiret
Dauid aquã ciſternæ Bethleemiticæ: *ô*, in- 2. Reg. 23. 15. 16.
quit, *ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſter*
na, quæ eſt in Bethlẽ iuxta portã? cuius de-
ſideriũ cùm tres viri fortiſſimi cognouiſsẽt,
nec caſtra Philiſtinorum, quæ erant in valle,
nec præfectũ ipſorum, qui erat in Bethleem
veriti, in hoſtes irrumpentes, aquam de pu-
teo Bethleem, qui erat in porta, hauſerũt, ſi- B
tientiq́. Dauid attulerunt. Verùm quod ob
alienã ſedãdam ſitim ſtrenuiſſimi hi tres vi-
ri fecere, id ipſum ad eſuriem propriã ſedan-
dam, fortiſſimi amatores virtutum faciunt,
nulli propterea parcentes labori: nam quos Virtutẽ deſidioſè quęrẽtes, quibus ſimiles.
ſegniter ad virtutes aſſequendas ſe gerere
conſpicimus, licèt illas celebrent, ijs tamen
perſimiles cenſendi ſunt, qui omni appetitu
edendi deſtituti, ea tantùm gratia comedũt,
vt inedia ne conficiantur: quo metu ſi care-
rent, nec exiguum illum cibum ſumerent: ſic
inquam, ij, non virtutis pulchritudine ad eã
aſſequendã extimulantur, ſed ſolo gehennæ
metu, quòd ſuauiſſimos virtutis cibos cùm
nunquam deguſtarint, amaros illos eſſe iudi
cent, ac propterea faſtidientes reſpuant; ſi-
cuti reſpuere ſatiati ſolent etiã ſuauiſſimos C
corporis, iuxta ſapiẽtis dictũ, *Anima*, inquit, Prou. 27. 7.
ſaturata, calcabit fauum: & anima eſuriens
etiam amarũ pro dulci ſumet. Hinc legimus,
Ptolemæo Lagi filio Regi Aegypti aliquan-
do lõginqua ſine comitibus peragrãti, & prę Ptolemæus Lagi filius.
laſſitudine, ac labore fameſcenti, ſuauiſſimũ
fuiſſe cibarium panẽ in humili tugurio ſibi
à ruſtico quodam oblatum. Et Cyrũ iuniorẽ Cyrus iunior.

ali-

aliquando item eſurientem aridas ficus, &
panes hordeaceos tanta cũ voluptate come-
diſſe, vt cùm nunquam antea eſuriem exper-
tus eſſet, diceret: *Dij boni: cuius voluptatis*
hactenus inexpertus fui ! Sic enim, vt docet
Seneca epiſt. 123. Seneca, malum panem, tenerũ, & ſiligineum
fames reddit, & amarum pro dulci ſumit:
quod nequit facere *anima ſaturata*, quæ
ſuauiſſimum quemque cibum nauſeabunda
D faſtidit. Quare B. Paulus Timotheo: *Sectare,*
2. Timot. 2.22. inquit, *Iuſtitiam*, Græcè δίωκε, accepto à ve-
natoribus exemplo, qui feras tanta inſectã-
tur auiditate, vt nec à ſtipitibus, nec à ſenti-
bus, nec ab alia re quacunq; retardari queãt,
donec fera potiantur; tali docens auiditate
ſectandam eſſe virtutem, quam generali no-
mine *iuſtitia* deſignat. Hinc Dominus, & Sal-
Matt. 5.6. uator noſter: *Beati*, inquit, *qui eſuriũt, & ſi-*
tiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur,
Hier. ibi: vbi Hieronymus dicit: *Non ſuffieit velle iu-*
Fames iuſtitiæ neceſſaria. *ſtitiam, niſi iuſtitiæ patiamur famẽ*, vt cum
propheta dicere valeamus: *Quemadmodum*
Pſ. 83. 1. *deſiderat ceruus ad fontes aquarũ; ita deſi-*
derat anima mea ad te Deus. Nã cùm amor,
Deſiderium finis principium eſt operis. & deſideriũ finis, teſte philoſopho, omnium
operum moralium principium ſit, & prima
E cauſa mouens ad opus, ita vt ſecũdum illius
quãtitatem, ſolicitudo, diligentiaq. ad illud
perficiendum adhibeatur, qui hanc deſiderij
virtutis eſuriem non patitur, vel nunquam
opus virtutis perficiet, vel tandẽ, quòd nul-
lum violentum ſit perpetuum, ab illo de-
Sap. 3. 7. ficiet: *Sic fulgebunt*, ait Sapiens, *iuſti, & tã-*
quam ſcintillæ in arundineto diſcurrent:
hac metaphorica locutione non obſcurè in-
dicans, maximam iuſtorum in ciuitate adi-
piſcenda ſolicitudinẽ ab igne deſiderij cùm
primis procedere: Sic current, ait, iuſti vnde-
quaque velociſſimi, ſicut ignis flamma in
arundineto arido, quod maximè appetit.

Huc pertinet reſponſum S. Thomæ Aqui-
natis ſorori datum, qui, cùm ab illa ali-
quando enixè rogaretur, quomodo ſaluare
F ſe poſſet, reſpondit: *Optando*, quòd ſolus ille
ſalutem aſſequi poſſit, qui illam deſiderat: ex
quo totũ ſalutis noſtræ cardinem in hoc vno
Sancta deſideria animã ſanctificant. habendæ virtutis deſiderio conſiſtere, ſatis
manifeſtum reliquit. Quod etiam præcinere
voluiſſe beatiſſima Virgo videtur, dum ait:
Luc. 1. 53. *Eſurientes impleuit bonis*: & ante illam Pſal-
Pſ. 106. 9. tes, dicens: *quia ſatiauit animam inanem*,
ideſt ſitibundam, *& animam eſurientem ſa-*
Dan. 9. 23. *tiauit bonis*; Sic Danieli ab Angelo dictum
eſt, idcirco exauditam à Deo orationem ip-
ſius à principio fuiſſe, quòd vir eſſet deſide-
riorum; *quia*, inquit, *vir deſideriorum es*.
Cùm itaque Deus ſemper noſtris reſpõdeat
Apoc. 21. 6. deſiderijs: nam *ego*, ait, *ſitienti dabo de fonte*
aquæ vitæ gratis; ſequitur, non vera eſſe il-
G lorum deſideria, qui ſemper cum B. Paulo
Ad Ro. 7. 18 dicunt: *Velle adiacet mihi, perficere autem*
Velleitates ſomniis perſimiles ſunt. *bonũ non inuenio*; ſed velleitates (vt aiunt)
& ſomnia; nam, vt Iſaias ait: *ſicut ſomniat*
eſuriens, & comedit, cum autem fuerit ex *Iſa. 29. 8.*
pergefactus, vacua eſt anima eius; ſic illi,
licet in oratione poſiti, pleni ſibi videantur
bonis deſiderijs; talia tamen non fuiſſe con-
ſtat, cùm primùm ab oratione ad opus ac-
cedunt, deſiderijs nequaquã re ipſa reſpon-
dentes: vnde, & militibus pictis aſſimilari
poſſunt, qui mortem licèt hoſti ſemper intẽ-
tent; nunquam tamen mouent manum, vt
illum feriant, iuxta illud Dauidicum: *Ve-* *Pſ. 38. 7.*
runtamen in imagine pertranſit homo: vel
mulieri, quæ ſemper dolores habeat partus, H
nec vnquam pariat: ſic Iſaias: *Venerunt*, *Iſa. 37. 3.*
ait, *filij vſque ad partum, & virtus non eſt*
pariendi: Ex quo Hieronymus ſuper verba *Hier. in Matt. 24. 19.*
illa Matthæi: *Væ autem prægnantibus, &*
nutrientibus in illis diebus: *Væ*, ait, *ani-*
mabus, quæ non produxerunt ſua genimi-
na in virum perfectum, quæ ſcilicet ſan-
ctis deſiderijs ita exitum intercludunt, vt
illa antequam edant, in ſe ipſis veluti in
ventre matris occidant. Sed plura de hac *Infra cap. 13. verſ. 20.*
materia dicemus infra.

VERS. IV.

Tollenſq. illud portauit in domum
ſuam occultè, vt dum Sol occu-
buiſſet cautè ſepeliret eum.

VERS. V.

Cùmq. occultaſſet corpus, manduca-
uit panem cum luctu, & tremore,

VERS. VI.

Memorans illum ſermonem, quem
dixit Dominus per Amos prophe-
tam: Dies feſti veſtri conuerten-
tur in lamentationem, & luctum.

1 *Occultè cur mortuos Tobias ſepeliret.*
2 *Panis pro quolibet cibo, & cur.*
3 *Cur fleuerit Tobias, dũ mortuos ſepeliret.*

TOLLENSQ. *illud*, Ideſt cor- VERS. IV.
pus exanime, & iugulati ho-
minis, quòd reperit in platea,
Portauit in domum ſuam.
Ad domum quandam, legunt
LXX. quæ tamen Tobiæ ali- LXX.
quo modo eſſe debebat, vt vulgatus docet.

1 *Occultè*. Non quòd opus tantæ pietatis
eruheſceret: etenim *qui me erubuerit*, ait *Luc. 9. 26.*
Chriſtus, *& meos ſermones, hunc Filius ho-*
minis erubeſcet, cum venerit in maieſtate
ſua; ſed quòd timeret, ne iterum ab aliquo,
nomini Hebræorum infenſo Niniuita, apud
regem, tanquam regij tranſgreſſor mandati,
accuſaretur.

Vt dum Sol occubuiſſet, Noxq. tenebras
ſuper terram induxiſſet.

Cautè ſepeliret eum. Taliq. pacto ſibi, & ſuis proſpiceret, uec opus pietatis deſereret, etenim in nocte, vt poëta ille cecinit:

Ouid. 4. faſt.

Iam color vnus ineſt rebus, tenebriſq. teguntur
Omnia, iam vigiles conticuere canes.

Vnde nequeunt mortalium facta dignoſci.

VERS. V.

CVMQVE occultaſſet corpus, in quadam videlicet ſua domo, his fortè vſibus ab ipſo deſtinata, vt vidimus anteriore verſiculo ex LXX.

Panis, pro quolibet cibo.

2 . *Manducauit panem*, Ideſt præparata cibaria, quæ omnia panis nomine non infrequenter in ſacris literis deſignantur, vt apparet in Geneſi, vbi Dominus Adamo: *In ſudore*, inquit, *vultus tui veſceris pane tuo*, hoc eſt veſties te, & comedes ex labore tuo herbas, fructus, ligumina: nam, vt Vatablus docet, hæc verba Hebraiſmus ſunt pro *victum parabis tibi cum ſudore*: nec enim tunc tēporis alius erat Adamo panis, quàm herbæ, & fructus terræ. In lib. etiam Regum inuitans Dauid Mephiboſeth ad regias epulas: *tu comedes*, inquit, *panem in menſa mea*, & alibi, vbi Eliſæum regi Iſraëli dixiſſe legimus: *ponam coram eis*, nempè Syrijs, *panem*, & paulò poſt dicitur: *Appoſita eſt coram eis magna ciborum præparatio*.

Geneſ. . .
Vatablus in Gen. 3. annot. 31.
2. Reg. 9. 7.

Et quidem idcirco panis nomine omne ciborum genus ſignificatur, quia mirabili beneficio, ſicut homo totius mundi; ita panis omnium aliorum ciborum epitome quędam eſt, vtpotè omnium aliorum ciborum ſaporem, & quicquid iu illis gratum eſt, ſiue dulce ſit, ſiue amarum, ſiue amarodulcè, ſiue ſalſum continens: vnde fortè à Græcis πᾶν dicitur, hoc eſt, omne, quia ſcilicet, panem habens, omnia habet, & habens obſonia ſine pane, ſapidum, ant ſalubre habet nihil. Præterea *panis hic ipſe, quo viuitur*, ait Plinius, *innumeras penè continet medicinas*: nec corrumpit, nec corrumpitur tam citò, quàm carnes, aut piſces, nec tam duræ coctionis eſt, quàm caſeus: meliùs colorem pingit, meliùs anhelitum, meliùs ſanitatem, & vires iuuat, quàm carnium, aut piſcium copia: Ex quo concors peritorum eſt medicorum ſententia, parœmiam illam perperam à guloſo aliquo fuiſſe primum decantatam, & à guloſis approbatam: *panis repletio peſſima*. Manducauit itaque Tobias ex paratis cibarijs, non gaudens, vt Iudæorum mos erat, in illis ſolemnitatibus; ſed

Panis vnde dictus.
Plin. lib. 22. c. 25.
Dictum vulgare de pane.

3 *Cum luctu*. Nam *reuerſus à platea*, inquit Græcus, *laui me, & comedebam panem meum cum triſtitia, & recordatus ſum prophetiam Amos, quomodo dixit: Conuertentur dies feſti veſtri in luctum, & omnes lætitiæ veſtræ in lamentationem, & ploraui.* ante recordationem prophetię præ compaſſione triſtis, & męrēs effectus eſt; poſt recordationē verò prophetię lacrymas etiam fundens, populi ſui calamitatē lamētari cœpit.

Græcus.

Et tremore, ideſt mala timendo grauiora à Tyranno, non ſibi, vt Hugoni, & Carthuſiano placet, ex eo, quòd mortuos ſepeliret; nam, ſicut vidimus, nihili faciebat illos, qui corpus occidunt; ſed populo ſuo in ſeruitute poſito,

Hugo.
Carthuſ.

VERS. VI.
Amos 8. 10

MEMORANS illum ſermonē, quem dixit Dominus per Amos. Qui, vt ipſemet initio ſuæ prophetiæ teſtatum reliquit, tēpore Oziæ regis Iuda, & Ieroboam regis Iſraël multis ante annis prophetauerat, nimirum, anno Oziæ vigeſimotertio, & Ieroboam trigeſimoſeptimo.

Et conuertam feſtiuitates veſtras in luctum, hoc eſt efficiam, vt feſta ſint vobis occaſio mœroris, & triſtitiæ, quia non celebrabuntur ſecundum Deum.

Hæc itaque Tobias noſter memorans, & quæ grauiora propheta ſubiungit: *Mittam famem verbi Dei in terram, in illa die deficient virgines pulcbræ, & adoleſcentes in ſiti cadent, & non reſurgent vltra.* (de illa ſcilicet, miſeria ad antiquam gloriam,) non ſolùm triſtabatur, & lacrymabatur; verum & maximo tremore afficiebatur.

Quòd prudentes, cautiq. in opere eſſe debeamus.

DOCVMENTVM I.

DVM ab hoſtiūm inſidijs prudenter ſibi Tobias cauet, & cautè opus pietatis, quod aliter perficere nequiuiſſet, exercet, & nos cautos eſſe debere docet, & prudentes in opere: eſt enim prudentiæ munus rectè iudicare, quomodo ſcilicet, & quando perficiendum ſit opus, ad hoc, vt ſecundum virtutem fiat: habetq., vt teſtis eſt Auguſtinus, tres partes, nimirum memoriam, intelligentiam, & prouidentiam: *Memoriam, per quam animus repetit ea, quæ fuerunt: intelligentiam, per quam reſpicit ea, quæ ſunt: prouidentiam, per quam futurum aliquid videtur ante, quàm factum ſit*. Idcirco prudens Tobias, vt ſuperiori verſiculo dicitur, memoria repetebat animo, quæ fuerant ab Amos prædicta: intelligentia, illa verificari conſiderabat in occiſione illius Iſraëlitæ quem iugulatum iu platea reperit; vnde & in die feſtiuo panem cum luctu manducaſſe dicitur. Prouidentia denique, vt hic in litera patet, ſibi cauebat, ne in aliquod nouum malum incideret: vndè & occultè mortuum in domum tulit, nocteq. illum ſepelire voluit. Hæc tria ſunt, quæ vnicuique in omni opere meditanda eſſent: *Vtinam*, inquit Moyſes, *ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent*. *Saperent*, inquit Auguſtinus, *homines peccata præterita quàm*

A
Prudentiæ munus.
Aug. lib. 83. quæſt. q. 30.
Tres prudentiæ partes.
Sup. verſ. 6.
B
In omni opere, quæ ſint meditanda.
Deut. 32. 29.
Aug. ſeu auct. Spec. pecc. c. 3. tom 9.

ſint

Google

ſint amara, intelligerēt præſentia, quàm ſint vana; & prouiderent contra ſterilitatem futuram. Nam, ſine dubio, ſi has prouidentiæ partes haberēt, benè conſulerent de medijs, & circumſtantijs, ad opus honeſtè perficiendum neceſſarijs, ſimulq́. poſt rectam conſultationem, benè cum Tobia iudicarent, quo modo ſcilicet, & quo tempore agendum ſit opus; ſicq́. ad deſideratum tandem finem peruenirent, benè imperando, & virtutibus alijs moralibus modum præſcribendo, quo proprium etiam finem aſſequantur. Felix ſanè virtus, quæ hominem felicem reddit. Hac præditam fuiſſe prudentia animam ſanctam in canticis Spiritus ſanctus docet, talibus illam verbis compellans: *Naſus tuus, ſicut Turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum*. Nam cùm Damaſcus Regni Aſſyriorum, Regno Iſraēlitarū infenſi, ciuitas prima eſſet, iuxta trium Patrum ſententiam, in confinijs montis Libani turrim altiſſimam ſpeculatoriam, excitauerat Salomon, in illaq́. ſpeculatores poſuerat, vt cunctos Syriorum conatus, atque inſidias ex ea ſubodorari poſſent: ſic, vt interpretatur Honorius, *Naſus animæ eſt prudentia, quæ diſcernit inter virtutes, & vitia*, qua tanquam ex altiſſima turri, incurſiones conſpiciuntur Damaſcenorum, quia ſemper eſt illa contra diabolum prouida, vt eius fætorem effugiat, & Chriſti odorem ſequatur. Quare hūc prudentiæ naſum, per quem virtutum odores, fætoresq́. vitiorum diſcernimus, quidq́. eligendum, quid item reſpuendum ſit, tanquā ex editiſſima turri eminùs, & cominùs conſpicimus, quiſque procurare debet, vt ita ſe ipſum ab inſidijs Damaſcenorum, nempe Dæmonum, cuſtodire valeat. Hinc Ieremias: *Statue*, inquit, *tibi ſpeculam: pone tibi amaritudines: Speculam quidem ſibi ſtatuere*, inquit Gregorius, *eſt ventura vitiorum certamina ex alta conſideratione prænoſcere, ſibiq́. electi mens amaritudines ponit, quando, & in virtutum pace conſtituta, dum mala inſidi antia conſpicit, ſecura quieſcere non conſentit*. Sic illud in primis prudens quilibet videt, ne mala faciat, tum ne bona incautè omittat, demum diligentiſſimè curat, poſtquam praua ſubegerit, ipſa etiam rectè facta ſibi ſubijcere, *ne, ſi mentis dominium tranſeat*, vt idem dicit Gregorius, *in elationis culpam vertatur, quia plerumque ex bonis per incuriæ vitium mala naſcuntur*. Qui igitur ſeipſum cuſtodit, prudenter conſiderat, quomodo ex doctrina arrogantia, ex iuſtitia crudelitas, ex pietate remiſſio, ex zelo ira, ex manſuetudine torpor oriatur: cùmq́. bona hæc agit, quòd hi contra ſe hoſtes per hæc exurgere valcant, conſpicit, dūq́. procul, vt ait Iob, *bellum odoratur* præſcientiæ clypeo præmunitus, bona, quæ agit, magna cum cautela defendit. Et ſecūdum quod dicit Ieremias, *ſibi ſpeculam ſtatuit*, & omnia prudenter conſiderat. Ad quem enim modum ligna, quæ grauia ſunt, ima ſemper aquarum petunt, quæ verò leuia, fluitant; ſic animus grauis, & prudens rerum fundum cogitando petit; leuis, & inconſtans, in rerum quadam quaſi ſuperficie fluitat: Et ſicut per tenebroſam domum pedetentim iter habendū eſt, & parietes ante, quàm greſſus moueantur, palpandi; Sic in mundi hac tenebroſa domo pedetentim, hoc eſt, eum conſilio, & maturitate in arduis rebus eſt incedendum, & negotia cogitatione prius, veluti palpanda ſunt, quàm perficienda. Sic nautæ, vbi nauigandum eſt, demiſſa bolide maris profunditatem explorant, & vadum fluminis viatores ante, quàm illud pertranſeant. Et Moyſes, ante quàm ingrederetur terram promiſſionis, exploratores ad eam conſiderādam miſit: ſimiliter, ante quàm negotia perficiantur, veluti fidiſſima exploratrix præmittenda cogitatio eſt; quod quàm pauci faciant, Seneca docet: *Pauci ſunt, qui conſilio ſe, ſuaq́. diſponant: cæteri eorum more, qui fluminibus innatant, non eunt, ſed feruntur*, belluis quàmſimillimi, quæ eò feruntur, quò ſenſus trahit. Sanè, *inter hominem, & belluam*, inquit Cicero, *hoc maximè intereſt, quòd hæc tantum, quantum ſenſu mouetur, ad id, quod adeſt, quodq́. præſens eſt, ſe accōmodat, paulùm admodum ſentiens præteritum, & futurum; homo autem, qui rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſas rerum videt, earumq́. progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudinibus comparat, rebusq́. præſentibus adiungit, atque annectit futuras: facilè totius vitæ curſum videt, ad eamq́. degendam præparat res neceſſarias*. Hactenus Cicero. Si igitur hac in re homo à belluis diſtat, quòd non ſolùm præſentia, ſed etiam præterita, & futura ex cauſis antecedentibus ille proſpicit, ac prouidet; an non belluis ſimiles erunt, qui ſola præſentia curant, quiq́. nullam prorſus finis, ad quem conditi ſunt, & tendunt, rationem habent? Ponite igitur dicam cum Aggæo, *corda veſtra ſuper vias veſtras*: hoc eſt, diligenti meditatione perpendite omnia opera veſtra, ante quàm fiant, ſapientem illum, de quo Salomon, imitantes, qui non prius agrum emere voluit, quàm illum optimè conſiderauerit: *Conſiderauit*, inquit, *agrum, & emit eum*, Conſiderauit, nimirum, quia bona eſſet negotiatio eius, & poſtea illum emit: Et illum, cuius B. Lucas meminit, qui tune primùm campum emere ſtatuit, vtque illum haberet, vendere omnia, quæ habebat, quando in illo theſaurum reperiri conſiderauit. Caueamus, ne virum inſipientem imitemur, qui ductum minimè ſecutus rationis, ſed appetitus brutorum, prius emit, deinde empta conſiderat; qualis imitatus ille euangelicus fuit, qui villam emit, ante quàm videret illam:

Marginalia:

C

Prudentia felicem hominem facit.

Cant. 7.

Tres PP. apud Theodoretum.

Honorius in Cant. 7.

Naſus animæ prudētia eſt.

D

Ierem. 31. 21.

Greg. lib. 31. moral. c. 17. n. 31. in princ.

E

Greg. vbi ſup.

Ex bonis ſæpè mala naſcuntur.

Iob 39.

Ier. vbi ſupra

F

Res arduæ ante, cogitatione quaſi palpandæ, quàm opere perficiendæ.

G

Seneca epiſt. 23.

Cic. in Offic.

Homo a belluis quid differat.

H

Aggæi 1.

Prou. 31.16

I

Luca 14. 18.

lam:

Digitized by Google

Infra c. 4. 8. verſ. 16. in decum.

lam ; vnde ait : *villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam :* ſed plura de hac re dicemus infra .

Quod proximorum miſerijs compatiantur, qui proximum diligunt.

DOCVMENTVM II.

A

Iob. 30.25.

FLEBAT quidem S. Tobias cum S. Iob ſuper eo, qui afflictus erat, & anima ipſius pauperibus ſupra modum compatiebatur, quòd illos vehementer diligeret, eſſetq. anima illius, vt de Ionata, & Dauid dicitur, conglutinata animæ ipſorum, eosq. diligeret quaſi animam ſuam :

2. Reg.

Dionyſ. diuin. nom. c. 4.

nam, vt ait Dionyſius, *dimouet de ſtatu Diuinus amor, nec ſuos eſſe amantes patitur ; ſed eorum etiam, quæ amantur :* vel vt alia habet lectio : *eſt autem mentis ſeceſſum, extaſimq. faciens diuinus amor, amatores ſui iuris eſſe ſinens, ſed in ea, quæ amant, penitus transferens :* Ex quo fit, impoſſibile omnino eſſe, amantem rei amatæ ſibi vnitæ non compati : nam quemadmodum, ſicut B. Paulus ait, *ſi patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra*, ita vt, ſi ſpinam calcet pes, oculus loco remotiſſimus, charitatis affectu ſtatim proximus efficiatur, illucq. conuertantur omnia membra : ſpina dorſi incuruet ſe, oculi quærant, manus operetur, cor doleat, lingua conqueratur, nihilq. in homine à ſubueniendo vacet ; ita non poteſt res amata, quæ pars amantis eſt, vel ad minimum lædi, quin & ipſe qui amat, lædatur. Hinc mulier Cananæa, quæ filiam à Dæmonio malè vexatam habebat, clamans poſt Ieſum, illum non vt filiæ, ſed vt ſibi miſereretur, rogabat, dicens: *Ieſu, fili Dauid, miſerere mei ;* quòd filiæ ſuæ dolores proprios reputaret; ſic etiam in primitiua Eccleſia, cùm animus Chriſtianorum totus per amorem eſſet in Chriſto, quinimmò in illo magis, quàm in ipſis eſſet : nam ſicut Bernardus ait : *Anima magis eſt, vbi amat, quàm, vbi animat*. B. Paulo illos perſequenti Chriſtus apparens ait : *Saule Saule, quid me perſequeris ?* quòd non poſſet Saulus Chriſtianos perſequi, quin Chriſtum ſimul perſequeretur, cui omnes Chriſtiani Diuina erant charitate coniuncti. Hinc eſt, quòd philoſophus dixit, rerum amicabilium hanc eſſe vnam ex præcipuis : *condolore amico :* quod B. Paulus illis verbis expreſſit: *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus :* vnde & de ſe ipſo dicebat : *omnia omnibus factus ſum : non mentiendo*, inquit ſanctus Auguſtinus, *ſed compatiendo : non ſimulantis actu; ſed commiſerantis affectu*, vt quantum honeſtas, & lex Dei pateretur, omnium morbis mederi poſſet : ſic cum calamitoſis, perinde, ac ſi vir omnino calamitoſus eſſet, dolenti, ægroq. animo erat, & ſi aliquem quoquo modo peccantem videbat, acerrimo ipſe dolore, atque cruciatibus vrebatur: vnde dicebat : *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* ſed quid hæc miramur in tanto viro, cùm Gordianum Seniorem Capitolinus referat adeò mollibus fuiſſe præcordijs, vt etiam lacrymas funderet, quoties puer alter in ſcholis verberaretur ? eſt enim is compatiẽdi affectus homini tam naturalis, vt idem Capitolinus inhumanum planè eſſe aſſerat, humanis caſibus, & calamitatibus non ingemiſcere : & abſque compaſſione, & lacrymis eſſe, beſtiarum eſſe . Sanè ſub Maximiano Imperatore, vt refert Euſebius, cùm Chriſtiani edictis imperatorijs, tempore mortalitatis ex vrbibus eiecti eſſent, & complures gentilium varijs morbis extincti, inhumati remanerent, alijq. fame, & inopia premerentur ; Chriſtiani, qui paulò ante ex ipſorum oppidis eiecti fuerãt, reuocati ſunt, vt ipſi, vel cibo moribundos fouerent, vel mortuos, paſſimq. in vijs expoſitos terræ mandarent : quòd hominum tunc temporis inhumanitas tanta eſſet, vt in ſolis Chriſtianis ex aliena miſeria dolor appareret : ſed plura de hac re infra dicemus .

Amans rei amatæ compatitur.

1. *Cor.* 12. 26.

Membrorũ in corpore humano cõpoſitio mutua.

B

Amans rei amatæ dolores proprios reputat.

Bernard. to. 2. de precept. & diſpenſ. S. non conqueritur c. finem.

C

Ariſt. ethic. 3

Amantis præcipuum munus eſt rei amatæ compati.

Ad Rom. 12. 15.

1. *Cor.* 9. 22.

Aug. Epiſt. 9. & 19.

2. *Cor.* 11. 29.

D

Capitolin. in Gordian.

Commiſeratio homini connaturalis eſt.

Idem in Marc. Antonium.

Theophil. in Euang. Io. 2. illis verbis, ecce quomodo amat. eum.

Euſeb. hiſt. eccl. lib. 2. c. 5.

E

Infra cap. 7. verſ. 8.

VERS. VII.

Cùm verò ſol occubuiſſet, abijt, & ſepeliuit eum.

VERS. VIII.

Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes: Iam huius rei cauſa interfici iuſſus es, & vix effugiſti mortis imperium, & iterum ſepelis mortuos.

VERS. IX.

Sed Tobias plus timẽs Deum, quàm regem, rapiebat corpora occiſorum, & occultabat in domo ſua, & medijs noctibus ſepeliebat ea.

1 *Quid arguere, & qui proximi hic Tobiæ.*
2 *Lex humana non ſeruanda, cum legi Diuinæ contraria.*
3 *Sepelire mortuos quale opus ſit.*

CVM *verò ſol occubuiſſet*, Noxq. tenebris mortalium actiones obtexiſſet, præ compaſſione lugens, vt ait Græcus, domo egreſſus Sãctiſſimus Tobias,

VERS. VII.

Græcus.

Abijt. Pergens ſcilicet ad locum, vbi ſolitus erat mortuos ſepelire.

Digitized by Google

LXX.

Et ſepeliuit eum; LXX. *Et fodiens ſepeliuit*, defuncti nimirum cadauer, quod in platea repererat.

VERS. VIII.

Arguebat autem eum, Accuſabant, increpabant, aut reprehendebant, tanquam criminis alicuius; & flagitij reum, & quaſi iam manifeſtum peccatorem, ſceleriſq. conuictum: & quidem non mitioribus verbis; ſed aſperioribus cum irriſione, & contemptu: LXX. *Et proximi irridebant dicentes, &c.*

LXX.

Proximi, Ideſt, omnes ipſius propinqui, & habitatione, & ſanguine: vnde legit Vatablus: *Tum vicini per ridiculum, non metuit, aiebant, iſte iam interfici*.

Vatablus.

Vix effugiſti mortis imperium, Hoc eſt mortis ſententiam, nuper à Rege Sennacherib in te prolatam. Arabs: *Et non dum es liberatus à cauſa mortis*.

Arabs.

Et iterum ſepelis mortuos. Arabs: *Et adhuc ſepelis mortuos?*

Arabs.

VERS. IX.

PLVS timens Deum, Illo quidem timore, quo quis Deum offendere timet, nec ipſius præceptum aliquod præterire audet, ne gratia eius excidat, qui filialis idcirco dicitur, quòd ex Dei naſcatur amore, ſicut ex amore naſcitur timor, quo filij parentum offenſam reformidant.

2 *Quàm regem*, Quem licèt timeret naturali, & ordinato timore, curaretq. in quantum poſſet, ipſius iuſtis imperatis parere; nou tamen impie ipſius legi contra ſepelientes cadauera Iudæorum vulgatæ parendum eſſe ceuſebat, quòd naturę lumini, Deiq. legi repugnaret: etenim licèt principi cuilibet legitimo parendum ſit, cùm, teſte B. Paulo, *Omnis poteſtas à Deo ſit*; iniuſtæ tamen ipſius legi, vel Diuinæ legi contrariæ nunquam parendum eſt: cùm, ſicut Bernardus ait, *valdè peruerſum ſit profiteri te obedientem, in quo noſceris ſuperiorem propter inferiorem, ideſt Diuinam propter humanam, ſoluere obedientiam. Quid enim? Quod iubet homo, prohibet Deus, & ego audiam hominem, ſurdus Deo? Non ſic Apoſtoli: clamant quippe, dicentes: Melius eſt obedire Deo, quàm hominibus.* Cognouerunt & ipſi Ethnici: quare, vt auctor eſt Manutius, Antiochus tribus ciuitatibus ſcripſit: *ſi quid per literas iuberet legibus repugnãs, ne curarent, perinde quaſi ipſo inſcio ſcriptum eſſet*.

Ad Rom. 13.1.

Principi nunquam parendum eſt, cum Deo contraria præcipit.

Bernard. epiſt. 7.

Act. 5. 19.

Manutius in Apophteg.

Sic Tobias Diuino timore timorem pellebat humanum, quod etiam ſciret, multò grauiora eſſe mala, quę Deus, quàm quę homines inferre poſſunt: uam licèt illi iu carnem, mortalia lacerando corpora, ſæuire poſſint, homiuemq. necare; animæ tamen immortali nocere neutiquam poſſunt, quæ etiam corpore lacerato, & emortuo, viuit, & in cælum euolat. At Deus *animam, & corpus perdere poteſt in Gehennam*. Sic Tobias, vt ait Auguſtinus, *in tentatione robuſtus, & fortis inuentus eſt, oſtendens plus in timore Dei vigilandũ, quia ſi neceſſitas ad Dei timorẽ nos compellit, quãto magis ſecuritas?* ideò

Matth. 10

Aug. quaſt. vtriuſq; teſtament. q. 119.

Rapiebat, magno cum feruore, non vim legi iuferendo regiæ, ſed iniuriam vindicando legis, *corpora occiſorum*,

Et occultabat in domo ſua, Quam fortè huic operi deſtinatam habebat, vt ſupra ex lectione LXX. expoſuimus; *medijſq. noctibus*, vt cautiùs procederet,

Sup. hoc eod. cap. verſ. 4.

Sepeliebat ea. Neque patiebatur, quod Lactantius Firmianus faciendum omnibus docet, figuram, & figmentum Dei feris, & volucribus prædam iacere: verùm id terræ, vnde ortum erat, reddebat: *Magnum quidẽ opus*, ait Ambroſius: *nam ſi viuentes, operire nudos lex præcipit, quanto magis debemus operire defunctos? Si viatores ad longiora deducere ſolemus, quanto magis in illã æternam domum profectos, vnde iam non reuertentur? Nihil hoc officio præſtantius: ei conferre, qui ſibi iam non poſſit reddere: vindicare à volantibus, vindicare à beſtijs conſortem naturæ.* Quod vt commodiùs pij iure ad Tobię imitationem exercere poſſent, iam Romæ, & alibi ſodalitates, quas mortis, Tobiæq. vocant, inſtitutæ ſunt. Et Hieronymus, Gregorius, Niſſenus, Surius, & alij clericorum, aliquando fuiſſe officium mortuos ſepelire, non obſcuris verbis docent.

Lactant. lib. 6 Inſtit.

Ambroſ. lib. de Tobia c. 1.

Mortuorum cadauera ſepulturę mãdare opus eximiæ charitatis eſt.

Clericorum munus olim mortuorum cadauera ſepelire.

S. Hier. Epiſt. 49. in epitaph. Pula.

Greg. Niſſ. de funere ſororis.

Sur. tom. 2. in vit. S. Fulgët.

Quòd amici carnales, amici plerumque ſint nomine potiùs, quàm re, quiq. veri cenſendi ſint amici.

DOCVMENTVM I.

QVALES proximi Tobiæ fuerint, ex ipſomet textu patet, nimirum, vt Gloſſ. ait interlinearis: *carne amici nominis, non hominis, inimici animæ*. Qui nihili facientes animæ bona, terrena ſolummodo quærerent, Hyenæ ſerpenti ſimiles: *quam ſi obſerues*, inquit Tertullianus, *ſexus annalis eſt: marem in fœminam alternat*. Quod etiam, licèt alij negent, Aelianus affirmat. Verùm quo ſe cunque modo res habeat, amicos tales reperiri omnino certum eſt, qui cum amicis Tobiæ amicitiam iuxta fortunę alternationem alternant, illamq. mutatis temporibus mutant: æſtiuo cum hirundinibus proſperitatum domos inuiſunt, dulciſſimoq. in illis cantu garriunt: hyeme verò aduentante calamitatum, cum illis recedunt. Sic Cic. ad Herennium, *vt hirundines*, ait, *æſtiuo tẽpore præſto ſunt, frigore pulſæ recedunt, ita falſi amici ſereno vitæ tempore præſto ſũt; ſimulatque fortunæ hyemem viderint, deuolant omnes*. Creſcit eorum amicitia in proſperis, vt couchylia, creſcente luna, & in aduerſitatibus cum eiſdem, luna decreſcente de-

A

Gloſſ. interlinearis Anſelmi Landunẽſ.

Tertullianus.

Hyenæ ſerpentis proprietas mira.

Aelianus lib. 1. de animal. c. 25.

Falſi amici cũ hirundine comparatio.

Cicero lib. 4 ad Herenn. 62.

B

te de-

Similium cõgeries defi-cto amico.

te decreſcunt. Et ſicut ſole oriente vmbra hominem ſequitur, quem occidente deſerit; ita ſequuntur iſti amicos, dum illi ſole proſperitatis coruſcant, & deſerunt; dum aduerſis aduenientibus obnubilantur, & tandem ſicut argentum, quod viuum vocant, auro ita hæret, vt illud nunquam, niſi in fornace relinquat; ita ſic adhærent illi amico, vt non relinquant, niſi cum è proſperitate in aduerſitate illum incidiſſe cognoſcunt: quòd amicum ſuis aptare commodis, non ſe ipſos amico procurent, ſintq. amici illi, de quibus Eccleſiaſticus: *Eſt amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis*. Nam ſicuti domus remoto fundamento ruit; ita eorum diſſoluitur amicitia, proprij commodi, cui innituntur, remoto fundamento.

Eccl.6.8.

C

Iob 6.15.

Tales ſe habuiſſe amicos profitetur Iob, dicens: *Fratres mei præterierunt me, ſicut torrens, qui raptim tranſit in conuallibus:* deficit enim torrens in æſtate in maxima aquarum penuria, quando ſitientibus viatoribus, terriſq. areſcentibus, maximo eſſe poſſet vſui: hyeme verò, cùm iam aquæ ſuperfluũt, vndique aquis copioſiſſimis redundat. Tales etiam habuit amicos Tobias, qui, cùm opus non erat, abundè turgebant, & fluctus, atque ſpumas magnificentiſſimarum pollicitationũ in ſublime tollebant; in laboris verò aduerſitate prorſus diſparuerunt, & euanuerunt. Atque adeò amicos ingrati derelinquunt, vt canes oſſa ſolent relinquere, poſtquam vſque ad medullæ extractionem illa ſuxerunt: quodq. longè peius eſt, vulpecularum crudelitatem imitantes, quæ, vt Geminianus refert, poſtquam maternis exhauſtis vberibus abundè ſe lacte ad ſatietatem vſque impleuerunt, vbera ipſa dentibus impetunt, à quibus vitæ ſuæ nutrimentum acceperunt, amicos in aduerſitatibus rident, quos in proſperitate ob ſua commoda dilexerunt. Vndè illud apparet eſſe veriſſimum εὐτυχία πολύφιλος, *felicitas multos amicos habet*, & illud: πτωχοῦ φίλοι οὐδ' οἱ γεννήτορες, *mendico nec parentes amici*.

D

Gemin. in sũma lib. 5.

Eccl.c.6.8.

Vera amicitia commodum propriũ non reſpicit.

Hæc omnia maximopere vera deteſtatur amicitia, quæ gratuita eſſe debet, nullumq. prorſus commodum proprium reſpicere, quod etiam Ethnicorum poëtarũ quiſpiam intelligens, Nympham amicitiam eſſe dicebat, quæ gratia vocabatur. Iuxta hoc Philoſophus in Ethicis aiebat, ad amicum in tribulatione eundem eſſe citò, & ſæpe, in proſperitate rarò, & tardè: Et Demetrius Phalerius, *In amicorum ſecundis rebus*, aiebat, *vocatus adſis, in aduerſis etiam non vocatus*: nam qui aliter, vt Iuuenalis ait, te facere cernit,

Hor.lib.4.od. 7.

Ariſt. in Eth. Demetrius Phalerius.

E

Iuuen. Satyr 5.

Te putat ille ſuæ captum nidore culinæ,
Nec malè coniectat.

Seneca epiſt. 9. contr. med.

Quocirca merito à Seneca reprehenditur Epicurus, qui amicum quærendum eſſe dicebat, vt homo aliquem ſibi ægrotanti aſſidentem haberet, qui ſibi in vincula coniecto ſuccurreret, &c. *Immò verò*, ait Seneca, *amicum quæram, cui ægrotanti ego aſſidam & circumuentum hoſtili cuſtodia liberem*, & paulò inferiùs; *vt habeam, pro quo mori, quem in exilium ſequar, cuius me morti opponam, & impendam*: hoc enim veræ amicitiæ proprium eſt. Hinc Sapiens ait: *Si poſſides amicum, in tentatione poſſide eum, & non facilè credas ei*: ac ſi dicat: Si verum amicum deſideras, ante, quàm te ipſum illi credas, vide, vt illius fidelitatis, & beneuolentiæ in aduerſis primum experimentum facias: nam, vt Greg. ait; *Aduerſitas eſt, in qua vera dilectio proximi cognoſcitur*. Ex quo apparet iuxta veræ amicitiæ legem, afflicto amico magis debitam eſſe fidem, quàm felici: ſic etiam ſuccinctè, ſed ſapienter Seneca Tragicus:

Eccl.6.7.

Amicus quomodo probandus.

F

Greg. moral. 7 c. 10.

Seneca in Agamenone.

Volunt fidem ſecunda, at aduerſa exigũt.

Geminianus in ſumma lib. 9.

Calcis ſimilitudo.

Quare Geminianus veram amicitiam viuæ calci cõparat, cuius ſecretus calor minimus extra aquam apparet, & in aqua maximus; quòd & illa tepeſcat in proſperitatibus, in aduerſitatibus ferueat. Sic magnus Baſilius, vt de illo refert Chryſoſtomus, cum aliquando amicum calumniam pati; magnoq. in vitæ diſcrimine verſari cognoſceret, non ſine magno ſui periculo calumniantibus ita reſtitit, vt eum ab omni calumnia vindicarit: quod factum cùm laudarent alij, alij verò vituperarent, egregio reſponſo: *aliter*, inquit, ille, *amare non didici, niſi vt meam animam in diſcrimen adducam, dum periclitãtem aliquem amicum ſeruare opus eſt*. Tales fuerunt è ſacris literis Abraham, qui Lot è vinculis exemit: Ionatas, qui Dauid ab inſidijs patris ſui Saul ſubtraxit; Cuſai Araclites, qui decepto Abſalone, vitæ periculum ab eodem Dauid depulit, ipſiq. magnum recuperati regni momentum fuit. Sed quia rara eſt hodie talis amicitia, quidam philoſophus (vt Laërtius refert) dicere ſolitus erat, veram inter mortales amicitiam interijſſe, & Chryſoſtomus de illa loquens, ait: *De ea re nunc ſit ſermo, quæ à mundo diſceſſit, & nunc cælum inhabitat:* Et paulò poſt: *nec eſt inter modicas mundi calamitates connummeranda hæc, quòd vera amicitia hominum reliquit contubernia*.

Chryſoſt. de Sacerd. to. 5.

G

Veræ amicitiæ exempla.

Geneſ. 14.

1.Reg. 20.

2.Reg. 17.

Laër. de vit. & mor. philoſoph.

Chryſ. hom. 2. ad Theſſ.

Veri amici pauciſſimi.

H

Hinc magnum Alexandrum ferunt, quærenti, vbi theſauros haberet repoſitos, meritò amico oſtendiſſe: nam, vt Sapiens ait: *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit theſaurum*: Vnde Gregorius Nazianzenus:

Eccl.6. 14.

Greg. Nazian. in Theſſ. tract. 41.

Πιστοῦ φίλου νόμιζε μηδὲν ἄξιον, ὃν ἂν
Κρατὴρ ἔδειξε, καιροῦ δὲ ζάλη.
Fidis amicis nil puta præſtantius,
Quos caſus aſper extulit, non poculа.

Quòd

Quòd opus magnæ pietatis, laudeq. dignum ſit mortuorum cadauera ſepelire.

DOCVMENTVM II.

A
Aug. l. 4. de ciuit. Dei. c. 12.
Animæ nihil prodeſt ſepultura.
Lud. Viu. ibi.

LICET, vt S. docet Auguſtinus, denitandus nobis ſit paganorum error, dicētium, prodeſſe mortuo ſepulturā ad hoc, vt eius anima quietē capiat; quem & ipſi Ethnici vſque adeo deteſtati ſunt, vt, quemadmodum teſtis eſt Viues, Diogenes Cynicus ſe canibus, auibuſq. exponi mortuum iuſſerit, amicisque ſubinde monentibus de ſui dilaceratione cadaueris, per iocum dixerit; *Apponite mihi baculum, quo aues, & canes abigam*: cui cùm illi reſponderent: *Atqui nihil ſenties: Si nihil ſentiam*, ſubdit, *quid mihi oberit laceratio?* Et Cicero ſcribit, Theodorum Cyrenæum, Lyſimaco crucem minitanti reſpondiſſe: *Terribilis hæc ſit purpuratis tuis, mea nihil intereſt, humi ne, an ſublime putreſcam*; laudabile tamen eſſe opus ſepeliendi mortuos, non ſolum exēplo ſuo Tobias, ſed etiam antiquitas vniuerſa confirmat.

Cicero in Tuſculan.

B
Diodor. Sicul. lib. 2.
Quintus Curtius de rebus geſtis Alex. li. 3. in fin.
Alexādri Magni in hoſtē ipſum pietas
Cæſaris.

Hinc, vt teſtis eſt Diodorus, maxima apud Aegyptios in veneratione fuerunt, qui ad hoc opus incūbebant: Et Quintus Curtius maximis celebrat laudibus Alexandrum Macedonem, quod cùm Darium Perſarum Regem pugna commiſſa fudiſſet, audiens illum exanimem in ſuo curru inſepultum à ſuis fuiſſe derelictū, lacrymas præ compaſſione vbertim fundens, maximo cum honore illum ſepeliri iuſſerit: Sic etiam Iulius Cæſar Pompeij caput, quem inſenſiſſimum hoſtem habuerat, ſibi à Ptolæmeo miſſum cum honore ſepeliendum curauit: quod etiam Annibalem, alioſque complures gentilium feciſſe legimus.

C
1. Reg. 3.
2. Reg. 2.
Gen. 49. 29 & 50. 24.
Matt. 26. 10. 12.
Dionyſ. Areopag. de eccl. Hierar. c. 7.

Verùm & in ſacris literis fertur, Dauid miſiſſe nuntios ad filios Iabes Galaad, qui tulerant de muro Bethan, & de manibus Philiſtinorùm cadauera Saul & filiorum eius, vt illis ſuo nomine gratularentur de tanto opere, dicerentq. *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum domino veſtro Saul, et ſepeliſtis eum, & nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam, & veritatem; ſed ego reddam gratiam.* Laudabile etiam hoc opus eſſe oſtendit Iacob, dum illud filijs ſuis præcipiens, ait: *Sepelite me cū patribus meis*: Et Ioſeph, dum fratres ſuos adiurans dixit illis: *Aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto*: Et ipſe Dominus, Magdalenam de hoc opere laudans, dum ait: *opus bonum operata eſt in me: mittens enim hoc vnguentum hoc in corpus meū, ad ſepeliendum me fecit.* Laudat & illud Dionyſius Areopagita poſt prolixam ritus Eccleſiaſticæ ſepulturæ deſcriptionem, dicēs: *honorabile erit cum ſancta anima, quòd ſacris ſudoribus cum illa decertauerit corpus.*

D
Aug. de ciu. c. 18.
Ambr. lib. de Tob. c. 1. verbis ſupra allatis in litera eluccidatione.
Idem vbi ſupra ferarum pietas in mortuos.
3. Reg. 13.

Et Auguſtinus: *Non enim*, ait, *contemnenda, & abijcienda ſunt corpora defunctorum, maximeq. iuſtorum, & fidelium, quibus tanquam organis, & vaſis, ad omnia bona opera ſanctus vſus eſt Spiritus.* Et Ambroſius ſatis manifeſtè docet, corporalem eleemoſynam ſepeliendi mortuos, aliam operiendi viuentes nudos, merito ſimul, ac laude ſuperare, quòd beneficium in eum conferat, qui nequit reddere, ſimulque à volatilibus, & beſtijs vindicet conſortem naturæ. Et quidem, vt idem ait, *Fera hanc humanitatem defunctis corporibus detuliſſe proditur, & homines negabūt?* Sic legimus in ſacris literis, homicidam illū leonē, & diuinæ iuſtitiæ vindicem, qui prophetā Dei occiderat, ex homicida, ipſius euaſiſſe cuſtodem: nam, vt ſacra narrat hiſtoria, *ſtabat iuxta cadauer, donec tulit illud de via alius propheta.*

E
S. Hier. in vita S. Pauli primi Eremitæ.
Sur. in vit. S. Paphnut. & in vit. S. Mariæ Aegyptiacæ.

Et S. Paulo Eremitarum principi, ſepulcrum leones defodiſſe ſanctus Hieronymus narrat: cùm S. Antonio ſarculum ad effodiendum deeſſet: *Ecce*, inquit, *duo leones ex interioris eremi parte currētes, directo curſu ad cadauer Beati ſenis ſubſtiterunt, deinde haud procul cœperunt humum pedibus ſcalpere, arenamque certatim egerentes, vnius hominis capacem locum fecerūt, &c.* Quin & alios leones Abbati Paphnutio opitulatos fuiſſe, vt ſanctum Honuphrium ſepulturæ demandare poſſet: & Abbati Zoſimo, vt ſāctam illam pœnitentem Mariam Aegyptiacam ſepeliret, apud Surium legimus. De ſancto etiam Martyre Vincentio legitur, quòd, cùm Tyrannus illius cadauer feris obijci præcepiſſet, coruus cadauerum auidiſſimus, non ſolùm illud nō tetigit, verùm & ab alijs rapacibus belluis, lupo præcipuè, roſtro, & vnguibus defendit.

F
S. Tho. 4. ſent. diſt. 45. ar. 3. in reſp. 3. q. ad 3.
Ad Eph. 5. 29.
Anima de corpore naturaliter ſolicita eſt.
Pſal. 78.
G
Eccl. 6. 3.

Huius tandem operis dignitatem, & ipſa ratio dictat: nam vt S. Thomas docet, cùm caro pars naturæ ſit hominis, & iuxta illud B. Pauli: *Nemo vnquam carnem ſuam odio habuerit*, ſequitur cuiq. viuenti de ſuo corpore ſolicitudinem naturaliter ineſſe, quid nimirum etiam poſt mortem de illo futurū ſit, dolereque maximè, ſi aliquid indignum illi euenturum præſentiat; vnde etiam opprobrium eſſe mortui reputatur, quòd inſepultum ipſius cadauer iaceat: Et vituperantur in ſacro eloquio, qui mortuorum corpora inſepulta ad vindictam reliquerunt: qua de re lamentatus eſt Dauid, dicens: *Poſuerunt morticinia ſeruorum tuorum, eſcas volatilibus cœli, & carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ.* Quod maximum eſſe malū Spiritus Sanctus docet, dum apud Eccleſiaſtem: *Si genuerit*, ait, *quiſpiam centum liberos, & vixerit multos annos, ſepulturaque careat, de hoc ego pronuntio, quod melior illo*

ſit

ſit abortiuus. Sic illi, qui hominẽ diligunt, ex hoc, quod eius, quem diligunt effectui conformantur, circa ipſius carnem humanitatis debent curam impendere : *Si enim*, vt Auguſtinus ait, *paterna veſtis, aut annulus, ac ſi quid huiuſmodi, tantò charius eſt poſteris, quantò erga parentes maior affectus, nullo modo ipſa ſpernẽda ſunt corpora, quæ vtique multò familiarius, atque coniunctius, quàm quodlibet indumentũ geſtamus.*

Aug. de ciu. Dei l. 1. c. 13.

Hac de cauſa ſanctos viros non negligenter huic operi ſe dediſſe legimus, ſed tanto cum feruore, vt Eutichianus Papa trecentos, & quadraginta duos martyres ſepulturæ per ſe ipſe mandarit. Et Vgo Linconienſis regium contempſerit prandium, vt tanto nequaquam operi deeſſet.

Sanctorum in demortuis corporibus ſepeliendis feruor.

In Martyrolog. die 8. Decembris.

H

Sur. 18. Aug. tom. 4.

Bachar. Epi. de recipiend. lapſis.

Sanè Bacharius omne Tobiæ meritũ huic operi tribuens : *nonne*, ait, *B. Tobias veniã miſericordiæ cæleſtis emeruit, mortuis in captiuitate fratribus tribuens ſepulturam?* Quod illa Angeli ad Tobiam verba confirmant: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Quinimmo hoc opus adeò gratum ſemper Deo fuit, vt qui infideles illud exercuerunt, cùm præmium æternum mereri non poſſent, præmio tamen minime temporali caruerunt. Vnde refert Valerius, Simonidem poëtam aliquando nauigantem, cùm ad litus appuliſſet, inhumatumq́. corpus, quod ibi reperit, ſepulturæ mandaſſet; admonitum in ſomnis fuiſſe, ne proximo die nauigaret; quod cùm feciſſet, qui inde ſoluerant, fluctibus, ac procellis ipſomet inſpectante obruti ſunt; ipſe verò lætatus eſt, quòd vitam ſuam ſomnio, quam naui credere maluiſſet.

Tob. 12.

Sepultura mortuorum quanti ſit meriti.

I

Val. Max. l. 1. c. 7. de ſomnijs.

Ex quibus apparet, omnes, qui ſtudiũ huic operi nauant, non modò laudum, ſed etiam maximorum apud Deum præmiorũ dignos eſſe. Non tamen qui in illud incumbere nequeunt, vel quia non deſunt, qui illud perficiant, vel quia alijs honeſtis operibus occupati, illud exercere non valent, mœrere debent: nam qui corporibus defunctorum ſubuenire non poteſt, ipſorum animas precibus, & operibus ſatisfactorijs ſubleuare poteſt, quod ſine dubio opus eſt defunctis charius, meritiq́. apud Deum maioris, vt ſequenti documento patebit.

Quòd opus defunctis chariſſimum, maximeque apud Deum momenti ſit pro mortuis ſatisfacere.

DOCVMENTVM III.

A

TANTA ſunt, tamque grauia tormenta, quibus animæ in purgatorio diſcruciantur, vt nullus omnino eſſet, qui illis intimè non condoleret, ſi illorum vel minimam partem conſideraret : nam, vt Auguſtinus de purgatorio igne verba faciens, dicit: *hic ignis, etſi æternus non ſit, miro tamen modo eſt grauis : exeedit enim omnem pœnam, quam vnquam paſſus eſt aliquis in hac vita : nunquam in carne tanta inuenta eſt pœna, licèt mirabilia paſſi ſint martyres tormenta, & multi nequiter iniqui tãta ſuſtinuerint ſupplicia.*

Aug. de ver. & falſ. pœnit. c. 18. tom. 4.

Purgantis ignis atrocitas.

Etenim multa licèt, & grauia ſint, quæ tyranni adinuenere tormenta, vt homines torquerent, nimirum eos membratim concidere, quod teſte Frontino, Clearicus inuenit : Fumo necare, quod, teſte Crinito, imperator inuenit Auidius: in boue æneo candente includere, vt moriẽtium voces bouis mugitum imitarentur, quod, vt teſtatur Gellius, portentoſo inuento excogitauit Phalaris : tamen hæc omnia, & ſi quæ grauiora aliquando fuerunt, inuenta ſunt hominum. At purgatorium Dei eſt inuentum, quo ſua potenti manu animarũ delicta purgat, pœnaq́. debita illos plectit: vnde merito ſingulę animæ in illo poſitæ, ad nos, qui bonis operibus pro illis ſatisfaciendo, à tantis illas leuare doloribus poſſumus, illud Iob continuę clamitant : *Miſeremini mei, miſeremini mei, quia manus Domini tetigit me :* Et vt nos ad commiſerationem commoueant, illud Ieremiæ: *ò vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor noſter.*

Tyrannorũ crudelitas.

Frõtinus li. 9.

Crinitus l. 28.

B

Gellius lib. 4. c. 1.

Iob 19. 21.

Thren. 1. 2

Quòd ſi hæc cogitantes, pro illis, in quantum poſſumus, non ſatisfacimus; proprij nos ſaltem commodi conſideratio, quod maximum ex tali opere reſultat, excitare debet : etenim illæ acceptorum memores beneficiorum, ſi pro illis ſatisfaciamus, non ſolum poſt, quàm ad æternam felicitatem ab illis euocatæ carceribus fuerint, Deiq́. facie reuelata perfruẽtur, pro nobis inceſſanter orabunt; ſed etiam in ipſis purgatorijs ignibus poſitæ, orare non deſinent : cùm optimè nouerint, quicquid viatores pro illis operantur; tum quia iam à corpore ſeparatæ perſpicaciores euadunt, & ex alleuiatione pœnarum, & ex cognitione habita perſonarum, quos habeant adiutores optimè coniectare poſſunt, vt Sanctus docet Bonauentura: tum etiam quia, vt ait Auguſtinus : *Fatendum eſt neſcire quidem mortuos, quid hic agatur, ſed dum hic agitur; poſtea verò audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt poſſunt, & ab Angelis, qui rebus, quæ hic aguntur, præſto ſunt, audire aliquid mortui, quod vnumquemque illorum audire debere iudicat, cui cuncta ſubiectantur;* Et præcipuè ab Angelo cuſtode, cui talia nuntiandi munus incumbere multi affirmant: ex quo ſequitur, animas purgatorij (cùm iuſtorum animæ ſunt) etiam apud Deum continuis deprecationibus eorum ſalutem expoſcere,

C

Pro defunctorum animabus orare quanti momenti, atque vtilitatis ſit.

S. Bonau. li. 4. ſent. diſt. vlt.

Aug. ſiue Auct. lib. de Cur. p. mor. hab.

Animę defunctorũ quæ in mundo fiũt, quo modo ſciant.

D

à qui-

S.Tho. 2.2. q. 83. art. 11. ad 3.
Caiet. ibidem.

à quibus ſe iuuari cognoſcunt, quod licet improbabile aliquibus videatur, cum illas ſuperiores quidem nobis aſſerant, quoad impeccabilitatem; at verò inferiores quantùm ad pœnas, quas patiuntur, ſecundum quòd illas non eſſe dicunt in ſtatu orãdi; ſed magis, vt oretur pro eis; alijs tamen, quibus adhæreo, probabiliſſimum eſt. Et certè nulla ſuccurrit ratio, cur pœnæ ſint illis impedimento, quò minus charitatem, tum erga Deum, tum erga alios exerceant, & preces pro alijs fundant, ſicuti nec fuerunt B. Stephano, dum lapidibus obrueretur: tum quòd illas æquiſſimo ferant animo; tũ etiam quòd nequeat dolor illis vel iudicium perturbare rationis, vel effectum bonæ voluntatis impedire, ſicuti nobis ratione corporalium organorum, quibus illæ carent, contingit.

Act. 7. 57.
E

Luc. 16. 24.

Se ipſum reſpexit Epulo dum in inferno rogauit pro conſanguineis:
Defunctorũ animæ in ipſo Purgatorio Deũ pro ſe iuuantibus deprecantur

Quare & ipſe Diues Epulo in inferno pro fratribus ſuis eſt deprecatus, licèt nõ ex charitatis affectu, quem reprobus non habebat; ſed ne propria ſui ipſius tormenta ex cõſortio fratrum, quibus praua exempla reliquerat, maiora euaderent. Quare ad quem modũ rex, ſi, vt iuſtitiam ſeruaret, pœna carceris, aut alia, quæ vſum rationis non perturbat, aliquem ſibi charum puniret; poſſet reus in illa regem pro alijs orare, ipſeque rex abſque iuſtitiæ violatione ipſum audire, & exaudire; ſic charæ illæ Deo animæ in carcere purgatorio poſitæ, licèt ſatisfacere nec pro ſe, nec pro alijs poſſint; multa tamen & pro ſe; & pro alijs beneficia, cùm charæ ſint Deo, ab eodem precibus impetrare poſſunt. Sicut etiam B. Brigitæ oſtenſum aliquando fuit, dum ab Angelo in ſpiritu ad purgatorium adducta, multas animarum voces audiuit dicentium: *O Domine Ieſu Chriſte, iudex iuſte, mitte charitatem tuam his, qui ſpiritualem poteſtatem habent in mundo.* & paulò inferius: *O Domine Deus, da de tua incomprehenſibili poteſtate vnicuique* centeſimam remunerationem in mundo ijs, qui nos eleuant cum bonis operibus in tuæ diuinitatis lucem, & tuæ faciei viſionem.

F

B. Brig. lib. 4. Reuelat. c. 7. in fin.

VERS. X.

Contigit autem, vt quadam die fatigatus à ſepultura, veniens in domum ſuã, iactaſſet ſe iuxta parietem, & obdormiſſet.

VERS. XI.

Et ex nido hirundinũ dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos eius, fieretq. cæcus.

1 *Dies hic pro die naturali.*
2 *Tobias quomodo ab immũditia legali poſt mortuorum ſepulturã ſe purificauerit.*
3 *Additorum hic ex Hebræo quis auctor.*
4 *Vbi excæcatus Tobias.*
5 *Cuius volucris ſtercora Tobiam excæcauerint.*
6 *Hirundinum importunus cantus, & nidificatio.*
7 *Quomodo Tobias dormiens ſit excæcatus.*
8 *Hirundinum ſtercora quã habeant vim ad excæcandum.*
9 *Quæ hic addant LXX.*
10 *Symbola ex hac hiſtoria.*

VERS. X.

C*ONTIGIT autem*, Poſtquam mortuorũ cadauera præclarè quidẽ ſepulturæ mandauit, vt. *Quadam die*, Naturali nimirum, quæ diem, noctemque complectitur *eadẽ ipſa nocte*, LXX. quæ ſcilicet Pentecoſtis feſtum eſt conſequuta: vel, & fortè meliùs, *quadam die*, hoc eſt, aliquando, poſtquam diu in ſepeliendis mortuis ſe exercuiſſet, *eadem ipſa nocte* tanti laboris.

LXX.

2 *Fatigatus à ſepultura*, Addit Hebræus: *Paraui lauacrum, ſed nõ potui mundificare me metipſum in terra immũda, ſicuti licuiſſet in terra Iſrael*; quia, vt notat Serarius, licèt ab immunditijs ſeipſum potuerit purificare corporalibus, vt ſupra illum feciſſe LXX. narrãt, poſtquàm mortuũ è platea ſuſtulerat, & antequã prãdium ſumeret; nõ tamen ab immũditia legali mũdare ſe poterat, quæ luſtrali aqua è rufæ vaccæ cineribus facienda erat, vt ex libro conſtat numerorũ. Addit etiã Hebræus: *Quemadmodũ de nobis prædixit Ieremias: non mundaberis in poſterũ aliquandiu*: ſeu, vt vulgatus noſter habet: *Non mundaberis poſt me vſquequo adhuc?*

Hebræus.
Serarius hic.
Num. 19. 11. & 12.
Ier. 13. 27.

3 Quæ ſanè verba à Paraphraſte quodã (vt alia multa, quæ noſtræ addũtur vulgatę) fuiſſe appoſita, ſatis apparet; cũ, teſte Hieronymo, cœperit Ieremias prophetari anno Ioſiæ decimotertio, ad quod vſq; tempus noſter nequaquam peruenit Tobias, qui poſt hæc,

Hieron.
Ierem. 1. 2.

4 *Veniens in domum ſuam*, Labore feſſus, & ſomno grauatus, cùm

Iactaſſet ſe iuxta parietem, Gręcus: *Iuxta murum atrij*, in veſtibulo nimirum domus ſuæ, vt paululũ à labore quieſceret, & obdormiſſet.

VERS. XI.

ET ex nido hirundinũ. LXX. & S. Ambroſius pro hirundinibus legunt, *paſſeres*: Syrus: *Aues*. Arabs cũ vulgato, *hirundines*. Et certè vox Hebræa, צפור, tſipor, & Græca *στρουθία*, quæ hic ponũtur, licèt pro paſſere exponi poſſint; omne genus tamen comprehenderunt auicularum, vt etiam vox Latina paſſeris: Vnde paſſerem quemlibet vadẽtem dicit S. Hieronymus, pro eo, quod alij hirundinem dicunt, & vocat *auem*, quam LXX. *turturẽ*, & Hebræus vnus hirundinem. Hic tamen nõ quamlibet auem ſignificari, neq; propriè dictum paſſerem, ſed hirundinem oſtendit Vul-

LXX.
Ambr. de Tobia.
Syrus.
Arabs.
Variæ lectiones vocis hirundinum.
Hieron.
Prou. 26. 2.
Pſal. 83. 4.

Digitized by Google

gatus,& Hebræus alter,qui habet *deror*.

6 Et confirmari etiam poteſt ex eo, quòd ſolæ hirũdines in domibus, & in domorũ atrijs nidos fingant,atq; cõſtruãt: vnde Poeta.

Verg.Georg.4. *Anacreon.*

Garrula quæ tignis nidũ ſuſpẽdit hirũdo.

Et Anacreon

Ἀ δὲ δυσγάμος κατ᾽ οἴκους μερ ἐπων θροεῖ χελιδών,

ideſt *Male nupta, quæ cum per ædes hominum ſtrepit hirundo.*

quod potiſſimũ ſummo mane importunè facit, maximè ſi exire è cubiculo nequeat, & extra altera reperiatur: vnde & idem alibi in illam dum inuehitur, canit,

Anacreon ode in hirundinem.

Quibus loquax
Te plectam hirundo pœnis?
Vtrumne vis volucres
Alas tibi recidam?
Imam ſecemue linguam
Tibi, quod ille Tereus
Feciſſe fertur olim?
Nam tu quid ante lucem
Meas ſtrepens ad aures
E ſomnis beatis
Mihi rapis?

LXX. 7 *Dormienti illi.* Et quidẽ,vt legunt LXX. *oculis apertis*,& S.Athanaſius,*Tobias*,inquit, *cum mortuos aliquos ſepeliſſet, extra ſepta obdormiuit,& cum pro more ſuo apertos haberet inter dormitandũ oculos,albuginem in illis contraxit.* Sanè aliquos eſſe, qui apertis oculis dormiũt,teſtatur Plinius,dum ait: *Patentibus oculis dormiunt lepores,multiq. hominum*: & ego tales me vidiſſe non ſemel memini.

Athanaſius in ſynopſi. Nonnulli ſunt, qui patentibus dormiunt oculis. *Plin.lib.11. c.37.*

8 *Calida ſtercora*, Quibus etiam pulli hirundinũ ſæpiſſimè excæcantur;tamen, vt Tertullianus ait: *Hirundo ſi excæcauerit pullos, nouit illos oculare rurſus de ſua chelidonia.*

Tertullianus lib. de pœnit.

Inciderent ſuper oculos eius, vt diximus apertos,cùm annos eſſet natus ſex ſupra quinquaginta, vt infra dicetur.

Infra c.14 verſ.1.

Fieretq. cæcus, Nam licèt ſtercus hirundinum iamdiu excretum,& frigidum, oculorũ albugini mirificè mederi doceat Albertus; calidũ tamen,& recẽs;quod valde acre ſit, & illud Celſus inter adurentia recenſeat,excæcare probat Aldrouandus. Hãc tamen cęcitatẽ,ſeu potius albuginis lumen oculorũ impedientis procreationẽ,vt infra patebit, haud Tobię cõtigiſſe crediderim,ſtatim ac ſtercus in ipſius oculos incidit: cùm naturaliter tantã vim adurẽdi minimè hirundinũ ſtercus habeat;ſed vel poſt multos dies à pernicioſa ipſius ſtercoris qualitate, quæ in eius oculis remanſerat: vel poſtquam diu ſub hirundinum nidulo dormiens, permanſiſſet, nec ob ſomni profunditatem, ſtercus ſibi in oculos incidens,perſenſiſſet.

Albertus. *Aldrou.Ortolog.c.6.lt.17. in fin. §.vſus, & med inf.c. 11. verſ.15.*

LXX. 9 Addunt LXX. *Et iui ad medicos, & non profuerunt mihi. Achiacharus autem nutriebat me, quoad vſque profectus ſum in Elymaida.* vide infra expoſitionem,verſ. xix.

10 Fortè ex hac hiſtoria, vt obſeruat Serarius,manauit illud ſymbolum Pythagoræ, qui cum Iudæis,vt teſtatur Ioſephus,& Clemens diu verſatus eſt.

Ioſeph contra Apionem. Clemens li. 1. ſtrom.

Hirundines ſub eodem tecto non habeas. hoc eſt,vt interpretatur Hieronymus: *abſtine à commercio garrulorum*, quòd garritu ſuo valdè moleſtæ hirũdines ſint, vel: *abſtine à commercio conuictoris agreſtis,& ingrati.* quòd ſolæ inter aues hirundines in tectis verſentur omnino inutiles,& ingratæ,poſtquam in illis pullos educauerint ſuos, & ſtercoribus totam defœdauerint domum,abeunt nulla communicati hoſpitij relata gratia: Vel tandem *à commercio illorum abſtine, qui in proſperis tibi adulantur, & in aduerſis à te recedunt.* Quòd verno,& æſtino tempore illæ accedant, & hyemali recedant, in documento dicendum.

Pythagoræ ſimbolum. *Hier.apolog. adu. Ruffin.*

Quòd adulantium verba mentis cæcitatem inducant,& de adulationis, atque vituperationis damnis.

DOCVMENTVM I.

DORMIVNT cum Tobia patentibus oculis iuſti,qui, *vt liberius æterna cõtemplentur*(inquit Greg.)*à tranſitorijs rebus quieſcunt*, qui cũ ſponſa in cãticis dicere queũt: Ego *dormio, & cor meũ vigilat*, ideſt dormio quidẽ corpore,ſed mẽte *vigilo & cuſtos ſum,ſtans totis noctibus*,vt Iſai.ait.

A *Gregorius. Cant.5* Iuſti dicũtur moraliter patentibus oculis cũ Tobia dormire. *Iſa. 21.*

Contingit autẽ aliquando,illos ab adulantium hirundinũ ſtercore excęcari,cæleſtiũq. lumen amittere,dũ adulantibus hominibus, & mundo credentes,à recta virtutis ſemita nonnihil deflectunt. Sanè hirundinibus adulatores ſignificari optimè docet Hugo Card. dum ait: *Hirũdo ſignificat adulatorẽ propter nouem,primò quia niger eſt in immunditia conſcientiæ propriæ,vt hirũdo; ſecundo quia domũ figit hirundo de luto,& adulator magnã loquelã facit de nihilo: Tertio,quia hirũdo nõ deſtruit domum propriã;neq; adulator vituperat Dominũ ſuum vnquã: Quarto, quia hirũdo nulli aui præda eſt;& adulator omnibus amicus eſt: Quinto,quia velociter volat;& adulator velociſſimè fert rumores,vnde placeat: Sexto,quia in aëre viuit;et adulator vẽto vanitatis,fauoriſq. humani ſe paſcit: Septimo,quia vadit,et recedit in hyeme, et redit in æſtate; ſic adulator tẽpore aduerſitatis recedit,ſed tẽpore proſperitatis redit: Octauo, quia hirũdo ſcabiẽ dat;& adulator auditoribus ſcabiẽ excellẽtiæ miniſtrat: Nono,quia hirũdo ſtercorib. excæcat;et adulator auditorib. ſuis oculos ꝓpriæ cognitionis cæcat,vnde verſ.*

Hugo Card. in c.10. Iſaiæ poſt med. Hirũdo adulatorem moraliter ſignificat. B

Nigra domũ figit ſub tecto,nec ruit illud,
Nulli præda volat,velox et in aëre paſcit,

It,

It,redit æſtate , & ſcabiem dat , ſtercore
excæcat:
Hæc Hugo . Vndè meritò ab adulatoribus ,
C tanquam à capitalibus hoſtibus ſe cuſtodiri
Pſ. 140. 5. enixè Deum rogabat Dauid,dicẽs: *Corripiet*
me iuſtus in miſericordia,& increpabit me ;
oleũ autem peccatoris non impinguet caput
meũ, ideſt adulatorũ verba,& blãditiæ,qui-
bus demulcẽt peccatorũ corda,eoſq́,in ma-
lis fouent,& enutriũt,ne quæſo oblectẽt ani-
mũ meũ,neque foueant me in peccatis meis.
Hebræus. Hebræus legit,*Vnguentum autem primum*,
hoc eſt, excellentiſſimum , *nõ frangat caput*
meũ,ſignificans lenibus illis verbis , quibus
quaſi vnguẽto primo, hoc eſt perfectiſſimo ,
vngere adulatores videtur;lumen mẽtis,ve-
ritatiſq́. cognitionem tolli;quòd appareant
licet adulantium verba dulcia,& blandè , vt
Prouerb. Sapiẽs ait,ingrediantur; *in nouiſſimo tamen,*
vt coluber mordeant, & ſicut regulus,vene-
D *na diffundant*:ſicut mel,quod Heracleæ in
Ponto naſci Plinius aſſerit, *quod*,inquit,*dul-*
*Plin.li.*21.*c.*13. *ce licèt ſit,qui edère,ſudore diffluit*, aut il-
Mel Heracleæ edentes ſudore diffluunt. lud,quod in Heptacometarũ arboribus naſci
refert Rhodiginus,quod hauſtum ſtupefacit,
mentemq́. conſternat.Sed verba adulantium
*Rodig.lib.*18. *cap.* 50. vocat Dauid oleum:quia ſicut oleum fulget,
& nitet in ſuperficie;intus verò ſquallet ; ſic
illa foras licèt niteſcant,& ſplendeant;intus
tamen inuidia ſolent liuere,ſquallere mẽda-
cio,& odio etiã non raro tabeſcere. Et ſicut
*Gal. lib.*2. *de ſimpl. medicam.* 6,7. oleum licèt cutem leniat;tamen,Galeno te-
ſte,interiora mordet;ſic adulantium verba ,
etſi auribus grata ſunt;interiora tamen ani-
mæ pungunt,& lacerant . Vnde Dauid de vi-
Pſ. 54. 22. ro adulatore loquens : *Molliti ſunt*,inquit,
Mel lis,oleiq. proprietatib. adulatoribus conueniunt. *ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacu-*
la:quod nõ pugione,vt Ioab,ſed verbis mel-
litis, & dulcibus ferit .

Demũ vocat Dauid verba adulantiũ oleũ;
Gal. vbi ſup. cap. 22. quia,teſte Galeno , ſicut oleum rerum etiam
contrariarum qualitates ſumit, ita vt ex ca-
E lidis calidum,ex frigidis frigidum euadat ;
ita aſſentatores negant,ſi negas, aiunt,ſi ais:
Plutarch. de diſcrim. adulat. ab amic. nam,vt Plutarchus ait: *Adulatori idem om-*
nino accidit, quod Chamæleonti: ſiquidem
Adulator a Chamaleõte nõ diſcrepat. *vt ille, colorum omnium ſimilitudinem ex-*
promit, præter quàm albi .

Hinc Antiſtenes,vt refert Stobæus,ſolitus
*Stob.ſerm.*14. *ex li.*6.*Laert.* erat dicere: *ſatius eſſe in coruos, quàm in*
adulatores incidere:quòd hi viuẽtis animũ ,
Adulator Coruo peior illi verò mortui corpus corrumpunt. Quare
Aug.Pſal. 69 *verſ. Auertãtur ſtatim.* conſiderans Aug. quantas patiatur calami-
tates,& miſerias miſer homo in hoc mundo,
quantoſq́. habeat perſequutores,inter duos
F potentiſſimos hoſtium exercitus illũ vincere
Adulatores, & vituperatores duo hoſtium exercitus potentiſſimi: dicit: *Duo*, inquiẽs, *ſunt genera perſequuto-*
rum,vituperantium,& adulantiũ , quorum
vnus inſequitur lingua,alter lingua,& ma
nu. Dux vnius eſt peſſima volũtas nocẽdi,cu-
ius milites ſunt odia,inimicitiæ, iniuriæ,etc,
Alterius exercitus dux eſt voluntas placendi
cauſa lucri,cuius milites ſũt exceſſus laudũ,
verba mollia ad placendũ dicta. Horũ exer-
cituũ ab vtro magis lædamur,ſi interroges ,
reſpõdet idem:*Plus perſequitur lingua adu*
latoris,quàm manus interfectoris . Quod &
ipſi Ethnici cognouerunt: nam,ſicut Plutar-
chus docet,Demaratus, Oronte ſe aſperiùs
alloquuto,cùm quidam ei dixiſſet: aſpere ſe
tecum geſſit Orontes,ò Demarate: *Nihil in* *Plutarch. in apophteg.*
me,reſpondit,*peccauit: qui neque ad gratiã*
loquuntur,lædunt,non qui cũ odio: Sic decla Virtus cũ aduerſario creſcit mœret ſine.
rans,quanto magis timẽdus ſit exercitus adu
lantiũ,quàm vituperantiũ:Tum quia *cũ ad-*
uerſario virtus creſcit , & ſine aduerſario
mœret, vt ait Seneca:tum etiã quia veritatẽ *Seneca .*
audientes,vitiũ tollimus,& manifeſtos agno G
ſcẽtes perſecutores,ab illis nos defendere ſa Adulator aperto hoſte perniciosſior.
tagimus:quemadmodũ enim nunquã,aut ra
rò cõtingit,homines à valido malè affici ven
to,quòd illũ manifeſtè nocuũ cognoſcentes,
deuitẽt;& cõtra,ſæpiſſimè ab aura leni,quòd
illam dũ ſenſui gratã perſentiũt,deuitare nõ
curent,ſiue ſudore madeſcant,ſiue non:vnde
poros illa apertos penetrãs,ſanguinis corru
ptione,morbũ,aut mortẽ inducit.; ſic defen-
dit ſe homo ab aduerſario manifeſto , quod
nequit facere cum adulatore,dum illũ putat
amicum. Sic adulantium exercitus fuit , qui
mollitis verbis,& ſtulto conſilio Amnon ad
inceſtum,& ſtuprum impulit, & extremã illi
ignominioſam, & imparatam mortem attu-
lit;dixit enim illi Ionadab filius Semmaa :
Quare ſic attenuaris macie,fili regis? Ac ſi di *2.Reg.* 13. 4.
ceret,cùm filius regis ſis,nobilitate,opibus, H
& amicis polles,cur tuis deſiderijs non facis
ſatis,ſed potiùs mœrore cõſumeris? *Cuba*,in
quit,*ſuper lectũ tuum, & languorẽ ſimula ,*
cũq́. venerit pater tuus,vt viſitet te,Thamar
ſororis tuæ præſentiã,atq; miniſteriũ poſtu-
labis, quã ad te venientẽ, poteris opprime-
re:& quis erit,qui filiũ regis tot amicis,& fa
miliaribus cõſtipatũ,ſceleris arguat,aut ali-
qua vltione,pœnaue caſtiget?vide doloſi exer
citus ſuauia verba,ſed omni amariora abſyn
thio,quæ iuuenẽ ad ſcelus dum animant, ad
mortẽ prouocant corporis,& animæ. Quare
Sapiens ſic de adulatore ait:*Vir iniquus la-* *Prou.*16.
ctat amicũ ſuum, & ducit illum per viã nõ
bonam: Pagnini verſio habet:*Vir violentiæ :* *Pagninus .*
& meritò;ſiquidẽ adulator,nõ ſecus ac ignis
ligna,oĩa noſtra abſumit, & violenter tollit: I
Oliuã vberẽ pulchrã,fructiferã,ſpecioſã,vo- Adulator igni ſimilis.
cauit Dominus nomen tuũ,ait Ieremias , *ad* *Iere.*11.16
vocẽ loquelæ grãdis exarſit ignis in ea: Vox
loquelæ grãdis,inquit Greg.*eſt fauor adulã-* *Greg.lib.*2. *in Ezech. hom.* 21.*poſt med.*
tis, qui licèt paruus ſit, adeò potenter tamen
cor noſtrũ petit,vt quidquid boni in ſe habet,
tollat,& abſumat:vnde *ſcriptum eſt*:*Qui be-*
nedicit proximo ſuo voce grandi,de nocte
conſurgens,ſimilis eſt maledicenti . *Prou.*27.

Ne igitur noſtris in domibus tales hirun-
dines habeamus,à quorum nociuo adulatio-
nis ſtercore cæcitas mentis contingit . Hu-
manos vitemus fauores , blanda verba , &

Adulatores vitandi.

adulantium linguas, tanquam peſtiferum malum. Infirmis namque mentibus non parùm eorum labia nocent, ſicuti etiam proficientibus, & ſpiritualiter viuentibus, ſi incauti fuerint: vt enim Seneca ait; *Adulantium ſermo, & ſi non ſtatim proficit, ſemina in animo relinquit, ſequiturq. nos, etiam eum ab illis diſceſſimus, reſurrecturũ poſtea malum. Quemadmodum qui audierunt ſymphoniam, ferunt ſecum in auribus modulationem: illa ad dulcedinem, cantumq. cogit, actiones impedit, nec ad ſeria patitur intendi: ſic adulatorum, & praùus adulantium ſermo, diutiùs hæret, quàm auditur; nec facilè eſt animo dulcem ſonum excutere: proſequitur, & durat, & ex interuallo recurrit. Ideo claudendæ ſunt aures malis vocibus, & quidem primis: nam cùm initium fecerunt, admiſſæq. ſunt, plus audent.* Sic Alexander Seuerus, vt de illo refert Lampridius, blandius aliquid in ſalutatione dicentem, aut abijci volebat, ſi loci qualitas pateretur, aut cachinno excipi: Et inter Chriſtianos principes Ladiſlaus Poloniæ Rex, non eſt veritus, palam adulantes colaphis excipere; *ſe percutientes repercutere dicens.*

L

Seneca in ep. 124. de abſu. circa med.

M

Lamprid. de Geſtis Alexãdri.

Ladiſlai Regis Poloniæ factum in Adulatori.

Quòd mundi voluptates animæ cæcitatem inducant, & quàm graue illa malum ſit.

DOCVMENTVM II.

CVM in ſacra ſcriptura (Gregorio teſte) *ſic plerunque res qualibet per hiſtoriam virtus ſit, vt etiam per ſignificationem ſit culpa*: quod etiam, vt Beda ait, *in calculo candido nomen diaboli ſcribitur, qui nihilominus tenebras ſignificat*; ita licet iuſtus Tobias fuerit, & à ſepultura fatigatus, licitè, & meritoriè propè parietem, in quo nidum fixerant hirundines, ſe vt quieſceret, iactarit: cum Beda tamen dicere non incongruit, illum typicè ſignificare, qui in bonis fatigatus operibus, ſub hirundinum nidulo (ſuperbiam, & mundanarum rerum fictilitatem volatus leuitate figurantium) incautè dormiens, ab illarum immunditia ita excæcatur, vt ſemper in grauiora prolabatur crimina: *Iacet*, inquit, *& dormit fatigatus, qui vigilare, ſtare in fide, ac viriliter agere negligit*: & paulò inferius: *Quaſi hirundinis nido ſuppoſitus, dormit, qui leuitati, laſciuiæ, ac ſuperbiæ mentem incautus ſubiecit*: nam ſi diligenter perſpiceret, quàm ingens inde ſequatur malum, nulla certè ratione illius ſe ditioni ſubijceret, ac poteſtati. Sampſon certè ad molam adduci minimè potuit, niſi oculorũ lumine adẽpto: Accipiter item, patẽtibus oculis, nullis poteſt cõpedibus cohiberi, ſed continuis inſultibus ſuperas cęli auras petit: Simili ratione ad miſerã mundanarum voluptatũ ſeruitutẽ nullus poſſet adduci, nullis eius poſſet compedibus retineri, niſi priùs peccati cæcitate afficeretur: neq; diabolus hominem ſuis cõpedibus alligaret, niſi ante ſub prauarum voluptatum nidulo illum quieti traderet. De Aquila, refert Plinius, quòd præliatura cum ceruis, *multum puluerem volatu collectum, inſidẽs cornibus, excutit in oculos, pennis ora diuerberans, donec præcipitet in rupes*: Sic diabolus, vt de Nabuchodonoſor dicitur apud Habacuc: *Super omnem munitionẽ ridebit, comportabit aggerem, & capiet eã*: Hebræus: *Conſceruabit puluerem*, mundanarum nimirum voluptatũ, & illũ ante oculos peccatorum proijciendo, *hæc omnia*, dicet, *tibi dabo, ſi cadẽs adoraueris me, & capiet eam*, peccatoris videlicet animam, licèt munitiſſimã, curabitq., vt in peccatorũ tenebris deãbulet, atq; decurrat. Dauid etiã de peccatoribus excæcatis loquens: *Neſcierunt*, ait, *neque intellexerunt, in tenebris ambulãt*: quid inde? *Mouebuntur omnia fundamẽta terræ*, omnium ſcilicet rerum ordinem ſubuertẽt, malum dicens bonum, bonum malũ; amarum dulce, & dulce amarum; tenebras lucẽ, & lucem tenebras: &, vt alibi ait, erunt in ſuis iudicijs mendaces; ſic ille. *Mendaces filÿ hominum in ſtateris*: quoniam cùm in Dei conſpectu omnis terra, vt ait Sapiens, *tanquam momentum ſtateræ ſit, & tanquam gutta roris antelucani*, ipſeq. Deus infinitus ſit, omnia in ſe habẽs bona, vnde etiã *omne bonũ* dicitur: illi tamen vertiginis ſpiritu obtenebrati, mendaces ita ſunt in ſtateris, vt Deum Oceanum omnium voluptatum, immò ipſam voluptatem reſpuant, ob guttam roris matutini, quæ ſole apparente euaneſcit.

A

Greg. li. 3. moral. c. 16.

Scriptura ſacra plerunq; diuerſimodè intelligenda.

Beda hic.

B

Mundi voluptates excæcant.

Plin. hiſt. lib. 10. c. 4.

Aquilæ ſolertia cum ceruis.

C

Habac. 1. 19.

Hebræus.

Pſ. 81. 5.

D

Pſ. 61. 70.

Sap. 11. 23

Peccatores in ſuis iudicijs mẽdaces

Grande malũ, & eò maius, quo magis abſconditũ: nam qui oculorũ corporaliũ caligine laborat, ac ſe eorũ lumine priuatũ agnoſcit, quærit, qui eũ rectè ducat, & cautè, ac pedetẽtim procedit, nè in præceps labatur, & cadat. At qui mẽtis eſt lumine orbatus, nõ ſolùm ſuã ignorat cæcitatẽ, ſed planè lumine captus, reliquis omnibus, viuendi acumine, animi, ingenij; cõſilijq. lumine, ſe exiſtimat ſuperiorẽ. Nec diſſimilis meo quidẽ iudicio videtur Harpaſti illi fatuæ, de qua Seneca ad Lucillũ: *Harpaſtem*, inquit, *vxoris meæ fatuã ſcis hæreditariũ onus in domo remãſiſſe. Hæc fatua ſubito deſÿt videre: incredibilem tibi narro rem, ſed verã: neſcit eſſe ſe cæcam, ſubinde pædagogum ſuum rogat, vt migret; ait domum tenebroſam eſſe. Hoc quòd illã ridemus: omnibus nobis accidere liqueat tibi: nemo ſe eſſe auarum intelligit, nemo cupidum.* & alibi: *Noſſe oportet cæcitatem, vt remedia quærãtur: ad ſanitatẽ ideò difficulter peruenimus, quia nos ægrotare neſcimus.* Hęc Seneca.

Cæcitas ſpiritualis malũ incredibile.

Vide de hac re infra c. 6. verſ. 9.

Seneca. ep. 50. ad Lucil.

Peccator rectæ mẽtis lumine orbatus ſimilis Harpaſti fatuæ.

Io. 9. 41.

Tales fuiſſe Phariſæos Dominus indicat, dũ ait: *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum, nunc verò dicitis, quia videtis, peccatum veſtrum manet*, ac ſi diceret; ſi cæci eſſetis iudicio veſtro, ideſt, ſi cæcos vos eſſe; vt verè eſtis, ſentiretis; non equidẽ peccatũ haberetis; quia peccati remediũ quęreretis: ſed quia *dicitis* apud vos, ideſt, ſed quia putatis, vos videre, *peccatũ veſtrũ manet*; quia medicinã non quærẽtes, non curamini: haud enim medicinam quærere poteſt, qui plagæ malitiam non cognoſcit. Quia igitur peccati ſectatores, quàm horrendum ſit monſtrum peccatum, non proſpiciunt; ideò nec illud deuitare illis curæ eſt: ſicuti nec corpore cæcus irruentem in ſe taurum declinat, quòd illum non cernat: Vnde de ijs meritò dici poteſt, quod de idolorum ſimulacris Pſaltes ait, *Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt*. Lynceos ij nimirum oſtendunt oculos ad noxia videnda, & ad tenebroſa opera, teterrimaq́. perpetranda flagitia; ad clara verò, ac ſtudioſa munia exequenda, noctuarum, ac bubonum inſtar, nihil cernunt, atque perſpiciunt.

Hominis peccati caligine obcecati periculum.

Pſ. 113. 5.

G

Peccator noctuæ, ac bubonis non diſſimilis.

Ex quo non rarò contingit, humili loco natum, iudicio, & ingenio abiectum, ſed à peccatis immunem, diuina quidem ſapientia peccatorẽ, licèt ciuili, generoſaque ſtirpe progenitum, præclara eruditione, atque doctrina ornatum, longo interuallo ſuperare. Hoc non obſcurè expreſſum reperitur in eo, quod Balaam contigiſſe nouimus, cuius *aſina Angelum ſtantem in via, euaginato gladio, dum cerneret, auertit ſe de itinere; quam verberabat Balaam, & volebat ad ſemitam reducere*, quòd ille Angelum non videret: ſic plerunque accidit, vt homo peccator, licèt propheta ſit, & futura prædicet; Dei tamen gladium euaginatum, æternumq́ue ſupplicium non timeat, nec videat; homo verò rudis, & humilis, cum aſina; & videat, & expaueſcat: Huius peſſimæ cæcitatis optimũ remedium eſſe vexationem, docet Iſaias, dum ait: *Vexatio intellectum dabit auditui*. Quo pacto ſe lumen recepiſſe teſtatur Dauid, dum ait: *Tribulatio, & anguſtia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea eſt. De qua re infra.*

H

Cęcitatis medicina tribulatio.

Iſa. 28. 19.

Pſal. 118. 143.

Infra c. 6. ſ verſ. 9.

VERS. XII.

Hanc autem tentationem ideò permiſit Dominus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut, & Sancti Iob.

1 *Tentationum genus duplex, probationis, nimirum, & deceptionis.*
2 *Fortuitum nihil apud Deum.*
3 *Iob patientia in quo maximè claruerit.*

VERS. XII.

Tentationũ duplex genus

1 HANC *autem tentationem*, Probationis nimirum: nam, duplex eſt tẽtationis genus: vnũ probationis: deceptionis alterum. Probationis eſt, quo alicuius probatur, virtus, tum; vt manifeſta fiat, tum etiam, vt ampliari digna præmio reddatur, de quo B. Iacobus: *Omne gaudium*, ait, *exiſtimate, fratres, cùm in tẽtationes varias incideritis*: Hoc tentationis genere probat Deus ſeruos ſuos. ſic Auguſtinus: *Tentatione*, inquit, *vtili, quando non decipimur, vel opprimimur, ſed probamur, etiam Deus tentat: vndè dictum eſt: proba me Deus, & tenta me*. Deceptionis verò genus eſt, quo virtutis experimentum ſumitur ad eam labefactãdam; & hac tentat diabolus, dùm peruerſis ſuggeſtionibus, varijſq́. oppugnationibus, hominem à virtute ad iniquitatẽ pertrahere conatur. Prioris generis Tobiæ fuiſſe tentationem, textus docet, ſubdens.

Iacob. in ſua Can. c. 1. 2.

Aug. de dono perſeu. c. 6.

2 *Permiſit Dominus euenire illi*. Nam, vt benè S. Thomas docet, nullus in Deo datur effectus fortuitus, ſed omnes ſunt præuiſi, & diuinæ ſubiacent prouidentiæ, vt quæ ad effectus contingentes, cauſas etiam præparat contingentes.

S. Tho. p. p. q. 22. art. 1. ad 1. & q. 19. ar. 8.

Nullus in Deo datur effectus fortuitus.

Vt poſteris, Iis nimirum, qui ex illo, & poſt illum etiam ex alijs originem ducerẽt.

Daretur exemplum patientiæ, Rerumq́. aduerſarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna ipſius propter Deum proponeretur imitanda perpeſſio,

3 *Sicut & Sancti Iob*: Etenim & ſanctus Iob ſingulare ſuæ patientiæ exemplũ exhibuiſſe legitur, cùm non ſolum amiſſionem, bonorumq́ue ſuorum direptionem ſuſtinuerit; ſed etiam tantã corporis afflictionem; vt in ſterquilinio ſedens, ſaniem defluentem teſta raderet, & vxorem importunã, & ſummopere moleſtam, ſeque ad blaſphemiam per impatientiam laceſſentẽ, cum illud identidem repeteret: *Benedic Deo, & morere.*

Iob inſigne patientiæ exemplum.

Iob 2. 9.

Quòd Christi, ſanctorumq́. patientiæ exemplum noſtram adiuuet patientiam.

DOCVMENTVM.

SANE qua via, vt docet Gregorius, vnguenta nõ niſi commota redolẽt, & aromatũ fragrantia non percipitur, niſi incendantur; ea ſanctorum virorum virtutes non niſi in tribulationibus innoteſcunt: vndè in Euangelio grano Sinapis comparantur, dũ dicitur: *Si habueritis fidem tanquam granum Sinapis*, quod eorum vis, ad modum grani ſina-

A

Greg. vbi ſup. Greg. præfat. moral. c. 2.

Matt. 17. 19.

Greg. vbi ſup.

Virtus in tribulationibus vnguenti, & aromati inſtar innoteſcit.

pis dignoſci nequeat, niſi conteratur: *Sic*, aitGregorius, *vnuſquiſque vir ſanctus, cùm non pulſatur, deſpicabilis, ac lenis aſpicitur; ſiqua verò illum tritura perſecutionis opprimat, mox omne quod calidum ſapit, oſtendit, atque ita feruore virtutis vertitur quicquid in illo ante deſpicabile infirmumq́. videbatur, quodq́. in ſe per tranquillitatis tempora libens operuerat, exagitatus tribulationibus, coactus innoteſcit: vnde per Prophetam bene dicitur: In diè mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & in nocte declarauit*: ſic in tribulationis nocte, dum ſãcti Tobiæ patientia apparuit, omnibus fuit ad imitandum propoſita: nam cum aliorum tentationes quis audit, ac legit, resq́. præclarè geſtas, atque trophæa conſiderat, non parùm ad idem certamen accenditur, deq́. ſuperioris temporis impatientia erubeſcit, atque alterius exemplo addiſcit, quo pacto aduerſa in poſterum patienter ſuſtineat: *Sic exemplum accipite, fratres*, ait B. Iacobus, *exitus mali* (ideſt afflictionis ſuſtinendæ) *laboris, & patientiæ prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini*.

Pſ. 41. 9. B

Felix quẽ faciũt cautum aliena patienter tolerata. *Iac. 5. 10.*

Seneca epiſt. In diuitiis bonum verũ nõ reperitur. C

Et quidem ſi apud Senecam Catonis diuitias contemnẽtis, exemplum tanti valuit, vt diuitias diceret inter vera bona nullo pacto eſſe connumerandas, quòd illas etiam iniqui poſſiderent, ſicut nec inter mala aduerſa, quòd Catoni, & ſapientibus vt plurimum eueniant; quanti apud nos, Deus immortalis, eſſe debet ſanctorum auctoritas, qui tanta perpeſſi ſunt? Quin & ipſius Dei, qui in terris homo pro nobis factus, vir dolorũ, voluit appellari. Sanè ſicut Moyſes cũ Ietri ſoceri ſui oues paſceret in monte Horeb, rubum videns ardentem, qui non comburebatur, ſtupens dixit: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*, qui tamen cùm primum in medio Dominum adeſſe cognouit, ſtatim deſijt admirari: Sic miranda quidem res eſt, hominem inter ardentes aduerſitatum ignes, ita illæſum videre, vt dicere cum Sapiente poſſit: *In medio ignis non ſum æſtuatus*: at ceſſat ſtupor cùm primùm Dominum inter homines multò grauiora perpeſſum conſideramus. Quinimmò mirũ eſt videre Chriſtianos, qui Chriſti membra ſunt, ſub capite adeò patiente tam impatientes eſſe. Quare anima ſancta in canticis: *Botrus*, ait, *Cypri dilectus meus mihi*, ſeu, vt alia habet lectio: *racemus camphoræ*. Eſt enim camphora gũma cuiuſdam Indorũ arboris adeò magnæ, vt, Matthiolo teſte, ſub illius vmbra centum ipſi homines facilè quieſcere poſſint, quæ in medio aquarum ſuccenſa, non modò non extinguitur, ſed potius magis, ac magis cõburitur. Hoc porrò racemo Chriſtum fuiſſe ſignificatum Doctores aſſerũt: quippè qui in medio aquarum inundantiũ tribulationum, tãta exarſit charitate, vt in cruce poſitus, pro

Exod. 3.

Eccli. 51. 6

D

Cant. 1. 13. *Camphora quid ſit.* Matthiolus.

perſecutoribus orans, exclamauerit: *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt*, quẽ anima ſancta vnicè dilectum habebat, deq́. illo frequenter cogitabat. nec immeritò, quia experta fuerat nullis aduerſitatũ aquis, tali conſideratione, ſe obrui poſſe: vnde ait. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Hinc myrrhæ amaræ paſſionis Chriſti faſciculum colligens, inter vbera mentis ſuæ illum commorari volebat: Sic illa: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*. Illam imitatus Bernardus: *Ego*, inquit, *ab ineunte ætate mea pro aceruo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligere, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei*. Nam ſicut amariſſimæ aquæ Marat in dulcedinem verſæ ſunt, cùm primum Moyſes in illas lignum, quod ſibi à Domino oſtenſum fuerat, proiecit; ita paſſio Chriſti ob oculos poſita, amariſſima quæque dulcia efficit: vnde B. Paulus: *Recogitate*, ait, *eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes*.

Luc. 23. 34.

E

Cant. 8. 7.

Cant. 1. 12.

Bernardus ſuper lament. ſerm. 43.

Exo. 15. 25

Chriſti paſſio tribulatio nem amaritu dines dulces facit.

Heb. 12, 3.

F

Sanè & ſanctorum exempla ad aduerſa patienter ferenda, mirum in modum excitant: dum ex eis intelligimus, nullum in hoc mundo ab aduerſitatibus immunẽ fuiſſe: cùm ex tali conſideratione inferri poſſit, neminem velle Deum in ſanctorum numero aggregari, quem vt aurum in tribulationis fornace prius non tentauerit, & conſequenter à ſanctorum ſorte illum eſſe excluſum, qui in terris hic poſitus, cum ſãctis patienter aduerſa non tolerat. Sic innocentiſſimus Abel à Cain occiſus eſt: Ioſeph à fratribus venditus: Dauid à Saul, & filio ipſo inſidijs petitus; Iſaias in duas partes ſectus; Ieremias lapidibus obrutus: Elias à Iezabel fugatus: Zacharias filius Barachiæ inter tẽplũ, & altare occiſus: Daniel leonibus obiectus: Suſanna deteſtabilẽ calumniã paſſa, & tandẽ alij (vt Io: Baptiſtã, Martyres, Confeſſores, omnesq́. noui teſtamenti Sãctos prætercam) ſicut B. Paulus ait, *ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, et carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuierunt in melotis*, quæ ſunt pelles ouinæ, *in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti &c. quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, in ſpeluncis, & in cauernis terræ*.

Tribulationes Iuſtis neceſſaria.

Virtutis patientiæ nonnulla ſanctorum exempla

G

Heb. 11. 36. 37.

Non ergo triſtandum nobis eſt, ſi cũ hoc venerando ſanctorum cœtu tentamur, & pari cum illo ſorte numeramur; ſed patienter ſuſtinendũ, vt pari etiã cũ illis ſorte in cęlis perfruamur. Neq; enim, vt idẽ B. Paulus ait, *Sunt condignæ paſſiones huius tẽporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*.

Adhortatio ad aduerſa patienter ferenda.

H

VERS.

VERS. XIII.

Nam cùm ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei.

VERS. XIV.

Sed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.

1 *Infantia quæ.*
2 *Tobias cur non contriſtatus contra Deum.*
3 *Cur immobilis in Dei timore permanſerit.*
4 *In aduerſis Deo gratiæ ſunt agendæ.*

VERS. XIII.

1 CVM *ab infantia*, Quæ prima eſt hominis ætas ad vſque ſeptennium durans, nullis officijs idonea, vtpotè quæ omni prorſus carere ſoleat conſilio.

Tobias quo primùm, bonum a malo diſtinxit ſemper Deum timuit.

Semper Deum timuerit. Ab eo nimirum tempore, quo primum bonum à malo diſtinguere didicerat, ab omni recedens peccato propter Dei reuerentiam, & bonitatem, cui tantùm per omnia placere cupiebat, ſibique diligentiſſimè proſpiciēs, nè à veri boni poſſeſſione, decoreq. virtutis diſcederet: quod illum feciſſe ſatis ſupra expoſitum fuit.

Et mandata eius cuſtodierit. Nam, vt etiam ſupra dictum eſt, ipſe adhuc puerulus fugiebat *conſortia malorum*, & ſtatuto tempore *pergebat in Ieruſalem* ad templũ Dei, omnia primitiua ſua, & decimas ſuas fideliter offerens, & omnia *ſecundum legem Dei puerulus obſeruabat*:

Sup. c. 1. verſ. 4. 5. 8.

2 *Non eſt cōtriſtatus contra Deum*, de illo impatienter conquerendo, vel ſtultam aliquam ingrati animi ſignificationem contra illum oſtendendo, ſicut nec Sanctus Iob, qui, vt ſacra ait hiſtoria, in omnibus, quæ perpeſſus eſt, *non peccauit labijs ſuis, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt*: Arabs: *Non eſt iratus aduerſus Deum propter plagam cæcitatis, quæ ſibi contigit, & non eſt conturbatus.*

Iob 1. 22. Arabs.

VERS. XIV.

3 *SED immobilis in timore Dei permanſit.* Sed perſeuerauit in timore Domini inconcuſſus, imperterritus: quia, vt Sanctus Gregorius ait, *ſicut in via ſeculi timor debilitatem; ita in via Dei timor fortitudinem gignit, Salomone atteſtante, qui ait: In timore Domini fiducia fortitudinis. Timori quippe Domini ineſſe fiduciā fortitudinis dicit, quia nimirum mens noſtra tanto valentius terrores rerum temporalium deſpicit, quanto ſe auctori earundem veraciùs per formidinem ſubdit: quæ in timore Domini conſtituta, non remanet extra quod metuat: quia dum recto metu conditori omnium iūgitur, poteſtate quadam ſuper omnia ſubleuatur.* Hæc Gregorius. Ex quibus liquet, Tobiam tantis exagitatum procellis, à Dei timore ideò non exceſſiſſe, quòd ipſo Dei timore roboratus eſſet.

Greg 4. moral. c. 13.

Prou. 14. 26.

4 *Agens gratias Deo, &c. Nihil hac lingua ſanctius eſt*, ait Chryſoſtomus, *quæ in aduerſis gratias agit: certè non inferior eſt lingua martyrum: vtraq. pariter coronatur. Et quidem in rebus proſperis gratias agere nihil in ſe habere præcipuum ſatis apparet*, Vnde, *Nihil minus*, ait Baſilius, *Chriſtianum decet, quàm, vt rebus ſuis proſpere cadentibus, benedicat Deo: contra, triſtiore quapiam calamitate afflictus, laudes reticeat Deo, quando nunc quoque gratiæ vberiores agendæ veniunt.* Idcirco Tobias gratias agit Deo.

Chriſoſt. hom. 8. in epiſt. ad Coloſſ.

In aduerſis gratiæ ſunt Deo agendę.

Baſil. in pſ. 33.

Omnibus diebus vitæ ſuæ, Siue in proſperis conſtitutus eſſet, ſiue in aduerſis: eſt enim ſingulare remedium cōtra omnes tentationes, & tribulationes, ſi quis in ijs non fiat puſillanimis, nec murmuret, ſed Deo gratias agat: quod Abbas quidam Sanctus in vitis Patrum exemplo hoc teſtatum reliquit *Frater*, inquit, *quidam erat in cella, & venit ſuper eum tentatio, et ſi quis eum videbat, nec ſalutare eum volebat, neque in cellam recipere, & ſi opus habebat, panem mutuabat ei; & ſi de meſſe veniebat, nemo eum, ſicut erat conſuetudo, vt reficeret, inuitabat. Venit autem ſemel de meſſura per cauma, nec panes habuit in cella ſua; & in his omnibus gratias agebat Deo. Videns autem Deus patientiam eius, abſtulit bellum tentationis ab eo. Et ecce quidam ſtatim oſtium pulſabat, trahens camelum onuſtum pane; quod cùm vidiſſet frater, illi cœpit flere dicens: Domine non ſum dignus vel modicè tribulari: Et cùm tranſiſſet tribulatio eius, tenebant eum fratres in cellis ſuis, & repauſabant eum.* Ex quibus patet, maximum eſſe lucrum in tribulationibus cum Tobia gratias agere.

Gratiarum actio remedium ad tentationes ſeparandas.

Quod facile virtutem ſequantur ij, qui illam ab adoleſcentia ſunt aggreſſi: ſecus verò qui in ſenectute, ſeu poſt, quàm peccatis aſſueuerunt.

DOCVMENTVM I.

LITERA docet, Tobiam illa vehementiore triſtitia, quæ eſt contra Deum, haud conturbatum fuiſſe (nam ea triſtitia, quæ naturalis doloris ſenſu corpus diſcruciat, men-

temq. modicè vellicat, fuiſſe contriſtatum (vt infra patebit) quod ab infantia ſibi cauerit, ne in aliquo Deum ſuũ læderet, pietatemq. vnà cum materno lacte ſuxerit: Ex quo ſatis apparet, quanti referat in iuuentute virtuti aſſueſcere: nam *Adoleſcens*, ait Salomon, *iuxta viam ſuam etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea*: quod infans in illis, in quibus alitur, moribus, perſiſtere ſoleat; ſi in patientia, vel in impatientia eſt educatus, in timore Dei, vel in peccatis, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab eis. Nam *ſicut vaſa*, ait Philo, odorem, quo prima fuerunt imbuta, referunt; ſic iuuenum animi, quas primùm formas imaginatione ecipiunt, nunquam aboleri ſinunt: natura enim, ait Quintilianus, tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus, &, vt ait quidam:

Prou. 22. 6

Philo Iud. lib. quòd omnis prob. ſit lib.

B

Ouidius epiſ. Phædra ad Hippolit.

Quintil.

Ars fit, vbi à teneris crimen condiſcitur annis. Quare: *Bonum eſt viro*, cùm, vt ait Ieremias, *portauerit iugum ab adoleſcentia ſua*, ſi aquam, vt limpidam illam habeat, atque chryſtallinam in ſuo fonte hauriat: ſicut copioſam meſſem, vberemq. vindemiã expectat vinitor, & agricola, qui prima tempora illis congruentia nouit; ita magnũ in virtute profectum expectare debet, qui à teneris, vt aiunt, vnguiculis virtuti aſſueſcit. Etenim, ſi in rebus corporeis

Thren. 3. 27.

Aetatis primi. tædandæ virtuti, vt in illæ viuamus.

Virtuti à teneris aſſueſcere multũ eſt.

C

Adeo à teneris aſſueſcere multum eſt, vt, teſte Rhodigino, puella, quæ à pueritia venenatę potioni aſſueuerat, ab illa iam adulta, non læſa, ſed enutrita ſit: Et Mithridates Rex Ponti, vt narrat Plinius, à pueritia adeò & ipſe venenatis rebus paulatim aſſueuerit, vt teſte Floro, à Romanis deuictus, cùm ſe veneno conficere vellet, non valuerit; quid illi euenturum putamus, qui rebus ſpiritualibus à principio aſſueſcat? ſanè nullo pacto à vita ſpirituali recedit: ſicut nec ille recedit à malo, qui à pueritia peccatis aſſueuit: vnde meritò Sapiens: *Curua*, ait, *ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius, dum infans eſt, ne fortè induret, et nõ credat tibi, & erit tibi dolor animæ*: Sic cùm vidiſſet Hanno Carthaginenſis, teſte Liuio, Annibalem adhuc infantem corporis, & animi viribus multum pollentem, hæc Carthaginenſibus de illo habuit: *Ego iſtum iuuenem domi retinendum ſub legibus, ſub magiſtratibus docendum, viuere æquo iure cum cæteris ſentio, ne quando paruus hic ignis exſuſcitet ingens incendium*: nec illum ſua fefellit opinio: nam tantus poſtea ignis in Carthaginem ab illo eſt excitatus, vt totam conſumpſerit, ditionique Romanorum ſubegerit, vt qui puer rixis aſſueuerat, iam adultus, ab illis nequiuerit contineri. Sic lana, dum pura eſt, purpureo debet colore tingi, vt illum diutiſſimè conſeruet; nam ſi iam maculata tingatur, vix colorem imbibit, aut maculam deſerit. Sanè difficillimum eſt flumen ex antiquo in nouũ transferre alueum:

Virg. lib. 2. Georg.

Rhodiginus.

Venenata potio nõ nocet Mithridati.

Plin. nat. hiſt. l. 25. c. 2.

Flor. li. 3 c. 2.

Eccli. 30. 12.

Pueri ab ipſa infantia ad virtutem informandi.

Tit. Liu. Decad. 3. l. 1.

D

equum domare infrænem, & carnem iam putidam, benè olentem reddere; ſed facillimum eſt, amnem per antiquum alueum fluere, equum pullum domare, et carnem recentem benè olentem reddere. Quotidie videmus arborem latam, ſpatiantibus vmbram præbentem, quæ tempore primo, quo ſata fuit, mollis erat virgula, quæ pueri manibus facilè poterat è ſumma tellure conuelli, annoſam ſtare, in immenſum viribus auctã, ægrè flecti, frangi nullo modo poſſe, quod etiã in morbis conſpicitur, qui ſi per longas inualuerint moras, ſæpe nullam admittunt medicinam: ſic qui Aegyptum iam adulti Iudęi reliquerunt, *mannã comedebant, et cepas*, ait Chriſoſtomus, *de Aegypto quærebãt, conſuetudine ducti*: Vnde iure optimo ex familiaribus Sancti Iob vnus de viro impio dicebat. *Oſſa eius replebuntur vitijs adoleſcentiæ eius*: quòd quæ ſemel in adoleſcentia didicit, nunquam dedicat, prauisq. moribus, tanquam oſſibus quibuſdam, tota eius vita impoſita, & ſuſtentata, in dies difficilior, & durior ad flectẽdum euadat. nam *ſi mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, ſic* (inquit Dominus per Ieremiã) *& vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum*, hiperbolicè declarans, quàm ſit difficilè malos mores mutare. Sic Alexandrũ Magnum narrant hiſtoriæ nunquã corruptos abieciſſe mores, quos in pueritia à Leonida Præceptore didicerat, licèt maximoperè illi curæ eſſet honeſtiſſimi, ac clariſſimi viri nomen; nam *quemadmodum*, inquit Baſilius, *patriam linguam, quam ab infantia didicimus, amittere, aliamque addiſcere difficile eſt, ſic aſſuetũ opus omittere, et aliud contrarium illi operari, difficillimum. Bonum igitur erit viro, ſi portauerit iugum ab adoleſcentia ſua*, vt Ieremias docet.

E

Studioſis aliis moribus ab ineunte ætate multum prodeſt.

Chryſoſt. hom. 7. de pænit.

Iob 20. 11.

F

Conſuetudo difficillimè tollitur.

Ier. 13. 23.

Baſil. in reg. diſp. 6.

G

Thre. 3. 27

Virtuti igitur Tobias noſter cùm ab infantia eſſet aſſuetus, non mirum, ſi de plaga cæcitatis contra Deum minimè eſt contriſtatus.

Quòd Dei ſerui in aduerſis non perturbentur, ſed illa patientiſſimè, & cum gratiarum actione ferant.

DOCVMENTVM II.

SICVT vna eademque medicina in eadem infirmitate pro diuerſa corporis, illam recipientis, affectione, varios gignit affectus; ita tribulatio, quæ animorum medicina à pleriſque non incongruè nuncupatur, contrarios ferè producit euentus, iuxta diſparem ſubiectorum diſpoſitionem; alij enim afflicti murmurant, & contra Deum

A

ait,

impiè blaſphemant, dicentes, vt Auguſtinus ait, *O Deus, quid tanti mali feci?* Alij verò cum Tobia Deo gratias agunt omnibus diebus vitæ ſuæ: *Sic*, ait idem Auguſtinus, *ſub vno igne aurũ rutilat, palea fumat: & ſub eadem tribula paleæ comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem preli pondere exprimitur; ita vna, eademq. vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat, vaſtat, exterminat: vndè in eadem afflictione mali Deum deteſtantur, atque blaſphemant; boni autem precantur, ac laudant. Tantũ intereſt, nõ qualia, ſed qualis quiſq. patiatur; nam pari modo exagitatum, & exhalat terribiliter cænum, & ſuauiter fragrat vnguentum.* Quam etiam rationem in ſermonibus, his verbis proſequitur: *Sunt boni, et mali, quomodo ſi duo vaſa ſint plena, & vnum habeat putredinem, & aliud aromata pretioſa, cum vno ventilabro ventilata: illud vas, vbi fuerint aromata, odorem deſiderabilem, aliud autem fœtorem intolerabilem reddit: ita ſimul boni, & mali indiſcretè quidem turbati, ſed alta Dei iudicio ſeparati.* Quare refert Sanctus Bonauentura, quẽdam ſimplicẽ fratrem, quod Sanctũ Franciſcum ſolito grauius hoc infirmitatis ventilabro ventilatum conſpiceret, illi dixiſſe; *Ora, ò Franciſce, Dominum, vt mitius tecum agat: nam manum ſuam ſuper te plus debito grauare videtur:* quo audito vir sãctus, cum eiulatu exclamans ait, *Niſi ſcirem in te ſimplicem puritatem tuam, ex nunc tuum abhorrerem conſortium, quia auſus fuerit circa me diuina iudicia reprehenſibilia iudicare:* Et licèt graui languoris prolixitate totus attritus eſſet; in terra tamen ſe proſternẽs, oſſaq. debilia duro caſu collidens, illam deoſculatus dixit; *Gratias tibi ago, Domine Deus, de omnibus his doloribus meis, teq. mi Domine, rogo; vt centuplum, ſi tibi placuerit, addas, quia hoc erit mihi acceptiſſimum, vt affligens me dolore, non parcat; cum tuæ voluntatis adimpletio ſit mihi conſolatio ſuperplena.* Eſt enim perfecta charitas robuſtiſſimus Gigas, qui onera alijs hominibus importabilia expeditè vehit, & ſine vllo negotio, immò cum magna ſuſtinet felicitate. Quare magnarum aduerſitatum oneribus licèt premantur ſancti, & Deo dilectiſqui illam habent; nunquam tamen opprimuntur, nec ab illis immoderatè fatigantur: ſed cum Tobia Deo gratias agunt omnibus vitæ diebus. Et ſane *hæc eſt voluntas Dei*, ait Chryſoſtomus, *ſemper gratias agere, hoc eſt animæ ſapienter inſtitutæ. Paſſus es aliquid mali? ſed ſi velis, non eſt malum: gratias age Deo, & malum in bonum fuerit transmutatum. Dic tu quoque quemadmodum & Iob: Sit nomen Domini benedictum in ſæcula.* Quamobrem *& tu, ſi fueris malo aliquo correptus, fer generoſè, & Deo gratias age, & eandem cum ſanctis mercedem accipies.*

Aug. lib. 7. de Ciu. c. 8. to. 5. Boni in aduerſis Deo gratias agũt, mali vero perturbantur.

B

Aug. vbi ſup. ſer. 121. de tẽpore tom. 10.

S. Bonau. in vita S. Franc. c. 14. in prin.

C

D

Charitas facile omnia ſuffert.

Chryſoſt. hom. 68. ad Anthiochen. Eidem hom. 64. item ad Antiochen.

VERS. XV.

Nam ſicut Beato Iob inſultabant reges, ita iſti parentes, & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes,

VERS. XVI.

Vbi eſt ſpes tua, pro qua eleëmoſynas, & ſepulturas faciebas?

1 *Iob idem ac Iobab, de quo in Geneſi.*
2 *Cur hic dictus Beatus,*
3 *Qui reges illi inſultauerint.*
4 *Parentum nomine qui hic intelligantur.*
5 *Irrideri à proximis in neceſſitate quàm graue.*
6 *Cur Tobiæ proximi ſpem ipſius vanam dicerent.*

1 NAM, *ſicut Beato Iob* conuenire quidem cum Iobab rege, de quo in Geneſi, non obſcuris verbis indicant LXX. vbi Hebraicũ libri Iob finem hæc habent: *Hi ſunt reges, qui regnauerũt in Edom, cuius regionis etiã ipſe* (nimirum Iob) *dominatus eſt. Primus Balac filius Beor, & nomen ciuitatis eius Dennaba: poſt Balac autem Iobab, qui vocatur Iob*, & fuſiſſimè probant Pineda, & Serarius.

VERS. XV. Cen. 36. 33 LXX.

Pineda in Iob Serarius hic.

2 Dicitur hic Iob Beatus, quòd multa, & grauia ſit perpeſſus; nam. *Beatus vir*, ait ſanctus Iacobus, *qui ſuffert tentationem*: & B. Petrus: *Si quid patiemini propter iuſtitiam, beati.* Quin & Ethnicus quidam poëta ait.

Non poſſidentem multa, vocaueris
Rectè beatum: rectius obtinet
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter vti,
Duramq. callet pauperiem pati.

Horat. od. 9. lib. 4.

3 *Inſultabant*, Contumelioſis verbis vehementiùs in illum inſurgentes, & probris illum afficientes.

Reges, Arabs, *Amici eius reges*; Non tales quidem, quales modò ſunt in Europa, ſed quales ferũt eſſe apud Indos, & Iaponios, illis triginta, & vni conſimiles, quos ab Iſraëlitis deuictos fuiſſe in libris Ioſue legimus, & illis ſeptuaginta, quos ciborum quiſquilias ſub menſa Adonibezech cadentes, ſumere conſueuiſſe, ſacra Iudicum narrat hiſtoria: quod etiam ſatis liquet ex allata lectione LXX. ex qua eiuſdem eos regionis cum Iob reges fuiſſe colligitur. Qui licèt ſapientes fuerint, multa tamen ſtultè in

Arabs.

Ioſue 12.

Iudic. 1.

ipſum

Iob. 6. 26. 27.& 9.1. ipſum Iob locutos fuiſſe ipſe teſtatur Iob,
dum illos ſic alloquens ait: *Ad increpandum eloquia concinnatis,& ſubuertere nitimini amicum veſtrum:*& alibi: *vos contra me erigimini*.

Ita iſti parentes,& cognati eius. Parentum
nomine non pater, & mater hic intelligitur,
LXX ſup.c.1. cùm illis,vt ſeptuaginta docent, adhuc puer
Tobias orbatus fuerit; ſed omnes, qui conſanguinitate ipſi erant ſuperiores:nam parentis appellatione patrem, & matrem ſo-
Valla. Auctor Lexici Iuridici. Arabs. lum intelligi debere, perperā docuit Valla,
quam etiā ex Cicer. ſententia auctor lexici
iuridici redarguit. Arabs; *Et illudebant ei vniuerſa progenies eius, & proximi eius.*
Hi ergo Tobiæ parentes, & cæteri omnes
conſanguinei

Irridebant vitam eius, Hoc eſt, opera,
Arabs. quæ fecerat, nimirum eleēmoſynas, ſepulturas mortuorum, &c. Arabs: *Modum viuendi*: ita vt in extrema penè miſeria
poſitus non conſolatores, ſed irriſores ipſos ſuos haberet conſaguineós;extremus ſanè dolor, & omnium miſerrima conditio,
Iob 30. quam maximè in ſe ipſo dolens Iob conquerebatur, quòd in ſuum dolorem inſultarent
Thren.1.9 alij. Et Ieremias, dolens in ſua Ieruſalem,
ait: *Depoſita eſt vehementer non habens con-*
Pſ.34.15 *ſolatorem.* EtDauid item in ſe ipſo dicebat;
Congregata ſunt ſuper me flagella: Et paulò
inferius:*ſubſannauerunt me ſubſannatione.*
Ouid. in ſuo Archilochio In ibim. Poſuit & poëta Ethnicus hanc extremo loco, tanquam omnium miſerrimam miſeriam,vndè ait:

Siſq́.miſer ſemper,nec ſis miſerabilis vlli.
Gaudeat aduerſis fœmina, virq́. tuis.
Accedat lacrymis odium, dignusq́.puteris,
Vt mala cùm tuleris plurima,plura feras.

XVI. 6 *Vbi eſt ſpes tua,&c.* Sic peruerſi cōſanguinei,ſācto inſultātes viro, ſuā ipſius illi obijciebant ſpem,quā vanā fuiſſe ex eo argumentabātur,quòd pro eleēmoſynis, & mortuorū
ſepultura,à Domino flagra,& cæcitatē acce-
Lyran. hic. piſſet: ex quo,vt ait Lyranus,*iſti boni,maliq́. retributionem tantū in hac eſſe vita credebant*; quod non ſatis probo, cum, vel ipſo
etiam Tobia teſte, vitam & illi(vtpotè filij
ſanctorum)expectarunt æternam, ſicut infra
Infr. hoc eodē cap. verſ. 18. dicetur:ſed hęc potiùs dicebant quòd crederent bona temporalia, quæ ſuæ legis *cuſto-*
Deut. c. 8. *dibus* a Deo in Deuteronomio fuerant promiſſa illi, qui iuſti eſſent, ſemper prouenire,
& peccatoribus aduerſa, vt initio ſequentis
tertij documenti dicemus.

Quòd acerbiſſimum ſit ab amicis contemni, & irrideri.

DOCVMENTVM I.

A NOn enim tam graue,tamq́. moleſtum,
eſt pugna,fuſte,aut ferro ab amico percuti, quàm probro, & contumelia. *Ad ami-*
cum, etſi produxeris gladium, inquit Ec- *Eccli. 22. 26.27*
cleſiaſticus, *non deſperes: eſt enim regreſſus ad amicum:ſi aperueris os triſte,non timeas, eſt enim concordatio excepto conuitio,& improperio: nam in his effugiet amicus.* Ex-
tremum enim cùm ſit malorum omnium, *Amicorum dolor in aduerſis leniendus.*
atque perfugium amicitia, ab amicis in aduerſis leniendus potiùs eſt dolor, laudanda
patientia, & in opere bono ſedulitas, cuius
contrarium Tobiæ, ſicuti etiam Iob ab ami- *Iob 12. 4*
cis ſuis contigit, à quibus deridebatur iuſti
ſimplicitas, idque quia, vt B. Paulus ait,
animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpi- *1. Cor.2. 14*
ritus Dei: ſeu, vt Olympiodorus legit.*animalis homo irridet, quæ ſunt ſpiritus Dei.*
etenim, cùm ſicut Sapiens ait, via ipſe gra- *Prou.14.2*
diatur infami, ambulantes recto itinere, & B
timentes Deum deſpicit, & eos, qui *ſpiritu* *Exempla impiorum vi,os pios irridentium.*
Dei aguntur, inſanire putat. Sic amici Iehu
Eliſæi diſcipulum irridebant, illumq́.inſanire exiſtimabant:*Quid*,dicentes, *venit in-* *4.Reg. 9.*
ſanus iſte ad te? Michol irriſit virum ſuum *2.Reg.6. 16.*
Dauid ſubſilientem, atque ſaltantem coram
Domino antè arcam fœderis Domini. Iudæi *2.Eſdræ 2 19*
reſtaurantes ciuitatem illuſi ſunt,ac ſubſannati. Chriſtum irridebant aduerſarij eius *Matth. 9. 24.*
Phariſæi.B.Paulus diſputans de reſurrectione
ſemiuerbius appellatus eſt, & nouorum dæ- *Act.13.18.*
moniorum annunciator.

Exempla quàmplurima poſſem hic afferre
eorum,qui pœnas à Deo luerunt tanti ſceleris: Illuſtriſſimum eſt in pueris irriſoribus *4. Reg. 2. 23.*
Eliſæi: & in eo, qui ſanctum Ludouicum
Galliarum regem geſtu, & habitu corporis *Irriſores bonorum, qua pœna à Deo puniti fuerint.*
irriſit, qui oris, & colli diſtorſionem retinuit, quam imitando cum irriſione expreſſerat. Quod ſi aliquando impuniti à
Deo videntur recedere hoc tempore; aliud C
erit tempus, quando ante tribunal Dei,
quis fuerit, inſanus apparebit: *Tunc enim turbabuntur* impij irriſores *timore horribili*, & dicent, dum iuſtos quaſi ſolem
fulgere videbunt: *Nos inſenſati vitam illo-* *Sap.5.4.5.*
rum exiſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore, ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei,& inter ſanctos ſors illorum eſt.

Quòd iniquorum vana ſit ſpes, & iuſtorum plena.

DOCVMENTVM II.

DOCET verſiculus, quàm *mendaces ſint filij hominum*,vt Da- A *Pſ. 61. 10.*
uid loquitur,*in ſtateris*,dū iuſtorū virorū ſpem in Deo repoſitā, pro qua eleēmoſynas,
mortuorum ſepulturas:aliaq́.
bona opera præſtant, inanem eſſe arbitrantur,

tur, ſuam verò ipſorum, quæ anguſto nimium rerum temporalium termino clauditur, pro qua non eleëmoſynas cum Tobia: ſed mille peccatorum genera committunt; verè plenam exiſtimant, cùm mundi, & diaboli promiſſa manifeſtè vana, Dei verò plena eſſe cognoſcantur.

Gen. 3. 5. Diaboli promiſſa vana.

Sanè cum diabolus Euæ dixiſſet: *In quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij, ſcientes bonum, & malum;* illa tantarum rerum aſſequendarum ſpe illecta, diuinum tranſgreſſa mandatum (ex fructu nimirū arboris à Deo

B

vetitæ comedendo) cùm ſimul à diuina ſe excidiſſe gratia, & ab immortalitatis dono præſenſiſſet, quàm vanum fuerit diabolicum promiſſum manifeſtè cognouit.

2. Reg. 18. 14. Mundi ſpes vana.

Et Abſalon mundi ſpem regni adipiſcendi, ob quam, tanta in proprium patrem facinora deteſtanda commiſit, manifeſtè vanam deprehendit, quando capillis è quercu pendens lanceis tranſuerberatum ſe ſenſit; quod etiam nouit

Eſth. 7. 10.

Aman ſtatim ac Perſarum monarchiam ſe aſſecuturum ſperans, ipſam eſt crucem expertus, quam Mardochæo hoſti ſuo parauerat. Demùm, vt alios noſtri temporis prætercam, tunc Alexander ille magnus *Decidit in lectum*, ait ſacra Hiſtoria, *& cognouit quia moreretur*, quando imperium iam orbis ſe aſſequi poſſe putabat;

1. Mac. 1. 6

Sap. 5. 15 C

Ex quo optime Sapiens: *Spes impij*, ait, *tanquam lanugo, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procellis diſpergitur, & tanquam fumus, qui à ventis diffuſus eſt, & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis.*

Mundi bona lanugini cur aſſimilata.

Quæ omnia vel tenuiſſima ſunt, vel initio magna licèt appareant: momento tamen, & in ictu oculi euaneſcunt. Sic meritò lanugo mundanorum ſpem vanã deſignat, quæ vel, vt Heſychio placet primi ſunt pili erũpentes in genis, ſiue, vt Polluci, erumpentes in malis, & pomis, præ nimia tenuitate vix perceptibiles, ſiuè, vt S. Bonauenturæ, & Hugoni Card. flos ſicci cardui, vel herbæ leuiſſimæ, ſpecie mollis lanæ, qui modico flatu in auras effertur, ſiue, vt Græcus interpretatur, puluis ipſa eſt terræ: vnde legit: *ſpes impij, tanquam puluis*, eandem adhibens vocem, quam LXX. pſalmo primo poſuerunt, vbi legunt: *Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.* Et certè Græca vox χοῦς, *chus*, & pro lanugine, & puluere ſonat, reſpondens Hebrææ מוץ, *mots*, quæ paleam ſignificat minutiſſimam. Quæ omnia mundanorum ſpei manifeſtam vanitatem, & leuitatem indicãt, cùm ad leuiſſimum auræ flatum in vanos floccos pueris ipſis ludibrio expoſita euaneſcant.

Heſychius. *Pollux.* *S. Bonauent.* *Hugo Card.* *Græcus.*

D

Mundi bona cur ſpumæ gracili comparata.

Eſt etiam ſpes mundanorum, ſicut ſpuma gracilis, quæ modica maris excitatione progñata ab ipſis etiã procellis in momento diſperditur. Quare ſicut nihil eſt facilius, quàm lanuginem cadere, aut tenuiorem ſpumam diſſolui; ita nihil facilius, quàm ſpem diffluere mundanam.

E Cur fumo.

Vndè etiam meritò illa fumo comparatur, quia ſicut hic ad camini durat menſuram, à quo vbi exit, à ventis diſſipatur; ſic mundanorũ ſpes vitæ huius menſuram tranſire nequit, ſed cum illa, vt Pſaltes ait, *deficientes, quemadmodum fumus deficient*,

Pſal. 36.

Et tandem memoriæ aſſimulatur hoſpitis *vnius diei prætereuntis*:

Cur hoſpiti vnius diei.

nam ſicut hoſpes hoſpitem ad ſe diuertentem, magna licèt recipiat lætitia; tamen illius ſtatim ac ab illo recedit, alijs excipiendis intentus obliuiſcitur; ſic mũdus, qui hoſpes eſt noſter, licèt nos eum lætitia aliquando, & cum magnis excipiat fauoribus; nouis tamen excipiendis hoſpitibus intentus; vix ab illo recedimus, cũ ab ipſius memoria excidimus: nam *generatio præterit, generatio aduenit.* Dat, ſicut hoſpes ſolet, vſum, non dominium, hilari excipit fronte, ſed magno ſumptu reijcit; quodq. rem aggrauat, adeò pauper eſt, & mendicus, vt nouum hoſpitem non niſi reiectorum veſtibus induere poſſit:

F Mundi paupertas.

Iud. 14. 19

in hoc Sampſoni cõſimilis, qui viribus licèt multùm polleret; tamen adeò pauper erat, vt neceſſe habuerit in Aſcalone triginta viros percutere, & expoliare, vt totidem poſſet ſoluere tunicas, quas Philiſtæis debebat: ſic licèt viribus polleat mundus; adeò tamen pauper eſt, vt nequeat ſuccedaneos ſuos hoſpites induere, niſi iuſtorum morte, & expoliatione.

Quare non immeritò Sapiens, poſtquàm hæc omnia mundi bona vanitatem vanitatum eſſe dixiſſet; ſubdit; *Vidi cuncta, quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus*, vbi Hieronymus: *ſi cuncta*, inquit, *quæ fecit Deus, ſunt valdè bona, quomodo omnia vanitas, & non ſolum vanitas, ſed etiam vanitas vanitatum? Vt, ſicut in Cantico Canticorum inter omnia carmina excellens carmen oſtenditur, ita in vanitate vanitatum, vanitatis magnitudo monſtretur. Tale quid & in pſalmo ſcriptum eſt: Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens. ſi viuens homo vanitas eſt, ergo mortuus vanitas vanitatum.* Et huic deinceps reſpondens quæſtioni ait: *Legimus in Exodo glorificatum vultum Moyſi in tantum, vt filij Iſrael aſpicere non poſſent in eum: quam gloriam Paulus Apoſtolus in comparationem euangelicæ gloriæ dicit eſſe, non gloriam: nam nec glorificatum eſt, inquit, quod glorificatum fuit in hac parte propter excellentem gloriam: poſſumus igitur & nos in hunc modum creata omnia, bona quidem per ſe dicere, ſed ad Deum comparata, eſſe pro nihilo. Et quo modo ſi igniculum lucernæ videns, contentus eſſem eius lumine, & poſtea orto ſole, non cernerem, quod lucebat, ſtellarum quoque lumina iubare viderem ſolis abſcondi; ita aſpi-*

Eccleſ. 1. 14. *Hieron. ibi.* G

Vanitatis magnitudo oſtẽditur in vanitate vanitatũ

Pſ. 38. 6

Exo. 34. 30

2. Cor. 3. 13.

H

ciem

ciens elementum, & rerum multiplicem varietatem, admiror quidem ſpeciem, et magnitudinem; recogitans autem omnia pertranſire, & mundum ſuo fine ſeneſcere, ſolumq. Deum illud ſemper eſſe, quod fuerit; compellor dicere, non ſemel, ſed bis: vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Hæc Hieronymus.

I
Fiducia in Deo ſolo ponenda.
Græcus.
Vide etiam infra cap. 3. verſ. 14.
Iuſti ſpe ſua non fruſtrantur.
Anton. in bibliothec. patr. tom. 1.
Dei ſpes in aduerſis vtilis.

Non itaque mirum, ſi mundanorum ſpes in mundi huius vanitate fundata, vana omnino ſit, hominemq. confundat, cùm ſola iuſtorum ſpes plena ſit, nec confundat. Sic enim B. Paulus: *ſpes*, dicens, *non confundit*. Græcus οὐ καταισχύνει, ideſt, non *ſolet pudefacere*, ſicut ſpes facit humana: nec fruſtratur, ſed certò perducit ad aſſecutionem rei ſperatæ à Deo, vnde nec iuſtorum vnum inuenies, quem aliquando ſua fefellerit ſpes: *nam impoſſibile eſt*, inquit Chriſoſtomus, quem etiam citat magnus ille ab Aegypto Antonius, *vt à ſcopo aberret, qui tota mente in Deum ſperat.* Sic bonus, & miſericors

Gen. 7
Dominus iuſtum Noë ab immenſa totius

Gen. 11
mundi eluuione liberauit: Abraham à Chal-

Gen. 18
dæis, Aegyptijs, & Cananæis: Iacob de ma-

Exodi 14
nu Eſau: Ioſeph à vinculis: Iſraëlem ab Ae-

1. Reg. 17
gypti ſeruitute: Dauid à Goliath, & Saule:

Iudith. 13
Iudith de manu Holophernis: Danielem à

Dan. 6.
lacu leonum: Suſannam à falſo crimine:

Ibid. 13.
Ionam à ventre ceti; & vt Theodoretus ait,

Theodoretus in Daniel.
licet videre recentibus priſca ſimilia: vnde

L
meritò Sapiens: *Reſpicite filij nationes bo-*

Eccl. 2. 11
minum, & ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Græcus: ἐμβλέψατε εἰς ἀρχαίους ϗ ἴδετε τίς ἐνεπίστευσε κυρίῳ, καὶ κατῃσχύνθη: *Inſpicite ad priſcas generationes, & videte quis ſperauit in Domino, & confuſus eſt.* nam, *& quis eſt:* ait Augu-

Aug. in pſ. 36
ſtinus, *qui confunditur? Qui dicit: quod ſperabam non inueni: non immeritò: ſperabas enim de te, aut ſperabas de homine amico.* Et paulò inferius: *Si autem ponas ſpem in Deo tuo, nõ confunderis, quia ille, in quem ſpem poſuiſti, falli non poteſt.* Quòd ſi nolit Deus à periculis in ſe confidentes eripere cum tribus illis pueris; à ſpe tamen nunquã

Dan. 3.
deficientes, dicant: *Deus poteſt nos eripere: quòd ſi noluerit, notum ſit tibi rex, quia Deos tuos non colimus*, nullis terroribus, vel

M
blanditijs à Deo animũ auertentes; ſed mortem potiùs, quàm peccati maculã admittentes, Armelino ſimiles, vt naturales ferunt,

Armelini venatorum inſidiis circumuentl proprietas.
à venatoribus inſidiatus, mauult in cauernis mori, quàm per foueæ oſtiolum ab ipſis illitum ſordibus fugiendo pollui, & ſuorum pilorum candorẽ maculare. Spes enim confundit humana, dum in ſe ſperantes pudefacit: nam ſpes tunc pudoris eſt cauſa, quando hominẽ fruſtratur, eluditq., vel quia ſponſor promiſſum non ſeruat, vel quòd alia quauis ratione, qui ſpem habebat, circumuentum ſe reperit, atque adeò confuſum; quare cùm certus ſit homo, à Deo nec confundi, nec pudefieri poſſe, dicat cum Pſalte: *In te Domine ſperaui, non confundar in æternũ.* *Pſ. 30. 1*

Quòd non ſolum propter peccata, ſed etiam propter iuſtorum, & Dei gloriam, hominibus aduerſa contingant.

DOCVMENTVM III.

CVM aduerſa omnia peccato, & ſecunda virtuti ex Dei voluntate cõtingere Iudæorum vulgari eſſet opinio, nil mirum videri debet, ſi Tobiæ conſanguinei, vulgi opinionem amplexati, ſanctum virum à Domino improuiſa illa cæcitate percuſſum, peccatorem iudicaret, & ipſi vt ſpem, qua tantas præſtiterat eleẽmoſynas, & heroicas circa mortuorum ſepulturam operationes, *vanam*, hoc eſt nullius apud Deum meriti, ſint arbitrati.

A
Aduerſa omnia a peccatis contingere Iudæorum fuit opinio.

Sic etiam amici Iob, illum aduerſitatibus preſſum conſpicientes, oneroſi conſolatores:
Recordare, obſecro te, dixerunt ei: *quis vn-* *Iob 4. 7*
quam innocens perijt; at quando recti deleti ſunt? Qui tamen falſam eorum eſſe ſenten-
tiam oſtendit, dum ait: *Non peccauit, &* *Iob 17. 2*
in amaritudinibus moratur oculus meus. Hæc opinio ad Chriſti vſque tempora per-
durauit. vndè Apoſtoli cæcum quendam à B
natiuitate videntes: *Rabbi* dixerunt, *quis*
peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus *Io, 9. 2. 3*
naſceretur? quibus ille: *neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Sanè, Dominum duas habere virgas, quibus flagellat vnam decoris, alteram funiculi, ipſemet per Zachariam do-
cet, dum ait: *Et aſſumpſi mihi duas virgas,* *Zach. 11. 7*
vnam vocaui decorem, alteram vocaui funiculum. Decoris, qua ſuos cædens, tanquam aurum in fornace ab omni peccatorum ſcoria purificat, decorem virtutis auget, iucundos reddit, ac manſuetos, ſeq. ipſum glorificat.

Flagellat Dominus duabus virgis.

Deducitur enim vox hebræa נעם nohhã, (quę hic ponitur) à verbo נעם, nagham, quod eſt, iucundum, pulchrum, decorum, manſuetum, ſeu elegantem eſſe. Alteram verò funiculi, qua veluti funibus, Deus pec-
catores colligat, & quaſi flagello prorum- C
pit, ac diſſipat: nam vox הבלים, chobbim, (quæ hic etiam habetur) participiũ eſt plurale verbi חבל, chabel, quod alligare, corrumpere, & diſſipare ſignificat. Ex quo manifeſtum relinquitur, quàm malè de Deo, & ſanctis eius ſentirent, qui hanc tantummodo virgam in Deo concedentes, aliam decoris tollebant. Etenim ſicuti non apparet robur athletæ, nec membrorum ipſius proportio, quando in exterioribus certaminibus veſtimento procedit indutus; ſed quando nudus

in

Virtus nō in proſperitate, ſed in aduerſitate cognoſcitur.
Chryſoſt.hom. ad pop. Ant. paulo poſt med.

in ſtadium progreditur; ſic ſanctorum virorum virtus minimè cognoſcitur, dum proſperitatibus induti per huius mundi ſtadia currunt; ſed quando illis exuti, aduerſitatibus conſeutiuntur. *Quando Iob*; inquit Chryſoſtomus, *omnibus ſuis diuitijs circumfuſus fuit, quis eſſet, non multis manifeſtum*
D *erat: quando verò ipſe veluti athleta veſtem abiecit, & ad pietatis certamina nudus intrauit, ſic expoliatus ſpectatores omnes perculit, vt & ipſe Angelorum Dominus, ſuper animi eius tolerantiam vehementer acclamaret, & victor illi applauſerit*. Ita Naucleri peritia in aduerſa maris tempeſtate, & militis fortitudo in prælijs cognoſcitur. Qua ſimili ratione Tobiæ inſignis patientia non tum quidem apparuit, cum diuitijs, & proſperitatibus abundauit, ſed quando cæcitate, calumnijs, & paupertate percuſſus, omnia patienter tulit. Quare Melitenſes, qui

Act.28.4

de Paulo dixerunt: *Vtique homicida eſt homo hic, qui cum euaſerit de mari, vltrò non ſinit eum viuere*: vbi illum excutientem à ſe viperam, ſine aliqua ſui læſione conſpexere, ſtatim illum glorificare cœperunt: ſic iuſtos, virga decoris corruſcos, poſteris dat
E Deus in exemplum patientiæ, vt illo cæteri omnes commoti ad tentationes varias ſuſtinendas, & Dæmonem vincendum, magis, ac magis ſemper animentur.

Percutit etiam Deus virga decoris aliquando ſuos, vt ſui ipſius gloriam manifeſtet, vnde interrogatus Chriſtus Dominus à diſcipulis ſuis de Lazari infirmitate, reſpondit: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed*

Io.11.4
Aug.in Io.

pro gloria Dei: non enim erat, inquit Aug. *ipſa mors ad mortem, ſed potius ad miraculum*. Sic Apelles, pictorum facilè princeps, ſuas fertur picturas aliquando imperfectas relinquere cōſueuiſſe, vt cum nullus reperiretur, qui illas perficere poſſet, glorioſior apud omnes fieret. Quare, teſte Plutarcho, illo mortuo, cùm picturā ſummo artificio ab illo elaboratā Alexander haberet, maximèq.
F doleret, tantum opus imperfectum manere, ad illud perficiendum vndiq; pictores aduocari curauit, qui cùm veniſſent, & illud eſſent conſpicati, vnà dixerunt, ſolum Apellem rediuiuum perficere tantum opus poſſe. Sic ſanè Deus noſter, vt ſuam ipſius gloriā apparere faciat, nos miſeriarum noſtrarū aliquando percutit imperfecto, vt dum illud tollere per noſmetipſos nequiuimus, ad illum cōfugientes, debitam illi gloriā impartiamur. Sic Hebræorū populum ad extremū ferè periculum deuenire permiſit, vt dū nulla eis ſpes ſupereſſet ex Holophernis Aſsyriorū principis manibus euadendi, tunc ipſe virtutis ſuæ ſublimitatē oſtenderet, dū Holophernis capite per manum vnius fœminæ detruncato, victoriā de potētiſſimo Aſsyriorum exercitu reportaret. Similí ratione tres
G olim pueros in fornacē Babylonicā permiſit immitti, vt in medijs flammis, dum illos cōſeruaret illæſos, cauſam daret, edicto à Nabuchodonoſor Rege ſubinde promulgato, in quo, ſicut apud Danielem habetur, præcipiebat, vt omnis populus, tribus, & lingua Deū verū coleret, & maximis encomijs celebraret. Et tandem Martyres, & Confeſſores ſuos virga decoris percuſſit, dum tanta illos fortiter pati voluit: nam & quis hæc conſiderās non cantabit: In vijs Domini, *quia magna eſt gloria Domini, qui infirmia mūdi eligit, vt fortia quæq. confundat?* Ex quibus omnibus ſatis conſtat, non ſemper virgæ funiculi percuſſiones eſſe Dei tentationes, & aduerſa, vt perperam Tobiæ conſanguinei ſunt arbitrati, ſed ſæpiſſimè virgam eſſe decoris, vt in noſtro Tobia fuerunt.

Dan.3.96
Pſ.137.5
2.Co.1.27

VERS. XVII.

Tobias verò increpabat eos, dicens: nolite ita loqui.

VERS. XVIII.

Quoniam filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.

1 *Errantes corripiendi.*
2 *Sanctorum patrum exempla imitanda.*
4 *Bona alterius vitæ promiſſa, & ſperata etiam in veteri teſtamento.*
4 *Fides pro fidelitate circa mandatorum Dei obſeruantiam.*

TOBIAS *verò*, ſannis, vt ait Serarius, & ludibrijs non fractior, & languidior effectus, ſed multò etiam robuſtior, & ad omne officium incitatior, VERS. XVII. *Serarius hic.*

1 *Increpabat eos*: nam licèt abundè ſuo ſe muneri feciſſe exiſtimare potuiſſet, ſi tacitus ſe ab illis deſpici, & illudi pateretur, vel ſaltem ſi cum ſilentio eorum proteruiam tolleraret; eorum tamen ruinæ miſeratione cōmotus, bonum pro malo libēs reddere, proq. contemptu monita ſalutaria curat: etenim, vt Innocentius ait, *error, cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas cùm non defenditur, opprimitur: negligere quippe, cū poſſis deturbare peruerſos, nihil eſt aliud, quàm fouere. nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori, cum poteſt, deſinit obuiare*. Quòd vt præſtare efficaciùs poſſet, præclara Patrum exempla conſideranda, Tobias proponit, dicens: *nolite ita loqui, quoniam*

Innoc.diſt.83.cap.error.

2 *Filij ſanctorum ſumus*: Abrahæ ſcilicet, Iſaac, & Iacob, quorum exempla cùm ſecundis, tum aduerſis in rebus, nobis ad VERS. XVIII.

eiens elementum, & rerum multiplicem varietatem, admiror quidem ſpecie..., et magnitudinem; recogitans autem omnia pertranſire, & mundum ſuo fine ſeneſcere, ſolumq. Deum illud ſemper eſſe, quod fuerit; compellor dicere, non ſemel, ſed bis: vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Hæc Hieronymus.

I Fiducia in Deo ſolo ponenda.

Non itaque mirum, ſi mundanorum ſpes in mundi huius vanitate fundata, vana omnino ſit, hominemq. confundat, cùm ſola iuſtorum ſpes plena ſit, nec confundat. Sic enim B. Paulus: *ſpes*, dicens, *non confundit*. Græcus οὐ καταισχύνει, ideſt, non *ſolet pudefacere*, ſicut ſpes facit humana: nec fruſtratur, ſed certò perducit ad aſſecutionem rei ſperatæ à Deo, vnde nec iuſtorum vnum inuenies, quem aliquando ſua fefellerit ſpes: *nam impoſſibile eſt*, inquit Chriſoſtomus, quem etiam citat magnus ille ab Aegypto Antonius, *vt à ſcopo aberret, qui tota mente in Deum ſperat*. Sic bonus, & miſericors Dominus iuſtum Noë ab immenſa totius mundi eluuione liberauit: Abraham à Chaldæis, Aegyptijs, & Cananæis: Iacob de manu Eſau: Ioſeph à vinculis: Iſraëlem ab Aegypti ſeruitute: Dauid à Goliath, & Saule: Iudith de manu Holophernis: Danielem à lacu leonum: Suſannam à falſo crimine: Ionam à ventre ceti; & vt Theodoretus ait, *licet videre recentibus priſca ſimilia*: vnde meritò Sapiens: *Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt*. Græcus: ἐμβλέψατε εἰς ἀρχαίας ϗ ἴδετε τίς ἐνεπίστευσε κυρίῳ, καὶ κατῃσχύνθη: *Inſpicite ad priſcas generationes, & videte quis ſperauit in Domino, & confuſus eſt*. nam, & *quis eſt*: ait Auguſtinus, *qui confunditur? Qui dicit: quod ſperabam non inueni: non immeritò: ſperabas enim de te, aut ſperabas de homine amico*. Et paulò inferius: *Si autem ponas ſpem in Deo tuo, nõ confunderis, quia ille, in quem ſpem poſuiſti, falli non poteſt*. Quòd ſi nolit Deus à periculis in ſe confidentes eripere cum tribus illis pueris; à ſpe tamen nunquã deficientes, dicant: *Deus poteſt nos eripere: quòd ſi noluerit, notum ſit tibi rex, quia Deos tuos non colimus*, nullis terroribus, vel

Vide etiam ... cap. 3. ... 14. Iuſti ſpe ſua non falluntur. *Anton. in bibliothec. patr. tom. 1.* Dei ſpes in aduerſis vtilis. *Gen. 7* *Gen. 11* *Gen. 18* *Exodi 14* *1. Reg. 17* *Iudith. 13* *Dan. 6.* *Ibid. 13.* *Theodoretus in Daniel.* L *Eccl. 2. 11* *Aug in pſ. 30* *Dan. 3.*

M blanditijs à Deo animũ auertentes; ſed mortem potiùs, quàm peccati maculã admittentes, Armelino ſimiles, vt naturales ferunt, à venatoribus inſidiatus, mauult in cauernis mori, quàm per foueæ oſtiolum ab ipſis illitum ſordibus fugiendo pollui, & ſuorum pilorum candorẽ maculare. Spes enim confundit humana, dum in ſe ſperantes pudefacit: nam ſpes tunc pudoris eſt cauſa, quando hominẽ fruſtratur, eluditq., vel quia ſponſor promiſſum non ſeruat, vel quòd alia quauis ratione, qui ſpem habebat, circumuentum ſe reperit, atque adeò confuſum; quare cùm certus ſit homo, à Deo nec confundi, nec pudefieri poſſe, dicat cum Pſalte: *In te Domine ſperaui, non confundar in æternũ.* *Pſ. 30. 1*

Armelini venatorum inſidijs circumuenti proprietas.

Quòd non ſolum propter peccata, ſed etiam propter iuſtorum, & Dei gloriam, hominibus aduerſa contingant.

DOCVMENTVM III.

A Aduerſa omnia a peccatis contingere Iudęorum fuit opinio.

CVM aduerſa omnia peccato, & ſecunda virtuti ex Dei voluntate cõtingere Iudęorum vulgaris eſſet opinio, nil mirum videri debet, ſi Tobiæ conſanguinei, vulgi opinionem amplexati, ſanctum virum à Domino improuiſa illa cæcitate percuſſum, peccatorem iudicaret, & ipſi vt ſpem, qua tantas præſtiterat eleëmoſynas, & heroicas circa mortuorum ſepulturam operationes, *vanam*, hoc eſt nullius apud Deum meriti, ſint arbitrati. Sic etiam amici Iob, illum aduerſitatibus preſſum conſpicientes, oneroſi conſolatores: *Recordare, obſecro te*, dixerunt ei: *quis vnquam innocens perijt; at quando recti deleti ſunt?* Qui tamen falſam eorum eſſe ſententiam oſtendit, dum ait: *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus*. Hæc opinio ad Chriſti vſque tempora perdurauit. vndè Apoſtoli cæcum quendam à natiuitate videntes: *Rabbi* dixerunt, *quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?* quibus ille: *neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo*. Sanè, Dominum duas habere virgas, quibus flagellat vnam decoris, alteram funiculi, ipſemet per Zachariam docet, dum ait: *Et aſſumpſi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, alteram vocaui funiculum. Decoris*, qua ſuos cædens, tanquam aurum in fornace ab omni peccatorum ſcoria purificat, decorem virtutis auget, iucundos reddit, ac manſuetos, ſeq. ipſum glorificat. Deducitur enim vox hebræa נעם nohhã, (quę hic ponitur) à verbo נעם, nagham, quod eſt, iucundum, pulchrum, decorum, manſuetum, ſeu elegantem eſſe. Alteram verò funiculi, qua veluti funibus, Deus peccatores colligat, & quaſi flagello prorumpit, ac diſſipat: nam vox חבלים, chobbim, (quæ hic etiam habetur) participiũ eſt plurale verbi חבל, chabel, quod alligare, corrumpere, & diſſipare ſignificat. Ex quo manifeſtum relinquitur, quàm malè de Deo, & ſanctis eius ſentirent, qui hanc tantummodo virgam in Deo concedentes, aliam decoris tollebant. Etenim ſicuti non apparet robur athletæ, nec membrorum ipſius proportio, quando in exterioribus certaminibus veſtimento procedit indutus; ſed quando nudus

Iob 4. 7 *Iob 17. 2* B *Io, 9. 2. 3* *Zach. 11. 7* Flagellat Dominus duabus virgis. C

in

Virtus nõ in proſperitate, ſed in aduerſitate cognoſcitur.

Chryſoſt.hom. ad pop. Ant. paulo poſt med.

in ſtadium progreditur; ſic ſanctorum virorum virtus minimè cognoſcitur, dum proſperitatibus induti per huius mundi ſtadia currunt; ſed quando illis exuti, aduerſitatibus concutiuntur. *Quando Iob*; inquit Chryſoſtomus, *omnibus ſuis diuitijs circumfuſus fuit, quis eſſet, non multis manifeſtum*
D *erat: quando verò ipſe veluti athleta veſtem abiecit, & ad pietatis certamina nudus intrauit, ſic expoliatus ſpectatores omnes perculit, vt & ipſe Angelorum Dominus, ſuper animi eius tolerantiam vehementer acclamaret, & victor illi applauſerit.* Ita Naucleri peritia in aduerſa maris tempeſtate, & militis fortitudo in prælijs cognoſcitur. Qua ſimili ratione Tobiæ inſignis patientia non tum quidem apparuit, cum diuitijs, & proſperitatibus abundauit, ſed quando cæcitate, calumnijs, & paupertate percuſſus, omnia patienter tulit. Quare Melitenſes, qui
Act.28.4 de Paulo dixerunt: *Vtique homicida eſt homo hic, qui cum euaſerit de mari, vltrò non ſinit eum viuere*: vbi illum excutientem à ſe viperam, ſine aliqua ſui læſione conſpexere, ſtatim illum glorificare cœperunt: ſic iuſtos, virga decoris corruſcos, poſteris dat
E Deus in exemplum patientiæ, vt illo cæteri omnes commoti ad tentationes varias ſuſtinendas, & Dæmonem vincendum, magis, ac magis ſemper animentur.

Percutit etiam Deus virga decoris aliquando ſuos, vt ſui ipſius gloriam manifeſtet, vnde interrogatus Chriſtus Dominus à diſcipulis ſuis de Lazari infirmitate, reſpon-
Io.11.4 dit: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed*
Aug.in Io. *pro gloria Dei: non enim erat*, inquit Aug. *ipſa mors ad mortem, ſed potius ad miraculum*. Sic Apelles, pictorum facilè princeps, ſuas fertur picturas aliquando imperfectas relinquere cõſueuiſſe, vt cum nullus reperiretur, qui illas perficere poſſet, glorioſior apud omnes fieret. Quare, teſte Plutarcho, illo mortuo, cùm picturã ſummo artificio ab illo elaboratã Alexander haberet, maximèq.
F doleret, tantum opus imperfectum manere, ad illud perficiendum vndiq; pictores aduocari curauit, qui cùm veniſſent, & illud eſſent conſpicati, vnà dixerunt, ſolum Apellem rediuiuum perficere tantum opus poſſe. Sic ſanè Deus noſter, vt ſuam ipſius gloriã apparere faciat, nos miſeriarum noſtrarũ aliquando percutit imperfecto, vt dum illud tollere per nosmetipſos nequiuimus, ad illum cõfugientes, debitam illi gloriã impartiamur. Sic Hebræorũ populum ad extremũ ferè periculum deuenire permiſit, vt dũ nulla eis ſpes ſupereſſet ex Holophernis Aſsyriorũ principis manibus euadendi, tunc ipſe virtutis ſuæ ſublimitatẽ oſtenderet, dũ Holophernis capite per manum vnius fœminæ detruncato, victoriã de potẽtiſſimo Aſsyriorum exercitu reportaret. Simili ratione tres
G olim pueros in fornacẽ Babylonicã permiſit immitti, vt in medijs flammis, dum illos cõſeruaret illæſos, cauſam daret, edicto à Nabuchodonoſor Rege ſubinde promulgato, in quo, ſicut apud Danielem habetur, præcipie- Dan.3.96
bat, vt omnis populus, tribus, & lingua Deũ verũ coleret, & maximis encomijs celebraret. Et tandem Martyres, & Confeſſores ſuos virga decoris percuſſit, dum tanta illos fortiter pati voluit: nam & quis hæc conſiderãs non cantabit: In vijs Domini, *quia magna* Pſ. 137.5.
eſt gloria Domini, qui infirmia mũdi eligit, 2.Co.1.27
vt fortia quæq. confundat? Ex quibus omnibus ſatis conſtat, non ſemper virgæ funiculi percuſſiones eſſe Dei tentationes, & aduerſa, vt perperam Tobiæ conſanguinei ſunt arbitrati, ſed ſæpiſſimè virgam eſſe decoris, vt in noſtro Tobia fuerunt.

VERS. XVII.

Tobias verò increpabat eos, dicens: nolite ita loqui.

VERS. XVIII.

Quoniam filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.

1 *Errantes corripiendi.*
2 *Sanctorum patrum exempla imitanda.*
4 *Bona alterius vitæ promiſſa, & ſperata etiam in veteri teſtamento.*
4 *Fides pro fidelitate circa mandatorum Dei obſeruantiam.*

TOBIAS *verò*, ſannis, vt ait Serarius, & ludibrijs non fractior, & languidior effectus, ſed multò etiam robuſtior, & ad omne officium incitatior, VERS. XVII. Serarius hic.

v *Increpabat eos*: nam licèt abundè ſuo ſe muneri feciſſe exiſtimare potuiſſet, ſi tacitus ſe ab illis deſpici, & illudi pateretur, vel ſaltem ſi cum ſilentio eorum proteruiam toleraret; eorum tamen ruinæ miſeratione cõmotus, bonum pro malo libẽs reddere, proq. contemptu monita ſalutaria curat: etenim,
vt Innocentius ait, *error, cui non reſiſtitur,* Innoc.diſt.83. cap.error.
approbatur, & veritas cùm non defenditur, opprimitur: negligere quippe, cũ poſſis deturbare peruerſos, nihil eſt aliud, quàm fouere. nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori, cum poteſt, deſinit obuiare. Quod vt præſtare efficaciùs poſſet, præclara Patrum exempla conſideranda, Tobias proponit, dicens: *nolite ita loqui, quoniam*

2 *Filij ſanctorum ſumus*: Abrahæ ſcilicet, VERS. XVIII.
Iſaac, & Iacob, quorum exempla cùm ſecundis, tum aduerſis in rebus, nobis ad

imitandum propoſita eſſe debent, ne ab illo-
rum virtute, & ſanctitate aliqua ratione de-
generaſſe conueniamur. Sic Mathathias mo-
riens, vt filios ſuos ad fortia hortaretur: *Me*
Macbab. c. 2. 51 *mentote*, ait, *operum patrum, quæ fecerunt*
in generationibus ſuis, & accipietis gloriam
magnam, & nomen æternum. Quin poeta
Ethnicus ab Aenea filium Aſcanium ad vir
tutem his verbis incitatum memorat:

Virg. lib. 12 Aeneid.
Diſce puer virtutem ex me, verumq. laborem:
Tu facito mox, cũ maior adoleuerit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Aeneas, & auunculus excitet Hector.

Rabanus in Iudith. c. 8
nam vt Rabanus ait: Præteritorum patrum
fortia geſta, præſentium ſunt documenta ſa
lubria.

3 *Et vitam illam expectamus*, ideſt, vitam
Spes quid. Ambr. l. 2. ep. 22
illam ſperamus: nam *ſpes*, ait Ambroſius,
quid eſt, niſi futurorum expectatio? non
quam iuſti, & peccatores habent communem
in hoc ſeculo, ſed quam Deus daturus eſt in
futuro. quaſi, vt benè obſeruat Serarius, illa
Errant, qui in veteri teſtamento bona tantum temporalia fuiſſe promiſſa arbitrantur.
Nicæni Symboli verba didiciſſet: *expecto re-*
ſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſe
culi. Ex quo ſatis liquet, illos manifeſti erro
ris obſtrictos teneri, qui in veteri teſtamento
temporalia tantũmodo huius vitæ bona pro-
miſſa fuiſſe arbitrabantur: nam, vt B. Paulus
Heb. 11. 10
ait, & veteris teſtamenti homines *expectabãt*
fundamenta habentem ciuitatem, cuius ar-
tifex, & conditor Deus. Vnde & illa ſunt
Tharg. Cant. 2. 3
veteris Eccleſiæ verba Thargum in Canticis:
Verba legis Dei dulcia fuerunt gutturi meo, &
præmia praeceptorum eius ſeruantur mihi in
ſeculo venturo.

4 *His, qui fidem ſuam nunquam mutant ab*
eo, Qui, nimirum, & in proſperis, & in ad
uerſis Deo fideles ſunt vſque ad mortem, à cu
ſtodia præceptorum ipſius nunquam receden
tes: eſt enim hic fides idem, ac fidelitas, vt etiã
Eccl. 22
in illo Eccleſiaſtici, vbi dicitur: *fidem poſſide*
Eſther 6
cum amico, ideſt, ſerua fidelitatem. Et apud
Eſther, vbi Aſſuerus: *Quid*, inquit, *pro hac*
fide honoris, & præmij Mardochæus conſecu
tus eſt? ideſt pro ſua fidelitate: hæc itaque fi
delitas, ſicuti etiam fide ipſa conſtantiſſimè
ab illis perpetuò retinenda, vt hic docet To
bias, qui futuri ſeculi beatam ſe vitam conſe
cuturos eſſe ſperant.

Quòd correctio in ſpiritu lenitatis facienda ſit, ita tamen, vt ſi opus ſit, vrat quidem, ſed nunquam exurat.

DOCVMENTVM I.

A
Eccl. 17. 12
Ierem. 48
CVm, ſicut Sapiens ait, *vnicuique manda-*
uerit Deus de proximo ſuo, & ille à Do
mino maledictus ſit, vt ait Ieremias, *qui prohi*
bet gladium ſuum à ſanguine, nimirum cor-
rectionis, non ſatis ſuo ſe muneri facturus fuiſ
ſe ſibi Tobias videbatur, ſi tacitus, digitoque
ori admoto, vt multi feciſſent, ſuorum conſan-
guineorum proteruiæ commiſeratus fuiſſet:
ſed in ſpiritu lenitatis admonere illos voluit,
vt ſi fieri poſſet, reſipiſcerẽt, culpamq. propriã
agnoſcerent. Quare longè à veritate aberran-
tes, dulciſſimis verbis increpans, ait: *Nolite,*
ita loqui, quoniam filij ſanctorum ſumus.
Talem eſſe Chriſtianam correctionem B. Pau-
lus debere admonet, dum ait: *Vos, qui ſpiri-* Galat. 6
tuales eſtis, corripite in ſpiritu lenitatis: cùm
aſperitas aliquando in crudelitatem migret.
Etenim quemadmodum vas vitreum frangi-
tur, ſi nimis durè, atque aſperè, mundatur au B
tem, ſi leniter tractetur; ita peccatorem ali-
quando aſper corrector exaſperat, lenis autẽ
emendat: licèt enim reprobis audaciæ occa-
ſionem præbere lenitas aliquando videatur;
ab ingenuis tamen hominibus malefaciendi
voluntatem facillimè remouet. Hinc Dauid:
Corripiet, inquit, *me iuſtus in miſericordia,*
& increpabit me. Sic loquens Iſaias, de per-
Lenitas correptionis viris ingenuis emẽdationis occaſio eſt.
fectis noui teſtamenti viris, qui ad Chriſti
imitationem gentes docere, populosq. argue-
re debebant: *Conflabunt*, inquit, *gladios ſuos* Iſaiæ. 2. 4
in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non le
uabit gens contra gentem gladium, nec exer-
cebuntur vltra ad prælium: Sic docens, ar
guendos quidem, & corripiendos à viris iu
ſtis noui teſtamẽti peccatores, nõ tamen enſe,
aut lãcea, quibus hoſti vulnera infligimus, ſed
aratro, & falce, quibus terrã fœcũdã reddimus. C

Moyſes olim veteris teſtamẽti legiſlator ido
lolatras filios Iſrael correpturus: *Si quis eſt* Exo. 32. 27
Domini, ait, *iungatur mihi, ponat vir gladiũ*
ſuper femur ſuum, ite, & redite de porta vſq.
ad portam, per medium caſtrorum, & occidat
vnuſquiſque fratrem, & amicũ, & proximum
ſuum, Sic enſe feriendum exiſtimans, ac lan-
cea. Verùm tempore Meſſiæ, ait Iſaias, gla-
dius, & lancea, quibus homines cominus, atq;
eminus vulnerantur, in aratrum, & falcem,
quibus terra colitur, atque mundatur, con-
uertenda ſunt: & meritò quidem: nam finis
correptionis cùm non ſit vulnerare, ſed mede-
ri; non occidere, ſed viuificare; non deſertum,
ac ſterilem facere, ſed fœcundare, ligone, ac fal
ce opus eſt, non enſe, aut lancea; molli ſcilicet,
non aſpera correptione. Sed quemadmodum D
olim aſtutia, & opus fuit Philiſtinorum, vt
Aſtus Philiſtinorum.
apud Iſrael: *Faber ferrarius*, inquit ſacra
ſcriptura, *non inueniretur*, ita vt non eſſet 1. Reg. 13 19
populo enſis ad bellandum contra Philiſtæos,
nec faber ferrarius inter illos reperiretur,
qui ex vomere, ligone, & ſecuri arma face
ret: *Cauerant enim Philiſthim, ne fortè*
facerent Hebræi gladium, aut lanceam.
Vnde Sauli tantummodo, & Ionathæ enſis,
& lancea fuit in die belli; ſic opus nunc
eſſe dæmonis apparet, vt nullus, vel rarus

repe-

reperiatur, qui enſem, ac lanceam corru-
ptionis in vomeres,& falces cõflare nouerit,
Lenes correctores pauci cùm multi reperiantur, qui ex vomere,& li-
gone enſes,& lanceas conflent, qui fratrem
nimirum correptione confundant, & vulne-
Luc.10.34 rent:multi ſunt,qui vinum in vulnus infunde
re ſauciati norunt;pauci qui cum Samarita-
E no vinum,& oleum:multi,qui virgam ponũt
in arca;ſed pauci qui ſimul cum virga mãna
reponere norint. Quare ardet,& comburit
Exod.3. eorum correptio, cũ tamen,ſicut rubus Moy
ſis eſſe deberet, qui cùm arderet,non combu
Ambro.ſer.18 rebatur:*Vrat,non exurat,corrigat, non per-*
dat correctio, inquit Ambroſ. neque enim in
ſpiritu vehemẽti,ſubuertente montes,& cõ-
terente petras,vel in cõmotione, vel in igne
Pſ. 149. Dominus;ſed in ſibilo auræ tenuis,ſe ventu-
rum ſignificauit. Idcirco Aaron præcepit, &
Moyſi,non vt petram percuterent,ſed vt illã
alloquerentur: *Loquimini*, inquiens,*ad pe*
tras, & dabit vobis aquas : quod cum Moy-
ſes non fecerit, ſed bis ad educendam aquã
ſilicem percuſſerit,iratus eſt Dominus con-
Nu. 20.12 tra eos,& ait: *Quia non credidiſtis mihi, vt*
Deut. 7. *ſanctificaretis me coram filijs Iſrael,non in-*
troducetis hos populos in terram , quam ego
F *dedi eis* . Et in Leuitico item præcepit,vt in
Leuit. 14. expiatione leproſi,ſacerdos aſſumeret de ſan
17. Correctionis figura. guine hoſtiæ,quæ pro ipſo leproſo immola-
batur, deq. olei ſextario,quem ipſe etiã of-
ferebat, poneretq. non in pectora,aut ſcapu
lis,vbi morbus erat , ſed ſuper auriculam
eiuſdem leproſi,qui cùm in ſacra ſcriptura
peccatorem deſignet , peccatoris curationẽ
ab vnitione auriculæ, nimirum à verbis , in-
choandam eſſe ſignificauit, non quibuſcunq;
ſed oleatis, vt ita dicam,quę peccatorem de
mulceant.& ad virtutem alliciant. Addendũ
tamen aliquando eſſe oleo ſanguinem , ideſt
correptioni increpationem,B. Paulus Timo
2.Tim.4.2 theum docet,dum illi ait : *Inſta opportunè,*
G *importunè, argue, obſecra, increpa, in omni*
patientia,& doctrina , ideſt, *argue* prius ra
tionibus,& optimis argumentis; deinde *obſe*
cra verbis manſuetis, & lenibus : ſed ſi hæc
non ſufficiant , *increpa* demum verbis , quæ
acerbitatem aliquam præſeferant ; ſed ſem-
per *in omni patientia, & doctrina*, opportu
no tempore , & etiam ſi opus ſit,in tempore
non opportuno : Græcè , εὐκαίρως ἀκαίρως ,
Importuna correctio pernicioſa. tempeſtiuè,& intempeſtiuè:vulgatus oppor-
tunè, importunè: Nam lux,licèt natura ſua
illuminet,tamen aliquando læſo oculo no-
cet: aqua, licèt natura ſua abſtergat;ſi ſudã
tem tamen attingat,lædit,fumoſq. excitat :
oleum,licèt natura ſua leniat,in flammis ta-
men proiectum,eas maiores,ardentioresque
facit.*Acerba vulnera*, inquit Chryſoſt. *nec*
Chryſoſt. hom. 7. de fid. an nas. *leuem tactum ferunt*:opportuno igitur tem-
pore apponenda medicina,ſiue oleo, ſiue ſan
guine fiat,ſiue ex vtroque permixtim. Arſe-
In vit. Pat. nius antiquorum patrũ exemplar,quãdo cul
pam aliquã ſuorum monachorũ agnoſcebat,
antequã illam corriperet , tanquã ſi propria H
ſui ipſius fuiſſet,illam deplorabat: S.Io.Euã- Surius. SS. virorũ in peccatorib. corripiendis lenitas.
geliſta iam ſenex,vt quendã iuuenẽ ad melio
rem frugem reduceret,illum equitando diu,
multumq. proſecutus eſt.Abraham eremita, Caſſianus. Vit. PP.
vt neptem Mariã publicam peccatricẽ cor-
riperet,amatorem ſe veſtibus militaribus in
dutum finxit.Sic etiam Anſelmus culpas ali In vit. S. Anſelmi die 21. Apr. lib.1. poſt med. S. quodã igitur.
quando diſcipulorũ diſſimulabat,vt eos hac
ratione ad viã veritatis reduceret: & omnes
denique ſancti,iuxta veritatem perſonarũ ,
quas corrigere volebant; varias aſſumebant
perſonas: ſicut animal Ezechielis,quod,cùm Corripiendi modus in animali Ezechielis figuratus.
eſſet vnũ,facies habebat diuerſas. In arguen
do enim erant boues,qui,quæ comedunt ru-
minant:in increpando leones,nihil timendo:
in obſecrando homines humanitatem induẽ-
tes: in docendo Angeli,alios dirigentes: Ita I
cum noſtro Tobia arguebant , obſecrabant ,
& increpabant,iuxta diuerſas perſonarum
conditiones,in omni patientia & doctrina.

Quòd ſpe vitæ æternæ fortes in aduerſis efficiamur .

DOCVMENTVM II.

SVOS etiam conſanguineos, A
noſq. omnes hoc verſiculo ſã-
ctiſſimus Patriarcha docet,nõ
præſentis,ſed futuræ vitæ ſpe-
randa bona, ſi fortes,atque ro
buſti in tentationibus eſſe vo-
lumus; ſic enim, *ille*, ait Aug. *ſpe futurorũ* Aug.ſer.aut. quæſt. ex vet. teſt.c.19.to.4.
animam ſuam conſolatus, in tentatione robu
ſtus,ac fortis inuentus eſt . Et quidem ſi a-
gricola,quia fruges ſperat : negotiator,quia
merces:miles,quia ſpolium, tam dura ſuſti-
net,cur duriſſima non ſuſtinebit homo, ſi ſpe
ret cæleſtia ? Auctores ſunt profanæ hiſto- Hiſt. prof.
riæ, quendam Ethnicum regem militibus,ne
belli difficultatibus fracti animos deſponde
rent, opima hoſtibus iam detracta ſpolia cõ
ſpicienda propoſuiſſe dicentem : *Hæc ſunt,*
ô Milites, pro quibus pugnatis: quorum aſ Præclarum ducis inuentum ad milites confirmãdos.
ſequendorum ſpe adeò illi animati, confir-
matiq. ſunt,vt ſtrenuè deinceps pugnando, B
glorioſiſſimum hoſtium ſint conſecuti victo-
riam:qua etiam ſpe ſuos apud Latinum poë-
tam Aeneas animare conſueuerat,dicens:

O paſſi grauiora, dabit Deus his quoque Virg. Aen.
finem ;
Durate , & vos met rebus ſeruate ſe-
cundis .

Et Iacobum Patriarcham ferunt ſacræ lite-
ræ, cùm in termino vitę vltimo poſitis filijs
ſuis benediceret, diuino afflatum ſpiritu, dũ
vnicuique eorũ,quæ futura erant, prædica- Gen.49.14
ret, ad Iſachar cùm veniſſet,hæc illi prædi-
xiſſe ventura : *Iſachar aſinus fortis , accu-*
bans inter terminos , vidit requiem , quòd
eſſet bona, & terram, quòd optima, & ſup-

poſuit

poſuit humerum ſuum ad portandum, factuſq. eſt tributis ſeruiens. Quibus verbis præſignare voluit, terram, quæ ſorte illius tribui contingere debebat, in terræ Chanaam diuiſione, adeò feracem futuram, vt eius fertilitate maximopere ille delectatus, quæuis tributa potiùs perſoluere, quàm illam relinquere, in animum eſſet inducturus.

C

Si itaque militaria propoſita ſpolia milites mundi tam fortes reddunt, & Iſacharitæ duriſſima tributa nihili pendebant, dummodo terram optimam poſſiderent; quid mirum, ſi pro terra illa viuentium optima, vereq. deſiderabilia, & pro ditiſſimis cæli ſpolijs acquirendis Domino dicamus cum Dauid: *Vt iumentum factus ſum apud te*, & duriſſima quæq. tentamenta ſuſtineamus? *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto*, dicebat Iob, *donec veniat immutatio mea*, *donec*, ſcilicet, ex hac corruptibili, & mortali vita ad incorruptibilem, & immortalem pertranſeam: pro immutatione trãſitum intelligens ex huius vitæ ſtatu ad alium alterius vitæ, & pro militia ſtatum præſentis vitæ laboribus, & calamitatibus circumſeptum, vt nos doceat Chriſtianæ militiæ onera ſuſtinere, more militum ſperantium victoriam: Etenim, vt B. Paulus ait, *hoc ſolum firmiſſimum ſolatium habemus*, ſiue, vt Græcus habet, *ἰσχυρὰν παράκλησιν*, *validam conſolationem*, nimirum, *quo confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ*; nam quemadmodum anchora nauem in medijs fluctibus retinet, ne ventorum, & procellarum vi demergatur; ita *vbi eſt ſpes*, ait Ambroſius, *Apoſtolicum illud: foris pugnæ, intus timores, nocere non poſſunt*: ſed perſeuerat homo omnibus in aduerſis ſecurus, ac firmus.

Pſ. 72. 23.

D

Hebr. 6. 18

Ambr. ſer. 15.

De Echino marino piſciculo, ſic idem ait Ambroſius: *Cùm procellam ventorum præſenſerit, calculum validum arripit, eumq. velut ſaburram vehit, & tanquam anchoram trahit, ne excutiatur fluctibus: itaque non ſuis ſe librat viribus; ſed alieno ſtabilit, ac regit pondere*.

Idem hom. 5. in exam. c. 9.

Echinus contra tempeſtatis impetu, quomodo ſe præmuniat.

E

Ita ſancti viri, quaſi prudentes Echini, ſæuientibus aduerſitatum procellis, hanc ſpei anchoram ſumentes, tuti per illas tranſeunt: & hæc fuit cauſa, cur Dominus iuſſerit Noe in arca feneſtram facere: *feneſtram*, inquiens, *in arca facies, & in cubito conſummabis ſummitatem eius*, vt ex illa (erat enim, ſicut Oleaſter notat, in ſũmitate arcę, ex chryſtallis fabrefacta) cælum ſuſpicere poſſet, & in illud ſpei ſuæ anchoram proijcere, dum inter aquas diluuij agitaretur. Ad hanc idcirco ſpẽ B. Iob, vtpotè firmiſſimũ aduerſus omnes mundi tempeſtates munimẽtum, omnes animans: *Quis mihi tribuat*, ait, *vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo, vt plumbi lamina, vel celte, ſculpãtur in ſilice*. Sed qui fuerint hi ſermones, quos tam alta mente ab hominibus teneri voluiſſet, poſtea docens, ait. *Scio, quòd redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die, de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*; Spem nimirum reſurrectionis, & fruitionis æternæ vitæ: qua ipſe animatus duriſſima omnia patiebatur, facillimèq. tolerabat.

Gen. 6. 16

Feneſtra in arca Noe, quid notet.

Oleaſter in Geneſ.

Iob 19. 23

F

Spes vitæ æternæ aduerſa quæq., & grauiſſima leuat.

Sic ſancta illa Machabæorum mater, vt ſacra refert hiſtoria, pereuntes ſeptem filios vnius diei ſpatio conſpiciens, *bono animo ferebat propter ſpem*: Et mater illa Simphoriani hac ſpe filium ad martyrium animabat, dicens: *Nate, nate, memento æternæ vitæ: cælum ſuſpice, & ibi regnantem intuere: tibi enim vita non eripitur, ſed mutatur in melius*. Quam ſanè firmam ſpẽ vt acquiramus, bona eſt opus conſcientia: nam ſi, vt B. Ioannes ait, *cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Et ſicut Auguſtinus ait, *Quomodo mala conſcientia tota in diſperatione eſt; ſic bona conſcienta tota in ſpe*, nõ quòd omnes peccatores abſolutè deſperent, ita vt ſibi certi omnino de æterna damnatione videantur, talia ſua delicta æſtimando, qualia Deus vel nolit, vel nequeat remittere: nam hoc ſpeciale peccatum eſt in Spiritum ſanctum; ſed quòd deſperent ſub conditione, dum certò nimirum ſciunt, ſe æternæ damnationi futuros obnoxios, ſi in graui, qua tenentur culpa, perſeuerent, nec vnquam de illa doleant. Quare ſicuti huiuſmodi peccatores malam habentes cõſcientiam, toti ſunt in hac conditionali deſperatione; ita docet Auguſtinus, eos, qui bonã illam habent, nec ſibi de mortali culpa ſunt conſcij, de qua non doleant, totos in ſpe ſalutis æternæ poſitos eſſe.

Breu. Rom. in oct. Aſſumpt. lect. 9.

1. Io. 3. 21

G

Aug. in præf. pſal. 31.

Peccatores de ſalute quomodo deſperent.

Quòd ſolùm in virtute perſeuerantibus æterna vitæ retributio reddenda ſit.

DOCVMENTVM III.

DOCET etiam Tobias, quibus daturus ſit Dominus æternam vitam, nimirum *ijs, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo*. quod etiam Dominus eiſdem fermè verbis declarans, ait: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*: nam *incaſſum*, inquit Gregorius, *bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur: quia etiam fruſtra velociter currit, qui priuſquàm ad metas veniat, deficit*. Et Bernardus: *Sola perſeuerantia eſt*, ait, *quæ meretur viris gloriam, coronam virtutibus: prorſus abſque perſeuerantia, nec qui pugnat, victoriam, nec palmam conſequitur victor*. Et Iſidorus: *ſolis perſeuerantibus*, inquit, *datur. non enim*

A

Matt. 24

Greg. in moral

Bernard. epiſ. 120. ad Genuenſes.

Perſeuerantiæ vis, & neceſſitas.

Iſid. lib. de ſumm. bon.

bea-

beatus erit, qui bonum facit, ſed qui perſe-
ueranter facit. Sic Dauid non ſaxum, quo
primùm certando Goliath Philiſtæum per-
cuſſerat, atque proſtrauerat, ſed gladium, quo
B caput eiuſdem abſciderat, in templo præſen-
tatum voluit; indicans, non operum initia,
ſed felicem eorundem exitum Deo gratum
Decimas ſibi perſequi cur Deus præceperat. eſſe: qua etiam de cauſa primitias, & deci-
mas frugum ſibi dari Deus præcipiebat, vt
oſtēderet non initia tantùm bonorum operũ
ſe velle, ſed & principium, & finem. Eſt enim
denarius numerus per decimas ſignificatus
reliquorũ numerorũ finis. Quod etiam oſtē-
Gen. 37. dit Iacob tunica illa polimyta talari, quam
Ioſeph filio ſuo dilecto feciſſe legitur: nam
charitas, (quæ veſtis eſt iuſtorum polimy-
ta, diuerſarum ſcilicet lanarum, & colorum
1. Cor. 13. 4. quia, vt B. Paulus ait, *patiens eſt, benigna*
eſt, omnia ſuffert, omnia ſperat, omnia cre-
dit, &c.) non ad genua vſque, ſed ad talos,
ideſt ad finē vſque vitæ peruenire debet. Sic
Veſtis Aaron perſeuerātiæ ſimbolum. veſtis Aaronica ex Dei præſcripto ad pedes
vſque promiſſa in circuitu, quaſi mala pu-
C nica habere debuit, quæ inter omnes fru-
ctus ſola coronæ perſeuerātiæ ſymboli ſpe-
ciem habent: nam *finis coronat opus.* Sic
in templi oſtijs, vt ſcriptura teſtatur, ſcul-
pſit Salomon picturam Cherubim, & palma-
rum, quæ ſe inuicem aſpiciebāt, per Cheru-
bim, vt Beda intelligit, iuſtos ſignificans, qui
vitam angelicam inter homines degunt, &
puritatem ſectantes, in carne præter carnē
viuunt: in palmis verò eorundum perſeue
rantiam, & in virtute durationē. Quare po-
nere in introitu templi Cherubim, & palmas
hinc inde diſpoſitas, eſt apertè innuere, il-
los ſolùm cæli templum intraturos, qui
angelicam innocentiam, & perſeuerantiæ
palmam habuerint: Sic ait Chriſtus diſci-
Luc. 22. 29 pulis: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum*
30 *in tentationibus meis.* Idcirco ſubdit:
D *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mi-*
bi pater meus regnum, vt edatis, & bibatis
ſuper menſam meam in regno meo, & ſedea-
tis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus
Iſraël: regnum his verbis illis promittens
æternum, non quia reliquerunt omnia, ſed
quia permanſerunt ſecum vſque in finem *in*
Perſeuerātia paucis coceſſa. *tentationibus:* multi enim ſunt, qui Deo fi-
deles eſſe incipiunt, ſed pauci, qui fidelita-
tem ad finem vſque conſeruent; ſicut multos
flores quæuis ferè arbor fructifera produ-
cit, fructus verò paucos: & omnes ferè agri
Aug. de vtil. credon. c. 7. multam herbam, ſed exiguam meſſem: *Rhe-*
torum ſchola, ait Auguſtinus, *per totum fe-*
rè orbem adoleſcentum gregibus perſtrepunt,
ſed Tullianam facundiam aſſequuntur pau-
ci, agunt, & fiunt oratores pauciores, clare-
ſcunt pauciſſimi: Sic in via virtutis, per quã
ad beatitudinem tendimus, feruent perſæpè
principia: paulatim verò progrediendo te-
peſcunt, ac demum in fine omnino ſæpiſſimè
E frigeſcunt: nam quo modo multi maximam

auri copiam, quæ apud Indos eſt, auditione
intelligentes, illius exciti cupiditate, iter
ſtatim arripiunt, vt ad illos perueniant; qui
poſtea maris Oceani vaſtitatem, & pericula
contemplantes, à propoſito facilè redeunt;
ita multi cæleſtis patriæ dum audiũt recen-
ſeri præconia, & Beatorum, qui in illa ſunt, Avia virtutis multos difficultas auocat.
æui ſempiterni fruitionem, & gloriam, iter
virtutis arripiunt, vt ad illos omni conten-
tione feſtinent; cuius tamen itineris vix ex-
periuntur difficultates, cùm à propoſito re-
cedentes, ad priora ſcelera relabuntur, filijs
Iſraël ſimiles, qui, vt ſacræ literæ ferunt, cùm
primùm vuas, ficus, & malogranata, è terra
promiſſa, ab exploratoribus allata viderunt,
illicò terræ etiam illius potiundæ, incredi-
bili quadam exardeſcere cupiditate cœpe-
runt: at cùm primùm Gigantes inibi adeſſe
ſenſerunt, timore correpti, ac pauidi, *vo-*
ciferans omnis turba, inquit ſacra hiſtoria,
per totam illam noctē fleuit, & dicere tamen
omnes cœperunt: *Vtinam mortui eſſemus* F
in Aegypto, & non in hac vaſta ſolitudine: Num. 14. 1. 2. 4
dixeruntq. alter ad alterum: conſtituamus no-
bis ducem, & reuertamur in Aegyptum,
nihili facientes paupertatem, & tyranni-
dem Pharaonum, dummodo labores illos,
& pericula deuitarent: ſimiles etiam filijs
Ephrem, de quibus Dauid: *Filij Ephrem*
ait, *intendentes, & mittentes arcum, con-* Pſ. 77
uerſi ſunt in die belli. in haſtiludio ſtre-
nui, in torneamentis primi, in ludo, vt
aiunt, Troiano exercendo, nemini ſecundi;
qui tamen in die belli fugæ ſe dedunt: Simi-
les tandem ſtatuæ Nabuchodonoſor, quæ ca-
put habebat aureum, & pedes luteos, qui ſci-
licet à charitate incipientes, finem habent
luteum, & infamem, & cùm *Spiritu cœperint*, Gal. 3. 3
vt B. Paulus ait, *carne conſummantur.* Quod Thren. 4
meritò Ieremias lugebat, dicens: *Filij Sion* G
incliti, & amicti auro primo, ideſt pu-
riſſimo, ac perfectiſſimo, *quomodo reputati*
ſunt in vaſa teſtea opus manuũ figuli? Qui-
bus ſanè, vt B. Petrus ait, *melius erat illis nõ* 2. Petr. 2
cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitio- 21
nem retrorſum conuerti ab eo, quod illis tra-
ditum eſt ſancto mandato: quòd eorum cul-
pa ratione ingratitudinis grauior efficiatur:
nã quemadmodũ vapores, ſolis calore è ter-
ra eleuati, vltra mediam aëris regionem non
tranſcenderint; in aquam conuerſi, deſcen-
dunt frigidiores, quàm aſcenderint: ſi verò
vlterius progredientes, ad ſupremam aëris
regionem; igne incenduntur: Sic homo diui-
no ſolis iuſtitiæ calore eleuatus, niſi aſcen-
dendo de virtute in virtutem perſeueret, fri-
gidior, & peior euadit, quàm ante aſcenſum
eſſet; qui tamen ſi aſcenſum continuaret,
diuino amoris igne feliciter inflammaretur.
Hinc B. Ioannes Epiſcopo illi Smyrnenſi: H
Vtinã, ait, frigidus eſſes, aut calidus, ſed quia Apoc. 3. 15 16
tepidus es, à calore nimirũ ad frigus deſcen-
dẽdo, *incipiã te euomere ex ore meo.* Etenim,

Luc. 9. 62

vt Chriſtus ait, *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Quare ſicuti nihil prodeſt m iliti durum ſubijſſe certamen, ſi tandem animo fractus, hoſti victas manus porrigat: nihil nautæ in pelagus deduxiſſe nauem, & latum ſulcaſſe profundum, ſi tandem ante, quàm portum attingat, nauis, procellis, & fluctibus debilitata, fatiſcat, nihil architecto inchoaſſe domum, ſi illam non perficiat: ita nihil homini proderit viam cepiſſe virtutis, niſi in illa perſeuerauerit vſque in finem, quòd non incipientibus, ſed perſeuerantibus vera laus, & verus honor debeatur, & finis ſolus coronet opus: &, vt ait Hieronymus, *non inchoaſſe ſufficiat, ſed perfeciſſe iuſtitia ſit.* Cuius res exemplo nobis eſſe poſſunt multi veterum, quibus nihil profuit in bono cœpiſſe, cùm in illo non perſeuerauerint. Sic nihil profuit Sauli Hebræorum regi felix vocatio, & regni poſſeſſio: nihil Salomoni ſapientia, cùm poſtea ex inſano amore mulierum, inexecrabilem idolorum cultum eeciderit: nihil Giezi conuerſio ad Eliſæum, cùm propter auaritiam, lepram contraxerit: Nihil Iudę Chriſti doctrina, & miracula, cùm poſtea vitam laqueo deſperatione compulſus, finierit. Quare Deum vnuſquique cum Dauid orare enixè debet; *Ne proycias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea, Deus ne derelinquas me.*

Sine perſeuerantia virtus nulla prodeſt

Hier. epiſt. ad Cœlant. matronam in fi. I

Pſ. 70. 9

VERS. XIX.

Anna verò eius vxor ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum ſuarum victum, quem conſequi poterat, deferebat.

VERS. XX.

Vndè factum eſt, vt hœdum caprarum accipiens, detuliſſet domi.

VERS. XXI.

Cuius cùm vocem balantis vir eius audiſſet, dixit: videte ne forte furtiuus ſit, reddite eum Dominis ſuis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.

1 *Opus textrinum quod, & quomodo illud Anna exercuerit:*
2 *Vnde Tobiæ tanta poſt cæcitatem paupertas.*
3 *Hœdum accepit Anna ſupra mercedem.*
4 *Non furtiuè, ſed dono.*

VERS. XIX.
LXX.

1 IBAT *ad opus textrinum*, ſeu, vt habent LXX. *ſeruiebat in gynecæis*, ideſt in opere muliebri: vnde legit Hebræus: *Et in tempore iſto Anna vxor mea fecit opus mulieribus.* Arabs; *ibat ad texendum*, nimirum vela, cortinas, aliaq́. huiuſmodi muliebria, quæ quidẽ texebat etiam in propria domo: nam *muliebria facienda*, legit Vatablus, *conduxerat*: *Et mittebam.* Addunt LXX. *dominis ſuis.* miniſtrabat etiam cæteris mulieribus in alijs operibus vilioribus; nam quod L X X. dicunt *ſeruiebat*, Græcè ponitur *ἐν τοῖς γυναικείοις ἐριθεύεσθαι*, quod eſt, vt obſeruat Serarius, non ſimpliciter ſeruire, ſed in rebus etiam vilibus, & abiectis, prout ex Ariſtotele non obſcurè colligitur, miniſtare.

Hebræus.
Arabs.
LXX.
Serarius.
Ariſt. lib. 1. Politic.

Quotidie, Vt nimirum de laboribus manuum ſuarum ſibi, atque familiæ, extrema laboranti inopia, quotidianum victum quæritaret.

2 Sed quomodo Tobias, qui omnem ſuam facultatem, vt ſupra dictum eſt, iterum receperat, ad tantam deuenerit paupertatem, nõ facilè eſt diuinare, Lyranus, & Carthuſianus cauſam afferũt eleẽmoſynarũ eius profuſam elargitionẽ, quam idcirco à conſanguineis, & coniuge illi fuiſſe obiectam aſſerunt. Verum nouo etiã regis iuſſu, ac mulcta, id ei cõtigiſſe nõ eſt improbabile, quòd mortuos ſepelire contra ipſius voluntatem regis non deſtiterit, licèt cęcus effectus, multas adhuc facultates habuiſſe exiſtimari poſſit, cùm illum multorum medicorum operam exquiſiuiſſe, vt ſuæ cæcitati mederetur, ſeptuaginta referant: Sic enim illi: *Et iui ad medicos, & non profuerunt mihi;*

Lyranus.
Carthuſ.
Tobiæ paupertas vnde orta.
LXX.

Tamen ab Achiacharo eidẽ pecuniã fuiſſe miniſtratam, ijdem docent, vbi ſic habent: *Achiacharus autem nutriebat me, quoadusque profectus ſum in Elymaida*: ſeu primam in tertiam transferendo perſonam.

Donec profectus eſt in Elymaidam: ad quam ſanè regionem ſi profectus aliquando ipſe Tobias fuiſſet; non opus habuiſſet filium ad Gabelum mittere, cùm, teſte Plinio, ſit Elymaida Regio Medię, in qua erat Reges ciuitas Gabeli, Et quidem Elymaidam ſiue profugum, ſiue exulem iuiſſe Achiacharum, ſignificant LXX. & Hebræus alter cap. vlt.

Elymaida regio eſt Medię
Plin. lib. 6. cap. 26.

3 *Accipiens*, Nõ pro mercede, vt Carthuſiano, & alijs placet, ſed ſupra mercedem: ſic habet Hebræus: *Datus eſt mihi hœdus ſuper mercedẽ meam.* Et ſeptuaginta: *Et vxor mea Anna ſeruiebat in Gynæcæis, et mittebat dominis, & reddiderunt ei etiã ipſam mercedẽ, addentes etiam hœdum, quem domi detulit.*

VERS. XX.
Hebræus.
LXX.

3 *Videte ne forte furtiuus ſit*: Quià cùm pauperculam vxorem ſuam eſſe, nummiſque indigentem ſciret, vltra mercedem ſui operis, quem domum detulerat hœdum, ab illa furto ſublatũ, meritò ſuſpicatus eſt. Et qui-

VERS. XXI.

Aug. de verb. ſer. 18. ſ cu- di Matt. c. 15. alias ſi dem Auguſtinus ab illa furto ſublatum exiſtimauit, vnde ait: *Quàm cæca erat, quæ furtum defendebat*: illam tamen à furto excuſant ſeptuaginta, & Hebræus verbis ſupra allatis: Lyranus, & Carthuſianus nec de illa ſuſpicatum quidem eſſe Tobiam cenſent, ſed vili pretio coemptum ab illa hædum exiſtimaſſe, qui ab alio furto ſublatus fuiſſet; cuius tamen rei contrarium manifeſtè LXX. docent, qui poſt, quàm Annam reſpondiſſe dixerunt; *Donum mihi datum eſt ſupra mercedem*, ſubdunt, Tobiam illi non credidiſſe; *& non credebam ei, & dicebam reddere illum dominis, et erubeſcebam aduerſus eam*, nimirum zelo iuſtitiæ ſuccēſus, vel dum verbis ſimul contendebant: ſic Hebræus: *litigabam cùm ea*. Et Syrus: *Contendebam apud illam*, quòd excuſaret ſe Anna, illa verò magis vrgeret, vt dominis ſuis reddere tur, ſiue tandem, quòd Vatablus innuit, præ iracundia: vnde legit: *Iubebam, eum reddi Dominis, atque etus cauſa erubeſcebam*.

Lyranus. Carthuſ.

Hebræus. Syrus.

Vatablus.

Quòd prauæ omnes ſuſpiciones, & iudicia temeraria vitanda ſint.

DOCVMENTVM I.

A DISCERE ex hoc verſiculo poſſumus, quàm longè à nobis eſſe omnis praua ſuſpicio debeat: nam ſi illum virum ſanctiſſimum tantis poſitis coniecturis ſua feſellit opinio, quid de noſtris iudicijs, ac ſuſpicionibus opinari debemus, qui nec ſanctitatem, nec prudentiam habemus Tobiæ? mirum, quantum mens omnium procliuis ſit ad huiuſmodi ſuſpiciones, & iudicia, ita vt dicat Chriſoſtomus: *Ab hoc vitio neque ſeculi hominem, neque monachorum vllum facile inuenies liberum*, cùm tamen libido, aut voluptas nulla ſit in illo, ſicut in cæteris ſolet eſſe peccatis; ſed potiùs multus labor, cùm humano nihil ſit corde incomprehenſibilius: nam, vt Sapiens ait: *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud?* videlicet nihil eſt inter res omnes hominis corde fallacius, quippe quod adeo pro fundis tegitur latebris, vt nec à ſeipſo planè inueſtigari poſſit. Vnde, ſicut peragrè in energumeno agnoſcitur, num ſpiritus nequam in eo verba faciat, an ipſemet homo, cùm eodem vterque ore loquatur; ita cū ſancti ſpiritus inſpirationes, & dæmonis prauæ ſuggeſtiones in eodem domicilio cordis ho ſpitentur, multo difficilius eſt aliquando ſcire, num ipſius cogitationes à ſpiritu ſancto ſint, an à ſpiritu nequam. Quod cùm nemo inficiari queat; quomodo impotens ad proprias cogitationes dijudicādas, aliena facta, & cogitationes inueſtigare tentabit?

Hominū omniū ad temerè iudicandū propenſio. Chryſoſt. de comp. cord. li. 1. parum ante med. tom. 5.

Cor hominis inſcrutabile.

Iere. 17. 9 B

Sed ſi vndè tanta ſit in homine procliuitas ad rem adeò arduam inueſtigandam, quæras, non aliunde, quàm ex defectu charitatis, & ex propria malitia oriri comperies; cùm de illo, quem diuina charitate complectimur, impoſſibile omnino ſit malè ſentire: nam, vt B. Paulus ait: *Charitas non cogitat malū*, hoc eſt, vt interpretatur Chryſoſtomus, *non ſuſpicatur quicquam mali aduerſus eum, qui diligitur*, iiſq. vt ait Theodoretus, *qui errarunt, ignoſcit, exiſtimans ea non eſſe facta, malo animi propoſito*. Nam quemadmodum Sol atris nubibus colorem impertitur aureum; ſic charitas proximi operibus, quæ atri coloris aliquid præferre videntur, lucem quandam bonitatis apponit: vndè Hieronymus: *Amicus, ait, praua quoque recta iudicat*, quod in Apoſtolis ſatis apparuit, qui cùm inter ſe, hoc maximo amoris vinculo colligati eſſent, Chriſtum dicentem audientes: *Vnus ex vobis me traditurus eſt*, non vnus de alio iudicare cœpit, ſed ita quiſque ſibi ipſi timuit, vt ſinguli Domino dicerent: *Nunquid ego ſum Domine?*

Prauæ ſuſpicionis origo & cauſa.

1. Cor. 13. 5 Ibiq. Chriſoſt. & Theodoret. C

Charitas malè de proximo ſuſpicari non ſinit. Hier. epiſt. 21. ad Pamach. parum poſt princ.

Io. 13. 21

Verum charitas non ſolùm malum non cogitat, & praua recta iudicat; ſed etiam in quantùm poteſt, vt B. Petrus ait, *operit multitudinē peccatorum*. Sic Amon ille ſanctiſſimus, cùm ad eum, vt Dorotheus refert, *fratres quidam veniſſent, atque ira perciti: Eia pater, dicerent, intuere mulierem, quæ in cella huius fratris eſt; bone Deus, quæ miſerationis viſcera oſtendit? quantam præſetulit anima illa ſanctiſſima charitatem? cum enim non ignoraret, mulierem ſub pythaico abſcondita haberi, latereq. ibi; ingreſſus cellam ſuper pythaicum ſedit, iuſſitq. vt cellam vniuerſam fratres perſcrutarentur, & quærerent; ſed cùm nihil penitus inueniſſent, dixit ad eos: Parcat vobis Deus; fratres illos confuſos dimiſit, præmonuitq. ne facilè quicquam aduerſus proximum crederent, illum verò fratrem correctione ſua modeſtum, ac ſobrium reddidit; nactus enim tempus opportunū, expulſis omnibus, manum illius apprehendit, & ait illi: attende tibi frater, & curam tui ſolius habe: ille verò compunctus, et ſtatim reſipuit, ſenis humanitate ſanatus eſt*. Hæc Dorotheus. Propria etiam cuiuſq. malitia prauarum ſuſpicionum, & iudiciorum eſt cauſa, quia, vt Chryſoſt. ait: *Omnis homo ex ſe exiſtimat alterum: fornicarius neminem putat caſtum; caſtus de fornicario non facile ſuſpicatur: ſuperbus neminē putat humilem; humilis neminem putat eſſe ſuperbus*. Sic enim aliquādo, vt Dorotheus docet, contingere ſolet, vt viri tres de nocte per vicos ciuitatis ambulantes, dum aliquem ſolum alicubi conſiſtentem aſpiciunt, eorum vnus arbitretur, eum ſocium aliquem præſtolari, vt ſimul eant ad fornicandum; alter latronem illum, ſeu furem eſſe ſuſpice-

1. Petr. Doroth. ſer. 6. prope fin. D

Correctio quanta cum charitate facienda exemplo docet Amon Monachus.

Malitia cuiuſque propria prauarū ſuſpicionū eſt cauſa. E

Chriſoſt. in Matth.

Doroth. ſer. 19. vbi multa huc ſpectātia.

tur,

tur, tertius verò è vicina domo amicum ab eo expectari cenſeat, vt ſimul ad orationem pergant: *Ecce hi tres*, ait, *viri, eundem hominem eodem in loco viderunt, & tamen non eandem opinionem de eo habuerunt, neque eandem cogitationem cogitauerunt, ſed* F *aliud quidem primus, aliud ſecundus, aliud verò tertius mente de eodem conceperunt, quiſque nimirum pro animi ſui ſtatu, & mentis diſpoſitione arbitratus eſt*. Quare optimè Proſper ait:

Proſper lib. Epigr. c. 21.

Culpare in quoquam, quæ non ſunt nota, malignum eſt.
Præſertim, quæ ſunt cognita, ſi bona ſunt.
Nõ pateant faciles ſæuis rumoribus aures,
Quæ neſcire iuuat, credere non libeat.
Linquantur ſecreta Deo, qui ſi quid opertum eſt,
Inſpicit, & nullis indiget indicijs.

Nam ſi proprias virtutes, & miracula, voluit Chriſtus, vt diſcipuli Ioãnis nõ ſolùm audirent, ſed etiam viderent ante, quàm ipſi Ioanni referrent: *Ite*, dicens, *renuntiate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis*, quanto magis tardi eſſe debemus in dijudicandis, & referendis vitijs? Si ad bonum teſtificandum viſus, & auditus requiruntur, quanta erunt neceſſaria ad malum ſuſpicandum?

Matt. 11. 4

G

Senſus humani falluntur.

Sanè fallitur in Iride viſus, quæ licèt colorata appareat; nullum tamen habet colorem; fallitur auditus: quare Tobias hœdi balatum audiens, ſuſpicatus eſt furtiuum fuiſſe, quod erat donatum: falluntur tactus, & olfactus: Sic enim Iſaac olfactu, & tactu deceptus credidit, Iacob maiorẽ eſſe filium, & minorem Eſau: fallitur guſtus, vt multoties in infirmis, qui ſalſum inſulſum, & dulce amarum iudicant. Quare cùm ad aliquid rectè iudicandum, nec ſatis ſit rem vel audiſſe, vel vidiſſe, aut etiam cæteris ſenſibus cognouiſſe, cùm omnes decipi facilè poſſint; curandum nobis eſt, ne in re tanti momenti decipiamur: quod vt faciamus, nos metipſos iudicare debemus, ſanctiſſimum illum monachum imitantes, qui, vt Dorotheus refert, cùm fratrem ſuum cecidiſſe, ac neſcio quid ſceleris perpetraſſe fortè percepiſſet, ingemiſcens dixit; *Hei mihi, ille hodie, cras vtique & ego: ille quidem ſi cecidit, reſipiſcet, & de ſuo errore pœnitentiã aget: ego verò fortaſſe nequaquam, nequaquam prorſus, quia ſegnis ſum, & reſipiſcere cunctor*. Viden huius beatæ animæ lumen? quæ non modò ne proximum ſuum iudicaret, effugit, ſed & ſe ipſum quoque deriſit, atque adeò illi ſubiecit. Videant ergo qui ſuperiores non ſunt, ſicut Tobias, vt prorſus abſtineant à qualibet vel leui ſuſpicione, ne grauiorem in aliquem errorem ipſi prolabantur. Etenim *oportet*, ait Caſſianus, *vnumquemque ſe ipſum iudicare tantummodo, non aliorum conuerſationem, vitamq. diſcutere, ſecundum illud Apoſtoli*

Gen. 27. c. 23

Noſmetipſos iudicare, non alios debemus.

H

Dorot. ſerm. 6. circa med.

Caſſian. Inſt. lib. 4. c. 30.

Ro. 14. 10.

præceptum: Tu autem quid iudicas fratrem tuum? ſuo Domino ſtat, aut cadit: & illud: Nolite iudicare, & non iudicabimini, in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.

I

Matt. 7.

Quòd furtum vitium ſit valde abominandum, iniuſtum, Deoq. & hominibus inuiſum.

DOCVMENTVM II.

A

Aug. de verb. Dom. ſer. 15. ſecundũ Mat. c. 15.

CLAMABAT *Tobias propter hœdum*, ait Auguſtinus, *ne de furto eſſet: nolebat ſonũ furti audire in domo ſua*: documentum omnibus idem faciendi præbẽs, cùm nefas ſit iuſtis, quæ iuſtitiæ aduerſantur, malo animo inſpicere, aut contrectare: ſunt enim bonorum diſtributiones, & aſſignationes iam indè ab initio iure gentium conſtitutæ, diuinis humaniſq. legibus obfirmatæ: quare illas ratas eſſe oportet, & vnuſquiſque, niſi humanam ſocietatem tollere omnino velit, ea tantùm tenere debet, quæ ſibi iure obtigetunt: qui enim ſecus faciunt, *dum ſuo malo deſiderio extrinſecus furantur, Dei iudicio intrinſecus grandinantur*, inquit Auguſtinus: ſicq. dum diuites extrinſecus furando euadunt, & campum carnis fœcundum, ac fructuoſum ad carnem nutriendam reddũt, animam tanta percutiunt ſterilitate, vt nihil amplius producat, quod in horreum mentis reponant. Et quidem ſunt *fures*, inquit Chriſoſtomus, *intrinſecus dæmones, extrinſecus feræ, & feris ſæuiores*: nam dæmones eos tantùm ſuperant, qui ſibi in tentatione conſentiunt, nihil inſidiarum technis in eos proficientes, qui iugum detrectant ipſorum: Verùm hi etiam ſibi obnixè repugnantes ſuperare contendunt. Rurſum dæmones cum hominibus, non cum eiuſdem generis dæmonibus certant: hi autem etiam conſaguineos, & familiares pro viribus dãno afficere conantur, neque eos naturalis legis diſſipandæ pudor coërcet.

Bona omnia temporalia iure gẽtium cuique diſtributa.

Aug. tom. 10. poſt ſerm. de diuerſ. fragm. 2. c. 7.

B

Fures feris ſæuiores.

Chriſoſt. hom. 9. in 1. ad Co. 4. circa fin.

Feris etiam peiores, ſiquidem illæ, ſi rapaces ſunt, tales à natura ſunt, & naturæ ductu mouentur; hi autem naturalem ipſam humanitatem, quodammodo exuunt, & in immanitatem conuertere conantur: vngues illis ad hoc dedit Deus, vt ſibi eſcas rape- C rent, verùm cùm ad ſatietatem comederunt, rapiendo abſtinent: hi autem, quibus idcircò manus Deus elargitus eſt, vt egentibus opem ferant, cæteris inſidiantur hominibus, nec vnquàm alienarum rerum direptione ſatiantur: conuertunt illæ multoties rapacem naturam in meliorem: hi verò contra, naturam bonam in prauam conuertunt.

Sic

Hier. in vita Pauli. *Dan.* 13. 41 4. *Reg.* 2 24

Sic coruum Eliæ, Pauloq́ Eremitæ cibus tuliſſe legimus: leones Danielis defenſores extitiſſe, & conflatam in illum iniuriam vendicaſſe: Duos vrſos non modò non rapuiſſe, quæ Eliſæi erant; ſed potiùs ipſum illudẽtes deuoraſſe: hi verò naturæ ordine immutato, quos defendere deberẽt, offendũt: vndè meritò Chryſoſtomus *fures*, dixit, *intrinſecus dæmones, extrinſecus feræ, & feris ſæniores.*

Ferarum mãſuetudo.

D

Aug. li. 2. Confeſſ. c. 4. & c. 6 in princip.

Furtũ quantopere abominati ſint boni viri.

Quare non mirum, ſi furtum adeò S. Aug. abominatus ſit, vt in minima quantitate à ſe puero commiſſum, etiam adultus, fleuerit: *Arbor*, inquiens, *erat pyrus in vicinia vineæ noſtræ, pomis onuſta nec ſapore illecebroſis: ad hanc excutiendam, atq; aſportandam, nequiſſimi adoleſcentuli perreximus nocte intempeſta. Quid ergo miſer in te amaui ò furtum meum, ò facinus illud meum nocturnum ſextidecimi anni ætatis meæ?*

Greg. li. 3. dialog. c. 17

Sanctulum refert Gregorius adeò furtum execratum fuiſſe, vt cùm aliquando Sancti Laurentij Eccleſiam à Lõgobardis incenſam reficeret, nec panem haberet, quem manducandum operarijs apponeret, dum ſolicitus huc, illucq́. diſcurreret, ſi quo modo inueniret, tandemq́. ad furnũ, in quo vicinæ mulieres panem pridie coxerant, perueniſſet, in eoq́. panem iuſtę magnitudinis formam, candoremq́. ſolitum longè excedentem, inueniſſet, non prius illo vti voluerit, quàm ad vicinas mulieres detuliſſet, certiorque fuiſſet effectus, nullius eſſe; ſed diuino illuc miraculo allatum, vt ſuis neceſſitatibus facere ſatis: adeò, extrema licèt cogente neceſſitate, aliena tollerę abhorruit. Sed quid mirum, ſi & ipſi ethnici hujus peccati malitiã, & turpitudinem agnoſcentes, mortẽ potius, quàm illius infamẽ notã perferre voluerũt?

E

Plutarch. in Lacon.

Furtũ ethnicis ipſis abominandum.

Refert Plutarchus quendam puerum vulpeculam, quam furatus fuerat, ita ab ipſius dominis illã quęrẽtibus occuluiſſe veſtibus, vt nec ſæuientem, ac latus ad inteſtina vſque lacerantem, reuelare vnquã voluerit, donec inde recederent: qui poſtea reprehenſus à pueris quibuſdam dicentibus: *melius fuiſſet manifeſtare vulpeculam, quàm vſque ad mortem occulere: minime*, inquit puer, *ſed multo ſatius eſt mori; quàm in furto deprehendi.*

Senilis pueri reſponſio.

F

Lampridius in Petrach. de remed. vtr. fort. dial. ou

Aurelio Alexandro Principi adeò exoſi fuerunt, qui furtorum infamia laborabant, vt quemadmodum Lampridius refert, ſi eos aliquando vidiſſet, toto vultu inardeſcens, pia commotione animi, ita cholεram euomebat, vt eloqui omnino nihil poſſet: nobilis prorſus, generoſiq́. animi indignatio; & verè ingens furti fœditas, quæ viro ingenuo, atque nobili tam vehemẽtem ſubitò nauſeam cõmouere poterat: ſic cùm quidam ex honoratis regibus, tandem fauore quorundam amicorum regum ad militiam ambitioſè aſpiraſſet, ſtatimq́. in furto deprehenſus eſſet (vix enim huic vitio aſſueti, abſtinere vel norunt, vel poſſunt) ab alijs quæſiuit regibus Alexander, qui illum promouerant, quid apud illos paterentur fures; cumq́. illi reſpondiſſent: crucem; illico eum de illorum ſententia crucifigi iuſſit.

Certè licèt nulla alia ratione, aliena nullo pacto rapienda, aut retinenda conſtaret, lex tamen, præceptumque diuinum id nobis ſatis ſuperq́. perſuadere deberent: vndè meritò duplici cõtritione plectitur, qui aliena furatur, cùm diuinæ pariter, & humanæ ſit legis præuaricator. Ac temporali quidem pœna aliquoties fures afficit Deus; verùm æternas crebrò admodũ in multis ſcripturę locis eſt comminatus. Quod ad temporales attinet, Hebræorum populum in Ioſue legimus Dei permiſſu in bello ſuccubuiſſe, ea ſolùm de cauſa, quod furem inter ſuos habebat, qui deinde ipſius Dei iuſſu, cum omni ſua ſubſtantia igne combuſtus, meritas furti pœnas perſoluit. Giezi famulus Eliſæi, cùm per mendacium à Naaman veſtes quaſdam, & argentum accepiſſet, perpetua lepra percuſſus eſt: Latrunculi Syriæ cæci facti ſunt: Heliodorus, qui venerat, vt Ieroſolymorum templi diuitias furaretur; multa caligine circunfuſus, & flagellis, horrendum in modum percuſſus eſt. Quã tẽporali vltione etiam inter gentes vſum fuiſſe Deũ, Aelianus longe quidem, ſed apta narratione, quàm hic inſerere non grauabor, apertè docet. *Mytilenis quidam*, inquiens, *nomine Macareus, ſacrificulus Bacchi, vultu quidem ſingularem præſeferebat manſuetudinem, & æquitatem, cæterum omnium hominum erat impijſſimus: Accidit quodam tempore, vt hoſpes ad eũ veniret, & in eius fidem aliquantum auri deponeret. Macareus in receſſu templi eruta terra aurum defodit: interiecto deinde tempore reuerſus, hoſpes aurum repoſcebat, quem cùm ille tanquam reſtituturus depoſitum in templum introduxiſſet, morte affecit, atque effoſſo auro hoſpitem in eius locum impoſuit, & recondidit, & quemadmodum homines, ſic etiam Deum clam eſſe arbitrabatur: Verùm euentus longè ſecus declarauit: quare paucis diebus exactis, triennalis Dei ſolemnitas aderat. Tum, cùm ille magna celebritate diuinam rem obiret, atque in ceremonijs feſtalibus occupatus eſſet, duo filij eius domi relicti patris immolationem imitabantur, accedentesq. ad aram paternam, iunior collum præbebat, adultior verò, cùm inueniſſet æruginoſum enſem, fratrem ad ſimilitudinem victimæ mactauit. Familia conſpecto facinore vociferata eſt. mater audito clamore exilijt, videnſq́. trucidatum alterum, alterum, enſem recenti ſanguine conſperſum manu tenentem, arrepto ex altari torre, ſuperſtitem filium interfecit. Allatum eſt cædis domeſticæ nuntium ad Macareum, qui relicto ſacrificio, quàm potuit furentiſſimo impetu, & iracundia in ædem inſilijt, atque tyrſo, quem tenebat,*

Regis in furto deprehenſi pœna.

G

Furum quorundam pœna.

Ioſue 7

4. *Reg.* 2

2. *Macb.* 3

H

Ælianus de var. hiſt. lib. 13. c. 2.

Furti à Deo puniti exemplum inſigne

I

L

vxo-

vxorem interemit. Scelus in omnes homines euulgatum eſt, comprehenſusq. Macareus, & in tormentis examinatus confeſſus eſt, quæ in templo quondam perpetrarat, in ipſis verò quæſtionibus vitam amiſit. At illi, qui contra ius, faſq. peremptus fuerat, ſummus honor eſt publicè habitus, ſepulcbrumq. iuſſu Dei conſtitutum. Macareus igitur non immeritò pœnam dependit, iuxta poeticum illud: ſuo ipſius, vxorumque & liberorum capitibus. Hæc Aelianus.

Quibus patet, quàm ſeuerè, etiam inter gentes Deus furtum puniuerit: ſed huic temporali pœnæ æternam (quod grauius eſt) ſæpè ſolere coniungi B. Paulus docet, dum
1.Cor.6.10 M ait: *Neque fures, neque auari, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*, niſi cum Zacchæo, quæ ſunt furati, reſtituant. Sic enim ille: *ſi aliquem*, inquit, *defraudaui, reddo quadruplum: non enim licèt nobis retinere ex furto aliquid, aut contingere.*

VERS. XXII.

Ad hæc vxor eius irata reſpondit: Manifeſtè vana eſt ſpes tua, & eleëmoſynæ tuæ modò apparuerunt.

VERS. XXIII.

Atque his & alijs huiuſmodi verbis exprobrabat ei.

1 *Mulier irata qua.*
2 *Quàm fuerit Anna in virum ſuum infenſa.*
3 *Vxoris malæ mala.*

VERS. XXII. — *Aug. lib. de ſymbol. ad Cathecum c.3.*

VXOR *eius*, minus patiens, minusq. erga maritum modeſta, mulieribus illis ſimilis, quas Euas Auguſtinus vocat marito ſemper infenſas.

Iræ immoderatæ effectus

1 *Irata*, hoc eſt mente exulcerata, hebetata ſenſu, immutata lingua, obumbratis oculis, totoque corpore perturbata: hos enim effectus habere immoderatam iram docet Ambroſius, qui in muliere dum apparent, confuſionem non modicam, vt teſtis eſt Sapiens, ipſi etiam marito afferunt: ſic enim ille: *Mulieris ira, & irreuerentia, & confuſio magna.*

Ambr. precat. 2. ad miſſ. — *Eccleſ.25.29*

Reſpondit, Piæ nimirum, & mitiſſimæ correctioni viri ſui.

2 *Manifeſtè vana, &c.* Quæ parentes, & cognati in ſanctum virum probra couiecerant amarulenta ſubſannatione, iterum & illa contra eundem intorquet, certò certius dicens, omnem ipſius ſpem frandatum iri; improperans & illi præterita miſericordiæ opera, quæ fecerat: irrita illa, ac inania fuiſſe obiectans, nullaq. retributione à Deo remuneranda. Et quæ ob connubiale fœdus viro ſuo conſolationem debuit in miſera illa cæcitate, coniugali pietate adhibere: eumq. verbo, & opere pro viribus ſublenare, in eundem vehementiore impetu ſurrexit: nec vno tantum, aut duobus inſultibus; ſed varijs, & multoties repetitis. nam ſequitur textus,

3 · *HIS, & alijs huiuſmodi, &c.* Nimirum, probroſis *verbis exprobrabat ei*, vt quaſi miniſtra diaboli illum, ſi poſſet, ad impatientiam permoueret. ſtulta admodum mulier, ſapientiq. illi, ac forti valdè diſſimilis, quæ viro ſuo, vt Sapiens ait, *reddit bonum, & non malum, omnibus diebus vita ſua*: & de qua meritò dici poſſit, quod de vxore Iob communiter Patres affirmant, ideo ſcilicet à Deo ſeruatam fuiſſe, vt vita, & oratione ſua nouum eſſet viro ſuo tentationis, & calamitatis genus: nam quod inuincibile diabolus per ſe ipſum exiſtimat, per conſiliatricem Euam optimè ſe facturum putat. Hinc meritò de muliere mala loquens Chriſoſtomus: *O malum*, inquit, *& acutiſſimum diaboli telum!* per mulierem nanque diabolus Adam in paradiſo proſtrauit, & de paradiſo exterminauit: per mulierem mitiſſimum Dauid armauit, vt mortem ſui militis innocentis Vriç Ethæi per Epiſtolam doloſè mandaret: per mulierem ſapientiſſimum Salomonem, etiã in idololatriç barathrũ prçcipitauit; per mulierẽ Sampſonem, ijs, quibus dominabatur, inuictus captiuum fecit, eorumq. ludibrio ſubiecit, quibus antea terrori fuerat: per mulierem Ioannem totius mundi lucernam ardentem, & lucentem capite damnatum extinxit. Quare meritò dicit Chriſoſtomus: *Malum omni malo, peius mulier mala.* Et Sapiens: *Commorari*, inquit, *leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* Quæ, vt Origenes ait, *caput eſt peccati, arma diaboli, expulſio paradiſi, mater delicti, corruptio legis antiquæ.* Vnde Nazianzenus: *Mala res eſt dracones: malefica res & aſpides; Duplex mulieris malitia inter feras.* Neque omittenda verba Diogenis Cynici, qui duas mulieres improbas conſpicatus colloquentes ait: *Sumit venenum à vipera aſpis mutuò.* Acuta eſt etiam Epiphanij meditatio, vbi tradit, Euæ nomen Hebraicè addita aſpiratione ſerpentem ſignificare, vt conſtet ſerpentis, ac mulieris prauæ mores valdè affines eſſe: nam *Eua*, ideſt *mulier* addita aſpiratione ה migrat in *Heuam*, ideſt, ſerpentem: quia ſtatim ac diaboli aſpiratio, & afflatus illam impellit, ſerpentem induit, & tota ſoluitur (ſi licet dicere) in dolos: vt aſtu ſuo plurimos ſternat.

VERS. XXIII.

Prou. 31.12

Mulier mala diaboli efficax ad malũ inſtrumentũ

Chryſoſ. hom. 35. & var. in Matth. tom. 2

Gen. 3.12.

2. Reg. 11.

3. Reg. 11.

Iudic. 16.

Marci 6

Chryſ. vbi ſup.

Orig. in Matt. hom. 7.

Greg. Naz. in Diſtycis.

Dion. Cynic. apud Max. loc. com. ſer. 29

Epiph. li. 3. de hæreſibus.

Mulier mala viperæ aſſimilatur.

Quòd

Quòd patientiæ clypeo contumeliarum, & aduerſitatum omnium tela facilè retundantur.

DOCVMENTVM.

Cypr. lib. de mortal.

A

HINC facilè apparet miranda Tobiæ patientia, qui, vt Cyprianus ait: *ſtabilis, & firmus, & ad omnem tolerantiam paſſionis fide religionis armatus, tentationi vxoris inualidæ non ceſſit, ſed magis Deum patientia maiore promeruit*. Ex quo diſcamus oportet contumelias, aliaq́. probra patientia & ſilentio ſuperanda eſſe: cùm illis, vt docet Chryſoſtomus, vinci ſit vincere, & vincere vinci: etenim ait, *qui in ira magna contumelia alium afficit, is ſuperaſſe videtur, cum re vera ipſe maximè à turpi hac perturbatione victus, non parum ſibi ipſi nocuerit: qui autem magno animo tulit iniuriam, hic profectò, & quidem cum laude ſuperauit:* nam ſicut in naturalibus tunc vnum contrarium ab alio ſuperatur, quando illius in ſe qualitates recipit: tunc verò ſuperat, quando ſuas qualitates illi communicat, vt apparet in calido, & frigido; humdio, & ſicco; ita qui contumelijs afficitur, tunc ſuperatur, quando qualitates contumelioſi ſumens, & ipſe contumelioſus effectus, contumelijs contumelias ſuperare tentat: tunc verò ſuperat, quando contumelioſum ſua patientia immutans, patientiæ qualitatis illi communicat, & omnino patientem efficit: Et hoc eſt, quod Beatus Paulus admonet, dum ait: *noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*. Quare ſicut cetus, teſte Plinio, vt à quodam inimici piſciculi fœtidiſſimo odore ſe defendat, ambri ſuauiſſimum in illum euomit odorem, ita vir fidelis, dum varijs ab impijs calumnijs impetitur; ſuauiſſimum patientiæ, & manſuetudinis odorem exhalare deberet, quo non modo ſe ipſum defenderet, verùm & ipſos hoſtes ſuos mirabili hac arte captiuaret. Hæc enim eſt illa armatura iuſtorum, quam ex turri Dauidica pendere aduerſus omne genus aduerſitatũ Spiritus ſanctus in Canticis docet, dum animam ſanctam alloquens, ait: *Sicut turris Dauid collũ tuũ, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Vbi colli nomine totius corporis habitum, formam excelſam, & erectam, ſignificare docent expoſitores; Sic animam ſanctam turri Dauidicę comparat, quæ inſtructiſſima, & munitiſſima erat, non armis, quales ſunt ſagittæ, gladij, aut lanceæ ad feriendum, & confodiendum accommodatæ; ſed clypeis, quibus ſagittæ, ictuſq́. hoſtium excipiuntur: hoc eſt patientiæ, quæ omnis eſt armatura fortium Iſraël, de quibus paulò ante dixerat: fortium, nimirũ, Dei, vt ſanctus exponit Hier. ſupremæ fortitudine præſtantium. Qui ſane clypei ſunt mille, hoc eſt, innumeri (*ponitur enim*, inquit Theodoretus, *millenarius numerus pro quaſi infinito*) ad omne ſcilicet genus aduerſitatum tolerandum; ſic iudicans plurima quidem arma viro iuſto eſſe neceſſaria: non tamen qualiacunque, ſed omnia, vt ſunt clypei, nimirum, defenſiua, & apta ſolum ad ſuſtinendos, non ad repellendos inſultus. Vndè ſicut Demoſthenes, vt refert Sanctus Auguſtinus, aliquando interrogatus, quidnam primò neceſſarium eſſet oratori, quid ſecundò, quid tertiò, ſemper reſpondit: pronuntiatio; ita ſi quæras, quænam viro Chriſtiano arma primò ſint neceſſaria, quæ ſecundò, quæ tertiò, &c. ad certandum cum mundo, dæmone, & carne; ſemper, clypeus patientiæ, reſpondere debet, qui ſolus omnis eſt armatura fortium: quod etiam Chriſtus docuit, dum ait: *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Hoc fuit clypeo munita ſtudioſiſſima illa fœmina Samuelis mater, quæ cùm in templo vehementer oraret, preceſq́. ad Deum funderet ardentiſſimas; *Vſquequo*, ait illi Heli, *ebria eris? digere pauliſper vinum*. quæ contumelioſa verba, tanta, tamq́. nobili fœmina planè indigna, mira illa patientia, & eximia in reſpondendo lenitate deluſit: *Nequaquam*, inquiens, *Domine mi: nam mulier infelix ego ſum, vinumq́. & omne, quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini*. Omnium etiam mitiſſimus Dauid cùm à filio ſuo Abſalone grauiter vexatus in fugam ſe ſe cõiecisſet, & à Semei contumelioſè huiuſmodi eſſet maledictis laceſſitus: *Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial*; clypeum patientiæ opponens, nulla penitus eſt perturbatione affectus; ſed mira animi conſtantia, cuidam ex ſuis, qui illum punire volebat, hæc habuit: *Dimitte eum, vt maledicat, ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac*. Ita Sancti omnes cum Tobia noſtro, aduerſariorum contumelias patientiæ clypeo excipiebant: ita B. Paulus, qui ait: *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia*; oſtendens, quàm æquo animo cõtradictiones eorum, qui ſe à ſancto propoſito deterrere volebant, ſuſtineret, & patienti mãſuetudine ſuperaret. Nam ſicut Gedeon fractione laguncularũ Madianitas deleuit: ita iſti honoris mundani fractura de peccatorum maledictis triumpharunt: figurabant enim Madianitæ, qui in libro Iudicũ locuſtis comparãtur, improbos: quia ſicut illæ herbas, ac ſegetes; ſic ipſi virtutes iuſtorum linguis detrahentibus deuaſtare contẽdunt. Merito igitur Sapiens, *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur*

ani-

Marginal notes (left): Chryſoſt. hom. 13. in Matth. — Contumeliæ, ac probra patientia vincuntur. — B — Rom. 12. vlt. — C — Cant. 4. 4 — Armatura fortium patientia eſt. — Delrius in Cant.

Marginal notes (right): Cant. 3. 7 — Hier. lib. 90. in Gen. c. 32 — Theodoretus in Canticis. — D — Aug. epiſ. 56. ad Dioſcorum. — Patientia homini neceſſaria eſt. — Luc. 21. 19 — Patientiæ exempla. — 1. Reg. 1 — E — 2. Reg. 16 — F — 2. Cor. 12 12 — Iudic. 7 — Prou. 16 32

Digitized by Google

animo ſuo, expugnatore vrbium. Græcè κρατῶν ὀργῆς, hoc eſt, *qui dominatur iræ*,
G quod maior ſit victoria intimos iræ motus, & nos ipſos, quã vrbes, quæ extra nos ſunt, ſuperare: nam quemadmodum Claudianus ait:

Claudianus. *Tunc omnia verè tenebis,*
Cùm poteris rex eſſe tui.

quod fortiſſimi licèt reges de hoſtibus triũpharint, impatientiæ tamen, & iræ frenũ imponere nõ valuerint. Sic ciuitates, licèt plurimas, ac totã penè Aſiam, & Africam Alexander ille Magnus deuiciſſet; chariſſimos tamen amicos Parmenionem, Philotam, Clytum, & Caliſthenem iræ impatiens trucidauit. *Quare puſilli hominis, & miſeri eſt*, vt ait Seneca, *repetere mordentem, vt mures, & formicæ faciunt, ad quas ſi manum admoueris, ora conuertunt*. Ita, vt idem ait, *magnus, & nobilis eſt, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus obaudit*. Talis igitur verè magnus fuit noſter Tobias, qui latratus omnium cõſangnineorum, & præcipuè coniugis, clypeo patientiæ munitus contempſit. H

Seneca lib. 2. de ira. c. 14

Idem ibid. c. 32

SYNOPSIS CAPITIS III.

Tobiæ mori petentis oratio ad Deum, & Saræ filiæ Raguelis cum triduano ieiunio, ad ancillæ improperium propter ſeptem ipſius maritos, à dæmonio interemptos: vtriuſque autem preces exaudiuntur, Angelo Raphaële ad eos curandos miſſo.

CAPVT TERTIVM.

1 TVNC Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis,
2 Dicens: Iuſtus es Domine, & omnia iudicia tua iuſta ſunt, & omnes viæ tuæ miſericordia, & veritas, & iudicium.
3 Et nunc Domine memor eſto mei, & ne vindictam ſumas de peccatis meis, neque reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum.
4 Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideò traditi ſumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, in quibus diſperſiſti nos.
5 Et nunc Domine magna iudicia tua, quia non egimus ſecundum præcepta tua, & non ambulauimus ſinceriter coram te.
6 Et nunc Domine ſecundum voluntatem fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum; expedit enim mihi mori magis, quàm viuere.
7 Eadem itaque die contigit, vt Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum & ipſa audiret improperium ab vna ex ancillis patris ſui,
8 Quoniam tradita fuerat ſeptem viris, & dæmonium nomine Aſmodæus occiderat eos, mox vt ingreſſi fuiſſent ad eam.
9 Ergo cùm pro culpa ſua increparet puellam, reſpondit ei, dicens: Amplius ex te non videamus filium, aut filiam ſuper terram, interfectrix virorum tuorum.
10 Nunquid & occidere me vis, ſicut iam occidiſti ſeptem viros? ad hanc vocem perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ, & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit.
11 Sed in oratione perſiſtens, cùm lacrymis deprecabatur Deum, vt ab iſto improperio liberaret eam.
12 Factum eſt autem die tertia, dum compleret orationem, benedicens Dominum, dixit.
13 Benedictum eſt nomen tuum Deus patrum noſtrorum, qui, cùm iratus fueris, miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.
14 Ad te Domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo:
15 Peto Domine, vt de vinculo improperij huius abſoluas me, aut certè deſuper terram eripias me.
16 Tu ſcis Domine, quia nunquã concupiui virum, & mundam ſeruaui ani-

mam

mam meam ab omni concupiſcentia.
17 Nunquam cum ludentibus miſcui
me, neq; cum his, qui in leuitate ambu-
lant participem me præbui.
18 Virum autem cum timore tuo, non
cum libidine mea conſenſi ſuſcipere.
19 Et, aut ego indigna fui illis, aut illi
forſitan me non fuerunt digni, quia for-
ſitan viro alij conſeruaſti me.
20 Non eſt enim in hominis poteſtate
conſilium tuum.
21 Hoc autem pro certo habet omnis,
qui te colit, quòd vita eius, ſi in probatio-
ne fuerit, coronabitur, ſi autem in tri-
bulatione fuerit, liberabitur, & ſi in cor
reptione fuerit, ad miſericordiam tuam
venire licebit.
22 Non enim delectatis in perditioni-
bus noſtris, quia poſt tempeſtatem tran
quillum facis, & poſt lacrymationem, &
fletum, exultationem infundis.
23 Sit nomen tuum Deus Iſrael bene-
dictum in ſecula.
24 * In illo tempore exauditæ ſunt pre-
ces amborum in conſpectu gloriæ ſum-
mi Dei.
25 Et miſſus eſt Angelus Domini ſan-
ctus Raphael, vt curaret eos ambos, quo-
rum vno tempore ſunt orationes in con-
ſpectu Domini recitatæ.

VERS. I.

Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis.

VERS. I. TVNC, quando, nimirum, vndeqnaque anguſtijs oppreſſus, nullum iam ſibi refugium ad euitanda malignantis coniugis, & conſanguineorum machinamenta ſupererat, haud exiſtimans ſanctiſſimus Patriarcha reciproca opponenda eſſe conuicia, aut contumelias, vt mundus facere ſolet, ſed ad Deum totus conuerſus, qui pater eſt miſericordiarum, & Deus totius conſolationis,

Ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis Arabs: *Contriſtatus eſt Tobias, & indoluit, &c.* LXX. *Triſtatus plorani, & deprecatus ſum cum dolore.* Hebræus: *Cum ſuſcepto dolore magno, ac etiam quadam corporis ægritudine,* Deum conſolatorem in tanta animi triſtitia, languoreq. requirens; nam, vt ait Chriſoſt. *ſi apud homines, ſuos quempiam caſus dixiſſe, ſuaſque calamitates narraſſe, affert nonnihil conſolationis, quaſi difflatio quædam malorum per ipſam narrationem ageretur; longè magis cùm Domino illi communi ægritudines animi tui communicaueris, conſolationem, atque remedium capies: neque enim ſicut homo grauatur plerunque tædio alienæ querelæ, ſed inuitat, ducit, hortatur, & acceptat, & ſi totum diem in communicandis cum eo tuis calamitatibus conſumpſeris; ita te magis, magiſque diliget, & tuis precibus liberaliùs annuet.* Sic, *triſtatur aliquis veſtrum*, ait B. Iacobus, *oret*.

Arabs. LXX. *Hebræus.*

Chryſoſt. hom. 1. de incomprch. Dei natura circa fin. tom. 5.

Iac. 5.13

Quòd tribulatos, ad orationem confugientes, Deus exaudiat, & potentes contra hoſtes reddat.

DOCVMENTVM I.

SICVT ros matutinus herbas calore ſolis penè aduſtas, & plãtas vireſcere facit, ita oratio, vt notat Chryſoſtomus, animas lãguentes refrigerat, & nimia triſtitia grauatas lætitia cæleſti perfundit. Quare S. Bernardus illam cellæ vinariæ docet eſſe comparãdam, in qua ſponſus ſuam ſponſam introducit, & muſto cæleſtis conſolationis, atque dulcedinis oblectat. *An non,* inquit, *tibi cella vinaria videtur fuiſſe illa domus, in qua erant diſcipuli pariter congregati, cum factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totã domum, vbi erant ſedentes, adimpleuitq. prophetiam Ioëlis: Nonne vnuſquiſque illorum exiens inebriatus ab vbertate domus illius, & torrente voluptatis tantæ potatus, dicere meritò quibat: quoniam introduxit me rex in cellam vinariam?* Id enim eſt, quod per Iſaiã pollicetur: *Adducam eos in montem ſanctũ meum, lætificabo eos in domo orationis meæ:* cùm enim mons altiſſimus quidã terræ ſit tumor, qui illum conſcendit, facilè ſe ab hoſtium incurſibus tuetur. Ad montem igitur nominis Domini, qui etiam, teſte Sapiente, turris eſt fortiſſima, currens inſtus exaltatur. Sic ille: *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur.* Ideò ſanctus ille Ioſaphat Dominum alloquens, ait: *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Sicut enim ille, qui profundum amnem pertranſit, ne aquæ fluentis intuitu perturbetur, remediũ

A *Chryſoſt. hom. 26. in acta Apoſt. tom. 3. in fin.* *Bernardus in ſerm. 49. in cant.*

B *Iſa. 56. 7*

Prou. 18. 10

2. Paralip. 20.12

In tribulatione oculi ad Deum ſubleuandi.

C

Gen. 6. 16
Oleaſter ibi.

Matth. 26 41
Orationis efficacia.

Luc. 11. 4

optimum putat, oculos in terrã defigere, ſic dum pertranſit homo aquas tribulationum, ab illis ne obruatur, hoc ſolum habet reſiduum, vt oculos ſuos ad Deum, qui terra viuentiũ eſt, humili oratione dirigat: quod ipſe Deus nos docuit, quando præcepit Noë, vt in ſummitate arcæ vnam feneſtram faceret *è chryſtallis*, vt Oleaſter notat, ex qua nimirum cælum, vndè in illo aquarum diluuio auxilium expectare debebat, conſpicere poſſet. Sic & diſcipulis ſuis in tentatione poſitis præcepit Chriſtus. vt orarent; *Vigilate*, inquiens, *& orate, vt non intretis in tentationem*: eſt enim oratio amicus ille euãgelicus, qui media nocte ad amicum acceſſit, dumq́. perſeueranter panem ab illo petijt, obtinuit. Eſt quædam venti exhalatio, qua quis mœrens, & triſtis denſas nubes mœſtitiæ ſoluit, ac diuinæ lætitiæ ſolem introducit: atque adeò, *inuoca me, ait* Dominus, *in die tribulationis eruam te, & honorificabis me*. nec mirũ: nam ſi Eliſęus, vt docet Chryſoſt. non permiſit, vt diſcipulus venientem ad ſe mulierem excluderet, dicens, ci: *Dimitte illam, anima enim eius in amaritudine eſt*: ſi Loth iure ſe hoſpitij conſtrictum exiſtimauit ad tres illos adoleſcentes, qui ad ſe diuerterant, incolumes ſeruandos: *quia*, inquiens, *ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei*; quis dubitare poterit, quin Deus, qui omnibus mederi poteſt, & nouit, eos incolumes cuſtodiat, qui ad ſe amaro animo acceſſerint, & ſub vmbra culminis eius ingreſſi fuerint non tanquam prophetæ vel hoſpitis, ſed tanquam patris amantiſſimi? Sic omnes in anguſtijs poſiti, Deum deprecati, exauditi ſunt. Anna, vt in libris regum habetur, cùm eſſet amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter, & impetrauit Samuelem: Dauid rex, & propheta: *Ad Dominum*, inquit, *cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me*: Ezechias rex ab Aſſyrijs ſe circundatum videns, epiſtolam regis Sennacherib coram Domino expandit in templo, & liberatus eſt: Rex Ioſaphat ab equitatu Syriorum circundatus, & in ſummo diſcrimine poſitus, clamauit ad Dominum, & exauditus eſt: Sancta illa, & caſtiſſima Suſanna in extremo vitæ, infamiæq́. periculo ad orationem confugit, & dum expandebat coram Domino tribulationem ſuam, ſuſcitauit Dominus Spiritum Danielis, qui liberauit eam: Ionas in ventre piſcis: *Clamaui*, inquit, *de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudiſti vocem meã*: Sed nõ modò exauditi ſunt, ſed etiam tam fortes in aduerſis euaſerunt, vt hoſtes ſuos facili negotio euerterint, ac profligauerint: quare optimè de his Spiritus Sãctus in Canticis ait: *Quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum?* quid nimirum videbis in anima, in oratione quieſcẽte (quieſcens enim, ſeu dormiens Sunamitis interpretatur) niſi laudum fortiſſima caſtra? *Chori canentium ſunt caſtra pugnantium*, inquit S. Thomas: cantant enim tales per orationem, ſimulq́. per eandem alacriter contra aduerſa omnia decertant. Quare volens Deus Moyſem principem populi ſui conſtituere, eumq́. fortem ad bellum contra hoſtes reddere, in deſerta Aethyopiæ adduxit, vt (ſicut Baſilius docet) in deſertis vitam agens, & orationi per quadraginta ipſos annos perpetuò vacans, vires tanto onere ſuſtinendo pares acquireret: atq; adeò, quomodo caſtra fortia reddi poſſent, inibi perbellè edoctus, cùm deinde populus Iſraël contra Amalech decertaret, montem conſcendit, vt pugnante Ioſue, in campeſtribus, ipſe deſuper oratione vehementiùs cum hoſte congrederetur, ac vinceret: eoq́. pacto, quod armis milites pugnando efficere non poterant, ipſe in caſtrorum choris orando perfecit. Huius chori fortitudinẽ agnoſcens Balac Mohabitarum rex, vt Origenes notat, cùm primum populum Iſraëliticum contra ſe venire conſpexit, non exercitum, milites, aut arma quæſiuit, ſed Balaam inuenit, magnis illum pollicitationibus corrumpere ſperans, vt precibus contra Dei populum decertaret: quippe quem non armis, ſed orationibus in Aegypto pugnaſſe didicerat: vnde ſenioribus dixit: *ita delebit hic populus omnes, qui in noſtris finibus commorantur, quomodo ſolet bos herbas vſque ad radices carpere*: ſeu, vt alia habet interpretatio: *Nunc oblinget Synagoga hæc omnes, qui in circuitu noſtro ſunt, ſicut oblingit vitulus herbam campi.*

Pſ. 49. 15
4. Reg. 4 27
Chryſoſt. in pſal. 119

D

Gen. 19. 8
Tribulati ad Deum confugientes exaudiuntur.

Exempla.
1. Reg. 1 18

Pſ. 119. 1

E

4. Reg. 12

2. Paralip. 20. 3

Dan. 13

Ion. 2. 3

F

Cant. 7. 1
Oratio fortes nos efficit.

S. Tho. ibi.

Baſil. in exameron hom. 1.

G

Origenes hom. 13. in Num.

Num. 22. 4

Quo exemplo ſignificare voluit (vt ſe didiciſſe à quodam Hebræo, cum fide interpretato, teſtatur Origenes) quòd quemadmodum bos lingua, veluti falce ad herbam ſcindendam, quam comedit, vtitur: ſic Hebræus populus labijs pugnaret, & arma haberet in verbis, & precibus; atque ideò miſit aduerſus eum Balaam, vt & ipſe verbis verba, & precibus contrarias preces opponeret.

Orig. vbi ſup.

H

Num. 23

Hinc Auguſtinus, ſiue auctor quicunq; ille ſit ſermonum ad fratres in eremo: *O*, inquit, *quàm grandis eſt ipſius orationis cauſa!, ò quàm grande myſterium! Ecce Moyſes orabat in monte, & Ioſue Amalech deuincebat; per orationem Ezechiel ſanatur, & ſalutem animæ, & corporis adipiſcitur: oratione Saulus efficitur Paulus, & doctor Gentium: Ieremias confortatur in carcere: Daniel inter leones exultat: Iob in ſterquilinio nudus triumphat: Suſanna inter ſenes defenditur: Paradiſum de cruce latro inuenit: Stephanus de torrente in cælum ſuſcipitur, & inter lapidantes pro Saulo exauditur.* His itaque armis certandum eſt, dum aliqua aduerſitate tentamur. Hæc arma militiæ noſtræ eſſe debent, in omnibus ſumentes, cum Tobia,

Aug ſer. 22 ad fratres in Eremo.

I

Eph. 6. 16

ſcu-

[illegible] vt poſſimus omnia tela nequiſ[illegible] ignea extinguere.

Quod moderata triſtitia nullo pacto virum iuſtum dedeceat, & quòd nimia deuitanda ſit, vtpote ſolius medicina peccati.

DOCVMENTVM II.

LICET, vt in literæ explanatione monuimus, ex Arabe, Græco, & Hebræo maximam Sancti Tobię in tantis aduerſis fuiſſe triſtitiam appareat: haud tamen illam talem eſſe exiſtimandum eſt, qualis eorum eſſe ſolet, qui aduerſa impatienter ſuſtinent, de quibus ſupra; ſed qualẽ natura, moderatrice ratione, poſtulat: ſicut enim naturale eſt homini, & recta ratio exigit, vt gaudeat; ita naturale eſt eidem de rei amatæ priuatione triſtari, deq́.eo, quod naturam, ſenſualitatem, & animum moleſtat, vt ſunt infirmitates, fames, ſitis, frigus, vituperationes, cõtumeliæ, pęnæ, & his ſimilia, triſtitiam ſumere. Quare cùm nullus tanta ſimul felicitate perfruatur: quin, vt S. Antonius ex Boëtio docet, cum infortunijs aliqua ex parte vnà rixetur, ita nullus eſt, qui aliquando nõ mœreat, & contriſtetur: Veruntamen ea triſtitia, quæ limites rectæ rationis excedit, haud vnquam eſſe triſtandum Sapiens docuit, cùm ait: *Non contriſtabit iuſtum, quiquid acciderit ei*: ſiue diu nitus malum inflictũ ſit, ſiue ab hominibus intentatum: ita vt ſi aliquò modo propter carnis infirmitatem turbetur, non tamen conturbatur, ſicuti Ethnicus quidam mundi ſapiens de ſe iactabat, quòd horrendum quendam, & ſubterraneum ſpecũ pertranſiens, moueretur quidem, ſed non commoueretur. Sic, vt Hieronymus ait, *per bonam, & malam famam, à dextris, & à ſiniſtris Chriſti miles progreditur, nec laude extollitur, nec vituperijs frangitur, nec ex diuitijs timet, nec ex paupe[illegible] confunditur, & læta contemnit, & triſtia.* Atque id quidem, quòd omnia ſibi in bonum receſſura certò ſciat: nam, vt B. Paulus ait: *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Omnia*, nimirum, inquit Anſelmus, *quæcunque ipſis accidunt, n[on] ſolum illa, quæ vitantur, vt moleſta. Maledicimus, & benedicimus*, ait B. Paulus: *blaſphemamur, & obſecramus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus*: Etenim carnis ærũ[mnæ], atque calamitates, quas patimur, cùm exiguis nos bonis ſpoliet, exigua mala ſũt, neq; malos nos reddere valent: licèt enim ægritudo ægrum faciat hominẽ, dedecus ingiorium, egeſtas pauperẽ, mors ipſa d[e]mortuũ, tamen neq; [illegible] neq; de[illegible] neq;

A

ſupra.
Triſtitia homini naturalis.

S. Anton. p.p. ſumm. tit. 6. c.6 §.1

B

Prou. 12 21

Iuſtus licèt turbetur, nõ tamen conturbatur.

Hieron.

Rom.8. 28

C

Anſelmus ibi.

1.Cor.4.13

Calamitates malum ex bono facere hominem ne[qu]eunt.

[illegible] malum r[e]ddere hominem queũt; quod cum ſolum peccatum faciat, illud tantum modò malum iure optimo eſt appellandum. Sic ipſe Dauid [illegible] malũ appellat, dum ait: *non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: malum, hoc eſt peccatum*, inquit Bernardus: & idem Pſaltes alibi: *Declina*, inquit, *à malo, & fac bonum. A malo, hoc eſt à peccato*, inquit Hieronymus. Quare cùm doloris, & triſtitiæ obiectum ſit malum, & ſolùm peccatum abſolutè malum ſit, [quod] malum reddat hominem abſolutè, de ſolo eſt peccato dolendum. *Hæc enim ſecundum Deum eſt triſtitia*, inquit Apoſtolus, *quæ ex ſancto amore procedens, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Propter hoc enim triſtitia facta eſt*, inquit Chryſoſtomus, *vt ipſa ad delenda peccata vtamur; remedia enim medicinalia propter illos tantùm morbos facta ſunt, quos tollere poſſumus, non propter illos, quos nihil adiuuare poſſunt; puta, medicamentum oculos tantùm lippientes iuuare valens, propter oculorum tantùm ægritudinem factum eſſe, dicere quis poſſet, non propter ſtomachum, neque propter manus, neque propter vllum aliud membrum. P[er]curramus igitur ingruentium nobis gr[auami]num quodque, & triſtitiam ſuperadducamus: multatus eſt quiſpiam pecunijs, triſtatus eſt, mul[ct]am non emendauit: filium amiſit, doluit; mortuum non reſuſcitauit, nec defuncto profecit: flagellatus eſt quis, alapis cæſus, contumelijs affectus, doluit, non reuocauit contumeliam: ægrotus factus eſt, dolet, magis auget infirmitatem, neque enim dolor eſt medicina infirmitatis: vides horum nulli prodeſſe triſtitiam? Sed peccauit quis, triſtatus eſt, peccatum deleuit, diſſoluit delictum: nam aptans m[or]bo appli[cu]it medicinam.* Hinc & Auguſtinus: *Tempus mœſtitiæ*, inquit, *peccata noſtra nobis repererunt; triſtitia enim ſic eſt, quomodo ſtercus: ſtercus non loco ſuo poſitum, i[m]mundam facit domum, in loco ſuo poſitum, fertilem facit agrum. Triſtitia, ait Apoſtolus, ſecundum Deum pœnitentiam in ſalutem impœnitendam operatur, quid eſt impœnitendam? [c]uius [t]e omnino pœnitere non p[o]ſſit. Habuimus enim vitam, cuius [no]s debuimus pœnitere, habui[m]us vitam pœnitendam: ſed non poſſumus peruenire ad vitam impœnitendam, niſi per malæ v[itæ pœni]tentiam, eſt enim & hæc pœniten[illegible]da.* Et iterum Chryſoſtomus [illegible], ait, *admirabile in triſtiti[illegible] quòd nullum pœnitet ſic do[le]us[s]e [illegible] mundanæ triſtitiæ proprium eſt. [illegible] forte ſi[b]i maiorem dolorem in[illegible] de ill[is] dolent, ſuo [illegible] dol[uer]it, [illegible] multum [d]oluerint, ſe [illegible] ſumm[u]m ſignum h[illegible] oſtenden[illegible], quo[d] o-*

Peccatum ſolum eſt ſolu malum.

Pſ.90.10

Bernard. ibi.

D

Pſ.36. 27

Hier. ibi.

2.Cor.7 10

Chryſoſt. hom. 5. ad pop. Ant. circa med. to. 5.

Peccati triſtitia, & dolore delentur. Aug. ſer. 51 de tempore.

F

2.Cor.7

Dolor peccati medicina eſt.

[illegible] hom. 12 in 2. [Cor.] to. 4.

lor ſibi nocuerit. neque enim medicinam
G ſuo loco ponunt. Quare nec licere cum
Pſ.37.49 Ibiq. Aug. Dauid queunt: *Rugiebam à gemitu cordis*
mei: ſed magis à gemitu carnis, & mundi
rugitu omnino ſterili, & infœcundo: Quo
pacto cùm rugiret Eſau, à gemitu, ſcilicet
carnis, eo quod imprudenter primogenitu-
Heb.12 ram vendidiſſet, ait B. Paulus: *Non inuenit*
pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis
inquiſiſſet eam. O magnum Dei donum,
Gen.3. quod in pœnam homini datum eſt: *In dolore*
paries filios, in ſalutem eſt deinde conuer-
ſum; peccatum dolorem peperit, dolor pecca-
tum conterit, & quemadmodum vermis in
ligno natus, ipſum comminuit: Hanc do-
loris vtilitatem percepit Dauid, qui tam
Pſ.37.4 amarè de ſuo peccato doluit, vt dixerit: *Non*
eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non
eſt pax oſſibus meis, à facie peccatorum meo-
rum. Sic cùm aliquando filium, quem ex
H Berſabea idem ipſe ſuſceperat, in ſui peccati
pœnam grauiter ægrotantem conſpiceret,
dolere ſubito cœpit, & pœnitere, ſi fortè
Deum placare poſſet, & infantis vita viueret, quem
2.Reg.12 20.21.22 diuina voluntate vt nouit ſublatum, *ſurre-*
xit de terra, inquit ſacra ſcriptura, *& lotus*
vnctuſque eſt, cumq; mutaſſet veſtem, ingreſ-
ſus eſt domum Domini, & adorauit, & ve-
nit ad domum ſuam, petiuitq; vt ponerent ei
panem, & comedit. Dixerunt autem ei ſer-
ui ſui: quis eſt ſermo, quem fecisti? Propter
infantem, cùm adhuc viueret, ieiunaſti, &
flebas, mortuo autem puero ſurrexiſti, &
comediſti panem. Qui ait: Propter infantem,
dum adhuc viueret, ieiunaui, & fleui: dice-
bam enim: quis ſcit, ſi forte donet eum mihi
Dominus, & viuat infans? Nunc autem
quia mortuus eſt, quare ieiunem? nunquid
eum potero reuocare ampliùs? Ego vadam
magis ad eum, ille verò nō reuertetur ad me.
I Verùm cùm poſtea Ammonem ab Abſalone
2.Reg.18 33 interemptum audiſſet, & Abſalonem à Ioab
lanceis transfuerberatū, grauiter dolens, *aſcē-*
dit cœnaculum portæ, & fleuit, et ſic loqueba-
tur vadens: fili mi, Abſalon, Abſalon fili mi,
quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te? Ab-
ſalon fili mi, Abſalon? & qui prius mortuum
infantem flere recuſauit, quod diceret, *quia*
dolens ego vadam magis ad eum, & ille non
reuertetur ad me, Ammonis tamen, & Abſa-
lonis mortem tam grauiter ſuſtinuit, vt il-
lam inconſolabiliter fleuerit: cùm tamen nec
ipſi ob id reſurrecturi eſſent. Sic *Inceſtuo-*
Ambroſ. orat. de obit. Valent. *ſum Ammon*, inquit Ambroſius, *fleuit Da-*
uid occiſum, & parricidam Abſalon doluit
interemptum, crimina doluit, non exitum
filiorum. Ecce quam benè ſciebat Dauid
de ſola culpa, quæ nos malos reddit, dolen-
L dum. Sic Chriſtus Dominus viduæ Naim fi-
Luc.7.13 lio defuncti ait: *Mulier, noli flere*, & mulie-
Luc.23.28 ribus mortem ſuam lamentantibus, dum ad
crucem pergeret, dixit: *filiæ Ieruſalem noli-*
te flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, et
ſuper filios veſtros, docens potius ſuam ipſa-
rum & filiorum ſuorum culpam, propter
quam tanta ipſe innocens patiebatur, ipſis
deflendam eſſe, quàm ſuam mortem inno-
centiſſimam. *Veh igitur vobis*, inquit Iere- Thren. 5
mias, *non quia hæreditas noſtra verſa eſt ad*
alienos; non quia pupilli facti ſumus abſque
patre, & matres noſtræ quaſi viduæ, aquam
noſtram pecunia bibimus, ceruicibus noſtris
minabamur, &c. ſed quia peccauimus, quia
ſcilicet mali per peccatum effecti ſumus.
Matris ſuæ relatione mirum in hoc re fa- Exemplum Cantipratan. lib. 2. apum c. 53. n. 10
ctum ſe didiciſſe narrat Cātipratanus: *Auia*
mea, inquit, filium primogenitum habuit in- M
dole, inſigni, & decore præcipuum, quo mor-
tuo inconſolabiliter doluit, aumq; ſic filium
lamantaretur, apparuerūt ei iuuenes in via
quadam, vt viſum eſt ei, cum ingenti gau-
dio gradientes, cum inter illos non eſſe vide-
ret, & fleret, ecce poſt alios filium lento gra-
du ſubſequentem agnouit: cui mater cum
graui clamore dixit: Et quid eſt fili, quod ſo-
lus, & non cum alijs graderis retardatus?
Cui ille in toga laterali magnum aquæ pon-
dus oſtendens, Ecce, inquit, mater, lacrymæ,
quas pro me inaniter effudiſti, quarum pon-
dere ab aliorum proſecutione retardor. Ad
Deum ergo lacrymas commutabis, & in præ-
ſentia ſacrificia corporis Chriſti cum elee-
moſynis pauperum pro me cor pium, & deuo-
tum effundas, & tunc liberabor ab incommo-
do, quo nune grauor. Nota tamen lector
diſpoſitione diuina, vel ad conſolationem,
vel ad correctionem matris mortuum iuue-
nem inanibus lacrymis ſe à comitatu ſoda- N
lium retardatum dixiſſe, quia licèt defuncto- Defunctis viuentium demerita non obſunt, licèt merita valde proſint.
rum animæ nullis prorſus viuentium deme-
ritis impediri valeant: ipſorum tamen pijs
poſſunt iuuari ſuffragijs, vnde illas à pœna-
rum liberatione quodammodo retardat, qui
debita, cùm poſſit, ſuffragia non miniſtrat:
Inanes igitur lacrymæ erunt, quas damnū,
vel incommodum temporale extorquent: fe-
lices illæ, quæ vel pro delendis peccatis, vel
pro pœnarum ſatisfactione funduntur.

Quod lacrymæ corporis, & animæ triſti-tiæ medeantur.

DOCVMENTVM III.

GRAVI hoſtium inſultatione A
aliquando oppreſſus Dauid,
nullum ſe maius habuiſſe ſo-
latium, quàm lacrymarum pa-
nes comedere, affirmat, vnde
ait: *fuerunt mihi lacrymæ meæ* Pſ.41.4
panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quoti-
die, vbi eſt Deus tuus? Quod & Patriarchæ
noſtro accidiſſe apparet, dum ob grauem
conſanguineorum inſultationem, & coniu-

Panis lacrymarum ſuauiſſimus.
Panis, & lacrymarũ cõparatio.
PetrusCellen. in lib. de pan. c.12.vt in to. 9.biblio. Sanctor.Pat.
S.Tho. 1.2.q. 38.art.2
Lacrymæ dolorem naturalem mitigant.
Pacatus in Panegyrico Theodoſij.
B
Sen.lib.10. Controu.1.

gis valdè triſtatus, ad lacrymas tanquam ad panem comedendum in oratione confugit. Nam, *ſicut panis*, ait Petrus Cellenſis, *reficit eſurientem, ſic lacryma animum dolentem: deficit eſuriens ſine pane, lacerata languet anima ſine lacrymarum effuſione*. Sanè lacrymas, & gemitus naturaliter mitigare triſtitiam docet S. Thomas, tum quia animi intentio, quæ eſt circa malum per fletum, & gemitum ad exteriora quodammodo diffunditur, & diſgregatur; tum etiam quia fletus eſt operatio morienti homini conueniens, & omnis operatio, quæ fit ſecundum diſpoſitionem eius, in quo inuenitur, eſt delectabilis; Vnde Pacatus: *Eſt aliquid*, ait, *calamitatum delinimentum dediſſe lacrymas malis, & pectus laxaſſe ſuſpirijs*. Quinimmo, vt ait Seneca, *Plerunque omnis dolor per lacrymas effluit*. Quare cùm Hebræi in Babylonica eſſent captiuitate conſtituti, ad ſuam ipſorum leuandam triſtitiam, iuxta Babylonis flueuta, vt ait Dauid, habenas lacrymis

Pſ. 136

laxabant, dicentes: *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion*. Etenim, vt de alijs cecinit Statius:

Statius in Priſcillam.

Tunc flere, & ſcindere veſtes.
Et ſamulas laxare greges, & vincere planctus.
Fataq. & iniuſtos rabidis pulſare querelis,
Cælicolis ſolamen erat.

Suetonius in Tiber.

Vnde teſte Suetonio, Tiberio Cæſari ſæuitiæ datũ fuit, quòd triſtitia preſſos lacrymas pro libito fundere non libenter ferret. Et quidem,

C

ſicut cælum, cùm nubilum eſt & tenebroſum, terræq. exhalationibus oppletum, fulgurat, & quaſi in ſe ipſo comprimitur: quòd ſi ſemel pluere cœperit, conquieſcit, & ad ſerenitatem reducitur, ita qui cordis infirmitatem, ac dolorem patiuntur, illum plorando mitigant. Idcirco hanc potiſſimum in ſuis afflictionibus

Iob 10. 20

pluuiam à Deo poſcebat Iob, dicens: *Dimitte me, vt plangam paululum dolorẽ meum antè, quàm vadam & non reuertar ad terram tenebroſã, & opertam mortis caligine*. Vt nimirum cor meum in lacrymas reſoluatur, antequàm ex hac luce migrem, & ſic paululum à meis grauiſſimis doloribus refrigerer:

Hebraus.

Hebræus: *Dimitte me, vt refrigerer*, iuxta illud pſalmi: *Remitte mihi, vt refrigerer priùs, quàm abeam.* Ponitur enim ibi verbum

Pſ. 38

Balag, quod refrigerium ſignificat, non qualecunq. ſed quale is habet, qui media æſtate ſitibundus de frigidiſſimo fonte bibit, & quale dolenti homini, atque æſtuanti, præ do-

D

lore lacrymarum riui refrigerium afferunt, cũ vim ardoris extinguunt: nã ſuis ipſe lacrymis quaſi potatus, refrigeratur, & recreatur. Præteritorum itaq; malorum recordatio tunc vel maximè cùm mentis quies, & cogitandi ſpatium conceſſum eſt, lacrymas excitat, quas cõtra vehemens animi dolor mentiſque in ſubito caſu perturbatio, ac ſtupor prohibere ſolet. *Moderata afflictio*, inquit Gregorius,

Greg.li.9.moral.c.31

lacrymas exprimit, immoderata ſubducit. nam *è cordis viſceribus lacryma, tanquam ſanguinis, profluunt*, inquit Gregorius Niſſenus:

Greg.Niſſ. or. de Placilla.

ſanguis autem non ſtatim ex inflicto vulnere fluere ſolet, quod ictus, & percuſſionis vis ad alias corporis partes illum expellat; ſed paulò poſt accurrit, apertoq. orificio vbertim efſluit. Quare Samenictes Amaſij filius, vt Herodotus refert, cùm amiſſo regno in hoſtium poteſtatem veniſſet, & filium ſuũ ad ſupplicium duci videret, Aegyptijq. cæteri lugerent, ipſe lacrymas minimè fudit, qui tamen cùm veterem ſodalem vidiſſet ſenem, atq; omni patrimonio exutum, ſtipem ſuppliciter quærere, ac mendicorum more ad ſingulos accedere, grauiter ingemuit, frontemq. præ dolore percuſſit. Cuius rei cauſam cum rex victor ab illo exquireret, affirmauit ille domeſticum dolorem maiorem vim habuiſſe, quàm vt lacrymas exprimere poſſet: *nam*, inquit, *filij aſpectu præpeditus, plorare non potui, & in lacrymas prorumpere, quia ſi flere mihi conceſſum eſſet, iam ex hoc pœna leuior mihi fuiſſet*.

E
De Amaſio Patre hoc refert Ariſt. l.2 Rhet.c.9. ſed falſo, vt oſtẽdit ibi P. Victorius.
Herod.in Thalia.

Sed non ſolùm corporis leuamen lacrymæ afferunt, ſed etiam animæ, dũ illam, vt ſupra diximus, peccatis emundant: nam ſicut aquis

Supra docum. anteriore.
F

diluuij arca eleuata eſt à terra in ſublime, vt habetur in Geneſi: *Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra*; ita animus defixus in limo profundi peccatorum, ad cælum gratiæ ſubleuatur, dum creſcunt lacrymarum aquæ. Etenim: *Beati qui lugent*, inquit Chriſtus, *quoniam ipſi conſolabuntur* Quare optimè Gregorius Nazianzenus illas vocat: *Peccati diluuium, & mũdi piamentũ*: Quod ſicut in vniuerſali diluuio omnes abſorpti ſunt homines; ita in diluuio lacrymarum omnia abſorbeantur peccata. *O felix diluuium*, inquit ille: *ò felices lacrymas, quæ animum dolentem leuant, & peccato, immò tartaro infixum, ſubleuant in ſublime*. Mercatores, qui maria ſulcantes, opes quærunt, ſiue, vt illos vocat Ambroſius, agricolæ, qui maria ſeminant, nullum ſtabilem cenſum habẽt: nam *mercatorum ſemen*, inquit ille, *aqua eſt, meſſis eorum in fluctibus, fructus ipſis in aqua, nunquam tutus, aut ſolidus*. Quare: *Qui ſeminãt in lacrymis*, inquit Dauid, *in exultatione metent: euntes ibant, & flebant, mittens ſemina ſua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Quis igitur*, dicam cum propheta, *dabit capiti meo, aquam: & oculis meis fontem lacrymarum? Percute Domine Ieſu*, inquit Gerſon: *virga tua ſilicem hanc, vt fluant aquæ largiſſimæ, quemadmodum factum eſt olim, percutiente Moyſe petram in deſerto*.

Gen.7.17
Lacrymis eleuatur animus ad cęleſtia.
Matt.5
Greg.Nazianzen.orat.3
Lacrymæ diluuium peccati.
Ambroſ. lib.6 de vigil. & ieiun.c.19
G
Pſ.125.5.6
Gerſon.tom.2 ſer. de pœnit. in CœnaDom. Conſid.4.

Sanè multi non habentes hanc aquam ſeipſos verbere, ac virga materiali percutiunt, vt ſi fieri poſſit, vel cum ſanguine, & plagis riui perfluant lacrymarum. Verùm cùm inquinatam adhuc prauis peccatorum affecti

Lacrymæ aliquibus cur negentur.

H bus habeant animam, illas profundere ne-
queunt. Quare meliore induſtria alij: quod
in figura contigit Iacob, dum puteos humo,
& limo impletos mundabat, aut alios fo-
diebat, vt abiecta terra, manaret è libero a-
quæductu vena puriſſima, animam à terre-
nis affectibus, quibus meatus animæ obtu-
rantur, ne lacrymæ fluant; mundant, & cum
Dauid laborant in gemitu ſuo, quos maxi-
mè imitandos Gerſon docet, ſubdens: *Præ-*
cingere fidelis ſpiritus, præpara prælium
cordis tui: quæ ſurſum patula ſit per cæ
leſte deſiderium, & non euerſa humi per cu-
piditatem terreſtrium: eijciatur ab ea omnis
terrena repletio, præſertim aceruus luti, at-
que cogitationum, & affectionum terrena-
rum, alioquin aquam mundatiuam quomo-
do ſuſcipiet? quomodo continebit? Hæc aqua,
ſi neſcis, aqua eſt tuarum piarum lacryma-
rum; hauritur ipſa à puteo contritionis pro-
fundè cauato per acutum ligonem medita-
tionis; ſitula fidei illam continet; chorda
I *ſpei ſurſum trahit; fornax ardentis chari-*
tatis eam calefacit; miſcet cineres recorda-
tio peccatorum. Tale lauacrum ſibi quoti-
die præparans inclitus Rex Dauid: Lauabo,
inquit, per ſingulas noctes lectum meum,
& lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Nō
ſis, oro, piger ad lauandam animam tuam.
Non vis habere immundam domum, immun
dum vas, immundum ſeruum, immundam
caligam; immundam habere animam, quare
non refugis? ſit tibi charior anima tua, quàm
caliga: felix anima, cui datum eſt habere
talem aquam calidam. Hæc Gerſon. Quòd
ſi ſolus hanc haurire aquam non vales, in
oratione à Domino auxilium poſce, ſicut il-
li faciunt, qui è puteo cùm ſoli aquam hau-
rire nequeant, alios adiutores quærunt. Sic,
vt in libro Ioſue legitur, cùm Axa Caleb fi-
lia terram tantummodo Auſtralem haberet
arentem, maximeq. irriguam optaret, ſu-
L ſpirans, ſedebat: cui Caleb: *Quid habes?*
inquit: at illa reſpondit: *Da mihi benedictio-*
nem: terram Auſtralem, & arentem dediſti
mihi, iunge & irriguam. Dedit itaque ei
Caleb irriguam ſuperiùs, & inferiùs. Sic
ſuſpirãti, & poſtulanti animæ irriguam ter-
ram, Deus impertit: quæ autem otioſa eſt, ac
ſegnis, arentem tantum habet: *Axa,* ait Gre-
gorius, *ſuſpirans à patre terram irriguam*
petit, quia à Creatore noſtro cum magno de-
ſiderio quærenda eſt lacrymarũ gratia. Hanc
enixè expoſcebat Aug. vnde dicebat: *Da mi-*
hi Domine irriguum ſuperius, & irriguum
inferius, vt ſint mihi lacrymæ meæ panes die
ac nocte: præſta mihi hanc gratiam propter
te, & propter nomen tuum, vt quoties de te
cogito, de te loquor, de te ſcribo, de te lego, de
te confero, quoties tui reminiſcor, tibi aſſiſto,
laudes, preces, & ſacrificia offero, toties obor-
tis lacrymis in conſpectu tuo copioſè, & dul-
M *citer fleam: ita vt efficiantur lacrymæ meæ*
panes die, ac nocte. Rogo te, bone Ieſu, per
oẽs miſerationes tuas, quib. nobis perditis mi
rabiliter ſubuenire dignatus es, da mihi gra-
tiã lacrymarũ, quam multũ deſiderat, et ap-
petit anima mea, quia ſine dono nõ poſſum ha
bere eã. Sic Aug. Petamus inſtanter eum il-
lo fœcundiſſimam hanc terram; dabit enim
nobis miſericors Dominus irriguum ſupe-
rius, vt recordatione, & deſiderio cæleſtis
patriæ diffluant lacrymæ: dabit & inferius,
vt pertimeſcentes æternas pœnas, defleamus
peccata, incipientium nimirum, & perfe-
ctorum lacrymæ; vnde ab hoc inferiori ir-
riguo incipientes, ad ſuperius deinde per-
ueniamus. Plura de hac materia vide infra.

Gerſon. tom. 2. ſer. in cæna Domini parũ ante primam cõſiderationem.

Lacrymæ qua ratione è cordis puteo hauriantur.

Pſ. 6. 7

Ioſue 15 19

Greg. l. 3. dial. c. 34

Aug. lib. de medit. c. 36

Irriguum ſuperius, & inferius,

Inf. hoc eod. c. verſ. 11

VERS. II.

Iuſtus es Domine, & omnia iudicia tua recta ſunt, & omnes viæ tuæ miſericordia, veritas, & iudicium.

1 *Oratio à laudibus incipienda.*
2 *Viæ Dei quæ, &*
3 *Cur miſericordia.*
4 *Cur Veritas.*
5 *Cur Iudicium.*

IVSTVS *es Domine*, &c. VERS. II.
Optimum orandi genus, ma
ximèq. efficax, quod à lau-
dibus incipit: *Laudans in-* *Pſ. 17. 4*
uocabo Dominum, inquit *Pſ. 49. 14*
Dauid, *& ab inimicis meis*
ſaluus ero: quod etiam nobis faciendum
docet alibi, dicens: *Immola Deo ſacrifi-*
cium laudis, & redde altiſſimo vota tua.
Antequam ſcilicet vota tua Domino red-
das, antequam, quæ deſideras, expoſcas; lau-
da ſummam ipſius maieſtatem, iuſtitiam, &
miſericordiam; hoc enim pacto, *inuoca me,*
inquit Dominus, *in die afflictionis tuæ, eruã*
te, & honorificabis me. Sic, ait Hilarius, *Hilar. in pſ. 118*
quando morbi vexabunt, paſſiones, & cru-
ciatus corporis deſæuient, damna fatiga-
bunt, luctus, & orbitates affligent, ſemper
vtamur hac voce, qua propheta vſus eſt: Iu-
ſtus es Domine, & rectum iudicium tuum;
olorem imitantes, quem refert Albertus, *Alber. apud Hiphum lib. de hiſt. an. c. 12*
non ſolùm in motu, vt Ariſtoteli placuit,
ſed in omnibus ſuis angoribus quamſuauiſ-
ſimè canere. Sic laudat ſanctiſſimus Tobias Oloris in cruciatib. & angorib. cantus ſuauiſſimus.
poſt tantas tribulationes diuinam iuſtitiam,
quòd ſciret illas varias, nobiſq. occultas
habere rationes, ob quas, ſi velit, poſſit
etiam innocentiſſimum quemq. affligere.
Nullius enim tanta eſt innocentia, vt nihil
prorſus in eo poſſit inueniri puniendum, ſi,
remota miſericordia, velit Deus ad viuum
ſingula reſecare, iuxta illud Pſalmographi:
Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domi- *Pſ. 129. 3*
ne quis ſuſtinebit?

Iu-

Iudicia tua, Ideſt ordinariæ, & conſuetæ cauſarum cognitiones, tuarumq́. legum præſcriptiones, æquæ omnes ſunt.

2 *Et omnes viæ tuæ*, Siue per quas incidere nos facis, ſiue per quas ipſe ambulas, ſunt miſericordia, veritas, & iudicium. Et quidem illæ, per quas nos facit incedere, ſunt

Miſericordia; quia & noſtrorum, & aliorum miſereri nos docent: *Veritas*, quia rectæ rationi, ac naturæ conueniunt: *Iudicium*, quia vnicuiq; quod ſuum eſt, tribuere docent. De his Salomon: *Fortitudo ſimplicis via Domini, & pauor his, qui operatur malũ*: nam dum vir ſimplex, hoc eſt integer, & rectus, per has vias graditur, creſcit in virum perfectum, ſpiritumq́. robuſtum aſſequitur: contra verò iјs, qui operantur malum, ſunt pauor, & formido, quia illis ſupplicium interminatur.

Prou. 10 29

Viæ verò, quæ ab ipſo Domino calcantur, & de quibus præcipuè Tobias loquitur, ſunt

Miſericordia, Siue miſericordiæ, vt habent LXX. vel vt alij ἐλεημοσύνη, *veritas, & iudicium; quia*, vt loquitur Dauid, *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas*.

Pſ. 24. 10

3 Miſericordia nanque ſunt, quia, vt idem ait, *Coronat nos in miſericordia, & miſerationibus*, hoc eſt in maxima miſericordia. *Vocat*, inquit Amos, *aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ*: Hieron. *Aquas maris amariſſimas æthereo calore ſuſpenſas, exoluit, & eliquat in dulcem pluuiarum ſaporem, ad inſtar medicinalis cucurbitæ, quæ calore ſuperioris gyri humorem, & ſanguinem ſurſum trahit*: neque enim ſua immenſa miſericordia ex amaro miſeriæ noſtræ mari ſecernit Deus, quod terrenum, & amarum eſt; ſed quod ſubtilius, & purius, ideſt non tam peccata noſtra, ſuæq́. legis tranſgreſſiones, ac inobedientis animi ſuperbiam conſiderat, quàm humanæ vitæ fragilitatem, primi parentis labe vitiatæ, pronæ ad malum, & tardæ ad bonum, ita vt non, quod vult, bonum illud agat, ſed, quod non vult, malum operetur. Hac tanta miſeria ab oculos poſita, miſericors, & bonus Dominus commouetur, & ex peccatis noſtris aquas gratiæ quodammodo elicit; quas etiam ſuper nos abundantiſſimè effundit. Quare idē apud Oſeam, commemoratis Synagogę ſceleribus, quibus potius ad iram commoueri debuit, ait: *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*. atque ita, ſicut teſtis eſt Habacuc, etiam *dum iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur*: nã tanta eſt eius miſericordia, vt quæ ad iram, & vindictam alios prouocarent; ipſum ad miſericordiam, & opem, tantis hominum malis ferendam, maximè excitent, ſicut enim pater, aut medicus, ſeu potius medicus idem & pater, quò magis maledictis, ac probris à phrænetico filio laceſſitur, eò magis dolet, eiusq́. miſeretur, quòd morbi magnitudinem magis agnoſcat. ſic ait, vt teſte Dauid. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*.

Pſ. 102. 4

Amos 5. 8. & cap. 9. 6 Hier. ibid.

Miſericordia Dei quã magna ſit.

Rom. 7. 15 Non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio.

Oſeæ 2. 14

Habac. 3. 2

Pſ. 11. 6

4 *Veritas*. Nã licet viæ Dei mirabile ſæpe nobis humano oculo intuentibus, appareant, ſemper tamen vſquequaque veræ ſunt. Primo, quia diuinæ iuſtitiæ tam ei, quæ ſcelerum vindex eſt, quàm ei, quæ bonorum operum eſt remuneratrix, ſunt maximè conſentaneæ. Deinde quia mirificè cum antecedentibus Dei promiſſionibus, & comminationibus conueniunt. Demùm quia ſemper cum regula, & idea diuinæ ſapientiæ congruentes ſunt. Nam ſicut operum artificialium veritas, ex eorundem cum idea, quæ eſt in mente artificis, conformitate attenditur; ita veritas rerum omnium à Deo creatarum, potiſſimùm ex conformitate, quam habent ad ideam ſeu ideas, quæ ſunt in mente ipſius, deſumitur, atque dignoſcitur.

Vię Dei ſemper veræ.

5 *Et Iudiciũ*. Quia ratione, & iudicio ſunt plenæ, æquitate, ac iuſtitia præditæ, & iniquo iudicio neminem opprimentes; nam *facit iudicium*, inquit Auguſtinus, *qui recta iudicat, facit iuſtitiam, qui recta facit*: Verùm cum iudicium ſit iuſtitiæ actus, benè omnes viæ Domini iudicium dicuntur, cùm omnia, ſecundùm perfectiſſimum ſuæ iuſtitiæ habitum iudicet. Sic poſtquam appellauit Tobias Dominum iuſtum, dicens: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*, declarans etiam omnes diuinos actus in omnibus diuinæ iuſtitiæ reſpondere, ſubdit; *& omnes viæ tuæ miſericordia, veritas, & iudicium*.

Aug. in pſal. 105. verſ. Beati qui cuſtodiunt iudicium.

Quòd miſericordia, & Iudicium Dei disiunctim conſiderari nunquam debeant.

DOCVMENTVM.

QVIS igitur Dominum adeò miſericordē audiens, vt amet, & *velit omnes homines ſaluos fieri*, in eo non ſperet? quis illum non formidet, qui ait: *ſcrutabor Ieruſalem in lucernis?* Qui ſuo perſpicaci intuitu nihil inſcrutatum relinquit? Cuius oculus ſcrutatur renes, & corda, ipſaq́. cogitatio hominis confitebitur ei? *Puto*, inquit Bernardus, *Prophetam Ieruſalem nomine deſignaſſe illos, qui hoc ſeculo vitam ducunt religioſam, mores ſupernæ illius Ieruſalem conuerſatione honeſta, & ordinata pro viribus imitantes, & non veluti iј, qui de Babylone ſunt,*

A Iudicium Dei tremendum.

Soph. 1. 12 Pſ. 7.

Bernard. in Cant. ſer. 55. circa med.

vitam

vitam in perturbatione vitiorũ, ſcelerumq. confuſione vaſtantes. Et paulò poſt: vereor, inquit idem, aſpectum exploratoris, ne ſub tam ſubtili examine multa noſtræ iuſtitiæ, vt putantur, peccata appareant. Quod valdè ſe ti-
Idem ibid. poſt pauca.
Pſ. 48. 6 muiſſe Dauid, ipſemet explicauit, dũ ait: Cur
B timebo in die mala? At ſi dicat: tremenda quidem mihi eſt dies mala iudicij, at non, quia palatia deſeram, vxorem, mulieres, milites, caſtra, ſed quia iniquitas calcanei mei circũdabit me: iniquitas ſcilicet etiam modica, & quaſi in pede contẽpta. Quis igitur tutus in Babylone, ſi tam ſeuero ſcrutinio eſt examinanda Ieruſalem! Sed quis etiam in illo non ſperet, cuius, ſicut Pſaltes ait, Miſerationes ſunt ſuper omnia opera eius, & qui, Dat eſcam eſurientibus, ſoluit compeditos, illuminat cæcos, erigit eliſos, cuſtodit aduenas, pupillũ, & viduã ſuſcipit, & tandem, vt canit Eccleſia, abundantia pietatis ſuæ, merita ſupplicũ excedit, & vota? Qui, vt nos ad ſpem firmiſſimã alliceret, Moyſem alloquens, ait. Ego ſum, qui ſum: ſic dices filijs Iſrael, qui eſt, miſit me ad vos. quaſi diceret. Non ego is ſum, qui quẽadmodum frater veſter Ioſeph, vobis aliquando deeſſe poſſim, ſed ſum, qui ſum, ideſt, qui, ſicut in æternũ idem permaneo, ita vobis indeficienti auxilio adeſſe valeo. O felicem animam, quæ pariter ex Dei miſericordia ſpem, & ex eiuſdẽ iuſtitia timorem elicere nouit? nam ſi dormiatis inter medios cleros, inquit Dauid, penna colũbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri, Hoc eſt, ſi aſſidui ad culturã veſtrarum poſſeſſionum maneatis: nam Græcis κλῆρος, ſortẽ ſignificat, vel hæreditatem, ſiue poſſeſſionem, ita vt de vna in aliam ſoliciti trãſeuntes, in illarum medio ſtare videamini; futurũ eſt, vt tanta argenti, & auri copia abũdetis, quanta qui victores de bello redeunt, inimicorum ſpolijs onuſti, perfruentur? Itaq; cùm poſſeſſiones, quæ contingent animæ veſtræ, aut miſericordiæ futuræ ſint, aut iudicij; beatitudo ſcilicet æterna, aut æternum ſupplicium, ſi inter has medias per ſpem, & timorem in hac vita dormiamus, futurum eſt, vt in alia æternis diuitijs abundemus.

De diuina nunquam miſericordia deſperandũ.
Pſ. 144. 9
Pſ. 145. 7. 8. 9
Exo. 3. 14
C
Pſ. 67. 4. 14
D

Sanè ſi, vt Bernardus ait, rectè Apoſtolo viſum eſt, Caput Chriſti referre ad Deitatem, puto & nobis non incongruè videri pedes ad hominem pertinere, quorum alterum miſericordiam, alterum iudicium nominauimus: ſic vniuerſa via Domini miſericordia, & veritas, & infra: Felix mens, cui ſemel Dominus Ieſus infixerit pedem; haud enim alterum ſine altero oſculari nos expedit; quia & recordatio ſolius iudicij in barathrum deſperationis præcipitat, & miſericordiæ fallax aſſentatio peſſimam generat ſecuritatem. Fallitur, inquit Petrus Damianus, qui ſic oſculatur miſericordiæ pedem, vt pedem iudicij nõ attendat: Et Bernardus de ſe ipſo: Datum eſt mihi miſero, inquit, nonnunquam ſedere ſecus pedes Domini Ieſu, & modò hunc, modò

Bern. ſer. 6. in cant. cir. med.
Dei pedes qui.
Petr. Dam. ſer. de Magd.
E
Bernard. vbi ſupra.

illum tota deuotione complecti, in quantum me ſua benignitas dignabatur admittere. At ſiquando miſerationis oblitus, ſtimulante conſcientia, iudicio paulò diutius inhærerem, mox metu incredibili, ac miſerabili confuſione deiectus, & tenebroſo circumfuſus horrore, hoc ſolum palpitans, de profundo clamabam: Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Quòd ſi eo relicto, pedem miſericordiæ plus tenere cõtingeret; tanta è contrario incuria, ac negligentia diſſoluebar, vt confeſtim, & oratio tepidior, & actio pigrior, & riſus promptior, & ſermo incautior, & omnis denique vtriuſque hominis ſtatus inconſtantior appareret. Proinde F magiſtra inſtructus experientia, non iudiciũ iam ſolum, aut ſolam miſericordiam, ſed miſericordiam pariter, & iudicium cantabo tibi Domine: in æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas: cantabiles mihi erũt ambæ pariter in loco peregrinationis meæ, quouſq; miſericordia ſuperexaltata iudicio, miſeria conticeſcat, ac ſola cantet tibi de cætero gloria mea, & non compungar. Hinc fit, vt communiter in ſacris litteris, duo hæc miſericordia, & iuſtitia, & veritas ad inuicem copulentur. ſic alibi dicitur: Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt. quia ſunt hæ veluti duo pedes, quibus incedere debemus: nã ſi de miſericordia Dei nimiùm confidamus, timoremq. diuinæ iuſtitiæ poſtponamus; ſtatim deſides, & pigri in via Domini efficimur: G ſi verò oculos in Dei ſolius iuſtitia defigamus, iudicio, atque ſupplicijs; facilè in deſperationis barathrum deuoluimur.

Pſ. 100
Pſ. 84. 11

Quare Dominus in Deuteronomio: Ne accipias loco pignoris, inquit, inferiorem, & ſuperiorem molam. quem locum tractans Gregorius: Superior, inquit, & inferior mola eſt ſpes, & timor: ſpes quippe ad alta ſubuehit, timor autem cor inferius premit; ſed mola inferior, & ſuperior, ita ſibi neceſſariò iunguntur, vt vna ſine altera inutiliter habeatur. In peccatoris itaque pectore inceſſanter debet ſpes, & formido coniungi, quia incaſſum miſericordiam ſperat, ſi non etiam iuſtitiam timeat: incaſſum iuſtitiam metuit, ſi non etiam de miſericordia confidit. Et Beatus Iſidorus: Tollit, inquit, molam ſuperiorem, qui peccatum flenti dicit: non habebis veniam de commiſſis: tollit inferiorem; qui peccatum palpando, dicit: age malum, quantum vis, Deus pius eſt, & ad veniam paratus: vtiliter vtraque mola habetur; ſi ſpes ſit cum emendante formidine, & formido cum ſpe. Dicamus igitur, & nos: Iuſtus es Domine, & omnia iudicia tua recta ſunt, & omnes viæ tuæ miſericordia, veritas, & iudicium, & cum Dauid: Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.

Deut. c. 24
Greg. 33. moral. c. 11
B. Iſid.
H
Pſ. 100. 1

VERS. III.

Et nunc Domine memor eſto mei, & ne vindictam ſumas de peccatis meis, neque reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum.

1 *Memorari in Deo quid.*
2 *Quid vindictam ſumere.*
3 *Quid obliuiſci.*
4 *Et quid tandem punire peccata parentum in filios.*

VERS. III.

POST humilem, & demiſſam ſuorum peccatorum confeſſionem, diuinum in ſuis tribulationibus auxiliũ his verbis expoſcit ſanctus Tobias, & peccatorum, tam quæ ipſe, quam quæ maiores ſui admiſerant, obliuionem, miſericordiam, & veniam.

LXX. LXX. *Memento mei, ne de me vindictam ſumas propter peccata mea, & ignorantias meas, et patrum meorum, quæ peccauerunt in conſpectu tuo.*

1 *Nunc Domine memor eſto mei*, Hoc eſt: vide afflictionem meam, & adiuua me iuxta exigentiam miſeriæ meæ. nam licèt Deus rerum omnium, & omni tempore memor ſit: tunc tamen memor eſſe alicuius rei dicitur, quandò recordationis ſuæ aliquod ſignum edit, aut alijs rem facit eſſe notam. Quare quod in pſalmis dicitur:
Pſ.73.2 *memor eſto congregationis tuæ*, idem eſt, ac miſerere, aut auxiliare. &. *Ne memineris*
Pſ.78. 8 *iniquitatum noſtrarum*; ideſt, ne punias, Et:
Pſ. 136.7 *memor eſto Domine filiorum Edom*, ideſt puni: hic verò *memento mei*, ideſt, adiuua me: loquitur enim ſcriptura ſæpè more humano, & homines oblitum aliquem eſſe putant alterius, ſi ſuæ memoriæ teſtimonium non perhibet: quod, vt oſtendat Tobias ſubdit,

2 *Et ne vindictam ſumas de peccatis meis.*
Vindicta quid Eſt autem vindicta iniuriæ, contumeliæue illatæ punitio, ſeu redditio mali pro malo. mali, vt aiunt, pœnalis pro malo culpabili.
Carthuſ. hic. *Ecce quanta humilitas iſtius*, inquit Carthuſianus, *qui cuncta, quæ tolerauit, non reputauit condigna, aut ſufficientia flagella culparum ſuarum, immò grauiora ſe fatebatur promeruiſſe, à quibus petebat miſericorditer erui. Ne oro te Domine* dicens, *ſecundum quantitatem mearũ iniquitatum punias me.*

3 *Ne reminiſcaris delicta mea.* Tunc dicitur Deus peccatorum obliuiſci, quando ea non punit, ſicut contra, tunc eorum reminiſci, quando ea debitis ſupplicijs etiã in hoc mundo caſtigat. Quo pacto intelligi
Pſ.108.14 debent verba illa Dauid: *In memoria redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini*, hoc eſt, puniet Deus iniquitates patrum ipſorum. Sic igitur orat Tobias Dominum, ne per effectum iuſtæ vltionis ſuorum ſe peccatorum memorem oſtendat, ſed illa clementer remittat, & quaſi non fuerint, obliuiſcatur.

4 *Vel parentum meorum.* Orat etiam, vt obliuiſcatur, non modò peccati ſui, ſed etiã parentum ſuorum, quòd optimè ſciret, parentum peccata multoties Deum in filijs D.Tho. q.86. art.8.p.2
pœna temporali punire: nam licèt homo ſecundùm ſe conſideratus, prout ſcilicet à quocunque alio homine differt, & ſecundum quòd per proprium arbitrium operatur, nũquam pro peccatis aliorum pœnam luat, ſed ſolum pro peccato proprio, vt apud Ezechielem habetur, vbi dicitur: *anima, quæ peccauerit, ipſa morietur, & filius non portabit iniquitatem patris*; attamen ſi conſideretur tanquam aliquid alterius, ſeu titulo neceſſitudinis, & dominij, ſeu titulo naturæ charitatis, tunc multoties alterum pro altero corporales pœnas luere certum eſt, quatenus ſcilicet alter in altero puniatur. Efficit enim nodus alicuius coniunctionis inter aliquos, vt quod vnus exoluit, exoluere cenſeatur alter, iuxta quem ſenſum in Exodo dixit Deus: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* Sic peccauit Cham, & in eius filium Chanaam vindicta prolata eſt: peccauit Dauid, & filius eius genitus ex Berſabeá mortuus eſt: Peccauit Salomon, & filius eius diminutione regni punitus eſt: Punitur etiam alter pro altero mutuæ charitatis titulo; ſic vxor pro viro, & vxores Dauid; maritus pro vxore, vt Vrias; pater pro filio, vt Eli, &c.

Ezechiel.18 4. 20 — Alter pro altero qua ratione à Deo puniatur. — Exod. 20.5 — Gen. 9 — 3. Reg. 13 — Vide Aug. li.6 cont. Iul. c.18 — 4. Reg. 12

Cur patrum peccata in filios Deus aliquando puniat, & quàm grauis illa pœna ſit.

DOCVMENTVM.

QVEMADMODVM in perduellionis, aut læſæ maieſtatis crimine apud terrenos principes, alij in culpa, alij in pœna ſunt, dum perduellibus ea pœna infligitur, quæ ad filios tranſeat, & nepotes, vt, ſicut Lipſius loquitur, *Mors ſit eis quodammodo ſolatium, & vita ſupplicium*, quòd ab illis ſalutari conſilio fieri aſſeueramus, vt ſcilicet hominum cæteri ob talem pœnam ab huiuſmodi ſceleribus abſtineant; ſic omnipotens Deus, non niſi ob ipſius patris, aut filij ſalutem id facere dicendus eſt: nam ſicut medicus venam ſæpe in brachio, aut pede ſano ob capitis medicamentum incidit, A

Lipſius de conſtant. lib.2.c. 17

ſic ille patrem, qui caput eſt ſuo, eiuſdem fi
lij punitione, & ſanguine multis ies curat,
putridam carnem, cancroq. affectam ad vi-
uum reſecat, vt alias partes, à morbi conta-
gione liberet. Haud enim vnquam ita medi-
cam Dei manum ſe perſenſiſſe oſtendit Pha-
Exod. 11 r.o, ſicuti quando ad viuum eius plaga reſe-
B cata eſt in filij primogeniti nece; quo etiam
pacto Valentem Imperatorem Arrianum ſan-
cto Baſilio vehementer infenſum, ad melio-
rem Deus mentem traduxit, ipſiusq. Baſilij
opem implorare coëgit: de qua re ſic Grego-
Greg. Naz. orat. 20. rius Nazianzenus: *Filius*, inquit, *Imperato-
ris ægrotabat, pater etiam, vtpotè pater, ſi-
mul ægrotabat, remedium vndecunque mor-
bo conquirens, atque optimos quoſque medi-
cos feligens, ac precibus, vt ſi aliàs vnquam
incumbens, humiq. prouolutus: nam reges
humiles, & deiectos reddit quoque calamitas;
3. Reg. 13 nec mirum, cùm Dauidem etiam priùs ob fi-
lij morbum eodem morbo affectum fuiſſe ſcri-
ptura teſtetur. Cùm autem huic malo me-
dicinam nullam inueniret, ad Baſilij fidem
confugit, & quoniam ob contumeliam recens
ipſi illatam, eum ſuo nomine accerſere præ
pudore non auderet; ijs, quos arctiſſima fa-
miliaritate, & beneuolentia deuinctos habebat;
C hanc l ationem committit. Ille verò nihil
cunctatus, nec, quod fortaſſe alius feciſſet,
aduerſus tempus inſultans, confeſtim adfuit,
atque ad eius aduentum ſtatim leuior fit
morbus, paterq. meliorem ſpem animo con-
cipit.* Hæc Nazianzenus, quem ſequitur E-
Ephrem orat. in laud. Baſil. ex ver. L[illegible] phrem: *Cùmq. hanc conditionem Imperato-
ri proponeret, ſi eum, inquit, mihi ita tradi-
deris, vt ad immaculatam fidem traducam,
& ab omni doctrina Arrianæ impietate li-
berem, curabo ego eum. Tyrannus verò, cum
eſſet aſſenſus, ſubito Baſilius pro Imperato-
re terreno apud cæleſtem ſe mediatorem in-
terpoſuit, cuius accepit promiſſum, & ille ſa
nitatem filij attulit. Vt autem puerum ſani-
tati reſtitutum viderunt hæretici, rurſum
leuis Imperatoris animum deprauarunt, eiuſ-
que filio accepto, baptizarunt illum aqua, non
Naz. vbi ſup. tamen ſpiritu. Mira res*, inquit Nazianze-
nus; *ægro corpore dum erat, illacrymabat,
D di torquebatur, Baſilium accerſibat, obſer-
uabat, ſatisfactionem habes, clamabat, da
ſalutem, tunc redijt ad cor, cognouit iniquita-
tem ſuam: fuit medicina patris filij percuſ-
ſio.* Verùm cùm primùm à veritate defecit,
filiumq. in manus Arrianorum iterum tradi-
dit, illius ingratam mentem redarguens Do-
minus, fecit, vt, quod in medicinam accep-
tare noluerat, eſſet illi in grauiſſimam pœ-
nam: neq. non multo poſt, vt idem Ephrem
Ephrem vbi ſupra. teſtatur, *Spiritum mi[illegible]ri illius, & infelicis
peri[illegible]t.* Grauis ſane pœna, & quam paren-
tes ferre grauius etiam, quàm propriam ſo-
lent, cùm & illa vehementiùs doleant, quam
propria: quod apertiſſime Dominus innuit,
Gen. 22 quando in Geneſi benedictionem ſe Abrahæ in

ſacrificando ſibi filio Iſaac pluris feciſſe oſten
dit, quàm ipſius Iſaac iam prouectæ ætatis,
eiuſq. optimè horrorem mortis cognoſceret
in illa ſuſtinenda promptitudinem. Quare
non illi, ſed patri dixit. *Quia feciſti rem
hanc, in ſemine tuo benedicentur omnes gen-* E
tes. Sic ſanctam Felicitatem plus, quàm mar- Greg. vbi ſup. S. Felicitas plus quam martyr.
tyrem appellat Gregorius: quia filios ſuos ſe-
ptem ad martyrium hortata eſt. *Non ego*,
inquit, *hanc fœminam martyrem, ſed plus
quàm martyrem dixerim, quæ ſeptem pigno-
ribus ad regnum præmiſſis, tot ante ſe mortuos
tranſmiſit: ad pœnam prima venit, ſed per-
uenit octaua.* Sic etiam mirantur hiſtorici Niceph. hiſt. eccl. l. 1. c. 21. Edeſſenæ mulieres in Chriſtiana pietate conſtantia
mulierem Edeſſenam, quæ cum à Valente Im-
peratore Arriano Chriſtianis capitali pœna
prohibitum eſſe audiſſet in templum Sancti
Thomæ Apoſtoli conuenire, filium, quem
vnicum habebat, amplexata, immani princi-
pis edicto nihil perterrefacta, eò ſe conferens:
non patiar, inquit, *quod alijs pro Chriſto
interemptis, ego & filius meus mortem eua-* F
damus. Quamobrem parentes, qui amore
filios proſequuntur, ſaltem ne illi à Deo pu-
niantur, à peccatis ſumma diligentia ſibi ca-
nere debent, & iuſtitiam ſectari, quæ illos,
& filios bonis omnibus ditat: nam, *Bea-* Pſ. 111. 2
tus vir, ait Pſaltes, *qui timet Dominum,
potens in terra erit ſemen eius: generatio re-
ctorum benedicetur.* Immo erga eum, qui
virtutem amplectitur, ſic ſe habiturum
promiſit Deus, vt in infinitas ipſius gene-
rationes, miſericordiam ſuam effundat: *Ego*, Exo. 20. 6
inquiens, *ſum faciens miſericordiam in
millia ijs, qui diligunt me, & cuſtodiunt
præcepta mea.* vbi ponderandum eſt ad im-
menſam Dei miſericordiam cognoſcendam,
quòd dicit iniquitatem patris ſe eſſe in filios,
vſque ad quartam generationem vindicatu-
rum; patrum verò eorundem virtutem in
ipſis filijs vſque ad mille generationes re-
muneraturum. Vnde patet, quanta cum G
diligentia parentes, qui filios, & poſterita-
tem diligunt, à peccatis cauere debeant, &
quanta cum ſolicitudine in virtuti ſtudium
incumbere. Benè igitur orat Tobias: *Ne
reminiſcaris delicta mea, vel parentum
meorum.*

VERS. IV.

Quoniam non obediuimus præce-
ptis tuis, ideo traditi ſumus in
direptionem, in captiuitatem,
& mortem, & in fabulam, &
improperium omnibus nationi-
bus, in quibus diſperſiſti nos.

VERS. V.

Et nunc Domine magna iudicia tua, quia non egimus ſecundum præcepta tua, & non ambulauimus ſinceriter coram te.

1 *Tradi in direptionem quid.*
2 *Terra patria priuari, & in captiuitatem duci, quam durum ſit.*
3 *Iudicia Dei quæ, & cur magna à Tobia dicta.*
4 *Tranſgreſſio mandatorum Dei malorum publicorum præcipua cauſa.*

VERS. IV.

OBEDIVIMVS *præceptis tuis*, ideſt legibus, & intimationibus tuæ voluntatis:
Pſ.136.1
1 *Ideò traditi ſumus in direptionem*, Ita vt direpti nobis ſint agri, & greges, & nos bonis omnibus expoliati, & ad omnem violentam rapinam expoſiti.

2 *In captiuitatem*, Quæ quam dura ad ferendum ſit, ſuperius diximus, & ipſæmet Hebræorum indicarunt lacrymæ, & lamentationes ſuper flumina Babylonis, dum recordarentur Sion, quas recenſet Dauid in pſal. ſanè vt Euripidis cecinit.

Euripides in Medea.

Δ' οὐκ ἄλλος μόχθος ὕπερθεν,
Η γᾶς πατρίας στέρεσθαι.
Non eſt aliud malorum maius,
Quàm terra patria priuari.

Cic. lib. 1. de offic.

Nam, vt ait Cicero, chari ſunt liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium charitates patria vna complexa eſt. Idcirco Sertorius, vel, vt alijs placet, Marcus Brutus, malle ſe aſſerebat Romę in patria ignobiliſſimum ciuem eſſe, quàm exulem omniū aliarum ciuitatum Imperatorem nominari.

Et mortem, Arabs: *Mancipia facti ſumus, & occiſi.*

Arabs.

In fabulam. Arabs: *Feciſti nos fabulam inter homines*, ita vt inuicem confabulandi, nosq. illudendi occaſionem alij in quotidianis ſermonibus capiant.

Et improperium, Maleq. audientes de nobis probris, & improperijs laceſſendi nos.

Syrus.

Syrus: *In parabolam exprobrationis omnibus populis, inter quos diſpergimur.*

VERS. V.
Arabs.

3 *Magna iudicia tua*, Sumuntur hic iudicia Dei pro actibus diuinæ iuſtitiæ, non tamen in vniuerſum, ſed in ſingulari pro actibus iuſtitiæ vindicatiuæ, quibus Deus, quatenus perſona offenſa debitam pœnam exigit, & quatenus iudex infligit: ſic ſumitur etiam in libro Regum, vbi dicitur Nabuchodonoſor: *Cum Sedecia locutum fuiſſe iudicium*, hoc eſt illum merita pœna puniuiſſe, & apud Ezechielem, vbi dicitur: *Quia in præceptis meis non ambulaſtis, ecce ego ad te, et ipſe ego faciam in medio tui iudicia* ideſt ſumam de te vindictam, & debita pœna puniam. Sicut etiam in libro Sapientiæ, & alibi multoties. Sic vocans S. Tobias hos diuinæ punitionis actus *iudicia*, declarat ſuam, & populi pœnam iuxta veritatem diuinæ iuſtitiæ eſſe, & iram non excedere peccati menſuram. Dicit tamen hæc diuina iudicia *magna*; quia licèt parua reſpectu culpæ ſint, cùm ſemper citra condignum puniat Deus; magna tamen erant in ſe conſiderata, & reſpectu debilitatis noſtræ naturæ: nam traditi fuerant, vt ſupra dixerat, *in direptionem, captiuitatem, et fabulam*, omnibus ferè nationibus, & barbararum gentium ludibrium effecti, qua calamitatè vix vlla maior. Quare Innocentius vocat ſeruitutem extremam miſeriam, & Oratorum princeps: *Nihil*, inquit, *eſt fœdius ſeruitute: ad decus, et libertatem nati ſumus*: Cauſam tantæ miſeriæ deinde aſſignans, ait.

4. Reg. 25 6
Ezech. 5.7 8
Sap.6
Innoc. de vil. cond. human.
Cic. Phil. 2

4 *Quia non egimus ſecundùm præcepta tua*. Nam malorum, quæ populis, & regnis, & prouincijs eueniunt, potiſſima cauſa eſt præceptorum Dei tranſgreſſio. Sic Dauid: *Terram*, inquit, *fructiferam, in ſalſugine à malitia inhabitantium in ea*. hoc eſt, terra ſterilis eſt effecta; nam ſal terræ pinguedinem, ſuccumq: exedit, atque ſterilitatem affert, propter malitiam habitantium in ea. Et Oſeas: *In Dominum præuaricati ſunt, quia filios alienos genuerunt, nunc deuorabit eos menſis cum partibus ſuis*: hoc eſt, vt Hieronymus ait, *quia Domino peccauerunt per ſingulos mēſes, hoſtis adueniet, et cuncta eorum bona vaſtabit*. Vbi Chaldæus: *Nunc adducam aduerſus eos populos per ſingulos menſes, qui populabuntur fructus terræ eorum*: partes vocat ſortes, & poſſeſſiones cuiuſcunque tribus, ſicut vocantur in libro numerorum, vbi dicitur: *Acceperunt partem ſuam trans Iordanem*. Achior, tandem vt in libro Iudith apparet, hanc manifeſtat veritatem, dum loquens de filijs Iſraël, hæc habuit ad Olophernem: *Non fuit, qui inſultaret populo iſti, niſi quando receſſit à cultu Domini Dei ſui: ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum, ſubiugati erunt ſub iugo potentiæ tuæ: ſi verò non eſt offenſio populi huius coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis*. Ecce igitur quo modo peccata ſint omnium ferè malorum, quæ nobis eueniunt, præcipua cauſa.

Peccata malorū omniū, quæ populo cōtigunt præcipua ſunt cauſa.
Pſ.106. 34
Peccatū malorum tēporalium cauſa præcipua eſt.
Oſeæ 5.7
Hier. ibi.
Chaldæus.
Num. 34 15
Iudith 5 17

Et non ambulauimus ſinceriter, &c. Hoc eſt, ſine corruptione peccatorum: nam ſincerum, teſte ſancto Thoma, illud eſt, quod eſt ſine corruptione: *In veritate* legit Græcus.

S. Tho. in ep. 1. ad Cor. lec. 2.
Græcus.

Quòd veri humiles cunctis ſe inferiores, ac deteriores exiſtiment, & quanta ſit veræ humilitatis gloria.

DOCVMENTVM I.

A

EXCELLENS ſanctorum charitas ea eſſe ſolet, vt omnia populi ſiue bona, ſiue mala, præſertim verò hominũ ſuæ gẽtis, & religionis commonia ſecum ipſi exiſtiment: aliorum peccata tanquam propria lugeant, proque illis expiandis, & eluendis non minùs, quàm pro ſuis Deo ſatisfacere quodammodo ſtudeant. Sic Tobias noſter, licèt à pueritia Sanctus, & iuſtus, vitaq́. innocentia clariſſimus fuerit; non ſolùm tamen, vt vidimus, peccatorem ſe dicit, ſed & in hoc verſiculo perſonam inobedientis populi innuens tanquã vnus è populo diuinæ legis præuaricatorem ſe vnà cum cæteris nominat; quin etiam tantorum malorum potiſſimam cauſam. Vndè vbi vulgatus legit: *Quoniam non obediuimus præceptis tuis*, Græcus habet: *Non enim obedierunt præceptis tuis*, Addens poſt pauca: *Et nunc multa ſunt iudicia tua, & vera ex me ad faciendum pro peccatis meis.* Etenim ea eſt ſanctorum modeſtia, ſuiq́. ipſorum deſpicientia, vt ſua cauſa mala omnia contingere putent; quòd ſe omnium peccatorum maximos cenſeant. B. Paulus ad Timotheum: *Chriſtus Ieſus*, ait, *venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Primum ſe dicit*, ait Aug. *non peccatorum ordine, ſed peccatorum multitudine*, cùm tamen de illo Ananiæ dictum fuiſſet à Domino: *Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filijs Iſraël.* Quod etiam de ſe ipſis dixiſſe legimus Sanctum Franciſcum, & S. Catharinam Senenſem. Neque enim ſolùm conſiderant Sancti viri, quales prius fuerint: nam de præſenti dicit B. Paulus: *quorum primus ego ſum*; ſed quales ſuapte natura ſint, & ſine gratia Dei, per quam dimiſſa ſibi putant non modò peccata, quę fecerunt, ſed etiam quæ non fecerunt. Sic Auguſtinus: *Omnia*, inquit, *dimiſſa mihi eſſe fateor, & quæ mea ſponte feci mala, & quæ te duce non feci.* Quare ſicut princeps latronum, cuius crimina ante iudicis tribunal prolata, & probata ſunt, rectè inter oẽs ſubditos ſuos ſe peſſimum dicit, quia aliorum peccata, cùm non penitus videat, meritò ſuis paria non eſſe exiſtimat; ita viri ſancti ſua ipſorum peccata optimè dignoſcentes, cæteros omnes, quorum culpas ignorant, in virtute ſibi ipſis ſuperiores, ſuaque ipſorum peccata alienis grauiora iudicant, & omnium peccatorum ſe maximos arbitrantur, illud Apoſtoli adimplentes: *Nihil per contentionem, aut per inanem gloriam, ſed in humilitate mentis, alter alterum exiſtimantes ſuperiorem ſibi.* Etenim cùm non generis nobilitate, aut ſcientia, quæ inflat, nos cum alijs comparare debeamus, ſed in charitate, in qua ſola vera hominis magnitudo conſiſtit; quis eſt qui ſuam, & alterius charitatem metiri audeat? quis eſt, qui ſuam, & alterius cauſa ita compertam habeat, vt qualis ea coram Deo ſit in præſens, aut poſtea ſit futura, cognoſcat? Nam B. Paulus tunc Saulus certè Dei Eccleſiam perſequebatur, & Stephanum omniũ manibus lapidabat, qui tamen in Dei prædeſtinatione, re illo ipſo Stephano maior erat. Verè igitur exiſtimandum eſt, aliquid occultum eſſe poſſe in alio, quo nobis ſuperior ſit, etiam ſi bonum noſtrum, quo illo videmur ſuperiores eſſe, non ſit occultum: Sic ſua peccata quiſque præ oculis habere, ac ponderare debet, aliena verò extenuare, vel non certè attendere: quod verę eſt humilitatis propriũ: nam verus humilis, quò etiã, cęlo teſte, perfectior; eò, ſe iudice, imperfectior ſibi ſemper apparet, & quò magis meritis polũ attingit, eò magis opinione ſua humi repit. Et ſicut luna, vt aſtrologorum doctiſſimi aſſirmant, & inter ſanctos Baſilius, & Auguſt. quantò magis diſtat à ſole, tantò maiore cum luce nobis apparet, & tantò minore, quanto illi vicinior: cùm tamen ex ſuperiore parte, qua ſoli eſt propinquior, plena ſit luce, atq; pulcherrima; ita homines, quantò magis à Deo per peccatũ diſtant, tãto magis in oculis hominum apparere ſtudent, aliquid ſcilicet ſe eſſe iactantes, cùm vero nihil ſint, vt in Apocalypſi de quodam arrogante dicitur: *Dicis, quòd diues ſum, & nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, et nudus*: & quantò magis per gratiam Deo ſunt propinquiores; tantò magis per veram humilitatem ſe nihil eſſe; peccatorumq maximos exiſtimant: etenim, vt Bernardus ait, *Diuina ſolet pietas ordinare, vt quantò quis plus profecerit, eò minus ſe reputet profeciſſe: nam, et vſque ad ſupremum exercitij ſpiritualis gradum, ſi quis eo vſque peruenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, vt vix ſibi primum videatur adeptus.* Quod etiam notat Gregorius pluribus in locis. Ex quo multi humilitatem inter alias virtutes ſicut ſolem inter ſtellas eſſe docent, quod ſicut illę ad ſolis præſentiam noſtris obtutibus ſubducuntur, & euaneſcunt, ita ad conſpectum humilitatis vir humilis nullas habere ſibi virtutes videatur. Vnde ſicut Moyſem ignoraſſe legimus cornutam ſibi faciem fuiſſe ex conſortio ſermonis Domini, quam alij fulgentem videbant, ſic *veri humiles*, vt ait Gregor. *ſoli bona ſua non vident, qui in ſe videnda hominibus ad exemplum præbent. Magna quidem*, inquit Bernardus,

& ra-

Marginal notes (left): Vulgatus. Græcus. — B — Sancti viri malorum ſe omnium cauſam putant. — 1. Tim. 1 15 — Aug. ſerm. de ver. Apoſt. circa med. to. 10 — Act. 9. 15 — C — Aug. l. 2. Confeſſ. c. 7. tom. 1 — Omnium ſe peſſimos viri humiles putant. — Phil. 2. 3

Marginal notes (right): D — Act. 8. 1 — Humilis peccata ſua conſiderat, aliena, vel extenuat, vel non curat. — E — Baſil hom. 6 in Examer. Aug epiſt. 119 ad Ianu. & in pſal. 10 — Humilis cũ Luna comparatio. — Apoc. 3. 17 — F — Bern. de quatuor modis orandi. — Greg l. 33. moral. c. 15. in paſtoral. p. 4 Dial l. 3 c. 14 — Humilitas inter alias virtutes eſt veluti Sol inter ſtellas. — Exo. 34. 29 — Greg. l. 22. moral. c. 1 — G — Bernar. ſer. 13 in Cant.

Digitized by Google

Humilitatis virtus magna *& rara virtus, & magna, licèt operantem magnum te neſcias, & manifeſtam omnibus tuam te ſolum latere ſanctitatem!* Nã quòd aliquis ſe imperfectum exiſtimet, cùm talis ſit, licèt valde laudabile ſit, non tamen magnum eſt; ſicuti neque magnum eſt, ſeruum nolle reputari dominum, nec pauperem di uitem, nec ægrum ſanum; ſed quòd Dominus pro ſeruo haberi velit, diues pro paupere, pro ægro ſanus: hæc profectò magna res eſt,& admodum rara: nam,vt idem alibi ait, Idem hom. 4 ſuper Miſſus eſt. *Non magna res eſt,eſſe humilem in abiectione, magna prorſus,& rara virtus humilitas honorata,*Quam idcirco adeò extollit Deus, vt humiles dicat Iſaias Dei veſtimenta eſſe: Iſa.c.6.1 H Sic ille: *Vidi*, inquit, *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum,& eleuatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Noua lectio: *Et fimbriæ eius replebãt templum, vel regiam:* alij: *Et ora eius replebant templum. Veſtimenta Domini*, ait Greg. Greg.27. moral.c.24 *ſunt fideles*: quare oræ veſtimentorum eius, ſen fimbriæ ſunt humiles,qui eius ornant veſtẽ, & replẽt templum Dei, & fulgent in æternitate; id quod etiam Iudæis fuit in Exodo ſignificatum in illa viſione,qua *viderunt Deũ* Exod. 24 10 *Iſrael,et ſub pedibus eius, quaſi opus lapidis Sapphirini, & quaſi cælum, cùm ſerenũ eſt: ſeu*,vt alia habet lectio: *ſub pedibus eius quaſi opus lateris*, nimirum humiles,qui,licet ab impijs, vt immundum lutum reputentur, 1.Cor.4 13 *& purgamentum huius mundi omnium peripſema*; ſtant tamen ſub pedibus Dei,eorumq. ſunt gloria,*quaſi cælum,cum ſerenum eſt*. Verè beata humilitas, quæ etiã Humilitatis mira fragrãtia. inſtar thymiamatis cleciſſimi,cælum,& terram ſui fragrantia lætificat. I

Vnde benè hac tãta humilitate præditus, dicere Tobias poterat cum ſponſa in canticis: Cant.1.11 Rup. Abb.ibi *Nardus mea dedit odorem ſuum:* Quia, *ſicut nardus*, inquit Rupertus,*herba aromatica paruo quidem frutice,vel parua ſpica, nequaquam in altum ſe ſubrigit, ſed comeſa,atque odoratiſſima flore optimi odoris, atque radicula ſuaui, multis vſibus probatur vtilis; ſic humilitas ſuo quidem arbitrio, vel iudicio parua res eſt, nimirum exilis, ſed iudicio regis, pretioſior eſt cunctis operibus legis,in quibus homines iuſti ſibi videntur,atque magnifici, ipſumq. regem, & patrem eius Deum, ſanctum quoque Spiritum vnicè delectat, veluti ſuauis odor, qualis, quantuſq. de nullo vnquam vſque ad ipſum ſpirauit, vel ſpirare poſſit ſacrificio*. Humilitas nardo ſimilis. Nam, ſicuti ex nardi frutice conficitur oleũ,quod à Seplaſiarijs in magno pretio haberi aſſerit Clemens Alexandrinus: Clem. Alex.l. 2.pedag.c.8 L & reges Parthorum vnguentum,quod regale nuncupabant,haud ſincerum eſſe dicebant,ſi eſſet ſine nardo; ſic nullum certè ſpirituale oleum pretioſius,aut charius ipſa animi demiſſione, & cælorum regi nulla virtus eſt chara, niſi hoc humilitatis nardo delibuta.

Itaq; cum Tobia,cæteriſq. ſanctiſſimis viris iuxta præceptum Domini,nouiſſimus ſemper eſt locus eligendus,in quo ſolo ſine periculo degimus: nam quemadmodum ei, qui per oſtium,cuius demiſſum valdè ſit ſuperliminare, ingrediatur, nihil nocet, quantumcunque ſe inclinet; nocet autem ſi vel vnius digiti ſpatio plus,quàm oſtij menſura patiatur,ſe erexerit, ita vt in limen impingat, & capite quaſſato collidatur; ſic quantalibet humiliatio non timenda in anima, ſed metuenda vel minima temerè præſumpta erectio. *Quamobrem*, ait Bernardus, *noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli æqualibus, noli vni: quid ſcis enim, ô homo,ſi vnus ille, quem fortè omnium vilisſimum,atque miſerrimum reputas,ſit melior te, & mutatione dexteræ excelſi in ſe quidem futurus ſit, in Deo quidem iam ſit?* Bern. in Cãt. ſer.17 M

Quòd iudicia Dei in hoc, & in futuro ſæculo valdè tremenda ſint.

DOCVMENTVM II.

SED ſi nunc in die placabili S. Tobias magna dicit eſſe Dei iudicia contra peccatum;qualia erunt in die vltionis?ſi magna in tempore remiſſionis, quando diuitias gratiæ ſuæ manifeſtat;qualia erunt in tempore ſolutionis, quando magnam ſuam iram manifeſtabit?ſi magna nunc,quando in peccatores iudicium ſuum,quaſi mœrens,exercet, vnde per Iſaiam dicit: A iudicii extremi dies formidabilis ob iram Dei in peccatori. Iſa.1.14 *Heu vindicabor de inimicis meis*; qualia erunt quando ipſe Deus, vt Ezechiel ait, Ezech. 5 13 *requieſcere faciet indignationem ſuper eis, & conſolabitur?* Sanè abundat nunc, vt auertat iram ſuam,& non accẽdit omnem iram ſuam, Pſ.77.41 ſed tunc ignis accenſus erit in furore eius, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima, congregabitq. ſuper eos mala, & ſagittas ſuas complebit in eis, vt habetur in Deuteronomio. Deut. 32 23 B Tunc enim malorum cumulum ſuper peccatores inducet, & omnia ſuppliciorum genera inferet: his enim omnibus, quaſi ſagittis iniectis, pharetram ſuam exhauriet, vt nullum vindictæ genus in illa reſiduum futurum eſſe videatur, quod contra eos non effundatur. Sic ipſe per Oſeam: Oſea 5. 1 *Super eos effundam quaſi aquam iram meam*; hoc eſt,non amplius guttatim inſtillabo, & mitius puniam; ſed effundam irã meam quaſi aquam, hoc eſt, copioſam,& vniuerſam ſimul: *faciam in te, quod non feci*, inquit per Ezechielem, Ezech.5.9 *& quibus ſimilia vltra non faciam*: nam, ſicut fluuius quamdiu inter aggeres clauſus, atque coercitus,placidè fluit,ſe intra alueum continet,

ac nulli nocumentum affert, cùm tamen in-
tumeſcit, ac rapidè fluit, ſeptum omne ſu-
perat, aggeres frangit, obuia quæque pro-
ſternit, & ſecum ad mare deducit; ſic ira
Dei, nunc quidem aggeribus diuinæ miſeri-
C cordiæ, & patientiæ quodammodo concluſa,
ſa, atque detenta, neminem lædit, ſed magis
omnibus prodeſt, cùm interim miſericordiæ
Pſ. 76.10 Deus obliuiſci non poſſit: etenim, *nunquid*,
ait Pſaltes, *obliuiſcetur miſereri Deus? aut*
continebit in ira miſericordias ſuas? Verun-
tamen in die Domini, *inundans inundabit*
terram, & *effundetur quaſi aqua ſuper eam*,
& *obliuiſcetur miſereri Deus*, & *continebit*
Iudicia Dei *in ira ſua miſericordias ſuas*. Nam quemad-
quam tremē- modum exhalationes calidæ, & ſiccæ, vna cū
da. vaporibus frigidis, & humidis è terra Solis
calore extractæ, & ad ſecundam vſque aëris
regionē eleuatæ, contrariam ſibi vaporū fri-
gore condenſatorum naturam, & vim refu-
gientes, ipſam nubē frangūt, dumq. vehemen
tiore impetu agitatæ incenduntur, fulgidas
coruſcationes, & horrēda tonitrua generāt,
&, ſi diutius in nube incluſæ detineantur, in
dira tandem fulmina conuertuntur, quæ ſuo
D ardore, atque impetu ipſas aliquando ciuita
tes ſubuertunt; ſic irá Dei ante iudicij diem
miſericordiæ nubibus incluſa, à qualitatib.
ſibi contrarijs, noſtrorum ſcilicet peccatorū,
quodammodo agitatur, dum in infirmitati-
bus, aut alijs quibuſcunq; afflictionibus cō-
tra nos fulgurare, & tonare videtur: id quod
tamen etiam ad miſericordiā facit, vt ſcili-
Pſ. 59.6 cet fugiamus à facie arcus: *At in illa die cō-*
Dedit metuentibus te ſignificationē, vt fugiant à facie arcus. *plebit*, vt ait Ezechiel, *furorem ſuum*: nam,
vt ait Iſaias: *Ecce dies Domini veniet crude-*
lis, & indignationis plenus, & iræ, furoriſq.
ad ponendam terram in ſolitudinem, & pec-
Ezec 5.13 *catores eius conterendos de ea.* Et idem Do-
Iſai. 13.5 minus per Ieremiam: *Ecce*, ait, *ego ad te ha-*
bitatricem vallis ſolidæ, atque campeſtris, vi
ſitabo ſuper vos iuxta fructū ſtudiorum ve-
Ier. 21.13 *ſtrorum. Ecce ego ad te*, hoc eſt, non ſtrenuos
expenditur. ad te milites mittam, quos deſpicias, nō in-
ſtructas acies, quibus reſiſtere te poſſe cōfi-
E das, non meas tandem copias, ſed *ego* ipſe ve
niam, vindictam ſumpturus de te, cui nulla
ratione reſiſtere poteris; neque enim velut
quippiam magnum eris ante me, non vt mōs
excelſus, aut collis duriſſimus: ſed eris tan-
quā vallis campeſtris, nullo munimine, aut
naturali, aut artificiali prædita. Ecce igitur
ego ad te, ſuper te, contra te viribus, ac ſitu
præſtans: præpoſitio enim על ghal, non ſolū
ſignificat *ad te*, verùm ſignificat etiā idem,
Gen. 1.2 quod *ſuper*, vt in Geneſi, vbi dicitur: Et te-
nebræ erāt על ghal, *ſuper faciem abyſſi*: & ali
quando ſignificat *contra*, vt in libro Nume-
Num. 14 rorū, in quo dicitur: *Et murmurati ſunt* על,
2 idest, *contra Moyſen, & Aaron cuncti filij Iſ*
rael. Quare ſi Deus ipſe erit in die iræ con-
trarius peccatori: merito dicit Pſaltes: *Tu*
Pſ. 75.8 *terribilis es; & quis reſiſtet tibi?* Sequitur

deinde propheta, & ait: *Viſitabo ſuper vos*
iuxta fructum ſtudiorum veſtrorū. O durā
malis viſitationē: nam ſine dubio iuxta nu-
merū delictorū erit plagarum modus, *vnuſ-* *1. Cor. 3.8*
quiſque autē, vt B. Paulus ait, *propriam mer* *Iſai. 28. 3*
cedem accipiet ſecundū ſuum laborē. Ponam
in pondere iudicium, ait per Iſaiam, *& iuſti-*
tiam in menſura: nomine ponderis, & mēſu-
ræ, iuxta ſacri eloquij morem, retributionē
deſignans, quam iuxta qualitatem meritorū,
& demeritorū conferet, *& iuſtitiā ad perpē-*
diculum exigam, vertit Pāginus, idest diſcer
nam, & iudicabo, quis verè ſuper lapidē an-
gularem, qui Chriſtus eſt, fundatus ſit: nam, Deus in die
ſicut ædificantes, appoſito ad parietes, & mu iudicii om-
ros funiculo, & regula, lapides, quos promi- nia etiam re-
nentes deprehendunt, ſua induſtria vel redu- ctè facta exi-
cunt ad regulam, vel penitus reprobant, atq; get ad per-
ab ædificio reijciūt, eorumq. loco alios ſub- pendiculum.
ſtituunt; Sic Dominus recto ſuo iudicio ſe- G
cundum æquiſſimam iuſtitiæ ſuę regulā, om-
nia expendet, atque ad æquitatem reducet.
Quod Iſaias conſiderans, licèt iuſtus, & inno
cens, magno tamen timore correptus clama
bat: *Secretum meum mihi, ſecretum meū mi-* *Iſa. 24.16*
hi, væ mihi: præuaricantes præuaricati ſūt, *17*
& præuaricatione tranſgreſſorum præuari- *Hier. ibi.*
cati ſunt: formido, & fouea, & laqueus ſuper
te, qui habitator es terræ. *quaſi diceret*, vt
Hieron. ait, *non poſſum cuncta narrare, quæ*
ſentio, hæret lingua faucibus meis, vox dolo
re concluditur, væ mihi, quātus ordo pœna-
rum verſatur ante oculos meos æterno præſen
tia, & quæ futura ſunt, præuaricantes præ-
uaricati ſunt præuaricatione, &c. & erit qui
fugerit à voce formidinis, cadet in foueam, &
qui ſe explicauerit de fouea, tenebitur la-
queo, quia cataractæ de excelſis apertæ ſunt,
& concutientur fundamenta terræ. Nullum H
tunc extra Deum erit tutum refugium, nec
aliquid, ſuper quod poſſit manus peccatoris
inniti, ſed omnia erunt plena formidine, &
laqueis, quia: *cataractæ de excelſis apertæ*
ſunt: nā ſicut in primo aduentu effudit Deus
miſericordiam ſuam ſuper omnem carnem,
& abundantiā, diuitias ſuæ dilectionis oſtē-
dit; ita in aduentu ſecundo, effundet ſuper
carnales homines iram ſuam, & theſauros
iuſtitiæ ſuæ manifeſtos faciet: *Ignis in con-* *Pſ. 49.3*
ſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tē-
peſtas valida, quia cataractæ apertæ ſunt,
quia *feneſtræ de cælo apertæ ſunt*, habent
LXX. quæ verba, vt ibi notat Hieronymus, LXX.
ſignificāt, vniuerſa hominū delicta, & opera *Hieron. ibi.*
bona in die iræ eſſe manifeſtanda, vt notum
fiat, haud illa obliuioni à Deo fuiſſe tradita,
ſed & benè factis remunerationem, & malè
factis pœnam ab illo ſeruatam fuiſſe. Verè
igitur tunc, ò Domine, dicam cum Tobia:
Magna iudicia tua, quia non egimus ſecun-
dum præcepta tua, & non ambulauimus
ſinceriter coram te.

V E R S. V I.

Et nunc, Domine, ſecundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quàm viuere.

1 *Mors miſeris ſolatium.*
2 *Quomodo illam expetierit Tobias, et cur.*
3 *Quid ſit in pace recipi.*
4 *Animæ immortalitas probatur.*
5 *Mortem qui verè ſibi expedire iudicent.*

VERS. I. *Græcus.*

1 E*T nunc Domine, Quoniam,* addit Græcus, *improperia multa auditu, & triſtitia eſt in me,* ob multitudinem improperiorum, quæ à cõiuge, & conſanguineis perpeſſus fuerat S. Tobias, adeò ſupra naturalẽ virtutẽ ſuam grauatum ſe ſenſit, vt, ſicut B. Paulo cõtigit, vitam, quæ ſuper omnia à natura deſideratur, in tædio ob grauitatem mœroris haberet, & mortem omnium terribilium vltimum, tanquam leuamen ſuorum malorum deſideraret: quòd enim ipſa mors miſeris aliquãdo ſolatium ſit, eorum non pauci ſuomet exemplo declararunt, qui, aut ab alijs ſibi mortem inferri optarũt, aut ipſi ſibi adſciuerunt, vel laqueo, vt Architopheli, & Iudas, vel gladio, vt Saul, vel veneno, vt Annibal, &c. quòd præſtare cenſerent non viuere, quàm miſerè viuere: Vnde, ſicut Seneca Tragicus ait: Deus

Seneca Tragicus in Troade

Mortem miſericors ſæpè pro vita dedit.

Sanè damnatis ad inferos id in malorum cumulum datum eſt; quòd, ſicut B. Ioannes ait, *quærant homines mortem, & non inueniant:* nam, vt Cornelius Gallus cecinit:

Apoc. 9. 6
Corn. Gall. Eleg. 1

Dulce mori miſeris, ſed mors optata recedit:
Eſt omni peius funere velle mori.
Et non poſſe tamen.

Non tamen abſolutè mortem optabat S. Tobias: nam tali pacto nulli vnquam appetere mortem licet, ſed ſolummodo, in quantũ diuinæ eſſet voluntati cõſentancũ; ideò ſubdit;

2 *Secundum voluntatem tuam fac mecum,* Ideſt, ſi expedit, ſicut mihi expedire videtur. *præcipe in pace recipi ſpiritum meum.* Sic magnus ille Mathatias Machabæorum pater vitam ſuam deplorauit, dum legem laceratam, templumq́. in manus impiorum traditum videret, & dolens exclamabat; *Veh mihi, vt quid natus ſum, vt viderem contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis ſanctæ, quò ergo nobis adhuc viuere?* Sic ſancti viri adeò de populorum ſceleribus, quæ impiè perpetrari quotidiè cernebant, affligebantur, adeoq́. ab illis abhorrebant, vt potius mori vellent, quàm illa quoquo modo videre. Sic Polycarpus apud Euſebium exclamare ſolitus erat: *O bone Deus, in quæ me tempora reſeruaſti, vt hæc patiar?* Non enim, vt philoſophi, & multi inſipientiũ, idcircò vitam deteſtabantur, vt vitæ calamitates, doloresq. effugerent, quòdq. *vita plurimorum ſit laborũ onus,* vt Euripides aiebat; ſed potius, vt à vitæ ſordibus, atq; peccatis, eorumq́. periculis liberi, incolumesq. euaderent.

Machab. 2
Sancti viri mori potius quàm ſcelera hominum intueri cupiebant.

Euſeb. lib. 5 c. 19

Euripides.

3. *Et præcipe in pace recipi ſpiritum meũ,* In pace, hoc eſt, ſine moleſtia, feliciter, parata mente, animoque: nam pacis nomen Hebraicè שלים ſcialom, cui reſpondet in ſua radice nomen pacis, Hebræis quidem latius patet, quàm Latinis, quod verba Ioſeph ad fratres oſtendunt, vbi dixit: *Eſt ne pax patri veſtro?* Quæ vertit Hieronymus: *Saluus ne eſt pater veſter?* Et qua Eliſæus dixit Naaman Syro, & Chriſtus peccatrici: *vade in pace,* hoc eſt, ſis animo tranquillo, ac libero. Itaque illi in pace recipi, ſeu mori in ſacro eloquio dicuntur, qui præteritæ vitæ ſpatio contenti, ex hac vita cum magna quiete diſcedunt. Proinde quando petit Tobias in pace ſuſcipi, ſe libenter moriturum ſignificat, quòd mori ſibi expedire magis, quàm viuere exiſtimaret, quemadmodum etiam Iacob, qui viſo filio ſuo Ioſeph, dixit: *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.*

Gen. 43. 27
4. Reg. 5 19
Lucæ 7. 50
Gen. 46. 30

Dici etiam poteſt, optauiſſe his verbis Tobiã, *in pace recipi,* hoc eſt, in remota illa, atq; ſecretiore quietis ſede, quã vocat Aug. cũ ſacris literis ſinũ Abrahæ, locũq. neſcius cuius felicitatis; & cõmuniter Theol. Limbum SS. Patrũ, vt in eo, tanquã in loco quietis, & conſolationis, cuiuſdãq́. beatitudinis, ab huius vitæ periculis, atq; miſerijs liber, cum ſanctis Patribus Chriſtum expectaret.

Aug. to. 2. ep. 99. & tom. 6. citra Fauſtũ Manichæum lib. 33. c. 5

4 *Spiritum meum,* hoc eſt, animam meam, quam immortalem non modo ipſe Tobias cum ſanctis viris optimè nouerat: ſed & ipſi nouerunt Ethnici, Quare Cercidam Megalopolitanum, narrat Aelianus, morbo laborantem interrogatum, num libenter migraret è vita, reſpondiſſe; *Quid nĩ delector ſeparatione animæ à corpore, quoniam ad eas oras aſcendam, vbi videbo ex philoſophis Pythagoram, ex Poetis Homerum, ex muſicis Olympum, & alios viros in omni ſcientia præſtantiſſimos.*

Ethnici philoſophi animæ immortalitatẽ nouerunt.
Aelianus lib. 13

Ferunt etiam Cyrum apud Xenophontem morientem, hæc ad filios habuiſſe: *Nolite putare filij, me, cum ab hac vita migrauero, nuſquam, aut nullum fore: nec, dum vobiſcum communicabam, animum meum intuebamini, ſed corpus hoc eius eſſe domicilium intelligebatis: eundem eum eſſe creditote, etiã ſi modo ſeparetur à corpore.* Cicero inducit Scipionem iam vita functum, reſpondentem interroganti, viueret ne ipſe, & alij, qui putabuntur extincti: *Immo verò hi viuunt, qui ex corpore vinculis, tanquam*

Cicero in Catone Maiore ex Xenophonte.

è carcere euolarunt ; veſtra verò , quæ dicitur vita, mors eſt .

Argumenta ad probandā animæ immortalitatē.

Et quidem hanc animæ immortalitatem argumentabantur in primis ex inquietudine perpetua ipſius in hac vita , quæ brutis ipſis infelicius eſſet , ni quies alibi eſſet ei parata ; & ex ipſius natura : nam cùm nec corpus,nec accidens ſit , & omne,quod corrumpitur,vel corpus,vel accidens eſſe oporteat , incorruptibilem eſſe neceſſario fatebantur, & ex conſequenti immortalem.

Baron. tom. 5 annal. ad an. Chriſti 411.

Exemplo probat mirando magnus noſter Baronius his verbis: *Patere quæſo lector, vt exemplo euangelici patrisfamilias, qui profert de theſauro ſuo noua,& vetera, veteribus recentiora coniungamus. Erit enim , vt ex his , quæ breuiter dicturi ſumus , magnam capias animi voluptatem. Haud namque inexplorata referam , ſed quæ complurium eruditorum virorum ſcimus aſſertione firmata , immò & à religioſis viris ad populum pro concione ſæpe narrata. Ego verò à quo accepi , auctorem proferam , nempè integerrimæ fidei virum Michaelem Mercatum Miniatenſem,S. R. E. Protonotariū, probitate morum,atque doctrina ſpectatum. Ipſe enim narrauit de auo ſuo eodem,quo ipſe,nomine nuncupato Michaële Mercato Seniore , cui cum Marſilio Ficino nobiliſſimi ingenij viro ſumma intercedebat amicitiæ conſuetudo, parta,& aucta philoſophicis facultatibus,in quibus Platonem ambo aſſectabantur auctorē. Accidit autē aliquando, vt ex more,quid nam poſt obitū ſuperſit homini,ex eiuſdem Platonis ſententia,ſed nō ſine tamen trepidatione deducerent,quæ labentia Chriſtianæ fidei,Sacramētis ſuſſulcienda eſſent:eo enim argumento extat eiuſdem Marſilij apud ipſum Michaelē Mercatum erudita quidē epiſtola de animi, et Dei immortalitate. Cum verò inter differendum eorū progreſſa longius fuiſſet diſputatio, eā ad calcē perductā,illo clauſerūt corollario, vt iuncta ſimul dextera,pacti fuerint,vter eorū ex hac vita prior decederet , ſi liceret, alterum de alterius vitæ ſtatu redderet certiorem. Quibus inter ſe cōuentis, ambo iurati ab inuicē diſceſſere. Interlapſo autē breui tēporis ſpatio,euenit,vt cum ſummo mane idē Michael Senior in philoſophicis ſpeculationibus vigilaret,ex inopinato ſtrepitū velociter currentis equi,eiuſdemq. ad oſtium domus curſum ſiſtentis,audiret, vocēq. ſimul Marſilij clamantis: O Michael,ò Michael,vera,vera ſūt illa. Ad vocem amici Michael admiratus aſſurgens,feneſtramq. aperiens,quem audierat, vidit poſt terga , ad curſum iterū acto equo candido,candidatum:proſequutus eſt cū voce Marſilium,Marſilium inuocans, proſecutus eſt oculis,ſed ab eis euanuit. Sic ipſe noui caſus ſtupore affectus,quid de Marſilio Ficino eſſet, ſolicitus, quærēdum curauit:degebat ille Florentiæ,vbi diem clauſit extremū,*

Michaelis Mercati laus

Marſilii Ficini commendatio.

Pactū inter viuos,vt prior mortuus renunciaret ſuperſtiti de ſtatu alterius vitæ.

Marſilius Ficinus poſt mortē redit, & ex pacto renunciat viſa.

inuenitq. eundem illa ipſa hora defunctum, qua eo modo auditus,& viſus eſt ſibi . Quid tum ipſe? licet enim antiqua probitatis vir eſſet,innoxiamq. & proficuam omnibus vitā hactenus excoluiſſet, prout decebat vere philoſophum; ex eo tamen tempore vale dicens philoſophicis diſciplinis,ſolius chriſtianæ philoſophiæ cæteris eminentioris propenſior cultor effectus; quod reliquū fuit temporis,mūdo defunctus, ſoli vitæ futuræ vixit , ſpecimen edens abſolutiſſimi omnibus numeris Chriſtiani , qui inter philoſophos ſui tēporis magna cum laude claruerat,nulli ſecundus.

Michael Mercatus poſt Marſilii apparitionē viuit ſanctius.

5 *Expedit enim mihi mori magis,quàm viuere.* Etenim nulli,conſideranti ſtatū, & miſeriam huius vitæ, alterius verò ſempiternā felicitatem,dubium eſſe poteſt , quin multò magis mors , quā hæc infeliciſſima vita expediens ſit,& expetenda:nam *licet bonum ſit bene viuere,tamen,*vt Petrus Bleſenſis dicit, *longè melius eſt benè mori* . Et Ambroſius , *Quid,* inquit,*mali eſt anima , quæ puritatē ſuam cuſtodierit , & virtutum diſciplinam ſeruauerit? aut ſi non ſeruauerit , non mors malum,ſed vita; quia dum vitijs , peccatiſq. eſt obſita, non vita,ſed mors eſt: mors autem vitæ pretium luit,aut abolet eius dolorem, & cruciatum,aut ſuo quoties bono vtitur , aut malo alieno laborat. Nunc illa ſpecta , ſi vita oneri, mors abſolutioni : ſi vita ſupplicio , mors remedio. Quomodo igitur non erit bona mors? Si hic vita* bona,*quomodo poſt mortē non erit bona ? non enim ſecundum animæ & corporis copulam bona eſt vita noſtra, ſed ſecundum virtutem ; tollit mors occaſionem peccati,compugnantia diuidit,ne ſe inuicem impugnent ; & fidæ quietis ſtationem donat his,qui magno vitæ iſtius iactati ſalo , inter varia pericula verſantur: adipiſcitur enim vita noſtra per mortē, quod bonū eſt mortis . nam ſola mors eſt,quæ nos certos de noſtra ſalute reddit; adeò enim dum viuimus, incerti ſumus de noſtra perſeuerantia , adeò procliues,& faciles ad malum,vt nihil magis.* Hæc Ambroſius, qualia Tobias conſiderans(nā legit Vatablus:*Præcipe iam nunc me his anguſtijs excedere in locū æternū,ne auertas à me faciem tuam*) iure optimo ſibi mortē expedire dicit, quaſi,vt etiā docet Carthuſianus, ex hac laborū,& ærumnarū congerie, in aliquod impatiētiæ crimen labi pertimeſceret.

Pet. Bleſ. in c. 42 Iob circa med.

Ambroſ. de bono mortis c. 3.

Mors bonorum bona ipſis,& melior quam vita.

Vatablus.

Carthuſian.

Quòd mors grata iuſtis, ingrata impijs ob eam cauſam ſit, quòd illis lucrum, iſtis detrimentum afferat ſempiternum .

DOCVMENTVM I.

A

EA eſt cùm primis bonorum ab improbis differentia, vt boni ferè omnes cū Tobia

Iuſti omnes mortem cum Topia appetunt.

Tobias hic.

Haymo.

Cyprian. li. de mortalit. non longè a princ.

mortem in optatis habentes ſinguli cum eodem Dominum deprecentur, dicentes: *Præcipe in pace, recipi ſpiritum meum, expedit enim mihi mori magis, quàm viuere*. contra verò improbi ſic mortem timent, vt ne eius quidem mentionem vllam audire poſſint, vel audito eius ſolo nomine, palleſcant, ac trepident. Et quidem illi ex hac vita migrare vellent, quia, ſicut Haymo dicit: *quandiu in præſenti ſeculo conſiſtunt, ſemper in prælio ſunt, nec habent hic perfectam requiem, quam in alia vita ſe conſecuturos ſperant*. Nam *tunc*, ait Cyprianus, *eſt ſeruis Dei pax, tunc libera, tunc tranquilla quies, quando de his mundi tribulationibus extracti, ſedis, et ſecuritatis æternæ portum attingent, quando expuncta hac morte, ad immortalitatem venient*. Iſti

B

Impii mortē horrent.

verò nunquam vellent mori, quia per mortem ad inferna deducendos ſe eſſe norunt. Quare ſicut fures, cùm agros, ſyluasq́. percurrere quæſitorem prædonum, agriq́. præfectum audiunt, toto corpore contremiſcunt; ita exalbeſcunt illi, ſolo nomine mortis audito, iamq́. collo ſe ab illa teneri, & laqueum ſibi iniectum putant: & ſicut læſæ maieſtatis rei, quoties ſonantes claues audiunt, & carceris portas aperiri, iam iam ad ſe deferri mortis ſententiam putant, iam ad ſecurim ſe, aut laqueum vocari; ita improbi, vel, audita mortis commemoratione, iam iam ſe rapi ad inferorum pœnas putant.

Sanè ſicut olim ex eodem carcere, vt in

Gen. 41. 10

Geneſi habetur, piſtorum princeps ad ſuſpendium, pincernarum magiſter ad munus ſuum, & Ioſeph ad principatum exierunt:

C

ita ex eodem huius vitæ carcere exeunt & iuſti, & impij; ſed hi ad æternum ſupplicium, & ſeruitutē, illi verò ad æternum præmium, & principatum: quare nec mirum, ſi contrarijs etiam ducantur affectibus, & quam iuſtus exoptat mortem, impius abominetur: vt enim qui ad ſuſpendium ducitur inuitus, qui verò ad principatum libentiſſimè è carcere egreditur; illi quidem itineris ſpatium breuiſſimum, animal, quo vehitur, celerrimum, tempusq́. velociſſimum videtur; huic verò iter longum, animal tardum, tempus etiam plus ſolito diuturnum; ita amatori mundi, & peccatori ad ſupplicium inferni deſtinato, totus vitæ curſus, & tempus breuiſſimum videtur: at iuſto, cui æternæ vitæ palma parata eſt, vita hæc mortalis longiſſima eſt, atq; moleſta.

Mors impiis armata, bonis inermis.

1. Cor. 15 56

Apparet etiam mors impijs armata, bonis autem inermis: nam cùm, teſte B. Paulo, ſint *arma mortis peccatum*: vnde ait: *ſtimulus mortis peccatum*, vt Sapiens docet: *In malitia ſua expelletur impius: iuſtus autem*,

D

Prou. 14 32

quia mortem aſpicit inermem, quippè qui per pœnitentiā ſuum peccatum deleuit, *ſperat in morte ſua*. Mulier quę, abſente marito, pudicè vixit, ſuæq́. exiſtimationi conſuluit, aduentantis mariti nuntium lætabunda ſuſcipit, quòd illius ſe cōtubernio, & ſocietate diu fruituram ſperet: at mœret illa, quæ, marito data fide violata, impudicè vixit, quòd nihil ab eo aliud, niſi durum repudium expectet; ſic iuſti, qui Deo fideles fuerunt, mortis nuntium lætanter ſuſcipiunt, quòd illam ſciant, vt ſupra ex Cypriano dictum eſt, & ſibi malorum omnium finem, & ſperatæ beatitudinis initium fore: at impij, qui Deo fidem fregerunt, quòd illam carnalium voluptatum finem, pœnæq́. ſempiternæ principium noſcant, maximo mœrore, vel nomine mortis audito, contabeſcunt. Quemadmodū

E

ſi quis ea pœna damnaretur, vt immane aliquod pondus aliò deferret, maximo cum deſiderio illud deponendi, ad locum deſtinatum properaret; ita immane pondus corporis, quo iuſti grauati, ſæpe cū B. Paulo, quod nolunt malum, illud faciunt, in patientia ferunt, & mortem, qua illo leuantur, habent in deſiderio. Vnde S. Auguſtinus: *Sunt*

Aug. in ep. Io. parū a princ.

homines, inquit, *qui cum patientia moriuntur, & ſunt quidam perfecti, qui cum patientia viuunt*. *Et quis*, ait Cyprianus, *peregrè conſtitutus, non properabit in patriam regredi? Quis ad ſuos nauigare feſtinans, ventum proſperum cupidius non optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Patriam noſtram paradiſum computamus, parentes Patriarchas habere incipiamus, quid non properamus, & currimus, vt patriam noſtram videre, & parentes ſalutare poſſimus?*

Cyprian. vbi ſup.

F

Sic ſanctus ille Elias ita mortem exoptabat, vt diceret: *Sufficit mihi Domine, tolle*

3. Reg. 19 4

animam meam, non ſum melior patribus meis. Heu mihi, ait Dauid ipſe alioqui rex

Pſ. 119. 5 6

beatiſſimus, *quia incolatus meus prolangatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea*: ac ſi dicat: Heu me, quàm longè à patria mea ſum, dum in huius mundi tenebris mœrens habito (tenebras enim Cedar ſignificat) ſolus ab omni mundano ſolatio, & ſocietate ſeiunctus? *quando veniam, &, apparebo ante faciem tuam?* & B. Paulus, tanquam ſi è remigum numero aliquis eſſet eorum, qui ad triremes damnati ſunt: *Cupio diſſolui*, aiebat, *& eſſe cum Chriſto*: quaſi diceret; ego quidem non abeo ex hoc mundo, in eoq́. ſto, ac viuo, quoniam me pedicæ ac manicæ huius mortalitatis tenent nolentem, & abire conantem ipſo toto corpore catena vinctum: ſoluantur catenæ, & nox, & volauero. ò vtinam ſit aliquis, qui me diſſoluat; *cupio diſſolui*. B. Ignatius, vt S. Hieronymus refert, cùm è Syria Romam captiuus duceretur, tanto martyrij deſiderio flagrabat, vt Romanis ſcribens, hæc habuerit. *Vtinam fruar beſtijs, quæ mihi ſunt præparatæ, quas, & oro mihi veloces eſſe ad interitū, et ad ſupplicia, et allici ad comedēdū me, ne, ſicut et aliorū marty*

Pſ. 41. 2

Phil. 1. 23

G

Hier. libro de ſcript. Eccleſ.

rum non audeant corpus attingere, quod ſi venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo, vt deuorer: ignoſcite mihi, filioli, quid mihi proſit ego ſcio. Dum S. Antonins ad Paulum primum eremi cultorem aduentaſſet, vt idem refert Hieronymus, hæc illi Paulus: *Olim te frater in iſtis regionibus habitare ſciebam: olim conſeruum meū te mihi promiſerat Dominus; ſed quia iam dormitionis tempus aduenit, & quod ſemper cupiebam diſſolui, & eſſe cum Chriſto, peracto curſu, ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, tu miſſus es à Domino, qui humo corpuſculum tegas, immò terram terræ reddas.* Quibus Antonius auditis, flens, & gemens, ne ſe deſereret, atque vt comitem talis itineris acciperet, precabatur: cui ille. *Non debes*, inquit, *quærere quæ tua ſunt, ſed quæ aliena: expedit enim tibi, ſarcina carnis abiecta, agnum ſequi, ſed & cæteris expedit fratribus, vt tuo adhuc inſtituantur exemplo.* Auguſtinus hoc etiam incenſus deſiderio, exclamabat: *Concupiſcit, & deficit anima mea de memoria tua, quando veniam, & apparebo tibi lætitia mea? cur faciem tuam abſcondis? forte dicis, non videbit me homo, & viuet? Eia Domine, moriar, vt te videam, videam, vt hic moriar, nolo viuere, nolo mori, cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto: o Domine Ieſu, accipe ſpiritum meum, vita mea, accipe animam meam.* Sancta etiam eiuſdem mater Monica hanc vitam pertæſa dicebat, *quid hic facio? quid hic facio?* Hæc iuſtorum deſideria efficiebāt, vt morientes non modò nō contriſtarentur, ſed potius læti, & alacres in Domini properarent occurſum, venientemq. obuijs, vt aiuut, vlnis exciperent. Sanè ſicut cycni, vt teſtis eſt Cicero, quaſi præuidentes, quid in morte ſit boni, cum cantu, & voluptate moriuntur, quod etiam teſtatur Martialis, dum ait:

Dulcia defecta modulatur carmina lingua,
Cantator cycnus funeris ipſe ſui.

Et Ouidius his verſibus:

Sic vbi fata vocāt, vdis abiectus in herbis,
Ad vada Meandri concinit albus olor.

ita iuſti probatæq. vitæ viri, qui niueum illorum candorem vitæ ſanctitate referre ſtuduerunt, cum mortem ad ianuam fermè cōſpiciunt, geſtientes præ gaudio, pſallunt Deo in cordibus ſuis, atque, vt eis datur, dulce canticum modulantur. Sic ſancta Eliſabet, vt habetur in eius vita apud Surium, moriens concinebat: Maria etiam Ogiriacenſis, vt eius acta memorant, imminente iam morte, occinuit Alleluia, noctemq. totam in iubilo, ac exultatione traduxit. Conradus Germanus Ordinis Prædicatorum, vt apud eundem Surium habetur, moriens intonuit voce magna: Cantate Domino canticum nouum, & ore hilari, ſerenaq. facie ſpiritum Deo reddidit: Ioannes Scalarius de Guaſcogna Ordinis Prædicatorum, moriturus manus cum gaudio extendens, canere cœpit: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, alleluia.* Quiſilindam virginem monialem refert Beda morientem cœpiſſe orationes dulci modulamine canere. Electum ordinis Minorum adoleſcentulū narrat Petrus Rodulphus in ipſo mortis articulo ter voce ſemper maiore cantaſſe: *aſcendo ad patrem meum.* Michaëlem Ordinis Ieſuatorum refert Morigius, adueniente hora mortis, pro viribus cecinisse, nec prius à cātu, quàm à vita deſtitiſſe: taceo quàm plures alios, qui moriētes cordis exultationem externis etiam vocibus, canticiſque ſignificarunt. Contra verò, vt Pſaltes ait: *Mors peccatorum peſſima*, & gemitibus plena: id quod etiam externis doloribus nonnunquā oſtenſum eſſe claris exemplis docet Clicthoueus ex Gregorio, Beda, & alijs, aſſerentibus, alios ſub vitæ exitum horrendum vidiſſe draconem, cui ad deuorandum diuino fuerant iudicio permiſſi; alios inducias vſque manè anhelo ſudore proclamantes, vniuſq. horæ ſpatium poſtulaſſe: alios teterrimos aſpexiſſe Aetiopes: rurſum alios apertum infernum vidiſſe. Quare, vt *moriatur anima noſtra*, quod orabat Balaam, *morte iuſtorum, & fiant nouiſſima noſtra ipſorum ſimilia*; ante obitum noſtrum, vt monet Sapiens, *operemur iuſtitiam*; nam hæc vnica, & ſingularis eſt benè moriendi doctrina, benè, beatéq. viuere, iuſtitiam, & virtutem in vita ſtudiosè colere, Deum timere, eiuſq. mandata cum iuſtis ſeruare: etenim vt Auguſtinus ait: *non poteſt malè mori, qui benè vixerit, & vix benè moritur, qui malè vixerit*, ſed de hac materia iterum infra.

Hier. in vita Pauli primi Eremitæ.
H
Aug. in ſoliloq. anim. ad Deum c. 1. to. 10
I
Aug. li. 9. Confeſſ. c. 10
Cic. primo Tuſc.
Martial. epigram. lib. 13. v. p. 41
Cycnus morti proximus ſuauiter cantat.
Ouidius.
L
Morientes ſancti viri, qui velut cycni canebāt.
Vit. c. 9. apud Surium to. 6 9. Nouembris
acta apud eū dem tom. 3 23. Iunij apud eundem to. 4. 24. Nouemb.
In Cronic. Ord. Præd.
M
In vit. S. Burgundoforæ.
Petrus Rod. Hiſt. Seraph. lib. 1
Morig. in Vit. B. Colūbini.
Pſ. 33. 22
Clithou. de doctr. morien. c 4
N
Num. 23 10
Eccli. 14 17
Aug. de doct. Chriſt.
Inf. hoc eodē cap. verſ. 15 docum. 2

Quòd vitæ huius periculorum conſideratio omnibus mortem optabilem reddat.

DOCVMENTVM II.

A SIcut nullus eſt, qui terram aliquam habitans, vbi magnis angoribus implicetur, optimo conſilio in aliam tranſire ciuitatem in optatis non habeat, in qua tutus, & ſine animi moleſtia viuere poſſit; ita non mirum, ſi quicunque animæ ſuæ in hoc mundo pericula conſiderans, hinc in cæleſtem patriam, in qua ſecurus viuere poſſit, cupiat tranſmeare: ſicut enim in hoc mundo vnicuique multiplices hoſtes ſunt dæmones, qui, vt Auguſtinus ait, homines ad peccatum inducere cupientes, *mille nocendi, fallendiq. artes interponunt*, adeò potentes, vt Iob dicat:

Aug. de Gen. l. 2, c. 0

Iob 41. 24

Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur eis. Sunt caro, & mundus, qui capitali nos odio proſequuntur, noſtramq́. perniciem moliuntur. Hinc Cyprianus:

Cyprian li de mortalit. non longe à princ

Quid aliud in mundo, quàm pugna aduerſus diabolum quotidie geritur? quàm aduerſus iacula eius, & tela conflictationibus aſſiduis dimicatur?

B

Mundi pericula.

Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt, cum carnalibus vitys, cum illecebris ſecularibus aſſidua, & moleſta luctatio eſt: obſeſſa mens hominis, & vndique diaboli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si auaritia proſtrata eſt, exurgit libido, ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio; ſi ambitio contempta eſt, ira exaſperat, inflat ſuperbia, vinolentia inuitat.

Aug. ſer. 17. de verb. Domini parùm poſt princ.

Vnde Auguſtinus: *Quid eſt autem*, inquit, *diu viuere, niſi diu torqueri? Quid eſt aliud diu viuere, niſi malos dies malis diebus adderet?* Quare fieri minime poteſt in hac mortali, & ærumnoſa vita, vt quietem, & ſtabilitatem quis reperiat, quæ in ſua etiam

Hier. epiſt. 1 ad Eliod. de Laud. vit. ſolit.

quiete, vt Hieronymus docet, maximam ſolet habere tempeſtatem: ſic ille: *Quaſi nuper naufragio eiectus in litus doctus nauta,*

C

tumida nauigaturis voce denuntio: nolite credere, nolite eſſe ſecuri: licèt in modum ſtagni fuſum æquor arrideat, licèt vix ſumma iacentis elementi ſpiritu terga criſpentur; magnus hic campus montes habet: intus eſt hoſtis, expedite rudentes, vela ſuſpendite, crux antennæ figatur in frontibus, tranquillitas iſta, tempeſtas. Sanè ſicut nullus in hac vita, ita proſtratus eſt, quin ſurgere poſſit; ita nullus ſic victor, quin poſſit vinci. Cecidit è cæleſti ſolio Lucifer cum Angelis ſuis: cecidir Adam in Paradiſo voluptatis conſtitutus, & naturalibus, & ſupernaturalibus magnificè donis ornatus: cecidir perfectiſſimus Rex ille Dauid: cecidit Petrus, qui diu cũ Chriſto conuerſatus eius miracula nouerat, claritatem in monte Tabor viderat, & Patris vocem è cælo lapſam

D

audierat. Ecquis tantorum virorum caſus conſiderans, ſe omnino ſtabilem iudicabit? Quis cum Dauid ab altitudine diei non timebit? ò mortalium infelicem conditionẽ!

Cypr. vbi ſup.

ò vitam fallacem! *Mira certè res*, ait Cyprianus: *tot perſecutiones animus patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter diaboli gladios diu ſtare!* delectat in periculis æternæ damnationis viuere, delectat lubricam ambulare viam, periculis obſitam, præcipitijs, æternisq́. barathris circumuallatam! in qua tunc maius periculum, quando, vt diximus, maior ſecuritas.

In vit. PP. in vit. ſ. Ioannis Aegypt. Eremit. ad med.

Vnde quendam eremi cultorem monachum ſummæ abſtinentiæ, virum quotidianum victum labore manuũ quęrentẽ, & in orationibus diu, noctuq́. perſiſtentẽ, cũctis animi virtutibus floruiſſe legimus, ad quem accedens

E

tentator, & laqueos parans, ad veſperam finxit ſe faciẽ habere decore mulieris oberrantis per eremũ, quæ veluti feſſa poſt nimium laborem, ad oſtium ſpeluncę monachi ſe laſſabundam ſimulans, atq; defatigatam, intrò ſemetipſam proijciens, aduoluta genibus viri, vt ſui miſereretur exorauit: *Nox*, inquiens *me infelicem in eremo latitantem comprehendit, iube me requieſcere in angulo cellulæ tuæ, ne fortè ſim nocturnis beſtijs præda*: ſed quid miror? recipit illam monacus, miſerationis obtentu, faces ſuas immittit dæmon, vt illum ad honeſtatem labefactandam induceret, vt, vbi ad obſcœnos iam conaretur venire complexus, illa vlulatum teterrimum diræ vocis emittens, vmbra, vt erat tenuis, per manus amplectentis elabitur, mox clamore, & cachinno coram cæteris dæmonibus, in aëre ad hoc ſpe-

Dæmonis aſtutia ad religioſam honeſtatem demoliendam.

F

ctaculum congregatis, O, inquit, *monache, monache, qui te vſque ad cœlum extollebas, quomodo demerſus es vſque in infernum?* Verùm ille vt amens effectus, deceptionis ſuæ pudorem non ferens, grauius eſt deinde à ſemetipſo deceptus, quàm fuerit à dæmone: nam deſperans omni ſe tradidit impudicitiæ, & ad vitam ſecularem regreſſus eſt. Vide humanæ couditionis ſecuritatem: &

Greg. in moral. & her. de pœnit. diſt. 3. can. incaſſum.

quàm, ſicut dixit Gregorius, *incaſſum bonum agitur, ſi antè vitæ terminum deſeratur!* Ecquis non diceret mortem huic ſolitario futuram fuiſſe beatam, ſi antè tantam ruinam illi contigiſſet? ſed quia de illo neſcimus, an diu antè, quàm caderet, in illo perfectionis ſtatu perſeuerauerit; de Nerone, qni annis quinquaginta in Dei ſeruitio

Caſſ. coll. 2. c. 5.

perdurauit, quod Caſſianus refert, audiamus. Hic tanto rigore inimitabilem ieiunij

G

continentiam ſemper exercuit, & ſolitudinis cellæq́ ita iugiter ſecreta ſectatus eſt, vt ab eo participationẽ ineundi cum fraternitate conuiuij nec veneratio diei Paſchatis aliquando potuerit obtinere: miſer aliquando à dæmone laudatus, cùm eum à Deo miſſum ad ſe de cælo Angelũ credidiſſet, credidit etiã, quod audierat, ſe ſcilicet tãti iam apud Deum meriti eſſe, vt ſi ex arduo aliquo loco ad imum ſeſe præcipitaret, futurum non eſſe, vt corpus ſuum allideretur, læderetur ue.

Deut. 6

Matt. 4. 7

Pſ. 90. 13

Itaq; immemor ſcriptum eſſe: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, ſed potius in perniciem ſuam illud impudenter amplectens, *Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte ad lapidem offendas pedem tuum*; noctu ſurrexit, & in puteum non modicæ altitudinis ſe ſe præcipitem dedit:

Religioſus ſuperbus a dæmone tentatus ſuperatur

H

ſed cùm ad ſtrepitum exciti fratres, accurriſſent, illumq́. ſeminecem extraxiſſent, atque de tota re facti certiores, dæmonis fraudes technasq́. detexiſſent, haud credit ille, ſed in ſua pertinaci credulitate perdurans, die tertio poſt è vita migrauit, & virtutum quamuis altè ſtructum ædificium momento vno proſtrauit, & pro meritis laborũ

tantorum, & annorum numeroſitate, qua in eremo perdurauit, vix multorum ſupplicatione ab Abbate Paphnutio ſepulturam fratrum promeruit. Vnde B. Paulus meritò timendum ſemper docet, ne bona, quæ egi-
1.Cor. 4.7 mus, amittamus: *Quia*, inquit, *habemus theſaurum in vaſis fictilibus*, quæ facilè franguntur. Sanè qui in luſca nauigat naui, facilè demergitur: & qui domum nitrato puluere plenam habitat, ab immiſſa ſcintilla facilè ſuccēditur. Quis igitur hæc conſideret, & non expaueſcat? quis ſe tutum arbitretur, quando viri, qui cælum, vt ita dicam, digito tangere videbantur, lu-
I dibrium dæmonum effecti ſunt? *O charam*, ò pretioſā mortem, ò mortem deſideratiſſimā, quæ ſola laborantes pro cæleſti vita, tutos
Bern. ep. 105 ad Rom. Cur. Rom. Iudiac. Chryſoſt. ho. 59. ad pop. Antioch. prope med. reddis: *ò quam beati mortui, qui in Domino moriuntur*, inquit Bernardus: *bona ipſorum mors propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter ſecuritatem*. Sic *Dauid*, inquit Chryſoſtomus, *mortem beneficium nuncupat, dicens: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benè*
Deut. 30 19 *fecit tibi*. Et Moyſes, cùm populum Iſrael ad obſeruantiam legis hortaretur, ait illi: *teſtes inuoco hodie cælum, & terram, quòd propoſuerim vobis vitam, & mortem: Vitā, & bonum* legunt Sanctus Hieronymus, & Complutenſia, docentes, bonum cum morte, & mortem cum bono conuerti: quod

Mors inter bona recenſenda.

L etiam cognouerunt ipſi Ethnici, quorum aliquos pro magno beneficio mortē à dijs recepiſſe, docet Plutarchus, memorans duos adoleſcentes Argiuos Cleobin, & Biton, orāte matre, quę Iunonis erat Sacerdos, vt, quod optimum bonum eſſet, ipſis à Dea daretur, fuiſſe ſomno traditos, nec ab eo amplius ſurrexiſſe. Quare Aeſchylus, vt idem refert, perbellè eos increpare videtur, qui mortem malum eſſe putant, dicens: *Quàm inique mortem ideò proſequuntur mortales, quippe quæ maxima eſt multorum malorum medela?* quòd ſi homines, qui Deum ignorabāt, & qui mortui ad infernum damnatorum ibant, mortem quid optimum eſſe cenſebant, cur Chriſtiani homines, qui vitam illam expectant, *quam Deus daturus eſt ijs, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo*, non illam & ipſi optimum miſeriarum leuamen dicent, illas To-

Plutarchus; in orat. cōſol. prope med. tom. 1 opuſc.

Aeſchylus apud Plutarc.

M biæ preces ad Deum fundentes: *Nunc Domine ſecundum voluntatem tuam fac mecū, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum, expedit enim mihi mori magis, quā viuere?*

Quòd voluntati diuinæ in omnibus obſequendum ſit.

DOCVMENTVM III.

A *SEcundum voluntatem tuam fac mecū.* Licèt ſecundum ea, quæ diximus, manifeſtum eſſet Tobiæ, mortem magis, quàm vitam ſibi expedire, haud tamen in hoc ſuæ voluntati, ſed magis diuinæ factum voluit ſatis, cui in omnibus ſe ſubiectum volebat: quòd ſanctorum virorum illud ſolum ſit deſiderium, diuinam in omnibus exequi volūtatem: vnde Dauid, de illis verba faciens, cùm Deum alloqueretur, ait: *Domine in* *Pſ.* 88.16
lumine vultus tui ambulabunt. Alius enim, inquit Bernardus, *ambulat in lumine vultus ſui, ſolicitus facere ſuam voluntatem, & beneplacitum cordis ſui conſiderās: Alius ambulat in lumine vultus humani, in eo ſemper intētus, quod hominibus placet, quid mūdus iudicet*: de quibus dicit Pſaltes: *Contri-* *Pſ.* 13. 4.3
tio, & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt, non eſt timor Dei B
ante oculos eorum. Contra verò de his, qui cum illo in lumine vultus Dei ambulāt, Dei voluntatem ſemper præ oculis habentes: *Viæ eius*, ait Sapiens, *viæ pulchræ, & om-*
nes ſemitæ illius pacificæ, quòd diuinis con- *Prou.* 3.17
ſolationibus illos Dominus reficiat: vnde ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, &* *Matth.* 11 28
onerati eſtis, & ego reficiam vos: vos, ſcilicet, quos veſtræ, ſeu alienæ voluntatis dura premit ſeruitus, *& inuenietis requiem animabus veſtris*. Sic Abbas Dorotheus de ſe ipſo loquens: *Nunquam mihi permiſi*, ait, *nunquam paſſus ſum, vt cogitationibus meis crederem: proinde*, ſubdit, *credite mihi, fratres, tanta quiete, & animi tranquillitate fruebar, vt plerumque indignarer, nec libenter id ferrem: audieram enim, per magnas, ac multas tribulationes, & afflictiones oportere nos in regnum cælorum ingredi, nec videbam me interim aliquam pati tribulationem, dumq. de hac quiete anxius dubitarem, ſenex mihi rem aperuit, dicens: Ne mœrore graueris, ſi afflictione nulla, aut nulla tribulatione concuteris, quoniam quicunque alieno arbitrio regendum ſe dederit, iſthac profectò quiete, & animi tranquillitate fruetur*. Hinc Bernardus: *Conſenſum noſtrum neceſſe eſt*, ait, *diuinæ ſubijcere voluntati, ſi pacem æternam, ſi pacem deſideramus habere præſentem*. Quare, ſicut agricola vites, quia infirmæ ſunt, & multum creſcere ſolent, vlmis adiungunt, ne errabundæ per terram fundantur, & pereant; ſic homo ſuam voluntatem diuinæ adiungere debet, ne inter viciſſitudines, & inſtabilitates harum terrenarum rerum, ſemper inueniatur inconſtans. Nam, ſicut Ionas, dum *Ionæ* 4. 6
minacem illam prophetiam Niniuitis prolatam magis iuxta ſuum iudicium, quàm Dei voluntatem, adimplere vellet, maxima afficiebatur mœſtitia, timens aliter euenturum, quàm prædixiſſet: & paulò poſt cùm hederam ſuper caput ſuum aſcendentem vidiſſet, & illa ſe ab iniurijs ſolis protectum, *lætatus eſt*, ait Sacra Scriptura, *Ionas ſuper hedera lætitia magna*, quòd ſecundùm ſuam

Dorot. ſer. 5. ne quiſq. propè fin.

Obedientiæ fructus eſt animi trāquillitas.

Pax ſumma iis, qui propriā voluntatem diuinæ ſubiiciunt.

Bern. vbi ſup. ante med. ſimile.

Volūtas propria animi inquieti mater.

vo-

voluntatem contigiſſet, & mox eadem à verme corroſa, tanta eſt inquietudine, triſtitiaq́. affectus, vt mortem appetierit. *Sic petiuit*, ait textus ſacer, *animæ ſuæ, vt moreretur*: ita fermè agunt ij, qui ſuam, non Dei quærunt voluntatem: ſemper inquieti ſunt, ſemper inſtabiles, & tanquam pueri non minus prompti ſunt ad gaudium, quàm ſint ad dolorem: nec mirum; quieſcere enim volunt ſub infirma, & inſtabili hedera propriæ volũtatis: ſed qui in lumine vultus Dei ambulant, & diuinam agnoſcentes voluntatem, ſe ſe illi planè ſubijciunt; hi profectò in *nomine Domini exultant, & non eſt illis ſcandalum*, quòd in hoc ſit ſumma quies, ac totius vitæ Chriſtianæ, & ſpiritualis perfectio: nam ſicut in ſcribendo, vel ædificando, vel in reliquis operibus illud magis perfectum eſt, quod regulæ ſuæ magis appropinquat, & illud magis imperfectum, quod ab illa magis deflectit; ita cùm voluntatis noſtrę certa ſit regula diuina voluntas, quo magis ad illam vel accedit noſtra, vel recedit, eò magis perfecta, vel imperfecta cenſenda eſt. Quare Bernardus: *Totius*, inquit, *perfectionis ſumma in eo videtur conſiſtere, ſi voluntas noſtra diuina ſubiecta ſit voluntati*. Nec Auguſtinus dicere veritus eſt, Dei matrem non tam in eo fuiſſe felicem, quòd verbum in ipſa caro factum ſit, quàm quòd ipſa Dei voluntatem fecerit: quod ex ſententia ipſius verbi probat, cui cùm à quadã muliere de turba diceretur: *Beatus venter, qui te portauit, &c.* reſpondit: *Quin immò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Vnde Caſſianus refert, quòd, cum quidam fratres Sanctum ſenem iam propè moriturum precarentur ſuppliciter, vt aliquod eis memoriale mandatum relinqueret, per quod facilius ad perfectionis culmen peruenirent: ingemiſcens ille, nihil aliud dixit, niſi: *Ego nunquam meam feci voluntatem*. Adijcio celebrem illam medici cuiuſdam vel hiſtoriam, vel parabolam, qui ſummæ felicitatis, & tranquillitatis viã doctiſſimum quendam virum edocens, hoc vnum in votis habendum ſemper eſſe dicebat, vt Dei voluntas fiat: quod cùm ille, ſemper animo altè infixum haberet; meritò affirmabat nihil ſibi moleſti accidere, etiam ſi plurima incommoda pateretur.

Iona 4. 8

Pſal. 118 165

Perfectio Chriſtianæ vitæ in quo conſiſtat.

Bernard. vbi ſupra poſt princ.

Aug. tract. 10 in Ioan.

Voluntas diuina noſtræ felicitatis origo.

F

Luc. 11. 28

Caſſian. li. 5. de inſtit. Cænob. c. 28

G

Voluntas humana quomodo cõformari diuinæ debeat.

Quicunque igitur quietè viuere, ac vitam Chriſtianæ perfectioni congruentem agere cupit; in omnibus voluntatẽ ſuam diuinæ conformare debet, non illud materialiter duntaxat volendo, quod ipſa vult; (nam hæc conformitas eſt admodum imperfecta, quam etiam mali homines, & ipſi dæmones habere poſſunt, vndè & ipſe diabolus voluit quidem, quod volebat Deus, probare nimirum Iob; at intentione peruerſa: nam quod Deus volebat ad meritum, ipſe volebat ad demeritum) ſed volendo aliquid eo modo, quo ipſe Deus vult nos velle, & ad quod ipſe vult, vtputa eius diuinis præceptis parere ſine mortalis culpæ conſcientia, & omnino propter illius amorem; nam hæc requiruntur ad perfectam conformitatem cum diuina voluntate, quam omnes ſancti viri ardentiſſimè & exoptant, & quærunt. Vnde benè Climaeus: *Qua ſiti æſtuans ceruus, fertur ad aquarum fontem, tam ardenter omnes Dei famuli, cupiunt, vt diuinam voluntatem & cognoſcant ſemper, & exequantur*. Qui docens deinde modum, quo eam ſcire poſſimus, ſubiungit: *Quicunque Dei beneplacitum noſſe volunt, in primis omni proprio ſenſu expurgato, in quadam animi æqualitate ſe ſe conſtituerę debent, ita vt nullam in partem magis propendeant, ſed ad omnes Dei nutus ſe promptos agileſque conſeruent: deindè cum ſimplici fiducia patres ſpirituales rogare debent, atque eorum conſilium, tanquam ex Dei ore accipere, licet illi ipſi, qui interrogantur, non admodum ſpirituales, & perfecti ſint*. Sic cum aliquando S. Franciſcum, cogitatio anceps diutius torqueret, vtrum ſcilicet ſolitudini ſe penitus, & contemplationi traderet, an etiam proximorum ſaluti, quod pro vtraq; parte rationes occurrerent, neq; ſuper hac re, vt in alijs, ſolebat, à Deo reuelationem acciperet; ad S. Claram, ſanctaſq́. illius ſorores, quin etiam ad Syluestrum quẽdam monachum eximiæ ſanctitatis, qui tunc in quodam monte ſolitarius degebant, miſit rogãs, vt ſuper hac re precibus Domini placitum ſtudioſè venarentur, ſibiq́. indicarent. Redeuntẽ porrò ab vtriſque nuntium, quaſi à Deo venientem, Deiq́. mandata ſibi deferentem, excepit, lauit eius pedes illiq́. cęnam inſtruxit, miniſtrauitq́. Ad proximum deinde montem illum adducens, aperto capite, genibus flexis, manibus etiam in modum crucis compoſitis, *Quid*, inquit, *facere mihi iubet Dominus meus Ieſus Chriſtus*? Cui cùm ille reſponſum dediſſet, in proximorum ſalutem ex Dei voluntate illi incumbendum eſſe, ſtatim nulla interiecta mora ex eodem, vbi conſtiterat loco, tam rapido ſe curſu protipuit; vt per medios etiam campos, denſaſq́. ſyluas, locaq́. hominibus inuia properarit, donec ad ciuitatem peruenerit. Ecce qua diligentia & quærebant, & exequebantur ſancti viri diuinam voluntatem, inferiorum etiam conſilia inueſtigantes, dum ſuperiorem non haberent. Digna imitatione Sanctorum humilitas eſt; quam decipi haud vnquam permittit Deus: non enim iniuſtus eſt, vt eas animas fallat, vel fallere poſſit, quæ cum fide, & humilitate, alterius ſe iudicio ſui cauſa ſubmittit: nam ſi Deus prophetæ Eliſæo ad citharæ ſonitum manifeſtauit, quæ ſcire cupiebat; cur non manifeſtabit ad ſermones hominis ratione vtentis, magiſque apti ad eius reci-

H

Climac. grad. 26. de diſcret. poſt med. §. quemadmodum.

Confeſſarii, ſeu patres ſpirituales conſulẽdi ad Dei voluntatẽ dignoſcendam

Deus in orat. conſulendus

I

Cron. S. Frãc. Hiſp. p. 1. l. 2. c. 53

E

Humiles decipi Deus nõ patitur.

4. Reg. 3 15

pien-

piendum *influxum?* Submittamus igitur noſtram voluntatem diuinæ, cum Tobia dicentes: *ſecundum voluntatem tuam fac mecum.* Verum quòd nihil, inconſulto per orationem Deo, aggrediendum ſit, inferius oſtendimus.

Infra cap. 4 verſ. 20. doc. 8

VERS. VII.

Eadem itaque die contigit, vt Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum, & ipſa audiret improperiũ ab vna ex ancillis patris ſui.

VERS. VIII.

Quoniam tradita fuerat ſeptem viris, & dæmoniũ nomine Aſmodęus occiderat eos mox, vt ingreſſi fuiſſent ad eam.

1 *Rages ſic pro Ecbatana.*
2 *Contumelia ab improperio in quo differat.*
3 *Dæmones cur ſic dicti.*
3 *Quòd inter illos naturæ ſit ordo.*
5 *Quis fuerit Aſmodæus.*
6 *Cur ſic dictus, & quod rex dæmonum impuriſſimorum ille ſit, à quo priores Saræ viri ſunt præfocati.*

VERS. VII.

EADEM itaque die, In qua nimirum ſanctus Tobias tanta perpeſſus improperia, mœrens apud Deum preces ſuas fuderat,

ſup. c. 1. verſ. 16

1 *Contigit in Rages ciuitate Medorum*, De qua ſupra. Hic tamen poni Rages pro Ecbatanis declarant LXX. dicentes: *In eadem die contigit filiæ Raguelis Sara in Ecbatanis Media*: Syrus, *In Ecbatanis Medorum.* Arabs: *In vrbe Medorum.* Nec dubium, ciuitatem, in qua Sara manebat, aliam fuiſſe à Rages, in qua degebat Gabelus: nam, vt etiam infra dicitur, Tobias Iunior, cui Sara nupta fuerat, miſit Azariam ad Rages ciuitatem Mediæ, quam biduũ abfuiſſe ab Ecbatanis tradit Hebræus his verbis: *Eſt iter duorum dierum ab Ecbatanis vſque ad Rages, & Rages quidem eſt in monte, Ecbatanis autem in planitie campi.* Et quando ibi vulgatus noſter dicit: *Rages in monte Ecbatanis poſita*, Ecbatanis veluti indeclinabile, vt ſemper alibi, ſumi debet, vt ſit ſenſus: In monte Ecbatanorum. quare pro Ecbatanis Ragés hic in litera poni ſatis apparet: nec mirum cum Rages, ſeu Ragorum nomen Ecbatanis etiam & à Græcis omnibus, & ab Hebræorum altero tribuatur, quin & ab ipſo Athenæo, qui Perſarum regem Ecbatanis

LXX.
Syrus.
Arabs.
inf. c. 6. & 9
inf. c. 5. ver. 8
Græci Codices inf. c. 6. ver. 9
Hebræus ibid.
Athenæus lib. 12 & 11

ætatem tranſigere conſueuiſſe vno loco dicit, & alio ἐν Ῥαγαῖς, quod facilè fieri potuit ex eo, quòd, teſte Diodoro, Rhages vicina eſſet Ecbatana, & ſicut docet Stephanus, Ecbatana eſſet magna Mediæ pars. De huius vrbis magnitudine plura habes apud Iudith, & infra

Diodor l. 19
Iudith c. 1 infra c. 5 verſ. 8

Et ipſa audiret improperium, ſibi nimirũ illatum. Vnde LXX. *& ipſa improperari*: noua tranſlatio ex Græco; *vt contumeliam pateretur*

LXX.
Græcus ex noua translat.

Ab vna ex ancilis, LXX. *ab ancilla.* Græcus alter: ὑπὸ παιδισκῶν, *ab ancillis*, ſicut etiam Syrus, & Arabs. fortè quòd vna ceteris inſolentior, aliarum etiam nomine improperia, & grauiſſimas contumelias, prout Græcus notat, contra Saram proferret: licèt enim contumelia ab improperio ſpecie non differat, cùm ad ſignificandum defectum alicuius in detrimentum honoris alterius vtrumq; referatur; propriè tamen loquendo, tunc dicitur improperium, quãdo quis iniurioſè in memoriam alteri reducit, aut auxilium, & beneficium, quod ei in neceſſitate conſtituto præſtitit, iuxta illud Eccleſiaſtici: *exigua dabit, & multa improperabit:* cuius contrarium facit Deus, qui vt B. Iacobus ait: *Dat omnibus affluenter, & non improperat.* Et tunc dicitue contumelia, quando defectus alicuius ſignificatur in malum culpæ, vt cùm quis dicitur fur, homicida, quomodo, vt inferiùs apparebit, Sara ab ancilla dicta eſt interfectrix virorum. Sic ab illa, à qua pro beneficijs debuerat honorari, grauiſſimo contumeliarum flagello impetitur, quinimmò acutiſſimo enſe tranſuerberatur: nam improperantium dentes vocat Dauid, *arma, & ſagittas, & linguam eorum gladium acutum, venenumq́. aſpidis ſub labijs eorum* eſſe dicit, *quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt.* Et certè ſicut in veteri lege præcipiebatur leproſo, vt haberet os veſte contectum, quotieſcunque foras egrederetur; ne halitu peſtifero obuios inficeret, ita maledicus, cùm *ſepulchrum patens* ſit guttur eius, fœtore plenum, peſtilẽtes verborum halitus emittens, quæ & circumſtantes inficiant, & eum, cui maledicit, certo ictu percutiant, vel honorem eius lædendo, vel pacem animi perturbando, meritò ab hominum conſortio ſeiungendus foret.

Græcus alter
Syrus.
Arabs.
Improperii, & contumeliæ diſcrimen.
Eccl. 20 15
Iacob. 1. 5
Pſ. 13. 3

VERS. VIII.

Quoniam tradita fuerat ſeptem viris, & dæmonium, &c. Narratiuncula hæc præmittitur, vt appareat, vndè hæc improba ancillula anſam ſumpſerit, improperia illa iactandi in dominam ſuam, quæ poſtea memorantur, docet, Saram nubilem à patre ſeptem viris fuiſſe nuptam, qui à dæmonio, ex officio, Aſmodæo dicto, mox vt ad illam ingreſſi eſſent, (*accedebant autem ad illam*, vt infra Angelus narrat, *ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*) permit-

tente

Inf. c. 7. verſ. 13

tente Deo miſerè ſunt ſuffocati, de qua re iterum ſuo loco.

Dæmones cur ſic dicti.

Aug. de Ciu. c. 20. lib. 9 & ibi Ludou. Viues.

Lactantius diu. inſtit.

Dæmonium nomine Aſmodæum; LXX. *Aſmodæus malum dæmonium*: Syrus: *Aſmodæus dæmon malus*, hoc eſt, malè ſciens: nam vt Auguſtinus ait δαίμονες, ob ſcientiam dicuntur, &, vt ibi aduertit Viues, Plato in Cratylo, δαίμονας dictos quaſi δαήμονας, tradit, à prudentia, & peritia rerum. Et Lactantius: *Dæmones* (inquit: *grammatici aiunt dictos quaſi* δαήμονες, *id eſt peritos, ac rerum ſcios*: Quibus ſuffragatur Chalcidius. tamen, vt ibidem Auguſtinus ait, ſcientia eorum haud ſcientia eſt, quæ ædificare poſſit, ſed ſcientia, quæ inflat: nam ſine charitate eſt, quæ ſola ædificat, & ob id dæmones non boni, vt Angeli, ſed mali in ſacris literis nuncupantur.

Chalcid. in Tym. Plat.

Pſ. 106. 37

Dæmon prædator.

Luc. 10. 30

Io. 8. 44

Athanaſius in vita ſancti Antonij.

Proſp. de prædict. Dei l. 2. c. 30

Dæmonia omnia, vt hic notat Serarius, appellant Hebræi שדים, ſciedim, hoc eſt prædatores, & vaſtatores, cum שדד ſciadad, euertere, prædari, & vaſtare ſignificet, & meritò quidem: nam illi ſunt qui ſemper Dñi hæreditatem deprædari, & vaſtare contendunt: homicidæ ab initio: latrones, in quos incidunt, qui, vt apud Lucam legitur, *ab Ieruſalem in Ierico deſcendunt*, & bonorum, quæ nobis diuinitùs data ſunt, funeſtiſſimi vaſtatores: ita vt (ſicut ait Athanaſius apud S. Antoniũ) *ſi quod in peccatoribus malæ mentis, & pauoris ſemen inuenerint, quaſi latrones, qui deſerta obtinent loca, captos, cumulant timores, & crudeliter irruentes, infelicem puniunt animam*. Horum monſtrorum, vt Proſper ait, nequiſſimus, & princeps eſt Aſmodæus, vndè & illud Hebræus hic vocat . . . . Melech haſſche-
4 dim, hoc eſt Rex Amodæus: nec mirum, dæmones principem, & regem habere, quia cùm illi dona naturalia peccando non amiſerint, & actio ſequatur naturam rei; debent eorũ eſſe actiones ſubordinatæ, quorũ ſunt ſubordinatæ naturæ, vt S. Thomas docet: diuinæ congruit ſapientiæ, quæ nihil inordinatum reliquit: vndè illorum prælatio in iuſtitia Dei cuncta ordinãtis fundatur. Quare ſicuti ex communi amicitia homines leges, principes, & Reges ſibi conſtituunt; ſic dæmones ex communi nequitia, qua homines oderunt, & Dei iuſtitiæ repugnant, principem ſibi conſtituunt, leges, & modos decernunt, quibus debellari genus humanum poſſit. Id probant non modo illa ſcripturarũ teſtimonia, quæ in Euangelijs quoque, calumniantibus phariſæis, Domini legimus reſponſione deſcripta: *ſi ego in Belzebub principe dæmoniorum eycio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt?* ſed etiam experientiæ ſanctorum multæ nos edocent. nam cùm vnus ex fratribus eremi, vt docet Serenus apud Caſſianum, in ſolitudine iter ageret cum iam aduesperaſceret, antrum quoddam reperiens, ibidem ſubſtitit, veſpertinam volens in eo Synaxim celebrare, vbi dum pſalmos ex more decantat, tempus mediæ noctis exceſſit, cumq́. finita ſolemnitate, refecturus laſſum corpus, paululum reſediſſet, repente cæpit catervas dæmonũ vndique confluentiũ innumerabiles intueri, quę infinita conſtipatione, atque ordine longiſſimo procedentes, aliæ præibant principem ſuũ, aliæ ſuo agmine ſequebantur: qui tandem aliquando & magnitudine procerior cunctis, & conſpectu terribilior aduenit, ac poſito ſolio, cum in tribunali quodam ſublimiſſimo conſediſſet, vniuſcuiuſq; actus diligenti cœpit examinatione diſcutere, illosq́. qui necdum ſe circumuenire ęmulos ſuos potuiſſe dicebant, velut inertes, ignauosq́. à conſpectu ſuo cum nota, & iniuria iubebat expelli, ſpatia temporis tanti, & opus inaniter ab eis expenſum, cum fremitu furoris exprobrans. Illos vero, qui ſe nuntiabant de conſignatis ſibi hominibus euaſiſſe victores, ſummis laudibus, & ſecunda omnium admurmuratione cohoneſtatos, tanquam fortiſſimos bellatores, & cæteris ad exemplũ propoſitos, dimittebat. In quorum numero cum quidam nequiſſimus ſpiritus lætior aduenisset, ſe de quodam monacho victorem proclamauit, qui ſummis à principe tenebrarum laudibus eleuatus, magnisq́. præconijs coronatus, abſceſſit: Sic iã aurora aduentante, omnium ab oculis eius euanuit dæmonum multitudo. Conſimilia permulta exempla à multis relata legimus, & præcipuè à Magno Gregorio in dialogis, quæ recenſere nimis longum eſſet, ex quibus hæc dæmonum inter ſe prælatio manifeſta oſtenditur.

Dæmones inter ſe naturę ordine inſigniti.

S. Th. 1. 1. q. 109. ar. 1. per totum.

Caſſian. coll. 8 c. 16

Dæmones de religioſorũ caſu maxime triumphant.

Greg. li. 3. dialog. c. 7

Aſmodæus non omnium dæmoniorũ princeps.

Luc. 8. 31

Aſmodæus libidini ſuggerendæ princeps.

Greg. l. 4. moral. c. 12

inf. c. 8. ver. 3

Princeps igitur, & rex dæmoniorũ Aſmodæus congruè dicitur, non tamen omnium dæmoniorum; tum quòd ille Lucifer, Sathanas, Leuiathan, non Aſmodæus in ſacris litteris nominatur; tum etiam, quia illum grauiſſima pœna decet, qui omnium grauiſſime deliquit. Porrò grauiſſimam omnium eſſe pœnam in abyſſo deijci, legionaria dæmonia Chriſtum rogantia, ne imperaret illis, vt in abyſſum irent, apud B. Lucam docent. Vnde non niſi raró de Barathro ad apertiora certamina ante Chriſti mortem exire principi dæmoniorum datum fuiſſe credendum eſt, & poſt Chriſti mortem nunquam, quòd, ſicut probat Gregorius, electi Angelorum ſpiritus illi in abyſſi puteo clauſum premant, nunquam inde niſi vſque ad mundi finem ad apertiora certamina reuocandum. Quare cum Aſmodæus in Media in domo Raguelis diu commoratus ſit, & per annos complures, vt infra, ab Angelo in Aegypto relegatus, non omnium rex, aut magis non Archityrannus Baratri; ſed impuriſſimorum illorum dæmonum, qui cõmouendis libidinibus, earumq́ue ſcintillis hac, illacq́. ſpargendis, flagitioſiſſimæ ſe ſe

nequitiæ manciparunt, rex, & princeps fuiſſe dicendus eſt: ſiue omnes ad illum vnum regem occurrant, ſiue cuilibet prouinciæ vnũ aliquem Aſmodæum præpoſitum eſſe regem dicamus, ſicuti omnis etiam, qui crudeliter regnat, optime Nero, & Phalaris dicitur.

Coll. 7. c. 27

Neque enim, vt ait Serenus apud Caſſianum, *omnes dæmones vniuerſas hominibus inurunt paſſiones, ſed vnicuiq; vitio certi ſpiritus incumbunt: alij quidem immunditijs, ac libidinum ſordibus oblectantur, alij blaſphemijs, alij iræ furoriq. peculiarius imminent, alij paſcuntur triſtitia, alij cenodoxia, ſuperbiaq. mulcentur*. Sunt etiam multi dæmones locis infenſi, qui nomen ab illis deduxerunt, vt refert Cantipratanus, quos etiam igneos, aqueos, terreos, & aëreos veteres dixere.

Cantiprat. l. 2. c. 56. n. 9

Non inepta itaq; ratiocinatione colligimus Principem luxuriæ Aſmodæum eſſe, cui ius datum legimus, vt ſalaces, & libidinoſos Saræ viros, quod etiam ex ipſo ſuo nomine (vt ſupra notauimus officij, & non naturæ) dignoſcimus: Aſmodæus enim, quaſi metiens ignem dicitur, nam אש es, idem eſt, ac ignis, & מדד Madad idem, ac metiri, ille enim ipſe eſt, qui ignem metitur, & ponderat, nouitq. quantum incendium luxuriæ excitare in corde humano poſſit, atque conatur huius ignis menſuram cuicumq; certam, immò & quam poteſt maximam ſubijcere: *Quid enim aliud*, inquit Gregorius, *eſt libido, niſi ignis?* vndè Sapiẽs: *Concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcit*: & iterum; *homo nequam in ore carnis ſuæ non deſinet, donec incendat ignem*. Ipſe eſt, de quo Iſaias, *Ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas*: nam *halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur*: Toties enim ignem ſuum accendit, quoties occulta ſuggeſtione humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit: nam tunc *vſque ad perditionem deuorat, & omnia eradicat genimina*: conſumit virtutes meritorum, genimina eradicat, nihilq. remanet in homine, *niſi tenebræ, & lubricum*: ex illo enim non ſecus, ac ex materiali igne fumus, non corporis, ſed mentis oculos excæcans, egreditur: ſic in tenebris tenebras non agnoſcimus, & per luxuriæ lubricum procedentes, dum præcipites ruimus, maximam præcipitij noſtri ruinam non conſideramus: quod Salomoni, alijſque perfectiſſimis viris contigiſſe, non eſt qui neſciat: ſed hæc de Aſmodæo dicta ſufficiant: de eo, qui plura ſcire deſiderat, conſulat Serariũ.

Aſmodæus cur ſic dictus.

Greg. in 1. Reg. c. 25
Eccl. 9. 11. & 23. 20
Iſa. 54. 16
Iob 41. 12
Iob 31. 12
Pſ. 34. 6
Serarius hic

7 *Occiderat eos mox, &c. Illos rapiens*, ait Beda; ſed perperã, cùm ſepulturæ mandati dicãtur: quod ſi raptos fuiſſe ab Aſmodæo illos intelligat, quaſi è medio ſublatos, quo loquẽdi modo vtitur ſapiẽs, vbi dicit: *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectũ eius*, textus ipſe declarat. Sanè quomodo viri Saræ ab Aſmodæo ſint occiſi, docet infra Græcus: dũ iratã ancillam hæc dixiſſe narrat, οὐ συνίεις ἀποπνίγουσά σου τοὺς ἄνδρας; ideſt, *nõ intelligis tu, quæ viros ſuffocaſti*: lætali nimirũ ſuffocatione, vel, vt docet Serarius, eorum intercludendo ſpiritum, quando ipſi libidine nimia inflammati erant, vel aſſumendo ad tempus corpus, & inijciendo in eorum colla manus, vel aliquo etiam laqueo ſceleratas eorum fauces obſtringendo, vel demum ephialte grauiſſimo ipſos ita premendo, vt reſpirare, ſe ſeque mouere nihil poſſent: quo etiã pacto, diuina permittente vindicta, ab eodem Aſmodæo præfocatũ fuiſſe legimus ſalacem illum Symphoriani filium, qui, vt Ambroſius ait, Sanctam Agnetem auſus eſt contingere.

Beda c. 6. inf. c. 8
Sap. 4. 11
Græcus inf. v. 8. hoc eod. c.
Serarius inf. c. 7 q. 8
Ambr. ſer. 90

VERS. IX.

Ergo cum pro culpa ſua increparet puellam, reſpondit ei, dicens: amplius non videamus ex te filium, aut filiam, interfectrix virorum tuorum.

VERS. X.

Nunquid occidere me vis, ſicut occidiſti ſeptem viros? Ad hanc vocem perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ, & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit.

1 *Sara cur puellam increparit.*
2 *Cur illam increpationẽ grauiter tulerit.*
3 *Probi cur improbi famuli.*
4 *Sara cogitauit de ſuſpendio.*
5 *Vox inferni quid ſignet.*
6 *De antiquorum more orandi in ſuperiore parte domus.*
7 *Inedia Saræ trium dierum quæ.*

VERS. IX.

1 ERGO *cùm pro culpa ſua*. Neque enim idcirco inuiſa fuit Sara ſuis ancillis ob ſuã aliquam culpam, ſed quòd *Increparet puellam*, Domus item ſuæ ancillam. Sic Arabs: *Cum increpaſſet Sara ancillam ob culpam eius*, quod faciebat Sara, non ſolùm ex charitate, quod omnibus facere congruit: nam *ſi peccauerit inter te frater tuus*, ait Chriſtus Dominus, *corripe eum. Quod ſi neglexeris*, ait Auguſtinus, *peior es*: quin, vt ipſe Plautus docuit, *obiurgandus es*. Sic enim ille:

Sed tu ex amicis certis mihi certiſſimus:
Sed quid me ſcis feciſſe inſanè, aut ſuperbè,
Si id non accuſas, tu ipſe obiurgandus es.

Sed & ex officio, quòd competat dominis neceſſitas corrigendi ſeruos, non ſolum ex lege charitatis; ſed etiam ratione officij. Ve-

Arabs. Alii corripiẽdi ex charitate ſerui ex officio.
Matt. 18 15
Aug. ſer. 18 de verb. Domini.
Plaut. in Trinummo.

rùm

rùm grauiter illa ferens corruptionem.
2 *Reſpondit ei irata*. Etenim, vt Sapiens
Prou. 10 ait; *non amat peſtilens eum, qui ſe corripit,*
12 *nec ad ſapientes graditur*, propter quod re-
Prou. 29 pentinus ei ſuperuenire ſolet interitus. Sic
1 idem: *Viro, qui corripientem dura ceruice*
Eccli. 21.7 *contemnit, repentinus ei ſuperueniet interi-*
tus, & eum ſanitas non ſequetur: ſed non
ſolùm ægrè tulit hęc improba ancilla, *quæ ve-*
ſtigium erat peccatoris, correptionem, ſed
inſuper irata grauiſſimas contumelias in ſuā
benefactricem, & Dominam protulit, dicens:
Amplius non videamus ex te filium, aut
Arabs. *filiam*. Addit Arabs: *ſuper terram*, LXX. *in*
LXX. Syrus. *ſeculū*, Syrus: *in æternū*, quod quàm graue eſ
infra. ſet, tunc tēporis improperiū, infra videbimus.
Interfectrix virorū tuorū. Quod fecerat A
modæus, linguata, mēdaxq. muliercula in do-
LXX. minā ſuā refert. Addunt LXX. illam dixiſſe:
Non intelligis, ſuffocās tu viros? Ecce ſeptē ha
buiſti, & vnius eorū non es nominata, quid
nos flagellas? ſi mortui ſunt, vade cum eis.
VERS. X. *Nunquid? &c.* Non cōtenta improba ancil
lula, imprecatā fuiſſe dominæ ſuæ opprobrium
ſterilitatis, nomenq. ipſius per contemptū im-
Hebræus. mutaſſe, vocando illam, vt addit Hebræus, *nō*
Saram, ideſt principem; ſed *Tſaram*, ideſt, af-
flictam, & miſeram, vocat etiam illam, viro-
rum ſuorum interfectricem, & homicidam,
3 Nec mirum videri debet ſanctæ huic mu-
lieri Saræ, in via Dei ſatis eruditæ, atq; adeò
ſapientiſſimæ, tales famulas contigiſſe, quia, vt
Prou. 10.4 Sapiens ait, *filius eruditus, ſapiens erit, impru*
Probi ac Sapientes cur improbos, ac inſipiētes ſeruos habeant *dente autē miniſtro vtetur*, ideſt filij Dei, qui
ab ipſo Deo eruditi, ſapientes euadūt, ex per-
miſſione diuina ad exercitationē, & probatio-
nē ſeruos, aut miniſtros adeò imprudentes, ve
cordesq. habebūt, vt eorū tabo, ac tetro odo-
Demoſthenes apud Hebræū. re plurimum grauentur: nam vt Demoſth. ait
apud Stobæū: *Fatuus homo ſapiēti viro coha-*
rens, perinde eſt, ac ſi viuo homini alligetur.
Quod cùm & ipſe nouiſſet Herodotus, quēdā
talibus regē alloquētem introduxit: *Præterea,*
ò rex, et iſtud cōſiderabis, quòd bonis hominib.
mali ſerui obtingere ſolent, malis verò boni: ea
enim ſeruilis ingenij cōditio eſt, vt ſi timore
vacet, illicò inſoleſcat, bonitateq. ac miti dñi
cōtubernio, adeò abutatur, vt mutata ſeruorū
cōditione, dñicam cōſuetudinē duro pede cal
cantes, ius imperij in dños capeſſant: quod cū
difficilib. & prauis dñis haud efficere poteſt,
qui ſeruos timore, metuq. perculſos in officio
coercent, & obſequentes ad nutum reddunt.
4 *Ad hanc vocē*: Ad tantā nimirū impropę
riorum cōgeriem, adeò ſancta mulier triſtata
LXX. eſt, vt de ſuſpēdio cogitare cœperit. Sic LXX.
Hæc audiēs, nimirū Sara, *triſtata eſt valde, vt*
Vatablus. *ſuffocaretur*. Et noua ex Græco translatio Va-
tabli: *his auditis vehemēter contriſtata eſt, vt*
præfocare ſe cogitaret, leuius & optabilius ſibi
futurū arbitrata quodcūq; mortis genus, etiā
violentæ, quàm talia ferre improperia: reſtitit
tū huic cogitationi mortiferę recta ratione di

cens, vt LXX. referunt: *Vna quidē ſum patri* LXX.
meo, ſi fecero hoc, opprobriū erit ei, & ſeruitutē
eius deducā cum dolore ad infernū. quaſi dice-
ret, nequaquā rem talē perpetrare debeo, qua-
lis facienda mihi occurrit: tū, & pręcipuè, quia
hoc facto Deo meo infenſa eſſem: tum etiā, &
id ſecundariò, quia propter hunc acerbiſſimū
mortis meę caſum, maximo cū dedecore, & lu
ctu pater meus iā ſenex moreretur, & ad ſub
terraneas regiones, infra nos poſitas, vbi defū
ctorū animæ cōquieſcunt, mœſtus deſcēderet.
Id enim in ſacris litteris inferni nomen ſigni-
ficat; &, ſi aliquādo ſepulchro tribuitur; nō niſi
raró fit, & præter primæuā ſui ſignificationē,
vt fusè probat ex recentiorib. Peretius, Pine- Perer. in Gen. c. 37. 94
da, & Delrius, qui etiā plus quàm ſexaginta ſa
cræ ſcripturæ teſtimonijs oſtendit nō niſi vio- Pined. in Iob c. 7. n. 2
lenter & myſticè in multis locis ſacræ ſcri- Delr. Adag.
pturæ vocem שאול ſeol, Græcè ᾅδης, Lati- net. teſt. 197
nè infernus, vel inferi, pro ſepulchro interpre- inf. c. 6. verſ. 11
tari, ſed de Latina voce nos infra dicemus. & c. 13. v. 2
Perrexit in ſuperius cubiculū domus ſuæ. Arabs.
Arabs: *Ad domicilium ſuperius*. Vatablus: *Ad* Vatablus.
cœnaculū. Quòd ſi feſto, & Varroni credimus, Feſtus. li. 5. de
pars ſuperior eſt domus, *poſtquā ibi cœnari cœ* ling. Latin.
ptum eſt, quàm olim incolebant tenuiores in- Iuuenal. ſat. 10
quilini, & ſicut Iuuenalis docet, vbi ait:

lateranorum obſidet ædes

Tota cohors, rarus venit in cœnacula miles.

In huiuſmodi enim ſuperioribus locis domus Iudith 8.
ſoliti erāt veteres orare. Sic Iudith in ſuperio- 5
rib. domus ſuæ fecerat ſibi cubiculū ad oran- 2. Reg. 18
dū. Dauid audita cæde filij Abſalon, *aſcēdit in* 33 &
cœnaculū porta, & fleuit. Elias tulit filium ho 3. Reg. 17
ſpitē mortuū, & portauit in ſuperiorē domus Luc. 22
partē, vbi ipſe manebat, & ibi eius precib. mor Act. 1. 2
tuus reuixit. Chriſtus in cœnaculo comedit
Paſcha, vnà cū diſcipulis ſuis, ſuper quos etiā
deſcēdit Spiritus ſanctus in cęnaculo. Ita aſcē-
dit Sara in cœnaculū, vt oraret, & memor ver Mos antiquorum orandi ad Orientē.
borum Salomonis, quibus Deum obſecrabat,
vt preces eorū, qui ab Ieroſolymis exularent,
audiret, ſi ſe ad templum illud cōuerterent, Ie- 3. Reg. 8
roſolymā verſus fudit preces ſuas, ad templū 46
reſpiciens, & vt LXX. habent: *apertis feneſtris.* 2. Paral. 6
& Syrus: *Orauit ad feneſtrā*. quod & Danielē LXX.
feciſſe legimus; & quidem Orientem verſus. Dan. 6
7 *Et tribus diebus, & tribus noctibus non* Ariſt. 7. phyſ. c. 5
manducauit, neq; bibit. Cenſet Lyranus, non
omnino à potu, & cibo per totos tres dies illā Græci in funerib. per totū triduū nihil ſibi ſumebant.
abſtinuiſſe, ſed parùm aliquid cibi ſumpſiſſe: Et
quia, teſte philoſopho, *parùm pro nihilo repu-*
tatur; ideò in textu dici, *tribus diebus, & tri-*
bus noctibus non manducauit, neq; bibit. Ve- Lucian. de luct. & fin.
rùm textui congruere magis videtur, ſi dica-
mus, toto triduo à cibo, & potu illam omnino
abſtinuiſſe, quod fieri ſine aliquo miraculo po
tuit: nā Lucianus refert, moris fuiſſe apud Grę
cos, vt in funeribus per totum triduum nihil Delrius diſq. magic. l. 2. q. 21. circa fin.
omnino cibi caperent: omitto, quæ Delrius
obſeruat, fieri etiā poſſe, vt quis naturalē ferat Inædia longiſſimo tempore à multis tolerata.
inediā per multos menſes, & annos, quòd ca-
lor naturalis vtatur multoties pro alimento

humore phlegmatico erudo in corpore, vel à morbo, vel ab alia cauſa reſiduo, vel etiā quadam materia ſubtili, & pituitoſa ea ſumma cerebri humectatione à capite in corpus deſcēdente, quo quicquid à corpore expiratur, vel diffluit, continuò ab hoc humore, in alimentum conuerſo, reſtituitur: nec cibus homini eſt opus, quamdiu humor hic penitus conſumitur. Quare idem cenſet, hanc fuiſſe cauſam inediç diuturnæ in illa Rugerij Baconij Anglicana puella, quā dicit per viginti annos nihil comediſſe: & in Gallo Sacerdote, qui tempore Nicolai Quinti Pontificis triennio toto cibi, potusq. abſtemius fuit: Et in puella Spirēſi, quem vt Ferdinandi Imperatoris iuſſu veritatis explorandç gratia per multos medicos anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo, ieiunum vltra quadriēnium perſtitiſſe, obſeruatum fuit, nullas interim fçces è corpore excernens, niſi cōſuetas per aures, & nares, de qua multa ſcripſerunt teſtes oculati Gerardus Ducoldianus, & Simon Portius. Sedulo tamen cauendū eſt, ne ſanctorum hominum ieiunia, omnes naturæ vires excedentia, in hāc claſſem referamus, vt impiè nimis Ioannes Bucherius facit: nam ex eis multos Deum, qui creanit eos, virtute ſua, etiam ſine corporali cibo ſuſtentaſſe, nemo pius inficiabitur.

Delrius vbi ſup.

Abſtinentia mirabilis Anglicanç cuiuſdam puellæ, & Galli cuiuſdam ſacerdotis.

Gerar Ducol. in ep. Mogūt. impreſſ. anno 1540

Simon Portius lib. de Puella German.

Io. Bucherius

Quòd impij correctionem, ſeu reprehenſionem iniquo animo, æquo pij ferre ſoleant.

DOCVMENTVM I.

A MAXIMVS ſanè exterioris charitatis effectus correptio eſt, cum cadit ſuper peccatum commiſſum, vt tanquam nociuum ab anima remoueatur: nam ſi perituro corpori ſubuenire, eleemoſyna eſſe cenſetur, quid animo ſubuenire, æternum victuro? eiuſdem enim virtutis eſt procurare proximo bonū, vel ab eo malum remouere: ſicuti eiuſdem medicinalis artis eſt malam valetudinem amandare, bonam reuocare. Quare cum prouidere proximi bono propter Deū maximus fraternæ charitatis actus ſit; ita maximus erit ab illo remouere malum: quinimmò, cū anima plus ſit, quàm corpus, & animæ neceſſitatis corporis neceſſitate maior, ibi potiorem neceſſe eſt eſſe charitatis actum, vbi maior indigentia reperitur.

Corripere proximū peccantē maximus eſt charitatis actus, & eleemoſyna.

B Magna itaq; illorum iniquitas, & ingratitudo, qui magnum hoc charitatis munus, nō modò, ſicuti debent, æquo non accipiūt animo, & cum gratiarū actione, ſed, quòd peius eſt, pro tāto bono mala, & improperia cū hac peruerſa Sarç ancilla beneficio ſuo reddunt.

Tales fuerunt ſacerdotes illi Ieroſolymitani ſub Ioachim rege, qui Ieremiā peccata populi corripiētem, eiq. vrbis excidium denuntiantem, comprehenderunt, eum, niſi ſeniorum quidam interceſſiſſent iniquiſſimè interfecturi: Sic eundem Ieremiam Phaſſur in carcerem cōiecit, quòd eius minaces prophetias ferre non poſſet. Saul contra Ionathā filium valde iratus eſt, quòd prædicaret innocentiam Dauid, quem iniquè perſequebatur. Herodes Ioannem Baptiſtam crudeliſſimè decollauit, quòd illius ferre nequierit correptionē, & tandem omnes ferè iniqui, vt Amos ait: *Semper odio habuerūt correptionem, & perfectè loquentem abominati ſunt, quòd*, teſte Greg. *arrogantes, ſicut inflantur laudibus; ita inflammātur correptionibus.* Et ſicut virga Moyſis ante Pharaonē, ſic ante illos correptio in ſerpentem cōuertitur: & ſicut infirmus, qui medicinam nauſeat, ipſum quoq; vas, in quo defertur, æquo animo videre non poteſt; ſic illi non correptionē modo, ſed eam quoque inferentem execrantur, & tanquam hoſtem habent.

Ierem. 26

Ierem. 20

1. Reg. 20

Mar. 6. 27

Amos 5. 10

Greg. 16. moral. c. 1

Exodi 7

Deteſtantur lucem, ſicuti flagitioſi ſolent homines, dum in tenebris fœdum quid operantur, ita vt ſicut de adulteris ait Iob: *Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbrā mortis: & ſic in tenebris, quaſi in luce ambulant.* Sic Heli Sacerdos dicitur in lib. Regū, quòd *nō poterat videre lucernā Dei*, qui fortè ad cætera cōſpicienda oculatiſſimus erat. Mira res. Iudith, & Eſther mulieres pulchræ, mundo muliebri ornatæ, Holopherni vna, & Aſſuero alia, crudeliſſimis hominibus gratç fuerunt: & correptio ex ſe ipſa pulcherrima, adeò eſt ſceleſtis hominibus ſemper inuiſa, vt, ſi nuda ante illos appareat, impudentem, & arrogantem illam dicant, ſi aliquo adumbrata velo (ad quem modum Nathan coram Dauid apparere illam fecit, & Ionathan filius Gedeonis coram viris Sichem) non illā dignoſcant, ſi mitis, illos non moueat, ſi vehemens, conturbet, & tandem quoquo modo appareat, aut illam non vident, aut ingrato excipiunt animo: Filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, *qui dicunt videntibus*, vt Iſaias ait, *nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt.* Sed quæ? *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores*, & ſi quem reperiunt, qui nolit eorum placitis acquieſcere, clamant, ſicuti peruerſi illi, de quibus Iob, *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.*

Iob 24. 17

1. Reg. 3. 3

D

1. Reg. 12

Iud. 9

Iſa. 30. 10

E

Iob 21. 14

Sed quis huius generis peruerſis hominibus Dominus dicat audiamus: *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam, & eamus: Babylon curatur*, ait Gregorius, *nec tamen ad ſanitatem reducitur, quando mens in praua actione verba correctionis audit, flagella correctionis percipit, & tandem ad recta ſalutis itinera redire contendit*: nam ſicuti derelin-

Iere. 51. 9

Greg. in pſ. 3 pænit. ver. 23

quun-

Digitized by Google

quuntur à medicis,qui medicinam reſpuũt; ſic, ait Dominus, derelinquamus *huiuſmodi animam*, & eamus: Quid igitur faciendum? *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta*. *Toleremus*, inquit Chryſoſtomus, *correptionem, & feſtineamus quidem nõ peccare, ſi autem peccauerimus, feramus correptionem; etenim bonum eſt non vulnerari; ſi autem contingat, medicamentum imponere vulneri neceſſarium eſt*. Et Petrus Damianus: *Fraternæ correptionis*, inquit, *zelum noli moleſtè ferre; ſed gratulabundus amplectere, ac velut certa curationis antidotum in animæ languentis interiora diffunde. Memento, quòd per Salomonem dicitur: Melior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſconditus*. Sanè, vt ipſe Ethnicus Plutarchus docuit, omnes æquo animo ferentes reprehenſionem, bonam ſpem melioris beatitudinis exhibent.

Pſ.2.12

Chryſoſt.

F

Petr.Dam.ep. 11.li.2

Quòd tribulati ad Deum in oratione confugere debeant.

DOCVMENTVM II.

A

AD talia, & tanta ancillæ improperia, nihil patientiſſima reſpondit Sara; ſed illam in ſua ſtultitia relinquẽs, ad orationem in ſuperiorem domus ſuæ partẽ aſcendit, vt diſcant, qui maledicta, & irritationes patiuntur, in omnibus ſeruare patientiam, & obtrectantium linguas patienter diſſimulare, ne ſi pro contumelijs conuitia referant, ab exemplis ſanctorum longè alieni inueniantur: dum enim perfidorum iniurijs impetimur, etiam ſi cõtra eos vera dicere, ac referre poſſimus; non tamen ad contumelias reddendas erumpere debemus, ne miniſterium correptionis in arma furoris vertamus; ſed magis ad Deũ in oratione confugere: ſic fecit, vt vidimus ſupra, Tobias noſter: ſic modò Sara, ſic ferè omnes ſancti in ſuis neceſſitatib. fecere, vno ſemper ore cũ Dauid exclamantes: *Deus noſter refugium, & virtus*, & ſicut dux prudẽs, quem hoſtis obſidione cinxit, protinus ad regẽ literas dare ſolet, quibus auxiliũ ab eo petit; ita ſancti viri, dum in aliqua tribulatione ſunt poſiti, Dominũ non literis, ſed oratione auxiliatorẽ quærunt. ſic quãdo *venerunt nuntij, & indicauerunt Ioſaphat, dicentes: venit contra te multitudo magna*, filios videlicet Amon, & Moab, quos quidam Amalechitas, & Idumæos fuiſſe putant, *Ioſaphat timore perterritus, totũ ſe contulit ad rogandũ Dominũ*: ad Dominũ enim in oratione accedentes contra aduerſa omnia roborantur: quod in Moyſe nobis demonſtratum fuit, quo deſcendente ab oratione de monte Synai, *apparuit*, ait ſacra Scriptura, *facies eius cornuta*: nã, non ſolum ex præſentia Dei anima iuſti ſplendorem, & claritatẽ ſuſcipit, ſed etiã cornuta apparet, hoc eſt fortior, & robuſtior ad ſpernẽda vniuerſa mũdi proſpera, & aduerſa omnia pro Chriſto toleranda: *Neq; enim*, vt Chriſoſt. ait, *leonis rugitus beſtias ſic fugat, vt iuſti oratio dæmones*, & quæcunque alia aduerſa: nam *Orationis vis*, ait idẽ, *vim ignis extinxit, impetũ leonum cohibuit, bella cõpoſuit, prælia remouit: tẽpeſtates ſuſtulit, dæmonia expulit, cæli fores aperuit, vincula mortis diſrupit, lãguores eiecit, offenſas repreſſit, vrbes terræ motu nutãtes firmauit, plagas cælitus irruẽtes, inſidias hominũ, mala deniq; omnia deleuit oratio*: & tandẽ, vt Theodoretus narrat, *oratio ad omnia valet*. Varijs vtuntur medicamentis medici, vt corpori medeãtur; hæc ad omnes animi morbos curandos, & virtutes adipiſcendas commune eſt remediũ, & medicamentũ, quippè quæ Deũ, in quo vno omnis virtus, & malorum omniũ medicina eſt, propitiũ ad ſe trahit. Hinc eſt, quòd ſicuti filij Iſraël Moyſi approximare non ſunt auſi, quòd ipſius faciem cornutã eſſe viderent ex conſortio ſermonis Domini; ita aduerſarij omnes, & mala vniuerſa timẽt propè accedere ad homines iuſtos, qui virtute orationis roborati, Dominũ alloquentes: *In te*, inquiunt, *inimicos noſtros ventilabimus cornu; et in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis*: nam ſicut tauri, vel arietes cornibus ferire, & fugare ſolẽt armenta, gregeſue inualidos, & imbelles, eosq. huc, illuc diſpergere; ita iuſti in oratione fortes effecti, omnino ſibi aduerſantia facillimè ventilant, & quaſi res leuiſſimas cõtemnunt, atq; diſpergunt. Neq; id mirũ: nam ſi homines alios ſibi adhærẽtes, & in neceſſitatibus, & aduerſitatibus ad ſe cõfugientes, ab hoſtibus protegere ſolent, atq; defendere: quantò magis Deus, qui ſuper oẽs homines ad miſerendũ eſt pronior, & ad protegendum paratior, eos omnes ab omnibus liberabit aduerſis, qui ad eius recurrunt auxiliũ? Quare ait: *Quoniam in me ſperauit*, ſeu, vt vertit Hier. *quoniam mihi adhæſit, liberabo eum*.

Contumeliæ oratione, nõ contumelia vindicandæ.

Sup. hoc eod. c. verſ. 1.

Pſ.45.2

B

2. Paral. 20. 2

Oratio armatrix.

Exo.34

Chryſoſ. hom. 33. in act. Apoſt. in fin. & hom. de incomp. Dei nat.

C

Oratio omnia mala vincit.

Theod. in hiſt. relig.

Exo.34

D

Pſ.43.6

Spes noſtra in diuina eſt protectione ponenda.

E

Cum Loth tres Angelos, quos tres putabat viros, hoſpitio ſuſcepiſſet, & vt ipſe ait: *Sub vmbra culminis ſui*: Sodomitis, qui illis vim inferre volebant: *Nolite quæſo*, dicebat, *fratres mei, nolite malum hoc facere: habeo duas filias, quæ nondum cognouerunt virum; educam eas ad vos, dũmodo viris iſtis nihil mali faciatis, quia ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei. Offerebat S. Loth*, ait Ambroſ. *filiarum pudorem; nã & ſi illa quoque flagitioſa impunitas erat, tamen minus malum erat: præferebat domũ ſuæ verecũdiæ hoſpitalem, patriam etiam apud barbaras gentes inuiolabilem*. Et Chriſoſtomus hoc idem Loth facinus exaggerans: *Quanta*, inquit, *fuit hæc iuſti virtus? nonne omnem virtutem*

Gen.19.8

Ambr. li. 1. de Abrah. c. 6

Chryſoſt. ho. 43. in Gen.

*hoſpitalitatis ſuperauit? Quid enem iuſti hu-
ius benignitate ſatis dignum afferri poteſt?*
F *qui nec ſuis quidem filiabus pepercit, vt ſer-
uaret hoſpitibus honorem, vt liberaret eos à
peruerſitate Sodomitarũ*, minus malũ propo
nens, vt maius vitaret, & liberaret ſuos hoſpi-
tes ab impudenti hominum libidine. Quare,
ſi apud homines adeò fuit ſemper laudabile,
eos defendere, qui ad ipſorum cõfugerunt au-
xilium; quid dicendum de ſummo illo homi-
num Creatore, & Protectore Deo, qui vt na-
turam ipſam humanam protegeret, tantis ſe,
factus homo, opprobrijs ſubiecit, vt nec mor-
tem ipſam ſubire recuſarit? Certè pro pecca-
tis noſtris diuinæ iræ tela in ſe ipſum ita rece-
Iſa. 43. 24 LXX. pit, vt per Iſaiam merito dicat: *ſeruire me fe-
ciſtis in peccatis tuis*: hoc eſt, vt vertunt LXX.
In peccatis tuis defendi te. Et vt vertit quidã
Chriſtus ſcu tum noſtrũ. Iſaiæ Commentator: *Scutum oppoſui pro te* cor-
pus, nimirum ſuum ſanctiſſimũ ad ſatisfacien-
dum pro nobis æterno Patri, opprobrijs, &
ignominijs, peccatis noſtris debitis opponẽs.
G Benè igitur Dauid, in ſuis poſitus afflictioni-
Pſ. 56. 3 bus: *Clamabo*, inquit, *ad Deum altiſſimum,
Deum, qui benè fecit mihi.* Ac ſi diceret, nun-
quam de diuino auxilio deſperabo, & ſi labo-
res me comprehendant, inimici circundent, &
mors ipſa in ipſis ianuis ſemper adeſſe videa-
tur, ſemper de diuina præſumam miſericor-
dia, & opem illius expectabo, *qui* benè fecit
Chaldæa paraphraſis. mihi, ſeu vt Chaldæa paraphraſis habet: *qui
præcepit aranea, vt ordiretur telam ad defen-
ſionem meam*. Quòd, ſicut ferunt aliqui, ex
araneæ telis ſubitò diuino iuſſu Dauid latibu
lum in ſpelunca paratum ſit, quando in deſer-
tis Engaddi inſidias fugiebat Regis Saul, qui
eandem ſpeluncam fortè intrauerat, in qua
ipſe latitauerat.

Clamemus itaque cum illo *ad Deum altiſ-
H ſimum, Deum, qui bene fecit nobis*. Dicamus
Pſ. 72. 28 ſemper in quacunque noſtra neceſſitate: *Mihi
autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in
Domino Deo ſpem meam*: Nam, ſicuti vni Deo
in oratione adhærentes, vnum cum illo magis
in dies efficimur; ita dum orationem omitti-
mus, & ad cætera alia confugimus, neceſſe eſt,
vt in dies magis ſemper ab illo elongemur, &
conſequenter diuinis magis careamus auxi-
lijs, & grauioribus animi curis opprimamur.
Gen. 12. *et* 26 Legimus, ſanctum Abraham peregrinatũ eſſe
in Aegyptum, licet inuitum, quòd præualuiſ-
ſet fames in terra, qua etiam compulſus Iſaac,
abijt ad Abimelech regem Philiſtinorum in
Gerara, & *Intrauit Iſrael in Aegyptum, &
Iacob accola fuit in terra Cham*. at nunquam
eos per agros erraſſe legimus, vt paleas ad la
teres ſibi compararent, quòd non fiderent illi
I in rege mortali, *ſed regi ſeculorum, & immor
tali, & inuiſibili* adhærentes, ab eo in ſuis ne-
ceſſitatibus auxilium expoſcerent: ac ipſorũ
poſteri, cùm diu in Aegypto permanſiſſent, at-
que Aegyptiorum etiam more viuere cœpiſ-
ſent, numero magis, quàm religione creſcẽ-
tes, ſeruierunt in operibus duris luti, & la-
teris, omnique famulatu; & ab Aegyptijs
ita oppreſſi ſunt, vt dixerit illis Pharao: *Non* *Exod.* 5. 10
*do vobis paleas; ite, & colligite, ſicubi inue-
nire poteritis, nec minuetur quicquam de
opere veſtro. Diſperſuſque eſt populus per
omnem terram Aegypti ad colligendas pa-
leas*. Cui ſimile quippiam illis vſu venit,
qui recedunt à Deo, & ad huius mundi bo-
na ſeſe conuertunt, cuius duriſſimæ ſerui-
tuti, tanquam Pharaonis tyrannidi miſerè
ſubiecti, operibus luti exercentur, & cùm ab
illo ſperent auxilium, dicit illis mundus: *non
do vobis paleas, &c.* Curramus igitur ad
Deum in oratione cum Sara, dum affligi-
mur, illi adhæreamus, & ipſe, ſicuti Saræ
contigit, à noſtris nos calamitatibus vin-
dicabit.

*Quòd ſolitudo optimus ſit oratio-
nis locus.*

DOCVMENTVM III.

PERREXIT etiam Sara ad A
orationem in ſuperius cubicu- *Ambr. ſer.* 11
lum domus ſuæ, ſiue in cœna-
culum, quia, vt Ambroſius
ait: *Omnis ſanctus, quando
orat, relinquens humilia, vel
terrena in altum mentis extollitur, & in
ſublime ſuſpenſus rapitur, & cogitatione cæ-
lo vicinus efficitur*: nec dubium, quin & lo-
cus corporalis, remotus ab aliorum tumultu,
& liberior cæli proſpectus maximè attentio-
nem iuuent: ſolent enim per oculos, & au-
res multa intrare, quæ animum etiam reli-
gioſi, & meditabundi facilè conturbant, &
diſtrahunt. *Nobis*, ait Gregorius, *ad cuſto-
diendam cordis munditiam, exteriorem quo-
que ſenſuum diſciplina ſeruanda eſt: nam
quantumlibet virtute mens polleat, quanta-
libet grauitate vigeat, carnales tamen ſen-
ſus puerile quiddam exterius perſtrepunt*.
Multum igitur nobis ad orationem acceden- Solitarius locus orationẽ iuuat.
tibus proderunt loca remotiora, vbi cor li-
berum, & expeditum ab omnibus, quæ illi B
impedimento eſſe poſſunt, Deo famulatur. *Exod.* 24
Sic Moyſes, & Aaron, vt in Exodo habetur,
Dominũ deprecaturi, à Pharaone egreſſi ſunt,
& quando Deus Moyſem alloqui voluit, illum
ſolum in montem aſcendere præcepit, di-
cens: *Solus Moyſes aſcendat*: cumque ſolus
aſcendiſſet, operuit nube montem, ingentem-
que nebulam ſolitudini addidit, vt dum illũ
alloqueretur, nullo terrenarum rerum aſpectu
diſtraheretur. Sic Eliam inſtruere volens, cũ
ad ſe in ſilentio, & in ſibilo auræ tenuis ac- 3. *Reg.* 27
ceſſiſſet Elias, vultum ſuum operuit, vt ſo-
lùm mentis oculis Deum contemplaretur.
Et B. Paulum euntem Damaſcum, vt ſiquos *Act.* 9. 2
inueniſſet Chriſtianos, vinctos perduceret in

Ieru-

Ieruſalem, cum diuina myſteria edocere vellet, cæcitate percuſſit, non obſcurè iudicans, oportere animum à viſibilibus abſtrahi, vt diuina myſteria contemplari, ac percipere

C poſſit. Sicut enim vas aliquod, dum liquorem in ſe contentum effundit, aerem ambientem ad ſe trahit, vt eo impleatur, ita cor noſtrum, dum ea, quæ terrena ſunt, eijcit, eiſque euacuatur, illicò Deum ad ſe trahit, qui ſuis illud donis copioſè adimplet: vnde bene Pſal-

Pſ. 101. 18 Hier. ibi. miſta de Domino loquens, ait: *Reſpexit in orationem humilium*, quòd appoſitiſſimè vertit Hieronymus: *reſpexit ad orationem vacui.* Et quidem mirum, quantum ad cæleſtia capeſſenda nobis conferat ab humanis rebus receſſus, & ſeparatio: cuius rei documentum ſingulare iam olim reliquit Elias, dum rapiẽdus in cælum, nec ipſum quidem dilectiſſimũ ſuum diſcipulum Eliſæum præſentem ſuo raptui eſſe permiſit: vnde illi dicebat: *Sede hic,*

4. Reg. 2. 2 *quia Dominus miſit me vſque in Bethel*: Cũ-

D que Eliſæus eum nollet relinquere; iterum

4. Reg. 2. 4 illi ait: *Sede hic, quia Dominus miſit me in*

Ibid. 2. 6 *Ierico*: & iterum: *Sede hic, quia Dominus miſit me in Iordanem.* Sic enim rapiendus in igneo curru, nolens à quoquam videri, ſatis nos docuit, vix fieri poſſe, vt quis in cælum igneo curru, charitate ſcilicet Dei in oratione rapiatur, qui ſolus, & ab hominibus remotus non ſit. Quare ſicuti amicus magni momenti negotium cum amico tractaturus, illum ab aliorum conſortio dimouere, & in aliquem ſecretum locum ducere quærit, vt ſolus cum ſolo agat, ſic & nos dum grauiſſimum noſtræ ſalutis negotium in oratione cum Domino ſumus acturi, ſedulo curare debemus, vt ea omnia remoueantur, quæ nos tantæ rei minus attentos reddere poſſunt. Sic Sara magnum cum Deo tractatura negotium, mẽ-

In oratione ſolitarius locus quærendus.

E tis euagationem fugiens, in ſuperiorem, magiſq. ſolitariam domus partem ſe contulit: quod & nobis faciendum Chriſtus docuit, dũ

Matt. 6. 6 ait; *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum*: vbi pro cubiculo eſt verbũ Græcum ταμεῖον, quod penetrale ſignificat, & intimam domus partem: nam cum oratio dulcis ſit animæ quies, & delicatus ſomnus, quo deperditas curas anima noſtra reſtaurat, ne ab illo ex-

Cant. 3. 5 citemur, reconditus quærendus locus eſt. Sic *adiuro vos*: ait Spiritus ſanctus in Canticis, *ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectã, donec ipſa velit*: qui itaque ad orationem accedunt, dicant cum Bernardo: *Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea, venite aſcendamus in montem,*

F *vbi Dominus videt, vel videtur. Curæ, ſolicitudines, anxietates, pœnæ, ſeruitutes expectate me hic cum aſino corpore iſto, donec ego cum puero, ratione ſcilicet, & intelligentia vſq; illuc properantes, reuertamur ad vos: reuertemur enim, & heu reuertemur quàm citò.*

Quòd ieiunium mentem in oratione eleuet.

DOCVMENTVM IV.

DOCET etiam triduana Saræ abſtinentia ab omni corporali cibo, eos, qui ad orationem incumbunt, à nimia ciborũ ingluuie abſtinere debere, vt liberius orationi vacare poſſint: A

nam, vt Chriſoſtomus ait: *ſicut oleum accendit lumen lucernæ; ſic bona opera accendunt fidem cordis, & dant animæ confidentiam Deum orandi, quod non poteſt habere, qui genio, delicijsq. indulget: vnde quia virtus orationis ieiunium eſt, nunquam ſeparantur ab inuicem.* Sic Salomon hominum ſapientiſſimus, vt animum transferret ad ſapientiam, ideſt, rerum diuinarum contemplationem, decreuit à vino abſtinere, & *Indorũ Brachmanes, Aegyptijq. Gymnoſophiſtæ*, vt Hieronymus tradit, *polenta, & oriza, & pomis ſolummodo victitabant: vt animam transferrent ad ſapientiam.* Si ergo tanti illi vitium comparabant, cur non maioris nos pretioſiſſimas æſtimemus margaritas? Baſilius alas orationis dicit eſſe ieiunium: quibus volat ad cælum. Nilus Chryſoſtomi diſcipulus ait: *Sobrij oratio, volat, vt aquila*: Iſaac Syrus presbyter Antiochenus: *Ieiunium*, inquit, *eſt mater orationis, & fons ſapientiæ, & ſicuti comitatur ſanus oculus deſiderium lucis; ita ſequitur ieiuniũ, quod cum diſcretione fit, deſideriũ orationis.* Sic apud Ezechielem mandauit Dominus: *Vinum non bibet omnis ſacerdos, quãdo ingreſſurus eſt atrium interius. Eſt enim atrium interius*, ait Greg. *Sancta oratio, & diuinorũ ſecreta, & alta contemplatio*, ad quã nemo ingredi debet, niſi maximè per ieiuniũ, & carnis macerationẽ præparatus. De Aſella refert Hieron. *Sponſo orans loquebatur, cumque per omnem annum iugi ieiunio paſceretur, biduo, triduoq. ſic permanens, tum verò in quadrageſima nauigij ſui vela tendebat omnes penè hebdomadas cultu lætante coniungẽs, et, quod impoſſibile forſitan eſt hominibus ad credendum, Deo autem præſtante, poſſibile eſt; ita ad quinquagenariam peruenit ætatem, vt non doleret ſtomachum, nec viſcerum cruciaretur iniuria, non ſicca humus iacentia membra confringeret, non ſacco aſperata cutis fœtorem aliquem, ſitumq. contraheret. ſed ſana corpore, animo ſanior, ſolitudinem putaret eſſe delitias, & in vrbe turbida inueniret eremum monachorum.* En quàm bellè ſancta hæc mulier noſtram Saram, tum in ſolitudine, tum in ieiunijs fuit imitata?

Chryſoſt. ſiue auct. oper. imperfec. ho. 1 5

Ieiunium ad ſapientiam conducit.

Eccl. 2. 3

Hier. ad Lætam.

B

Ieiunium eſt ala orationis

Baſil. ſe. 1. de ieiun.

Nilus Abbas hom. 1 aduerſus vitia

Iſaac li. 1. de mundi contēptu. c. 19

Ezech. 44. 21

ibiq. Gregor. hom. 21

C

Hier. epiſt. 15

VERS. XI.

Sed in oratione perſiſtens, cum lacrymis deprecabatur Deum, vt ab iſto improperio liberaret eam.

1 *Sara oratio qualis fuerit.*
2 *Sterilitatis improperium quantum in veteri lege.*

1 SED *in oratione perſiſtens*, Toto nimirum triduo ſine intermiſſione; nam *qui ad cupita peruenire volunt*, ait Hieronymus, *reflectere mentem à ſtudio orationis non*
Hier. in lament. Ierem. c. 3
debent, ſed magis perſeuerare in intentione cœpta illos oportet.

Orationem lacrymæ anteire debent.
Nilus Monac. de orat. c. 5
Cum lacrymis. Nam, vt docet B. Nilus, in oratione lacrymæ debent præcedere petitionem: Sic ille: *Vtere lacrymis ad rectè orandum, antequàm quicquam petas: oratione enim lacrymātis magnopere Deus delectatur.*

Vt ab iſto improperio, Quod nimirum illi ancilla imprecata fuerat ſterilitatis.

Sterilitas maximū improperium apud Iudæos, & cur.
2 *Liberaret eam.* Adeò enim ſemper probroſa fuit apud Iudæos corporalis ſterilitas, vt illam maximum improperium exiſtimarēt: Hinc Rachel vxor Iacob, cùm primùm peperit Domino gratias agens, dixit: *Abſtulit*
Gen. 30. 23
Deus opprobrium meum. Et Anna Samuelis mater affligebatur ab æmula ſua Phenenna, & vehementer angebatur ab illa, quod ex-
1. Reg. 1. 6
probraret ei, *quia Dominus concluſerat vuluam eius*: Ambroſius cauſam aſſignans, quare adeò probroſa apud illos eſſet, *Pudor*, inquit, *eſt fœminis nuptiarum præmia non habere, quibus hæc cauſa nubendi.*
Ambr. de concept. Ioannis poſt med.
Carthuſ. in Gen. 30
Et Carthuſianus, allata verba Rachelis exponens: *Tunc*, ait, *erat confuſibile valdè non acquirere fructum connubij propter hominum forſitan paucitatem. Creditur quoque, quod Iacob Patriarcha docuit coniuges ſuas cultum vnius veri Dei, & futurum Chriſti aduentum, ac incarnationem ex ſemine ſuo, ſicut iam dictum fuerat ad eum; idcircò fœminæ eius vehementer optabant fœcundari.* Quæ ratio etiam de cæteris mulieribus valebat, quæ omnes Meſſiam vel in propria Tribu, vel in filijs videre optabant. Verùm optimam huius rei cauſam illam eſſe puto, quia Dominus in Deuteronomio obſeruatoribus diuinæ legis fœcunditatem promiſerat, tanquam bonorum operum præmium: ſic ibi: *Si poſtquàm audieris hæc iudicia, feceris ea, Dominus Deus tuus multiplicabit, & benedicet fru-*
Deut. 7. 14
ctui ventris tui, non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus, &c. Contra verò tranſgreſſoribus minatus fuerat ſterilitatem. Sic ibi-
Deut. 28. 15
dem poſtquàm dixiſſet: *Si audieris vocem Domini tui, benedictus fructus ventris tui*, ſubiungit: *Quòd ſi audire nolueris vocem Domini tui, maledictus fructus ventris tui*, hoc eſt, illa ſis benedictione fœcunditatis priuatus, & maledictionem ſterilitatis incurras: quam pœnam veluti grauiſſimam Oſæas filijs
Oſe. 9. 14
Ephraim à Domino imprecatus dixit. *Da eis Domine: quid dabis? Da eis vuluam ſine liberis, & vbera arentia*: ſic illam dedit Deus mulieribus Abimelech, vt in Geneſi apparet, tanquam grauiſſimam: *Concluſerat*, ait te-
Gen. 20. 18
xtus, *Dominus omnem vuluam Domus Abimelech propter vxorem Abrahæ.* Hac etiam
2. Reg. 6
pœna percuſſa eſt Michol vxor Dauid, ex eo quòd virum ſuum ſaltantem ante arcam contempſerat.

Quòd orationem perſeuerantia comitari debeat.

DOCVMENTVM I.

A
CONSTANS hæc trium dierum, & noctium Saræ in oratione perſeuerantia, qualis eſſe noſtra debeat oratio, ſi illam à Domino exaudiri cupimus, ſatis docet: nimirum diuturna eſſe debet, & perſeuerans: quia, ſicut ille, qui excutere à ſilice vult ignē, iterum atque iterum percutit, donec ſcintillam excutiat; ita quiſquis Dominum deprecatur, etiam ſi illicò non exaudiatur; perſeuerare tamen debet, & ſæpè, ac ſæpius diuinas aures percutere: nam, teſte Dauid, *Re-*
Pſ. 101. 18
ſpexit Dominus ad orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum, ſeu, vt alij legunt: *reſpexit in orationem cicadæ*, ad orationem
Cicada orantis ſymbolū.
ſcilicet eorum, qui quaſi cicadæ os habent in pectore, paſcuntur rore, & diu perſeuerant in cantu: qui nimirum in ſua oratione magis corde, quàm ore loquuntur, rore paſcuntur cæleſtium deſideriorum, & in diuturnæ orationis importuno cantu perſeuerant: quod ſe idem Dauid feciſſe teſtatur, dum ait: *Clama-*
B
Pſal. 118. 145
ui in toto corde meo, & exaudiuit me Dominus. Et alibi: *Expectans expectaui Domi-*
Pſ. 39. 2
num, & intendit mihi, hoc eſt, dum toto corde clamarem, & differret Deus poſtulata concedere, *expectans expectaui*, hoc eſt, perſeueranter oraui, *& exaudiuit me. Qua-*
Iudith. 4. 12
re ſcitote, quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, dixit Eliachin filijs Iſrael, dum
Iac. 5. 16
graui premerentur obſidione: *Si manentes permanſeritis in ieiunijs, & orationibus in conſpectu Domini*: nam vt beatus Iacobus ait: *multum valet deprecatio iuſti aſſidua.* Id etiam nos Chriſtus docuit ſub amici cuiuſdam parabola: *Quis veſtrum*, inquiens, *ha-*
Lucæ 11. 5. 7. 8
bebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: amice commoda mihi tres panes, & ille de intus reſpondens, dicat: noli mihi moleſtus eſſe, iam pueri mei mecum ſunt, & oſtium clauſum eſt, non poſſum ſurgere, &

dare

Digitized by Google

C *dare tibi, & ſi ille perſeuerauerit pulſans, dico vobis, & ſi non dabit ei ſurgens, eo quòd amicus eius ſit; propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios,*

Quod ſimplici negatur petitioni, importunæ cóceditur.

Sic docens, ſæpè perſeueranti orationi Deum concedere, quod ſimplici petitioni negatum fuerat. Sed quid miramur, orationem aſſiduam tantùm apud miſericordem patrem valere, ſi & gutta aquæ, qua nihil mollius aſſiduitate cadendi, duriſſimos etiam lapides emollit, & excauat? Eſt enim illa, non tam gutta, quàm quædam veluti ſagitta, aſſiduè paterna illa Dei noſtri viſcera feriens. Si itaque, quod durum eſt, mollitur, ac cedit, dum frequenter impetitur; nihil mirum, ſi pijſſimum illud Dei noſtri pectus, iaculo orationis aſſiduè pulſatum, precibus orantium cedat. Pete ergo, & iterum, atque iterum fores diuinæ mi-

D ſericordiæ pulſa, quia omnino pulſanti aperietur.

Moyſes iuſſus à Deo, virga petrã percuſſit, quæ cum primo ictu aquam non fudiſſet, ſecundo copioſiſſimam vndam ſitiẽti populo propinauit: ſic ille, qui aſſiduis precibus diuinæ miſericordiæ nou quidem lapideã, ſed tenerrima viſcera pulſat, nec hæſitat, ſalutarem ipſius miſerationis aquam, ſuo tempore haurit, ac bibit.

Hier. hom. 5 ſuper Luc. 11 tom. 6

Perſeuerantia orationis.

Magna perſeuerantia, inquit Hieronymus, *quæ quandiu importuna eſt, quamquam moleſta ſit; Deo tamen plus amica eſt, quàm amicus. Ecce enim quod amico negatur, perſeuerantia promeretur: illi recuſat de fiducia, hunc de contentione compatitur: illi non largitur familiaritatem pulſanti; huic pertinaciter miſeretur oranti: pulſemus igitur oſtium Domini, non ſolum per fidem; ſed etiam perſeuerantia, vt aperiatur nobis.*

Rõ. 12. 12

Sic etiam & alibi Beatus Paulus: *Orationi*, inquit, *inſtantes*, & ad viduæ illius apud immiſericordem, & crudelem iudicem ſuam cauſam agentis, nos mittit exemplum, vt eandem orationis inſtantiam, & illius interpellationis importunitatem imitemur. atque, vt in hac re ſolicitiores perſiſtamus, ſua nos diuina pollicitatione confirmat, dicens: *Omnis, qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.*

Gen. 15. 18

Abrahæ dixit Dominus, *Semini tuo dabo terram hanc*, cũ adhuc ille iuuior eſſet, eũq. à terra Aſſyriorum in Palæſtinorum fines tranſtuliſſet: multorum deinde annorum iam numerus effinxerat, iamq́. naturalis in eo ad procreandum vis erat extincta, & ſibi moriendi ferè tempus inſtabat; Sara ipſius

Perſeuerantia Abrahæ imitanda in oratione.

vxor iam ſenio confecta omnino infœcuuda apparebat; nec tamen deſiſtebat ille à fide diuini promiſſi, ſed quò magis ætate ad ſenium declinabat, eò magis in dies ſpe ſua

F quodãmodo iuueneſcebat, & collabentes affecti corporis vires fidei robore, ac vigore ſuſtentabat.

Baſil. in lib. con. mor. c. 2

Hanc tu Abrahæ fidem imitare, inquit Baſilius: *qui enim illi promiſerat, ſe multiplicaturum illius ſemen, idem quoque promiſit, nobis daturum quicquid ab eo poſtulauerimus.* Perſeueranter igitur pete, nec dubites, quin ea, quæ poſtulas, ſis conſecuturus, dummodo tibi, quod petis, expediat: quod ſi poſtquàm diu poſtulaſti, te Deus non audit, cogita, quia, vel non dum tempus exaudiendæ orationis aduenit, vel quia tibi quod petis, non expedit. Quòd ſi etiam dubites, an te Dominus exaudire velit, non tamen à prece deſiſtas, ſicut neque ille deſiſtit, qui gratiam aliquam ab humano principe ſperat, licèt incertus, an illam ſit aſſecuturus:

G ſed ſicut ille pecuniam fundit, maria tranſmeat, procellarum incerta ſubit, atq; etiam periculo ſe mortis exponit, vt ad regẽ perueniat, eumq́. tandem vel per ſe ipſum, vel per alios ſupplex exoret; ſic tu Deũ, quem per te ipſum rogare potes, ſupplex efflagitare debes, nec vlli labori parcere, donec te benignius exaudiat. Eſt enim oratio curſoris inſtar, & nuntij, quæ noſtra ad Deum perfert deſideria. Quare ſicut ille pergere non ceſſat, licèt in itineribus aliquando repulſas patiatur, donec negotium expediat: ita nec illa ceſſare debet, licèt mundus, & diabolus illam impedire conentur, donec ante Deum perueniat, & audiatur. Neque te ab orando reuocare debet ariditas ſpiritus, ſiue deuotionis; nã ſicut Deus, antequàm herbæ, & arbores in mundo gignerẽtur, & creſcerent, fecit terram aridam apparere; ſic aliquando in ipſa oratione te aridum eſſe permittit, vt maioribus deinde

H gratijs te conſpicuum reddat. Vndè per Ieremiam dicit: *recordatus ſum tui, quando ſecutus es me in deſerto*, hoc eſt, cùm per

Ier. 2. 2

ſterilitatem deuotionis, quaſi per ſterile ambulares deſertum, nec ceſſares ab oratione, tunc recordatus ſum tui. Nulla denique res te cõturbet: nam *quomodo certaminis brauium non aſſequitur*, inquit Laurentius Iuſtinianus, *qui antequàm ad metas attingat, deficit, ſic orationis fructu priuatur quiſquis in illa non extiterit importunus.*

Laur. Iuſtin. in lig. vit. c. 9

Quod probè ſciens antea Hieronymus: *Memini*, inquit, *me clamantem, diẽ crebrò iunxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, donec rediret, Domino imperante, tranquillitas.*

Hier. ad Lætam.

I

Orationem vir Deus exaudire differat.

Sanè differt Deus aliquando poſtulata concedere, quia frequenter citò conceſſa non bene cuſtodiuntur, ſicuti contra quod difficulter acquiritur, diligenter cuſtoditur. Salomon donum ſapientiæ citò impetrauit, ideoq́. illud negligenter cuſtodiendo, citò amiſit. Frequenter etiam citò conceſſa nocent, quæ diu dilata profuiſſent; Medicus enim ille cæleſtis, ſicuti poteſt ſanare; ita etiã callet, quomodo vtiliter ſanare debeat, *Vſquequo Domine clamabo, & non exau-*

dics? vociferabor ad te, vim patiens, & non
Habacuc 1. 2 ibiq. Hieron. *ſaluabis?* ait Habacuc: quæ verba exponens
Hieronymus: *Non ita videt Deus*, inquit, *vt*
videt homo: homo tantùm præſentia reſpicit:
Deus futura, & æterna cognoſcit: & quomodo
ſi ægrotus, et æſtuans febribus aquã frigidam
poſtulet, & dicat ad medicum, vim patior,
crucior, vror, exanimor: vſquequo medice
clamabo, & non exaudies? & reſpondeat ei
ſapientiſſimus, & clementiſſimus medicus:
Scio, quo tempore debeam dare, quod poſtu-
I *las, non miſereor modò, quia miſericordia*
iſta crudelitas eſt, & voluntas tua contra te
petit: ita Dominus Deus noſter, ſciens cle-
mentiæ ſuæ pondera, atq; menſuras, iterum
non exaudit clamantem, vt eum probet, &
magis prouocet ad rogandum, & quaſi igne
excoctum, iuſtiorem, & puriorem faciat.
S. Athan. in eius vita. Hæc Hieronymus. Sic legimus de Sancto
Antonio, quòd cùm aliquando diù, mul-
tumq́. inter vexationes dæmonum oraſſet,
poſt multum temporis tandem à Deo libera-
tus: *Vbi eras*, dixit, *Domine Ieſu? quare non*
in principio affuiſti, vt ſanares vulnera
mea? vocem reſpondentem audiuit vir San-
Prat. ſpirit. c. 3 ctus; *Antoni, hic eram, ſed expectabam*
videre certamen tuum. De Conone præsby-
tero in Prato Spirituali habetur, quòd cùm
eſſet in baptiſmi miniſterium deputatus, vi-
M deretq́. ſe vehementiore incendi tentatio-
ne concupiſcentiæ in baptizandis mulie-
ribus, (quòd Baptiſmus tunc per immer-
ſionem fieret) & ſæpè ab illa tentatione
liberari ſe à Domino enixè poſtulaſſet, nec
exaudiretur, cùm à monaſterio recederet, vt
munus iniunctũ relinqueret in via ſancto illi
Ioãnes Baptiſta apparens hac habuit: *Crede*
mihi presbyter Conon; volebam te pro hac
pugna mercede donare, ſed quia non vis, ec-
ce abſtuli à te hoc bellum, mercede autem hu-
ius operis carebis. Nemo igitur ſit, qui ceſ-
ſet orare, dum Dominum differentem dare
poſtulatum cernit, certus, ſuo tempore ac-
cepturum ſe à Domino, quod expoſcit. Sic
Habac. 2 3 Habacuc: *Si moram*, inquit, *fecerit, expecta*
eum, quia veniens veniet, & non tardabit,
nimirum, ſi Deus moram fecerit, nec poſtu-
latum tuum eo tempore tibi conferat, quo
velles; nõ tardat tñ, quia ſuo tempore veniet:
N tardare enim dicitur, non qui citò nõ venit,
ſed qui tẽpore, quo venturus erat, nõ venit:
Sic nemo dicit modo tardare Antichriſtum,
qui ad finem ſeculi venturus eſt: nec enim,
2. Pet. 3 vt B. Petrus dicit, *tardat Dominus promiſſio-*
nem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: quia
ſcilicet non dum venit tempus, in quod ſe
venturum promiſit: ſuo tempore dabit, &
non tardabit. Ipſe clauſit arcam Noë de fo-
ris, vt oſtenderet, ſuæ curæ eſſe illã ſuo tem-
Cant. 3. 4 pore aperire. Dicas ergo cum Sponſa; *Tenui*
Iob 31. 15 *eum, nec dimittam; donec introducam eum,*
&c. & cum Iob? *Etiam ſi occiderit me, in*
ipſo ſperabo, Imitare Iacob, luctantem cum
Angelo vſque mane, cui cùm diceret Ange-
lus: *Dimitte me, aurora eſt*, reſpondit ille:
Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Imi- O
tare mulierem illam Sunamitidẽ, quæ pedes 4. Reg. 4
Eliſæi apprehendit, nec dimiſit eum, donec 27
filium ſuum ſuſcitaret. Imitare denique no-
ſtram Saram, quæ tribus diebus, & tribus
noctibus ſemper in oratione perſtitit, do-
nec (vt inferiùs apparebit) à Domino exau-
dita eſt: quod & tibi euenturum ſperare de-
bes, ſi orando vſque ad finẽ perſeueraueris.

Quòd oratio lacrymans maximi momenti ſit apud Deum.

DOCVMENTVM II.

CVM optimè compertum eſſet A
Saræ, orationis negotium, vt Aug. epiſt. ad Prob. ad fin.
Auguſtinus ait, *magis gemi-*
tibus, quàm ſermonibus agi,
plus fletu, quam affatu; non
modò voluit orationem ſuam
perſeuerantem eſſe, verùm & lacrimantem:
Sic Anna Samuelis matre orante, *labia illius* 1. Reg. 1
mouebantur, & vox penitus nõ audiebatur. 13
quod ſolas lacrymas ſciret vocem omni buc
cina clariorem apud Deum eſſe, quem ali-
quando deprecatus Dauid, dixit: *Auribus*
percipe lacrymas meas: auribus, inquit, *per-* Pſ. 38. 13
cipe, non oculis: quia habent lacrymæ in-
terdum pondera vocis: vnde & poëta qui-
dam ab exilio reuocari cupiens, vxori ſuæ
ſcripſit, vt imperatorem adiens, ſupplex
ab illo ſuam liberationem efflagitaret; ſub-
dens:

Nec, tua ſi fletu ſcindẽtur verba, nocebit; Ouid. 1. de Pont. eleg. 1. ad fin.
Interdum lacrymæ pondera vocis habent.

Sanè nulla eſſe tormenta bellica, nulla to- B
uitrua, quę maiorem apud Deum reddant ſo
num, quæq́. ad ipſum quodammodo cogen-
dum maiorem vim habeant, quàm lacrymæ,
ipſemet docuit, dum ait: *Regnum cælorum* Matth. 11.
vim patitur, & violenti rapiunt illud, tali- 12
bus oſtendens verbis, cælum non niſi vi ha-
beri poſſe, & quidem lacrymarum: etenim
niſi efficiamini, ait, *ſicut paruulus iſte, non* Matth. 18
intrabitis in regnum cælorum. Similiter in- 3
nuens, non eas vires requiri ad cælorum re- Lacrymæ regnũ cælorũ expugnant.
gnum obtinendum, quibus terrena regna
occupari, & obtineri ſolent; ſed eas, quibus
vtuntur pueri ad vim parẽtibus inferendam,
nimirum preces, & lacrymas: Solent enim
pueri, ſi, quod poſtulant, parentes non con-
cedunt, vagitibus, & lacrymis vi quodam-
modo ab illis extorquere. Sic benigniſſimus
Deus lacrymas reſpiciens ſeruorũ ſuorum.
Quomodo, inquit per Iſaiam, *ſicut mater* C
blãdiatur, ita & ego conſolabor vos; ad vbera Iſa. 66. 13
portabimini, & ſuper genua blandientur
vobis, ideſt poſtulatum dabo, abſtergam la-
crymas, & diuinis ſolatijs vos abundare fa-

ciam.

Laur. Iuſtin. de lign. vit. c. 9. de orat.

Lacrymarũ vis.

ciam. Hinc Laurentius Iuſtinianus: *Nemo*, inquit, *ad Deum flens acceſſit, qui nõ iuſtam petitionem ſuam acceperit: nullus ab eo beneficium iuſtum optauit, qui non impetrarit, ipſe eſt enim, qui conſolatur flentes, dolentes curat, pœnitentiam informat: o humilis lacryma! tua eſt potentia, tuum regnum: Tribunal iudicis non vereris, inimicorum tuorum accuſationibus ſilentium imponis; non eſt, qui te ad Deũ accedere vetet, ſi ſola intrès, vacua non redibis, quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem. Quid ergo? patiens Dominus eſt*, inquit Iudith, *indulgentiam eius fuſis lacrymis poſtulemus*. Non enim Deus hoc modo à nobis ſuperari recuſat. *Non deſpiciet Deus*, ait Sapiens, *preces pupilli, nec viduam, ſi effundat loquelam gemitus*; rationẽq. aſſignans, ſubdit: *à maxilla enim aſcendunt vſque ad cælos*: etenim licèt videantur lacrymæ in ſinum deſcendere, & in terram cadere, *non deſcendunt tamen*, ſed aſcendunt ad Deum, & ſurſum contrario motu, quàm imber, & ſtillicidia, in cælum ſtillant.

Iudith 8 14

D

Eccl. 35 17

Iob 16. 21

Hinc Iob: *Ad Deum*, inquit, *ſtillat oculus meus*, ſuas docens lacrymas non terram petere, vt cæterorum ſolent hominum, ſed cælum, quòd non propter terram, ſed propter cælum funderentur. Sed mirabilis huius rei cauſa humanis eſt illa quidem oculis occultior, quod ſicut Sol terræ vapores ſuo calore tepefactos ſurſum euehit; ita piorum feruentes lacrymas benignus Deus excitat, & eleuat ad ſe, vtpotè ſibi gratiſſimas. Tales Deum lacrymas in conſpectu ſuo ponere docet Dauid, dum ait: *Deus, vitam meam annuntiaui tibi, poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo*. ideſt, audiſti Domine vitam meam, quam tibi patenter à me inſinuari voluiſti: verum lacrymas meas non modò audiſti, ſed etiam tuis ſubieciſti conſpectibus, quaſi te ipſum in eis veluti in illuſtri ſpeculo conſiderare velis, & vt faciunt homines, dum re quapiam valdè delectantur, quam, ſi fieri poſſet, à ſuis ipſorum conſpectibus auferri nunquam vellent. Id optimè cùm ſciret Ieremias: *Oculus meus*, inquit, *afflictus eſt, nec tacui*, hoc eſt, vt Hieronymus interpretatur, *effluxit, manauit lacrymis, & ſicut fons quaſi præceps emiſit aquas, donec reſpiceret, & videret Dominus de cælis*, neq; enim quieui à fletu, donec Dominum lacrymas meas aſpicientem, ac mihi auxilium impertientem cognoui. Hinc Iſidorus: *Nunquam* ait, *ſine gemitu eſt orandum: nam peccatorum recordatio mœrorem gignit, dum enim oramus, ad memoriam culpam reducimus, & magis reos tunc nos eſſe cognoſcimus. Ideoq. cum Deo aſſiſtimus, gemere, & flere debemus, reminiſcentes quàm grauia ſint ſcelera, quæ commiſimus, quàmq. dira inferni ſupplicia, quæ timemus*. ò felices, qui has inter orandum lacrymas experiuntur! nimirum beâti, & verè beati, qui lugent, *quoniam ipſi conſolabuntur*: nam quæcunq; à Domino poſcent, conſequentur. Sanè Hieronymus de exercitio ſuo eremitico ad Euſtochium ſcribens: *Quotidie*, inquit, *lacryma, quotidie gemitus. Poſt multas lacrymas, poſt cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar agminibus intereſſe Angelorum, & lætus, gaudenſq. cantabam: poſt te in odorem curremus vnguentorum tuorum*. Et S. Arſenium legimus ob frequentes lacrymas, fluxis ſupercilijs, turbidis oculis, ſuffuſiſque rubore genis fuiſſe. Sancto Franciſco minorum Patri plorandi aſſiduitas ita oculorum hebetauerat viſum, vt iam vix obiecta conſpiceret: oculiſque ſuis vt parceret, cum aliquando admonitus eſſet: Haud tanti reſpondit ſe facere ipſos corporis ſenſus, vt eorum cauſa velit langueſcere ſuæ mentis vigorem, quem certè ſuſpirijs, & lacrymis tantum ali dicebat.

E

Pſ. 55. 9

Ier. Thren. 1 *& Hier. ibi*

Oratio lacrymis coniungenda.

F

Iſid. Hiſp. li. 3 *ſent. c.* 8

Hier. ad Euſtoc.

G

Lacrymæ ſpiritus vigorẽ alunt.

Quòd nulla verè ſterilitas ſit maledicta, niſi bonorum operum.

DOCVMENTVM III.

A

Sup. in lit. n. 2

LICET ſteriles, vt ſupra diximus, apud homines in veteri teſtamento, tanquam peccatores haberentur, & maledicti; illa tamen apud Deum anima verè maledicta cenſenda eſt, quæ Chriſto viro per fidem copulata, bonorum operum fructum non producit, nec in Dei Eccleſia poſita, ſemen meritorum Chriſti recepit, vt illo bonis fiat operibus fœcunda. Atq; idcirco: *Areſecit Dominus arborem maledicto*, ait Beda, *vt homines hoc videntes, ſiue audientes, multo magis intelligerent, ſe diuino condemnãdos eſſe iudicio, ſi abſq; operum fructu de plauſu tantum ſibi religioſi ſermonis gloriarentur*. nam, vt ipſe Dominus alibi loquitur, omnibus faciendus eſt aliquis fructus, & non quicunq;, ſed bonus, alioquin: *Omnis*, inquit, *arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. Vnde legimus, regem Nabuchodonoſor quandam vidiſſe arborem in medio terræ altitudinis maximæ: *Erat arbor*, vt apud Danielem idemmet ait, *magna, & fortis, & proceritas eius contingens cælum, aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & eſca vniuerſorum in ea, ſubter eam habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cæli, et ex ea veſcebatur omnis caro*. Erat & hęc arbor adeò frugifera, vt in illa terræ, aërisq. animalia domicilium, cibumq. habere poſſent: illam tamen vigil, qui de cælo deſcen-

Beda hom. 7 *in quadrag. tom.* 7

Matt. 3 10

B

Dan. 4. 8 *&* 9

de-

Vbi ſup. verſ. 11

derat ſuccidi præcipit, clamans: *ſuccidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & diſpergite fructus eius*: quòd nimirum fructus illa haberet, non Deo, ſed beſtijs, & animantibus accommodatos: nam, vt ibi dicitur, *ex ea veſcebatur omnis caro*. Exigit enim à nobis Deus, non carnales, & beſtiales fructus, ſed ſpirituales, ac diuinos, qui ſui ipſius cibus eſſe queant. Quare ſi laboras, & vehementer defatigaris, vt diuitijs, alijſq́; caducis rebus abundes, his fructibus haud ille delectatur, quòd illi animæ arborem fœcundare nequeant: idcircò ſuccidetur arbor animæ tuæ ipſius Dei iuſſu, & in ignem mittetur, vt ardeat, vtpotè maledicto ſterilitatis infecta: *Flores enim mei*, inquit diuina Sapientia, non marcidi, & terreni, ſed *fructus honoris, & honeſtatis*, quales illi omnes ſunt, qui à gratia diuina procedunt. Sanè ſicut terra ſterilis, & infœcunda redditur, ſi longè à ſole ſit poſita, vt in Noruegia à ſole remotiſſima, apparet, quæ penitus quaſi ſterilis eſt; ſic anima ſi à ſole diuinæ gratiæ longè ſit poſita, multa licèt opera perpetret, infœcunda ſemper eſt, & maledicta: ſicut contra, ſi diuinæ gratiæ lumen aſſulgeat, tantam habet anima fœcunditatẽ, vt fructus bonorum operum non ſolum pluſimos, ſed etiam maximi apud Deum meriti afferat. Hinc ſponſus in canticis ſponſam alloquens: *Vulneraſti*, inquit, *cor meum ſoror mea, ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*. *Per collum*, ait Honorius, *amor intelligitur, qui in corde eſſe dicitur, & continens pro contento ponitur, & eſt ſimilitudo in illo, qui nimirum aliquem amat, cuius cor amore vulneratur*. Et quidem vulneratum ſe dicit Deus in vno crine colli ſponſæ, non quidem materiali, quia collo crines non ſunt, ſed ſpirituali, nimirum opere, licèt minimo, in gratia perpetrato: etenim cùm ſit collum nexus corporis, & capitis, habeatq́; anima duas partes, quarum vna quodammodo carnalis eſt, ſpiritualis altera, nimirum ſenſus, & ſpiritus; horum collum, ſeu nexus gratia cenſenda eſt, quæ vnam alteri ſubijcit, concordat, & vnit: & colli crines bona opera, quæ ab illa ſunt: nam ſi opus bonum ſine illa fit, non colli, ſed capitis eſt, hoc eſt, non gratiæ, ſed rationis, quod nec Deum vulnerat, nec illum delectat. Verùm quandocunque opus bonum in gratia fit, illius valor, ac pretium, cùm potius à gratia, quàm à ratione procedat, magis colli cenſendum opus eſt, quàm capitis. Et iſtud eſt, quòd licèt minimum ſit, ſponſi tamen cæleſtis præcordia mouet, vulneratq́; ſicut ipſemet docuit dicens: *Qui dederit cyathum aquæ frigidæ in nomine meo, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam*. ò felicem bonorum operum fœcunditatem! ò crines felices, qui Deo arridetis! Sed heu

C

Eccl. 24 23

D

Cant. 4. 9

Honorius apud Delrium in Cant.

E

infelix anima, quæ ſine collo gratiæ viuit, quæq́; tali priuata nexu, infœcunda parit: & iuxta Oſeæ maledictum, *vuluam ſine liberis, & vbera arentia gerit*. Itaque *ſuper vbera*, dicit Iſaias, *plangite*, qui tali bono priuati eſtis; inſtat enim nobis dura illa ſententia: *ſuccidite arborem*; plangite, *quia præ ariditate* (vt Ieremias dicit) *adhæſit lingua lactentis ad palatum eius in ſiti*: Sic enim fiet, vt aqua lacrymarum, ſordes animæ diluat, & gratiã introducat, qua crines, Deo chari, bonorum operum producantur.

Oſea 9. 14
Iſa. 32. 12
F
Dan. 4. 11
Ier. Thre. 4. 4

VERS. XII.

Factum eſt autem die tertia: dum compleret orationem benedicens Dominum, dixit:

VERS. XIII.

Benedictum eſt nomen tuum Deus patrum noſtrorum, qui cùm iratus fueris, miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.

1 *Benedicere Dei à noſtro in quo differat.*
2 *Nomen Dei quomodo benedictum.*
3 *Nomina, quibus Deus deſignatur, quæ.*
4 *Aliæ nominis Dei acceptiones.*
5 *Nomen Dei hic in litera.*
6 *Sara cur hic Deum patrum ſuorum Deum appellet.*
7 *Deus quomodo dicatur iraſci.*
8 *Ira Dei, vnde ſit, & vnde miſericordia, quam etiam iratus facit.*

VERS. XII

FACTVM eſt autem die tertia, Poſtquàm nimirum per tres dies in ſuis lacrymis meditabunda permanſerat: *In ipſa tertia die*, legit Arabs,

Arabs.

1 *Benedicens Dominum*, Ideſt Deum, quem diu mente laudauerat, ore etiam laudare, ac benedicere cœpit. Circa quam benedictionem aduertendum eſt, aliter nos benedicere Deo, aliter Deum nobis benedicere: nam Dei benedicere eſt benefacere, ſicut dicere Dei eſt facere: *dixit, & facta ſunt*. Quare quodcunque Dei donum, & gratia, eſt Dei benedictio. Verùm noſtrum benedicere non eſt benefacere, quinimmò niſi diuina virtute ſit fultum, inane eſt, nihilq́ue in ipſa re aliud ponit, quàm laudare, & deſideria noſtra in bonum alterius aperire. Vnde nihil eſt aliud aliquem benedicere Deo, quàm Deum laudare, laudemq́ne, & gloriam illi ab omnibus exoptare, iuxta quam ſignificationem hic ponitur, & in pſalmis, vbi Dauid: *Bene-*

Benedicere quid ſignificet.

dicam;

Digitized by Google

Pſ.33.2 *dicam*, ait, *Dominum in omni tempore*, vbi etiam quid ſibi velit, his verbis declarans, ſubdit: *Semper laus eius in ore meo:* & Pſ.15.7 alibi: *Benedicam Dominum*, ait, *qui tribuit mihi intellectum*, ſeu, vt legunt alij, *Laudabo Dominum*: & iterum alibi: *In Eccleſijs benedicite Dominum*, hoc eſt laudate. Dan.2.19 & apud Danielem dicitur: *Benedixit Daniel Deum cæli, & locutus ait: Sit nomen Domini benedictum à ſeculo, & vſque in ſeculum*, & frequentiſimè in ſacris literis alibi.

VERS. XIII. *Benedictum eſt nomen tuum Deus, &c.* Cum nomen imago quædam ſit rei, & ſimilitudo, illam repreſentās: nomine Dei honorato, Deus honoratur, cuius ſuauitas nomen etiam ſuaue, & maieſtas honorabile, & poteſtas terribile, & gloria benedictum efficit: ideo cum Dei honore ponitur ſimul nominis ſui honor, iuxta illud Ieremiæ: Iere. 14 *Tu autem in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos*, & illud Pſ. 102 pſalmi: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius*; Sicuti etiam cum Chriſti honore eiuſdem etiam nominis honor coniungitur: vndè B. Paulus, de Chriſto verba faciens, Phil.2.9 *Propter quod*, ait, *& Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

Nomina Dei decem. 3 Nomina autem, quibus Deus deſignatur apud Hebræos, teſte Hieronymo, ſunt decem: Hier. ep. 136 tomo 3 nomen ſcilicet אל, el, quod LXX. θεὸν, id eſt Deum, Aquila ἰσχυρὸν, hoc eſt, fortem interpretantur: nomen אלהים, Eloim, & אלהי Eloë, Latinè *Deus*: nomen צבאות, Sabaoth, quod LXX. tranſtulerunt, *Dominus virtutum*, Aquila *exercituum*: Nomen עליון, Heloin, quod nos excelſum dicimus, quaſi ſuper omnes cælos: Nomen אשר Eſer, & אהיה Eheie, quod *qui eſt* interpretatur, vt in Exod. Exod. 3 vbi dicitur: *Qui eſt, miſit me ad vos*: Nomen אדני Adonai, quod nos Dominũ generaliter dicimus; Nomen יה Ia, quod in Deo tantum ponitur, & in alleluia extrema quoque ſyllaba ſonat: Nomen τετραγράμματον, hoc eſt quatuor literarum, quod Hebræi ἀνεκφώνητον, hoc eſt, ineffabile, putauerunt, illudque quatuor his literis ſcribere conſueuerunt יהוה, & hoc Iehouah etiam dicitur, & tandem nomen שדי, Saddai, ſeu, vt alij ſcribũt Iaddai, quod Aquila interpretatur ἄλκιμον; nos verò robuſtum, ſufficientem, & omnipotentem, de quibus hic non eſt, cur fuſius diſſeramus. vide ſi placet eundem Hieronymum.

Nomen Dei pro ipſo Deo accipitur. Sacr. ſcript. 4 Accipitur etiã nõ infrequenter in ſacris ſcripturis nomen Dei pro ipſo Deo, vnde quãdo in illis dicitur nomen Dei glorioſum, Pſ.19.& 32 admirabile, bonũ, ſanctũ, benedictum, & ſimilia, intelligitur Deũ eſſe glorioſum, admirabilem, ſanctum, & omni laude dignum; nam Exo. 33 quemadmodum nomen alicuius dicitur eſſe gratum, & laudabile, aut odioſum, & vituperabile, quia eiuſmodi eſt, qui eo nomine appellatur, cuius conditio in mentem hominis reducitur, eius audito nomine: ita etiam quæ Deo conueniunt, nomini eius tribuuntur, eò quòd mox audita quauis appellatione Dei, concipiamus huiuſmodi proprietates Deo conuenientes, audito enim nomine Dei, mox cogitamus rem aliquam ſanctiſſimam, omniq́ue laude digniſſimam, ideoq́ue & nomen eius ſanctum, & benedictum dicimus.

5 Verum hic nomine Dei, ipſius Dei gloriam intelligendam puto; ſic enim & ipſe Nomine Dei diuina gloria ſignificatur. ſermonis vſus obtinuit, vt dicamus, vir eſt magni nominis, hoc eſt glorioſus, qui videlicet magnam gloriam apud homines obtinet: ſecundum quam ſignificationem etiã in prouerbijs dicitur: *Melius eſt boni nomen, quàm diuitiæ multæ.* Eccl.7. & Prou. 22 Et in Canticis de Chriſto: *Oleum effuſum nomen tuum*, Cant.1 quod fama, & gloriæ nominis eius vbique ſuauiſſimo fragraret odore, ſicut oleum facit, quando effunditur. Et Ieremias, *feciſti*, ait, Iere. 32 *tibi nomen ſecundum diem hanc*, hoc eſt, feciſti tibi gloriam magnam, iuxta quam ſignificationem etiam apud Græcos ὄνομα, ponitur: ideò ὀνομαστὸν, nobilem, & clarũ ex Platone interpretatur Cicero. Plat. Polyt. 1 Quare dum dicit hic Sara: *Benedictum eſt nomen tuum*, idem eſt, ac ſi diceret, magna, & præclara eſt gloria tua.

6 *Deus patrum noſtrorum.* Vocat hic Sara Deum, Deum patrum ſuorum, quòd ſingularis Dei erga ipſos beneuolentia, & beneficentia, & illorum erga Deum eximia pietas, obedientia, & religio mirabiliter olim eluxiſſet: quo etiam nomine ſe ipſum Deus appellare conſueuerat, dicens: Exo. 3 *Ego ſum Dominus Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob*, vbi etiam ſubdit, *hoc eſt memoriale meum in æternum*, agnomen ſcilicet, & inſigne meũ, de quo maximè ipſe glorietur, quemadmodum etiam per Iſaiam ait; Iſa.49 *Seruus meus es tu Iſraël, quia in te gloriabor*, vbi magis ſibi glorioſum oſtendit, ſe Deum iuſtorum dici, quàm omnium aliarum rerum, & quidem meritò: nam ſicut Chriſtus loquitur: regnum Dei intra iuſtos tantummodò eſt, quippè qui ſoli Deum, tanquam Deum dignoſcant, & reuereantur, illiusq́. pareant præceptis. Hoc igitur gratiſſimo titulo Deum inuocans Sara, illum de corde laudat; admirabilemq́. prædicat in ira remittenda, miſericordia præſtanda, & peccatis condonandis, dicens.

7 *Qui cùm iratus fueris.* Iraſcitur Deus nõ per aliquam ſuæ voluntatis commotionem, aut perturbationẽ, quæ inuariabilis eſt; ſed per effectum iuſtæ vltionis, *Sic per iram, &* Damaſc. li. 1 c. 14 *indignationem Dei*, inquit Damaſcenus, *intelligimus voluntatem ipſius, odio flagrantem vitij, illudq́. auerſantem: nam & nos ea, quæ cum voluntate noſtra pugnant, odio*

ba-

Amb. de Arca, & Noe c. 4. habentes, in iram prorumpimus. *Neque tamen*, vt dicit Ambroſius, *iraſcitur Deus quaſi mutabilis, ſed ideò hæc leguntur, vt exprimatur peccatorum noſtrorum acerbitas: tanquam eò vſque increuerit culpa, vt etiam Deus, qui naturaliter non mouetur, aut ira, aut odio, aut paſſione vlla, prouocatus videatur ad iracundiam.* Itaq. huiuſmodi verbo ira, furor, triſtitia, pœnitudo, & his ſimilia Deo tribuuntur, non quatenus naturæ impotentiam, aut vitium aliquod præſeferunt, ſed quatenus vim, & actionem ſignificant, &, vt ſcholaſtico more loquar, hæc verba de Deo, non ſecundum affectum, ſed ſecundum effectum dicuntur.

Ira qualis in Deo. Deſcribitur autem in ſacris literis Deus aliquando iratus, vt homines, dum illum ſcelerum iuſtiſſimum vindicem eſſe confiderant, magis peccare formident. *Bona autem eſt hæc ars*, inquit Clemens, *terrere, ne peccemus*: Clem. Alex. l. 1. pedag. c. 8 Quare, dicit Iſaias: *Quieſcite ab homine, cuius ſpiritus in naribus eſt*, Ideſt, timete Deum, & ne ad iracundiam illum concitetis: loquitur de Deo, ſumpta metaphora ab homine ad iracundiam prouocato, qui flatum vehementem è naribus emittens, magnam oſtendit animi indignationem: cæterum diuinam iram ſemper habere adiunctam miſericordiam benè docet Sara, dum ait, *qui, cum iratus fueris, &c.*

8 *Miſericordiam facies*. Sanè antiquior eſt apud Deum miſericordia, quàm ira: nam miſericordiam ille ſponte ſua, vt ita dicam, & ex ſuo genio priùs erga nos exercet, iram autem noſtra deinde peccata quodammodo in illo excitant violenter; eſt enim miſericordia bonitatis diuinæ comes, & ante omne meritum; ſed ira iuſtitiæ eſt adminiſtra, & meritum reſpicit. Deus pronior ad miſericordiam, quã ad iram. Quare niſi peccatum extitiſſet, nulla eſſet in Deo ira: at miſericordia, & bonitas in illo eſſet, etiam ſi nullum fuiſſet peccatum. Sic, quòd mundum hunc condiderit, quòd hominem primum, atque in illo totum humanum genus tot beneficijs ornauerit, benignitatis diuinæ fuit.

At quòd homo ingratus, & infenſus illi fuerit, & ad iracundiam Deum prouocauerit, poſterius eſt, atque ab homine duxit originem. Porrò quòd Deus hominum generi decreuerit ignoſcere, ab ipſo Deo, non à nobis natum eſt, ſed & Abrahæ vocatio, Iſaac, & Iacob electio, non humanam virtutem, ſed Deum auctorem habuit. Denique quoties Iſraëlitico populo, diuinum imperium detrectãti, iratum Deum agnouimus, illius iræ imitatores ipſi ſuis ſceleribus fuerunt: quoties autem illis Deus ignouit, id ex ſua miſericordia fecit: quorum vtrumque idem Oſea 13. 9 ipſe Dominus apertè docuit, dum ait: *Perditio tua, Iſrael, tantummodo in me auxiliũ tuum.* Quam quidem rem, qui ſubtilius cognoſcere volunt, videant ſanctum Thomam. S. Th. 4. ſent. diſt. 46

Iam verò licèt ob noſtra ſcelera Deus ad iracundiam prouocetur; tamen, vt Sara loquitur, ſuam etiam, cum iratus fuerit, miſericordiam facit, pœnas nimirum temporales inflictas mitigando, & contritis ignoſcendo: quamquam ob id etiam oſtendit Deus in ira ſua miſericordiam ſuam, quòd ſcelera noſtra citra condignum punit.

9 *Et in tribulatione peccata dimittis*. Licèt peccatum verè, & propriè culpam ſignificet: non rarò tamen in ſacris literis pro pœna peccato debita ponitur, vt apparet in Zacharia, vbi dicitur: *Hoc erit peccatum Aegypti, & hoc peccatum omnium gentium, quæ non aſcenderunt ad celebrandã feſtiuitatem tabernaculorum*. Peccatum pro pęna peccati accipitur. Zach. vlt. verſ. 9 Hæc ſcilicet erit pœna, qua pro tanto peccato afficientur Iudæi; quam ſignificationem manifeſtat Chaldæa paraphraſis, dum ait: *Eiuſmodi erit vltio Aegyptiorum, &c.* & Malachias, vbi ait: *Operuit iniquitas veſtimentum eius*. Malach. 2 & Ieremias: *Completa eſt iniquitas tua filia Sion*, ideſt pœna: vnde ſubdit: *Non addet vltra* Dominus, *vt transmigret te*. Threni. 4 22 Quare & hic peccatum non modò pro culpa, quam propriè, & præcipuè ſignificat; ſed etiam pro pœna culpæ debita accipi poteſt. Porrò culpam, & pœnam ſolere Deum in tribulatione dimittere, manifeſtum eſt, & nos fusè infra proſequemur. Inf. Docum. 3. & 4

His, qui inuocant te. Licet enim Deus, vt ſanctus Thomas docet, multa nobis ex ſua liberalitate concedat, etiam ſi ea non petamus, vult tamen vt plurimùm media oratione nobis præſtare quicquid ad noſtrã ſalutem ſpectare cognoſcit: S. Th. 3. 2. q. 83. ar. 2. ad 3 nam, vt Caietanus loquitur, ſicut diſpoſuit Deus multiplicare triticum ex ſemine, & cultura, & domos artificis induſtria, laboreque, ita multorum ſalutem, variaque dona media oratione largiri decreuit. Caiet. in S. Th. Quare *nequaquã aberrarit à vero*, inquit Chryſoſtomus, *ſi quis affirmet deprecationem eſſe cauſam omnis virtutis, & iuſtitiæ, neque quicquam eorum, quæ conferunt ad pietatem, venire poſſe in animum, cui non adſit deprecatio, & obſecratio.* Chryſoſt. de orand. Deum l. 2. tom. 5

Quòd laudandus ſit Deus mente, & ore, & quidem ab eo, qui iuſtus eſt, & mundus à ſorde.

DOCVMENTVM I.

SIC noſtra Sara poſt mentales laudes cœpit externis etiam laudibus Deo benedicere, A quòd optimè ſciret, illum ab homine, creatura ſua, non mentis tantùm, ſed etiam oris, ſenſuumq. omnium tam interiorum, quàm exteriorum exigere famulatum: nam

ſicut

ſicut è pſalterio, ac cithara dulcior elicitur
ſonus, cùm omnes pulſantur chordæ, ſic
Deus corde, & ore, mente, & ſpiritu ſua-
uiùs, atque perfectius, quàm ſola tantùm
mente laudatur. Porrò hic eſt fructus labio-
rum noſtrorum, quem ipſe à nobis per Oſeã
exigit. Et quidem cùm ipſe has in nobis vi-
neas plantauerit, nempè mentem, & linguã,
iuſtum omnino eſt, vt non ſolum ex mente,
ſed etiam ex lingua fructum accipiat. Exci-
tant etiam externæ laudes animum, qui ſolis
internis difficile mouetur, & ad Deum ele-
uant: nam ſenſibile obiectum vehementius
ſenſum, animumque, quàm ſola inſenſibilis
mentis cogitatio mouet, quod licèt in om-
B nibus rebus verum ſit, præcipuè tamen in
lingua, & voce apparet, quæ naturalem
quandam, & ſpecialem vim ad commouen-
dos animos videntur habere, vt conſtat in il-
lis, qui cùm primùm ſuos, aut ſuorum infor-
tunatos euentus audiunt, lacrymas, dolentis
animi argumenta, nequeũt cohibere, quas fa-
cilius refrænant, dum eos ſola mẽte cogitãt.
Iure igitur optimo Dauid hæc intelligens:
Exultauit, inquit, *lingua mea iuſtitiam*
Pſ.26.6 *tuam.* Et alibi: *Circuiui, & immolaui in ta-*
bernaculo eius hoſtiam vociferationis. hoſtiã
ſcilicet laudis Deo magnis clamoribus im-
molaui. Hinc nata multorum opinio parti-
culam illam סלה, ſela, Græcis διάψαλμα, ideo
apud Hebræos ſacris cantionibus interponi
ſolitam, vt ibi magnis clamoribus vtendum
C ſignificarent. Sic & mater noſtra Eccleſia
his ſonoris vocibus, & cãtionibus ad Deum
laudandum vtitur, noſq; nõ ſolùm mentibus,
ſed etiam vocibus illum laudare docet, pro-
ut etiam ipſe nos Dominus, ac Redẽptor no-
ſter edocuit, quando à cœna hymnum cũ di-
ſcipulis ſuis dacantauit: *& hymno dicto*, ait
Matt. 26 Matthæus, *exierunt in montẽ Oliueti*: nã hym
Aug. in pſ.72 nus, vt aduertunt Auguſt. & Iſidorus, *eſt laus*
Iſid.l.6. ethi- *Dei cum cantico, vel canticum laudantium.*
mol.c. 34 Quare & in primitiua Eccleſia is modus lau
Hymnus quid. dandi Deum ſatis frequens fuit: nam & ipſe
B. Paulus vnà cum Sila dum carcere deti-
nerentur incluſi, *Orantes laudabant Deum,*
Act.16 *& audiebant eos, qui in cuſtodia erant.* Et
Plin.Iun.l.10 Plinius Eccleſiæ hoſtis, dum contra Chri-
epiſt. ad Tra- ſtianos inquireret, reperit hanc apud illos
ian.97 floruiſſe conſuetudinem Deum cãtibus exal-
tandi. *Sunt enim ſoliti*, inquit de illis lo-
quens, *ſtato die ante lucem conuenire, car-*
menque Chriſto Deo dicere ſecum inuicem.

Pſ. 62 Verum, quia, vt pſaltes ait, *iuſtos de-*
D *cet collaudatio*, curandum eſt, vt in his
diuinis laudibus perſoluendis externæ can-
tus alacritati interna animi puritas ad-
iungatur: *exterior enim modulatio, & con-*
Athanaſ. in *centus*, vt ait Athanaſius, *latentis ſpiritus*
interpr.pſal. *ordinis, & compoſitionis eius debet eſſe*
ad Marc. *argumentum.* Quod idem Pſaltes innuit,
Pſ.62.6 dum ait: *Sicut adipe, & pinguedine replea-*
tur anima mea, & labijs exultationis lau-
dabit os meum. Porrò ſicut aqua è fonte
vel puriſſimo in aulam principis per ſecre-
tos aquæductus deriuata, ad locum deſti-
natum pura, & munda peruenire non poteſt,
niſi & aquæductus puri ſint, & mundi; ita
nec externæ laudes, quas Deo decantamus,
puræ, ac mundæ ad aulam vſque æterni re-
gis peruenire valent, niſi cor, & lingua
omni ſorde peccati expurgẽtur. Hinc Iſaias
laudes Dei minimè decantare auſus eſt, Oratio purũ animũ deſiderat.
niſi poſtquàm vnus de Seraphim calculo
ignito labia eius emundauit: tunc enim
Domino dixit: *Ecce ego, mitte me.* Sic à Apoc. 14
Ioanne ſine macula dicuntur fuiſſe, qui E
Domino laudes ſupra montem Sion decan- Eccli.15.9
tabant: neque enim, vt Sapiens ait, *Spe-*
cioſa eſt laus in ore peccatoris. Et qui-
dem ſi Pericles, vt Ammianus refert, nu- Ammian.
ptijs elegantiſſimi cuiuſdam iuuenis affu-
turus, præter morem ſe ipſum adornauit,
vt pulcher, ſicut ille dicebat, *ad pul-*
chrum ſponſum accederet; quanta cordis
munditia ornari ille debet, qui ad Deum,
qui ipſa eſt pulchritudo, accedit in oratio-
ne? quis corde impuro ante illum com-
parere, & laudes ipſius decantare aude-
bit? nam etſi contingere poteſt apud ho-
mines, vt quis inimicum ſuum modulan-
tem audiat, eiuſque delectetur cantu,
quòd illius intueri cor nequeat, nec latens
odium videre; Deo tamen, cui omnia nu-
da ſunt, & aperta, peccatoris, cuius vi-
ſcera dolo, & malitia plena ſunt, laus, &
hymnus nequaquam placere poſſunt; ſed F
cùm inimicitiam internam videat, eius Amos 5.23
laudes, & cantica, tanquam adulantium
laudes, ita abominatur, vt, teſte Amos,
dicat: *Auſer à me tumultum carminum*
tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.
non enim concordes habent chordas pec-
catores Deum laudantes, de quibus dici
poteſt: *Dilexerunt eum in ore ſuo, &*
lingua ſua mentiti ſunt ei, cor autem
eorum non erat rectum cum eo, nec fi-
deles habiti ſunt in teſtamento eius. Et
quidem ſi ſola inſtrumenti intemperies mu-
ſicam audientium auribus moleſtam red-
dit, quanto magis Deo diſplicebit intem-
peratus, & incompoſitus animus, ab omni
rectitudine ſpiritualis concentus alienus?
Infelices, leonique à Sampſone occiſo con-
ſimiles, qui mortuus faui mellis, quem
in ore habebat, dulcedinem non guſtabat:
qui inquam licèt ore dulciſſimum diuinæ
laudis mel deferant; quia tamen anima G
ipſorum per peccatum mortua eſt, eius
mirabilem dulcedinem guſtare nequeunt.

Sanè non niſi puris ad orationem ac-
cedendum eſſe, & ipſi Ethnici cognoue-
runt: vnde apud gentiles vſu receptum
legimus, vt ſæpius ſe aqua mundarent ad
peccatorum maculas, vt ipſi putabant, ab-
luendas, antequam templa numini ſuppli-

Herodotus in Euterpe. Perſ. ſat. 2 caturi adirent; quod de Aegyptijs, & Græcis teſtatur Herodotus; de Romanis verò Perſius his verſibus:

Hac ſanctè vt poſcas, Tyberino in gurgite mergas
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purges.

Tibullus. H Hinc Tibullus cecinit

Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Et Turcas hanc hodie habere conſuetudinem nemo neſcit: rationem aſſignat Heſiodus, dum ait:

Heſiod. lib. 1 Oper. & die.

Κακότητι χεῖρας ἄνιπτους
Τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι, ἄλγεα δῶκαν ὀπίσσω.

Ideſt, *ei, qui manus affert non lotas à malitia, ſuccenſent Dij, & damna dant in poſterum.* Sanctiori tamen mente & Eccleſia Catholica ponit in templorum ingreſſu aquæ luſtralis fontem, qua fideles reſperſi, & maculis venialibus mundati, ad orationem impolluti accedant, qui mos quàm antiquus ſit *Baron. tom. 1. ann. Chriſti 57. n. 109* oſtendit Baronius. *Aquæ luſtralis vſus in Eccleſia antiquus.* Sanè maculis peccatorum fœdatis ſatius eſſe ſilere, quàm preces fundere cenſuit Bias, qui, ſicut refert Laertius, *Laert. in eius vita.* dum vnà cum ſceleſtis quibuſdam nauigaret, & orta tempeſtate ſupplices illos auxilium à Dijs ſuis poſtulantes audiret, increpauit dicens: *ſilete ne nos hic Dij adeſſe ſentiant.* Verùm Chriſtiani ſatius cenſere debent contrito corde orare, quàm omnino ab oratione ſilere. Quare dicam I cum Oſea: *Oſea 14. 3* *Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei: omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* *Hier. ibi.* Sunt enim vituli labiorum, vt docet Hieronymus, laudes in Deum; nam cum laudes Dei, vt teſtis eſt Dauid, ſacrificium *Pſ. 49. 14* ſint Deo, vnde ait: *Immola Deo ſacrificium laudis*, & vituli eſſent, qui ſæpè ſacrificari ſolebant, benè per vitulos diuinæ laudes ſignificantur. Tollenda itaque, antequam diuinas laudes in oratione decantemus, ſi audiri volumus, nobiſcum verba confeſſionis, & de peccatis dolendum, à Domino primùm expoſcendo, vt ignoſcat delicta, & accipiat deinde bonũ; nam niſi prius tollat malum, bonum quod offeramus non habemus, & ſic mundati, reddemus vitulos labiorum noſtrorum.

Quòd ira Dei ſemper ſit cum miſericordia.

DOCVMENTVM VI.

A *Diod. li. 2. c. 3* SACERDOS olim Aegyptiorum, vt Diodorus ait, *Rege iuxta Aram oſtijs deductis aſtante, prædicare ſolebat, magna videlicet voce, & audiente populo, Regis virtutes, in Deos pietatem, ac religionem, in homines humanitatem ſeruantis, pœnas ſemper mitiores, quàm poſtularent errantis crimina, exigentem, reddentem verò gratiam meritis ampliorem.* *Regis virtutes.* Præclara ſanè in eo Rege virtutum inſignia, & ſummopere commendanda, ſi ea Chriſtianæ religionis laus cohoneſtaſſet. Verùm quod de illius in puniendis criminibus lenitate, & clementia ſacerdos prædicabat, id ſanè multò veriùs, atque ſublimius in Deo optimo maximo Sara noſtra commendat, dum illum etiam iratum miſericordiam facere prædicat: & quidem meritò: nam ira Dei ab eius miſericordia ita ſemper quodammodo clauditur, & circumuallatur, vt vix niſi per miſericordiæ ianuam ad homines ingrediatur: etenim, vt Dauid loqui- B
tur: *Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* *Pſ. 76. 10* In quem locum Theodoretus obſeruans verbum, illud *continebit*, ſic ait: *Theodoretus ibi.* *Non claudet miſericordiæ fontes quodam veluti pariete iræ: nam miſericors Dominus, & iuſtus eſt, & Deus noſter miſeretur.* *Pſ. 114* Et Ambroſius: *Ambroſ. ibi.* *Bis*, inquit, *miſericordiam poſuit, ſemel iuſtitiam, in medio iuſtitia eſt, gemino ſepto incluſa miſericordia.* Hinc eſt, vt iram ſuam ſic temperatam nobis ad bibendum Deus ſemper porrigat, vt eam ſine aliquo periculo haurire valeamus, cùm puram nunquam, & nudam iuſtitiam quiſquam tollere, aut ferre poſſet: nam & ipſi *Angeli iudicium Dei*, *1. Petr. 4* vt Petrus ait, *omnino reformidant, & portare non valebunt.*

Ita igitur affectam dat Deus iram ſuam, C hominibus propinandam, ſicut medicus aſperum, & quodammodo venenatum medicamentum ægroto hauriendum porrigit, dulcibus ſcilicet liquoribus immixtum, quibus contemperatum abſque mortis periculo ſumi ab illo poſſit. Itaque, ſicut medicus illo medicamine guttatim vtitur: ſic Deus guttatim, vt ita dicam, iram ſuam effundit, quod Beatus Ioannes nobis ſignificauit, *Apoc. 15* quando iram Dei in phialis arctum, & anguſtum os habentibus ſeruatam, ſe vidiſſe commemorat. *Iram Deus parcè exercet.* Et ipſe Deus oſtendit, dum de ſupplicijs ad Africum inferendis verba faciens Ezechieli hæc habuit: *Stilla in Africum*: *Ezech. 20 46* nec enim dictum eſt Prophetæ, effunde, ſed *ſtilla*, vt, ſicut in eum locum obſeruauit Hieronymus: *Non tota Dei ira videatur effuſa, ſed ſtilla quadam & pars.* *Hieron. in Ezech.* Vnde & eodem ſenſu eidem dictum eſt pro- D
phetæ: *Fili hominis, pone faciem tuam ad Ieruſalem, & ſtilla ad ſanctuaria.* *Ezec. 21. 2* Miſericordia enim Dei eſt, quæ os phialæ conſtringit, & diuina iudicia temperat; iuxta illud Pſalmi: *Ipſe enim eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non diſperdet eos, & abundauit, vt aduerteret omnem iram* *Pſ. 77. 38 39*

ſuam,

ſuam, & non accendit omnem iram ſuam, & recordatus eſt, quia caro ſunt, Vbi Pſaltes docet, abundare Deum in miſericordia, vt auertat iram ſuam, illamq. conſtringat, ne hominem perdat: non omnem iram ſuam, ſed partem tantùm illius accendens, vt infirmitatibus noſtris medeatur.

Gen. 3

Itaque cùm generis noſtri princeps iram Dei tranſgreſſione præcepti meritus eſſet, ſacra narrat hiſtoria, illum vocem Dei ambulantis ad auram poſt meridiem audiuiſſe (*quam deambulationem*, ait Auguſtinus, *non puto fieri poſſe, niſi in ſpecie humana*. Mira ſanè Dei miſericordia. Ibat, vt puniret homines, & antequàm verus homo fieret, induit ſe homine, vt ſignificaret, ſe ſicut hominem clementer, & benignè de homine ſupplicium ſumere: ſed illud mirabilius, quòd deambulabat *ad auram poſt meridiem*, quaſi oſtenderet, velle ſe furoris ſui æſtum ſuauiſſimo clementiæ flatu temperare, nec celeri, atque præcipiti curſu ad vindictam irrumpere, ſed ad eam lento, & quodammodo inuito gradu procedere, vt interim locum daret pœnitentiæ, per quam ipſius ira ceſſaret. Quod etiam, vt clarius oſtenderet, Adam proprio compellans nomine, ait: *Adam, vbi es?* Sic eum nominatim vocans, vt illius ſe exoptare ſalutem declararet. Neque enim, vt ait Chryſoſtomus, *Quos non diligimus, proprio nomine vocamus, ſed illos dicimus, ſicuti Saul, qui de Dauid interrogans, ait: Cur non venit filius Iſai?* Vocat itaque Deus Adam proprio nomine, vt ei ad petendam miſericordiam animum addat, quique ſuam culpam non nouerat, ſaltem piſſimam Domini vocem audiens, conuerteretur ad miſericordiam expoſcendam; ſed quia miſericordiam non poſtulauit, in iram incidit, & à paradiſo eiectus eſt, cui tamen Deus, vt miſericordiam ſuæ iræ admixtam eſſe ſignificaret, fecit illi tunicā pelliceam, & induit eum. Verè iuſtus, verè miſericors, qui cùm iratus fuerit, vt dicit Sara, miſericordiam faciet.

Aug. li. 2. ſup. Gen c. 33

E

Deus tardus eſt ad vindictam.

Chryſoſt. ibi.

F

1. Reg. 20

Quòd diuini ſit amoris indicium in hoc ſeculo flagellari.

DOCVMENTVM III.

A

SANE, vt Sara loquitur, cum iratus fuerit Deus, tunc miſericordiam facit, quia ſicut pius chirurgus, dum tabida ægroti vulnera incidit, putridasq. carnes reſecat, aut cauterio adurit, videtur quodammodo infirmo iraſci, cùm tamen illum ipſa ſectione, vel aduſtione curet: ita cæleſtis Medicus, & Chirurgus Deus iraſcitur, vt miſereatur; percutit, vt ſanet; ſecat, & vrit, vt curare valeat; & ſicut ſutor in veſtibus conficiendis, vel reſarciendis pannum ante in fruſta conſcindere, & quodammodo lacerare ſolet, deinde vero aptè ſuis quæque locis fruſta connectit: ſic ille recidit in homine mundi voluptates, vt eum ad cæleſtia bona reducat: atque, vt Iſaias loquitur, *Vt faciat opus ſuum alienum opus eius, vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo*. Eſt enim Dei proprium opus, vt canit Eccleſia, miſereri. *Deus*, ait illa, *cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, &c.* Vt igitur hoc opus miſericordiæ faciat, opus iræ, quod eſt ab eo alienum, operatur: neque enim, vt ait Ieremias, *humiliat ex corde ſuo*. Quare huiuſmodi anguſtias vocat Ezechiel Dei propitiationem, dicens: *Anguſtia ſuperueniente, requirent pacem, & non erit*. Vertunt LXX. *propitiatio venit*: & Auguſtinus vocat illas beneficia, dicens: *Beneficia hæc ſunt diuina, non verbera*, vnde meritò ſubdit: *Contriſtetur, quem flagella corripere diuina non poſſunt, gaudeat peccator, ſi cum iuſto in ſuo ſeculo contriſtatur*. Sanè vitulus, qui ad macellum deſtinatur, ſolutus per prata ad paſcua vagari pinguia permittitur: at bos, qui ad vitam ſeruatur, aratro, & iugo collum ſupponere, & continuis fatigari laboribus cogitur; vnde idem Auguſtinus: *Para*, inquit, *te flagellari, aut certè non quæras recipi: flagellat enim Deus omnem filium, quem recipit: ſi exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorum*. Eſt enim veri parentis corrigere, quæ corrigenda ſunt in filio, & illum emendando, curare, vt malis rebus non aſſueſcat: *Quis enim filius*, ait Apoſtolus, *quem non corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis*, ideſt, abſque caſtigatione, ponitur enim Græcè χωρὶς παιδείας, *cuius participes facti ſunt omnes filij*, nimirum genuini, & dilecti: *ergo adulteri, & non filij eſtis*, adulteri quidem, hoc eſt, adulterini, & non ex legitimo patre nati: nam cùm mater noſtra ſit Eccleſia, cuius legitimus ſponſus ex Oſea Deus: *Sponſabo te mihi in fide*; adulter diabolus, & mundus eſt, eorumque filij adulterini, dum illos ſinit Deus extra diſciplinam vagari. Quod quàm graue ſit Dei flagellum, ipſemet docet, dum ſe vehementer iratum contra Iſrael oſtendens, per Ezechielem ait. *Auferetur zelus meus à te, & quieſcam, & non iraſcar amplius*, quaſi diceret: ſpes de tua ſalute Iſrael euanuit, quòd iam tuis in malis te peruicacem eſſe cognoſcam: quare tibi non iraſcar amplius, ſed tuis te deſiderijs relinquam, ſicut medicus erga infirmum facere ſolet, cum de illius infirmitate deſperat: quod etiam per Oſeam eidem populo minitatur, dicens: *Non viſitabo ſuper fi-*

Iſa. 28. 21

Opus Dei proprium eſt miſericordia

B

Ier. thr. 3

Ezech. 8

Aug tom. 10 hom. 45

Aug. to. 9. li. 1 de paſtor. c. 3 ad mea.

Tribulatus eſt Dei filius

C

Heb. 12. 8

Ibi. S. 2 lo.

Oſea 2

Ezech. 16

D

Oſea 4

lias veſtras, cum fuerint fornicatæ, & ſuper ſponſas veſtras, cum adulterauerint.

Hier. ibi.

Vbi Hieronymus: *Grandis offenſa*, inquit, *poſtquàm peccaueris, iram Dei non mereri: fornicatus fuerat Iſrael à Domino Deo ſuo, & ſpiritu fornicationis ſeductus: ideò fornicantur filij eius, & ſponſæ, & abſque vlla vindicta in ſuo ſcelere relinquuntur, vt quod filij, & vxor vero parenti fecerāt, & marito, hoc in liberis ſuis, & vxoribus ſentiant, & ex proprio dolore ſentiant dolorem Dei, qui in tantum iratus eſt, vt nequaquam percutiat delinquentes, & quia, vt inquit Paulus, cum idolis fuerant fornicati, tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.*

E

Rom. 1. 24

Et paulò inferius: *quando*, ſubdit, *videris peccatorem diuitijs affluentem, iactare ſe potentia, ſanitate gaudere, delectari coniuge, corona iucundari liberorum, & impleri illud, quod ſcriptum eſt, in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur; dicito, in illo comminationem prophetæ eſſe completam: non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint fornicatæ, & ſuper ſponſas veſtras, cum adulterauerint.*

Pſ. 72

Pœna magna eſt à Deo nō puniri.

Petr. de Nat. in vit. S. Ambroſ.

S. Th. in pſ. 17 verſ. 18

Baron. in vit. S. Ambr quā adhuc primatus ſcripſit.

F

Etenim dum diuinæ iræ effectus abeſt, diuinum, tremendumq. Dei iudicium, iam adſtare cenſendum eſt. Quod cum ſciret Sanctus Ambroſius, vt Petrus de Natalibus refert: & antiquior illo S. Thomas de Aquino, licèt noſter Baronius huius rei nullum ſe veterem auctorem vidiſſe dicat, cùm aliquando Romam pergeret, & in quadam villa Thuſciæ apud quendam nimis locupletem hoſpitatus, illum referentem audiſſet, ſe toto vitæ tempore nullam perpeſſum fuiſſe calamitatem: *ſurgite*, exclamauit ſuis, *quantocius hinc fugiamus, quia Dominus non eſt in loco iſto: feſtinate filij, feſtinate, nec in fugiendo moram facite, ne nos hic vltio diuina apprehendat*: mira res. haud ita procul à domo illius reprobi diuitis exceſſerant, cum retro aſpicientes, viderunt illius ædes, & omnes, qui in illis erant, ingenti terræ hiatu, abſorberi.

Mundana proſperitas diuinam vltionem aduocat.

Certè quòd Deus ſuos flagellare ſoleat, mirè oſtendit Ionathas filius Saul, qui, cùm Dauid à patris ſui manibus illum perſequentem liberare vellet, hæc illi dixit: *Si inueſtigauero ſententiam patris mei, & perſeuerauerit malitia eius aduerſum te, renuntiabo tibi: deſcende ergo feſtinus, & venies in locum, vbi celandus es in die, qua operari licet, & ſedebis iuxta lapidem, cui nomen Ezel, & ego tres ſagittas mittam iuxta eum, & iaciam quaſi exercens me ad ſignum: mittam quoque & puerum dicens ei: vade, & affer mihi ſagittas: ſi dixero, ſagittæ intra te ſunt, tolle eas, tu veni ad me, quia pax tibi eſt, & nihil eſt mali, viuit Dominus: ſi autem ita locutus fuero: ecce ſagittæ vltra te ſunt, vade in pace: quia dimiſit te Dominus.*

1. Reg. 20 19. 21. 22

G

Nam & quale ſignum hoc? nonne cum ſagittæ nemini nocere valeant, niſi corpori infixæ, dicendum potius erat, ſi ſagittæ intra te ſunt, vade in pace, quia Dominus dereliquit te, & ſententia mortis contra te lata eſt; quàm dicere, ſi ſagittæ vltra te ſunt? ſanè hoc voluit ſigno indicare Ionathas, tunc nos pacem apud Deum habere, quando ſagittæ flagellorum ipſius intra nos ſunt, nimirum, quādo infirmi peccatis ſumus, ira ipſe ſua nos piè flagellat, vt ſanet, & ad amorem patriæ cæleſtis adducat: contra verò tunc mortis ſententiam nobis inſtare, quando terrenis addicti, ſagittæ diuinæ caſtigationis vltra nos ſunt, nec illis ferimur.

Magnum eſt iræ Dei ſignum iram Dei non promereri.

Tribulatus Dei amicus.

H

Sic incendi fecit Abſalon ſegetes Ioab, vt qui pluries vocatus ad ſe venire renuebat, vel ſic vexatus, veniret: ſic Alexander Macedo, dum Orientales Indias ſuæ ditioni ſubijceret, militum diuitias omnes comburendas cenſuit, vt pauperes effecti, magis ad victoriam incenderentur. Sic Marchio ille Artheſius in acquiſitione noui orbis, cùm onuſtos ſpolijs inimicorum ſuos milites cerneret, iamq. illos ob id cogitabundos videret de reditu ad propria, naues demergi imperauit, vt tali pacto omnem remeādi ſpem auferret, ijque ſe ipſos accuratiùs protegerent ab hoſtibus, & certando maiorem victoriam reportarent.

2. Reg. 14 30

Diuitiæ ſollicitudinum matres.

Sic, inquam, pater ille cæleſtis, cùm videat temporales diuitias, voluptates, & proſperitates animos noſtros ab ſui obſequio, & à noſtra ſalute procul auertere, percutit nos, vt ſanet, & temporalia nobis aufert, vt cæleſtia donet: vnde dicere poſtea illud poſſimus, quod ferunt vxori ſuæ dixiſſe Themiſtoclem, quando ab Athenienſibus infami, & iniuſto punitus exilio, Perſiā petens ob ſua merita, inſignemq. præſtantiā à Rege muneribus donatus, diues effectus eſt, nimirum: *perieramus, niſi perijſſemus.* Quæ cùm ita ſint,

I

Increpationem Domini, dicam cum Iob: *Ne reprobes, quia ipſe vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius ſanabunt*: nam *dum iraſcitur, miſericordiam faciet, & calix in manu Domini eſt vini meraciſſimi plenus mixto*: quia ſicut potio medica tum ex dulcibus, tum ex amaris liquoribus mixta, & temperata conſtat; ita calix iræ Dei vinum merum generoſum, ſuaue, amariſſimas pœnas admixtas habet, ad quas nauſeat hominis mens, & ſenſus: quem tamen Deus & filijs, & deſperatis peccatoribus propinat, quia *inclinauit ex hoc in hoc*. Cæterum reprobi, & adulteri filij, licèt aliquando in hoc mundo ex illo non bibāt; fæces tamen illius, velint nolint, bibere cogētur: nam vt Pſaltes ait: *Fax eius non eſt exinanita, bibent ex eo omnes peccatores terræ.* Bibamus igitur vinum hoc merum amaritudinis iræ Dei, dum medicina iuuat: bibamus vinum mixtum, ne fæces

Iob. 5. 17 18

Pſ. 79. 9

L

Tribulatio medicina.

coa-

coacti deinde bibamus, gratias agētes Deo, dum noſtra peccata corripit,& cum Sara ſēper dicentes: *Benedictum eſt nomen tuum Deus, qui cùm iratus fueris, miſericordiam facies*, magnam miſericordiam hanc Dei, iram cum illa confitentes.

Quòd flagella Dei nos ad veram pœnitentiam adducant.

DOCVMENTVM IV.

A DOCET Sara, ſolere Deum in tribulatione, hominū peccata dimittere, quia, vt Bernardus ait, *multi cùm ſentiunt pœnam, corrigunt culpam*. Et Auguſtinus: *ad hoc*, inquit, *permittit Deus diem tribulationis tibi fieri, quia ſi non tribulareris, non inuocares eum: obſtupuerat quidem, & frigue rat Dauid, & dixit: Tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui: inuenit tribulationem, tanquam aliquid vtile: putruerat tabe peccatorum ſuorum, iam ſine ſenſu remanſerat, inuenit tribulationem, tanquam vſtionem, & ſectionem, & inuocauit Dominum*. Nam homo peccator è letargo peccatorum ſuorum à Domino excitari ſolet, dum ignito ferro tribulationū percutitur: eſt enim quaſi equus, impetu vadens ad prælium, qui dum in chamo, & fræno tribulationum à Deo conſtringitur, impietatis effrænatum curſum ſiſtit, & ad meliorem viam, & mentem reuocatur. Hinc

Bern. ſer. 42. in Cant. Cāt. Aug. in illa verba pſ. 49. & inuoca me, &c. ſerm. 8

In tribulatione Deus inuocatur.

B Iſaias de eo verba faciens, inquit: *Domine in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eſt*. LXX. *In tribulatione parua doctrina tua nobis*. vbi Hieronymus: *Si parua*, inquit, *tribulatio docet, & emendat, quantò magis magna, cum admonemur conditionis noſtræ, & Dei potentiæ recordamur?* Et quidem ſicut Elephas beſtiarum omnium fortiſſimus, nec domari, nec humanis commodis aptari poteſt, niſi eſurie, & flagellis; ſic homini prorſus effrænato, & ſuperbo multoties contingere ſolet, qui dum blandimentis diuinorum beneficiorum non mouetur, vt Deum revereatur, & timeat, flagellis tamen humiliatur, & ad meliorem frugem reducitur, fonti Solis ſimilis, qui, vt Pomponius Mela refert, in ſolis feruore friget, & in mediæ noctis rigore mirabiliter feruet: ſic de ſeipſo Da-

Iſai. 26. 16

LXX. *Hieron. ibi.*

Pompon. Mela

C uid: *Conuerſus ſum*, inquit, *in ærumna mea, dum confligitur ſpina*, legunt alij ex Hebræo, *Verſatus ſum in vaſtitate mea, in confixionibus ſpinæ*. & alibi: *volutabam me in excidio, & in pernicie mea*. nam vox Hebræa נבהם, Neēphim propriè volutari ſignificat. Sic dum affligerer, ait Dauid, à Domino, confixionibus ſpinæ, varijs ſcilicet pœnarum generibus, volutabam me, quærens requiem in peccatis meis, ęgrotantis more, qui calore febris exæſtuans, venatur in lectulo refrigerium: & dum quietem conſcientiæ meæ nullam reperirem, tunc dixi: *Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Ecce quomodo in tempore tribulationis pœnitēti Dauid remiſſa ſit culpa.

Pſal. 31. 4

D Benè itaque Dominum, Iob alloquens, ait: *Nunquid tenuiſti concutiens extrema terræ?* vbi vocat extrema terræ peccatores, quos Deus varijs flagellis, & aduerſitatibus, vt conuertantur, concutit, quos ideò extrema terræ appellat, quia medium, in quo virtus conſiſtit, derelinquentes, ad extrema peccati ſe transferunt ſemper aut auari, aut prodigi, timidi, aut temerarij, ſuperbi, aut puſillanimes, &c. quæ omnia extrema ſunt: Vel dicuntur extrema terræ, quia maximè diſtant à Deo: nam *longè à peccatoribus ſalus*: vel etiam quia abiectiores ſunt, & magis deſpecti, & ſine honore. Sic extrema terræ dicuntur à Gregorio Apoſtoli, quia purgamentum mundi ab omnibus exiſtimabantur. Hanc itaque terræ extremitatem peccatores, vt Deus conuertat, tenere dicitur, & flagellis concutere, *Tenuiſti*, inquit Iob, *concutiens*, *Porro quid ex huiuſmodi concuſſione ſecutum ſit explicat, dicens, & excuſſiſti impios ex ea*; hoc eſt, impietatem ab impijs eos concutiendo excuſſiſti, atque abſtuliſti.

Iob 38. 13

Peccatores terræ extrema cur dicantur.

Greg. l. 29. moral. c. 3

E Facit quidem Deus noſter, ſicut pia mater ſolet, quæ videns dilectum filium propriam domum deſerentem, vt conſanguineos adeat, illos rogat, ne puerum ampliùs recipiant, ſed potiùs, ad illos diuertentem, minis terrent, ac expellant: quod cùm primùm illi exequuntur, puer ad matrem reuertitur, & quam antea vix videre volebat, vnicè poſtea complectitur, amatque. Sic Deus, dum nos à via veritatis, & ſalutis aberrantes conſpicit, vt ad creaturarum mendacia diuertamus, ne illæ noſtris obſequantur optatis præcipiens, mare conturbat, aërem exagitat, ſterilem terram facit, aliaſq. creaturas contra nos conuertit, vt ſic ab eis repulſi, & vexationibus laceſſiti, ad ipſum Dominum quantociùs reuertamur: quod ipſe facturum ſe pollicetur per Oſeam dicens: *Ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet. Et ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet, & dicet: vadam, & reuertar ad virum meum priorem*. Ac ſi dicat: Cùm te domum meam relinquentem, vt terrena quæras, conſpicatus fuero, *Ego ſepiam vias tuas ſpinis*, ſexcentas interponam difficultates, innumeraſque obijciam ſalebras, vt penè coactus dicas: *reuertar ad do-*

Tribulatio aberrantem animam ad Deū reducit.

Oſeæ 2. 6 & 7

F

mum meam priorem. Maximum ſanè Dei noſtri beneficium, nam quemadmodum is, qui alium in mare ſe præcipitare volentem, vi retineret, licèt illum grauiter in aliqua corporis parte læderet, non ideo tamen ei nocuiſſe, ſed potius ſingulare beneficium contuliſſe cenſeretur; ſic omnino peccatorem in tartara ruentem percutiens Deus, ac percutiendo ad pœnitentiam reuocans,
G maximo afficit beneficio. Quare meritò
Habacuc. cum Habacuc vnuſquiſque dicere poteſt: *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcatcat, vt requieſcam in die tribulationis, & aſcendam ad populum accinctum noſtrum*.

Quòd tribulationis tempore peccata quo ad pœnam ipſis debitam, dimittantur.

DOCVMENTVM V.

A VIDIMVS in ſuperiori documento, ſatisq. abundè probauimus, in tribulationibus, iuxta Saræ dictum, peccata dimitti quoad culpam, dum hominem ad pœnitentiam adducunt. Modò videamus, oportet, an illa etiam quoad pœnam dimittantur.

Sanè Catholicorum certa eſt doctrina, pœnam culpæ debitam, non ſemper dimitti; quotieſcunque culpa dimittitur, ſed tantummodo in ſacramento Baptiſmi, & aliquando in pœnitentia, quæ tanta poteſt eſſe, vt ſimul cum culpa tota etiam pœna dimittatur. Huius rei teſtimonium in ſacris literis manifeſtum habemus, vbi poſtquàm Dauid correptus à Nathan Propheta, ſuum

Pœna non ſemper cum culpa dimittitur.

peccatum liberè confeſſus eſt, dicens: *Peccaui Domino*, dixit illi propheta; *& Dominus tranſtulit peccatum tuum: veruntamen filius, qui natus eſt tibi, morte morietur*: hoc eſt, ablata eſt culpa tua à te, quin

2. Reg. 24
B

& ad Chriſtum tranſlata, ipſe pro illa ſatisfaciet, veruntamen pęna, quæ tuæ culpæ debebatur æterna, non omnino deleta eſt; ſed in temporalem mutata: *morte morietur filius tuus*. Sic omnes peccatores, quibus culpa dimiſſa eſt, non tamen omnis pœna, neceſſe eſt, vt in hac vita, aut in alia, igne purgatorio pro temporali hac pęna peccato debita, ſatisfaciant, *in tempore tribulationis*.

Sot in 4. diſt 19. q 1. ar. 2 Palud. 4. d. 15 q. 4. & aly.

Infirmitatib. ſicut etiam aliis pœnis voluntariè ſuſceptis, homo ſatisface re poteſt.

Placuit multis, tribulationes prouenientes ex cauſis generalibus, naturalibus, aut liberis, abſque ſpeciali vltione diuina, vt ægritudines, bella, fames, & in vniuerſum, quicquid ab hominibus patimur, ſiue iuſtè, vt à Iudice; ſiue iniuſtè, vt ab hoſte, non eſſe ſatisfactorias, niſi ſecundùm quantitatem, & proportionem actus patientiæ, quo C eas acceptamus, vel toleramus; peculiares verò tribulationes ſingulari prouidentia diuinitus inflictas ad peccatorum expiationem, & quandam redemptionem eius pęnæ, quæ foret alioqui in altera vita luenda, ſatisfactorias eſſe, non ſolùm ſecundum proportionem actus patientiæ, ſed etiam ſecundum quantitatem, & proportionem earundem afflictionum, vel etiam per ſe ipſas eſſe ſatisfactorias abſque aliquo hominis actu, vel acceptatione.

Conc. Triden. ſeſſ. 14. c. 9

Verùm cum ſacrum Concilium Tridentinum definiat, *non modò nos ſatisfacere pœnis, ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis; ſed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis*; abſolutè dicendum eſt, omnes tribulationes ab extrinſeco illatas, quæcunque illæ ſint, quotieſcunque voluntariè ſuſcipiuntur propter Deum in peccatorum pęnam, eſſe ſatisfactorias, pęnamq. debitam culpæ delere, non ſolùm ſecundum quantitatem interioris patientiæ; ſed etiam per ſe, ac formaliter, vt ſcholaſtici loquuntur, ſecundum quantitatem ipſius tribulationis ab extrinſeco illatæ, & voluntariè acceptatæ, & patienter toleratæ: quod Sanctus Thomas, & reliqui Sancti Patres innuere videntur, vbi docent, per flagella purgare Deum iuſtos in hac vita, ſicut per ignem purgatorium purgat in alia; ſic Auguſtinus, & Chryſoſtomus: *Quia*, inquit, *bonus non poteſt in omnibus bonus eſſe, ideò hic punitur, vt purgatus exeat*. Et Bernardus ad ſororem: *O Sponſa*, inquit, *Chriſti, vis à peccatis tuis purgari? in pœna te accuſa, & Dei iuſtitiam lauda. Ad purgatorium tuum ſufficit, ſi ea, quæ pateris, ad iuſtitiam Dei retuleris*. Et meritò quidem; nam licèt ab extrinſeco patiatur homo hanc pœnam, dum tamen eam voluntariè ſuſcipit, & offert Deo, moraliter ſuam facit. quare benè poterit per illã ſatisfacere, ſicut qui ab alio accipit pecuniã, & illã Deo offert in cul E tũ religioſum, per illã ſatisfacit: non enim valor ſatisfactionis conſiſtit vel in eo, quia à nobis ipſis poena in nos prouenit, vel in eo, quia à Deo immittitur; ſed magis in eo, quia voluntariè à nobis ſuſcipitur: atque ita *dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis*, inquit Concilium, *Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, conformes efficimur*. Tulit enim ille paſſiones extrinſecas illatas voluntariè in peccatorum noſtrorum ſatisfactionem. Patet igitur, tribulationes omnes vel à Deo, vel ab hominibus illatas, iuxta Saræ dictum, ad ſatisfactionem valere, ſi ſapienter, & voluntariè, vt Concilium loquitur, tolerentur.

Tribulatio pœnam peccati delet. D

S Tho. 4. ſent. d. 15. q. 1. a. 4

Aug. in Enchir. c. 68 Chriſoſt. ho. 5. ad Heb. Bern. de mod. bene viu. ad Sor. c. 48

Conc. Trid. vbi ſupra

Quinimmò non dubitarem dicere, has pœnas ab extrinſeco prouenientes, magis ſatisfactorias eſſe, quàm pœnas, quas noſmetipſi

Pęnis ab extrinſeco prouenientibus magis poteſt homo ſatisfacere, quã pęnis aliis.

Digitized by Google

F nobis ſpontè infligimus: nam in his voluntas noſtra eſt, quæ pœnam ipſam pro voluntate ſumit, & moderatur: in illis verò mera eſt voluntas Dei, cui voluntatem noſtram conformãtes, non modò per pœnas illatas ſatisfacimus, ſed etiam per actum eminentiſſimum reſignationis: quod manifeſtè docuit S. Vincentius Ferrerius, dum ait: *Licèt tribulationes veniant vltra cor; tamen ſi patienter recipiantur, de illis homo poteſt ſoluere Domino plus, quàm cùm ieiunijs, & orationibus.* Quis igitur neget, magnum bonum eſſe homini tribulationem, per quam culpa, & pœna ita dimittitur? Verè ille felix, qui quantum hoc ſit bonum, & quale Dei munus percipit. Ille huius beneficij magnitudinem æſtimabit, qui alterius vitæ pęnas, doloresq. animaduerterit, præſertim cruciatum ignis purgatorij adeò vrentis, vt ipſam vrat animam, *duriorem*, vt Aug. ait, *quàm quicquid pœnarũ poſſit in hoc ſeculo aut videri, aut ſentiri, aut etiam, quod eſt maximum, cogitari.* Inſuper dolorem ex deſiderio videndi infinitum illud bonum, cuius cauſa creati ſumus, penè infinitum, & tandem aſpectum fœditatum, & macularum illarum, quas culpa inflixit, & earum, licèt minimarum, exactiſſimam purgationem. Hæc igitur qui cogitant, non modò tribulati non dolent, ſed potiùs, quemadmodum Apoſtoli, gaudent, quia in hoc ſeculo digni habiti ſunt pro pœnis ſibi debitis ſatisfacere patiendo. Quod innuit Angelus in Apocalypſi, qui poſt infernorum tormentorum commemorationem ſubdit: *Hic patientia Sanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu:* docens ex infernalium tribulationum conſideratione patientiam oriri ſanctorum. Magna ſanè hominum dementia, qui hæc non conſiderantes lene huius vitæ purgatorium reſpuunt, & H aduerſa quæq. impatienter tolerant, meritò à Domino incõparabili pœna illa puniendi, quã eis per Iſaiam eſt minitatus dicens: *Pro eo, quod abiecit populus iſte aquas Siloe, quæ vadunt cum ſilentio, ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius.* Satis enim frequenter ſacræ literæ per aquas, tribulationes ſignificãt, & per Siloe Chriſtum: nam Siloė, vt apud Ioannem exponitur, *interpretatur miſſus*, & Chriſtus miſſus, vel mittendus dicitur: Sic in Exodo: *mitte, quem miſſurus es.* & in Geneſi: *donec veniat, qui mittendus eſt.* Hæ tribulationum aquæ Siloė, hoc eſt, Chriſti dicuntur, quia in illo abundantiſſimæ fuerunt, Quare Dauid in perſona Chriſti ait: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam:* fluunt cum ſilentio, I ideſt placidæ, ac dulces, quia in Chriſto, & in ſanguine illius omnem ſuam turbulentiam, & amaritudinem reliquerunt, & dulces euaſerunt: quod magno myſterio ſignificatum fuit in aqua illa, quæ de latere Domini cum ſanguine effluxit, qui natura ſua dulcis eſt. *Pro eo igitur*, inquit Iſaias, *quòd abiecistis aquas iſtas Siloė*, quæ dulces effectæ à Chriſto, & ſuaues, *vadunt cum ſilentio*, propter hoc *ecce Dominus adducet ſuper vos aquas fluminis fortes, & multas*, aquas nimirum inundantes purgatorij: noluiſtis aquæ riuos bibere, ecce inundare faciet Deus ſuper vos aquas purgatorij immenſas: dabit dæmones, qui vos crucient, donec reddatis debitum ad minimum vſque quadrantem. Heu hominum deſipientiam, qui tam leui pœna non ſatagunt tantum euitare diſcrimen!

S. Vinc. ſerm. Dom. 2. poſt oct. Paſch.

Tribulatio magnum homini bonū.

Aug. ſer. 41 de ſanctis.

G

Tribulatio quomodo leuis fiat.

Apoc. 14 12

Iſa. 8. 6. 7

Io. 9. 7

Exod. 4

Gen. 49

Pſal. 77

Declarat harum pœnarum grauitatem S. Antoninus Senenſis, mirabili exemplo cuiuſdam monachi, *qui inquit, decedens petijt inſtanter Abbatem, vt ſolitam decedentium ſibi impertiretur abſolutionem; ſed cùm Abbas tunc abſens non poſſet tam citò haberi, ante illius aduentum migrauit. Cùm autem veniſſet, & dictum ei fuiſſet, quàm inſtanter monachus ille petijſſet eum pro abſolutione habenda, funere nondum ſepulto, antè quoddam altare decumbens, & cogitans de prædictis, L vidit ſubitò ante ſe defunctum (vt ſibi videbatur) dicentem Benedicite, & expectantem debitum abſolutionis. Cùm autem Abbas ſtupens reſumpſiſſet ſpiritum, dixit: Miſereatur &c. quo facto petijt monachus pœnitentiam, Abbas autem neſciens cuiuſmodi pœnitentia iniungenda eſſet defunctis, dixit, quòd pro pœnitentia ſtaret in purgatorio, quouſque eius eſſet cadauer ſepultum: quo audito, defunctus, exclamauit ita horribiliter, quòd vox eius audita eſt per totam Abbatiam, dicens: ò ſine miſericordia, qui præcepiſti, me tantum morari in purgatorio!* Hæc Antoninus, M tantas eſſe docens purgantis ignis pœnas, vt vna eius hora multis annis noſtris reſpondere videatur: quod etiam alio declarat exemplo cuiuſdam viri, qui longa infirmitate grauatus, à Domino impetrauit per vnam diem in purgatorio torqueri, & à multis diebus infirmitatis liberari, qui cùm per vnam tantummodò horam in purgatorio moratus eſſet, ſe ibi per plures manſiſſe annos putabat: quare Angelum ſuum deprecatus, obtinuit, vt ad vitam redire poſſet, & in corpore diutiùs affligi. Quiſque igitur læto animo huius mundi tribulationis riuulos accipiat, vt aquas fluminis fortes, & multas deuitare valeat: dicat cum Dauid: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo:* Verè enim huius vitæ tribulationes adeò paruæ ſunt, & exiguæ, vt modico calici comparandæ ſint, adeoque ſalutares, vt meritò gratias Deo agere debeamus, qui in tempore tribulationis huiuſmodi grauiſſimas purgatorij pœnas peccatis noſtris debitas, clementer dimittit.

Antonin. Sen. in Cron. Pred. ann. 1218. c. 32

Purgatorii grauiſſima pœna.

Anton. par. 1. tit. 1. c. 5. §. 1

Pſ. 115

Quòd oratio ſit neceſſaria ad diuinæ miſericordiæ impetrationem.

DOCVMENTVM VI.

Chryſoſt. li. 2 de oràd. Deũ non longe à princip. to. 5

DOCET tandem in iſta ſua deprecatione Sara, diuinam miſericordiam precibus imprecari, dum ait: *peccata dimittis omnibus, qui inuocant te.* Quare, vt docet Chriſoſt. *Si quis dicat, animæ neruos eſſe deprecationem, mea quidē ſententia videbitur verum dicere, nimirum quemadmodum corpus neruis cohæret, cernit, ſtat, viuit, & compactum eſt, adeò vt ſi neruos incideris, omnem corporis harmoniam diſſoluas, itidem animæ per ſanctas preces ſibi conſtant & compingunt, & pietatis curſum facilè peragunt. Quod ſi te ipſum deſtitueris precatione, perindè feceris, ac ſi piſcem ex aquis extraxeris; vt enim piſci vita eſt aqua, ita tibi deprecatio.* Sed illud mirum videtur, cur Deus, qui ſummè ſapiens, & miſericors eſt, quiq. ſummo amore, ſummaq. diligentia nos, & noſtra cuſtodit, non niſi rogatus, & inuocatus nobis neceſſaria concedere velit, cùm tamen per ſe ipſe noſcat, poſſit, & velit noſtris neceſſitatibus prouidere. Sane, vt reſpondet Hieronymus,

B

Hier. in Iere. c. 29. orabitis me, &c.

Orari Deus vult, vt mereamur, quæ nobis donat; oratio enim dignos nos facit donis diuinis: eſt autē egregium cum dignitate obtinere, quæ homo deſiderat. Et Gregorius. *Ipſa perennis regni prædeſtinatio, ita eſt ab omnipotenti Deo diſpoſita, vt ad hoc electi pro labore perueniant, quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis Omnipotens Deus ante ſecula diſpoſuit donare. Sic ad Abraam Dominus dixit: In Iſaac vocabitur tibi ſemen: & patrem multarum gentium conſtitui te, & rurſum: Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli. Scriptum tamen legimus: Deprecatus eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eò quòd eſſet ſterilis, qui exaudiuit eum, & dedit ei conceptum Rebecca. Sic voluit Deus, illum oratione mereri, quod ante tam ei promiſerat.*

Greg. li. 1. Dialog. c. 8

Cur Deus orari velit.

C

Oratio Deo nos coniungit.

Chryſoſt. hom. 30. in Gen. ad fin.

Chryſoſtomus idcircò Deũ à nobis orari velle docet, vt occaſionem nobis det affectum inflammandi erga ipſum, noſque tenaciùs cum ipſo vniendi, talique arte ſedulos nos efficiat, & ad ſemetipſum attrahat; ſicut pater, qui licèt benignus ſit, & à filio rogetur; aliquando tamen vultu abnuit, non quidem quia nolit dare, ſed vt ille ardentiùs petat, & ſibi magis concilietur. Et Baſilius: *Rogàri Deus vult*, ait, *vt ſic homó cognoſcat donum Dei, & propriam indigentiam*, cùm in ſola oratione cognoſcere valeat homo, quantis repletus ſit miſerijs, & quanta ſit gratia ab illis liberari.

Baſil. c. 2. conſt. monac.

Quam ſanè miſeriarum plenitudinem, & extremam hominis peccatoris indigentiam ſignificauit Dauid, cum dixit: *Induit maledictionem, ſicut veſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius.* Quid enim miſerabilius, quàm maledictione, ſicut veſtimento operiri, à planta pedis vſque ad verticem capitis nullam habere ſanitatem, nec aliquid vel extrinſecus, vel intrinſecus non contaminatum habere? Neque enim dicit Pſaltes, hominem ſimpliciter induiſſe maledictionem, vt veſtimentum, quod externas tantùm partes operit corporis; ſed illam interiora etiam ipſius penetraſſe omnia, *& intrauit, ſicut aqua, in interiora eius, & ſicut oleum*, omnibus liquoribus penetrabilius, in intimiſſimam partem animæ, *in oſſibus eius*, in ipſam ſcilicet mentem, omnium partium hominis fortiſſimam. *Pſ. 108. 18*

D

Miſeria hominis poſt peccatū omnium maxima.

Hanc eandem miſeriam hominis, ſimulque orationis indigentiam alia quadam ratione, ac ſimilitudine poſſumus explicare: eſt enim humanus animus quaſi fortiſſima arx, quæ in ſummitate ſcopuli in medio maris fundata, omnino inexpugnabilis redditur; quæ tamen ſi adminiculis externis careat, facilè hoſtium obſidione ſuperatur, & in alienam redigitur poteſtatem: nam licet ex ſe fortiſſima ſit, vnde Dauid: *Fortitudinem*, inquit, *meam ad te cuſtodiam*, vtpotè in ſcopulo corporis noſtri, & in medio mari huius mundi ita fundatus, vt perſpicaci intellectu, tanquam præſidio, & inexpugnabili voluntate, tanquam muro, munitus ſit; tamen infelix omnino efficitur, ſi alimonijs caruerit. nam ſcopulus, ſeu caro noſtra, ſpinas tātùm, & tribulos germinat, arx vero anima, quæ in illo fundata eſt, aquas dulces, quibus ſitim extinguat, non habet: nam *anima mea, ſicut terra ſine aqua tibi*, nulloq. extrinſeco eſt munita præſidio; quia: *Non ſumus*, ait Beatus Paulus, *ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis*, Sed, vt idem alibi: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt.* Quare ſi tuta eſſe vult, naui aliqua eget, quæ à longe portare valeat panem, & aquam, quæque illam intrinſecis præſidijs muniat. Eſt autem nauis huiuſmodi oratio, de qua illud Salomonis dici poteſt. *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longe portans panem.* Cùm aliud nullum nobis ſuperſit remedium in tantis neceſſitatibus poſitis, nullum aliud auxilium, niſi cæleſte: nam ſicuti, qui omnia bona ſua conſumpſit, neque vnde viuat, habet, non nummos, non prædia, non vires, nec induſtriam, mendicare cogitur, & oſtiatim eleemoſynas efflagitare; ita planè pauperibus, & egenis nobis faciendum eſt, vt diuinam gratiam, æternamq. vitam capeſſere valeamus. Quod cùm ſciret Dauid, ad Dominum exclamans ait: *Ego verò egenus, & pauper ſum, Deus adiuua me.* O verè felix paupertas, quæ nos ad tantum benefactorem adducit. O mira Dei pietas, quæ vt ad illum accederemus, nos egere permiſit?

E

Pſ. 58. 10

Pſ. 142

2. Cor. 3. 5

Iac. 1. 17

Oratio indigenti animæ ſuccurrit.

Prou. 31

Pſ. 69. 6

F

Dan. 2

mine. De Dijs Gentium dicebant Babylonij ſapientes : *Exceptis Dijs, quorum non eſt cum hominibus conuerſatio.* At Deus noſter, *qui in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*, cum vili homine in oratione negotia tractat, quærit, reſpondet, & longam conuerſationem, & colloquium miſcet, & non ſemel, aut bis, vel aliquando, vt magnates mundi aliquibus concedunt, ſed quando, & quotieſcunque nobis libuerit, ad colloquium ſuum nos in ea admittit. Quare, vt S. Baſilius admonet, cauendum nobis eſt, ne orationem, tantum Dei beneficium, dæmonis ſuaſione aliquando relinquamus. *Habent enim*, ait ille, *morem hunc dæmones, vt facienda orationis temporibus, per ſpecioſam ſcilicet aliquam laudabilis cauſæ alicuius ſimulationem, nobis ſedulò authores ſint, vt ab ea nos ſubducamus, vt quam ſalutem afferre nobis intelligant, ab ea nos probabiliter abducant.* Sanè adeò eſt hoc inſtitutum ſolemne dæmoni, vt Climacus ſcripſerit, eodem ſpiritualis tubę ſigno conuocari fratres ad orandum, & dæmones conuenire ad eos perturbandos. Et Nilus tradit, vniuerſum bellum inter nos, ac dæmones eſſe, non niſi de oratione. Teſtis S. Antonius, quem dæmones verberibus ab orando repellere conabantur. Et memoriæ prodidit Palladius, ſanctiſſimum Patrem dixiſſe, vniuerſas dæmonis tentationes, quibus religioſos infeſtat, eò tandere, vt orationem auferat, & ideò illum in vana diſtrahit, eumq. turbat, vt cùm ad orationem acceſſerit, clauſam ille inueniat ianuam. Narrat Sanctus Gregorius viſum dæmonem ſub nigri pueri ſpecie, per fimbriam veſtimenti monachum orantem trahere extra chorum : norunt enim dæmones orationem fortiſſimam eſſe armaturam contra ſuas inſidias, & tempus illius, tempus eſſe medicinæ, in quo conſulitur verus animorum medicus, & quæruntur ſimul, ac accipiuntur morborũ ſpiritualium remedia, & demum perſpectum habent, in illa cauſam æternæ vitæ cum Deo iudice agi.

Baſil. ſer. de abdic. rerum.

Orationem dęmones pro virili impediunt.

H

Climac. grad. 8

Nilus de orat. c. 47

Athan. in vit. S. Anton.

Palladius in hiſt. Lauſiaca

Greg. l. 2. dialog. c. 4

I

Oratio animum armat.

Nobis igitur faciẽdum, quod Iacob ſanctiſſimum Patriarchã feciſſe legimus, qui, vt ſe ab Eſau inſidijs liberaret, cum primùm veni entẽ illum ſibi in occurſum audiuit, *timuit valdè, & perterritus, diuiſit populum, qui ſecum erat, greges quoq; & oues, & boues, & camelos in duas turmas, dicens : Si venerit Eſau ad vnam turmam, & percuſſerit eam, alia turma, quæ reliqua eſt, ſaluabitur. Deinde filios Liæ & Rachel diuiſit, ambarumq. filiarum, & poſuit vtramq; ancillam, & liberos earum in principio; Liam verò, & filios eius in ſecundo loco; Rachel autem, & Ioſeph nouiſſimos.* Sic inquam, vt ab inſidijs dæmonum euadamus, & nos ita noſtra diuidere debemus, vt bona quidem terrena antecedant, ſequantur ſenſilia : bona deindè vitæ actiuæ, & vltimo loco bona vitæ contemplatiuæ : antecedant nimirum greges, famuli, Lia; vltimo loco ſit Rachel, hoc eſt, potius noſtra omnia tollat nobis dæmon, omnia pereant, quàm pereat oratio : deſit tempus alijs rebus omnibus, orationi non deſit : quod ſi aliquando obedientia, aut neceſſitate aliqua coacti, ſuo tempore orationem intermittere cogimur: illam alio tempore reſumere quamprimùm ſatagamus, ne dies ſine oratione prætereat : nam ſi eam curam corpori impendimus, vt cùm dormire aut comedere ſtatuto tempore non poſſumus, alio tamen dormiamus, & comedamus; cur ſi animam eſurientem ſuo cibo paſcere vno tempore nequimus, non paſcamus alio ?

Gen. 32. 7 8. & c. 33 1. & 2

L

VERS. XIV.

Ad te Domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo.

VERS. XV.

Peto Domine, vt de vinculo improperij huius abſoluas me, aut certè deſuper terram eripias me.

1 *Faciem ad Deum conuertere quid.*
2 *Mortem cur appeteret Sara.*

VERS. XIV.

AD *te Domine faciem meam cõuerto*, Hoc eſt, Domine Deus in te ſolo ſpem ſemper defixi meam, & idcircò ad te ſolum in oratione mea oculos mentis dirigo. Nam, vt Gregorius ait: *Interna animi facies mens noſtra eſt, quam leuare, eſt in Deum animum per ſtudium orationis extollere.* Sanè, vt S. Baſilius ait : *Sicut nulli alij nos, præterquàm ſoli Deo cultum tribuere par eſt; ſic etiam in nulla alia re opem noſtram conſtituere debemus, quàm in Deo rerum omnium Domino; qui enim in homine ſpem ſuam collocat, aut qui ob aliud quiddam ex rebus humanis ſe iactat, veluti ob poteſtatem, aut pecunias, aut aliquid eorum, quæ vulgò ſplendida exiſtimantur; is non poteſt dicere, Domine Deus meus, in te ſpem defixi meam.* Sed de hac re in ſequenti primo documento.

Greg. l. 10. moral. c. 18

S. Baſ. ſer. 20 q. de prin.

Peto Domine, vt de vinculo improperij huius, nimirum ſterilitatis, quod vinculum adeò arctum illa cenſuit, vt non niſi diuina manu ſolui poſſet, & adeò probroſum, vt, ſicut ſuperiùs dictum eſt, nihil eſſet in veteri teſtamento, quod mulieribus maiori videretur opprobrio.

Aut certè deſuper terram eripias me, Quaſi diceret : quòd ſi ea tua eſt voluntas, vt nolis me prole fœcundare; ſaltem mortem in gratiam tribue. etenim ſicut etiam ſupra diximus, mors miſeris ipſa nonnunquam vita charior fuit, quod cenſeant melius eſſe mori,

ſup. hoc eod. c. verſ. 6

quàm

quàm malè viuere. Vide hic documentum ſe-
cundum.

Quòd ſpes noſtra in Deo ſolo ponenda ſit.

DOCVMENTVM I.

A DOCET Sara non alibi, quàm
in Deo ſpem noſtram figendã
Zach. 9. 1 eſſe, eò quòd ſicut Zacharias
ait: *Domini ſit oculus hominis*,
hoc eſt, mentis noſtræ oculus
in ſolum Deum reſpicere de-
beat, qui ſolus eſt, ſpes, deſiderium, & ex-
pectatio omnium hominum: quem reſpi-
ciunt, tanquam eum, à quo ſuam expectant ſa
lutem. Sanè quemadmodum Genuæ, turrim
Genuæ turris eſt altiſſima ad nautarũ confugiũ. habemus altiſſimam, in cuius ſummitate no-
cte intempeſta lucernam ſuccenſam cuſtodes
ponunt, vt ad illam oculos nautæ dirigentes,
Prou. 18. 10 portum facile attingant, ita vt Sapiens ait, eſt
Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſam
currit iuſtus, & ſaluabitur, ab huius turris
lumine lumen accipiens, & ad portum appel-
Chryſ. in epiſ. ad Cor. lens ſalutis æternæ. Quare Chriſoſtomus: *Cum*
nulla vſquam humani auxilij ſpes nobis af-
fulget, ne deſperemus, neque deſpondeamus
B *animum, ſed fidei anchoram accipiamus, &*
inſtrumentum ſpei iaciamus, non quidem in
mare, ſed in cælum, & tempeſtatis procellis
agitata nauis, ab omni periculo liberabitur.
Philon. apud Ioſeph. antiq. li. 18. c. 10 Ita cùm Philoni iraſceretur Caius, neque illi,
quod pro ſua gente depopoſcerat, concedere
voluiſſet, ad ſocios ille conuerſus: *Bono ani-*
mo, inquit, eſtote ſocij, quibus Caius iratus
eſt, quia neceſſe eſt ibi adeſſe diuinum, vbi hu-
Iſa. 8. 13 14 *manum ceſſat auxilium.* Sic Iſaias: *Dominum*
exercituum ipſum ſanctificate, ipſe pauor ve-
ſter, ipſe terror veſter, & erit vobis in ſan-
ctificationem, quaſi diceret: Deum honori-
ficate, nullum alium præter ipſum timeatis,
& erit ille vobis in ſanctificationem. *Erit vo-*
bis in palatium, vertit Panginus: *Erit vobis*
Deus ſolus eſt fortitudo noſtra. *in aſylum, in domum refugij*, vertunt alij.

Quare ſicut Dauid, dum à potentiſſimo ho-
ſte Saul ad necem quæreretur, ad Dominum
Pſ. 58. 10 confugiens dixit: *Fortitudinem meam ad te*
C *cuſtodiam. fortitudinem eius*, vertit Hiero
nymus: quaſi dixiſſet: noui Domine, me à
fortitudine tanti regis cuſtodire non poſſe,
quòd potentiſſimus ille ſit, ego vermiculus:
rex ille, & ego viliſſimus miles; idcircò *for*
titudinem eius ad te cuſtodiam: te appello,
teq. cuſtodem meum contra illius fortitudinẽ
oppono, qui pro me certare, & vincere vales,
quippe qui ſolus omnipotens cum ſis, nemo
tuæ reſiſtere poteſt voluntati. Sic dum nos infe-
ſtiſſima ſectatur caro, dũ verſutiſſimus dæmon
nos quærit, dum mundus blanditur, ad Do-
minum confugientes, dicere & nos debemus:
Fortitudinem illorum ad te cuſtodiam: tuam,
omnipotens Deus, appello potentiam, me ab
inimicorum fortitudine cuſtodientem. Ego
enim impar ſum viribus, nec me cuſtodire
contra hos validiſſimos hoſtes valeo, *fortitu-*
dinem illorum ad te cuſtodiam. Quod ſi Deus D
pro nobis, quis contra nos? En lectulum Salo- Cant. 3. 7
monis, ait ſponſa, *ſexaginta fortes ambiunt.*
Sanè per lectulum anima iuſti ſignificatur,
quæ Chriſti veri, & pacifici Salomonis lectu- Anima iuſti Chriſti lectulus.
lus eſt, in qua ipſe quieſcit: vndè ait; *ad eum*
veniemus, & manſionem apud eum faciemus.
ambiunt hunc animæ lectulum ſexaginta for-
tes, tota nimirum cæleſtis militia ad illius de-
fenſionem fortiſſimè armata. Quem ergo ti-
mebit anima tantis Chriſti, & Sanctorum
Angelorum aſtantium communita præſidijs?
Certè nos, ſi ab hoſtibus vincimur, non Dei
culpa, ſed noſtra eſt, qui ſub illius præſidio,
& cuſtodia non manemus, qui ad illum, ſicut
Sara, faciem non conuertimus, & ad illum
oculos noſtros non dirigimus, ſed magis ip-
ſius quaſi obliti, auxilium noſtrum à mundo
quærimus. Vnde meritò conqueri de nobis
poteſt, ſicuti iam per Oſeam de populo ſuo Oſe. 4. 12
dicens; *Populus meus in ligno ſuo interroga-*
uit, & baculus eius annuntiauit ei: nam in
baculo interrogare dicitur, qui aliunde,
quam à Domino ſalutem quærit, ſicut à Gen-
tibus Iudæi facere didicerant, qui Deum
derelinquentes, baculos in ſuis neceſſitatibus
conſulebant, & quidem duas ſumentes vir-
gas, vt gloſſa hic, & Cælius Rhodiginus do- Gloſſa hic Rhodiginus l. 7. antiq. c. 29.
cent, quorum vna victricem, & altera victam
partem ſignificabant, illaſq. in altum proij-
cientes, ea, quæ in terram delapſa alteri ſuc-
cũbebat, exiſtimabatur fore, vt vinceretur: vt
feciſſe Nabuchodonoſor apud Ezechielem Ezech. 21
legimus, qui dum ſcire vellet, Ammonitæ
prius, an Ieroſolymitæ inuadendi eſſent, duas
ſumpſit ſagittas, Ieruſalem vna, Rabbath
altera ſignificans, quas deinde in pharetra
vna confundens, illam ciuitatem prius in- F
uadẽdam putauit, cuius nomen ſagitta præſe-
ferens, prior prodijſſet. Huiuſmodi diuinatio-
nis genus ῥαβδομαντείαν, ſiuè βελομαντείαν Græci
dicunt, id eſt diuinationem per ſagittas, aut
per virgas: quod ſpiritualiter faciunt, quicun-
que ſuis in infirmitatibus, & ærumnis, totam
ſpem ſuam non in Deo, ſed in medicis, & me-
dicinis collocant, & in baculo ſuo interrogãt,
dum in ſuis neceſſitatibus nõ Deum, ſed pro-
prias vires quærunt. Vndè non mirum, ſi iuſto
Dei iudicio, ſemper deteriores fiunt; cùm ſi-
cut Dauid loquitur: *Deus* tantummodò ſit Pſ. 45. 2
refugium noſtrum, & virtus: nam *ſunt qua-*
dam, inquit Auguſtinus, *refugia, quibus non* Aug. in pſ. 45
eſt virtus, quò quiſque cum fugerit, magis in-
firmatur, quàm confirmetur: confugis, ver-
bi gratia, ad aliquem in ſeculo magnum,
vt facias tibi potentem amicum; refugium
tibi videtur; tanta tamen huius ſeculi in in- G
certo ſunt, & ita potentium ruinæ quoti-

diana

Digitized by Google

diana crebreſcunt , vt cùm ad tale refugeris , & confugeris, plus ibi timere incipias. Iure ergo optimo *vinctos ſpei* , qui in his mundi rebus ſperant, Zacharias appellat, vt potè qui à tali ſpe vana adeò ſint conſtricti , vt ſemper ſpe melioris fortunæ ſolcant in ſuis permanere laboribus, nec vana (etiam poſt cognitionem vanitatis ſuę ſpei) ſperare deſiſtant ; ita vt cum Dauid, licèt alio ſenſu, dicere poſſint : *Moab olla ſpei meæ* , ideſt mundi res omnes , in quibus ſpem noſtram poſuimus , non fons , vena, riuulus, ſeu magis ſpecificè , vrceolus, phiala, vas : ſed *olla* eſt ſpei noſtræ, quòd ſit illis *Moab*, nimirum aula , hominum fauores , mundi bona, inſtar ollæ, in qua ſpe ſua medullitus concoquuntur : & quidem ſine aliquo vero emolumento ; immò verò tanto ſæpè cum damno , vt bonis omnibus conſumpti, ad extremas miſerias redigantur. Sic Aulicus ille, qui modo ſpe ſua ad cælos vſque aſcendit , modò deſcendit deſperans vſque ad abyſſos, cuius anima in malis ambitionis ſuæ tabeſcit, dicere poteſt, aulam ſpei ſuæ ollam: & auarus, qui aurum ſemper ſitit, in eoq́. ſpem omnem reponit ſuam , & auaritia conſumitur, ſpei ſuæ ollam dicere poteſt aurum. Et carnalis, qui ſemper impura cogitat , & ſeuſualitate conſumitur, luxuriã: & taudẽ mundani omnem quamcũq; terrenam rem, quã appetũt , ollam ſpei ſuæ dicere poſſunt ; quòd ſemper talium ſpe conſumantur , nec vnquam ſatientur, quòd aula, aurum, luxuria, & cetera omnia præter Deum , refugiũm quidem noſtrum eſſe poſſint , ſed non virtus: nam *Deus refugium noſtrum , & virtus* . Quam miſeriam , & iuſtam, quám de illis ſumet Deus , vltionem , conſpicati iuſti , intra ſe mirum in modum obſtupeſcunt , ſimulq́. timent , ne ſibi etiam tale quid contingat : vnde Pſaltes : *Videbunt iuſti , & timebunt*: quamquam ridebunt poſtea in ſtatu beatæ vitæ : *& ſuper eum ridebunt* : nam vt Gregorius ait , *iniquos iuſti nunc vident , & metuunt , tunc viſuri ſunt, & ridebunt : quia enim modò ad eorum labi imitationem poſſunt , hic habent formidinem : quia verò damnatis tunc prodeſſe nequeunt , illic non habent compaſſionem* : ſed non ſolum ridebunt, verùm etiam impijs ad illorum maiorem confuſionem vanam illorum ſpem exprobrantes dicent , vt idem Pſaltes ait : *Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum* . Campenſis ex Hebræo. *Ecce Gigas* , ille nimirum , qui vires , & potentiam iactabat ſuam, cui non eſt fortitudo , ἀβοήθητος , cui non eſt adiutor , & idcircò fidem , & ſpem ſuam in Deo noluit collocare: *non poſuit Deum adiutorem ſuum* . Hieronymus : *Non poſuit Deum fortitudinem ſuam* ; ſed ſperauit in abundantia potentiæ, & ſubſtantiæ ſuæ , & in multis diuitijs, quibus innixus , aduerſa omnia facilè ſuperanda cenſebat , illud ſolum in ſe ipſo dicens , *quantum nimirum auri habebis , tantum eris* . Quod ſordidorum adagium ex Horatio fortè deſumptum eſt, qui ait:

Zach. 9. 12
Pſ. 59. 10
H
Aulici, qui vana ſpe fulciuntur, ſe ipſos conſumunt.
I
Pſ. 51. 8
Sperantes nõ in Deo , ſed in alijs rebus illuduntur . Greg. li. 6. moral. c. 20. vel. 16
Pſ. 51. 9
L
Hier. ibi.

At bona pars hominum, decepta cupidine falſo,
Nil ſatis eſt , inquit , quia tanti , quantum habeas , ſis .

Vſurpauit & illud Aculeus , dicens: *tanti re vera eſtis, quantum habebitis* .
Et ex Euripide Seneca refert hunc verſum:

Vbique tanti quiſque , quantum habuit, fuit .

& præualuit in vanitate ſua , Hebræus, vt Chaldæus : *& innixus eſt in vanitate ſua* . Quare ſicut ille , qui vano fundamento innititur , quando putabit ſe ſtare miſerè , vt Sapiens ait : *in impietate ſua corruet* . ſic corruet ille , *qui confidit in diuitijs ſuis* , quando ſecurior ſibi ipſi videbitur, vt contigit diuiti illi Euangelico apud B. Lucam , qui in diuitijs ſuis gloriabatur : & illi, qui, vt eſt apud eundem , induebatur purpura , & byſſo, quos, & conſimiles Ieremias maledictos eſſe docens , ait : *Maledictus homo , qui confidit in homine , & ponit carnem brachium ſuum* : cum brachia ſine oſſibus tota ex carne compacta, nullius ſint roboris, & prorſus inutilia .

Horat. lib. 1 ſer. ſat. 1
Apul. in Apolog.
Hebræus.
Chaldæus.
M
Prou. 11. 5
Luc. 18. 9
Luc. 16 19
Ier. 17. 5

Nolite itaque , dicam cum Pſalte , *confidere in diuitijs , neque in principibus , in quibus non eſt ſalus* . Sed cum Sara ad Deũ oculos noſtros dirigamus , quoniam ipſe eſt *refugium noſtrum, & virtus* .

Pſ. 145. 3

Quòd mors mortali vita melior , atque optabilior habenda ſit .

DOCVMENTVM II.

TAM graue ſibi malum ſterilitatem putabat Sara, Deoque ipſi, & hominibus adeò inuiſum , iuxta ea , quæ ſupra diximus , vt mori potius voluiſſet , quàm viuere . Sanè illud Sapientis eſt dictum : *Melior eſt mors, quàm vita amara , & requies æterna, quàm languor perſeuerans* . Et alibi : *O mors, bonum eſt iudicium tuum homini indigenti , & qui minoratur viribus , &c.* Quam etiã rem , & ipſe Deus nos docuit, dum in principio mortem ſolatij vice Adæ propoſuit : nam poſt illud : *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo* , clementer adiecit : *donec reuertaris in terram , de qua ſumptus es , quia puluis es , & in puluerem reuerteris* . Laudauit hac de cauſa Salomon magis mortuos , quàm viuentes, & vtriſque feliciores iudicauit non dum in lucem editos . Simi-

A Sup. verſ. 11
Eccli. 30 17
Eccli. 41. 3
Mors miſeriarum huius vitæ vnicum eſt, & ſingulare leuamẽ.

Menander. B lia habentur apud Menandrum, & apud La-
tinos quàmplurimos, ambigentes, hominis
ne mater, an verò nouerca ſit appellanda
natura.

Ecleſ. 7. 2 *Melior* itaque, vt Sapiens ait, *eſt dies mor-
tis die natiuitatis*, melior mors, quàm vi-
ta: nam licèt vita à Deo ſit, dicitur enim
Gen. 2. 7 in Geneſi; *& inſpirauit in faciem eius ſpi-*
Pſ. 35. 10 *raculum vitæ*, Et alibi: *quoniam apud te*
Sap. 1. 13 *eſt fons vitæ*; mors verò ſit à peccato: nam
Deus mortem non fecit, ſed ſicut B. Paulus
Rom. 5. 12 ait: *per vnum hominem peccatum intrauit
in mundum, & per peccatum mors*: quia ta-
men nec vita nunc eſt, qualis proceſſit à
Deo, nec mors, qualis à peccato fuit, ideo
melior mors eſt ipſa vita. Sanè miſera hæc
humana vita, quam ab omni labe puram, do-
lorisque, ac miſeriarum omnium expertem
fecit Deus, tantis nunc eſt plena peccatis,
ærumnis, atque miſerijs, vt nihil in ſe ha-
bere videatur, quod vanitatem non ſapiat:
C vnde Sapiens de ea: *Vanitas vanitatum*,
Eccleſ. 1. 2 inquit: *& omnia*, in ea nimirum, *vanitas*,
Deut. 32 *& afflictio ſpiritus*, & vt Moyſes: *Fel Dra-*
33 *conis vinum eorum*, hominum nimirum, qui
in hac vita degunt, *& vna eorum, vna fel-
lis, & botri amariſſimi*. Verùm mors, quæ
à peccato procedens, iactura fuit omnium
bonorum, principium inferni, æternæque
damnationis, cùm primùm à Chriſto ſuſce-
pta eſt, laborum euaſit terminus, initium
quietis, & vitæ æternæ ianua: vnde dicamus
Apoc. 14 neceſſe eſt: *Beati mortui, qui in Domino*
13 *moriuntur, amodò iam dicit Spiritus, vt*
1. Cor. 15 *requieſcant à laboribus ſuis*. Et illud Bea-
54 ti Pauli: *abſorpta eſt mors in victoria*. Qua-
re ſi homines modò non mori potius cum
Sara, quàm viuere exoptant, ex eo maximè
contingit, quòd vitæ æternæ fidem partim,
vt ſic dicam, habent, partim non habent:
partim quidem habent: quia eius intuitu,
D ac ſpe probi, plerique viuunt, & à multis
peccatis abſtinent: partim non habent, quia
non ſatis valere oſtendunt ad animos ipſo-
rum, aduerſus mortis metum cõfirmandos,
ſine qua ad illam vitam æternam aditus pa-
Mortem horrēt homines, quia æternā vitam nō cogitant, nec illam amant, vel quia male viuunt. tere non poteſt. Cur itaque hæc cum vera
ſint, hanc vitam, quæ miſeriarum eſt cumu-
lus, tantoperè mortales exoptant, & mor-
tem, quæ miſeriarum eſt terminus, horrent,
niſi quia nihil purum de vita futura cogi-
tant? nam ſi illam mente reuoluerent, quo-
modo ex his infeliciſſimis locis ad illas for-
tunatiſſimas, beatiſſimasque ſedes euolare
non cuperent? quis vilem caſam, tenuem-
que menſam relictam non vellet, vt magna
palatia, & opiparas menſas ſibi præparatas
Cic. Parad. 2 adiret? Sed nimirum, vt ipſe Ethnicus ait:
E *Mors terribilis eſt ijs, quorum cum morte*
Chryſoſt. ho. 5 ad pop. Antio. *omnia extinguuntur, non ijs, quorum laus
emori non poteſt*.

Mortem præterea timemus, *quia*, inquit
Chriſoſtomus, *non vulnerat nos regni amor,
non nos futurorum amor accendit*: nam ſi
ardens eſſet charitas, & amor erga Deum,
non vtique à nobis timeretur, ſed amare-
tur potius, vt quæ nos ipſos Deo coniun-
git; cùm haud fieri poſſit, vt amans finem,
non etiam media amet. Audi Dauid aman-
tem, & ad Dominum ingemiſcentem: *Educ* Pſ. 141. 8
*de cuſtodia animam meam ad confitendum
nomini tuo*: Audi B. Paulum exclamantem:
Infelix ego homo, quis me liberabit de cor- Rom. 7. 24
pore mortis huius? Et alibi: *Mihi viuere
Chriſtus eſt, & mori lucrum*: Audi noſtrum
Tobiam: *Præcipe in pace recipi ſpiritum
meum*: Audi tandem hic noſtram Saram:
Deſuper terram eripias me. benè itaque
ait Cyprianus: *Eius eſt mortem timere, qui
ad Chriſtum nolit ire*. Mortem etiam ti-
memus tertiò, vt idem Cyprianus ait, *quia* Cypr. ſ. de immort.
non viuimus cum diligentia, nec habemus Mors à mala vita formidatur.
conſcientiam puram. Strigilem enim, & pe-
ctinem horret equus ſcabioſus, & immedi-
cabilis æger cauterium: reditum ad herum F
ſeruus nequam, aduentum Ducis ignauus,
& fugax miles, iners diſcipulus regreſſum
ludi magiſtri: contra, induſtrio ſeruo, vi-
ctori militi, diſcipulo ſedulo gratus Domi-
ni, Ducis, ac magiſtri ſemper eſt reditus.
Quare *ſi vitam tranſigeremus*, inquit Chry-
ſoſtomus, *cupiditates noſtras arcentes, ci-* Chry ho. 6. ad pop. Antioch.
*tò futura concupiſceremus, præſentibus li-
berari laboribus feſtinantes*.

Quòd ſi Rex Ezechias regum Iſraël opti- Iſa. 38. 2
mus, mortem timens, conuerſus ad parietem
amarè fleuit, & Dauid eodem timore corre-
ptus, dixit: *Cor meum conturbatum eſt in* Pſ. 54. 5
me, timor, & tremor venerunt ſuper me: G
& ex Sanctis noui teſtamenti, Abbas Hila-
rion iam octogenarius moriens: egredere, Surius in eius vita ex Hier.
inquit, *anima mea, quid times? egredere
anima mea, quid dubitas? Septuaginta an-
nis ſeruiſti Deo, & mori times?* Et tandem
ipſe Dominus, leo de tribu Iuda fortiſſimus,
morti proximus cœpit in horto, *tadere, pa-
uere, & mœſtus eſſe*: id factum eſt non iuxta
portionem ſuperiorem, ſed inferiorem, hoc
eſt, non iuxta voluntatem, ſed naturæ af-
fectum, cuius gratia, compoſiti ſolutionẽ Sancti viri non mortẽ, ſed quæ illam ſequuntur, timuerunt.
nemo eſt, qui non perhorreſcat, vnde &
ſancti viri voluntate quidem mortem non
reformidarunt; ſed, quod illam conſequitur,
diuinum iudicium, ne in illo quaſi in ſtate-
ra appenſi, minus habentes inuenirentur. Ti- Chriſtus mortem quare timuerit.
muit etiam Chriſtus mortis probroſum ge-
nus, quo illum Iudæi necaturi erant, vel,
vt volunt aliqui, pro Iuda contriſtatus eſt, H
pro Apoſtolis, pro peccatoribus ingratis;
vel tandem ſi mortem metuit, non ſibi, ſed
nobis metuit, ſaniem vlceris noſtri ore hau
riens pius medicus, vt nos illo priuaret, &
inſtar ducis generoſi loricam exuens, vt me-
ticuloſum militem ſuum indueret; quare
ex portione ſuperiori ſolam compoſiti ſo-
lutionem timere, eſt naturę leges neſcientis,

quæ

quæ finem deberi rebus, quibus dedit exordium, decernit. Timor eſt, vt diximus, infirmæ fidei, frigidæ charitatis, & propriam negligentium ſalutem: hinc eſt, quòd meliorem vitam expectans Sara, haud mortem veretur; ſed audacter petit aut à vinculis improperij huius liberari, aut certè deſuper terram eripi. Vide quæ diximus ſupra hoc eodem capite, Verſ. 1. Docum. 1.

VERS. XVI.

Tu ſcis Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia.

AD expellendam puſillanimitatem, ac impetrandam in ſua oratione fiduciam, hic Sara ſuam in conſpectu Domini commemorat innocentiam; dicens;

S. Tho. 1. ſent. diſt. 9. art. 4
Deo nihil ignotum.
Pſ. 7. 10

Tu ſcis Domine, Noſcit enim Deus, vt docet S. Thomas, omnia etiam in particulari, atq; diſtinctè, cùm ipſe ſit cauſa totius perfectionis, & ordinis rerum, omniſq. perfectio creaturarum in ipſo ſupereminenter exiſtat, ſcrutatorque ſit cordis, & renium, cogitationum nimirum mentis, & affectionum appetitus, præſertim concupiſcibilis.

Quia nunquam concupiui virum, Cõcupiſcentia ſcilicet immoderata, quæ peccatum eſſet, & mundam ſeruaui animã meam.

Ab omni concupiſcentia, Siuè carnis, ſiuè oculorum: quòd in ijs, quæ ſpectant ad guſtum, ſiuè tactum, qui toti pendent à carne, non intemperanter ſe geſſerit, effrænatius quibuslibet indulgendo ſenſibus; ſed quodcunq. illorum exercitium ad neceſſariam, honeſtamque vitæ ſuſteutationem, vel ſcientiæ, & virtutis comparationem referendo, & in corporis, mentiſque candore cuſtodiendo, omnem curam collocarit. Quare

LXX. L X X. *Tu ſcis Domine*, legunt, *quia munda ſum ab omni peccato viri, neque pollui nomen tuum, neque nomen patris mei in terra captiuitatis meæ.*

Quòd magnam orationi fiduciam præbeat bona conſcientia, deque eius maximi bonis, & malæ, damnis.

DOCVMENTVM I.

A CVM grauiſſimum ſterilitatis improperium comminatus ſit Deus non quibuſcunque, ſed transgreſſoribus ſuæ legis, vt vidimus; cumque pro comperto haberet Sara, pœnam culpę tantummodo deberi, ſuæ conſcientiæ munditiam agnoſcens, eam in hoc, duobuſque ſequentibus verſiculis ante Dominum in oratione ſua proponit, non vt ſe ipſam extollat, inanemq́. de ſua virtute gloriam aucupetur; ſed vt diuinorum donorum commemoratione, quorum gratia ab omni ſe culpa immunem agnoſcebat, maiorem fiduciam conciperet accipiendi à Domino, quod depopoſcerat: nam *ſi cor noſtrum non reprehendit nos*, ait Ioannes, *fiduciam habemus ad Deum*. Sic qui vultum Regis erga ſe iratum contemplatur, ſtatim, quæ operatus eſt, diligenter examinat. quòd ſi nulla in re ſe deliquiſſe cognoſcit, ſed omnia iuxta regis voluntatem peregiſſe, magnam inde ſpem, fiduciamq́. concipit, fore, vt ab omni pœna emancipetur. Sic Dauid, *in toto corde meo*; inquit, *exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis*. Et Ezechias: *Memento*, ait Domino, *quomodo ambulauerim coram te in corde perfecto*. quod & alij quampluſrimi ſanctiſſimi viri in ſuis neceſſitatibus facere conſueuerunt, dum ex illis à Domino liberari efflagitabant: nam ex ipſo etiam Ethnico Cicerone: *Magna eſt vis conſcientiæ in vtramq; partem, vt neque timeant, qui nihil commiſerunt, & pœnam ſemper antè oculos verſari putent, qui peccauerunt*. Hinc optimè Bernardus: *quid enim ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius eſt, & ſecurius bona conſcientia?* Et quidem nihil eſt bona conſcientia ditius, quæ non mammona poſſidet iniquitatis, & ſpinas, quæ animum ſolicitum ſemper reddunt, & anxium, quales ſunt diuitiæ mundi, ſed veras diuinæ gratiæ diuitias, quæ hominem ſua ſemper ſorte contentum efficiunt: nihil illa in corde dulcius, quia, vt ait Sapiens: *Omnes dies pauperis*, hoc eſt peccatoris, & afflicti (dictio enim Hebræa propriè quemuis afflictum ſignificat) *mali*: *Secura mens*: hoc eſt, vt Hebræi habent, *bonum cor*, lætum à curis, mundiq́. anxietatibus liberum, & Dei gratia præditum, *quaſi iuge conuiuium*, hoc eſt quaſi iugis, & perpetua beatitudo, quippè quæ hominem adhuc in terris cõmorantem, initiatiuè, vt aiunt, beatum efficiat: conſueuerunt enim non modo Sacræ, ſed etiam profanæ literæ beatitudinem conuiuio comparare, vt apud Iſaiam patet, vbi beatitudo conuiuium dicitur pinguium, conuiuium medullarum, conuiuium vindemiæ defæcatæ; & apud Lucam, vbi per ipſam parabolam conuiuij figuratur. Profani vero ſcriptores illam nominibus ambroſiæ, nectaris, epularum, & menſarum Deorum ſignificabant. Quare optimè Auguſtinus: *ò conſcientia*, inquit, *ſancta, in terra adhuc es, & in cælis habitas; ò anima ſancta, ſancta conſcientia decorata: gaude cæleſti, & æterna gloria.* quid igitur ditius, quid in corde dulcius bona conſcientia? ſed

1. Io. 3. 21
Innocentia vitæ magnã fiduciam prębet orantib.
B
Pſ. 118. 10
Eze. apud Iſaiam 38
Cic. pro Milone.
Bern. li. de cõſid. ad Eug.
Conſcientia bona laudatur.
C
Prou. 15 15
Beatitudo cõuiuio comparatur.
Iſa. 25. 6
Luc. 14. 16 12. 37
D
Aug. ſeu auct. ſer. ad fratres in Erem. ſer. 10
Conſcientia bona ſecura eſt.

quid illa in terris quietius eſt, & ſecurius?
Act. 12. 4 Oſtendit Petrus in carcere, quatuor qua-
ternionibus militum traditus cuſtodiendus,
qui vt potè bona conſcientia præditus, ita
quietus, & ſecurus erat, vt in ipſa nocte, in
qua producendus erat ab Herode, vt interfi-
ceretur: inter duos milites vinctus catenis
duabus, quietus dormiret, & adeò ſecurus,
vt nec excitari potuerit, niſi ab Angelo in
latere percuſſus: ſed vndè hæc tanta ſecuri-
tas, niſi à bona conſcientia, quæ, vt idem
E ait Bernardus: *Damna rerum non metuit,*
Bern. vbi ſup. ad Eugen. *non verborum cõtumelias, non corporis cru-*
ciatus, quæ & ipſa morte magis erigitur,
quàm deprimitur? Et quidem non metuit
bona conſcientia *damna rerum*: quod probè
ſciat, res ſibi non datas, ſed commodatas,
illasq. ſe nõ dominio, ſed precario accepiſſe;
nouit, nihil eſſe cæteris mundi bonis carere,
quæ ſibi aliena, & extrinſeca ſunt, dummo-
do ea, quæ verè ſua ſunt, non amittat: nouit
Inf. c. 4. verſ. 23 illud verum Tobiæ dictum: *Pauperem qui-*
dem vitam gerimus, ſed multa bona habe-
bimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus
ab omni peccato, & fecerimus benè, hoc eſt,
ſi bonam habebimus conſcientiam. Ita nec
metuit *verborum contumelias*, quia, ſicut
Greg. epiſt. ad Pallad. lib. 8. regiſt. ep. 45 faciendum docet Gregorius, inter verba
laudantium, ſiuè vituperantium, ad mentem
ſemper recurrit, & ſi in ea non inuenit bo-
F num, quod de ſe dicitur, magnam triſtitiam
ſentit, & rurſum ſi in ea non inuenitur ma-
lum, quod de ſe homines loquuntur, magna
Aug. li. epiſt. contr Secund. Manicheum c. 1 lætitia exultat cum Auguſtino, dicens: *Senti*
de Auguſtino quicquid libet; ſola me coram
oculis Dei conſcientia non accuſet. Atque hu-
ius rei teſtis eſt noſtra Sara, quæ licèt tur-
bata, nullo tamen eſt improperio, & con-
tumelia conturbata, quia bona lætabatur
conſcientia. *Non* tandem *metuit corporis*
cruciatus, quæ & ipſa morte potius erigitur,
quàm deprimitur, ſicut exemplo ſuo com-
probauit B. Iob, qui cùm mundum haberet
Iob 27. 6 cor, vnde dicere poterat; *neque enim repre-*
hendit me cor meum in omni vita mea, plaga
peſſima toto corpore affectus, *teſte*, quaſi
otioſus, *ſaniem radebat*, & amiſſione bono-
rum omnium tam fortunæ, quàm naturæ, nõ
modò non mouebatur; ſed potius, vt habet
Tertull. li de patien. ad fin. Tertullianus, *animo pacatiſſimo erumpen-*
G *tes beſtiolas in eoſdem ſpecus, & paſtus fo-*
raminoſa carnis ludendo reuocabat. Abſtu-
lerat illi quidem diabolus terræ regnum, nõ
tamen bonæ, & ſedatæ conſcientiæ impe-
rium. Et ſancta mulier Suſanna, dum lapi-
dibus, vt adultera eſſet obruenda, nil ſibi ti-
Dan. 13. 35 mens *ſuſpexit ad cælum*, ait ſacra hiſtoria,
erat enim cor eius fiduciam habens in Domi-
no, nimirũ, propter bonam conſcientiã: nam
damna rerum non metuit bona conſcien-
tia, non verborum contumelias, non corpo-
ris cruciatus, quæ & ipſa morte magis eri-
gitur, quàm deprimitur.

Conferte nunc mihi, obſecro, malè ſibi
conſcium animum cum hac mente ſibi con-
ſcia recti: quot in illo æſtus? quot formidi-
nes? quot reciprocantes anguſtiæ? *Præcordia* *Eccli.* 33. 5
fatui quaſi rota carri, inquit Eccleſiaſticus: H
quia ſicut rota carri ſtridet non vncta; ſic *Conſcientiæ malæ detrimenta.*
peccatoris viſcera intrinſecus conſcientiæ
contorſionibus ſtrident, & inquieta nun-
quam requieſcunt, quippe vnctione ſancti
Spiritus, oleoque lætitiæ priuata: nam
Cor impij, ait Iſaias, *quaſi mare feruens,* *Iſa.* 57. 20
quod quieſcere non poteſt: quia ſicut maris
feruentis fluctus ſemper commoueantur, &
reuoluuntur ad littora, atque iterum re-
ſorbentur, franguntur, turbantur, & varia
inuicem reciprocatione colliduntur; ita
cor impij, varijs perturbatæ conſcientiæ mo
tibus exagitatum, nulla gaudet tranquilli-
tate. Quod malum peccatoribus Deus in
Leuitico fuerat comminatus, dicens; *Si* *Leuit.* 26
non feceritis omnia mandata mea, &c. po- 17
nam faciem meam contra vos, & corruetis
coram hoſtibus veſtris, & ſubjiciemini his,
qui oderunt vos, fugietis, nemine perſequen-
te. Et infra: *Dabo pauorem in cordibus*
eorum, terrebit eos ſonitus folij volantis.
Sic Cain poſt perpetratum homicidium,
cùm nullum in mundo perſequentem habe- I
ret, quippè qui ſolus cum parentibus eſſet, *Conſcientia mala trepidat.*
à quibus minimè ſibi timendum erat, tamen
Dominum alloquens ait: *Omnis, qui inue-*
nerit me, occidet me: nam vt apud Iob de *Iob* 15. 21
impio, maledictione Domini percuſſo, dici-
tur: *Sonitus terroris ſemper in auribus eius,*
& cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpi-
catur. Quem malæ conſcientiæ fructum, &
ipſi Ethnici adeò compertum habuerunt, vt
ipſe voluptatis aſſertor Epicurus, ſicut au- *Stob. ſerm. 24*
ctor eſt Seneca, ſectatores ſuos hoc nomine *Epic. apud Senecam ep. 97.*
à peccando abſterreret, quòd peccatum
metum ſemper, ac formidinem peccantibus
inijciat, atque ita voluptatem vel adimat,
vel inficiat: quia inquiunt, *poteſt quidem*
peccatori contingere, vt lateat; non tamen
vt timere deſinat: nam, ſicut in fabulis, &
ſcenis ſæpenumero videmus homines con-
ſceleratos, eoſque, qui impiè aliquid com-
miſerunt; agitari, & perterreri furiarum L
tædis ardentibus; ita ſua quemque fraus *Cic. in l. Piſon. & pro ſext. Roſc. Amer.*
agitat, amentia afficit, & ſuæ malæ cogita-
tiones, conſcientiæq. exterrent: *Hæ ſunt*,
inquiens, *aſſiduæ impiorum, domeſticæque*
furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Et Lucanus: *Lucanus.*

Heu quantam pœnam miſero mens con- *Virg. 6. Aen.*
ſcia donat. *Claud. li. 2. in Ruffin.*

Et Latinus Poeta, *vltrices curas* vocat pro-
fligatorum hominum conſcientias: vnde &
alius item Latinus Poeta de Ruffino di-
cebat:

Nec recipit ſomnos, & ſæpè cubilibus
amens
Excutitur, pœnamq. luit formidine pœna. *Stobæus ſer. 24*

Pythagoras, vt Stobæus refert, neminem

tam audacem eſſe dicebat, quem mala conſcientia non faciat timidiſſimum, quòd non quieſcit *animus malè ſibi conſcius*, *ſed ab*
M *omni etiam vento abhorret*. & Iuuenalis cecinit: *Iuuenal. Sat.*

Hi ſunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cùm tonat exanimes, primo quoque murmure cœli.

Suet. in Caligulam. Quare impium Caligulam Deorum contemptorem refert Suetonius ad minima tonitrua, & fulgura caput obuoluere, ad maiora ſub lectum ſe condere conſueuiſſe: Et quendam Beſſum refert Plutarchus in matrem ira accenſum, ipſam tandem matrem, omnesque cum illa commorantes incendio abſumpſiſſe; illum verò multo poſt tempore delituiſſe, qui tamen, cùm aliquando ad hoſpites cœnatum pergeret, hirundinum nidum haſta impellens, deturbauit, pulloſque pedibus protriuit. Cumque, vt par erat, aſtantes ab illo requirerent, quæ cauſa rem ram nefandam perpetrare auſus eſſet: nonne reſpondit, iamdiu falſum aduerſum me illas ferre teſtimonium, clamareq. propriã
N me occidiſſe parentem audiſtis? quo illi reſponſo cum admiratione ſuſcepto, verba ad regem detulerunt, reque diligentius diſcuſſa, meritas Beſſus pœnas dedit. Ex quo veriſſimum apparet, quod eſt in pronerbijs: *Muros clamare*: & *Conſcientias mille teſtes*. nam, vt ſanctus Thomas docet, cùm peccare ſit deficere à bono, quod ſecundum humanam naturam nobis competit, inde fit, vt ſuaprè natura ex peccati triſtiria conſcienriæ aculeus oriatur.

Plutarch. de ſera numinis vindicta.

Creaturæ peccatorem teſtes.

Vide Adag. Chiliad.
S. Tho. 2. 2. q. 109. Art. 2

Quòd ſi fortè quis dicat: Ego quamquam mala vror conſcientia; nullos tamen terrores intus, nullum cruciatum ſentio; huic planè reſpondeo, ſimile quippiam accidere, quòd moribundis hominibus, quos pleuritis, aut alius acerbiſſimus dolor excruciat, euenire ſolet, qui iam rupto apoſtemate, & ſtupente corpore, ſenſum amittentes, exiſtimant ſe in ſumma pace, & ſecuritate valetudinis eſſe; cùm tamen, ſenſu deficiente, vitam quoque eos deficere neceſſe ſit: nam,
O vt rectè Bernardus: *Quis magis mortuus, quàm qui portat ignem in ſinu, peccatum in conſcientia, & nec ſentit, nec excutit, nec expaueſcit?* vel quod accidit ebrio dormienti in medio mari, & quaſi ſopito gubernatori, amiſſo clauo, qui dicat, (vt eſt in libro Prouerbiorum) *verberauerunt me, ſed non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi*: quod, dæmonum malitia, fraudeque contingit, qui huiuſmodi peccatores, ne clamores conſcientiæ percipiant, varijs mũdi rumoribus diſtrahunt: ſicut olim Sacerdotes Moloc varijs inſtrumentorum ſonis facere conſueuerunt, ne parentes fletibus, & ciulatibus filiorum, qui immolabantur, commoti, à crudelibus ſacrificijs retraherentur, donec immolati in manibus candẽtis ænei idoli, toti abſumerentur ardoribus. Quod impium facinus præter alia regi Achaz obiectum fuit, qui, vt ex Ioſepho refert Theodoretus, immolaſſe dicitur idolis vnum ex filijs ſuis, *transferens per ignem ſecundum idola gentium*. Ita planè, inquam, in hiſce peccatoribus agit fraudulentus dæmon, ne conſcientiæ clamoribus excitati, è peccatorum ſomno exurgant, dum tympanis, & alijs mundi voluptatibus ad mentis aures ipſorum perſtrepunt, donec tandem miſerè in barathrum inſernalis Oceani illos demergant.

Qui morſum non ſentiunt conſcientiæ ſimiles ſunt pleuritide laborantibus.

Bernardus.

Prou. 23 35.

Dæmones impediũt peccatores ne morſũ conſcientiæ ſentiãt, ſicut olim ſacerdotes Moloc variis inſtrumẽtorũ ſonis impediebãt parentes ne filiorũ immolatorũ ſentirent gemitus

2. Reg. 16
P

Profectò aderit nouiſſima illa hora diuino iudicio proxima, in qua tanto acerbiùs ſceleratos homines peccatorum recordatio extimulabit, quantò hoc tempore minus vrit: ſic enim de ijs in libris ſapientiæ legimus: *Venient in cogitationem peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex aduerſo iniquitates ipſorum.* tunc enim præteritæ vitæ omnia
Q ſcelera ſe ſe menti ingerent, & non amplius blandientem voluptatem, non amplius gloriam, ſed aculeum pungentis conſcientiæ, & perpetuam ignominiam inſtantem ferent. Cum igitur, vt iam ſuperius dictum eſt, nihil ſit ditius, nec in corde dulcius, nec in terra quietius bona conſcirntia; meritò exclamat Augnſtinus: *ò felix conſcientiæ puritas, ò felix ſancta conſcientiæ iucunditas, quæ vermem mentis excludis, quæ à carcere doloris liberas rationem, quæ ab omni immunditia purgas mentem! ò mens ſancta, paradiſus deliciarum, varijs bonorum operum virgultis conſita, varijsq. virtutum coloribus purpurata.* Non igitur mirum, ſi tali conſcientia munita Sara, illam Domino fideliter aperit, vt ſe ipſam in ſuis afflictionibus conſoletur.

Malæ conſcientiæ pœna in extremo iudicio.

Sap. 4. 20

Aug. ser. ad fratr. 10.

Quòd nemo veram fiduciam habere valeat in oratione, qui mundus non ſit à ſorde, & quomodo exaudiat Deus peccatores.

DOCVMENTVM II.

A SI iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te, inquit Iob, *& non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia, tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis*, Sic edoceus animam, quæ omne opus malum, omnemque iniquam cogitationem à ſe, ſicut Sara, expellit, & aufert, facilè ſeipſam per orationis in Deum leuare poſſe, & ſtabilem, ac firmam in illa magna cum fiducia perſiſtere: nam *ſi cor noſtrum non reprehenderit nos*, inquit Ioannes, *fiduciam* 1. *Io.* 3. 21

Iob 11. 14

habemus apud Deum, et quicquid petierimus, ab eo accipiemus. Quod ei, qui mentem impuram, & ſorde peccatorum contaminatam habet, dum ad Deum in oratione accedit, haud contingere poteſt, quia dum reminiſcitur, ſe à diuinis deflexiſſe mandatis, indignum ſe eius beneficijs arbitratur, cuius imperio ſubiectus eſſe recuſauit.

Prou. 28.9

B

Qui declinat, inquit Sapiens, *aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*. Quaſi dicat: quemadmodum peccator reluctatur audire Deum loquentem per legem, ita nec Deus viciſſim ipſum audiet in oratione petentem; ſed orationem eius execrabitur: nam ſicuti rex illum ſummoperè deteſtaretur, qui cùm in crimen, vt dicitur, læſæ maieſtatis incidiſſet, manus violentas in ipſum regis filium inijciendo, aliquod beneficium ab ſe depoſceret, dum adhuc manus ad cædem paratas haberet; ita qui apud Deum accedit, non dolens de culpa; ſed potius gaudens, manus adhuc ſanguine regio, Chriſti ſcilicet, quem ſuis peccatis cruci affixit, intinctas habens, illius oratio eſt Deo execrabilis, & ab eo reijcitur, & reprobatur. Quod ipſe Dominus innuere videtur, per Iſaiam dum ait:

Iſa. 1. 15

Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. & Ieremias perſonam peccatoris induens:

Thren. 3.8

Orationem peccatoris audire recuſat Deus.

Cum clamauero, & rogauero, inquit, *excluſit orationem meam: dum clamaui, & rogaui*, habet Hebræus: Chaldæus: *clauſa eſt domus orationis meæ*. vbi ſumit propheta metaphoram à principibus, qui ſupplices delinquentes Reipublicæ ſemper infenſos excludunt, obiectis oſtio & ſera; ſic, vt idem Ieremias docet, oppoſuit Deus nubem ſibi, ne tranſeat talium oratio:

Idem ibid. verſ. 44

ſunt enim peccata quaſi vapores ex praui cordis humo aſcendentes, quos impœnitens cor non tantum multiplicat; ſed etiam in nubem condenſat: ſunt quaſi ſepimentum, ſeu paries, quem inter ſe ac Deum ponit, ne Deus illius orationem exaudiat, eiuſque miſereatur: ſed quemadmodum nubes rapido ventorum flamine velociter moueri, ac fugari ſolẽt, ſic peccatorum nubes, & impedimenta ventus alius nullus dimouere poteſt, niſi pœnitentiæ ſuſpiria, & lacrymæ.

Cant. 4.6

Pœnitentia orationẽ præcedere debet

Quare meritò: *Vadam*, inquit in canticis ſponſa, *ad montem myrrhæ & ad collem thuris*: nam cum myrrha patientiæ ſymbolum fuerit, & thus orationis, per pœnitentiam tranſeundum docet ijs, qui peruenire ad domum orationis exoptant: nam ſicut Iacob, cùm iret Bethel ad immolandum, ſuis dixiſſe legimus:

Gen. 35.2

abijcite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt: ita nos priùs de medio cordis noſtri abijcere peccata debemus, quàm Bethel, hoc eſt, ad domum Dei, ad orationis ſacrificium immolandum aſcendamus, eoſq. imitari ſerpentes, qui vt tradit Auguſtinus, antequàm vadant ad fontem ad bibendum, euomunt omne venenum, nos quodam modo admonentes, vt omne peccatorum virus euomamus, ſi aquam viuam illius ſuperni fontis bibere, ac deguſtare velimus.

Aug. de ſalut. docum. c. 26. *tom.* 4

E

Sed quid? num ideò fortaſſe cum cæco illo euangelico dicimus, quia peccatores Deus non exaudit? Minimè verò: *adhuc enim tanquam inunctus, ſic locutus ille fuit*, inquit Auguſtinus: ſi enim peccatores Deus non exaudiret, fruſtra ille publicanus apud B. Lucam oculos in terram demittens, & pectus ſuum percutiens, dixiſſet: *Deus propitius eſto mihi peccatori*: fruſtra Eccleſia caneret: *Peccatores, te rogamus audi nos*: & in oratione Dominica incaſſum diceremus; *dimitte nobis debita noſtra*.

Aug. in Io. tract. 44

Deus orationes peccatorum pœnitẽtium exaudit

Luc. 18.13

Eccleſia in Litanyis.

Mat. 6.12

Mar. 9.37

Aug.

Beda.

Theophil.

Euthym.

F

Nonne viderunt diſcipuli, vt B. Ioannes apud B. Marcum teſtatur, quendam infidelem, vt Auguſtino, & Bedæ placet, ſeu ſaltem ambitioſum peccatorem, vt Theophilacto, & Euthymio, in nomine Chriſti dæmonia eijcientem? Nonne Dionyſius ille magnus Apoſtoli Pauli iuſſu, adhuc infidelis cæcum illuminauit? Non igitur quemcunque peccatorem dicimus à Deo non exaudiri; ſed execrabilem, & inualidam orationem illius peccatoris dicimus, qui in affectu peccati orat, peccatorem conſiderantes, in quantum peccator eſt, qui propterea nullam habere poteſt apud Deum fiduciam, de qua re pluribus agemus infra.

Peccatores quos non exaudiat Deus

inf. c. 6. *verſ.* 18

Quin & huiuſmodi peccatoris oratio, ſi fortè auditur, magis ex ira, & ex vindicta, quàm ex merito, & gratia audiri, teſtatur Auguſtinus, dum ait: *metuendum eſt, ne multa Deus, quòd poſſet non dare propitius, det iratus*.

Aug. trac. 73 *in Io.*

Talium orationes ſunt, quas ſacræ ſcripturæ, & Sancti Patres damnant. Sic Ambroſius: *Oratio*, inquit, *peccatoris graueſcit, & longè fit à Deo*. & Chryſoſtomus: *ſi quis*, inquit, *pedes tuos ſtercore ſordidatis manibus ſupplicando tangeret, non modò nõ exaudires; ſed etiam calcibus expelleres: quomodo igitur audes tu hoc modo Deum orare? nam qui orat, quaſi manu, lingua vtitur, quia genua Dei ſupplicando attingit*.

Ambroſ. ſer. 22. *in pſ.* 118

Chryſoſt. hom. 52. *in Matth.*

G

Huiuſmodi itaque orationes peccatorum nunquam Deus ex miſericordia exaudit; ſed aliquando ex ira, vt diximus, ſicuti nimirum exaudiuit petitionem Iudæorum, cùm petierunt carnes in deſerto, & iterum cum per Samuelẽ petierunt regem: conſtat enim vtrunq; petijſſe, & accepiſſe in illorum perniciem.

Peccatores ad eorũ perniciem Deus exaudit.

1. *Reg.* 8

Eodẽ modo videtur exaudire precationes aliquorum obſtinatorũ in peccatis, qui bona fortunæ petunt, & obtinent, cùm tamen Deus videat illis ea ceſſura propter ipſorum culpam in damnationem. Cæterum peccatores, qui non vt peccatores, & cum affectu peccandi petunt; ſed ex bono deſiderio naturæ (vt S. Thomas loquitur) non ex iuſtitia; quia peccator hoc non meretur, ſed ex pura miſericordia exauditur, quando ſcilicet pro ſe petit neceſſaria ad ſalutem piè, ac perſeueranter. Sic efflagitauit, & impetrauit publicanus: ſic petierunt Zachæus, Magdalena, latro, & cæteri omnes peccatores, qui miſe-

S. Tho. 2.2. *q.* 83. *ar.* 16

H

Luc. 18.13

ri-

Digitized by Google

ticordiam a Domino ſunt conſecuti.

Neque obſtat, quòd peccatores careant gratia: nam virtus orationis in impetrando propriè non innititur gratiæ hominis, ſicut virtus merendi; ſed miſericordiæ diuinæ, quæ vel maxime ad peccatores reſpicit, licèt ex iuſtitia nihil Deus illis debeat.

Qui igitur ad Dominum deprecaturus accedit, vt magna cum fiducia quod optat expoſcere valeat, in primis curare debet, quo modo cum Sara mundam ſeruet animã ſuam ab omni concupiſcentia: nam *iniquitatem ſi aſpexi in corde meo*, ait Dauid, *non exaudiet Dominus*.

Pſ. 65. 18

VERS. XVII.

Nunquam cum ludentibus miſcui me, neque cum ijs, qui in leuitate ambulant, participem me præbui.

1 *Ludere quid in ſacris literis.*
2 *Quid ambulare in leuitate.*

1 CVM *ludentibus*, Hugo Cardinalis per ludum choreas intelligit, *quas peccatum eſſe*, inquit, *manifeſtum eſt*. ſed non videntur hæc Saræ verba hoc vno tãtum ſenſu intelligenda, ſiquidem in ſacris literis habet ludere multas ſignificationes: nam aliquando ſignificat idololatrare, iuxta quem ſenſum in Exodo dicitur: *ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere*: quem locum B. Paulus interpretans ait; *neque idololatra efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt: ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere*. Aliquando occidere: quare in libris Regum Abner ad Ioab dixiſſe legimus: *ſurgant pueri, & ludant coram nobis*. hoc eſt, digladiando occidant ſe inuicem. *Et ſurgentes pueri Abner, & Ioab, apprehenſoque vnuſquiſque capite comparis ſui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt ſimul*: Aliquando perſequi, Sic vidit Sara vxor Abraham filium Agar Aegyptiæ *ludentem cum* Iſaac *filio ſuo*, hoc eſt perſequentem filium ſuum, quemadmodum is, qui *ſecundum carnem natus eſt*, inquit B. Paulus, de Iſmaële loquens, *perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum*. Et demum etiam aliquando alias habet ſignificationes, quas breuitatis cauſa prætereo. Itaq; hoc loco non choreas tantũ, aut idololatriã, aut aliquid aliud intellexiſſe Sarã dixerim: ſed omnem puellarem ludũ, & omne laſciuiæ genus: quale Beatiſſima Virgo Maria, vt Greg. refert, apparens Muſæ puellæ, ei mãdatum dedit, dum illi præcepit, vt leue nihil, & puellare ageret, & à riſu, iocisq́uè ſe abſtineret; cui obtemperans puella, in cũctis ſuis moribus mutata eſt, omnemque à ſe leuitatem puellaris vitæ magna grauitatis virtute deterſit. Iuxta hunc ſenſum dixit Ieremias: *Non ſedi in conſilio ludentium*: quem in locum B. Hieronymus, *vtinam*, ait, *Dominus præſtet nobis non ſedere in conſilio ludentium, & eorum, qui futura non cogitant*.

Exo. 32. 6
1. Cor. 10. 7
Ludere idem eſt, ac idola adorare.
2. Reg. 2. 14
Gen. 21. 9
Gal. 4. 29
Greg. li. 4. dialog. c. 17
Modeſtia à B. Virgine ſuadetur.
Ier. 15. 17
Ibiq. Hieron.

Neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui. Ambulare abſolutè idem eſt, ac operari: vndè *ambulare honeſtè ſicut in die*, eſt benè operari, vt Iſichius interpretatur. *Et ambulare ſine veſtimento* eſt carere bonis operibus, & in malis ambulare, vt interpretatur Gregorius. Quare hic ambulare in leuitate idem erit, ac operari ſine conſideratione, more ſtultorum: nam leuitatem Græci vocant ἐλαφρίαν, à ceruorum velocitate, quæ illis tribuitur; ſicut & aſtutia, ſeu prudentia ſerpenti, & ſimplicitas columbæ, & rapacitas lupo. Dicit igitur Sara, ſe nunquam cum ludentibus miſcuiſſe, neq; vnquam eorum operum participem ſe præbuiſſe, quæ à viris peccatoribus, & deprauatis in leuitate ſine conſideratione perpetrantur.

Iſich. in Leuitic. c. 20
Greg. 16. moral. c. 27

Quòd honeſtus ludus virtutis actus ſit, laudeque dignus, & de mundanorum ludis, & gaudijs vitandis.

DOCVMENTVM I.

LICET Sara, & alij plures ſanctiſſimi viri omnis ludi, puerilisq. laſciuiæ expertes fuerint; non tamen exiſtimandum eſt, ludum omnino vituperabilem eſſe: nam *Sapientem decet*, vt Auguſtinus loquitur, *interdum remittere aciem rebus agendis intentam*. Quod fit, ſicut S. Thomas docet, per ludicra verba, & facta: etenim ſicut homo ex parte corporis indiget aliqua quiete, & refocillatione ob eius finitam virtutem laboribus imparem; ita etiam ex parte animæ, cuius etiam eſt virtus finita, & determinatis operationibus reſpondens, nonunquam indiget aliqua refocillatione, & quiete; cùm enim viribus vtatur per organa corporea operãtibus, quotieſcunque extra modum ſuum in aliquas operationes ſe extendit, laborat, & ex hoc fatigatur. Quare ſicuti fatigatio corporalis per animæ quietem ſoluitur; ita per eandem ſoluitur fatigatio animalis, quæ animæ quies nihil eſt aliud, niſi delectatio, ex ſolatio alicuius honeſtioris ludi oriens, vt idem S. Thomas docet: ideò talis ludus, qui εὐτραπελία, à Philoſopho dicitur, inter virtutes morales numeratur.

A
Aug. li. 2. de muſic. c. vlt. in fin.
S. Tho. 2. 2. q. 168. ar. 2
B
S Tho. 2. 2. q. 168. ar. 2
Ariſtot. 4. Ethic. c. 8

Hinc viros graues nõnunquam relaxandi, recreandique animi gratia, ad ludicros etiam

Aelian. li. 12. de var. hiſt.

Caſſian. coll. 24. c. 20. & 21

Recreatio honeſta animo neceſſaria.

cum pueris ad luſus, & iocos deſcendiſſe legimus. Aelianus tale quid narrat de Hercule, de Ageſilao, & alijs: *ſæpè enim accidit*, inquit Caſſianus, *non dicam nouitijs, & infirmis; ſed etiam experientiſſimis, & perfectis, vt niſi mentis eorum directio, atque cenſura quibuſdam mollita fuerit viciſſitudinum laxamentis in teporem ſpiritus, aut certè in pernicioſam corporis valetudinem collabatur*. Proponit

C

deinde magnus hic vir ad hanc doctrinam corroborandum exemplum S. Ioannis Euangeliſtæ, quòd hic intexere non grauabor. *Fertur*, inquit, *Beatiſſimus Ioannes Euangeliſta cum perdicem manibus molliter demulceret, quendam ad ſe habitu venatorio venientem conſpexiſſe, qui miratus, quòd vir tantæ opinionis, & famæ ad tam parua, & humilia ſe oblectamenta ſubmitteret: Tu ne es, inquit, ille Ioannes, cuius fama inſignis, ac celeberrima me quoque ſummo deſiderio pia agnitionis allexit? cur ergo oblectamentis tam vilibus occuparis? Cui B. Ioannes: Quid eſt, inquit, quòd manu tua geſtas? & ille: arcus: & cur eum, ait, non tenſum ſemper vbiq. circunfers? Cui*

D

ille reſpondit: non oportet, ne iugi curuamine rigoris fortitudo laxata molleſcat, atque depereat, & cum oportuerit, vt fortiora in aliquam feram ſpicula dirigantur, rigore iam per nimietatem continuæ tenſionis amiſſo, violentior ictus non poſſit emitti: nec noſtri, inquit B. Ioannes, animi te offendat, ò iuuenis, tam parua hæc breuiſque laxatio, quæ niſi remiſſione quadam rigorem intentionis ſuæ interdum releuet, ac relaxet, irremiſſo virore lenteſcens virtuti ſpiritus, cùm neceſſitas poſcet, obſecundare non poterit. Atque huius rei exẽpla in aliorum etiam ſanctorum hiſtorijs non pauca leguntur, nimirum de ſancta Eliſabeth Vngariæ Regina, quòd non ſemel modeſtè luſerit, & conuiuijs interfuerit: de Beato Ignatio Loyola, quòd oblatam ludendi occaſionem, aliquando acceptauerit, & de alijs quamplurimis. Sanè Beatus Philippus Nerius meæ Congregationis inſtitutor, planè diuinus, vt à primis eius diſcipulis fidiſſima relatione percepi, tanta comitate cum ſuis agere conſueuerat, vt non infrequenter etiam animi recreandi gratia cum illis ludos honeſtos ſumeret: quod omnes ſine aliqua ſuæ ipſorum deuotionis iactura faciebant, quæ tam altas in ipſis radices egerat, vt ſicut rupes circa lacum Riettę, nunquam, licèt duriſſimis fluctibus alliſæ, rumpuntur; ita nec illa rumpi poſſet, vel in minimo lædi. Etenim vt meritò quidam poëta cecinit.

Sur. in vit. S. Eliſabeth, to. 6

Ribadeneira in vit. B. Ignatij.

B. Philippi Nerii mira comitas.

E

Horat. lib. 2 carm. od. 10

Neque ſemper arcum
tendit Apollo.

Non itaque vituperabilis eſt ludus, ſed ludi exceſſus: neque noſtra Sara, Ieremias, & cæteri Sancti, dum in conſilio ludentium non ſediſſe, neque ſe miſcuiſſe dicunt, ludos propterea omnes vituperaſſe cenſendi ſunt; ſed ſcurriles, illiberales, immodeſtos, ac inhoneſtos, quales exercere ſolebant in curijs mimi, hiſtriones, ſcurræ, & aſſentatores: quibus non modò non confortatur animus in ſpeculabilibus, & agibilibus; ſed magis diſtrahitur, & reuocatur ad corporalia delectabilia: & concupiſcentia per eos ſuper vires intellectuales confirmatur. Accedit, quòd gaudium ex hiſce ludis proueniens peregrinum eſt, inſtabile, & celerrimè tranſiens: nam *gaudium hypocritæ*, ait Iob, *ad inſtar puncti*: quod explicans Gregorius: *In puncto*, inquit, *mox vt ponitur ſtylus, leuatur, nec mora vlla agitur, vt per exprimendam lineam trahatur; ſic hypocrita præſentis vitæ gaudia cum tangit, amittit*. Quam exiguitatem, inſtabilitatem, & momentaneam lætitiæ voluptatem improbis precatur Dauid dicens: *Deus meus, pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti*: hoc eſt, non ſit magna, & ampla eorum felicitas; ſed exigua, & modica, inſtar illius puncti, in quo rota, vel circulus, vel res alia rotunda tangit planum: ſimulq. effice, vt inſtar rotæ, quæ volubilis eſt, nequaquam quieſcere vel in puncto proſperitatis valeant; ſed potius velociſſimo dexteræ tuæ impetu à ſublimi gradu ipſius ad infimum miſeriarum locum præcipites deuoluantur: Et, ſicut ſtipula vento agitata, nullibi valet conſiſtere, ſed ſemper diſpergitur, ac diſſipatur; ſic ipſa in nulla huius mundi proſperitate vnquam permaneant, ſed flante te Deo, ſemper diffluant, diſpergantur, & pereant; quòd ſint hæc mundi delectamenta mulieri illi Apocalypſis, matri fornicationum, & abominationum terræ Babylon dicta ſimilia, quæ circundata licèt ipſa eſſet purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, poculum tamen aureum, quod in manu ſua habebat, plenum erat abominatione, & ira Dei; ſic ſcurriles, & profanæ huius mundi delitiæ, & ludi externam licet pompam habeant, & quietem promittant; poculum tamen porrigunt, aureum illud quidem, ſed plenum abominatione, & immunditia, calicem nimirum indignationis, & iræ Dei.

Alearum, & taxillorum ludi omnib. ſed maximè clericis vetiti.

F

Iob 20. 5

Greg. in Iob li. 11. c. 2

Pſ. 82. 14

Apoc. 17. 4

H

Mundanas conſolationes ira Dei inſequitur.

Hinc meritò Sapiens: *Ne intuearis*, inquit, *vinum, quando ſplendeſcit in vitro color eius: ingreditur enim blandè, & in nouiſſimo mordebit, vt coluber, & ſicut regulus, venena diffundet*, Ideſt, ne reſpicias apparentem tantùm harum illecebrarum mundi quietem; ſed magis vinum in calice abſconditum venenum conſidera.

Sanè, vt optimè Seneca admonuit: *nihil tã neceſſarium, quàm pretium imponere rebus.* nam ſicut ille, qui apud tabernam omnia, quæ ſibi apponuntur, comedit, nec de pretio interrogat, valorem deinde rerum in fine prandij à tabernario percipiens deceptum ſe valdè putat; ita qui delectabilia ſibi à mundo appoſita comedit, nec illorum valorem conſiderat, in fine cœnæ poſt patratam criminum delectationem, quale venenum biberit, di-

Seneca.

Pretiũ rebus imponendum antequam comedantur.

gnoſcet, quando fortè iam pœnitere amplius non valebit.

Quare ante delectationem, ante inhoneſtam voluptatem, quanti tale quid ematur, diligenter quiſque interrogare debet: nam certè tanti (ſicut Demoſthenes illi mulieri impudicæ dixit) *pœnitere non emet*; ſed potiùs cum Sara omnes inhoneſtos fugiet mundi ludos, honeſtis contentus, qui virtutem, & non vitium ſapiant, quiſque breuiores ſint, & ferè momentanei: (nam, vt ipſe Cicero Ethnicus ait: *Ludo, & ioco vti quidem licet, ſed ſicut ſomno, & quietibus cæteris*. Et Philoſophus: *parum delectationis ſufficit ad vitam, ſicut parum ſalis ſufficit ad condimentum cibi*.) æternas illas, & ſolidas delectationes acquirere contendens, de quibus ſcriptum eſt: *Delectationes in dextera tua, vſque in finem*. &: *ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te*.

Ludū, vt licitus ſit, breuē eſſe oportet.
Lib. 1. Offic. ad princip.
Ariſt. 4. Ethi. c.2. & 3
I.
Pſ.15. 11 & pſ.86.7

Quòd difficillimum ſit inter improbos innocentiæ retinere candorem. Et quòd mali faciliùs peruertant bonos, quam boni malos conuertant.

DOCVMENTVM II.

A
Sap.c.1. verſ. 5. in Docum.

SED illud in noſtra Sara eſt maxima admiratione dignum, quod etiam de ſancto Tobia ſupra meminimus, ab omni illam leuitate vixiſſe alienam inter leuiſſimos homines: cùm ſicut Cyprianus ait: *omnino rarum, & difficilè ſit fieri bonum, & facilè admodum, pronum eſſe ad malum, cùm hac ſine magiſtro, ſine exemplo doctrina ſtatim à pubeſcentibus annis imbuamur, & doceamur*. nam ſicut terra ſponte ſua ſine vllo cultu ſpinas, & tribulos germinat, vberes autem meſſes, frugiferasq. arbores non ſine diligenti cultu, & labore; ſic terra mentis noſtræ ſine doctore, ſine arte, vitiorum ſpinas producit, virtutis autem fructus non ſine magno ſtudio, ac labore.

Cyprian. ſer. de Natiuit. Domini.
Homo pronus ad malum.
Similium congeries.

B

Difficilè enim valdè eſt ſuſtinere ædificium, cuius parietes à debita rectitudine defecerunt, & facillimum contra eſt illud ad terram proſternere. Defecit proculdubio ædificium naturæ noſtræ per peccatum à rectitudine iuſtitiæ originalis, & ad malum propenſius multò deflexit: quare mirandum meritò eſt, quomodo huius infirmæ naturæ particeps Sara inter tot iniquorum hominum irritamenta, ſolida, & firma permaneret, ita vt illos virtute ſua potiùs confunderet, quàm ipſi eam vel tantillum à ſua rectitudine dimouerent; cùm maximè non minus difficilè ſit homini ad malum propenſo, boni naturam induere, quàm humidiori materiæ ignem.

Quamquam illud intereſt, quòd humida materia à natura habet, vt ignem, qui natura ſua calidus eſt, & ſiccus, tanquam ſibi aduerſantem refugiat; homo verò non ab ipſa naturæ ſuæ conditione habet, vt virtutem ægrè accipiat, ſed à peccato, naturam hominis deprauante, quæ illum adeò procliuem ad malum reddit, & adeò præcipitāter ad malum trahit, vt nihil iam ſit illi facilius, quàm malum facere; nihil difficilius, quàm amplexari virtutem: vnde ſicut melli vel perexiguum abſynthium amaritiem facilè communicat, contra verò mel ne multis quidem partibus excedens, dulcedinem ſuam abſynthio impertitur: & ſicut paruus lapis aggerum ſubductus totum in pronum trahit flumen; contra verò firmiſſima etiam moles, & munitio impetum fluminis in pronum ruentis vix reprimere poteſt, ita modica quacunq; peccati occaſione à bono quiſque recedit, nec multæ valent occaſiones boni vel vnum ab aliquo malo reuocare.

Tanta in homine procliuitas ad malum, vnde ſit.

D

Huius rei exemplum fuit Salomon ſapientiſſimus regum Iſrael, qui mulieribus alienigenis, & idololatris ſe coniungens, non illas ipſe conuertit; ſed magis ab illis ita peruerſus ipſe fuit, vt templa idolis ipſarum conſtruxerit. Sed quid Salomonem commemoro? Petrus Apoſtolorum princeps, qui inter Chriſti diſcipulos conuerſatus, ipſum Chriſtum verum Dei filium, inter falſas, variaſq. Hebræorū de illo opiniones agnouerat, & confeſſus fuerat; paulò poſt aulam Caiphæ ingreſſus, ad vnius ancillulæ vocem diſertè pronunciauit, quia non nouiſſet hominem: & qui dixerat: *tecum paratus ſum in carcerem, & in mortem ire: Et, ſi omnes ſcandalizati fuerint, ego nunquam ſcandalizabor*, illum ſe ignorare fatetur; & qui vnica vocatione ſimul cum fratre de nauicula ad Chriſti ſequelam vocatus venerat, & qui Chriſti gloriam intuens in monte Thabor dixerat: *bonum eſt nos hic eſſe*, qui Chriſto dixerat: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*; ſe Chriſtum ignorare dicit, & quidem ea maximè cauſa, quia inter iniquos habitabat. O infelicem habitationē! blaſphemant Iudæi Chriſtum, illumq. percutiunt, & Petrus inter illos poſitos, quaſi vnus ex illis, anathematizans iurat, *quia non noui hominem*.

Societas mala hominem à veritate facillimè abducit.
Luc.22.33
Matt.26 38
Matt.4
Mat.15.4
Io.6.69
E

Quis igitur ſtare inter iniquos audeat, ſi Salomonem, ſi Petrum cadentem inter illos conſiderat? Sed quanto in periculo verſentur, qui cum malis commorātur, licet ſancti ſint, mirum in modum ipſe Dominus per Aggæum deſcripſit, quando anno Darij ſecundo factum eſt verbum Domini ad Aggæum Prophetam dicens: *Hæc dicit Dominus exercituum: interroga Sacerdotes, legē dicens: Si tulerit homo carnem ſanctificatam*, eam

Matth.26 72
Aggæi 2 13

ſcilicet, quæ in ſacrificijs ſacrificabatur, *in ora veſtimenti ſui, & tetigerit de ſummita-*
F *te eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, nunquid ſanctificabitur?* ſubaudi totum id, quod tetigit veſtimenti ſumnitas. *at reſpondentes ſacerdotes dixerunt: Non. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnib. ijs, non ne contaminabitur? & dixerunt, contaminabitur*, ſubaudi quicquid is tetigerit, cuius animus contaminatus eſt. Mira res. ſanctificata veſtis (nā ſancta veſtis illa erat, in qua ſanctificatū ſacrificiū recipiebatur, vt in Leuitico habetur) cibum ex ſuo contactu
Leuit. 6 ſanctificare nequit, & pollutus in anima, & cōtactu hominis mortui immūdus (eſt enim pollui in anima pollui in homine: anima enim hic pro homine per ſynecdochen ponitur, vt etiam in libris numerorum, vbi
Num. 9. 6 dicitur: *Ecce quidam immundi ſuper ani-*
G *mam hominis*, &c.) omnem cibum polluit: Poteſt res polluta, quod ſanctificata non poteſt: polluit illa, quæ tangit, non valet iſta quicquam ſuo contactu ſanctificare.

Quòd cum ſciret Dauid, duriſſimam ſimul, & iniuſtiſſimam perſecutionem à Saule rege aliquando perpeſſus, hæc illi habuit: *Si*
1. Reg. 26 *Dominus incitat te aduerſum me, odoretur*
19 *ſacrificium*, hoc eſt, hoſtiā libenter me ipsū placabilem offero: *Si autem filij hominum*, hoc eſt, non Deus, ſed homines te contra me mouent, *maledicti ſunt*, hoc eſt, illis maledicet Deus: *eiecerunt me hodie, vt non habitem in conſpectu Domini, & dixerunt: vade, ſerui Dijs alienis*. Nam dum è terra Dei, & fidelium conſortio me ad gentes cōfugere cogūt, inter quas tāta eſt idololatriæ
H occaſio, vt ad illas aliquem mittere idem ſit, ac illi infidelitatem ſuadere, quodammodo dicunt, & hortantur, vt vadam, & dijs alienis ſeruiam. Quibus verbis planè oſtendit, quàm facilè ſit, hominem etiam iuſtum, ac pium impiorum conſortio deprauari, eorumq. ſimilem fieri. Vnde meritò Diodo-
Diodorus lib. 12 rus ait: *De ſceleratorum familiaritate, atque conſortio ſcriptum accepimus, quem ſocijs flagitioſis delectari conſpexerim, eum qualis ſit, haud percunctari perrexerim, cum eum ſodalibus eſſe ſimilem minimè dubitarim*. Quare Theognis:

. . . . . Κακοῖσι δὲ μὴ προσομίλει
Ἐσθλῶν μετὰ γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι, ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇς, ἀπολεῖς ϗ τὸν ἐόντα νόον.
. . . . *Ne te coniungito prauis,*
Sed coniunge bonis, & ab his bona plurima diſces,
I *Cum prauis viuens, tu quoque prauus eris.*

Et vulgaris eſt noſtrorum parœmia:
Dimmi con chi conuerſi,
Sup. in decum. c. 1. verſ. 5 *E ti dirò chi ſei.*

Sed plura de hac re ſupra.

VERS. XVIII.

Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere.

VERS. XIX.

Et aut ego indigna fui illis, aut illi forſan me non fuerunt digni, quia forſan viro alij conſeruaſti me.

VERS. XX.

Non eſt enim in hominis poteſtate conſilium tuum.

1 *Matrimonium qua mente contrahendū.*
2 *Priores Saræ viri cur à dæmone occiſi.*
3 *Conſilium idem, atque arcanum, ſiue ſecretum.*

1 VIRVM *autem*, Nullo libidinis æſtu incitata, aut aliquo prauæ concupiſcentiæ motu in matrimonium ſe accepiſſe declarat Sara; ſed ob amorem prolis, neue ſterilitatem ſibi, totiq. populo Iudæorum inuiſam incurreret: erat enim Iſraëlitarum genti ſobolis propagatio feliciſſima, vt ſu- Sup. c. 3. verſ. 11. 2
pra narrauimus: vnicuique enim ſua inerat cupiditas iuuandi pro virili promiſſi illius Abraham facti: *Multiplicabo ſemen tuum* Gen. 22. 17
ſuper ſtellas cæli. & contra, infeliciſſimum, immò maledictum, & peccatum ſibi putabant nullius ſobolis procreationem.

Cum timore tuo, inquit Sara, hoc eſt, timens tuam offenſam, ſi aliter facerem, &
2 *Non cum libidine mea*, Aut aliqua mea inordinata concupiſcentia. Cur tamen permiſerit Deus ſuos viros interfici, ſe neſcire fatetur, vnde ſubiecit,

Aut ego indigna fui illis, &c. Nam mul- VERS. XIX.
tis de cauſis id potuit accidere: quia nimirum, vel ipſa illis indigna fui, vel quia illi me non fuerunt digni. Etenim licèt optimè perſpectam haberet Sara ſuorum coniugum indignitatem, quippè quæ nouerat illos, vt infra Angelus teſtatur, coniugium Inf. c. 6. verſ. 17
ita ſuſcepiſſe, vt Deum à ſe, & à ſua mente excluſerint, ſuæ tantummodo libidini vacantes; tamen ipſorum tentationi compaſſa, illos non auſa eſt condemnare; ſed *forſan*, inquit, *me non fuerunt digni*, non ſua ipſorum culpa; ſed (Salaces ſuos priores viros non auſa eſt Sara temere iudicare.)

Quia forſan viro alij conſeruaſti me, Nihil temere ſtatuendum indicans; ſed omnia diuino conſilio relinquenda eſſe, vnde ſubdit:

3 *Non eſt enim in hominis poteſtate* VERS. XX
conſilium tuum. Conſilium, ſecretum,

& ar-

& arcanum eadem voce Hebræi ſigni-
cant סוד, eò quòd in conſilijs arcana tra-
ctentur, & conſilia non niſi ſecretò ſumma
Conſilium idem, quod arcanum, & ſecretum. fidelitate capi, & ſeruari debeant: Sic vo-
cat Sarà Dei conſilium res illas, ſiue vniuer-
sè, ſiue ſingillatim ſumptas, quæ ſub actio-
nem noſtram minimè veniunt, vt eſt ratio
eorum, quæ à Deo fiunt: nam vt Sapiens
Eccleſ. 8. 4 ait: *Sermo illius*, hoc eſt *Dei*, *poteſtate*
plenus eſt, nec dicere ei quiſpiam poteſt: qua-
re ita facis? & in ſpecie rationem, qua
permotus Deus, permiſit cõiuges viros ſuos
è medio tam repente tolli.

Quòd virorum iuſtorum ſit exemplo Saræ, & Chriſti, aliorum culpas non temerè iudicare.

DOCVMENTVM I.

A DISCE cum Sara neminem
temerè iudicare, ſed potiùs
proximorum excuſare caſus,
& imbecillitates, Chriſtum
etiam Dominum imitans, qui
licèt à patre eſſet conſtitutus
iudex viuorum, & mortuorum; non tamen,
Io. 3. 17 vt de illo dicit Beatus Ioannes, venit in
mundum, vt iudicaret mundum; *ſed vt ſal-*
Chriſtus nõ iudicabat peccãtes, ſed potius excuſabat. *uaretur mundus per ipſum*. Idcircò cùm
in terris eſſet, non iudicandi munus obi-
uit; ſed excuſandi, quoad potuit, peccato-
res, quo pacto mulierem in adulterio de-
Matt. 26 41 prehenſam ab iniquorum accuſatione eri-
puit, à lapidibus liberauit, & ſuauiſſimis
Errata fratrũ quoad poſſumus excuſare debemus. verbis in ſpem obtinendæ veniæ erexit:
ſimiliter torporem diſcipulorum in horto
dormientium, poſtquàm illos ad orationem
fuerat hortatus, benigniſſimè excuſauit, di-
cens: *Spiritus quidem promptus eſt, caro*
autem infirma, & cum poſt paululum iam
nullus relictus eſſet locus ad illorum oſci-
tantiam excuſandam, demiſſa voce illos cor-
B ripuit, dicens? *Dormite iam, & requieſci-*
Marc. 14 41 *te, &c.* & tandem ipſum ſuorum crucifi-
xorum facinus execrandum excuſatione
ignorantiæ leniuit, ſic patrem ſuum orans:
Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid
faciunt. Quæ Chriſti Domini exempla va-
rijs modis legimus imitatos eſſe omnes ſan
ctos, & in ſpecie quendam Anachoretam,
Doroth. doctr. 6 qui, vt narrat Dorotheus, vt cognouit fra-
tris ſui lapſum, cùm non haberet, vnde il-
lum excuſaret, ſe ipſum reprehendens ait.
Hei mihi, quia ille hodie, cras ego.
Sanè, qui aliena peccata facilè incuſant,
Io. Eniratus in prat. ſpir. c. 134 ſe ipſos, ignorare ſancti Patres docent. Sic
ſenex quidam, vt eſt in Prato ſpirituali à fra
Iudicans aliũ ſe ipſũ ignorat. tre rogatus quid cauſæ eſſet, cur aſſiduè iu-
dicaret fratres: reſpondit, quia nec dum
te ipſum cognouiſti: nam qui ſe ipſum no-
uit, fratrum vitia non aſpicit: Et Abbas C *In vit. PP. li. quod nõ oporteat iudicare quemquam.*
Moyſes, vt eſt in vitis Patrum, aliquando
accerſitus, vt ſententiam in fratrem lapſum
diceret, acceſſit ſacco arena pleno onuſtus, *Bern. ſer. 40 in Cantic.*
rogatusq́. quid portaret, reſpondit, pecca-
ta ſua, quæ quoniam vix ferre valeret, mul-
tò minus aliena iudicare poſſet. Quare
optimè Bernardus admonet, dicens: *Caue*
alienæ conuerſationis eſſe aut curioſus ex-
plorator, aut temerarius iudex, etiam ſi
perperam actum quid deprehendas, nec ſic
iudices proximum, magis autem excuſa:
excuſa intentionem, ſi opus non potes, pu-
ta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta
caſum, quòd ſi omnem omnino diſſimula-
tionem rei certitudo recuſat, ſuade nihilo-
minus ipſe tibi, & dicito apud temetipſum; D
vehemens nimis fuit tentatio, quid in me
feciſſet, ſi in me illa accepiſſet ſimiliter po-
teſtatem? Meritò itaque Dauid Dominum
deprecabatur, vt ſecundum iudicium iuſto- *Pſ.* 118 132
rum illum iudicaret, dicens; *Aſpice in me,*
& miſerere mei ſecundum iudicium dili-
gentium nomen tuum; quod noſceret, ſan-
ctos viros Deum diligentes, ſolere proxi-
morum ſuorum culpas miſericorditer ex-
cuſare.

Quòd rationem eorum, quæ à Deo fiunt, inueſtigare temerè mens humana non debeat.

DOCVMENTVM II.

CVM ſicuti Sara docet, con- A
ſilium Dei cognoſci omni-
no nequeat, fruſtra mens *1. Timot.* 6 16
humana eorum, quæ à Deo
fiunt, rationem inueſtigare *Pſ.* 17. 12
contendit: nam ſi inhabi-
tare Deum *inacceſſibilem lucem*, & tenebras
pro latibulo habere, & abſconditum eſſe ſa-
cræ literæ docent, quonam modo abſcondi-
ti Dei conſilium audeat humanus animus *Iſaia* 43 15
perſcrutari? Certè Deum ſuper Cherubim
ſtare, aut etiam ſedere, idcirco toties ſa- *1. Reg.* 4
cræ Scripturæ tradunt, vt ſignificent ſuper-
eminenti ipſius maieſtati etiam Angelo- *4. Reg.* 19
rum mentes intelligentiæ luce pleniſſimas *Pſ.* 17. 11
ita ſubeſſe, vt ad illius altiſſima iudicia,
atque conſilia intuenda, ſeſe attollere nec
per ſe ipſæ poſſint, nec temerè ſubnitantur.
Quin etiam apud Iſaiam idcirco Seraphim *Iſa.* 6. 2
ſuis pennis, & alis faciem Dei velare dicun-
tur, vt oſtendatur etiam ſummorum Ange- B
lorum ſubtilitatem per eorum pennas ſigni-
ficatam, non modo non audere palam face-
re, & perſcrutari, ſed operire magis velle,
& obumbrare diuina conſilia. Itaque dili-
genter obſeruanda ſunt illa verba diuini
ſponſi in Canticis canticorum, dicentis: *Cant.* 6. 4

Auer-

Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt: quaſi eò amplius Deus exaltetur, ne proſpiciatur à nobis, quò propiùs illum præſumimus intueri; ad eum modum, quo cælum, & aſtra tunc magis à noſtris obtutibus elongari videntur, quando eminentiora cacumina montium, turriumq. conſcendimus: nam, vt Dauid loquitur: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, Ideſt; aſcendet homo per ſuperbię gradũ, eleuataſq. auſcultationes de Deo, & tunc Deus altiùs aſſurget. Quòd quidẽ ſcito illo reſpõſo Simonidis cõfirmatũ eſt, qui, vt Tullius refert, cũ eſſet inſignis philoſophus, & fuiſſet ab Hyerone Tyranno requiſitus diſtinctè, quis nam Deus eſſet, vnius diei curſum ad illud perquirendum quæſiuit: ſequenti verò die biduum, & demum tertia die triduum: & ſic in dies dierũ numerum duplicauit, & duplicatas ſemper inducias repopoſcit, quia, vt ipſe tandem tyranno reſpondit: *quanto rẽ preſſius diutiuſque conſidero, eò difficiliorem inuenio*. Quòd ſi hæc de Deo, quid de ipſius arcanis Dei dixiſſet? Sed mira res. Licèt animalis homo, vt B. Paulus loquitur, non percipiat, quæ ſunt ſpiritus Dei, & ſit *Deus noſter magnus, & vincens ſcientiam noſtram*, vt Iob dixit, *mirabiliſque facta ſit ſcientia illius ex nobis*, vt Pſaltes ait, hoc eſt, vt Chryſoſtomus interpretatur, *mirum in modum excedat captum noſtrum ratio eorum, quæ ipſe facit*, & tandem, vt Sara loquitur, *non ſit in hominis poteſtate conſilium ſuum*: non defuere tamen viri (quis crederet?) qui ſuperioribus elapſis ſeculis, auſi ſunt, illa ſcientia pleni, quam B. Paulus dicit eſſe ſtultitiam apud Deum, diuina diuinare conſilia, & cauſam eorum, quæ videbant ipſi fieri, aſſignare velle, quod cùm tandem percipere non poſſent, auſu temerario dixerunt, nullam eſſe in rebus diuinam prouidentiam. Horum vnus, teſte Lactantio, fuit Pythagoras, qui temporibus Socratis vixit, & ob id ab Athenienſibus exilio mulctatus eſt, eiusque volumina igne combuſta. Poſt illum, eiuſdem impiæ, & temerariæ opinionis, & iudicij plerique fuere, Democrates Abderita, Epicurus; Theodorus, Cirenens, Diagoras, & alij: qui adeò in hac impietate excelluit, vt meruerit appellari ἄθεος, hoc eſt, *ſine Deo*. Hunc quaſi præuidiſſet Dauid, inſipientem vocauit, dicens: *Dixit inſipiens in corde ſuo, nõ eſt Deus*, & quàm abominabilis futurus eſſet ipſe, quique ipſius ſequerentur inſanias, poſtea declarans ſubdit: *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt*. Ne igitur in horum inſipientem fatuitatem incidamus, ſuis nos verbis monuit Sara, dum dixit: *Non eſt enim in hominis poteſtate conſiliũ tuum*: ſic enim ediſcet homo humiliare ſe ipſum, nec plus ſapere velle, quàm oporteat ſapere.

Sed iam videamus quæ pro comperto habeant Sancti viri de Deo, quidque de illo liberè pronuntient.

Deus eſt inſcrutabilis hominibus, & Angelis.

Pſ. 63. 7

C

Cic. de nat. Deorum.

1. Cor. 2 14

D

Iob 36. 26

Pſ. 138. 6 Chryſoſt. ibi.

1. Cor. 1. 20 25

Lactan. de ira Dei c. 9

Prouidentiã temere qui negarunt philoſophi.

E

ἄθεος idem, ac ſine Deo.

Pſ. 13. 1

Ibid verſ. 1

VERS. XXI.

Hoc autem pro certò habet omnis, qui te colit, quòd vita eius, ſi in probatione fuerit, coronabitur, ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur, & ſi in correptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit.

1 *Certitudo triplex, euidentiæ, fidei, & probabilitatis.*
2 *Probati qui coronantur victores.*
3 *Quam libertatem afferant tribulationes.*

ILLVD omnibus, qui Deum reuerentur, & colunt, fide certum, hic Sara docet, quod tanta ſit Dei bonitas, vt non niſi ex miſericordia bonis viris acerba immittat, nimirum vt vel illos probatione coronet, vel tentatione liberet, vel tandem correptione à pœnis, eorum peccatis debitis purget.

1 *Hoc autem pro certo habet omnis, qui colit te*. Certitudo triplex, euidentiæ, fidei, & probabilitatis; prima certitudo innititur ſenſibus, ſecunda ſacræ ſcripturæ, tertia probabilibus coniecturis, multorum narrationi, & viris maximæ auctoritatis. Loquitur hic Sara de certitudine fidei, qua maxime viris iuſtis, & ſacræ ſcripturæ perueſtigationibus hæc nota fiunt; quæ cum non rationi humanæ, vel veritati diuinæ innitatur, omni eſt alia certitudine certior. Certiſſimum igitur eſt viris iuſtis, qui Deum venerantur, & colunt, quique ſacræ ſcripturæ ab ipſo Deo reuelatæ credunt, inquit Sara,

2 *Quòd vita eius, ſi in probatione fuerit, coronabitur*, Quod etiam B. Iacobus docuit, dum ait: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronã vitæ*. Accipit Sara metaphoram à certaminibus, quibus fortiter peractis, athletæ victores in ſignum gloriæ, & virtutis coronis donabantur, aut obſidionalibus, aut ciuicis, aut muralibus, aut caſtrenſibus, ijſque contextis vel ex lauro, vel quercu, vel ex argento conflatis: ſic docens, iuſtis pro virtute certantibus, à ſummo Imperatore certiſſimam poſt probationẽ deberi coronam: poſt probationẽ, ait, quòd coronã nemini tribuat Deus, niſi ei, quem prius, tanquam aurum in fornace probatum, dignum ſe inueniat.

3 *Si autẽ in tribulatione fuerit, liberabitur*, Non quidem ab ipſa tribulatione, ſed vel à ſeruitute peccati: nam *Qui facit peccatum*, ait Ioannes, *Seruus eſt peccati*, nimirum, à varijs ipſorum peccatorũ occaſionibus, quas bona corporis valetudo, pulchritudo, rerum

Certitudo triplex, euidentię, fidei, & probabilitatis.

Iac. 1. 12

Probati qui coronam accipient, ſunt victores.

Liberant tribulationes anſis peccati & ab huius mundi miſeriis.

af-

affluentia, & ſecura quædam quies afferunt, vel ab alijs huius mundi malis, à quibus tandem vir colens Deum, liber ad æterna bona poſt mortem auolat, quod optabat non modicè B. Paulus. Vndè dicebat: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Rom. 7. 24

Et ſi in correptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit. Corripit enim Deus, vt ſuprà ſatis abundè diſſeruimus, omnem filium, quem recipit.

Sup. hoc eod. c. verſ. 13. docum. 2

Quòd neminem coronet Deus, in tentationibus non probatum.

DOCVMENTVM I.

PROBATOS coronare Deum docet Sara, quòd non ſint illi Deo, Deiq. conſpectu digni, qui non ſunt probati, nec ſunt probati, qui non tentantur. Sic probatur in prælio miles, in tempeſtate nauta, in tentatione vir iuſtus. nam, & vnde queſo quis ſcire poteſt, quanto erga paupertatẽ amore ſit præditus, ſi ſemper diuitijs affluat? quantã aduerſus ignominiã, & infamiã, conſtantiæ virtutẽ habeat, ſi inter applauſus perpetuos ſine vlla offenſione conſeneſcat? quàm æquo animo laturus ſit orbitatem, qui ſe orbatum non videat? *Nemo*, inquit Gregorius, *vires ſuas in pace cognoſcit: ſi enim bella deſunt, virtutis experimenta non prodeunt: improuidus miles eſt, qui fortem ſe in pace gloriatur.* Sic, vt Origenes ait. *Qui mercimoniã lapidum exercent, cùm voluerint probare adamantem, ignorant, vtrum ſit adamas vel non, quandiu malleum, & incudinem non inuenerint.* Tunc enim cognoſcunt verum eſſe Indicum adamantem, quandiu inter malleum, & incudinem perſeuerat: ſic etiam tunc cognoſcitur in fornace vas figuli, quod in eam iniectum non frangitur: ſumus nos Dei figmentum, ſumus eius gratiſſima merces, vt nos prober, opus eſt: probat tamen non ſibi, vt Gaudentius Brixianus ait: *qui antè vniuerſa quàm fiant cognouit, ſed Angelis, & hominibus, vt eos, quos probat, ex factis probos nouerint, quoniã coſcĕtias intueri nõ poſſunt. Angelis quidẽ iuſtos probari vult, vt conſummatã ſanctorũ iuſtitiã lætantes agnoſcant, hominibus, vt ad perſeuerantiã dilectionis Dei eorum prouocentur exemplo: diabolo etiam probatam vult ingerere ſanctorum iuſtitiam, vt bonorum operum meritis, debitè ad amicitiam Dei, & ad regnum cæli, vnde ipſe cecidit, eſſe perfectos ingemiſcat, nec tamen audeat quicquam de diuino iudicio cauſſari.* Hæc Gaudentius. Benè itaq; S. Iacobus: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Neque enim, vt in Exodo habetur, Deus in

Greg. in Iob 33. in illa verba. Tabeſcet caro illius.
Orig. hom. 3 in Ioan.
B
Virtus non niſi probatione cognoſcitur.
Gaudentius Brixianus in præfat. tractatuum floruit tempore Diui Ambroſij.
Probat iuſtos cur Deus velit.
C
Iac. 1. 12
Exod. 40. 27

priore parte tabernaculi manna collocari iuſſit, & in vltima, & ſecretiore, altare holocauſtorum; ſed potiùs è contrario primo loco in veſtibulo atrij altare holocauſtorum, vbi ignis, gladius, & ſanguis collocabatur, intus verò, & ad tabernaculi extremitatem ſancta ſanctorum, vbi ſuauiſſimum aſſeruabatur manna: ſic ad ampliſſimum Dei regnũ non niſi per ignem, gladium, & ſanguinem perueniri poſſe declarans.

Nulli patebat ingreſſus in ſancta ſanctorum, niſi per altare holocauſti ſũ.

Hinc ſponſus in Canticis: *Veni de Libano, ait, ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*, quibus verbis (cùm Libanus, ſi ſancto Hieronymo credimus, candidum ſignificet) declarauit de Libano, nimirum candidam aſcendere animam debere, quæ vult coronari. *Coronaberis*, inquit, *de capite Amana*, hoc eſt, vt LXX. interpretantur: *ſi veniens tranſibis, à principio fidei, à capite Sanir, & Hermon, à latibulis leonum, & montibus pardorum*, per maximas nimirum & fidei, & bonorum morum difficultates, per quas cùm pertranſiſſet B. Paulus: *Bonum certamen*, inquit, *certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui*: quaſi dicat, à principio fidei tranſiui, & varijs cum hominum generibus, malitia beſtiali, nimirum cũ mundo, & carne certaui, & ideo: *in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex*, hoc eſt, ſuperatis laboribus, reſtat mihi, vt coronam à Domino accipiam, non quidem hanc corruptibilem, quam reges mundi victori militi tradere ſolent, ſed æternam illam, quam in die extremo, ab æterno iudice accipiam.

Cant. 4. 8
D
LXX.
2. Tim. 4 7
Non peruenitur ad coronam, niſi per magnos labores.
E

Sic, Tertulliano teſte, Cùm Caſſ. L. Sept. Seuerus pater, & Marcus Aurelius Antonius Caracalla filius, donum dari militibus iuſſiſſent, illudq; Tribunis ſingulis, ex ordine vocatis, erogarent; acceſſit, & miles quidam, lauream caſtrenſem, quam cæteri ob ſolemnia natalis, vel imperij Cæſarum in capite geſtabant, manu tenens. Quod factum admiratus Tribunus (quamquam ex militũ murmure id ſuſpicaretur, quod erat) quærit: quid ſibi hoc velit: cui miles, ſe Chriſtianum eſſe reſpondit, & proinde non ſibi curæ eſſe, an coronatus temporali corona incederet, nec ne; quapropter ad carcerem iuſſus eſt rapi, pœnã deſertæ idololatriæ luiturus. Cuius militis factum, cùm quidam etiam ex Chriſtianis improbarent, dicentes, tunc haud fuiſſe neceſſe tali pacto Chriſtianorum non admittendi terream labilem coronam, ſuo libro de corona militis deſcribens, firmiſſimis inſuper argumentis, Chriſtiano non terrenam, ſed cæleſtem coronam quærendam eſſe comprobauit.

Tertull. li. de corona milit.
Militẽ temporalẽ coronam reſpiciẽtem defendit Tertullianus
F

Sed heu quàm multi ſunt Chriſtianorum, qui perinde vt ſi Chriſtiani non eſſent, corruptibilem in hoc ſeculo lauream, & coronam

Chriſtiano non terrena, ſed cæleſtis eſt corona inquirenda.

am

Digitized by Google

ambiunt Iacob ſimiles, qui pulchram Ra-
chelem ante lyppam Liam volebat; cùm
Gen. 29.26 tamen, ſicut Laban idem Iacob dixit: *Non*
eſt in loco noſtro conſuetudinis, vt minores
ante tradamus ad nuptias, hoc eſt, neminem
ſoleat Deus ante probationem corona do-
2. Tim. 2 nare. Vndè B. Paulus: *Non coronabitur*, in-
5 quit, *niſi qui legitime certauerit.*

G Quare lyppa priùs oculis Lia amplectẽda,
lacrymæ nimirum, & deformitates tribula-
tionum, quàm pulchra Rachel: & ante coro-
næ cæleſtis hæreditatem, eiuſdem hæredi-
tatis incommoda ſuſcipienda. Sic præce-
Deut. 25 ptum erat in Iſraël, quòd propinquus hære-
5 ditatem mortui fratris, qui ſine filijs deceſ-
ſiſſet, habere minimè poſſet, niſi cum hære-
ditate ad ſuſcitãdum ſemen fratris, vel pro-
pinqui defuncti, eiuſdem etiam vxorem ac-
cipere. Vndè cùm Ruth Moabitidi mortuus
eſſet coniux ſine liberis, dixit Booz ad vi-
rum, qui magis propinquus erat mortuo
Ruth. 4.4 fratri: *Partem agri fratris noſtri Elimelech*
vendet Noëmi, quæ, reuerſa eſt de regione
Moabitide, ſi vis poſſidere iure propinqui-
tatis, eme, & poſſide, ſin autem diſplicet tibi,
hoc ipſum indica mihi, vt ſciam, quid facere
debeam, nullus enim eſt propinquus, exce-
pto te, qui prior es, & me, qui ſum ſecun-
dus. At ille reſpondit: Ego agrum emam.
H *Cui dixit Booz: quando emeris agrum de*
manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem,
quæ vxor defuncti fuit, debes accipere, vt
ſuſcites nomen propinqui tui in hæreditate
ſua; qui reſpondit: Cedo iuri propinquita-
tis, tu meo vtere priuilegio. Sic inquam mul-
ti reperiuntur, hæreditatis quidem æternæ,
& coronę cupidi, qui tamen & Liam, & Ruth,
lacrymas nimirum, & labores, in coniuges
accipere tam animosè recuſant, vt potiùs
iuri cedant propinquitatis, & hæreditatis
æternæ, quàm velint illas vllo modo ſubire;
& tamen prius extiterunt tenebræ, quàm
lux, veſpera, quàm mane, prius operatio-
Gloriam labor præcedere debet. Similium cõgeries. nes Domini ſex dierum quã eiuſdem quies:
iactata prius eſt arca inter aquas diluuij,
quàm in Armeniæ montibus conquieuerit:
bis ſeptem Iacob ſeruiuit annos ante, quàm
I Rachelem vxorem duxerit; pellem induit
ante, quàm benedictionem à patre ſit aſſecu-
tus: prius fuit aër obſcuratus, quàm de-
ſcenderit manna: Iſraël quadraginta priùs
annis per inuia, & inaquoſa deſertra fatiga-
tus errauit, quàm promiſſam terrã obtinue-
rit. Saxa perpoliuntur ante, quàm in tem-
pli conſtructionem adhibeantur. Priùs igneũ
currum, quàm cælum aſcendit Elias. In lyra
chorda prius extenditur, quàm concentum
pulſata reddat; & tandem nulla eſt corona
ſine victoria, & pugna: *& hoc pro certo ha-*
bet omnis, qui colit Deum, quòd vita eius,
Gratis licèt eligat nos Deus ad beatitudinem *ſi in probatione fuerit, coronabitur.* Etenim
elegerit nos licèt Deus omnino gratis ad
beatitudinem gloriæ regni cæleſtis; ad illius

tamen poſſeſſionem adipiſcendam, non niſi haud tamen illam aſſequimur, niſi benè operemur
per obedientię, & bonorum operum merita,
ipſius opitulante gratia, voluit nos perue-
nire; quemadmodum, vt exemplo res fiat L
illuſtrior, decreuerat quidem Deus He-
bræis poſſeſſionem terrę largiri, quam gratis
promiſerat, ſed ad eam poſſidendam non
priùs illos ingredi voluit, quàm prælia cum
habitatoribus eius peregiſſent, eoſque pro-
fligaſſent. Quamobrem Apoſtolus Coloſ-
ſenſes ad egregia facinora excitans: *ſcien-*
tes, ait, *quòd à Domino accipietis retribu-* Coloſ. 3.24
tionem hæreditatis, ſignificans cæleſtem
hæreditatem, ad quam Dominus gratis, ac
liberaliter nos elegit, atque vocauit, à no-
bis accipiendam eſſe per bonorum operum
merita, quibus illa tanquam merces, & præ-
mium iuſtè retribuatur.

Nec habet homo, quod cõqueratur de bo-
norũ operum difficultate, ac labore, quem
& ipſe tanquam pretium, pro cæleſti regno
comparando perſoluere debet: nam ſicut
magna cenſeretur mercatoris liberalitas,
qui merces ſuas eo pretio omnibus vende- M
ret, quo amicis ſuis chariſſimis ſolet; ita
magna Dei noſtri cẽſenda eſt liberalitas, qui
eo pretio coronam cæleſtem à nobis acci-
piendam proponit, quo cam Sanctis om-
nibus ſibi chariſſimis, quorum alij, vt B.
Paulus ait; *ludibria, & verbera experti,* Hebr. 11
inſuper & vincula, & carceres, lapidati 37.
ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione
gladij mortui ſunt. Quin & ipſe Christus de
ſe ipſo ait: *Oportuit pati Chriſtum, & ita* Luc. 24.
intrare in gloriam ſuam: quare de pretio 26
cæleſtis coronæ verba faciens, meritò, & Ibid. 27
congruè dixit: *Diſpono vobis, ſicut diſpo-* 29
ſuit pater meus regnum. Vndè fruſtra terre-
nis iudicijs, & voluptatibus, fruſtra ſuper-
bijs, & honoribus tentat quis cælorum co-
ronam comparare, cùm labores in virtutum
exercendis operibus eius pretium eſſe cen-
ſeantur. Quo circa Chriſtus: *Regnum cæ-* Matt. 11
lorum, inquit, *vim patitur, & violenti* 12
diripiunt illud: nam cùm ſit idem violentũ, N
ac contra naturam, & natura noſtra dele- Corona cæleſtis non niſi violentis datur.
ctationes, diuitias, commoda, voluptateſq́.
venetur, docet Chriſtus, ſi coronam regni
cæleſtis ambimus, illam vi obtinendam:
Et quidem ſi mentis oculos in cælum eleue-
mus, illic intueri licebit, nullum in eo eſſe Apoc. 7.9
coronatum, qui probatus ante non fuerit:
vndè illos omnes vidit Ioannes in conſpectu
agni amictos ſtolis albis, & palmis, quibus
eorum inſignes victoriæ de mundo, dæmone,
& carne reportatæ, ſignificabãtur, geſtantes: Greg. hom. 17 in Ezech.
nã, vt docet Greg. non eſt victoria ſine certa-
mine, nõ eſt certamen ſine labore. Quãobrẽ
nec habet palmam, qui non certat, nec cer-
tat, qui non laborat. Hinc & de Chriſto lo-
quens idem Ioannes: *habet*, inquit, *ſcriptum* Apoc. 19
in femore, Rex regum, & Dominus domi- 16
nantium Et quidem dixit in femore, vbi mi-

lites

Pſ.44.4. lites gladium geſtant, iuxta illud: *Accinge-
re gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime:
O non autem dixit in fronte, vbi ſolet geſtari
corona, & regiæ maieſtatis fulgor appare-
re: vt indicaret ipſummet Chriſtum enſe, &
labore adeptum ſibi fuiſſe coronam, & re-
Heb.2.9. gnum: Vndè B. Paulus: *Videmus*, inquit, *Ie-
*ſum propter paſſionem mortis gloria, & ho-
nore coronatum. Quæ cùm ita ſint, omnino
elaborare debemus, vt per bonorum ope-
rum merita cæleſtia regna adipiſcamur, ad
quæ nos alia ratione peruenire haud poſſe,
iam ſatis oſtendimus.

Nam ſicuti Rex Ageſilaus aliquando in-
terrogatus de finibus ſui regni Spartarũ, vi-
brato aliquantulum enſe, quem manu tene-
Ageſilai dictum. bat, reſpondit; *ſunt termini regni noſtri,
quos gladius noſter nequit pertingere; ita co-
ronæ cęleſtis gloria ibi terminum habet, vbi
nos laborare deſinimus, cùm è contra, ſicut
Sara docet, *pro certo habeat omnis, qui Deum
colit, & in tribulatione eſt probatus, merita
in cælis gloria ſe eſſe coronandum.

Quòd res proſperæ homines à virtute, atque ab ipſo Deo auertant, ad quem aduerſa conuertunt.

DOCVMENTVM II.

A VSQVEADEO humano ge-
neri proſperitas ſemper ob-
fuit, vt ferè inter homines vi-
xerit nemo, qui in proſperis
Dei oblitus, ingruentibus vi-
tiorum ponderibus non ſuccu
buerit, ſicut è contra nullus ferè tam repro-
bæ mentis, qui in aduerſis, Dei non recor-
detur, & per pœnitentiam vt hic Sara loqui-
tur, à peccatis, & à malis, in quæ per pec-
catum inciderat, non vindicetur. Sanè in
proſperitatibus hominem Dei obliuiſci,
exemplo ſuo nos docuit populus Iſraël, de
Deut. 32. 15 quo Moyſes ait: *Incraſſatus eſt dilectus, &
*recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, di-
*latatus, dereliquit Deum factorem ſuum, &
receſſit à Deo ſalutari ſuo. Et difficilè admo-
dum eſſe hominem reperire, qui in proſpe-
ris ſe modeſtè contineat, docuit nos Sapiens
Proſperitas ægrè virtutibus amica. dum ait: *Beatus vir*, ſeu, vt alia habet lectio,
*Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula,
Eccli.31.8 *qui poſt aurum non abijt*, &c. *Quis eſt hic, &
B *laudabimus eum?* Nouit quidem vir perfe-
Phil.4.12 ctus in proſperis modum tenere, & vt nau-
ta vento nimio flante vela contrahere. Sic
B. Paulus; *ſcio*, inquit, *abundare, & ſcio
penuriam pati. Verùm qui talis eſt, vt Sa-
piẽs ait, *fecit mirabilia in vita ſua*: quia per
raró inuenitur. Nã ſicut pincerna Pharaonis,
Gen.40.23 vt habetur in Geneſi, *rebus ſuccedẽtibus pro-
ſperis, oblitus eſt Ioſeph interpretis ſui, &

Sodoma tota poſt peccatum abijt, & regum
ſapientiſſimus Salomon tam miſerè cecidit,
vt apud nos dubiam ſalutem ſuam reliquer-
rit: & denique dilectus Deo rex Dauid, in
tantam eſt eleuatus ſuperbiam, vt ad ſuæ
potentiæ oſtentationem populum ſuum nu-
merari præceperit; ſic omnes ferè homi-
nes, *rebus ſuccedentibus proſperis*, Dei
obliuiſcuntur, miſerè peccatis replentur, &
euaneſcunt in ſuis cogitationibus. Quare
Pſaltes de illis verba faciens: *In labore*, in- C
quit, *hominum non ſunt, & cum homini- Pſ.72.5.6.
*bus non flagellabuntur; ideò tenuit eos ſu-
*perbia, operti ſunt iniquitate, & impietate
ſua, tantum eſſe docens malum proſperita-
tis, vt in ſuperbiam eleuet, antequàm
habeatur; etenim licet cætera omnia, vt do-
cent Philoſophi, ſemper præſupponantur ad
operari, quamobrem nec homo generat,
antequàm ſit, nec ignis calefacit, antequã
accendatur; proſperitas tamen nocet non
ſolum, dum præſens habetur, ijs nimirum,
qui in labore hominum non ſint, ſed etiam
dum futura ſperatur, ijs ſcilicet, qui ſe cum
hominibus flagellandos non putant: vndè be-
nè ille, poſtquam in futuro dixit, *cum ho-
minibus non flagellabuntur, ſubdit in præ-
terito: *ideò tenuit eos ſuperbia*.

Quod (vt exemplo res fiat illuſtrior) ap- Probatur exemplo.
paruit in Pharaone, qui cum filios Iſraël
fugientes, armata perſequeretur manu, ſola D
ſpe ductus victoriæ, & proſperi euentus,
ante ipſam proſperitatem adeò ſuperbè ſe
ſe extulit, vt dicere non veritus ſit. *perſe- Exo. 15.9.
*quar, comprehendam, diuidam ſpolia,
implebitur anima mea. tenuit præterea
illos ſuperbia, quia non ipſi, ſuperbiæ; ſed
ipſis ſuperbia dominatur: quod etiam in
ſuperbiſſimo apparuit Nabuchodonoſor,
qui, vt ſacra docet ſcriptura, cùm eleuatus
in ſuperbiam ob victoriam, habitam de Ar-
phaxad, cæteras audiret vicinas regiones
ipſius imperium recuſare; iratus *iurauit Iudith 1. 12
*per thronum, et regnum ſuum, quòd de-
fenderet ſe de omnibus regionibus his, à qui-
bus tamen, vtpotè liberis, cùm nullatenus
offenderetur, haud opus habebat ſe ipſum
defendere; ſed magis à propria animi ſu-
perbia, atque imperij ambitione, à qua fir- E
miſſimis vinculis detinebatur adſtrictus;
etenim ſe ſe habet homo, vt limax, qui exi-
guo rore, vel humore è cælo in ipſum de-
labente, ita extenditur, vt quodammodo
extra ſe ipſum exire videatur, & caſulam,
in qua degit, relinquere: ſic inquam, vbi
homo aliqua proſperitate fruitur, & beni-
gno, vt aiunt, fortunæ fauore, extra ſe, &
extra rectæ rationis limites ſtatim exit, & in
quamplurima peccata prolabitur: etenim
ſicut poëta ille cecinit:

*Luxuriant animæ rebus plerunque ſe- Ouid li. 2. de arte. a.
cundis.
Nec facile eſt æqua commoda mente pati.

Greg. hom. in illud, homo quidã fecit cęnã magnã.

Contra vero: *plerunque*, vt ait Gregorius, *poſtquam in hoc mundo non poſſumus obtinere quod volumus, poſtquam in terrenis deſiderÿs de impoſſibilitate laxamur, tunc mentem ad Deum reducimus, tunc placere incipit, quod diſplicebat*, &c.

F

Nam, ſicut equi ferociores domitoribus traditi, faciliores fiunt; ita homines ſecundis rebus effrænati calamitatibus, rebuſq. aduerſis plerunq; ad rerum humanarum imbecillitatem cognoſcendam ducuntur.

Ierem. 31. 18

Sic Ieremias, *Caſtigaſti me*, inquit, *& eruditus ſum quaſi iuuenculus indomitus*: & quidem ex eo, quia, *proſpera*, vt indicatus ait Gregorius, *ſæpè per tumorem cor inquinant, aduerſa per dolorem purgant: in proſperis, ſe animus angit: in aduerſis etiã, quando ſe erexit, ſternit: in proſperis homo ſe obliuiſcitur, in aduerſis ad ſui memoriam nolens etiã coactusq́. reuocatur. In proſperis ſæpè, & anteacta bona depereunt, in illis autem longe quoque temporis admiſſa terguntur.*

Greg. paſt. p. 1. *c.* 3.
Tribulationum bona.

Quare Dauid de populo Iſraël verba faciens, vtrunq; eleganter cõplexus: *mandauit*, inquit, nimirum Deus, *nubibus deſuper, & ianuas cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum*: illi vero per tumorem coinquinati, animo erecti, & beneficiorum obliti: *In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius*. Verùm deinde in aduerſitate poſiti, *cum occideret eos, quærebant eũ, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum, & recordati ſunt, quia Deus adiutor eſt eorum.*

Pſ. 77. 23. 24

Dan. 7. 4.

Sic refert Daniel viſionem ſe vidiſſe multarum beſtiarum, *quarum prima*, ait, *quaſi leæna, & alas habebat aquilæ: aſpiciebam, donec euulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei*.

Tribulatione adectus homo, Deum quærit.

Cui ſanè leænæ ſimilis eſſe videtur homo, proſperitate præditus, qui quaſi alas habeat, in magnis ſemper, & in mirabilibus ſuper ſe volare contendit, cui tamen ſi proſperitatis euellantur alæ, ſtat ſuper pedes perinde ac homo, corq́. induit hominis, manſuetum, humile, & rationis ductum ſequens, quia vt ait Chryſoſtomus: *in ſecundis rebus cum adeſt potentia, inflatur; omnibus ſit inimicus iracundus, qui deinde in aduerſis ſit manſuetus, humilis, & in propriæ naturæ cognitionem venit*.

H

Chryſ. ho. 14. *ad pop.*

Quod accidit regi Nabuchodonoſor, qui vt Sacræ literæ docent, cùm in proſperitate alatus ſibi quodãmodo eſſe videretur, nec ſe cognoſcebat, nec Deũ, cui è regio ſolio deiecto vix euulſæ ſunt alæ proſperitatis, quando iterum lumen rationis recipiens, ſe, Deumq́. cognouit, & regi Antiocho, qui fortunatus tales ſibi videbatur alas induiſſe, vt etiã fluctibus maris imperare ſe poſſe, & ſidera cæli contingere exiſtimarit: cui etiam mox euulſis alis, adeò ingenti eſt plaga percuſſus, vt nec ipſe ferre poſſet fœtorem ſuum; vnde ad cor rediens,

2. *Malac.* 9. 12.

Iuſtum eſt, inquit, *ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire*. I

Meritò itaque Dauid non aduerſitatem timens; ſed nimiam rerum temporalium affluentiam, & proſperitatem, ait: *ab altitudine diei timebo*. Et B. Iacobus, *omne gaudium*, inquit, *exiſtimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis*. Quin & ipſe Ethnicus Cato cecinit.

Pſ. 55. 4.
Iac. 1. 2.
Cato l. 2. *diſt.*

Noli ſucceſſus indignos ferre moleſtè:
Indulget fortuna bonis, vt lædere poſſit.

Quòd cùm optimè noſceret Amaſis rex Aegypti, cum amiciſſimo ſuo rege Samiorum Polycrate conqueſtus eſt de nimia eius proſperitate: vndè & Samum ad illum, vt refert Herodotus, libellum miſit in hæc verba conſcriptum: *Mihi quidem feliciter agi cum viro amico meo & hoſpite, audire voluptati eſt: tamen tuæ magnæ proſperitates mihi non placent, qui intelligo, quàm inuidum nomen ſit. Quod ad rem attinet, malim tum meas ipſius, tum eorum, qui mihi curæ ſunt, res nunc proſpere ire, nunc infeliciter, & ita per varias fortunæ vices æuum traducere, quàm in omnibus mihi proſpere cedere: Nec enim de quodã audiſſe me puto, qui, cum in omnibus felix fuiſſet, non tandem malè perierit funditus. Tu itaq; mihi obtemperando, hoc aduerſus proſperitates agito. Deſpice quid tibi ſit, quod plurimi facias, quodq́. amiſſum maximè doleret, id vbi inueneris, ita abÿcito, vt nunquam ad homines veniat. quod ſi proſpera tua deinceps non variabuntur aduerſis, medeare tu tibi ſubinde eo modo, quem tibi ſubieci.*

Herod. li. 3. *in Thalia.*

L
Proſperitas aduerſis rebus admixta tutior.

Proſperitas neglecta hominem verè proſperum facit.

Hæc cum legiſſet Polycrates, & in animũ demiſiſſet, tanquã bene ſibi ab Amaſi præcepta diſquirebat, quodnã ipſorũ ornamentorũ eſſet, quo amiſſo maxima ipſe moleſtia afficeretur: atq; hoc tandẽ quæritando inuenit. Erat ei gemma ſignatoria ſmaragdus, quã geſtabat auro incluſam, opus Theodori Samÿ Telecle geniti. Hanc vbi abÿciendam ſtatuit, ita abÿcere libuit. Quinquaginta remorum nauem conſcendit, eam dehinc viros, quibus illã inſtruxerat, in pelagus educere iubet, & poſtquam ab inſula procul aberat, detractum ſibi ſigillum ÿs, qui vna nauigabãt inſpectantibus, abiecit in pelagus: hoc acto nauigauit. Reuerſo domũ, cũ ex iactura afficeretur, quinto, ſextoue, quàm hæc acta ſunt die, hoc ei caſu euenit. Piſcator quidã captũ à ſe piſcem grandẽ ſanè, ac pulchrũ putauit dignũ, quo Polycratẽ donaret, eũ ad fores cùm attuliſſet, dixit ſe in cõſpectu Polycratis ire velle, & à ianitore permiſſus, donãs Polycrati piſcẽ. Rex, inquit, hunc ego, quẽ cœpi, piſcẽ, etſi operis manuarÿ vitã tolero, tamen nõ iudicaui ferendũ à me eſſe in forũ, ſed te, tuaq. potẽtia dignũ: eũ itaq; affero tibi, donoq. Quibus ille delectatus verbis: Tu verò reſpõdit, probè: nõ facto ſolo, ſed etiã oratione apud me iniſti gratiam: ad cœnã te vocatũ volo. Hæc magni faciens piſcator, do-

M

N

mum abijt: piſcem miniſtri reſcindentes, offendunt in aluo ſigillum Polycratis: quod vbi viderunt, ſumpſeruntque, ad Polycratem lætabundi quamcelerrimè pertulerunt, eoque illi reddito, referebant, quo pacto fuiſſet inuentum. Polycrates, cum eum ſubijſſet, diuinum quiddam id eſſe, ſcribit, quæ feciſſet, & quæ poſt illa à ſe facta ſibi contigiſſent, & qua ratione, quod amiſerat, recepiſſet. Hæc vbi ſcripſit, in Aegyptum miſit. Quibus tabellis Amaſis perlectis, quæ à Polycrate venerant, didicit fieri non poſſe, vt homo hominem à re, quæ euentura eſt, retrahat: & Polycrati non infelicem fore tandem rerum exitum, qui per omnia proſperam fortunam experiretur, adeò vt etiam reperiret, quæ abieciſſet. Miſſo itaque Samum Caduceatore, dixit, ſe ius cum illo hoſpitis ſoluere. Quod ideo luit, ne in triſtem aliquem, grauemque caſum incidente Polycrate, animi dolorē, veluti de hoſpite ipſe contraheret. Hæc Herodotus. Quibus apparet quantum, & ipſi Ethnici proſperam, vt aiunt fortunam infortunatiſſimam eſſe ſcirent. Ne miremur igitur, neque animis deficiamus, *ſi modicum nunc*, vt B. Petrus ait, *oportet contriſtari in varijs tentationibus*. Lætabimur enim poſtea, & exultabimus lætitia inenarrabili, conſiderantes, quia *momentaneum eſt, quod cruciat, æternum, quod delectat*. & quia ſicut Pſaltes ait: *non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum: neque dabit in æternum fluctuationem iuſto*; ſed ſecundum multitudinem dolorum noſtrorum conſolationes eius animam noſtram lætificabunt, & ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ita per Chriſtum abundabit conſolatio noſtra, cùm, ſicut Deum alloquens dixit Sara: *Et hoc pro certo habeat omnis, qui colit te, quòd vita eius, ſi in probatione fuerit, coronabitur, ſi in tribulatione, liberabitur.*

Proſperitas humana Ethnicis etiam habebatur infelix.

1. *Pet.* 1. 6

Pſ. 124. 3.

2. *Cor.* 1. 5.

VERS. XXII.

Non enim delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem, & fletum exultationem infundis.

VERS. XXIII.

Sit nomen tuum Deus Iſrael benedictum in ſecula.

1 *Perditio quid.*
2 *Deus quomodo poſt tempeſtatem tranquillum faciat.*
3 *Exultatio quid.*

VERS. XXII.

NON *enim delectaris, &c.* Aſſignat hic Sara rationem eorum, quæ ſuperiore verſiculo dixerat; quòd nimirum idcirco probet, tentet, & corripiat nos Deus, vt coronet, liberet, & purget: quòd, ait illa, non delectetur Deus malis noſtris.

1 *Perditio*, Hebraicè אבדון, abadon, hoc eſt, interitus, mors, conſumptio, barathrum, præcipitium, in quod cùm aliquis deſcendit, periſſe dicitur, tenebris, & obliuionis caligine abſorptus, quorum malorum nullū in nos immittit Deus, vt perdat, ſicut diximus, ſed ſolùm, vt ſaluet: etenim, vt teſtis eſt Sapiens, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione virorum*. Vnde per Ezechielem ipſe ait: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij?* ſeu, vt habet Hebræus: *Num volendo volam mortem impij?* Creauit enim ille, vt eſſent omnia. Vide plura de hac re primo ſequenti documento.

Perditio quid.

Sap. 1. 13.
Ezech. 18. 23

2 *Sed poſt tempeſtatem tranquillum facis.* Facit Deus poſt tempeſtatem tranquillum, hoc eſt labori quietem, & dolori conſolationem ſuccedere. *Enimuerò*, ait Chryſoſt. *miſericors Deus mœſtis rebus quædam etiam iucunda permiſcet: quod certè in ſanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neq; iucunditates ſinit habere continuas, ſed tam de aduerſis, quàm de proſperis iuſtorum vitam quaſi admirabili varietate contexit.* Certè celebre ſemper adagium fuit, quo uel ſolus Pyndarus ter vſus inuenitur.

Chryſ. hom. 2. *in Matth.*

χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ᾽ ὕει.
Nunc Iuppiter claro fulget æthere, nunc vero pluit,

vel etiam quod alius cecinit:

poſt nubila Phœbus.

Theocrit.

Etenim vt benè ait Seneca:

Nulla ſors longa eſt, dolor, & voluptas
Inuicem cedunt. Breuior voluptas.
Ima permutat breuis hora ſummis.

Seneca in Thyeſte.

3 *Poſt lacrymationem, & fletum exultationem infundis.* Quia proprium eſt Dei opus omnem à ſuorum oculis abſtergere lacrymā: nam ſicut dicit Iob: *Ipſe vulnerat, et medetur, percutit, & manus eius ſanabunt.* *Iob* 5. 18.

Exultationem infundis, Ideſt, tantam lætitiam, quæ etiam in exteriora deriuet: nam exultatio eſt quædā corporis tripudatio, quæ etiam in exteriora corporis gaudia erumpit. Quare non tātum internum animi gaudium oſtendit; ſed etiam affectiones, & indicationes corporis ex iucundæ rei ſenſu, vel opinione profectas. Vnde Albertus: *Exultatio*, inquit, *eſt quædam exaltatio in iubilo, cùm cordis gaudium ſaltat in corporis iucunditatem*. Et Caietanus: *Exultatio*, inquit, *eſt exundans lætitia, veluti in geſticulatione*, ideſt, ſignis etiam externis, *grauiſſimè, ac modeſtiſſimè expreſſa*. Qua exultatione iam repleta in ſua oratione Sara, poſt lacrymas extrinſeco cordis iubilo ait:

Albertus in cap. 1. *Luc.*

Caiet. ibid.

Sit nomen tuum Deus benedictum, &c. Quæ verba iam ſupra expoſuimus, & de illis plura dicemus inferiùs.

Sup. hoc verſ. c. v. 14

Quòd inuitus quodammodo nos Deus flagellis cadat, & quòd propter peccata veniunt aduerſa.

DOCVMENTVM I.

A

Ier. 29. 11

Serarius hic.

Sap. 1. 13.

SANE, vt loquitur Sara, non delectatur Deus *in perditionibus noſtris*; quinimmo, vt ipſemet per Ieremiam ait: *Cogitat cogitationes pacis, & non afflictionis*. Nam &: *Quæ obſecro architecto*, inquit Serarius, *ex eorum quæ conſtruxit ædificiorum ruina voluptas? Quæ figuli ex eorum, quæ finxit, vaſorum confractione?* *Deus*, ait Sapiens, *mortem non fecit, nec lætatur in perditione virorum. In perditionibus*, dicit Sara, vt notet, non ſolùm non delectari Deum animi noſtri perditione, quæ vera eſt perditio; ſed neque corporis, aut quauis alia licèt minima, vt ſunt inopia, facultatum iactura, morbus, & his ſimilia; niſi quatenus maiora, & veriora ex illis bona elicit. Sic pater non delectatur in perditione filij, dum illum ad tempus aliqua etiam ſincera conſolatione priuat, vt vel

B

melioribus det operam ſtudijs, vel quod ex ea imminere præuidet, malum arceat, vel tandem, vt corrigatur; ſed potius, dum illum affligit, dolet de ipſa afflictione, nec de illa gaudet, niſi quatenus per eam ſalutarem ſperat correctionis effectum: vnde vindictam peccatorum ſumpturus: *Heu*, inquit per Iſaiam, *conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis*, gemitu, ac ſingultu quodam conteſtans, ſe nolle mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat: & dum alibi dicit: *Ego in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis aduenerit*. Loquitur, vt docet Serarius ἀνθρωπαθῶς, hominum ſcilicet more, qui verbi cauſa, ſi cæcum videant in foueam, ac lutum pergentem, admonent eum, vt ſibi caueat, aliamque viam teneat. Quòd ſi ille ſuos monitores contemnat, & in lutum decidat, ſeque deturpet, maculetque; meritò illum ipſi rident, & cachinnantur, non quòd eius caſu, & ſordibus ſimpliciter oblectentur, cur enim alioquin præmonuiſſent? ſed quòd de veritate, & iuſtitia, quæ in obſtinati huius cæci lapſu apparet, gaudeant, videntes verè ſuæ admonitioni re ipſa teſtimonium iam reddi, & proteruam illius vecordiam, & arrogantiam caſtigari.

Iſa. 1. 24.

Prou. 1. 26

Serarius hic.

C

Gen. 6. 6. 7

Aug ſeu auct. ex vtroque Teſtam. tom. 4. q. 102

Verùm in ipſa peccatorum perditione quaſi dolens exclamat Deus, *Heu*, Sic laturus ſententiam diluuij: *tactus*, inquit Scriptura, *dolore cordis intrinſecus, delebo*, inquit, *hominem, quem formaui à facie terræ*. Et licèt ſex diebus mundum creauerit; centum tamen annos, vt obſeruat Auguſtinus conſumpſit in arcæ fabricatione, vt oſtenderet, non ſicut homines ſolent, reparando cunctari, & demoliendo feſtinare: ſed potiùs, vt exponit Chryſoſtomus, tardum eſſe ad demolitionem, & ad reparationem feſtinum. Quare ciuitatem Iericho vaſtaturus, filios Iſrael alloquens, ait: *Circuite eam*, nimirum ciuitatē Iericho, *ſeptem diebus, & octaua die cadet murus*. Mira res, ait indicatus Chryſoſt. mundū vniuerſum ſex in diebus conſtruit, & vnam vrbē ſeptem in diebus ſoluit. Et cum impuras Sodomorū ciuitates perdere decreuiſſet, perinde ac ſi quæreret, qui pro illis apud ſe rogaret, nō prius perdidit, quàm ad Abraham digreſſus, omnia, quę facturus erat, illi nuntiaſſet, cumq. ab illo rogaretur, vt vel ſaltem propter quinquaginta iuſtos vrbibus illis ignoſceret, ſubinde promiſit futurū, vt etiam propter decē parceret, quin etiā & propter vnum Loth illis omnibus pepercιſſet, ſi auſus eſſet Abrahā ab illo talem rem depoſcere: quod ſatis ex eo liquet, quòd vrbē Ieroſolymorū poſtea demoliturus: *Circuite*, ait ipſe Dominus per Ieremiā, *vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virū facientē iudicium, & quærentē fidem, & propitius ero ei*. Quo in loco Hieronymus: *propter vnum virum iuſtū*, inquit, *toti Ieroſolymæ ignoſcebat. Quæſiui*, ait Deus, *de eis virum, qui interponeret ſepem, et ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparē eam, & non inueni, & effudi ſuper eos indignationem meam*. Quare cùm ceſſaret rogare Abraham, Angeli nocte venerūt Sodomam conſumpturi, non tres, vt fuerunt in domo Abrahæ, ſed tantum duo: quaſi qui Dei perſonā inter illos gerebat, ſupplicio intereſſe noluerit: quia, vt Sara loquitur, *non delectatur Deus in perditionibus noſtris*. Itaque, cùm oīs noſtra perditio, vt ipſe Deus loquitur, ſit noſtris flagitijs tribuenda: nam *perditio*, ait, *tua Iſrael*, ſubaudi *ex te: tantummodo in me auxilium tuum*; Nihil habet homo, quod Deo ſuccenſeat, qui non perdere, ſed auxiliari tantū modo delectatur, ſi poſt diuturnas ab illo immiſſas cogitationes bonas, ac inſpirationes, correctione poſthabita, flagris ab illo ſeuerè corrigitur. Sicuti nec eſſet, qui iure humaniſſimū iudicem redargueret, quòd famulū, amicumue in capitalia crimina procliuē, iuxta iuſtitiæ regulas puniret, poſtquam nunc minis, nunc precibus diligentiſſimam dedit operā, vt illum in officio contineret: quippe, qui iure optimo pereunti famulo dicere poſſet: *perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum*. nam licèt multa cōtingant hominibus aduerſa, vel ad eorū probationē, vel ad virtutis exercitiū, vel vt cæteris exemplū ſint patientiæ, vt ſupra vidimus; attamen, vt in pluribus extrinſeca omnis perditio, nimirum pœna, à peccatis noſtris originem trahit, iuxta illud: *propter peccata veniunt aduerſa*: quod innuere voluiſſe Dauid apparet, dum dixit: *priuſquam humiliarer, ego deliqui*. & alibi: *propter iniquitatem corripuiſti hominem*. Vnde Iob,

D

Chryſ. hom. de pœnit. parum ante med. tome 5

Ioſue 6.

Chryſ. vbi ſupra.

Deus ad demoliendum tardus, ad reparandum velox.

E

Iere. 5. 1.

Hieron. ibi.

Ezech. 22. 30. 31

F

Perditio noſtra à nobis eſt, nō à Deo.

Oſe. 13. 9.

Aduerſitatū potiſſima cauſa peccatum.

Aduerſa omnia, quæ ſingulis obueniunt hominibus, vt plurimū à peccatis ortum habent.

G

Pſ. 118. 67 & 38. 12.

con-

conſcientiam ſuam nulla peccati macula com maculatam conſiderans, dum grauiſſimis à Deo incuteretur flagellis, dicebat: *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus:* (Iob 17. 2) ſignificans, rarò contingere, hominem abſque præuio peccato in amaritudinibus verſari. Quare, ſicut eſt in apologis, (Apologis.) cùm lamentarentur aliquando inuicem cuiuſdam ſyluæ arbores de ſecuri, quæ adeò in illas graſſabatur, vt iam perpaucæ ſubſiſterent, inuicemque de remedio diſceptarent: quid eſt, compellans cæteras dixit vna, quòd de ſecuri conquerimur, ſi nos illi manubrium miniſtramus?

H

(Peccatores aduerſis incuſsi propria peccata, non Deum incuſent.)

Sic ſanè quiſque, dum ſecuri, vt ſic dicam, iræ diuinæ percutitur, non eſt, cur de ira Dei conqueratur; ſed de ſe ipſo, qui eidem peccatis ſuis manubrum, vt ita dicam, nimirum flagellorum occaſionem præbet. Sic peccatorem Deus per Ieremiam alloquens ait: *Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi:* (Iere. 4. 18.) nam quicquid nobis accidit, noſtro accidit vitio, qui dulcem Dominum in amaritudinem vertimus, & cogimus ſæuire nolentem. *Ventrem meum, ventrem meum doleo, ſenſus cordis mei turbati ſunt in me,* (Iere. 4. 19.) ait Ieremias: *Vox hæc,* inquit Hieronymus, (Hieron. ibi li. 1.) *Ieremiæ, eſt Dei loquentis per Prophetam, quòd doleat ſuper contritione populi ſui, & inſtar hominis viſcera eius interna lacerentur, omnisq. elangor buccinæ,* (I) *& fremitus præliorum illius turbet affectum, dum mala cumulantur malis, & vniuerſa duarum tribuum terra vaſtatur. Repentè vaſtata ſunt tabernacula mea, ſubitò pelles meæ, dum non putabam, inquit, tabernacula quondam, & pelles meæ Babylonio exercitu furente populata ſunt: & in predã hoſtium mea quondam ceſſere hoſpitia, cauſam autem contritionis, vaſtitatis, fugæ & buccinæ ſubiungit: quia ſtultus populus meus me nõ cognouit, filÿ inſipientes ſunt, & vecordes.* Hæc Hieronymus. Quid igitur faciendum? ad nos ipſos afflicti recurrere debemus, & conſcientiam noſtram immundam agnoſcentes, remouere afflictionum cauſam. Sic fratres Ioſeph, dum tanquam fures detenti eſſent, ſtatim ſe ipſos conſiderare cœperunt, & licèt furtum ſe non commiſiſſe planè cognoſcerent, culpam tamen eſſe cauſam, cur talia paterentur exiſtimantes, dicebant. (Gen. 42. 21) *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, cum deprecaretur nos, & non audiuimus:* Sic Rex Ezechias ſtatim ac mortis ſententiam audiuit, conuerſus ad parietem, vt ſacra refert hiſtoria, *fleuit amarè:* eſt enim paries ſecundùm myſticum ſenſum propria conſcientia; (Conſcientia noſtra paries quæ pœnitẽtia eſt fodiẽda.) iuxta quem dictum eſt Ezechieli: *Fili hominis fode parietem.* Sic nautæ, qui Ionam ducebant valida vi tempeſtatis maris ita agitati, vt penè mergerentur, cauſam illius inquirentes, nõ ſidera, non turbines, non vẽtos contemplati ſunt, ſed ad interiora nauis deſcenderunt, vbi Ionam peccatorem reperientes, illum proiecerunt in mare, & ſaluati ſunt: ſic dũ aliqua perditione, dum aliqua tẽpeſtate agitamur à Domino, ad interiora nauis, noſtræ videlicet cõſciẽtiæ deſcendendum eſt, vbi poſiti, diligentiſſimè conſiderare debemus, num lateat in ea quiſpiã Ionas inobediens, aliqua nimirum actio contra Dei præſcriptũ perpetrata, quam reperientes, (M) (In aduerſis ad Deum per pœnitentiã recurrendũ.) ſi ſaluari volumus, in ſanguinis Chriſti mare illam per pœnitentiam, & per confeſſionem proijcere debemus. Sed heu nos miſeros! quibus vt plurimũ illud ſolet cõtingere, quod Samuel adhuc adoleſcẽti in templo Domini; vbi erat arca Dei, dormiẽti accidiſſe legimus, qui à Domino ſemel, bis, terq. vocatus, ſemper ad Heli præceptorem ſuum cõfugiebat; ſic inquã, & nobis contingere ſolet, qui à Deo flagellis impetiti, & vocati, vocem eius nõ agnoſcẽtes, ad medicũ, ad chirurgũ, ad cauſas naturales, & ad humana præſidia cõfugimus, nec vocãti Deo obtemperamus. Hinc eſt, quòd nec ceſſat ille pius, & miſericors, donec audiamus, dicamusq. cum eodem Samuele: *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* (1. Reg. 3. 10) Emẽdemus igitur nos ipſos à Deo vocati, ne à corporis perditione, (N) in perditionẽ animæ incidamus: *neq; enim delectatur Deus in perditionib. noſtris. Vide de hac materia Chryſoſtomum, & Auguſtinum, vbi ſupra, exemplum vide apud Palladium.* (Chryſoſt. hom. 43. in act. Pallad. vit. 86. in Euãg.)

Quòd nemo ſubſiſtere valeat in tempeſtatibus aduerſitatum abſque diuinarum conſolationum auxilio, quas non habet, qui terrenis gaudÿs non vale dicit.

DOCVMENTVM II.

FACIT præterea Deus; vt Sara loquitur, poſt tempeſtatem tranquillum, (A) quia iuxta tempeſtatum anni viciſſitudines, quibus Ver Hyemi, & Autumnus Aeſtati ſuccedunt, poſt duras ſiue corporis, ſiue animi afflictiones, ſuauiſſimas omnino, & penè cæleſtes conſolationes ſeruis ſuis miniſtrat. Vnde ſicut Poeta lyricus canit: (Horat. ode ix. lib. II)

Non ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros; aut mare Caſpium
Vexant inæquales procellæ
Vſque: nec Armenÿs in oris
Amice Valgi, ſtat glacies iners
Menſeis per omnes, aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant
Et folÿs viduantur orni.

(B) Ita nec ſemper patitur Deus, animam in tribulationum tempeſtate viuere, ſed poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt nubila Phœbum adducit. Neque dubium, quòd ſi-

curi temporis viciſſitudo neceſſaria eſt terrenæ fœcunditati, diei ſcilicet, & noctis; hyemis, & æſtatis; ſic neceſſe eſt ad virtutis opera tribulationi, & mœrori conſolationem ſuccedere: etenim licèt verum ſit virtutis vim in conſolationibus non conſiſtere, quippe quæ conſtans ex ſe eſſe debeat, & fortis aduerſus quaſcunque res terribiles, cum ſumma etiam tempeſtate, & afflictione animi, qualis in Chriſto fuit, dum dixit: *triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*;

Matt. 26 38

Nihilominus virtus ipſa, cuius proprium eſt cum delectatione agere, ſine delectatione non eſt, & tanta eſt hominis naturæ imbecillitas, vt ei ſuccumbendum denique ſit, ſi præter virtutis auxilium aliqua interdum diuinæ conſolationis tranquillitate non recreetur, ac roboretur.

Naturæ humanę magna imbecillitas. C

Natura enim fragilis, & deprauata, ita pugnando laborat, & fatigatur, vt quò ſæpius tentationi reluctetur, propiùs ei nihil ſit, quàm vt exanimetur, & concidat prorſus ad Sampſonis ſimilitudinem, qui cùm ſæpiùs pernegaſſet Dalidæ, quod illa pertinaciter poſtulabat; ceſſit tandem fœminæ, importunitate victus virorum fortiſſimus: nam vt Scriptura docet: Cumq. *moleſta eſſet ei*, nimirum Dalida, *& per multos dies iugiter adhæreret, nullum ad quietem ſpatium tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vſque laſſata eſt*.

Iudic. 16 16

Qua in re expreſſam videmus naturæ imbecillitatem, & quantum neceſſe habeat diuinis conſolationibus ſubleuari, non ſolum, vt in certamine non deficiat; ſed etiam vt ſe ipſam, ſuoſque aduerſarios vincat: etenim, vt Chryſoſtomus ait: *Quibuſuis armis firmior, & violentior eſt voluptas, quæ ſecundum Deum percipitur, nec quicquam eſt, quod huiuſmodi virum, in triſtitiam, ac mœrorem poſſit conijcere*.

Chriſoſt. ho. 1 & 2. ad Cor. D

Quare ſicut ſtatus matrimonij ſpiritualis, quo anima cum Deo nupſit, onera habet ſua, & gaudia; & onera propter gaudia ita feruntur, vt ſine illis intolerabilia omnino ſint; ita ſtatus matrimonij ſpiritualis onus, & dulcedinem habet, tempeſtates nimirum variarum tentationum (quia, vt Sapiens ait: *Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*) & tranquillitates dulciſſimorum cum Deo colloquiorum, amplexuum, & caſtiſſimorum oculorum, quibus anima pia diuina conſolatione ita roboratur, vt nulla deinceps valeat tentatione concuti, vel à recto dimoueri.

Eccli. 2. 1

Etenim, vt Iſaias ait: *Computreſcet iugum à facie olei*, iugum nimirum laboris, & tentationis à facie olei lætitiæ, & conſolationis diuinæ, quam Deus in ipſa etiam tempeſtate laboris miniſtrare ſolet, ne fluctibus obruatur.

Iſa. 10. 27 E

Sic Ezechiel *de medio ignis*, per quem obſidio vrbis, eiuſque conflagratio exprimebatur, electrum, diuinæ miſericordiæ ſymbolum vidit, vnde ait: *& de medio ignis tanquam ſpecies electri*, ideſt, imago hominis ſplendida, repræſentans Deum (qui dicitur, *amictus lumine, ſicut veſtimento*) ſupra lumbos *electrina*, vt mox eodem conſtat Ezechiele, & infra ignea, quia Deus, *cùm iratus fuerit*, vt dicit Habacuc, *miſericordiæ recordabitur*.

Ezech. 1. 4

Angelorum maxima dignitas, & pulchritudo.

Habac. 3. 2

electrum autem miſericordiæ ſymbolum eſſe docet eodem loco Hieronymus, quòd attrahendi, alliciendiq. vim habeat, ſicut habet miſericordia. Hinc B. Paulus eodem ſenſu dixit: *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*.

2. Cor. 1. 5 F

Neque enim cogitare debemus in militia Dei aliquem eſſe militem, qui ſuo ſtipendio, aut debitis obſequiis careat: nam hæc duo ſunt, quæ maximopere virum iuſtum conturbant: *In duobus*, inquit Eccleſiaſticus, *contriſtatum eſt cor meum vir bellator deficiens per inopiam, & vir ſenſatus contemptus*, ideſt militem videre, qui in bello ſtrenuus poſt bellum ſine præmio cogatur infeliciter oſtiatim panem emendicare, vel virum ſenſatum, qui apud omnes inhonoratus incedat.

Eccli. 26 25. 26

Non inquam hæc in domo Dei confuſio; ſed qui feliciter, & ſtrenuè ſe habuerit, mercedem debitam à Deo recipiet, & poſt tempeſtatem tranquillum. Verùm extorres ab his diuinis conſolationibus habentur, quicunque terrenas quærunt conſolationes, quia, vt Bernardus ait: *Pretioſa quidem diuina conſolatio eſt, nec omnino tribuitur admittentibus alienam*.

Bern. in ſer. ſup. cap. 19. Matth. G

Vnde Berſabea filium in libro prouerbiorum alloquens, ait: *Noli regibus ò Samuel, noli regibus dare vinum, date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo, bibant: & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius*.

Prou. 31 6. 7

quem locum Hieronymus de ſpiritualis conſolationis vino intelligit, quòd à Deo congruo tempore ad potandum porrectum, animam in mœrore deficientem lætificet, triſtitiamque omnem expellat. Et optimè quidem: nam vinum lætificare cor hominis & Pſaltes docuit: vnde & illud potatum, remedium eſſe triſtitiæ multi dicunt: quod reſponſum Anacharſidis ſcitè declarat, qui in conuiuio à quodam, qui diu multumque biberat, lætuſque canebat, interrogatus, num ſimilis eſſet cantus in ſua ciuitate: reſpondit, *neque vinum quidem*.

Qui conſolationibus terrenis abundant, cæleſtibus carent.

Ex quo etiam factum legimus, vt ad leniendum dolorem mortis, daretur in potum patibulo adiudicatis, illudq. cauſam fuiſſe ebrietatis Noe, narrat Chryſoſtomus, dum ait: *tenebatur Noe magna triſtitia, & ex potatione vini ſibi ipſi conſolationem excogitare valebat*.

Socrat. in Xenoph. in ſympoſ. H

Chryſoſt. hom. 29. in Gen. parũ à princ.

Non des igitur, inquit Berſabæa Salomoni filio ſuo, *non des regibus vinum*; ſed da illud *mœrentibus, et ijs, qui amaro ſunt animo*, apertè innuens, vinum diuinarum conſolationum, quod lætificat cor hominis, non voluptate terrena diſſolutis, non diem in ludis, & fabulis traducentibus, ſed ijs, qui illis renuntiantes, *amaro animo in mundanis ſunt*, à Deo communicari. Quare dum angimur aliqua tribulatio-

ne,

Pſ.26.14 Aug.ibi.

ne, non mundum; ſed Dominum expectare debemus, qui conſoletur nos. Sic Dauid: *Expecta Dominum, ait, viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum*. Quo in loco Auguſtinus: *non ſuſtinebis mendacem, non eum, qui poterit falli, non eum, qui non eſt inuenturus quid det*. Hinc Dominus per Iſaiã:

Iſa.26. 20 I

Vade, inquit, *popule meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio mea*, docens, aduerſa omnia, quæ in hoc mundo patimur, momentanea futura, ſumpta metaphora ab eo, quod ſæuiente tempeſtatibus cælo, accidere ſolet, in quo nubes aliquando conſpicitur adeò tenebroſa, tantiſque tonitruis, fulminibusq. indignata, vt mundum conſumptura videatur, quam conſpicati paſtores, gregem relinquẽtes, & arator ſtiuam, ad caulas confugiunt, quæ tamen ad *momentum*, paulò poſt à modico vento conſumitur, vel ab eo, qui noctu cubicula dormiturus ingreditur, qui, & ſi aliquantiſper clauſo oſtio futurus ſit in tenebris, ingreditur tamen non grauatè, quia prope eſt, vt dies adueniat, & foras ſe rurſus det in aliorum conſpectum; ſic & iracundus homo, ſed pius aliquando facit, qui licet ſe terribilem, & formidabilem domeſticis oſtendere ſoleat, tamen ſedata mox ira, blandiſſimis verbis ſeruos alloquitur, eosq. tot ac tantis donat muneribus, vt valdè lætentur, per modicum illud temporis domini ſui iram patienter ſuſtinuiſſe, quæ ipſis tantorum bonorum fuit origo.

Aduerſa huius mũdi momentanea.

I

Quòd in tribulationum tempeſtate patientia exerceatur, & augeatur virtus, deq. impatientiæ damnis.

DOCVMENTVM III.

A

INFVNDIT quidem Deus, vt Sarà loquitur, poſt lacrymationem, & fletum exultationem, quia in tribulationibus fortior euadit homo, & in virtute perfectior. vndè B. Paulus: *Cum enim infirmor*, ait, *tunc innocens ſum*. Exercet enim tribulatio patientiam, quæ non exercita, ſepenumero inepta redditur ad pugnandum contra diabolum: nam quomodo gladium in vagina diu incluſus, tantam rubiginem contrahit, vt educi cum nequeat, inutilis omnino reddatur ad pugnam, ſic non exercita patientiæ virtus, adeò torpeſcit, vt ægrè aduerſariorum inſultibus homo reſiſtat: & quemadmodum non eſt arbor ſolida, nec fortis, vt Seneca docet, niſi in quam frequens uentus incurſat: (ipſa enim vexatione arbor conſtringitur, & radices fortiùs, altiusq. defigit, vndè fragiles ſunt, quæ in aprica valle naſcuntur) ita in ferendis aduerſis delicati

2.Cor.12 10

Augetur patientia in aduerſis, perficiturq.

Patientia in proſperitate torpeſcit.

ſunt, qui longo priùs malorũ vſu non fuerunt exercitati: & tandem ſicut lateres, niſi igni coquantur, mox vbi aquam imbiberint, diſſoluuntur, ac dilabuntur; ita facilè tentationi cedunt, & ab omni aduerſitatum aqua ſoluuntur, qui priùs in fornace tentationum non ſunt probati. *Sic etiam mare nauigantes*, inquit Chryſoſtomus, *qui innumeras procellas tulerunt, multasque hyemes perpeſſi ſunt ante, quàm merces referant, non parum peregrinationis ſuæ lucrum reportant, eo quòd aliquantò fidentiores ſunt, & pelagi ſæuitiam minùs horrent*; ita qui in præſenti vita multas propter Chriſtum fere afflictiones, magna hic potitur fiducia, animamque ſuam ita excelſam efficit, vt poſthac grauiora omnia quaſi è ſublime derideat. Quod patet exemplo Dauidis, qui congreſſurus cum Goliath: *Deus*, ait, *eripuit me de manu leonis, & vrſi, liberabit me etiam ab iſto Philiſtæo*; Et Beati Pauli, qui ait: *Liberauit me Dominus ab omni opere malo: & ſaluum faciet in regnum ſuum cæleſtem*. & alibi: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem.*

B

Chryſoſt.

1.Reg.17. 37

C

2.Tim.4 18

Rom.5.3 4

Infundit deinde patientia item exultationem; ipſarum aduerſitatum dolorem non modicè leniens: nam impatientia cor premitur, corroditur, & abſumitur, vt in prouerbijs habetur: *Animus gaudens ætatem floridam facit: ſpiritus triſtis exſiccat oſſa*. & alibi: *ſicut tinea veſtimento, & vermis ligno; ita triſtitia viri nocet cordi*. Citius etiam à tribulatione liberat; quia facit Deus, ſicut pater ſolet, qui miſericordia motus, citiùs deſiſtit à virga, quando puerum patienter ſuſtinentem flagella, conſpicit, quæ ſi cum murmure, & clamoribus ferat, magis contra illum exardeſcit, ipſumque durius verberat: & ſicuti auis virgæ viſcoſæ inſidens, quo magis alas concutit, eò magis viſco pennæ adglutinantur; ita quò magis impatienter homo diuina flagella ſuſtinet, eò grauiora ſemper à Domino demeretur, & ſicut piſcis reti incluſus, quò magis ſe ſe agitat, eò magis implicatur, & qui alligatus eſt ferreis catenis, quò ſeſe magis mouet, eo maiores ſibi dolores infert; ſic vir impatiens eò maiore angitur afflictione, quò inflictos ſibi dolores maiore impatientia ſuſtinet. Quare Plinius: *animus fortis*, inquit, *in re mala dimidium mali tolerat*.

Prou. 17 22. & 25 20

Liberat citius a tribulationibus.

D

Dolorem minuit.

Plin. rerũ natural. lib. 9

Summus præterea honos coram hominibus, Angelis, Sanctis, & ipſo Deo eſt patientiæ. E contra verò impatientia confunditur coram omnibus creaturis, & ipſo etiam Creatore. Sic dum hortata eſt populum Bethuliæ ad ſufferentiam ſancta Iudith, dixit: *Memores eſſe debent, quomodo pater noſter Abraham tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt: Sic Iſaac, &c. illi autem, qui tentationes non*

Patientiæ honor ſummus, impatientiæ confuſio debetur.

E

Iudith 8 21

ſu-

ſuſceperunt cum timore Domini, & impatientiam ſuam, & improperium murmurationis ſuæ contra Dominum protulerunt, exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt. Vitanda itaque nobis eſt impatientia, ne ſimul cum illis ad exterminium æternum deducamur: nam ſicut illis, qui tempore prælij ſunt ignaui, nec fortiter hoſti certanti reſiſtunt, deuaſtantur campi, ſpoliantur ædes, incenduntur pagi, exhauriuntur regiones, occiduntur viri, & ferè infinita alia inferuntur damna; ſic in ſpirituali prælio omnia bona animæ conſumuntur, niſi fortiter reſiſtamus armis muniti patientiæ, quæ poſt tempeſtatem exultationem affert, & vitam ſempiternam.

VERS. XXIV.

In illo tempore exauditæ ſunt preces amborum in conſpectu gloriæ ſummi Dei.

VERS. XXV.

Et miſſus eſt Angelus Domini ſanctus Raphaël, vt curaret eos ambos, quorum vno tempore ſunt orationes in conſpectu Domini recitatæ.

1 *Preces Tobiæ, & Saræ quomodo dicantur exauditæ in conſpectu gloriæ ſummi Dei.*
2 *Raphaël cur ſic dictus.*
3 *Quis ille fuerit, & cuius ordinis inter Angelos, & num omnes Angeli mittantur.*
4 *Qui mittuntur, quomodo faciem Dei videant.*
5 *Preces Tobiæ, & Saræ quomodo vno tempore Deo oblatæ.*

VERS. XXIV.

1 IN *illo tempore*, Quo ſcilicet ceſſauit Sara ab oratione ſua;

Exaudita ſunt preces amborum. Saræ nimirum, & Tobiæ.

Arabs. *In conſpectu gloriæ ſummi Dei*. Arabs: *Coram gloria Dei excelſi*, hoc eſt, ante Deū ſummè glorioſum, & excelſum: vel ante omnium beatorum ſpirituum conſpectum, vel ad maiorem ſummi Dei gloriam, quæ ſanè maxima coram hominibus apparuit ex liberatione Tobiæ à cæcitate, & Saræ à dæmonum infeſtatione.

LXX. Quod verò habent hic LXX. *Exaudita eſt oratio amborum in conſpectu gloriæ magni Raphaelis*, ideò dictum eſt, vel quia gloria Raphaëlis, ſicut etiam gloria noſtra ipſe eſt Deus: Vndè Pſaltes: *Tu*, inquit, *Domine ſuſceptor meus es, & gloria mea*: vel quia cum Raphaël ipſum etiam Deum aliquando ſignificet, (vt in ſequenti verſiculo apparebit) Raphaël hic pro Deo ponitur. Pſ. 3. 4.

Et miſſus eſt Angelus Domini Raphaël. Hebræus: *Et miſit Dominus Angelum Raphael principem, curationis præpoſitum*, ſeu vt alij interpretantur, qui ſanitatum eſt præſes: nam Raphael idcircò dicitur, quia bonæ corporis valetudini præeſt: eſt enim Raphael idem ac *medicina Dei* à voce רפא, *rapha*, quæ curare, mederi, parcere, & remittere ſignificat, & à voce אל *el*, quæ ſignificat Deum. Quare & ipſe Deus in Scripturis ſæpè hoc nomine ſe appellat, vt in Exodo: *Ego ſum*, dicit, *Deus Saluator tuus*. Hebræus: רפאך *Raphaek medicina tua*. Sic & Ezechiæ ait: *Ecce Rophelach*, hoc eſt, ſano te, & alibi multoties.

2 Raphael idē, ac medicina Dei.

Exod. 15. 16
4. Reg. 20. 5
Pſ. 106. 13.

3 Raphaëlem fuiſſe Archangelum aſſerunt Iſidorus, Proſper, Seuerus Epiſc. & alij; ſed quo ſenſu non ſat is compertum: nam ſicut nomen Angeli, quod infimo tantummodo ordini appropriatur, etiam beatis aliorum ordinum ſpiritibus accommodari poteſt, ita nomen Archangeli, quamuis ſecundi ſit ordinis infimæ Hierarchiæ, vniuerſaliter tamen cuilibet Angelo accommodari poteſt, cum Arcangelus idem ſit, ac *princeps nuntius*. Sic Michaelem Archangelum dicimus, cùm tamen certum ſit ex Principatib. ſi nō ex Seraphim eſſe: Angelum infimi ordinis Raphaëlem fuiſſe vult S. Thomas, quia tamen ipſe met Raphaël infra, ſe eſſe dicit ex numero ſeptem aliquorum ſummorum aliqua dignitate excellentium, & in Hebræo ex principatibus aſtantibus, & hic LXX. eum magnum appellant, & non ſimpliciter magnum, ſed ſubſtantiuum apponentes, eius præſtantiam maxime illuſtrant; non facile ex infimo Angelorum ordine eum eſſe crediderim, ſed potius alicuius ſuperioris. Et quidem cùm ex ſupremis ſeptem ſpiritibus ſit ſupremi Seraphinorum: nam vt ait B. Paulus: *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi*, omnes intelligo pro ſingulis generum, ſeu ordinum, & non pro generibus ſingulorum; ita vt ſit ſenſus: de quolibet ordine Angelorum mitti in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis: de ſuperioribus nimirum ordinibus aliquos; idque admodum raro: de infimo verò multos, & ſæpè. Scio non vnam eſſe hac de re ſcriptorum ſententiam; hæc tamen mihi probabilior, quòd magis ſacris ſcripturis videatur conſona, & inter Patres communior. Habemus enim in ſacris literis Cherubim, & Seraphim miſſos: quòd ſi illos ſignificatione impropria accipiamus, non erit amplius, vnde ex illis probemus ſupremos hoſce ordines dari. Miſſi ſunt Cherubim ad cuſtodiendum paradiſum volupta-

Iſid. l. 6. c. 5. Proſp. l. de promiſſ. p. 2. c. 39. S. Seuerus Epiſc. Minoricen. epiſt. de cōuer. Iud. apud Baron. tom. 5. anno 418.
Raphael quis fuerit, & cuius ordinis inter Angelos.
S. Tho. 2. ſent. diſt. 10. ad lit. inf. c. 12. verſ. 15
Heb. 1. 14
Infimi ordinis frequentius mittuntur, quàm aliorum ordinum.
Cherubim, & Seraphim aliquando miſſi.
Gen. 3. 24.

tis,

Aug.li.12. in Gen.ad lit. c. 40. Chryſoſt ibid.hom. 19. Rupertus, & Cyrill. ibi. Chryſ ibi. & to com. Amorrhaeos. Hier.ibi & in epiſt. de bac. uit. ad Dam. l.1.de fid. c.3 Iſa.6

tis, quos verò Angelos fuiſſe ſupremæ Hierarchiæ ordinis Cherubinorum, cenſuerunt Auguſtinus, Chryſoſtomus, Rupertus, & alij. Deinde apud Iſaiam habetur: *Et volauit ad me vnus de Seraphim.* quo in loco Cyrillus Seraphim docet ſupremas eſſe poteſtates, quod etiam docent Hieronymus, Damaſcenus, & alij; quod licèt rarò factum fuiſſe legamus, non tamen præter ordinem, ſed iuxta ordinem à Deo ſtatum, factum eſt: nam ad diuinam ſapientiam, & prouidentiam ſpectare videtur, vt ad communia miniſtèria de inferioribus ordinibus ad nos mittat; ad præcipua vero, & inſigniora de ſuperioribus. Neq; obſtat proprietas nominũ: nam & Seraphim dici poſſunt, eò quòd incẽdant, & Cherubim, eò quòd doceant, & Throni, eò quòd ſedẽtem in ſe Deum ad nos ferant, &c. apparet igitur nihil impedire, quin, & Raphael ex ſupremo ſit ordine Seraphinorum.

Angeli qui ad nos mittũtur ſemper vident Deũ. *Greg.li.2.moral.c.3*

4 *Miſſus* igitur *eſt Raphael,* Vnus è ſupremis ſpiritibus à Deo, vt curaret Tobiam, & Saram; ita tamen vt miniſterijs his externis occupatus, non deſineret videre Deum. nam *Angeli,* vt inquit Gregorius, *mittuntur, & aſſiſtũt, quia per hoc, quòd circũſcripti ſunt, exeunt, & per hoc quod intus quoque ſunt, nunquam recedunt, & faciem ergo patris ſemper vident, & tamen ad nos veniũt.*

Mitti quid ſit

Mitti enim ab alio dicitur id, quod per ſui aliqualem proceſſionem ab alio incipit eſſe aliquo modo alicubi, vbi priùs non erat, quod fit in Angelo, quotieſcunq; per diuinum imperium actione aliqua tranſeunte, incipit eſſe nouo modo, vbi prius non erat.

Græcus.

Vt curaret eos ambos. Miſſus eſt Raphael, habet Græcus, *vt ambobus mederetur, ipſius Tobiæ albugines abſtergeret, & Saram Raguelis filiam daret Tobiæ, filio Tobiæ vxorem, & vinciret Aſmodæum malum dæmonium, quia ad Tobiam pertineret hæreditatem illam accipere.*

Quorum vno tempore, Eo nimirum, quo Tobias orabat in Niniue extra domũ ſuam in aliquo fortè remotiore loco, & Sara in Rages in cœnaculo domus ſuæ. vndè Græcus: *Eorum,* inquit, *tempore domum redyt Tobias, à ſua nimirum oratione, & Sara è cœnaculo deſcendit.* Quare & *vno eodemq. tempore vtriuſque orationes ſunt.*

Inf.c.12.12

In conſpectu domini recitata, Ab Angelo nimirum Raphaele, qui, vt infra videbimus, hæc Tobiæ habuit: *Quando orabas eum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino,* vbi Græcus legit: *quando oraſti tu, & ſponſa tua Sara, ego obtuli memoriam orationis veſtræ coram Sancto.* Nam licèt Raphael tutelaris Tobię Angelus haud eſſet, ad quem ſicut etiam ad alios tutelares cæterorum hominum maxime ſpectare videtur ſingulorum preces offerre; erat tamen vnus ex ſeptem Angelis aſſiſtentibus, qui preces Sanctorum ab ipſis met Angelis cuſtodibus excipientes, Deo ex munere offerunt: Arabs. *Quoniam orationes acceptæ fuerunt vno tempore ante Deum.*

Græcus.

Raphael non erat Angelus tutelaris Tobiæ. *Apoc.8.4*

Arabs.

Quòd magna ſit Dei pietas hominum cuſtodiam Angelis demandare.

DOCVMENTVM I.

A *Bern. ſer. 12. in pſ. Qui habitat.*

HIC iam placet mentem attollere, & cum Bernardo exelamare: *Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis; Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Quis enim, quibus de quo qdid mandauit? Is mandauit, cuius ſunt Angeli, cuius mandatis obtemperant, cuius obediunt voluntati. Mandauit Angelis, & Angelis ſuis mandauit, illis vtique ſublimibus tam beatis, tam proximis, ſibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, & verè domeſticis Dei. His mandauit de te, tu quis es? Domine quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam reputas eum? quaſi vero non ſit homo putredo, & filius hominis vermis! ſed quid putas mandauit de te? nunquid ſcripſit contra te amaritudines? nunquid vt contra folium, quod vento rapitur, oſtendat potentiam ſuam, & ſtipulam ſiccam perſequatur? Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis:* mandauit nimirum ſpiritibus iſtis ſublimibus, vt te viliſſimum puluerem cuſtodiant. Conſidera quæſo vilitatẽ tuam; conſidera dignitatem Angelicam, & admirare ſupremam Dei tui bonitatem, à qua tali cuſtode donaris. Vide inquam vilitatem tuam, qui per peccatum ad eam miſeriam deueniſti, vt ſicut quondam nihil te felicius in terris; ita nunc nihil te infelicius occurrat: nam domicilium tuum ſi ſpectes, prò patria exilium te nactum eſſe cognoſces: pro paradiſo vallem lacrymarum, vaſtas, & horridas ſolitudines, idq. toto vitæ tempore. Si ſpectes corpus, illud doloribus, morbis, & infinitis propemodum iniurijs videbis obnoxinm: ſi mentem, illam veſanam, leuem, anxiam reperies: Et tandem, ſi totum te ipſum conſideres, omnium te vanitatum compendium eſſe cognoſces, iuxta illud Dauidicum: *Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens,* hoc eſt, tantummodo omnis homo viuens vniuerſa vanitas: ſeu nullus eſt homo, qui non omnem vanitatem habeat, & nulla alia res eſt prēter hominem, in qua omnis vanitatis veſtigia deprehendantur: eſt enim hic *veruntamen* particula non excluſiua, ant aduerſatiua, ſed affirmans, idemq. pollens, ac *tantùmodo.* Quod fa-

B Hominis quãta ſit vtilitas & miſeria.

C Homo ũanitatum omnium compendium. *Pſ.38.6*

Veruntamen particula aliquando pollens, ac tantummodo.

facile verum ille eſſe dignoſcit, qui omnium aliarum creaturarũ, ſiue intellectualiũ, ſiuè non intellectualiũ: ſenſibiliũ, ſiue inſenſibiliũ, vanirates in vno homine contentas eſſe conſiderat. Etenim habet ille cum intellectualibus voluntatis diſcordiam, conſilij varie-

D tatem, ſtudiorum mutabilitatem, cogitationum inconſtantiam, opinionum errores, & deliramenta: cum ſenſibilibus tactus dolorem, odoratus fœtorem, viſus caliginem, aurium obſtructionem, guſtus amaritiem: cum vegetabilibus alterationes, decretiones, & denique cum alijs omnibus creaturis, cæteras ipſarum omnium vanitates. Mira res: & huic vanitatum omnium compendio à ſummo omnium regnorum Domino Angelus cuſtos eſt deputatus. Angelus, in-

Bern. ſer. 1. de S. Michaele Archangelo.

quam, cuius dignitas, & præſtantia tanta eſt, vt, ſicut Bernard. ait, *nec verbis exprimi, nec mente concipi poſſit.* Quem Ezechiel omnium gratiarum eſſe ſynopſim elegantiſſimè indicauit: vbi de Lucifero ſub figura regis Tyri, vt vult Gregorius, verba faciens ait.

Ezech. 28. 12

Angelorum maxima dignitas.

Greg. lib. 22 moral. c. 18

Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore in delicijs Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum:

E qnæ licèt de Lucifero ſub figura regis Tyri dicta fuiſſe S. Gregorius doceat, tamen ad dignitatem etiam Angelorum explicandam congruere poſſe ſatis liquet: nam & Angelus ſignaculum dicitur ſimilitudinis; quia, vt idem Gregorius ait: *De ſigillo annuli talis ſimilitudo imaginaliter exprimitur, qualis in ſigillo eodem eſſentialiter habetur: & licèt homo ad ſimilitudinem Dei creatus ſit: Angelo tamen, quaſi magis aliquid tribuens, non eum ad ſimilitudinem Dei conditum, ſed ipſum ſignaculum Dei ſimilitudinis dicit, vt quo ſubtilior eſt in natura, eò in illo ſimilitudo Dei plenius credatur expreſſa.*

Angelus plenus ſapientia.

Dicitur *plenus ſapientia*, quia ita creatus à Deo fuit, vt intellectum omni ſcientiarum genere, & multarum rerum ſupernaturalium cognitione exornatum haberet, adeoque perfectum, vt ſine diſcurſu, & ſolo ſimplici intuitu creata omnia, ſeq. ipſum intelligeret, & *voluntatem plenam haberet omni genere virtutum, & gratia habituali.*

S. Th. p. 1. q. 62. ar. 3

F

Perfectus decore.

Perfectus decore, quia tanta eius pulchritudo eſt, vt B. Ioannes, qui ſcientiarum arcana in Dominici pectoris fonte potauit, quiq. veluti Aquila ſolẽ conſpiciens, Euangelium illis profundiſſimis verbis exorſus eſt: *In principio erat verbum*; dum vnum ex illis conſpexiſſet, adeò eius pulchritudinem admiratus eſt, vt Deum ſe videre arbitratus, illum adorare voluerit, & adoraſſet, niſi ab eodem prohibitus fuiſſet. Vndè & Chriſtus Sanctæ Brigidæ hæc de eius pulchritudine nuntiauit: *ſi videres ſpiritualem pulchritudinem Angelorum & animarum ſanctarum, corpus tuum non ſufficeret videre, ſed rumperetur, vt vas corruptum, propter gaudium animæ ex viſione.*

Io. 1. 1.

S. Brig. ſuis reuelat.

Sur. Aprili.

Angelorum viſio iucundiſſima.

G

Hinc de Sancta Lyduuina legimus, quòd acerbiſſimis animi corporiſque cruciatibus impetita, tutelaris angeli aſpectu ita recreabatur, vt dolorum omnium, & angorum oblita, ſummoperè triumpharet: quod cum vidua quædam venerabilis præſenſiſſet, importunis precibus ab ea obtinuit, vt ſibi eiuſdem Angeli videndi copiam à Domino impetraret. Quare cum aliquando vna cum illa, clauſo oſtio, Deo preces effunderet, Angelus incredibili ſplendoris pulchitudine coruſcans, illi apparuit, cuius aſpectu tanto eſt gaudio perfuſa, vt prorſus in amorem pulchritudinis illius abſorberetur: cumq. Angelus Lyduuinæ rogatu, oculorum obtutũ in eam defigeret, eius animus tam vehementi amoris flamma ardere cœpit, vt cibi potusq. oblita, à lacrymis præ nimio gaudio ſibi temperare non poſſet: nec mirum videri debet, *cum omnis lapis pretioſus ſit operimentum eius*: nam ſi Moyſes aliquorum

H dierum ſpatio cum Deo in monte Synai verſatus, tantum recepit ex diuino colloquio ſplendoris, vt non poſſet, niſi velata facie videri; quid mirum ſi Angeli, *qui in delicijs ſunt paradiſi*, quiq. habent omnem lapidem pro operimento pretioſum, tanto ſint ſplendore coruſci!

Præterea tanta eſt eorum potentia, vt curribus ignitis ſimiles Eliſæo apparuerint: nihil enim actiuius, nihil efficacius ad operandum igne; tanta eſt eorum fortitudo, vt in ſimilitudine caſtrorum à Iacob profugo viſi ſint, & in Canticis fortis nomine compellantur, vbi dicitur. *En lectulum Salomonis, quinquaginta fortes ambiunt illum*. tanta eſt eorum perfectio, vt nulla poſſit cum eis creatura comparari: nam cum, teſte Ariſtotele, ſpecies rerum ſint ſicut numeri, quorum ſuperior inferiore ſemper eſt perfectior; infimus naturæ Angelicæ, cùm toti naturæ corporeæ ſit ſuperior, vtpotè ſpiritualis; ſequitur, infimum Angelum cunctis creaturis corporeis perfectiorem, & nobiliorem eſſe, & ſecundum infimo, & ſecundo tertium, & ſic de ſingulis: nam, ſi Sancto Thomæ credimus, ſinguli inter ſe ſpecie differunt, cum materiam diſtinctionis numericæ cauſam non habeant.

4. Reg. 6.

Angelorum potentia, fortitudo, & perfectio maxima.

Cant. 3. 7.

Angelus infimi ordinis cunctis eſt rebus ſublunaribus perfectior.

S. Tho. p. 1. q. 50. ar. 5

Angelus ab Angelo ſpecie differt.

Cum itaq; hanc nobiliſſimam creaturam nobis viliſſimis terræ vermiculis Deus cuſtodem dederit in omnibus vijs noſtris; meritò nobis cum Hieronymo Domini benignitatem admirantibus fas eſt dicere: *magna dignitas animarũ, vt vnaquæq; habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum*. Nam ſi Alexandrum cognomento Magnum dixiſſe ferunt, ſibi gratius extitiſſe, quòd ab Ariſtotele bonorum diſciplinarum præceptis eſſet imbutus, quã quòd Philippo Macedonum rege eſſet progenitus,

Hier. l. 3. comment. in Mat. refertur in Breuiario die 29. Septemb. in hom.

Magna eſt homini dignitas Angelorum cuſtodia.

quid

quid dicere nos debemus, quibus Angelus
I. cuſtos eſt datus? Magna dignitas pauperrimi
Iſa. 49. 23. puelli lacte regio paſci. Vnde Iſaias: *Erunt reges nutritij tui*, ſed maior dignitas animarum, quibus cæleſtis nutritius eſt deputatus. O præclarum immenſæ bonitatis indicium! ò maximum diuini amoris erga nos argumentum!

SYNOPSIS CAPITIS IV.

Tobias, cùm ſe breui putaret moriturum, filio pijſſima ſalutis monita inculcat, eleëmoſynæ virtutem declarat; deq. decem argenti talentis, Gabelo mutuo datis indicat.

CAPVT QVARTVM.

1 IGITVR cùm Tobias putaret orationem ſuam exaudiri, vt mori potuiſſet, vocauit ad ſe Tobiam filium ſuum, dixitq́. ei.

2 Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quaſi fundamentum conſtrue.

3 Cum acceperit Deus animam meã, corpus meum ſepeli: & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius.

4 Memor enim eſſe debes, quæ, & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo.

5 Cum autẽ & ipſa compleuerit tempus vitæ ſuæ, ſepelias eam circa me.

6 Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue, ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.

7 Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab illo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.

8 Quomodo potueris, ita eſto miſericors.

9 Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguom libenter impertiri ſtude.

10 Præmium enim tibi bonum theſaurizas in die neceſſitatis.

11 Quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.

12 Fiducia magna erit coram ſummo Deo, eleemoſyna omnibus facientibus eam.

13 Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire.

14 Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.

15 Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat.

16 Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.

17 Panem tuum cum eſurientibus, & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege.

18 Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cũ peccatoribus.

19 Conſilium ſemper à ſapiente perquire.

20 Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.

21 Indico etiam tibi fili mi, dediſſe me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus eſſes, Gabelo in Rages ciuitate Medorum, & chirographum eius apud me habeo.

22 Et ideò perquire, quomodo ad eum peruenias, & recipias ab eo ſupra memoratum pondus argenti, & reſtituas ei chirographum ſuum.

23 Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè.

VERS. I.

Igitur cum Tobias putaret orationem ſuam exaudiri, vt mori potuiſſet, vocauit ad ſe Tobiam filium ſuum, dixitq. ei.

1 *Continuatio hiſtoria.*
2 *Orationem ſuam cur exauditam putarit Tobias.*

Continuatio hiſtoria.

IGITVR *cum Tobias.* Et iterum narranda ſuſcipit hic Tobias, quæ ſibi ipſi poſt ſuam orationem contigerant, nimirum, quod cum putaret orationem ſuam exaudiri à Deo, vt moreretur, cum reuerſus eſſet in domum ſuam, &, vt L X X. & Syrus docent, recordatus eſſet decem talenta argenti, quæ olim apud Gabelum depoſuerat, dixit: *Ego petij mortem, cur non voco Tobiam filium meum, vt ei indicem prius, quàm ego moriar?* vt illa nimirum recuperare valeret, ſuiſquè neceſſitatibus ſatisfacere: ſic cùm

LXX.
Syrus.

2 *Putaret orationem ſuam exaudiri*, neque enim hæſitabat, Deum ſibi præſtiturum mortem, quam tempore ſibi valdè congruentem, ab illo efflagitauerat, quippè qui optimè illud ſciret, quòd poſtea docuit Caſſianus: nempè, tunc non ambigendum, orationem noſtram exauditam eſſe à Deo, quando orantes nulla nos interpellauerit hæſitatio: *nam*, inquit ille, *tantùm quis exaudire, atque obtinere merebitur, quantùm vel inſpici à Deo, vel Deum crediderit poſſe præſtare; irreuocabilis namque eſt Saluatoris illa ſententia: Quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & venient vobis.* Idcirco Tobias pater.

Caſſian. Coll. 9. c. 31

Vocauit ad ſe Tobiam filium ſuum, Vt ſcilicet non ſolùm illum in depoſito certiorem faceret; ſed etiam, vt monita illi daret ſalutis, quibus in poſterum poſt ſuam mortem, ſe, ſuaq. omnia gubernare poſſet.

Quòd fiducia orationi neceſſaria ſit, & quomodo haberi poſſit.

DOCVMENTVM.

A
Cyprian. epiſt. ad Donat.

EST Dei noſtri miſericordia; veluti inexhauſtus bonorum omnium fons, ad quem accedentes, vt Cyprianus ait, *quantum vas fidei capacitatis afferimus; tantum gratiæ inundantis haurimus.* Vnde per Pſaltem ipſemet Deus ait: *Dilata os tuum*, nimirum fidei, & iuxta illius exigentiam, *ego implebo illud.* Quod etiam exemplis Principis Synagogæ, mulieris, quæ fluxum ſanguinis patiebatur, & Centurionis ſatis manifeſtum relinquitur: quos omnes, iuxta illorum fidei quantitatem, Chriſtus Dominus exauditos eſſe voluit: nam, vt ſanaret filiam principis, ad illam acceſſit, manuſque ſuper illam impoſuit: ſic enim pater ipſius illum rogauerat, dicens: *veni, impone manum tuam, & viuet.* Vt ſanaret Hemoroiſſam, expectauit, vt illa veſtium ſuarum fimbrias tangeret, *Quia*, dicebat illa: *ſi veſtimenta eius tetigero, ſalua ero.* Filium verò Centurionis ſine vllo contactu, ſola voluntate ſanauit: nam illi pater ipſius dixit: *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Etenim, ſicut charitas radix eſt, & fundamentum omnis meriti; ita eſt fiducia radix, & fundamentum omnis impetrationis: vnde ſicut opus, vt more ſcholaſtico loquar, eſſentialiter eſt meritorium, iuxta quantitatem charitatis; ita oratio eſt impetratoria ex quantitate fiduciæ. Quare Dominum orat ſancta Eccleſia, dicens: *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.*

Pſ. 80. 11.
Mar. 5. 22
Idē ibid.
Mat. 8. 8
Gratię nobis à Deo impertiuntur iuxta capacitatē.
Mat. 9. 18
B
Fiducia eſt fundamentū impetrationis, ſicut charitas meriti.
Eccl. Cantic. Te Deum.

Quicunque itaq; exaudiri à Domino deſiderat, oportet, ſicut B. Iacobus ait: *vt poſtulet in fide, nihil hæſitans:* nam, vt ait idem, *qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur: non ergo æſtimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Deo.* Et quidem meritò: nam ſicut Deum maximo honore afficit, qui in ſilentio, & ſpe in illo ita cōfidit, vt in extrema etiam poſitus egeſtate, ſemper cum B. Iob dicat: *Etiam ſi occiderit me, ſperabo in Deum:* ita eundem maxima ille afficit ignominia, qui licèt verbis magna de illo prædicet, diffidit tamen, quæ ſibi opus ſunt, ab illo ſe accepturum. Sicut maxima ille afficeret ignominia medicum, qui eum licèt ore optimum eſſe diceret; opere tamen reſpueret, alium in ſuis infirmitatibus quærens. Quod quantum ipſi Deo diſpliceat, non obſcure in libro numerorum ſignificauit; quando ad ſedandum populum, ob defectum aquæ tumultuantem, præcepit Moyſi, & Aaron, vt verbis extraherent aquas de petra: *Loquimini*: dicens, *ad petram coram eis, & dabit vobis aquas*: non dum illi dubitantes, non verbo, ſed bina virgæ percuſſione ex petra aquam eduxiſſent; iratus Dominus, ingreſſum terræ promiſſionis illis interdictum voluit: *quia*, inquiens, *non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Et ipſe Moyſes hac de re loquens, ait: *Iratus eſt Dominus contra me*, Propter ſermones veſtros, *& iurauit, vt non tranſirem Iordanem, nec ingrederer terram optimam,*

Iac. 1. 6. 7.
C
Iob 1. 6.
Fides orationem comitetur oportet.
D
Num. 20. 8.
Num. 20. 12.
Deut. 4. 21

quam daturus eſt vobis. quam pœnam Deus nullis deinceps precibus reuocare voluit, ſicut idem Moyſes teſtatum reliquit, vbi ait:

Deut. 3. 26 *Precatus ſum Dominum in tempore illo, dicens: tranſibo, & videbo terram hanc optimã: iratusq. eſt Dominus mihi propter vos, nec*

E

1. Mach. 8 *exaudiuit me.* Et magnus iuxta, ac fortiſſimus vir Iudas Machabæus, qui Deo fidens, de ſuis ſemper hoſtibus triumphauit, vbi fœdus cum Romanis iniens, fidere in terrenis auxilijs cœpit, à Deo derelictus miſerè interijt: etenim ſicut iuſtiſſime pijſſimus pater filio iraſceretur ſuo, ſi illum idcirco mœrore affici intelligeret, quòd in ſuis neceſſitatibus ab illo ſe deſeri pertimeſceret; ita iuſtiſſime nobis iraſcitur Deus, & pater noſter, vbi nos mœrore conſpicit, deque ſuo auxilio diffidere.

Mich. 4. 9. Quamobrem meritò per Michęam nos increpans, ait: *Et nunc quare mœrore contraheris? nunquid rex non eſt tibi? aut conſiliarius tuus perijt, quia comprehendit te dolor, vt parturientis?* Quia regis cùm ſit ſubditos fidei ſuæ commiſſos virtute tueri, & conſiliarij ratione, & conſilio iuuare, non eſt cur ille mœrore contrahatur, aut afficiatur dolore, qui regem

F

adeò potentem, & conſiliarium adeò ſapientem Deum ſuum habet.

Aug. trac. 6. expoſit. in ep. B. Ioan. ante med.

Orationes noſtras ſemper exaudit Deus, ſi non ad voluntatem, ſaltem ad ſalutem.

Quicquid igitur orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. Et quidem, vt docet Auguſtinus: *ſi non ad voluntatem, ſaltem ad ſalutem:* etenim ait ille: *ſancti ſemper exaudiuntur ad ſalutem, licèt non ſemper exaudiuntur ad voluntatem, quia & ſi Deus voluntati noſtræ aliquando non dat, dat tamen ſaluti. Quid, ſi hoc petieris, quod tibi obeſt, & medicus nouit, quia obeſt tibi? non enim te exaudiuit medicus, quando fortè tu frigidam aquam petis, & ſi prodeſt, ſtatim dat, et ſi non prodeſt, non dat: non exaudiuit, an potius ad ſanitatem exaudiuit, quia voluntati cõtradixit?* Sic non exaudiuit Deus Tobiam in eo, quod petijt, ſed in eo, quod voluit, reſpiciens petitiones cordis eius, *non quaſcunque*, vt Bernardus loquitur, *ſed quas approbabat iudicium rationis:* nam ut Pſaltes ait, *deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris ſua.*

Bern. ſer. 5. in quadrag.

Pſ. 9. 17

G

3. Reg. 2. 20

Sic Salomon matri ſuæ promiſit omnia concedere, quæ illa poſciſſet. *Neque enim,* dicens, *fas eſt, mater mea, vt auertam faciem meam à te.* qui tamen, vbi illam expoſcentem audiuit, vt Abigag Sunamitidis Adoniæ fratri ſuo daretur vxor, quid corde potiùs mater depoſceret rimatus, quàm quod verbis efflagitabat, negauit poſtulatum concedere, ſciebat enim, ex illa petitione nihil aliud ſibi velle Adoniam, quàm aditũ ad regnum ſibi patefacere, quod mater nullo pacto admittebat. Ex quo quanta ſit Dei noſtri bonitas apparet, qui tanta nos ſolicitudine curat, vt quoties ignorãtes petimus, quod inutile nobis eſt, nos in illo minime audiat; ſed eius loco aliud donet, quod magis, ſi de illo interrogaremur, nobis in optatis eſſet. Sic & pater carnalis paruulo quęrenti panem libenter porrigit, quærenti cultellum, vt panem frangat, non porrigit, ſed magis panem ipſe frangit, vel frangi à famulis præcipit.

H

Fiduciã orationi neceſſariã iuuat oculos mentis a peccatis ad Deum conuertere.

Iam verò ad hanc fiduciam in oratione neceſſariam habendam, illud id primis curare oportet, vt oculos à peccatis noſtris auertentes, illos ad diuinam conuertamus bonitatem: nam ſicut illi, qui amnem vado ſuperare contendunt, ne rapido aquarum curſu perturbentur, oculos ab illo auertentes, aliò deflectunt: ita qui orat, ne ſuorum peccatorũ conſideratione perturbetur, oculos ab illis interim amouendo, ad immenſam Dei bonitatẽ conuertere debet, illiusq. inexhauſtos diuitiarũ theſauros conſiderare, qui tanti ſunt, vt nullis largitionibus imminui, nullis muneribus deteriorari queant: nã ſi mare tot fluminibus, ac fontibus ab eo dimanantibus non minuitur: quid mirum, ſi infinita illa, & immenſa diuitiarum abyſſus munerum ſuorũ diſtributione nõ deficiat? Hinc fit, nec Deum noſtrarum precum vllo vnquam tædio affici, ſed potius gaudere, quauis benefaciendi opportunitate oblata.

I

Et merita Chriſti conſideranda Deo Patri proponere.

Proponenda ſunt etiã præ oculis noſtris indeficientia Saluatoris noſtri merita, quæ nobis ipſe ſupremo Patri offerenda contulit, dicens: *ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis:* nam ſicut Thamar ab igne, cui tãquam meretrix à ſocero ſuo fuerat adiudicata, tunc liberata eſt, quãdo ſigna protulit, quę, qualis, & cuius eſſet conceptus demonſtrabãt; ſic nos Deus ab omni malo liberat, vbi merita Chriſti ante ipſum conſpicienda proponimus, ob quæ ipſe oĩa nos impetraturos promiſit.

Io. 16. 23

Gen. 38

Chriſtus Altare.

Eſt enim Chriſtus templũ viuum veri Salomonis, & altare, in quo omnes noſtræ petitiones acceptæ ſunt Deo, vt ipſe Dominus per Iſaiam illis verbis teſtatur: *Holocauſta eorũ, & victima eorum placebunt mihi ſupra altari meo:* nam ſicuti vnum tantummodo erat altare in Iſrael, in quo iubebat Deus ſacrificiũ ſibi acceptabile offerri: ita vnus eſt Chriſtus, per quem opera noſtra chara, & accepta habet. Atque adeo hæc ſunt, quorum in primis conſideratione fidentes in noſtra oratione euadimus, cui tamen & bona opera noſtra iungenda ſunt, quæ ſine dubio magnam etiam præbent animæ ſpem diuinæ miſericordiæ.

Iſa. 56. 7

Sed iam parœneticas ſancti Tobiæ ad filiũ præceptiones examinare incipiamus.

VERS. II.

Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quaſi fundamentum conſtrue.

t *Audire hic pro obedire.*

z *Doctrina parentum ante omnia fuit audienda, firmiterque retinenda.*

1 AVDI *fili mi*, Præcipit hic Tobias filio ſuo, vt diligenter attendat, & pareat verbis ſuis: etenim audire hic, non ſolùm ſignificat attendere, ſed etiã obedire, & opere adimplere, vt etiã in Geneſi, vbi dicitur: *Quia audiſti vocẽ vxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo.* Et in lib. Regum: *Quare ergo non audiſti vocem Domini?* Vnde, quando dicit Tobias: *Audi fili mi verba oris mei*, idem eſt, ac ſi dicat: Auſculta fili mi, & obedi præceptis meis, & ſecundum ea, quæ te docuero, operare.

Gen. 3. 17
1. Reg. 15
& alibi.

2 Nec dubium parẽtum eruditionem, & doctrinam ante omnia filijs eſſe audiendam, tum quia illos docere præcipuè ad parentes pertineat; tum quia nemo eo munere melius fungi poterit, vtpotè qui filiorum ſalutem maximè ament, & exoptent: vnde etiam conſequitur, grauius eſſe filiorũ peccatum, qui parentũ ſuorum doctrinam audire, & recipere nolunt, quippè quod primò ſecundæ tabulæ præcepto de honorandis parentibus aduerſetur, ſed de hac re infra ſequenti verſiculo.

Et in corde tuo quaſi fundamentum conſtrua. Ideſt, & illa tam firma retine in corde tuo, vt ſint tibi tanquam regula tuarum operationum: cùm enim fundamentum illud ſit, ſuper quod fabrica, aliauè res fundatur; firmum, ſtabileq. ſit, oportet.

Quòd parentes filios ſuos adhuc pueros virtutem edocere uerbo, & exemplo debeant.

DOCVMENTVM.

A DISCANT oportet hic parentes, qualia eſſe debeant eorum ad filios verba, talia ſcilicet, vt illis ipſis vti poſſint, quaſi firma ſuorum operum regula. Ex quo nullo modo omittere hoc loco poſſum, quin de vecordia parẽtum, quod etiã alibi me feciſſe memini, conquerar, qui filios potius ſcientias, arteſq. docent, quibus diuitias, & fortunæ, vt vocant, bona ſibi cumulare valeant, quàm ea, quę ſunt ad virtutes comparandas idonea, cum tamen non alimentorum modo, vt belluæ, ſed multò magis morum, ac ſtudiorũ probitatis, vt homines, curam gerere debeant, vt filij verum bonum nõ in corpore, vel in terrenis bonis, ſed in anima, & in cæleſtibus gaudijs conſtitutũ, totis viribus adipiſci valeant: nam parentes, qui hac cura neglecta, ſolius corporis alendi curã ſuſcipiunt, natos ſuos non ſecus, ac canes, aut capras ſibi educare velle mihi videntur: quare ſi eos patres grauiter delinquere dicimus, qui filijs neceſſaria ad corporis ſuſtentamentũ ſubtrahunt, quanto grauius eos delinquere dicemus, qui

B eiſdẽ neceſſaria ad animi cultum, & morũ elegantiam nõ præſtant? *Certum eſt enim non natura, ſed diſciplina*, vt Clemens Alexandrinus docet, *viros bonos, & honeſtos fieri*: ſicuti medici, & gubernatores: vnde etiam ſępè contingit, artem, ac diſciplinam corrigere, quod naturæ deeſt, ſicuti in feris, & in infœcundis arboribus apparet. Cæterum vbi ingenium in pueritia excellit, nec ad virtutem inſtituitur, illud deterrimum fieri certum eſt, niſi peculiari Dei gratia adiuuetur: nam, vt Plutarchus ait: *Qui ſolum ſequũtur ingenium ſuum, diſciplina nõ excultũ, magnas faciũt in vitia viciſſitudines, & plerunq; declinant ad deteriora.* Sic enim: *& terra ipſa*, vt idem alibi ait, *quo melior eſt natura, eo magis corrũpitur, ſi negligatur.* Etenim cùm peccare multifariam poſſimus, & benè operari vno tãtũ modo; ſequitur nõ ſecus, ac facilè eſt à ſcopo aberrare, & difficile illum ferire, ita facilè eſſe à via virtutis non cognitę aberrare, & difficile illã reperire, vt propterea planè neceſſe ſit puerum ab aliquo de via virtutis edoceri. Et quidẽ longè diligentius, quã de cæteris artibus liberalibus: nã licèt illis ad præparandã animã ad virtutẽ in primis vtendum eſſe, nemo inficias eat, cùm ſicuti Seneca docet: *vtiles ſint, ſi præparent ingeniũ, et damnoſæ, ſi detineant*: vnde philoſophi philoſophię ſtudioſos Heraclitum flumen ingredientibus cõparãt, quod nemo bis facit, ſi Plutarcho credimus, quin penitus moueatur, & in aliã trãſmigret naturã. Stilponis Megarici exẽplũ afferũt, quẽ ante, quàm philoſophus eſſet, ebrioſum, & muliercularũ impuris amoribus fœdè irretitũ valdè fuiſſe dicũt: ſubinde verò ita naturam cõpoſuiſſe ſuã, vt nemo vnquã vinolentum illũ, nemo in eo veſtigium libidinis viderit. Et Cereniaci, qui ad philoſophię ſtudia incũbens, de mortis cõtemptu tã copioſè diſputauit, ut fuerit prohibitus amplius de tali materia dicere, quòd multi eo audito ſe ſe præcipites darent; tamen hos, & quamplures alios, quos referre poſſent artiũ liberalium, & philoſophię cultores, cum uerę uirtutis finẽ nunquã didicerint, nec ueram unquã adeptos eſſe uirtutem dicẽdum eſt; ſed ut in pluribus illud eſſe ueriſſimũ, quod etiã philoſophus docuit, nullum accõmodatum eſſe auditorem ad ciuilem ſcientiã, niſi qui à puero directa ad uirtutẽ inſtitutione educatus fuerit. Ante oĩa igitur, qui filios optimos uirtutũ cultores uolunt, eos adhuc pueros ſalubrioribus ad uirtutẽ monitis, & excitamẽtis exercere debẽt: nã *animus adhuc tener*, inquit Baſil. *eſt inſtar ceræ, quæ impreſſas in ſe formas quaſcunq; facillimè recipit, molliſſimè cedit, quare cõfeſtim ab ipſo initio omni rerũ bonarũ imbui exercitatione debet.* His ſimilia docens Plutarchus: *hæc*, ait, *nouella ætas ad fingendũ facilis, & tenera eſt, & puerorum animis, dũ molles adhuc extant, diſciplinæ melius inſtillantur, difficilius autem quæ dura ſunt, molliũtur: quemadmodũ enim ſigilla mollibus imprimuntur ceris, ita & doctrina puerilibus animis facilè inſculpitur.*

Sup. cap. 1. verſ. 15. in docum.

Parentes nõ terrena bona, ſed virtutes liberis prouidere debent.

Clem. Alex. in pedag.

Virtus acquiritur, non natura.

Plutarch. de lib. educ.

Senec. ep. 88 extrem.

Philoſophiæ ſtudia vtiliſſima quando ſint.

Stilpo philoſophus ſtudijs mores in melius cõmutauit.

Cereniacus philoſophus facũdiſſimus.

D

Ariſt.

Pueri ab initio ætatis in virtute erudiendi.

Baſil. reg. fuſ. diſp. inter 15.

Plutar. de lib. educat.

E

Hac enim ratione quodammodo fit, vt mores recti ab initio inſtituti, in naturam quodammodo tranſeant: nam ſicut obſtetrices, recens nati infantis corpus manibus effingunt, atque componunt; ita pius pater pueri animum, dũ adhuc velut nouus fœtus eſt, virtutum præceptis inſtruere, ac formare debet; ſic enim boni mores ſimul cum ipſa ætate adoleſcent: nam vbi poſtea rationis vſus accedet, & ratio quid expediat, admonebit, ad id exequendum facilitatem dabit conſuetudo.

Parentes filios ante omnia viam virtutis edocere debent.

F

Debet igitur pater, qui filium optat per viã ſalutis incedere, ante omnia exemplo Tobiæ curare, vt rectè in virtute inſtituatur, quod faciet, ſi non ſalutaribus tantùm monitis, ſed etiam ſuo exemplo illum edocuerit; quemadmodum enim medicinæ artis periti cùm pueri infantes ægrotant, nec tenera adhuc ætas aſperioribus eſt apta potionibus hauriendis, nutricibus eas exhibent propinandas, vt exhibita illis medicamenta ad ſalutem, lactentibus proſint; ita parentes, qui filios ſuos ab omni vitio purgare ſatagunt, debent ſibi ipſis arduã ſumere medicinam virtutis, & purgatis vitæ ſuæ moribus, & exemplis tenerrimos filiorum animos educare: nam ab immundo quis mundabitur? omne enim agens, vt philoſophi docent, paſſum ſibi ſimile reddere contendit; eſt autem homo in ætate primula imitãdi ſtudioſus, & in ea, quæ videt, quæq. audit, transformare ſe geſtit. Vnde euenire illud ſolet, quòd ſi ingenuus puer inter ignobiles, & ruſticos educetur, eorum planè ſimilis euadat, ſi verò ignobilis inter ingenuos, & nobiles fuerit inſtitutus, haud dubium, quin cum illis de vrbanitate, ac ingenuitate decertare queat; nec mirum: nã ſi feræ immanes, & truculentæ, quales vrſæ ſunt, ac leones, cum hominibus verſantes natiuæ feritatis oblitæ, peregrinam humanitatem, & lenitatem induunt, quid de hominibus ſperandum, qui non ad improbitatem; ſed ad humanitatem nati, nõ modo naturæ ductu, ſed rationis etiam lumine, & diſciplina ſeſe ad virtutis, & probitatis ſtudium iuuare poſſunt? meritò igitur Plutarchus, *ante omnia,* inquit, *opus eſt, vt patres, non ſolùm nihil peccãdo; verùm etiam & honeſta ſingula peragendo, manifeſtum ſeſe filijs exemplar exhibeant.* Sic enim faberlignarius, qui lignea regula cætera opera dimetitur ſua; priùs quidem regulam ipſam, quam rectiſſimam facere ſtudet, deinde per illam cętera omnia. Sic Conſtantinus Magnus Conſtantij patris religionem exutus eſt: Arcadius, & Honorius patrem imitantes, toto orbe Dominico templa idolorum deſtrui iuſſerunt: Laurentius Iuſtinianus, vt cæteros mittam; Venetiarum decus, & Patriarcha, adhuc puerulus mortuo patre, cum videret matrem ieiunijs, orationibus, & eleemoſynis vacantẽ, audiretq. ferrea catena lumbos cinctam, nec interim diſciplinã domeſticam negligeret; maternæ pietatis æmulus, ſemper cũ ea impubes adhuc agere, clamq. ſibi lectum ſternere, virẽtiaq. ligna pro molliore pluma ſibi ſubijcere cœpit, donec vale dicto matri, ſecutus prætere a vocem nocturnam, monaſticam vitam cõplexus eſt, in qua ſic enituit, excelluitque, vt & hodie inter beatos inſignis habeatur: ſcriptis teſtatus eſt, ſecutum ſe veram pietatem, & matris exemplo, & virginis pollicitatione, quæ per ſomnium illi occurrit: parẽtes igitur, qui bonos liberos exoptant, non ſolùm verbis illos moneant, ſed ſe ipſos exemplo Tobiæ tales faciant, quales eos habere deſiderant.

Exempla parentum pueros ad virtutem facilius promouent, quã verba.

G

Exempla parentum filiis valde proficua.

H

Laurentius Iuſtinianus exemplo matris ad virtutem impellitur.

Egnat. lib. 5 c. 4

Vide de honorandis parentibus plura infra c. 9. v. 15. in decum.

VERS. III.

Cùm acceperit Deus animam meã, corpus meum ſepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ.

VERS. IV.

Memor eſſe debes, quæ, & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo.

1 *Anima frequẽter apud Hebræos pro vita.*
2 *Parentes in funere honorandi.*
3 *Honor matri qualis habendus.*

VERS. III.

C*VM acceperit Deus animam meam.* Animam apud Hebręos pro vita frequentiſſime poni, notius eſt, quàm vt quiſquã poſſit ignorare: Sic in Exodo: *Sin autem mors eius fuerit ſubſequuta, reddit animam pro anima.* Et apud B. Matthæum: *Mortui ſunt, qui quærebant animam pueri.* & apud B Ioannem: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Quare primo hoc monito ſanctus Tobias, quod orationes ſuas crederet à Deo exauditas, vt moreretur, filio ſuo præcipit, vt ſe mortuo, cadauer ſuum ſepeliat.

Exod. 21. 23

Mat. 2. 20

Io. 10. 11.

2 *Corpus meum ſepeli,* Docẽs, non ſatis eſſe filijs, viuis parentibus omnem honorẽ, opem, & officioſũ quodlibet obſequiũ præſtare; ſed etiã ipſorum eſſe munus, eorundẽ cadauera honorificè ſepelire, & multorũ liberorum ingratum animum vitandum eſſe, qui, vt ſumptibus parcant, pietatis, quã cadaueribus defunctorũ patrum debent, ita obliuiſcuntur, vt nõ modo funebri pompa, ſed nec alio pio honore illa proſequantur. Sanè ſi pium eſſe cum triũpho fideles omnes ſepeliri, docet Victor Vticenſis, quantò magis cum triumpho, ſi fieri poſſet, parentum forent ſepelienda cadauera?

Vict. Vticen. de perſecut. Vandal. li. 1

3 *Et honorem habebis matri tuæ, etc.* Arabs. *Et adhære genitrici tuæ omnibus diebus vitæ tuæ,* illi nimirum ſemper debitum honorẽ ſoluẽdo, & ea illi miniſtrãdo, quæ opus habuerit, etenim honoris nomine hic illud intelligit, quẽ quiſque ſubditus ſuperiori ſuo debet: ita

Arabs.

vt idem ſit dicere: *bonorem babebis matri tuæ*, ac dicere: ſolue quod debes matri tuæ, poni tur enim in Hebræo כבד, cabbed, quod reddere, ac perſoluere debitum ſignificat.

Et quia ad hæc officia præſtanda erga parentes, non modicè iuuat conſideratio eorũ, quæ ipſi parentes, in liberorum educatione patiuntur, ideirco ſubdit.

VERS. IV. *Memor enim eſſe debes*, Hoc eſt, diligenti conſideratione perpendere, *quæ, & quanta pericula paſſa ſit*, quanta ſcilicet cura te ſuſtentauerit, quantaq. diligentia ſibi cauerit, vt te incolumem in lucem emitteret.

Quòd debitũ obſequium parentibus ſoluant liberi, qui in opere, ſermone, & in omni patientia beneficiorum acceptorum memoriam conſeruant.

DOCVMENTVM.

A

Eccli. 3. 9. QVOMODO debitum ſoluatur obſequium parentibus, Sapiens in Eccleſiaſtico declarat, dum ait: *In opere, & ſermone, & in omni patientia bonora patrem tuum.* Et quidem opere parentes honoramus, dum ea omnia circa illos facimus, quę gratitudo, & ἀντιπελαργία, iure optimo à nobis repoſcunt, ſicut & primo *reuerentia*, non quam vanus hic, ſtultusq. mundus in geſticulationibus tantùm ſitam agnoſcit; ſed quæ præter externam debiti cultus ſignificationem, internã animi obſeruantiã includit: nam, ſi, vt ſcriptura docet: *coram capite cano conſurgendum eſt, & bonoranda perſona ſenis*; quanto magis ante conſpectum parentũ noſtrorũ hoc nobis faciendũ eſt, licèt magnates, potentesq. videamur? Ioſeph in Aegypto ad eam dignitatẽ euectus, vt ſecundus à rege foret, patrẽ ad ſe venire uoluit, ut illũ coram honorare poſſet, eiq. aduentanti obuiã profectus eſt, magnaq. diligentia ab eius morte curauit, vt honorificè iuxta patris voluntatem in terra Chanaã ſepeliretur. Salomon quoq; Regũ Iſrael ſapientiſſimus, accedenti matri aſſurrexit, eamq. adorans, iuxta ſe in regio ſolio collocauit: Sic enim: *qui timet Dominũ honorat parentes, & quaſi Dominus ſeruiet ijs, qui ſe genuerunt.* Sic opere, inquã, honorandi ſunt à nobis parentes, eorumq. preceptis alacri, ſereno que animo obſequẽdũ eſt: nã *filij*, dicit B. Paulus, *obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim iuſtum eſt.* Et alibi: *filij obedite parẽtib. per omnia, hoc enim placitum eſt in Domino.*

Parentes externa reuerẽtia colendi.

Leuit. 19 32

B

Eccli. 3. 8

Epheſ. 6. 1 Coloſſ. 3. 20.

Obedientiæ erga patrem exemplum in Iſaac.

Phil. 2. 8.

Huius rei pulchra in ſcripturis ſacris habemus exẽpla, inter quæ illud in primis celebrã dũ, quod præſtitit Iſaac Abrahæ filius, qui, vt creditur, triginta iam annos natus, paſſus eſt, ſe à patre ligari, ariſq. imponi, ut immolaretur, qua in re Chriſti typũ geſſit, qui & ipſe factus fuit obediens uſq; ad mortẽ, & quidẽ eru cis, ne unquã à uoluntate patris recederet: re illud exercens: *deſcendi de cælo, nõ vt faciã voluntatẽ meam; ſed volũtatẽ eius, qui miſit me.* Sic etiam in Ieremia legimus de Rechabitis, quibus cùm Ionadab filius Rechab præcepiſſet, ne biberent uinũ, ne colerẽt agros, ne plãtarẽt uineas, ne domos ædificarẽt; ſed quaſi pa ſtores, & peregrini uiuerent ſub tugurijs, hãc illi obedientiã annis propemodũ trecẽtis exhibuerunt. Quanta uerò fuit ipſius filij Dei obedientia in Mariã matrem, & Nutritiũ Ioſeph, de quo Lucas: *et erat*, inquit, *ſubditus illis*? ĩ ã tus Dominus tot annorũ ſpatijs illis ſubeſſe uoluit, quos ipſe creauerat, ut doceatur, quẽlibet quamuis præcellentẽ, debere omnẽ parentibus exhibere obedientiã. Quare ſi quandoq. nobis cõtingat uerbis eorũ uoluntati cõtradicere, factis illicò, quod uerbis deliquimus, emẽdare debemus, euãgelicũ illum filiũ imitãtes, qui cùm patri, à quo fuerat iuſſus, ut ad operandũ in uineã iret, reſpondiſſet: *Nolo*, poſtea pœnitentia ductus abijt, ideoq. magis laudatus eſt à Dño, quàm alius, qui ſimiliter à patre iuſſus, reſpõdit: *Eo Dñe*, & non iuit: fecit enim primus uoluntatẽ patris, non autem ſecũdus.

C

Io. 6. 38

Ier. 35. 6.

Luc. 2. 51

D

Matt. 21 29

Sed illud ſuper omnia curandũ nobis eſt, ut patientes erga parentes ſimus: & *in omni patientia bonora patrem tuũ*, qualeſcunq; illi ſint, ſiue infirmi, ſiue ſenes, ſiue deformes, ſine tandẽ moroſi, aut etiam delirantes: monitum frequentes Eccleſiaſtici dicentis: *ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in virtute tua*: nam licèt huiuſmodi ſint, parentes, tamen tui cum ſint, ſine quibus hoc ipſum, quod es, futurus non eras, unde iam in hominem factus es, qui millies in ſordibus tuis computruiſſes, niſi te illi ſua cura, & labore conſeruaſſent, meritò illos honorare debes, & ſæpè, ſicut docet Tobias,

Eccli. 3. 14 15

E

Memor eſſe debes, quæ, & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo, intellige mater tua: quid ſi cætera conſideres? quantis, cum doloribus te in lucem emiſerit, quantas item curas, ac moleſtias diu, noctuq. tua cauſa ſuſceperit, quibus te ſumptibus, & laboribus ad annos pubertatis perduxerit? Noſtrum ſanè eſt erga illos tales noſmet præſtare, quales illi erga nos extiterunt; tales in eorum infirmitatibus, quales in noſtris illi, in eorum ſenecta, quales illi in noſtra pueritia; in eorũ paupertate, quales illi in noſtra nuditate: illi laborè manuum ſuarum nos enutrierunt; ipſi famem ſunt perpeſſi, ut nos famelicos exſatiarent, immò & cibum nobis ex ſuis ipſorum uiſceribus præbuerunt, nos infirmos, debiles, & multa patientes ſuſtinuerunt: eadem itaque patientia, eodem amore, ac beneuolentia noſtra illis obſequia præſtare debemus cum omni humilitate, & obſeruantia, non aliter, ac ſi Deo ipſi obtemperaremus.

Quanta mater pericula patiatur in liberis educandis.

In

Sup. anter. verſ.

In apoftegmat. Illuſt. virorum.

Liberorum amor erga parentes.

In opere itaque, & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum. Sunt nobis huius rei exemplum non modò Sancti, quos ſuperiùs ex ſacris litteris commemorauimus; ſed etiam Ethnici ipſi: nam de adoleſcente quodam nomine Aeliano Erithræã peregrè profecto, legitur, quòd ad propria reuerſus, cùm à moroſo patre ſuo interrogaretur, quid diſciplinæ in tanto temporis interſtitio aſſecutus eſſet: ſe breui ille oſtẽſurum reſpondit: & paulò poſt ab eodẽ verberibus diris affectus, patri ſe ſe verberandum ſuppliciter demittens, dixit; hoc ſe edoctũ fuiſſe, vt parentum caſtigationi obediret, corumq. indignationes, ac pœnas æquo animo ferret.

G

Val. Maxim. lib. 5. c. 4

Et de muliere quadam à Prætore capitali crimine damnata, triumuiroq. in carcere ad necem tradita, refert Valerius, quod cum is, qui cuſtodiæ præerat, miſericordia motus, non protinus illam ſtrangularit; ſed potius in carcere inedia conficiendam reliquerit: quin etiam aditum ad illam filiæ præbuerit, diligenter tamen prius excuſſæ, ne quid alimoniæ inferret matri, nec poſt multos dies illam confectam cognoſceret, ſecum ipſe quærere cœpit, quidnam eſſet, quòd tãdiu ſuſtentaretur, & obſeruata filia, exerto animaduertit vbere famem illam matris lactis ſui ſubſidio lenientem, quæ tam admirabilis ſpectaculi nouitas ab ipſo ad Triumuirum, à Triumuiro ad Prætorem, à Prætore ad Conſulum iudicium perlata, remiſſionem pœnæ mulieri impetrauit.

H

Filii grati parentibus eſſe debent.

Ambroſ. lib 5 exam. c. 16. tom. 1

Sed quid mirum, quòd homines hæc, & ſimilia, licèt ethnici fuerint, ſi & animantia ratione carentia, natura duce ſimilia, vel maiora feciſſe legimus? Paſſim eſt nobis obuia Ciconiarum pietas, quæ cum pullis ſenio confectos genitores etiam nutricant. Quare Ambroſius. *Quam verò rationabilium excedat pietatem auis huius clementia, conſiderandum; nam depoſiti patris artus per longæuum ſenectutis, plumarum tegmine, alarumq. remigio nudatos circumſtans ſoboles pennis proprijs fouet*, & vt Baſilius ait: *alimentum abundè ſuppeditans, etiam volandi auxilium, quantum poteſt, præbet, vtrinque ala leniter alleuans*: neque fulcro alarum ſuarum ad volandum exercent, & in priſtinos vſus deſueta reuocant pij patris membra.

Baſil. hom. 8 in exam. circa med.

Ariſt. li. 9 hiſt. anim. c. 13

Thom. Cãtip. in lib. apum li. 2. c. 7

Quod & de Nerope Ariſtoteles docet: *Apes iuniores*, inquit Thomas Cantipratanus, *aut fuca, non in opere tantum, ſed in fœtu quoque adiuuant matres, ad calorem conferente turba.*

I

Ambroſ. vbi ſupra.

Quid ad hæc dicemus? *Quis noſtrum*, inquit Ambroſius, *leuare ægrum non faſtidiat patrem? Quis feſſum ſenem ſuis humeris imponat, quod in ipſa hiſtoria vix credibile habetur? quis, vt pius ſit, non hoc ſeruulis mandat obſequium? at verò auibus non eſt graue, quod pietatis eſt plenum; non eſt oneroſum, quod ſoluitur naturæ debito.*

Ariſt. 1. top. c. 9

Val Max. li. 1 c. de negle. relig.

Meritò ſanè Ariſtoteles his conſideratis, dixit: *Qui quærunt ſint Dij colendi, nec ne, & amandi parentes, ſupplicio coercendi ſunt.* Alluſio congruit ad illud, quod refert Valerius de Diagora, qui ab Athenienſibus, eo quòd Deus ne eſſet, an non eſſet, in diſputationem vocabat; exilio fuit affectus: eodem ſupplicio, dicit Philoſophus, mulctandi ſunt, qui in dubitationem vocant, ſint ne honorandi parentes: neque enim minùs expreſsè id docet natura, quàm Deum eſſe doceat.

L

Præceptum de honorandis parentibus ne violatum qualiter à Deo punitum.

Hinc factum eſt, vt hoc præceptum & Dei, & naturæ de honorandis parentibus ne nos tranſgrederemur, duplici velut muro ab ipſo legiſlatore fuerit munitum, præmio ſcilicet, & pœna: nam, ſicut morigero, & obedienti filio vitæ diuturnitatem promittit, dicens: *honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.* & , *honora patrem tuum, & matrem tuam, vt longo viuas tempore, & benè ſit tibi.* Et *qui honorat patrem ſuum, vita viuet longiori;* ita immorigero, & rebelli mortem, & maledictionem dicens: *Qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem, morte moriatur.* Et, *qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur, ſanguis eius in ipſo erit.* Et, *maledictus qui non honorat patrem ſuum, & matrem ſuam, & dicit omnis populus, Amen.* Quæ omnia præceptum hoc quam diligentiſſimè indicant eſſe obſeruandum: nam, vt eſt apud Iob: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua.* Quod tanta illi ſit viuendi libido, vt licèt certiſſimam vitæ æternæ propoſitam ſpem habeat, tamen in hac mortali vita æternaliter viuere, ſi poſſet, quodammodo in optatis haberet: vnde etiam in Eccleſiaſtico dicitur: *iucunditas cordis, hæc eſt vita hominis.*

Exod. 20. 12

Deut. 5. 16

Eccli. 3. 7

Deut. 21.

Exod. 21. 15

Ibid. n. 17.

Deut. 27. 16

Iob. 2. 4

Eccli. 30 23

Et quidem conſueuiſſe Deum ingratos, & parentibus ſuis rebelles filios immatura morte mulctare, exempla, non illa quidem pauca nos edocent. Nam Abimelech, qui, vt in libris Iudicum legitur, regnandi cupiditate permotus in domo patris ſui auſus eſt parricidium ſeptuaginta fratrum ſuorum committere, indecora morte muliebri vulnere perijt. Filij Heli, vt in libris Regum habetur, Deo, & patri inobedientes celeri morte iuuentam clauſerunt. Abſalon, vt ibidem dicitur, quòd impius erga patrem ſuum fuerit, in ipſo flore iuuentutis extinguitur: quin & adoleſcens quidam ætatis annorum decem & octo, vt teſtis eſt Bernardinus Senenſis, in ciuitate Sui propè Valentiam in Catalonia, cùm ob ſuam in parentes impietatem, & alia multa crimina in patibulo ſuſpenderetur, defunctus, adhuc tamen è patibulo pendens, vidente, & admirante populo, barbam primum emiſit, mox canos, & demum rugatam frontem, quod à Domino contigiſſe Epiſcopus populum

Iud. 9. 5

1. Reg. 4

2. Reg. 18

N

S. Bernardin. Senen. tom. 2. Do. 2. in quadrag. fer. 18 ar. 3. c 9

Filii parentibus inobedientes immatura morte puniuntur

docuit, vt omnes dignoſcerent, quandiu infelix ille vixiſſet, ſi parentibus debitum præſtitiſſet obſequium. Quare licèt aliquando contingat, ſceleſtiſſimos, ingratiſſimoſque filios ad ſenium vſque pertingere: tamen, vt Sapiens ait: *Et ſi quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit nouiſſima ſenectus illorum:* caueant tamen parẽtes, ne filijs cõtradicẽtibus indignati, diris execrationibus, & maledictionibus illos deuoueant:
O considerantes, haud eſſe talem patris, aut matris maledictionẽ, qualis aliorum hominũ in filios eſſe ſolet: nam ſicut confirmat Deus parentum benedictiones, ita eorundẽ maledictiones confirmare memorabili narratione,
Aug. de Ciu. c. 8. circa fin. docet Aug decem natràs fuiſſe fratres, quorũ ſeptem maſculi, & tres fœminæ erant, qui in Cæſarea Cappadociæ non ignobiles poſt recentem patris obitum, cum matrẽ malis moribus afnixiſſent, ab illa iaculo maledictionis percuſſi, adeò graui ſunt vulnere diuinitus flagellati, vt horribiliter ſinguli tremere cœperint, & membrorum diſtorſione quaſſari: in qua fœdiſſima ſpecie oculos conciuium ſuorum non ferentes, qua qua verſum cuiq. ire
Vide Cantip. li. 2. Apum c. 14. n. 7 viſum eſt, toto penè vagati ſunt orbe. Quo exemplo permoti, vt innumera alia taceam, parcere debent parentes filijs malè imprecari, ne promeritam ipſorum vitijs execrationem cæleſtis ſententia confirmet: & filij hæc cogitantes, parentibus, & eis, qui parentum
P loco ſunt, debitos honores tribuere debent,
Eccli. 3. 10 *vt ſuperueniat illis benedictio à Deo, & benedictio illius in nouiſſimo maneat:* & non ſolum vitam hanc longiorem habeant, ſed demum æternam.

VERS. V.

Cùm autem ipſa compleuerit tempus vitæ ſuæ, ſcpelias eam circa me.

1 *Coniuges, & conſanguinei eodem iungendi ſepulchro.*

CVM *autem ipſa &c.* Ideſt mater tua diem vltimum clauſerit: *ſepelias eam circa me.* In eo nimirum, eodemq. ſepulchro, in quo ipſe prius repoſitus fuero.
Græcus. Græcus: *Sepelias eam iuxta me in vno ſepulchro.*
Arabs. Arabs: *Ad latus meum.*
Hebræus. Hebræus: *mecum honorificè.* In more poſitum fuiſſe apud Iudæos, vt vno coniuges ſepulchro clauderentur, docet Abulen-
Abulenſis li. 2. Reg. c. 15. q. 14 ſis, qui etiam probat, in ſpelunca Ebron quatuor patriarchas cum vxoribus ſuis ſepulturę fuiſſe traditos, nimirum Adam, & Euam: Abraham, & Saram: Iſaac, & Rebeccam: Iacob, & Liam.
Leo PP. in decret. tit. de ſepult. in princ. Hinc permotus Leo Papa ſtatuit, ni aliud à defunctis cautum eſſet, vt quiſque moriens in ſepulchro ſuorum maiorum ſepeliatur. *Nos*, inquiens: *inſtituta maiorum patrum conſiderantes, ſtatuimus vnunquemque in ſepulchris ſuorum maiorum iacere, vt patriarcharum exitus docet:* Sat enim congruere exiſtimauit, vt qui ex vna carne, & ex vno fuerunt animo, eodem etiam conderentur ſepulchro: Sic Ioſeph moriẽs in Aegypto rogauit fratres ſuos, vt tempore viſitationis, hoc eſt cùm Deus eos viſitaret, & educeret de Aegypto, oſſa ſua ſecum deferrent, & in ſepulchro deinde patrum ſuorum collocarent: vndè & in ſacris ſcripturis ſępè legimus: *Obijt, & ſepultus eſt in* *3. Reg. 17. 23. & 19. 37. & 20. 24*
ſepulchro patrum ſuorum. Sic, teſte Ruffino, B. Philippus ædificauit ſibi ſepulchrum, in quo ſuum, & ſuorũ cadauera vnà reponeretur, & B. Seuerus Rauennatum Epiſc. tumulum fieri *Ruffin. hiſt. eccleſ. li. 1. c. 12*
iuſſit, in quo ſuum, vxoris, & filiæ cadauera voluit collocata; tali vnione corporum in ſepulchro, illam amoris ſignificantes, quam inter ſe viuentes habuerant: ad quod etiam ſignificandum Thauris apud Scytas, vt Alexander ab Alexandro refert, cum regibus pręcipue gratos, & qui magno in honore eſſent ex amicis ſepelire in vſu fuit, quibus rex tanquam pignus amoris aurem abſcindere *Alex. ab Alex. genial. dierum li. 1. c. 26 ante med.*
ſolebat: Thraces ita inſtituti erant, vt ex Græca Hiſtoria Cælius Rhodiginus refert, vt ſingulis vxores adeſſent plures: decedente *Cælius Rhodig. l. 18. c. 11*
verò aliquo, grauis erat inter eas contentio, quam is dilexiſſet plurimum, adhibitis magna cura amicis, qui diſceptarent, cui nam ea palma deberetur: ea verò cultius ornata, ad tumulumq. deducta, coniunctiſſimi Manibus immolabatur, vnaq. cum marito contegebatur humo, reliquis excellenter mœrentibus, veluti laudis eminentiſſimæ gloria exutis. Sic etiam apud Græcos vſurpatum fuiſſe morem, citatus Alexander refert, vt cùm aliqui inex- *Alex. vbi ſup.*
plicabili nexu copularentur, *quo ſignificabant*, inquit idem, *duo ſimul corpora concordibus animis, & vna mente ferri.*

Hinc contigiſſe legimus, vt, qui diſcordes voluntate viuentes fuerunt, neque mortui voluerint ſimul vel cadauere ſociari. Sic Ioannes Euiratus refert de quodam Abbate Coſma Eunucho Lauræ Pharan viro ſingulari, religionis, & fidei rectorum dogmatum valdè *Io. Euirat. in Prat. ſpirit. ad Sophron. c. 40*
tenaci, Theophili apud Patriarcham Gregoriũ defuncto, qui cùm in ſepulchro repoſitus fuiſſet, in quo Epiſcopus hæreticus iacebat, per multas noctes hæc fari auditus eſt: *Noli me tangere hæretice, ne appropinques mihi inimice ſanctæ Dei Catholicæ Eccleſiæ.* Ad hunc igitur amorem, & ad hanc animi vnionem ſignificandam, quam ſemper cum coniuge ſua ſanctiſſimus Patriarcha habuit, præcepit filio, vt Annam coniugem ſuam mortuam iuxta ſe in ſuo ſepulchro ſepeliret.

Quòd vera amicitia non facilè diſſoluatur.

DOCVMENTVM.

DVM vxorem ſuam, quam paulò ante contra ſe tanta indignatione ſuccenſam, ſanctus Tobias habuit, adeoque ſibi infenſam, vt ſuam ipſius ſpem vanam auſa ſit compellare, tam ardenti amore complexari ſe illam oſtendit, vt nec vel mortuam à ſe diſiungi ſepultura velit; manifeſtum reliquit, longè illos à vera abeſſe amicitia, qui nec verbum duriuſculum ferre ab amico valent, cùm vel

Chryſ. ho. 61 in Matth.

ipſo teſte Chryſoſtomo, vera amicitia, quæ ſpiritualis eſt, à nulla re perturbari poſſit: quia, ait ille: *firma, & ſtabilis, ac iniuncta eſt, nec vlla obtrectatione, non periculis, non morte, non alia re temporali conquaſſatur.* Idcircò B. Paulus quoque dicebat: *Charitas nunquam excidit. Omnia enim, quæ ſeculares amicitias tollunt, ſpiritualem amorem magis confirmãt.*

Caſſ. coll. 16 c 3

Nam, vt optimè Caſſianus docet, illa ſola amicitia virtutum ſimilitudine coniuncta eſt, quæ à nullis vnquam caſibus ſcinditur: vnde ait: *Hæc eſt vera, & indirupta dilectio, quæ gemina amicorum perfectione, ac virtute concreſcit, cuius ſemel initum fœdus, nec deſideriorum varietas, nec contentioſa diſrumpit contrarietas voluntatum:*

VERS. VI.

Omnibus autem diebus vitæ tuæ, in mente habeto Deum, & caue, ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.

1 *Dies pro tempore.*
2 *Deus in mente ſemper habendus.*
3 *Illum præſentem in omnibus conſiderantes non peccant.*
4 *Peccatum hoc loco, &*
5 *Conſenſus in peccatum quid.*
6 *Iuſtitiæ nomine quid intelligat hic Tobias apud LXX.*

1 POST præceptum pietatis datum filio de veneratione parentum, circa religionem, eidem tria ſanctus Tobias præcepit, nimirum perpetuam ipſius Dei memoriam, peccatorum fugam, & diuinæ legis obſeruantiam: circa primum dicit:

Omnibus diebus vitæ tuæ, Hoc eſt, ad ſupremum vſque vitæ tempus: etenim dies pro tempore poni frequentiſſimum eſt in ſacris literis, vt eſt apud Iſaiam: *In die illa radix Ieſſe, &c.* & aduertit Iuſtinus, docens, ab ipſo etiam Platone diem vocari tempus, quòd vna cum cælo illud natum diceret.

Iſa.11.10
Iuſtin. in or. ad Grec.

2 *In mente*, Suprema hominis parte, qua homo intelligit, & ſpeculatur.

Habeto Deum, Non ſimpliciter: ſed, vt Theologi loquuntur, obiectiuè, quoad iugem cogitationem, & reuerentiam, ita ſcilicet, vt nullum ſit tempus vitæ tuæ, in quo Deum præſentem tuis factis, & cogitatis non conſideres: nam *corporalis exercitatio*, vt B. Paulus ait, *ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad omnia vtilis eſt.* *Pietas*, ait Bernardus, *hoc eſt, iugis Dei memoria, continua intentionis actio ad intelligentiam eius, indefeſſa affectio in amorem eius, vt nulla vnquam inueniat ſeruum Dei non dicam dies, ſed hora, niſi vel in exercitij labore, & proficiendi ſtudio, vel in experientiæ dulcedine, vel fruendi gaudio.*

1.Timoth. 4.8.
Bern. epiſt. ad fratres de monte Dei.

3 *Et caue, ne aliquando peccato conſentias,* Tali nimirum conſideratione: etenim qui Deum præſentem mente intuetur, haud facilè in peccatum labitur: vnde Dauid: *Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.* Et contra, vt idem ait: *Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* nam, vt Clemens ait Alexandrinus: *Hac ſolùm ratione fit, vt quis nunquã labatur, ſi Deũ ſibi ipſi ſemper adeſſe exiſtimet.* Et ſanctus Ephrẽ: *Nihil*, inquit, *peius, grauiusq. eſt, quàm ipſius Dei obliuionem capere: continua enim Dei recordatione turpes animæ paſſiones recedunt, inſtar maleficiorum, Prætore accedente, vnde & mundum Spiritus ſancti habitaculum efficitur: vbi verò memoria Dei abeſt, ibi tenebræ cum fœtore dominantur, omnisq. res improba exercetur.*

Pſ.9.7.25.
Pſ.27.10
Clem. Alex. l. 3. pædag. c. 3
S. Ephrem to. 2. c. 10

4 *Peccato conſentias*, Peccatum, vt obſeruat ſanctus Thomas, poteſt dici quilibet defectus alicuius rei ab aliqua regula, modum ſibi neceſſarium, vt ad deſtinatum finem perueniat, præſcribente, iuxta quam acceptionem, monſtra ex philoſopho peccatum naturæ ſunt: ſic ille: *Monſtra*, inquit, *peccatum ſunt illius, quod propter aliquid agit, cùm præſcriptum à natura finem non aſſequitur.* Manifeſtum tamen eſt hic per peccatum non intelligere Tobiam quemlibet defectum, ſed voluntarium, & humanum impedientem hominem à ſuo vltimo fine, ſicut eſt diuinæ legis trãſgreſſio, & cæleſtium inobedientia mandatorum. Intelligere defectum declarat, dum dicit: *ne prætermittas:* voluntarium, & liberum, dum monet: *caue, ne peccato conſentias.*

S. Th. 1. 2. q. 21. ar. 1
Ariſt. 2. phyſ. t. 82

5 *Conſentias.* Conſenſus in peccatum eſt actus voluntatis, præcedente iudicio, ſeu actu intellectus, ſine quo nullum homini peccatum imputatur ad culpam: nam ad hoc, ut ali-

Conſenſus in peccatum quid.

quid nobis in peccatum imputetur, neceſ-
ſarium eſt aduertere, & aliquo modo conſi-
derare id, quod delectet, vel opus, quod cõ-
mittitur, eſſe malum, vel peccatum; vel ſal-
tem neceſſarium eſt, rationem potuiſſe, vel
debuiſſe aduertere malitiam ipſius delecta-
tionis, vel operis.

*Et non prætermittas præcepta Dñi Dei no-
ſtri.* Nam hac conſideratione diuinæ præſen-
tiæ nullum non mouet homo lapidem, vt di-
Pſal. 118 uina etiam ſeruet præcepta. Quare Pſaltes:
168 *Seruaui*, inquit, *mandata tua, & teſtimonia
tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.*
Baſil. reg. fuſ. diſp. q. 5 Siquidem, vt Baſilius ait: *Hæc eſt ratio, per
quam erga Deum charitas acquiri conſue-
uit, quæ ſimul cum ad obſeruanda ipſa Dei
mandata nos excitat, tum viciſſim quoque
ab iiſdem ipſa ad perpetuitatem ſtabilis con-
Ioan. 14. *ſeruetur: quod ita eſſe docet Dominus ipſe,*
15 *qui quidem modo dicit: ſi diligitis me, man-
data mea ſeruate: modo verò: ſi præcepta
mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione
mea, & quod efficacius etiam poſſet commo-
uere: ſicut ego mandata patris mei ſeruaui,
& maneo in eius dilectione.*

LXX. Addunt LXX. *Iuſtitiam fac omnibus die-
bus vitæ tuæ, & non ambulaueris in viis in-
iuſtitiæ, quoniam faciente te veritatē, proſpe-
Syrus. ritates erunt in operibus tuis.* Quæ Syrus ſic
legit: *Eleemoſinam fac omnibus diebus vitæ
tuæ, & non abeas per vias iniquitatis, quo-
niam cum operatus fueris veritatem, proſpe-
ritates erunt in operibus tuis.* Vbi patet, To-
biam iuſtitiæ nomine omnem virtutem filio
præcepiſſe, & legis Dei obſeruantiam, quam
vulgatis illis verbis explicat: *Et non præ-
termittas præcepta Domini Dei tui.* Sanè
iuſtitiæ nomine omnem virtutem intelligi
Hier. ad Demetriad. debere docet Hieronymus, vbi ait: *In ſacra
lege omnes virtutum ſpecies in vno iuſtitiæ
Idem ad filiũ Mauritii. nomine continentur,* & alibi: *In diuina lege,*
inquit, *iuſtitia non eſt aliud, quàm non
peccare: non peccare autem eſt præcepta legis
obſeruare, præceptorum legis obſeruatio du-
plici obſeruationis genere cuſtoditur, vt non
ea, quæ prohibentur, facias, & cuncta, quæ
iubentur, facias.*

Quoniam faciẽte te veritatem: Ideſt iuſti-
tiam: nam veritas, vt in verbis, ita etiam in
factis inuenitur: vndè quicunque facit, quæ
debet, & quod iuſtitia præcipit, veritatem
Io. 3. 21 facit: ſic apud Ioannem: *Qui*, inquit, *facit*
Ephe. 4. 15 *veritatem, venit ad lucem.* Et B. Paulus: *Ve-
ritatem facientes in charitate, creſcamus in
illo per omnia.*

Proſperitates erunt in operibus tuis. Cy-
Cyprian. prianus: *Quoniam*, legit, *faciente te ex ve-
Vatabl. ritate, erit reſpectus operum tuorum.* Va-
tablus: *ſucceſſus per omnia inſtituta tua
dabitur, adeoq. omnibus iuſtitiæ ſtudioſis.*
Infra docum. 5. Vide quæ documento quinto inferius ha-
bentur.

*Quòd cum Deus omnibus ſit rebus in-
timè præſens, ab omnibus, qui illum
diligunt, facilè mente retineatur.*

DOCVMENTVM I.

CVM Deus, vt ipſemet apud A
Ieremiam docet, cælum ſi- *Ierem.* 24.
mul, ac terram impleat, ip- 24
ſisq. ſit rebus magis inti-
mus, quàm ipſæ ſint ſibi;
ſatis conſtat, nulli difficile
eſſe poſſe iuxta præceptum Tobiæ, illum
ſemper intueri præſentem, & memoria re-
tinere, ſicuti facile eſt illius rei iugem tueri
memoriam, quam ſemper, & vbiq; ad ma-
nus habeas: nam cùm omnis cauſa, ſuo iun-
gatur effectui vel per ſe, vel per ſuam vir-
tutem, Deus, qui ſua eſt ipſe virtus, ſuo
effectui per ſe ipſũ non coniungi non poteſt.

Quare ſicut lux ipſa ſolis, ſi à nulla re im-
pediretur, in toto aëre eſſet, omneſq. eius
partes peruaderet, ita Deus, qui lux ſpi-
ritalis, & infinita eſt, quæ nulla re poteſt
impediri, omnium rerum naturas rimatur:
quod vt melius intelligeret Auguſtinus:
Conſtituebam, inquit, *in conſpectu ſpiritus* *Aug. li. 7. Confeſſ. c. 5*
mei vniuerſam creaturam, & feci vnam B
maſſam grandem, diſtinctam generibus, ſanè Deus quomodo in rebus præſens ſit.
*finitam; te autem Domine ex omni parte
ambientem eam, & penetrantem, ſed vſ-
quequaq. infinitum, tanquam ſi mare eſſet
vbiq. & vndiq. per immẽſa ſpatia infinitum,
ſolum mare & haberet intra ſe ſpongiam
quamlibet magnam, ſed finitam, tamen ple-* Deus vbiq;.
*na eſſet ſpongia illa in omni parte ſua im-
menſo mari: ſic creaturam tuam finitam
te infinito plenam putabam, & dicebam:
Ecce quæ creauit Deus, & ecce quomodo
ambit ea, & implet ea:* aptiſſima ſane ſimi-
litudo, nec illi diſſimilis, quam tradidit B.
Paulus dicens: *in ipſo viuimus, mouemur, &* *Act.* 17. 28
ſumus, licèt nec aqua maris tota ſit in qua-
libet parte ſpongiæ, nec item lux in quali-
bet parte aëris, ſicut Deus in qualibet eſt
parte ſuarum creaturarum; etenim illa ma-
terialia, & diuiſibilia ſunt, & Deus ſummè
eſt immaterialis, & omnino indiuiſibilis:
quin etiam à ſe ipſo habens infinitam quan-
dam præſentialitatem totam ſubſtantiam C
ſuã exhibendi cuilibet loco, & cuilibet ſpa-
tio, non cum imperfectione potentialitatis,
cum nec imperfectus eſt, nec mutabilis, ſed
cum maxima perfectione actus, ita vt non
ſolum ſit in Chriſto actu per gratiam vnio-
nis, & in iuſtis per gratiam ſanctificationis,
ſed, vt explicat S. Thomas, ſit etiam actu in *S. Tho p. p. q. 8 ar. 2*
omnibus rebus, per eſſentiam, præſentiam,
& potentiam: nam ſicut rex *per eſſentiam*
in ea eſt ſui regni parte; in qua ſedet, aut
ſtat, aut cubat; *& per præſentiam* in ea, in

qua videt, & oculis proprijs contemplatur ea, quæ fiunt, & tandem *per potent iam* in toto ſuo regno, quia per totum ipſius actio ſaltem per miniſtros ſuos diffunditur: ſic Deus, modo tamen longè perfectiore, vbiq; præſens eſt per eſſentiam, non locum aliquẽ determinatum, ſed omnia implens. Vndè dicit apud Iſaiam: *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, quod apud Ieremiam dixit: *Cælum, & terram ego impleo.* Hoc eſt, mea præſentia ſubſtâtiali omnino ſum rebus omnibus indiſtans. Neq; enim ſecundum ſuam ſubſtantiam Deus à cælo contineri, aut definiri poteſt, vt perperam apud Iob dicebât, diuinam prouidentiam ignorantes nonnulli: ſed etiam extra cælum eſt, manens in ſe ipſo, ſicuti antequàm cælum, aut terra eſſet, in ſe ipſo manebat. Neque terra, aut templo Ieroſolimitano concludi poteſt, vt teſte Hieronymo, errantes Iudæi exiſtimabant; nam, vt Cyprianus dicit: *Dei templum totus eſt mundus.*

Deus vbique eſt primo per eſſentiã.
Iſa.66.1
D
Ierem.23.24
Iob 32. 12
Hieron. in c. 66. Iſaie.
Cypr. de va nit. Idol.

Secundo, per præſentiam.
E

Deinde vbiq; eſt per præſentiam, omnia perfectiſſimè luſtrans, & certo cognoſcens, tam quæ præſentia, quam quæ futura, vel præterita, aut poſſibilia ſunt, eo modo, quo ſunt, fuerunt, vel futura ſunt abſq; aliqua ambiguitate, vel dubitatione: iuxta quod B. Paulus, *Non eſt*, inquit, *vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius. Sicut enim*, inquit Chryſoſtomus, *cùm pecudes occiderit quis, & ex carnibus detraxerit pelles, omnia interiora reuelantur, & aperta ſunt oculis noſtris, ſic & Deo aperta ſubiacent omnia.*

Hebr.4.13

Tertio, per potentiam.

Et tandem eſt vbiq; per potentiam, quatenus omnia, non ſicut rex per miniſtros, ſed per ſe ipſum, & ſua ipſius potentia, ac virtute continet, atq; conſeruat, actuq́. ſemper in illis operatur: *portans*, vt B. Paulus ait, *omnia verbo virtutis ſuæ*, hoc eſt ſuſtinens, & conſeruans omnia, ſeu ex verbo Græco, φέρων, moderans imperio, & ſua potenti iuſſione. *Transeat igitur animus*, vt Tobias docet, & Gregorius loquitur, *& tranſcendat omne, quod creatum eſt, in ſolo creatoris ſui lumine fidei oculos figat, quod vnus viuificet omnia, qui creauit Deus, quod vbique eſt, & vbique totus eſt incircumſcriptus, & incomprehenſibilis*: & poſt pauca: *Cuius natura tenet omnia, circumplectitur omnia, ſuperexcedit omnia, ſuſtinet omnia, nec alia ex parte ſuſtinet, atq; alia ſuperexcedit, neque alia ex parte implet, atq; alia circumplectitur, ſed circumplectendo implet, implendo circumplectitur, ſuſtinendo ſuperexcedit, ſuperexcedendo ſuſtinet.* Quod etiã ethnicos ipſos cognouiſſe liquet ex Ariſtotele, qui narrat, Heraclium dixiſſe eis, qui ad ſe inuiſendi gratia veniebât, nec ad ipsũ ingredi volebât: quod in Caſa fornaria eſſet: *Ingredimini, quia nec huic loco Dij deſunt immortales.* Patet igitur ex dictis, quàm facile ſit Deum vbique, & ſemper præſentem agnoſcere, quem tot rationibus, & fide credimus vbiq; præſentem eſſe, & immenſum: Quare ſi non videmus eum ſemper præſentem, non id ſane proficiſcitur ex eo, quia Deus non adſit præſens; ſed ex eo, quòd illum non conſideramus præſentem: ſicuti ſi quis famelicus, aut ſitibundus, antè arborem pomorum, vel decurrentem amnem conſiſteret, nec conſideraret, poſſe illis ſuam ſe famem expellere, ſitimq́ue ſedare; nunquam ille non eſuriret, nunquam non ſitiret: ſic, inquam, nobis accidit: impendent nobis deſuper immenſa Dei beneficia, ſumus in illo, tanquam in flumine immerſi: quid impedit nobis eius conſpectum, niſi noſtra inconſideratio? *Amor Dei*, habet Richardus de Sancto Victore, *rebus his pro ſpeculis vtitur, & in omne, quod cernit, ſui amatoris ſibi reſultat memoria.* etenim Dei amor Deum ſemper inquirit, incendit, acuitq́ue amantem, ac niſi de Deo cogitare non patitur.

Hebr.1.3
F
Greg. hom. 8 in Ezec.
Ariſt. de part. anim. li. 1. c. vlt.
G
Richar. de S. Vict. de grad. char. c. 3
H

Nihil ſanè amanti antiquius, atq; ſuauius, quàm eius rei, quam amat, meminiſſe, & cum amato verſari: nam cum noſtra ſit conſideratio amoris, non ſecus ac pulſus cordis; ſicut iſte ſecũdum quantitatẽ caloris cordis, magis ac minùs mouetur, vt patet in mortui cadauere, & in febricitante, in quorum vno, quòd cor ſit omnino calore deſtitutum, omnino quieſcit, & in altero, quòd vehementi calore ferueat, maxime agitatur; ita mouetur noſtra conſideratio ſecundum quantitatem amoris: quare qui nihil de illo habet, nihil de Deo cogitat, & qui multum de illo retinet, multum de Deo cogitat: vnde Auguſtinus: *Amor*, inquit, *meus, pondus meũ: illo feror, quòcunque feror*: eſt enim amor ita noſtri itineris dux, vt nunquam, niſi ad illius imperium moueamur: faculæ itaq; cæleſtis amoris ſuccenſæ, noſtris ſunt ſubijciendæ pectoribus, ſi quod Tobias præcipit, Deũ ſcilicet omnibus diebus vitæ noſtræ in mente habere, ſine difficultate volumus adimplere.

Aug. li. 13. c. 25
I
Amor animi rector.

Quòd diuinam præſentiam conſiderantes, vel propter pudorem à peccatis ceſſent.

DOCVMENTVM II.

A

LICET diuinæ præſentiæ iugis conſiderationis fructus multiplex ſit; ille tamen cenſendus eſt præcipuus, quem Tobias memorat, fuga nimirum peccati, & diuinæ legis mandatorum diligens obſeruantia.

Et quidem cauet, ne aliquando peccato conſentiat, vt Tobias loquitur, qui Deum præſentem conſiderat, quia tanta eſt turpitudo peccati, vt vix tam reprobæ mentis aliquis reperiatur, quem maximè non pudeat coram teſte peccare: vndè Trithemius: *magna*, inquit, *pars peccatorum tollitur, ſi peccati teſtis ſemper aſſiſtat*. Quare cum teſtis, vt vidimus, noſtrarum operationum, & iudex Deus ipſe ſit, fieri omnino non poſſe videtur, aliquem, iuxta Tobiæ præceptum omnibus diebus vitæ ſuæ cogitare de Deo, nec ſibi à peccatis cauere: nam ſi ad præcauenda peccata diei lucem ſufficere B. Paulus putauit, dicens: *Sicut in die honeſtè ambulemus*, non ſufficiet coram ipſo lucis authore ambulare? Sanè Adam, & Euam protoplaſtes adeò puduit in luce peccaſſe, vt latibulum deinde inter medias ſyluas paradiſi à diuina facie quæſierint: nam poſtquam comediſſent de arbore vetita, vt ſcriptura docet: *aperti ſunt oculi amborum, cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos*, indumēto ſcilicet gratiæ, & innocentiæ, *conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata, & cum audiſſent vocē Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini in medio ligni paradiſi:* Ionam verò ita ſuæ puduit inobedientiæ, vt à *facie Domini* in Tharſum aufugere conatus ſit: non quòd illic Deum non eſſe putauerit, optimè enim nouerat Deum vbique eſſe; ſed quia vel ſaltem ibi à Palæſtinæ finibus, & à terra promiſſionis, in qua Deus propter populum ſuum dulciùs reſidebat, tam remotum futurum ſe exiſtimabat, vt liber à diuinis præceptis, & reuelationibus viuere poſſet: Ac demum ipſum Saluatorem noſtrum adeò prauiſarum ignominiarum, & noſtrorum peccatorum puduit, vt, ſicuti nonnullis placet, ob id ſudore ſanguineo à facie vſque in terram decurrente, ſudauerit: nam cum ea ſit ſanguinis natura, vt parti ſemper ſuccurrat læſæ, cum pudore facies, & timore cor præcipuè lædantur: in timore internis ſuccurrens partibus, externas requirit, & in pudore, vt externis ſuccurrat, internas deſerit, quod in timentis facie pallor, & in pudentis rubor oſtendunt. Cum itaq; maximus ex improperiorum conſideratione fuerit Chriſti pudor, maximus etiam ad extimas partes fuit accurſus ſanguinis, ex quo deinde ſanguineus manauit ſudor. Sed quid hæc de Sanctiſſimis viris, deque ipſo etiam ſancto ſanctorum commemoro? Cum & ipſos ethnicos non modicè puduiſſe legamus maximæ peccatorum impudentiæ? Mileſias quandoq. virgines, vt refert Plutarchus, admirabilis quidam morbus immaniſque furor inuaſit, quo illarum mentes ad inſaniam conuerſæ, repentinæ mortis tanta cupiditate corripiebātur, vt ſe ipſæ ſtrangularent: cui infortunio, cum nec parentum lacrymæ, nec amicorum monita, & ſuaſiones mederi poſſent, ſolus pudor medicamentum apposuit: nam ſpectatæ quodam prudentiæ viro præcipiente, vt virginum, quæ ſibi ipſis mortem conſciuiſſent, per medium forum nuda cadauera deferrentur; tanto fuerunt huius rei pudore ſuffuſæ, vt nulla amplius earum fuerit ſuæ mortis rea: ſic non modo virginum furorem compeſcuit pudor; ſed etiam illum omnino ſedauit, extinxitque. Et cum Tarquinius ille ſuperbus pudendum quiddam ſuis imperaſſet, quod ne exequerētur illi, potiùs internecioni ſe dabant; pudore impius rex pudorem præcepti ſuperare volens, illorum cadauera ignominioſiſſimæ addixit cruci: quam ignominiam adeò abhorruit populus, vt pudore coactus, illud deinde fecerit, quod iam antea, ne puderet, facere detrectauerat. Si itaque tantum pudet hominem coram homine rem à modeſtia alienam admittere: cur eundem non pudebit pudendiſſimum peccatum corā Deo perpetrare? Tollitur magna peccatorum pars, ſi mortalis teſtis aſſiſtat, & aſſiſtentia immortalis, & æterni iudicis non tolletur? Sic *Magna*, ait Boëtius, *nobis eſt, ſi diſſimulare nolumus, neceſſitas indicta probitatis, cum ante oculos agimus iudicis omnia cernentis:* nam *& quis*, ait Baſilius, *alterius poteſtati ſubiectus, qui in oculis principis ſui aliquid auſurus ſit vnquam eorum, quæ ipſi principi non placent? Quis latro coram iudice furari audeat?* Heu mortalium magna dementia! *Propter iudicia hominum*, inquit Cæſarius, *nullus eſt, qui velit publice à meretricibus oſculari, & in ſecreto conſcientiæ noſtræ, vidente Deo, luxurioſas cogitationes non ſolum ſuſcipimus; ſed etiam non paruas moras habere permittimus.* Et quidem ex eo, quia hominibus cum ſimus proximi, illos inſpicimus, noſque ab illis inſpici credimus: contra ver[illegible] Deo elongati, nec illum inſpicimus, nec ab illo nos inſpici conſideramus: vndè quaſi præſens nō eſſet, peccata committimus: quod Pſaltes confirmat, vbi ait: *Ecce qui elongant ſe à te, peribunt: perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te*. qui quidem elongant ſe à te: nam, vt Auguſtinus docet, non Deus à nobis, ſed nos à Deo elongamur. ſic ille: *Recedit*, inquit, *à te Deus, cùm tu recedis à Deo: præſentia ſunt cæcis omnia, ſicut videntibus: vno loco ſtans cæcus, & videns, iiſdem formis rerū, vterq. circumfunditur, ille eſt præſens rebus, ille abſens; ex duobus vno loco ſtantibus, vnus eſt præſens, alius abſens, non rebus ipſis ad alterum accedentibus, ſed propter diſſimilitudinem oculorum, ille qui cæcus, quia extinctum eſt ibi, quod contemplari ſolet, luce cuncta veſtiente, fruſtra eſt præſens rebus, quas non videt, immò rectiùs abſens, quàm præſens dicitur, vbi non eſt*

Trithem. c. 7. reg. s. Benedicti. §. exiſtimes.

B

Rom. 13. 13

Gen. 3. 7. 8

Peccator tenebras amat

Ionæ 1. 3

Ionas cur fugerit a facie Domini.

C

Chriſtus in horto ſanguinem ſudauit ob peccatorum pudorē.

Luc. 22. 44

Factus eſt ſudor eius ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.

D

Plut. de clar. mul. c. 7

Pudor ſæpè à criminibus deterret.

E

Caſſius apud Seruin. idem habet Theodoret. ſerm. de prouid.

Boet. li. 5. de conſol. proſ. 5.

F

Baſil. reg. breu. int. 29

Cæſar. 10. 20

Pſ. 72. 27

G

Aug. in enar. pſ. 99. ſerm. 2

ſ nſus eius rectè dicitur abſens : hoc eſt enim abſentem eſſe, ſenſu abeſſe. Sic & Deus præſens eſt, vbiq; totus eſt : Sapientia enim attingit à fine vſque in finem fortiter, & di ſponit omnia ſuauiter. Quare non ideò peccando perimus, quia elongat ſe Deus à nobis, ſed quia nos ab eo recedimus, nec illum præſentem conſideramus. Quod in Maria Sorore Moyſis præfiguratum fuit, quæ leproſa effecta eſt ſtatim, ac ab illa receſſit Dominus.

H Peccator a Deo recedit.

Num. 12. 10

Olaus in deſcript. gent. aquilon.

Etenim ſicut Olao Magno teſte, in ſeptentrionalibus terræ concauitatibus interdum piſces lucifugi reperiuntur, qui licèt pingues, & obeſi videantur, comedentibus tamen venenum afferunt, quod ideo contingit, quia nunquam luce ſolis fruuntur: Et ſicut in Ana Bethicæ Hyſpaniæ flumine, vti illius regionis incolæ ferunt, omnes piſces atri ſunt coloris, & interdum lethales, & ſemper noxij, quod ſolem non videant: nam flumen decem Hyſpanicis leucis ſe ſubtus terram abſcondit, quo tandem erumpente, piſces, qui emergunt, venenato ſucco contracto, lucis iacturam inſito veneno teſtatur: Sic lepram, & venenatum peccati ſuccum omnes illi contrahunt, & peſtiferi redduntur, qui Deum à ſe elongant: vnde nec Angelus haud vnquam tali peccati veneno fuiſſet infectus, ſi oculos ad Deum habuiſſet intentos; ſed quia ſe ipſum reſpiciens, illos à Deo auertit, idcirco peccauit: ſic ſteterunt Adam, & Eua in delicijs paradiſi, quandiu præſentem Deum reputauerunt, à quo vbi primum oculos detorquentes, ad pomum illa, & ipſe ad Euam conuerterunt, Dei gratia, beatitudine naturali, & iuſtitia originali ſpoliatos ſe eſſe ingemuerunt. Cain ſe, non Deum reſpiciens, meliora ſibi, peiora Deo tribuebat; & quia Dominus talia eius munera non reſpexit, *iratus eſt*, inquit ſacer textus, *vehementer, & concidit vultus eius*, oculoſq. ſuos, ſicuti & ſeniores illi apud Danielem, vix euertit è cælo, quod homicidium fratris Abel machinari cœpit: quare *cum eſſet in agro, conſurrexit aduerſus eum, & tandem interfecit*, vt ait Sacra hiſtoria, *quia concidit vultus eius*.

Reum præſentem non conſiderare peccandi cauſa eſt.

I

Gen. 4. 5. 8

L

Ex quibus apparet, quàm vere Diocles apud Palladium dixerit, animam, quæ à Deo ſe cogitatione ſeparat, confeſtim in beſtiam, vel in dæmonem non naturæ eſſentia, ſed morum commutatione mutari, dum à terrenis carnis, vel à ſpiritualibus, inuidiæ, iræ, vel ſuperbiæ tentationibus ſuperatur. Et Baſilius: *Cuius*, inquit, *animus temerè euagatur, otioq. ſe dat? quis frequenter iraſcitur? quis humanas laudes auidè captat? quis ad opera ſpiritualia piger eſt? quis actiones ſuas ad Dei gloriam non refert? quis inter orandum mente ſæpè diſtrahitur?* qui, reſpondet, *non ſemper cogitat Deum cogitationum, & actionum ſuarum inſpectorem*. Sic: *oblitus eſt*, inquit Oſeas, *Iſraël factoris ſui, & ædificauit delubra*, quaſi dicat, ex eo, quia memoria Deum non retinuit, paulatim ipſius Dei oblitus, ædificauit delubra, in quibus collocata idola adorauit: *Non eſt Deus in conſpectu eius*, inquit Pſaltes, *inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Non eſt Deus, omnes cogitationes eius*, habet Hebræus: hoc eſt, nulla eſt eius cogitatio, in qua ſit Deus, ſeu nunquam cogitat de Deo. *Ideò inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore*, hoc eſt, hinc fit, vt nulla ſit ei recta cogitatio, ſed omnia eius ſtudia dicta, facta, cogitata immunda ſint, atque profana: Etenim ſicut cæcus oculis, & ſurdus auribus, eo quòd nec audire, nec videre præſentes poteſt, ſolum ſe credit, & in plurimorum cœtu dum putat nullum adſtare, perpetrare aggreditur, quod arbitrabatur arcanum; ita & iſti mentis obcæcati oculis, exiſtimant, quòd ſine teſte delinquant, quia hominis aſpectum declinare potuerunt. *Falleris ò miſer*, inquit Ambroſius, *plures ſunt, qui redarguunt, quàm quos cauere potuiſti*. Eſt Deus, ſunt Angeli, ſunt dæmones, eſt propria conſcientia tui reatus teſtis, ipſi te accuſabunt. *Non ſunt tenebræ*, inquit Iob, *non eſt vmbra mortis, vt abſcondātur ibi, qui operantur iniquitatem*. Omnia videt, omnia contemplatur, nemo poteſt vitare eius conſpectum. LXX. *ipſe inſpector eſt operum hominum*. Quare Dauid: *Quò*, inquit, *ibo à ſpiritu tuo, quò à facie tua fugiā? qui eſt locus*, ait Auguſtinus, *recepturus fugitiuum Dei? Homines qui ſuſcipiunt fugitiuos, quærunt ab eis, à quo fugerint, & quem ſeruum inuenerint alicuius domini minus potentis, tanquam ſine vllo timore ſuſcipiunt, dicentes in corde ſuo: nō habet iſte talem dominum, à quo poſſit inueſtigari: cùm autem audierint dominum potentem, aut non ſuſcipiunt, aut magno cum timore ſuſcipiunt. Et quia homo potens, falli poteſt: Vbi non eſt Deus? quis fallit Deum? quem non videt Deus? à quo fugitiuum ſuum non reperit Deus? quò ergo ibit fugitiuus iſte à facie Dei? Quò ibo, ait Dauid, à ſpiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam?* Quis erit, qui audeat me à facie tua abſcondere? *Si aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades, ſi ſumpſero pennas meas diluculò, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Tandem cognouiſti*, inquit idem Auguſtinus, *male fugitiue, nullo pacto te poſſe fieri longè à Deo, à quo longe quare voluiſti: ecce ille vbiq. eſt, quò tu iturus es, & dixi, forſitam tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis*. Symmaeus, *Sic dicam, forſitan tenebræ circuntegent me; ſed etiam ipſa nox lucida erit circa me, neque tenebræ obſcuræ erunt ſuper te, quia etiam*

Pallad. in hiſt. Lauſiac. cap. 98

Baſil. in reg. breu. reſp 21. 26. 34. 37. 196. & 201

Oſeæ 8. 14

M

Peccata ex obliuione diuinæ præſentiæ oriuntur.

Pſ. 9. 27

N

Amb. eſt. 1. *ſuper pſ.* 118. *s.* 2

Iob 34. 27

Pſ. 138. 7

Aug. ibi.

O

Diuinos oculos effugere poteſt nemò

Symmaeus.

P

nox

nox ipſa tanquam dies lucet. Conculcare hic,
dicit propheta,tenebras ad earum denſitatem
ſignificandam : perinde ac ſi dicat : licèt adeò
denſæ tenebræ forent, vt quodammodo con-
culcarent me, ipſæ tamen, neque nox ipſa
ſatis ſunt, quæ me à tuo cõſpectu ſubtrahant,
quia magis erunt illæ tibi tanquam lumen
ſolis *illuminatio mea*, dum *in delicijs* pecca-
torum meorum commorabor. *Infelix homo*,
Aug. in pſ.93 ſubdit Auguſtinus, *vt eſſes,curauit Deus : vt
benè viuas,non curat? Qui plantauit aurem,
non audiet? qui finxit hominem, non conſide-
rat?* Conſiderat ſanè, & omnia tua videt.
Quare vide, ne cæcus ſis; ſed illum tu ſem-
per oculis mentis conſidera, vt à peccatis im-
munis exiſtas.

---

*Quòd illi, qui diuinam præſentiam con-
ſiderant, Dei ſeruent mandata, &
perfectionem vitæ ſpiritualis conſe-
quantur.*

DOCVMENTVM III.

A SICVT, qui Dei non recordan-
tur, facilè, vt vidimus, in pec
catum prolabuntur, diuina
tranſgredientes præcepta;ita
qui eiuſdem Dei perpetuam
memoriam tuentur, facilè ſe
ipſos à peccatis vindicare, & diuina ſeruare
Tobias hic. mandata non modò hic teſtatur Tobias,dum
ait : *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto
Deum, & caue, ne aliquando peccato conſen-
tias, & prætermittas præcepta Domini Dei
tui*, vt iam interpretati ſumus, & ſic tibi ca-
uebis à peccatis, & à tranſgreſſione mandato-
Pſ.118. rum Dei; ſed etiam ipſe Dauid, vbi dicit: *Ser
168 uaui mandata tua, & teſtimonia tua, quia
omnes viæ meæ in conſpectu tuo*, manifeſtè do-
cens cauſam, quare ſeruauerit Dei præcepta,
eam fuiſſe, quia ſcilicet ſtudioſiſſimè ſemper
conſiderauerat Deum omnium viarum ſua-
Eccli.43. rum inſpectorem. Ita etiam de Enoc, qui in
16 albo iuſtorum primo loco ponitur, quippe à
Hebr. 11. Syracida & ab Apoſtolo viuus translatus,Deo
5. placuiſſe memoratur, nihil aliud legimus,niſi
B quod *cum Deo ambulauit*, hoc eſt, ſemper
Gen.5.22 Deum præſentem habuit, fecitq. iuxta eius
precepta : nam præſentem nobis eſſe eum, cũ
quo ambulamus, neceſſe eſt. Neq; ignotus eſt
Ambulare cũ Deo, vel coram Deo, quid in ſacris literis. Hebraiſmus : *ambulare cum Deo*, vel *coram
Deo*, ſignificare rectam, & inculpabilem vi-
tam ex Dei præceptis, & voluntate tranſi
gere, & ſic pro *ambulauit cum Deo*, vertunt
LXX. *placuit Deo*. quam verſionem ſecutus
B.Paulus vbi ſupra. eſt B. Paulus : neque enim poſſunt hæc duo,
ambulare cum Deo, & *placere Deo* disiungi,
cùm inuicem conuertantur. Ita quia Enoc
ambulauit cum Deo, eumq. ſemper præſen-
tem conſiderauit, ipſi Deo placuit, & ideò
placuit Deo, quia cum Deo ambulauit. Sic
enim Zacharias, & Heliſabeth à S. Luca iuſti Luc.1.6
fuiſſe perhibentur, quia præſentem ſemper
Deum habuerunt : *ambo iuſti*, inquiens, *ante
Deum incedentes in omnibus mandatis, & iu-* C
ſtificationibus Domini ſine querela. Hinc le
gimus, Deum præcepiſſe Abraham, vt ſi vel-
let perfectus eſſe, ambularet coram ſe: *Ambu-* Gen.17.1
la, inquit illi Deus, *coram me, & eſto perfe-
ctus*. Significat enim ambulare *viuere*, & viam,
per quam ambulamus, *vitam*, quia hominis
vita, quædam eſt peregrinatio. Quare idem
fuit dicere, *Abraham ambula corã me, & eſto
perfectus*, ac ſi dixiſſet : viue corã me, hoc eſt,
*omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto
Deum*, & eris perfectus : habet enim poſte-
rior imperatiuus, vt Delrius obſeruat, vim Delrius in oper. Mar. loc. 16
futuri ex frequente idiotiſmo, vt etiam in
pſalmo dicitur : *Accedite ad eum, & illumi-* Pſ.33.6
namini, hoc eſt, & illuminabimini : nam
quicunque cum Deo ambulat, non modo ob-
ſeruat Dei mandata, ſed etiam ea, quæ ſunt
conſilij, & perfectionis.
Nec mirum, nam coram Deo dum ambu- D
lamus, humilitatem, totius perfectionis funda- Qui Deo præſente oblectatur, humilitatem aſſequitur.
mentũ conſequimur : etenim dum ſupremam
illam, ac ſuperexcellentem maieſtatem con-
templamur, noſtram humilitatem vt agnoſca-
mus, neceſſe eſt, vndè dicamus cum Pſalte :
ſubſtantia tua tanquam nihilum ante te: nam Pſ.38.6
cùm noſtra humilitas ex intuitu noſtræ vilita-
tis procedat, cognoſcere illam vix poſſumus,
niſi comparatione alicuius perfectiſſimæ rei.
Quare ſicut in aliquo vili oppidulo diues, qui
nullum ſe vnquam ditiorem nouit, ſemper ſe
ditiſſimum putat, donec illi aliquo modo con-
tingat regis, aut principis alicuius diuitias
noſcere; ſic facillimè accidit, vt homo ſe exi-
ſtimet aliquid, cùm nihil ſit, ſeque inter hæc
infima iactet, dum Dei maieſtatem mentis
oculis non contemplatur, quem cùm primùm
præſentem conſiderat, ſe illius comparatione, E
inſtar puncti, cum orbe vniuerſo collati, qui-
nimmò nihil eſſe dignoſcit, omneſque ſuas iu-
ſtitias in comparatione ſupremæ illius perfe-
ctionis, tanquam pannum mulieris menſtruæ:
quin etiam apud illum quicquid à nobis pul-
cherrimum prædicatur, turpe, & immun-
dum eſſe. Quare Auguſtinus, de rebus hiſce
terrenis loquens; *non puto*, inquit, *poſſe mihi
hæc venire in ſummum contemptum, niſi vi-* Aug. in ſoliloq. anim. ad Deum.
*dero illud, in cuius comparatione iſta ſorde-
ſcunt*.
Aſſequitur deinde, qui Deum præſentem
conſiderat, fortitudinem in aduerſis, ita vt nec Qui Deũ præſentẽ habet, aduerſa fortiter tolerat.
iudicia hominum, nec quicquid contra illum
inſurgit, pertimeſcat. Vndè legimus Dauidẽ,
cùm luderet coram arca Dei, deridentem
contempſiſſe Michol filiam Saul : Moiſem, Hebr. 11.
qui, teſte Apoſtolo, *aſpiciebat in remune-* 26. 27
*rationem, & inuiſibilem, tanquam videns
ſuſtinuit*, hoc eſt, Deum, quem oculis cor- F
poris

F poris non videbat, qui inuiſibilis eſt, oculis
Fortitudinẽ inſuperabilẽ anima ex diuina præſentia nanciſcitur. tamen mentis illum intuebatur, non ſecus
ac ſi eſſet res corporea, quam meus optimè
contemplatur, zelo paternæ legis ſuccenſum
Aegyptium, qui vni ex Iudæis infenſus erat,
occidiſſe, ſolumq́. deinde, & exulem non modò non expauiſſe Arabes inuaſores filiarum
Ietro, ſed illos etiã aggreſſum fugaſſe, virgis
Pharaonẽ viciſſe, mare diuiſiſſe, aquas ſitiẽti,
populo propinaſſe: Iudã Machabæũ cum ſuis
2. Mach. 15.27. contra Nichanorem, manu quidẽ certantes,
ſed Dominum cordibus orãtes, proſtrauiſſe
non minus triginta quinque milliũ, præſentia Dei magnificè delectatos. Eadẽ ſanè cogitatio tres pueros in fornace, ſeptẽ Machabæos filios cum matre fortes ad martyrium
effecit. Quid tandẽ? Dæmones ipſos, qui Deũ
præſentẽ conſiderat, ſuperat. Quare Anto-
Athanaſ. in vit. S. Ant. nius, vt Athanaſius refert, dicebat vnicum ad
G vincẽdos dæmones remedium eſſe continuã
Macar. Aegyptius hom. 43 Dei memoriã. Macarius etiã Aegyptius ait:
Sicut ſarmenta in igne proiecta, facultati ignis reſiſtere nequeunt, ſed ſtatim exuruntur; ita dæmones homini inſidiãtes, vri, et abſumi igne diuinæ lucis neceſſe eſt, modo homo Deo ſemper cogitatione adhæreat. Quare Da-
Pſ. 24. 1. uid: *Ad te leuaui*, inquit, *animam meã, Deus meus in te confido, non erubeſcam, neq; irrideant me inimici mei*, & cauſam reddens, ait,
qui ſuſtinent te, non confundentur. Et paulo
Dæmonis laquei euitantur diuinæ præſentiæ cõſideratione. inferius. *Te*, inquit, *ſuſtinui tota die*, & quid
ſit ſuſtinere Deũ, declarans ſubdit: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.* Nam, ſicut colũbæ in limpidiſſimis aquis vmbras accipitris ſuperuolantis intuentes, nullo negotio vngues eius
declinãt; ſic & anima Chriſtiana, Dei colũba,
H inſidias dæmonis facillimè vitat, quæ ſpecu-
Aug. in ſolil. anim. ad Deũ c. 7. tom. 9. lum limpidiſſimũ diuinæ præſentiæ præ oculis frequenter habet. Quare Aug. Deũ alloquens. *Quis*, inquit, *euadat laqueos iſtos multos, niſi videat eos? Et quis videbit eos, niſi quem illuminaueris lumine vultus tui?*
Meritò igitur ſponſus in Canticis fortitudinẽ animæ iuſtæ indicans: *Quæ*, ait, *eſt iſta, quæ progreditur, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata?* ſubdens, vt doceat, vnde tantam illa
Cant. 6. 10 habeat fortitudinẽ. *Deſcendi in hortũ nucũ, vt viderem poma conualliũ*, quia ſicut nuces
amaro ſub cortice dulcem fructũ celant; ita
anima ſancta per hortum nucum ſignificata,
ſub amaro laboris cortice virtutis fructum
producit, & quidẽ tunc maximè, quãdo in illam Deus deſcendit, hoc eſt, quãdo Deũ ſuis
laboribus præſentẽ conſiderat: nam ſicut ſtrenui milites corã rege certantes, hoſtibus vel
in minimo erubeſcunt cedere; ita illos à ſu-
I premi regis Dei præſentia roboratos, terga
hoſtibus vertere pudet. O verè deſiderabilẽ,
nimiũq́. expetendã memoriã, nobis ſanè vtiliorẽ multo, quàm fuerit præſẽtia Iacob, Laban, Ioſeph Putiphari, & Arcæ Dei Abededõ!
Nimirũ hæc memoria nos elatos deprimit,
imbelles corroborat, pauperes ditat, triſtes
conſolatur. Sic *prouidebam Dominũ*, inquit Pſ. 15. 8.
Dauid, *in conſpectu meo ſemper*; ſed cur?
quia à dextris eſt mihi, ne commouear: propter hoc lætatũ eſt cor meũ. Et *à dextris eſt mihi*, non otioſus mei certaminis ſpectator; ſed
dux, defenſor, protector, & cõſolator, *propter hoc lætatũ eſt cor meũ.* Quare ſicut Regina
Saba Salomonẽ alloquẽs: *Beati ſerui tui*, ait, 3. Reg. 10.
qui ſtãt corã te ſemper; ſic potiore iure verè 8.
beati dicendi ſunt illi, qui Deũ ſemper præſentem conſiderantes, ſemper etiã coram eo
ambulant. *Beatus vir*, ait Eccleſiaſtes, *qui in* Eccli. 14.
ſenſu ſuo cogitat circumſpectionem Dei. 22.
Sit itaq; noſtra ad illum ſemper intentio; L
ſit diuina præſentia noſtra ſẽper meditatio,
vt omnia bona pariter cũ illa habeamus: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deũ, & caue, ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.*

Quòd praua conſuetudo, dæmones, & plurima alia, pœnitentiam in fine vitæ rarò admittant.

DOCVMENTVM IV.

CVM, ſicut ſuperius dictũ eſt, A Supra in literæ expoſitione.
in ſacro eloquio totũ tempus
vitæ noſtræ ex frequenti ſacræ
ſcripturæ idiotiſmo dies vitæ
dicatur, tempus verò mortis,
decrepita ſcilicet ſenectus,
vel grauis infirmitas, dies mortis, vt ex Deuteronomio cõſtat, vbi Dominus dicit Moyſi: Deut. 31. 14.
propè ſunt dies mortis tuæ; ſatis etiã huic loco congruere crediderim, ſi dixerimus, illud
etiã in hoc verſiculo præcipere voluiſſe filio Eccleſ. 12. 1. & 67.
Tobiã, quod iã Eccleſiaſtes filio præceperat,
dicens: *Memento creatoris tui ante, quàm reuertatur puluis in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad eum, qui dedit illum.* Et eò magis
iſtud ſignificare voluiſſe credo, quia reperio
alia duo præcepta in litera tradita, eadẽ ferè
ab eodẽ Eccleſiaſte filio data, dũ inferius dicit: *Deum time, & mandata eius obſerua*, ſeu,
vt Paraphraſtes vertit: *Propterea verbũ Domini, & mandata eius cuſtodito*, vt non pecces. Præcepit itaque & Tobias, iuxta Eccle- B
ſiaſtis doctrinam filio, ne tardet, ant differat
cogitare de Deo ad dies vſque mortis, ſed
omnibus, inquit, *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Mirum ſane eſt videre, quàm
multi ſint, qui hoc egent præcepto, quique
ad Deum in diebus mortis conuerſuros ſe
putent, exiſtimantes, cum omnibus diebus
vitæ cogitauerint de mundo; tunc in diebus ſcilicet mortis, cogitare poſſe de Deo, Peccator ægrè conuertitur in fine vitæ propter prauas conſuetudines.
non animaduertentes miſeri, quàm difficile
ſit Aethyopi mutare pellem, & pardo varietates ſuas: nam ſicuti nec herba Borith,

Iere. 3. 22.

nec Oceano toto Aethyopem dealbaueris, nec à pardo natiuas maculas abſtuleris, niſi pellem amoueas; ita nulla virtus eſt, ſi diuinam excipias, quæ malè aſſuetum poſſit corrigere, etenim:

Horat. in ep.

Naturā expellas furca, tū vſq; recurret: quòd, ſicut Philoſophus docet, *conſuetudo altera ſit natura*, & naturam totis diebus vitæ victricem vno momento impugnare diuinum quoddam ſit, & ab homine alienum: nā ſicut concluſiones naturam præmiſſarum ita obtinent, inquiunt Dialectici, vt apparentes, falſæ, contingentes, aut neceſſariæ ſint iuxta præmiſſarum naturam: ita dierum vitæ conditionem ſequuntur dies mortis, vt ſi illi boni, ſancti, & cum Deo fuerint, hi etiā cū Deo, boni, ſanctiq. neceſſariò quodammodo ſint futuri. Quare ſicut ex capite totum animal cenſetur; ita ex capite huius vitæ finem licet dignoſcere peccatoris: quòd ſi Bucephalus ſpeciem bouini capitis præſeferens, corpus habebat equinū, meminiſſe oportet nō multos fuiſſe Bucephalos, ſed vnū tātùm, & vnius Alexandri: vnus tantum *Beniamin lupus rapax, mane comedens prædam, & veſpere diuidens ſpolia.* Quamobrem, ſicut ſolet arbor in eam partem corruere, in quam propendet, & miraculi ſimile habeatur, ſi in læuam procliuis, in dextram prolabatur; ſic propè miraculum dixeris, ſi hominem ad læuā peccatorū, & obliuionis toto vitæ tempore propenſum, ac defluentem, ad dexterā diuinę recordationis, in diebus mortis declinare, & ad Deum, à quo tanto tēpore deuius aberrauit, refluere videas. Tale miraculum habes in ſacris literis vnicū in Euangelico illo latrone, qui licèt omnibus diebus vitæ ſuæ de Deo nunquā cogitaſſet, ſemper latrocinijs intētus, in diebus tamen mortis Deū cognoſcere, & venerari meruit. Valdè quidē timendū, & expaueſcendū, ſi verba illa Domini ad eundē latronem prolata perpendantur. *Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* etenim dū dicit, *amen, amen*, verba nimirum iuramenti, vim habentia, tantā eſſe rem, adeoq. inuſitatam oſtēdit, peccatorem in extremis pęnitere, vt illā non niſi cum iuramēto ne ſibi quidē pronuntiandā, veritas ipſa cenſuerit, dūq. ſubdit *tibi*, miraculi nouitatem deſignauit, quaſi diceret, tibi hęc conceditur gratia, qui mecū morereris; *tibi* ſoli, & nō alij: *tibi*, quia nemini hoc alteri, paucisuè conceſſum, & deinceps nō niſi rariſſimis concedam, *tibi*, quē hodie in meę miſericordię exemplū eximiū, & ſupremum cōſtituere volo. Ita qui pingēdi arte eximij ſunt, imaginē aliquā omnibus numeris abſolutā, adhibita omni diligentia, & cura depingere ſolēt, eamq. præ forib. ad artificij oſtentationē affigere, quā deinde vel nunquā, vel raro alicui, quouis etiam oblato pretio concedunt; ſic Chriſtus in die vniuerſalis miſericordiæ, & mundi reparationis exemplū ſuæ infinitæ miſericordiæ omnibus propoſuit intuendum in hoc latrone, ne deinceps mortalis quiſpiam, peccatorum quauis multitudine oneratus, de tanta miſericordia deſperaret. Quare exemplar etiā à Domino ſe conſtitutum B. Paulus memorat, dicens: *Venit Chriſtus Ieſus peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum; ſed ideò miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtēderet Chriſtus Ieſus omnem patientiā ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam:* vbi verba illa, *vt oſtenderet, & ad informationem*, declarant ſe à Deo tanquam exemplar fuiſſe propoſitum, quod nunquam, aut raro conceditur. Rarus itaq; Beniamin lupus rapax, & Chriſti hoſtis, qui deinde veſperè diuidat ſpolia, & cū Chriſto triumphet. Illuſtre eſt, quod de inſigni illo apoſtata, & Imperatore Iuliano in Eccleſiaſticis Annalibus legimus, nēpe illum morientē ex vulnere ab inuiſibili, ſed cæleſti manu in expeditione Perſica accepto, manum ſuā ſuo ſāguine impleuiſſe, illoq. deinde in aerē projecto dixiſſe: *vicisti Galilæe*, ne ſcilicet ſecus, quàm vixerat blaſphemus apoſtata moreretur; hoc enim vocabulo Redemptorē noſtrū per cōtemptum, vt etiam fabri filiū, ſolebat impius appellare, *oſſa* enim *eius*, vt Iob de impio docet, *implebūtur vitijs adoleſcētiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* Etenim nec Domini apparitio, quæ illum magis mouere debebat, nec ipſa Dei flagellatio à mala illū conſuetudine reuocare valuerunt. Ex quo apparet, vt docet Galenus, quòd ſicut maximè incurabilia ſunt illa vlcera, quæ vetuſtate iam cancrænam neſcio quam, carnem vocabis emortuam, albentem primò, deinde nigreſcētem inducunt; ſic vlcera illa animæ, quæ ad ſenectam vſque, quando iam pili albeſcunt, & reliquum corporis de vetuſtate nigreſcit, deuenerunt.

Ariſt. 7. ethic. c. 10

C

Naturā vincere difficillimum.

Gen. 49. 27

Vide Aug. ſer. 14. de ſanctis. i. in conuerſ. s. Pauli.

D

Luc. 23. 43

Pœnitentia ſera quam rara ſit.

F

1. Timot. 1. 15. 16

Baron. in annal. ann. Chriſti 301. num. 4

G

Iob 20. 11

Difficilem etiam Dei memoriā in diebus mortis efficiunt dæmones, qui tunc maximè curabunt quod ſemper curarūt, peccatores, nimirum Dei immemores eſſe, mundiq, ſollicitos amatores: nam, & quis credat, dęmones incorporeos, qui nullo labore defatigantur, ex illis eſſe, qui acres in principio ſunt, & frāguntur in fine? Sanè Diabolus deſcendit ad vos, inquit B. Io. *habens irā magnā, ſciens, quia modicū tēpus habet*: nam ſicut teſte Seneca, *nullus perniencioſior hoſtis, quā quem audacē anguſtiæ faciūt*: vnde & militaris inſolētia maior inſtāte eſt pace, quā toto bellorū ęſtu: ita *antiquus hoſtis*, inquit Greg. *ad rapiēdas peccatorū animas tempore mortis crudelitatis effrænatur violentia, & quos viuentes blanditijs decepit, ſæuiēs morientes rapit.* Nec eorum vnus tantummodò, ſed plures ad tale certamen adueniunt: nam velutii de imperio, rerumque ſumma certatur reges, ciues ſolent, & feudatarios oēs armare ad hoſtem funditus euertendum: Sic dæmon, vel ſubditos, vel ſocios ad hominē debellādū, demoliēdumq.

H

Peccator difficile in fine vitæ propter ſæuientes dæmones conuertitur.

Apoc. 12. 12

Seneca natur. quæſt.

Gregor. lib. 6 moral.

I

dumq. tempore mortis deducit. Quod Pharao dæmonis ſymbolum ſemper in Iſraelitas infenſus oſtendit, dum ſæuior illos fugiẽtes armata manu,& maximo cũ exercitu eſt inſectatus. Ecquis ferocientiũ hoſtium phalãges deuitet? mille iſti nocendi artes callent; ſpecies ad terrorem mille præſeferunt. Nouit Martinus ille ſanctiſſimus Vrbis Turonen. Epiſc. cui morienti cruentus cacodæmon apparuit, ad quem ille. quid hic adſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſte reperies. Nonit Edilon ille ſanctiſſimus Abbas Cluniacenſis, qui etiam proximus morti ab illo ſæuiſſimè eſt aggreſſus. Sed quid dicam de Euſebio illo Cremonẽſi, cui, vt multi aſſerũt, iam morituro apparens, adeò illum perterrefecit, vt repente erexerit caput, oculiſque pauitantibus circunſpexerit, & quaſi in furorem actus clamitarit. *Non faciam, non faciam, mentiris, mentiris.* & mox ad terrã procliuis faciem occulerit, intremuerit, quantũque poterat, vociferatus ſit. *Adiuuate me fratres, adiuuate, ne peream:* illi verò partim ex pauidi, partim mœrore concuſſi, rogabant: *Quid tibi eſt pater? quid hæc te exagitat ſolicitudo? quid times? An,* inquit ille, *non videtis dæmonum cateruam hic in meam perniciem congregatam? ille, qui præ cæteris horrendus apparet, compellit me ad blaſphemiam, & tam dirus eſt, vt contra tueri non auſim.*

Seuerus Sulp. in vit. S. Martini ad fin. Aug. ſiue auc ep. 102. ſub illius nomine, & Marull. li. 5. ex c. 10 Illuſtre exẽplum.

Luc. 23. 31

M

Iam verò nobiſcum hæc conferamus, ſi in viridi hæc ligno facta ſunt, quæ in arido facienda cenſemus? Si canis ille trifaux Cerberus toties à menſa, vt ſic dicam, repulſus, iterum, atque iterum redit, quanto magis ad improbos properabit, à quibus tã ſæpe blandiuſculè exceptus eſt? Quocirca iure miſer ille, qui in die bonorum, malorũ memor non eſt: nam optimè illi quadrat, quod Dominus de Ieruſalem vaticinatus fuerat: *Circundabunt te inimici tui vallo,* ita vt nullum euadendi aditum, quod monet Gregorius, inuẽtura ſit anima: *circundabunt te, & anguſtabunt te vndique: Quando,* inquit ille, *morienti non ſolùm operis, ſed etiam loquutionis, atque inſuper cogitationis iniquitates replicabunt.* Coanguſtabunt te vndiq;, intus pauor, foris gladius, coanguſtabunt te varijs ſolicitudinibus, ne moriens de Deo cogitare valeas. *Percutietur,* vt Aug. ait, *hac animaduerſione peccator, vt moriens, obliuiſcatur ſui, qui dum viueret, oblitus eſt Dei.*

Luc. 19. 43

Greg. hom 39 in Luc.

Aug. ſerm. 5. de innoc.

N

Coanguſtabunt te vndique, dicentes, Deũ, quem olim tibi proponebant, quaſi agnum tractabilem, omniq. lana, & cera molliore, draconem eſſe dirum, ſeuerũ exactorem, omnia rimantem, nihil miſerentẽ, æternitatem etiam pœnarum, quã ſemper à mente tua remouere conati fuerant, manifeſtã facientes, quodq. nulla ſit, in illa redemptio: ſcelera deinde tua, quæ olim ſecreta fuere, quorum ne meminiſſes, aut in confeſſione ſacerdoti aperires, tot artibus hactenus curauerant, enumerantes amplificabunt. Et quis talibus circumuentionibus tunc reſiſtat?

Penitẽtia nõ procraſtinanda.

In diebus itaque vitæ tuæ, antequam dies mortis adueniat, in mente habeto Deũ: *memento,* vt Sapiens ait, *creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tẽpus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent,* ne dicas cũ Pharaone Moyſi dicenti: *Conſtitue mihi tempus, in quo deprecer pro te: cras;* nam cras iuris tui non eſt. *Fluit tempus,* ait Seneca, *& auidiſſimos ſui deſerit, nec quod futurum eſt, meum eſt, nec quod fuit: in puncto fugientis temporis pendeo, & magni eſt modicum fuiſſe.* Præteritum tempus euanuit, futurum non dum eſt, præſens igitur tantummodò noſtrũ eſt, quod elapſum, haud iterum haberi poteſt: nam vt B. Dorotheus ait: *aurum & argẽtum ſi amiſerit homo, poteſt id ipſum vel tantundem recuperare, tempus autem ſi pereat, nec ipſum amiſſum, nec aliud pro eo recuperari poteſt.* Felix, qui dæmoni ſuadenti craſtinũ, reſpondere nouit, quod ſenex ille in vitis PP. qui cogitationi ſuæ dicenti: *cras pœnite,* reſpondebat: *craſtina enim dies non eſt noſtra; ſed tantum hodierna, & præſens:* Hodie pœnite: *craſtina, voluntas Dei fiet.*

Eccli. 12. 1

O

Senec. natur. quæſt. lib. 6

Doroth. doctr. 11

VV. PP.

Quòd iuſtis proſperè cuncta ſuccedant.

DOCVMENTVM V.

DOCET demum Tobias filium ſuum, vt eſt apud LXX. futurũ, vt ei omnia eueniãt proſpera, ſi iuſtitiam faciat: *quoniã,* dicens, *faciente te, quod iuſtum, & rectũ eſt, proſperitates erũt in operibus tuis.* ſeu: *reſpectus operum tuorũ,* benignis ſcilicet, & beneficis oculis tua omnia Deus reſpiciet, & proſpero fine donabit. Hic enim mos ipſius eſt erga omnes iuſtitiæ ſtudioſos, quos eouſq; felicitate exornat, vt etiam quæ apud homines aliquando infeliciter ceſſura viderentur, in vtilitatem, voluptatemq. conuertat: quare Dauid de viro iuſto, verba faciens. *Et omnia,* inquit, *quæcunque faciet, proſperabuntur.* Et B. Paulus: *Diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum,* ſiue aduerſis, ſiue ſecundis ventis nauigent; etenim dum bonis illi à Deo acceptis, nimirum ingenio, incolumitate, opibus, dignitatibus, pulchritudine, robore, &c. ſemper ad Dei gloriam vtuntur, in bonum etiã proficiunt: dumq. aduerſam, vt vocant, fortunam, nimirum infirmitates, inopiã, opprobria, perſecutiones patienter tolerant, & illa eis cooperatur in bonum. Vnde ſicut Eliſæus aquas amariſſimas, & mortiferas Ie-

A

LXX.

Pſ. 1. 3

Rom. 8. 28

B

richo ſale dulces, & ſanas effecit; ita illi ſale ſapientiæ Dei aduerſa omnia, in bonum ſibi commutant, & in ipſis tandem peccatis quodammodo proſperantur. Nam, licèt ipſũ peccare nihil natura ſua ſit, nihilq. boni ex illo prouenire queat, illis tamen occaſio eſt amplioris boni, quod Salomon docuit, dum

Eccli. 42 14 ait: *melior eſt iniquitas viri, quàm mulier*
Greg l. 12. moral. c. 26 *benefaciens: vir etenim*, inquit Gregorius, *fortis quilibet, & diſcretus vocatur; mulier verò mens infirma, & indiſcreta accipitur, & ſæpè contingit, vt etiam diſcretus quiſq; ſubitò labatur in culpam, atque indiſcretus*
C *alius, & infirmus, bonam exhibeat operationem; ſed is, qui indiſcretus, atque infirmus eſt, nunquam de eo, quod benè egerit, amplius eleuatur, atque grauius in culpam cadit; diſcretus verò quiſque ex eo, quòd malè ſe egiſſe intelligit, ad diſtrictionis regulam arctius ſe reducit, & inde altius ad iuſtitiam proficit: vnde ad tempus à iuſtitia cecidiſſe videbatur.* Ita viri iuſti non modò oleum de ſaxo eliciunt duriſſimo, quod inter alia ſuæ

Iob 29 proſperitatis elogia Iob recenſet; ſed & multò maiore proſperitate ex ipſo etiam pec-
Peccatum iuſto gratiæ, gloriæq. ſeges. cato per occaſionem diuinæ hauriunt oleum miſericordiæ, eam humilitatẽ, & cordis compunctionem ex illo reportantes, vt aliquando non minus proſperum fuerit illis vinci, quàm ſi ſemper extitiſſent victores. Quare,
Lud. Mart. ſiculus de reb. Hiſp. li. 21. in fin. ſicut Alphonſus Aragoniæ, & Siciliæ Rex, dùm fœdus cum Principibus Chriſtianis inire in Turcas conaretur: *ſi vincemus*, aiebat,
D *terram, ſi vincemur, cælum habebimus*. Ar-
Plutarch. in Caton. Vtic. gumentatio à Catone Vticenſi deſumpta, qui, vt Plutarchus refert, dum ſuis bellum ſuaderet, glorioſum eſſe dixit patriam viuendo liberare, & glorioſiſſimum pro illa victis ſuccumbere. Sic certè ſanctis, & iuſtis viris accidit, dum victores hoſtes, & victi ipſam hoſtium victoriam tributariam habent.

Ioſue 16 10 Sic legimus in libris Ioſue: *Habitauit Chananaus in medio Ephraim, vſque in diem hanc tributarius. quid enim Chananæus*, in-
Greg. li. 4. moral. c. 12. alias 24 quit Gregorius, *Gentilis videlicet populus, niſi vitium ſignificat? ſæpe enim magnis virtutibus terram promiſſionis ingredimur, dũ ſpe intima de æternitate roboramur; ſed dũ inter acta ſublimia, vitia quadam parua retinemus, quaſi Chananæum viuere in terra noſtra concedimus, qui tamen nobis tributarius efficitur: quia hoc ipſum vitiũ, quod ſu-*
E *bigere non poſſumus, ad vſum noſtræ vtilitatis humiliter retorquemus, vt eo de ſe mẽs, & in ſummis vilẽs ſentiat, quo ſuis viribus etiã parua, quæ appetit, non expugnat: vnde et be-*
Iudic. 3 *nè rurſum ſcriptum eſt: Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem.* Non ſic impij, non ſic, quibus dulcia amara, & amara dulcia ſunt, diuitias in ſuperbiam, tribulationes in deſperationem, lacrymas in tormentum, verba in murmurationem, & omnia tandem in malum conuertentes. Ita vt ſicut boni, quia boni, omnia in bonum; ita mali quia mali, omnia in malum conuertunt: nam ſicut

Iuſto omnia cedunt in bonum, impio vero in malum.

qui bonum habent ſtomachum, omnia concoquunt alimenta, in bonumque digerunt ſanguinem, quod non faciunt, qui malè illum affectum habent; ſic qui bonus eſt in bonum, & qui malus, omnia in malum conuertit. Vnde Iſaias ait: *Dicite iuſto* F
quoniam bene. & impio, væ illi, quia bona omnia bonis, & impio omnia væ: nam *Iſaiæ* 3. 10
benè eſt iuſto in proſperis, benè in aduerſis, benè in præſenti, benè in futuro ſeculo; & impio væ in aduerſis, væ in proſperis, quia malè illis vtitur, væ in præſenti, væ in futuro ſeculo. Et hoc illud eſt, quod olim Abraham impio illi diuiti pronuntiauit. *Recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc vero hic* *Luc.* 16. 25
conſolatur, tu vero cruciaris. Neque enim conſolationibus fruitur idcircò Lazarus, quia mala recepit; ſed quia receptis malis vſus eſt benè: neque diues helluo idcircò torquetur, quia bona recepit in vita ſua; ſed quia bonis acceptis abuſus eſt. Sic recepit bona Lazarus, quia benè illi omnia fuerunt, & in omnibus proſperatus eſt: helluo verò mala, quia omnia illi væ. Faciendum itaque, quod docet Tobias filium, amplexanda iuſtitia, vt opera noſtra Deus proſperare dignetur.

VERS. VII.

Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.

1 *Subſtantia hic pro facultatibus.*
2 *Eleemoſyna pro ſubleuatione à corporalibus miſerijs.*
3 *Vnde, & cur ſic nuncupata, & cur illam vocent Græci miſericordiam, & Hebræi iuſtitiam.*
4 *De proprijs facienda, & ſecretò.*
5 *Facies quid in ſacris literis, & quantum proſit pauperes frequenter intueri.*
6 *Miſericordia, Deiq. fauor omnibus quàm neceſſarius.*

1 EX *ſubſtantia tua*, ideſt, ex facultatibus tuis. Syrus: *Ex* *Syrus.*
ijs, quæ ſunt tibi. Nam ſubſtãtia, & apud ſacros, & apud profanos auctores facultates dicũtur, quòd ſint, vt teſtatur Sapiens, velit firma, ſolidaq. materia, robur, ac firmitas hominis, vnde ait: *Subſtantia* *Prou.* 18 11
diuitis vrbs roboris eius, & quaſi murus validus circundans eam.

Syrus.
Vatablus.

2 *Fac eleemoſynam*. Syrus: *Fac miſericordiam*. Vatablus: *Exerce beneficentiam*, quę, vt ipſa vox ſonat, bene facere, & efficaciter diligere ſignificat, & vniuerſaliter, vt ex

S. Tho. 2. 2. q. 31. ar. 3. ad 2

S. Thoma colligitur, omnem externum actũ charitatis alterum reſpicientẽ. ſed cùm manifeſtè loquatur Tobias de actu, ſeu opera-

Beneficentia quid ſit.

tione illa ſpeciali, qua datur aliquid ex cõpaſſione indigenti; meliùs, & ſignificãtiùs in noſtra verſione iuxta morem ſcripturarum eleemoſyna ponitur. Et licèt externũ eleẽmoſynæ obiectum, circa quod vel perpetuò, vel præcipuè eleëmoſyna exercetur, ſit hominis indigentia; vnde tot aſſignari poſſint ſpecies eleemoſynarum, quot generales mortalium habentur miſeriæ, vel egeſtates, ſiue corporales illæ, ſiue ſpirituales ſint; hic tamen de corporali miſeriæ ſubleuatione loquutum eſſe Tobiam apparet, dum dicit: *ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam*.

Eleemoſyna cur ſic dicta.

3 Dicta eſt eleemoſyna à voce Gręca ἐλεεῖν, quæ miſereri ſignificat; vnde & ἐλεημοσύνη, miſericordiam, & ἔλεος, miſerationem. Eſt enim eleemoſyna miſericordiæ actus, quo aliquam ſubleuamus miſeriam alterius ſubuenientes neceſſitati, & quia cauſa frequenter ſui effectus appellatione nominatur, & vice verſa effectus nomine ſuæ cauſæ, eleemoſyna etiam nõ raró miſericordiæ, & interdũ quoque charitatis, quæ miſericordiæ parens

Diſtributiones Eccleſiæ olim dicebantur agapes.

eſt, nomine exprimitur. Imò antiquæ diſtributiones, & epulæ, tum quę in egenos fiebãt, tum quæ publicæ pietatis ſtudio viduis, aliiſque pauperibus exhibebantur, familiarius ἀγάπας, hoc eſt, charitates, quàm ἐλεημοσύνας,

Pſ. 102. 18 & 111. 9
2. Cor. 9. 10

appellabantur. Hebræi eleemoſynam nõ raró צדקה, tſedakah, hoc eſt, iuſtitiam appellãt, vel quia eleemoſyna eſt quaſi primus iuſtitiæ fructus; vnde B. Paulus illam fruges iu-

Eleemoſynã dicitur iuſtitiam. Quod vnicuiq; tribuat quod ſuum eſt, nimirum ſibi proximo, & ego.

ſtitiæ appellat: nam ſicut fruges in agros; ſic illa in pauperes ſeminata multiplicatur: vel quòd ille, qui facit eleemoſynam, quodãmodo vnicuiq; quod ſuum eſt, reddat, videlicet ſibi ipſi humanitatis ſenſum, & compaſſionẽ, ſicut humanitas iure ſuo exigit; pauperi victũ ſuo quaſi iure debitũ, Deoq. ipſi obediẽtiã, qui illã à nobis ita exigit, vt dicat: *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*.

Matt. 25. 40

Ambroſius.

Et quidem reddit primùm ſibi ipſi humanitatem, qui facit eleemoſynam, quia, *nihil*, vt ait Ambroſius, *tam ſecundũ naturam, quã iuuare conſortem naturæ*: etenim cum duos

Miſereri egentium naturale eſt homini.

affectus cõditor noſter nobis ingenerauerit, amorem ſcilicet noſtri, & alienæ miſeriæ cõpaſſionem, quorum altero nobis, altero alienis malis proſpiceremus: vt enim Plato ait,

Plato.

homines non ſibi tantùm; ſed alijs quoque hominibus nati ſunt; conſequens erat, vt naturæ conditor hos duos affectus animis eorum imprimeret, quibus & ſibi ipſis, & alijs

Chryſ. ho. 11. ad pop. circa med. tom. 5

conſulerent. Hinc Chryſoſtomus: *Habemus*, inquit, *aliquid ad miſericordiam inclinatũ à natura, & propterea pro patientibus iniuriam indignamur, & iugulatos cernentes flectimur, & lugentes aliquos cum videmus, lacrymas impendimus: & hoc ſuper omnia diſcat homo, quoniam & hoc eſt homo; magnum enim homo, & precioſum vir miſericors, itaque, niſi hoc habeat, deſijt eſſe homo*. Quibus ex rebus liquet, homines barbaros, efferatos, & aliorum calamitates negligentes ab humanæ naturæ dignitate in ferarum conditionem degeneraſſe, nec ſibi quod ſuum eſt, reddere, dum neceſſitatis alienæ miſereri neſciunt.

Eleemoſynã erogans pauperi quod ſuum eſt reddit.

Reddit ſecundo, qui eleemoſynam facit pauperi, victum ſuo, vt dixi, quaſi iure debitum: nam, teſte Gregorio, *cum qualibet neceſſaria indigentibus miniſtramus, ſua illis reddimus, non noſtra largimur, iuſtitiæ*

Greg. p. 3 paſt. cur. c. 22

debitum potius ſoluimus, quàm miſericordiæ opus implemus: vnde & ipſa Veritas, cùm de miſericordia cautè exhibenda loque-

Matt. 6

retur, ait: Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, cui quoque ſen-

Pſ. 111. 9

tentiæ etiam Pſalmiſta concinens, dicit: *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi: cùm enim largitatem impenſam pauperibus præmiſiſſet, non hanc vocare miſericordiam, ſed iuſtitiam maluit, quia quod à communi Domino tribuitur, iuſtum profectò eſt, vt, qui accipiunt, eo communiter vtantur*. Cui ſuffra-

Clem. in decr. 12. q. 1. c. dilectiſſimu.

gatur Beatus Clemens, dum ait: *Communis vſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo, omnibus eſſe debuit; ſed per iniquitatem, alius hoc dixit eſſe ſuum, & alius iſtud, & ſic inter mortales facta eſt diuiſio*. Sic ſanè per iniquitatem, hoc eſt, cauſa iniquitatis, peccati ſcilicet originalis, quo diſſoluta eſt natura humana, & propter mala, quæ iuſtè timebantur, ex iure gentium diuiſio facta eſt. Meritò itaque Ber-

Bernardus.

nardus: *Clamant*, inquit, *nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: Dicite Pontifices, in fræno quid facit aurum? nobis frigore laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extenſa in perticis, vel plicata in manticis? noſtrum eſt, quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis: nam & nos Dei plaſma ſumus, & nos ſanguine Chriſti redempti ſumus*. Sic reddimus pauperi, quod ſuum eſt, quando illi, quæ ſunt neceſſaria, miniſtramus.

In præcepto dilectionis præcipitur eleemoſyna.
S. Tho. 2. 2. q. 32. ar. 5

Reddit tandem homo Deo per eleemoſynam, quod ipſe à nobis exigit: etenim pręcipiens ille nobis dilectionem proximi, & eleemoſynã pręcepit: nam teſte S. Thoma, ea omnia cadunt nobis ſub præcepto, quibus dilectio proximi cõſeruatur, neq; enim ad dilectionẽ proximi ſpectat, vt ſolum ei velimus bonum; ſed vt etiam, cùm poſſumus, eidem bonum faciamus. Hinc B. Ioannes in ſua Ca-

1. Io. 3. 18.

nonica: *Filioli*, inquit, *non diligamus verbo, aut lingua, ſed opere, & veritate*...

Digitized by Google

Conuenientiſſimè igitur ſacræ literæ eleemoſynam iuſtitiam appellant, cum ea & pauperibus, & Deo, quod debitum eſt, tribuamus: addit hic Tobias eleemoſynam faciendam

4 *Ex ſubſtantia tua*, nimirum non ex rebus alienis; ſed ex ijs, quorum totale dominium, plenamq. ac liberam adminiſtrationem habueris, de qua re dicendum in documentis.

LXX. Eleemoſyna ex propria ſubſtantia facienda eſt, & ſecretò.

Addunt LXX. *Et non videat oculus tuus in faciendo te eleemoſynam*. quibus verbis Hyperbolicè filium Tobias docet, eleemoſynam, ſi fieri poſſit, tam ſecretò erogandam, vt nec ipſe elargientis oculus illam videret: quod etiam Chriſtus Dominus tradidit, dum ait: *Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te; ſed neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*.

Matt. 6. 2. 3.

Hebræus.

5 *Et noli auertere faciem tuam*, Ideſt, oculos tuos. Vnde legit Hebræus: *Ne occultes oculos tuos*. Et Eccleſiaſticus: *oculos*, inquit, *tuos ne tranſuertas à paupere*, Ideſt, protectionem, auxilium, & miſericordiam. Vnde Chryſoſtomus: faciem dicit Propheta, poteſtatem, curam, auxilium: quare auertere faciem ab aliquo idem etiã aliquando erit, ac fauorem, auxilium, & miſericordiam ab aliquo ſubtrahere, quod & præcipuè facere ſolemus in eos, quos vel contemnimus, vel odio habemus, faciem in eos vertentes, quos diligimus, & quibus fauere ſtudemus. Iuxta quam acceptionem Dauid Dominum deprecatur, dicens: *Ne auertas faciem tuam à me*: &: *Ne auertas faciem tuam à puero tuo. Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Quare faciem tuam auertis*. & alibi multoties, his eiſdem verbis Dei miſericordiam implorans. Sic docet etiam Tobias filium, vt faciem miſericordiæ ſuæ non auertat, & quidem

Eccli. 4. 1. Pauperes aſpiciendi, vt illorum faciè miſereamur.

Chryſoſt. in pſ. 43. in illud Quare faciē tuam auertis. tom. 1.

Pſ. 26. 9
Pſ. 68. 18
Pſ. 29. 8
Pſ. 43. 24

Syrus.

Ab vllo paupere. Syrus: *ab omni inope*, Ideſt, ab omni, qui opera tua egeat, quicunque ille ſit: quod etiam Chriſtus apud Lucam præcepit, dicens: *Omni petenti te, tribue*, Ideſt, cuiuis, etiam inimico: etenim, ſicut docet Philoſophus, nihil eſt, quod magis ad miſericordiam moueat, quàm rei miſerandæ conſpectus: quapropter Athenienſibus Iudicibus olim vetitum fuerat accuſatos, & accuſatores diu, & in luce audire, nec reis aliud, quàm nuda cauſæ propoſitio concedebatur, ne videlicet geſtu, aut verbis ad commiſerationem Iudices excitati, aliter, quàm fas eſſet, iudicarent. Magnus etiam ille Alexander, qui adeò indignè ferebat animi perturbationem, vt, referente Plutarcho, aliquando quendam tragicum vitum, qui illum ad miſericordiam commouerat, interficere voluerit; cùm, ſicut narrat Diodnrus, octingentos Græcos vidiſſet, quorum alij erant cæci, alij claudi, alij ſenes, alij alijs miſerijs præditi, miſericordiam efflagitantes, illorum vicem miſeratus, lacrymatus eſt, vtq. illis pro virili ſuccurreretur, præcepit: vix enim fieri poteſt, vt ſi miſeros noſtræ naturæ videamus, eis non ſuccurramus, cùm, ſicut ſuperius ex Ambroſio dictum eſt, *nihil adeò ſit ſecundum naturam, quàm iuuare conſortem naturæ*. Quare extremè egentes Aegyptij Ioſephum adierunt, dicentes: *quare morimur coram te?* quare dixerunt: haud miraremur, ſi te neſciente, ſame moreremur; at ſciente te, & vidente, miramur, quomodo tantum poſſis malum permittere: quod ferè fieri non poſſe exiſtimarent, vt cor adeò durum reperiretur, cui extremè egentes obijcerentur, nec illis opem aliquam impenderet. ſic iugulatos cernentes flectimur, & lugentes aliquos cum videmus, lacrymas impendimus, qui tamen talia narrantes, dum audimus, nihil, aut parum mouemur. Vnde meritò Tobias filio: *ne auertas faciem tuam, ideſt oculos tuos ab vllo paupere*.

Luc. 6. 30

Ariſt. 2. Rhet. c. 8.

Plutarch. de fort. & vit. Alex. lib. 2.
Diodor. lib. 6. Alex.

Gen. 47. 15

6 *Ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini*, Miſericordiæ nimirum, & fauoris eius, quam cùm auertit, de nobis actũ, conclamatumq. eſt; vnde Auguſtinus: *væ etiam*, inquit, *laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia tua diſcutias eum Domine*: væ nobis, licèt iuſti, licèt ſancti, ſi Dominus auerſa facie miſericordiæ, æqua iuſtitiæ ſuæ lance examinet: nam, *ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit*, inquit Dauid. Et alibi: *Omnes declinauerunt, omnes inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*. Etenim omnes homines, qui ex Adamo nati ſunt, & carnem peccati contraxerunt, licèt iuſti, & ſancti ſint; in conſpectu tamen Dei peccatores reperiuntur. Quare, *non intres*, ait idem, *in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*. Quibus verbis, Sicut Romæ duo ſunt Pontificis tribunalia, quorum alterum iuſtitiæ; alterum vero Signaturæ gratiæ dicitur, ad quod confugiunt, qui iuſtitiam ſuam non valent defendere; à tribunali diuinæ iuſtitiæ ad tribunal miſericordiæ omnibus eſſe auocandũ docet: Sic, *dicunt Apoſtoli*, inquit Auguſtinus, *dimitte nobis debita noſtra, & cùm eis dictum fuerit: quare hoc dicitis? quæ debita veſtra? reſpondent; quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*. Quapropter haud mirum videri debet, ſi multi ex ſanctiſſimis Patribus morti proximi, huius diuinæ faciei auerſionem extimuerint. Sic enim Agatho Maximus inter patres Aegypti, diſceſſurus ab hac vita, adeò expauit, vt demirantes diſcipuli, qui eius innocentiam probè nouerant, cauſam ab eo percontati ſint: quibus Agatho: *Timeo*, inquit, *ò filij, quia alia ſunt Dei, alia hominum iudicia*,

Aug. li. 9. confeſſ.

Pſ. 129. 3

Pſ. 13. 3 Miſericordia & fauor Dei omnibus etiã ſanctis neceſſarius.

Pſ. 142. 2

Aug. in hunc locum pſ. 10. 8.

In vit. PP. p. 2. §. 152.

ſapè

Indicia Dei etiã ſanctiſſimi viri reformidant.

ſape enim apud illum ſordet, quod apud homines pretioſum eſt.

Ex quibus liquet, quàm ſit omnibus tum in vita, tum in morte miſericordia Dei neceſſaria, quam tamen in manu noſtra ſitam eſſe docet Tobias, dum dicit: *noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita enim fiet, vt nec a te auertatur facies Domini.* apertè innuens, talem nobiſcum futurum ſupremum illum Iudicem, quales nos erga pauperes fuerimus, nimirum miſericordem, ſi nos erga pauperes fuerimus miſericordes, & durum, ſi ab eiſdẽ faciem noſtram auertemus: etenim vt Iacobus ait. *Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam.* Quare Auguſtinus: *cupis*, inquit, *o homo, vt tui miſereatur Deus? Fac, vt proximo miſerearis: nam tantum tui miſerebitur Deus, quantum & tu miſereberis proximi: tantum recipies in alia vita, quantum facies in præſenti vita:* etenim, vt legit hic Hebræus: *Quicunque facit eleemoſynam, is videbit faciem Dei, ſicut ſcriptum eſt; ego in iuſtitia contemplabor faciem tuam, & qui occupantur ea, de calis ſunt.*

Cum miſericorde erit Deus miſericors.

Iac.2.13

Aug. ſiue auct. ſerm. ad frat. in eremo ſer. 44

Hebræus hic.

Quòd eleemoſyna ex proprijs facultatibus facienda ſit, & quomodo aliquando etiam ex alienis.

DOCVMENTVM I.

A

Greg. ep. 112. li. 6. regiſtri.

SANE, vt teſtis eſt B. Gregorius, illa Deo placet eleemoſyna, quæ iuxta Tobiæ præceptum non ex alienis, ſed ex proprijs fit ſubſtantijs. Sic *eleemoſyna*, ait ille, *Redemptoris noſtri oculis illa placet, qua non de illicitis, & iniquitate congeritur, ſed qua de rebus conceſſis, & benè acquiſitis impenditur.* nam *nihil*, inquit Chryſoſtomus, *illa eleemoſyna peius, qua, cum ex rapina naſcatur, eleemoſyna non eſt: ſed quadam ſauitia, & crudelitas, & in Deum contumelia.* Facit enim eleemoſyna ſicut aqua, quæ ſi munda eſt, lauat, ſi immunda inquinat, ſic inquam illa, ſi de iniuſtè acquiſitis fiat, inquinat: & lauat, ſi de iuſtè acquiſitis. Quare Iſaias: *frange*, inquit, *eſurienti panem tuum*, vbi Hieronymus: *Pulchrè*, inquit, *pulchrè addit tuum, ne de rapinis facias eleemoſynam.*

Chryſoſt. hom. 36. ad popul.

Eleemoſyna ex rapina nõ eſt eleemoſyna.

Iſa.58.7

Hier. to. 4. in Iſai. 58

S. Th. 2. 2 q. 32. ar. 7. ad 3

B

Eleemoſynã de alieno facere quando & quomodo liceat.

Poteſt tamen quiſque fame, vel frigore, alioue incommodo pereuntibus, aut grauiter alioqui de vita periclitantibus neceſſaria vitæ præſidia ex alienis ſubminiſtrare, ſi ex proprijs non habeat, dummodo nullum indè præuideatur ſcandalum; præſtaret enim in tali caſu pauperis ſortem diuinæ prouidentiæ relinquere. Poſſunt etiam ſerui de Dominorum, liberi de parentum, vxores de maritorum facultatibus minuta quædam egentibus tribuere: nam ſemper licuit, & licebit, micas, quę cadunt de dominorum menſa, hoc eſt minuta quædam hinc indè corradere, collectaq. præ ipſorum qualitate, vel quantitate inter plures, paucioreſq. diſtribuere: quia licèt in his dominorũ expreſſus conſenſus aliquando deſit, adeſt tamen tacitus, vel certè debitus, qui ſatis eſt ad factum huiuſmodi ab omni iniquitate excuſandum: debuiſſet enim quilibet prudens vir in talibus conſenſum præbere facilem. Sic Abigail vxor Habal, etiam inuito marito, vt ipſius tamen conſuleret incolumitati, donaria magna, & multa Dauid obtulit: Beata Verdiana, vt in vita Sancti Ioannis Gualberti legitur, dum cuiuſdam conſanguinei ſui domum regeret, in maxima rerum penuria, maximam fabarum menſuram pauperibus diſtribuit, quam cùm Dominus requiſiſſet, & illam pauperibus datam cognoſcens, non parum turbatus eſſet, orante Sancta virgine, Deus illam miraculosè multiplicatam reſtituit.

1. Reg. 25

C

In vit. S. Ioã. Gualb. li. 2. c. 32

Eleemoſynã Deus vberrime remuneratur.

Sur. to 1. eius vit. c. 7

Quid de Sancto Bertolfo confeſſore? qui dum cuiuſdam optimi viri facultates moderaretur, inſiſtebat eleemoſynis clandeſtinis, Deum vocibus, & precibus interpellans aſſiduis, vt rem domino ſuo duplicaret, & gratiam, quod & factum eſt: vndè nec vnquam res data deficiebat, licèt nouiter ille daret, opeſq. dum dabantur, augumentabantur, tantoq. ampliùs incrementum ſumebant, quanto eas manus tribuentis in pauperes benignius diſperdebat. Sancta etiam Eliſabeth importuno pauperi pallium ſuum tranſmiſit, quod factum, cùm vnus ex circunſtantibus principi marito detuliſſet, ſubriſit ille, & coniugi aduentãti, *quid*, inquit, *ò ſoror tandiù moraris? En*, reſpondit illa, *appropero.* vbi loci, ſubdit princeps, *pallium reliquiſti?* illa porrecto indice, *En*, inquit, *pallium noſtrum de pertica pendens.* quod ille conſpicens, & illud idem eſſe cognoſcens, quod paulò antè pauperi datum cognouerat, vehementer demiratus eſt.

D

Idem to. 6. in eius vit. c. 8

En quomodo doceant nos ſuo exemplo ſancti viri, licere nonunquam ſubditis, & coniugibus ex dominorum, & mariti facultatibus ſine illorum expreſſa licentia aliquid diſpenſare pauperibus. At quia non omnibus Sanctorum eſt communicata prudentia, caueant aliqui, præter minutiora quædam, vt diximus (in quibus etiam conſulendi eſſent prudentes viri, & confeſſarij) aliorum facultates diſpenſare: nam vt Sapiens ait, *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.* Si qui tamen animaduertũt huiuſmodi charitatis officia in his etiam minutioribus diſtribuẽdis, patri, vel matri familias vehementius diſplicere; abſtineant: plus enim Deo placet pax domeſtica, quàm eleemoſyna ab inuitis extorta: quare benè monet Tobias: ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam.

E

Eccli. 34. 24

Quòd vana gloria in bono opere diligentiſſime vitanda ſit.

DOCVMENTVM II.

A

CVM ſciret Sapientiſſimus Patriarca, quanta eſſet vanæ gloriæ peſtis, atque potentia, quæ licèt ſubtiliter, & clam, quaſi per cuniculos quoſdam in humanam mentem irrepat, grauiter tamen ingreſſa vulnerat, bonum, quod facimus, perdens; prudentiſſimè filio præcepit, vt ſibi caueret ab illa, dum ait: *Et non videat oculus tuus in faciendo te eleemoſynã*. Sanè, vt Chryſoſtomus ait, *quò vana gloria ingreditur, omnia, quæ intus ſunt, inſenſibiliter aufert*, omnia abſque ſtrepitu, maxima cum quiete emedullat, ſolumq. relinquit inanes paleas, ſicut feciſſe legimus vermem in hedera Ionæ: nam floreat licèt, vireſcatq. iuſtitiæ opus, quandiu inanis gloriæ vermis, & ſuperbia non corroditur; ab illo tamen ſi corrodatur, nullo negotio exareſcit. Sic *vana gloria*, inquit, Baſilius, *virtutes ramis in cælum vſque licet expaſſis, adornatas profligare, & deturbare contendit.* quia ſicut fermentum totam farinæ maſſam corrumpit, ſic illa bonorum operum maſſam ad nihilum redigit. Nam habeant licèt vitia omnia ſuam, cui aduerſentur, virtutem, nimirum aſtus ſimplicitatem, luxuria caſtitatem, ſuperbia humilitatem, auaritia liberalitatem &c. inanis tamen gloria non vnam aliquam virtutem, ſed omnes habet aduerſarias: quin & illud ſingulare malum in ſe habet, vt de ipſa medicina languorem generet, vt faciat in ipſo portu naufragium, quòd non ſicut cætera vitia ingeminatis virtutibus diminuatur; ſed potiùs, ni caute proſpiciamus, augeatur: nam cùm ſoli virtuti gloria debeatur, tunc magis nobis gloriandum docet, quando maioris virtutis opera fuerimus operati: vndè ſicut tinea veſtem, ex qua oritur, ſe ipſam nutriendo, abſumit; ita illa conſumit virtutem, ex qua naſcitur. Sic *gaudet*, ait Climacus, *deſperationis ſpiritus, cùm videt multiplicari vitia, cæterum inanis gloria cùm virtutes multiplicari animaduertit: vndè ſicut prioris ianua eſt multitudo vulnerum; ita ſecunda eſt diuitia laborum.* In portu denique naufragium facit: nam ſimulatque *aduerterit*, inquit Baſilius, *mercatorem virtutum mercibus nauem compleſſe, procella ſua ocyus excitata, in eo omni conatu operam dat, vt illam euertat, & aquis peſſundet.* Ob id, inquit Philo, *iubet Legiſlator omnem oblationem ſine fermento fieri propter tumiditatem, quam efficit figurato præcepto, ne quis ad altare accedat tumido faſtu, & arrogantia.*

Vt igitur à tanto periculo libereris, ne videat oculus tuus, te faciente eleemoſynam, hoc eſt, non ſolum ab alienis, ſed etiam à tui ipſius oculis te cuſtodi. Nam ſicut Agar cum primum Iſmaëlem ſe concepiſſe cognouit, ſuperbire in Saram dominam ſuam cœpit; ita ſanè periculum eſt, ne ſi diutiùs, ac pluries videat oculus tuus opera tua bona, paulatim tibi ipſi de bene facto arrideas, ſiſque tibi ipſi Satan. Sic ille, de quo in Euangelio Phariſæus, cum oculos in benè à ſe factis defixiſſet, ſub gratiarum actionis prætextu in peſſimum hoc vitium elationis incidit. Quare, *refert ſacra ſcriptura*, inquit Origenes, *quòd de tribu Leui quædã genuit maſculũ, nimirũ Moyſem & videns infantẽ eſſe elegantem, occultauit eum mẽſibus tribus: vide, ſi nõ propterea nobis præcipitur, ne actus bonos in publico geramus, ne iuſtitiam noſtram coram hominibus faciamus, ſed vt clauſo oſtio oremus patrem in occulto, & quod facit dextera noſtra, neſciat ſiniſtra, niſi enim in occulto fuerit, diripietur, ab Aegyptijs inuadetur, in flumen iactabitur, fluctibus ſubmergetur*, ſicut filijs Iſrael Aegyptij faciebant; *ergo ſi faciam eleemoſynam, quæ opus Dei eſt, maſculum genero; ſed ſi ita faciam, vt hominibus innoteſcat, & ab hominibus laudem quæram, & non occultauero, rapta eſt ab Aegyptijs, & in flumen demerſa.* Hæc Origenes. Et Theophilactus: *Deliteſcit*, inquit, *margarita, dum in conchylis fuerit: ſimul ac verò illud perfractum fuerit, tunc in gloria relucet. Hunc ad modum vos quandiu in corruptibili hoc corpore fueritis, tanquã latentes viuere debetis, ab omni gloria cupiditate alieni, quando verò diſſolutum fuerit hoc corruptibile, tunc gloriæ noſtræ ſuus erit locus.*

Sic etiam in Apocalypſi legimus vidiſſe Ioannem mulierem quandã in vtero habentem, quæ clamabat parturiens, *& ecce*, inquit textus, *draco magnus ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperiſſet, filium eius deuoraret, & peperit filium maſculum, qui raptus eſt ad Deum, & ad thronum eius, & mulier fugit in ſolitudinem*, quæ quidem mulier viri iuſti animam ſignificat, quæ clamat, ac dolet parturiens, dum virtutis opera in arduo conſiſtentia, quæ mente conceperat, operari curat: cui dæmon draco magnus aſtat, vt ſtatim ac nata fuerint, veneno vanæ gloriæ inficiat: nam *vitiorum auctor dæmon*, inquit Fulgentius, *in eo, quod non poteſt vincere vitijs ſuis, vincit virtutibus alienis, armis, quibus eliditur, ſurgit, & virtute, qua deijcitur, deijcit, laudat, quæ ſe proſpicit ſuperari, virtutem, vt victus poſſit captiuare vincentem.*

Non igitur *videat oculus tuus in faciendo te eleemoſynam*, ſed videat oculus Dei, ante cuius thronum opus tuum ſiſti debet. Sanè quomodo fatuus cenſendus eſſet, qui non à perito pretioſiſſimam margaritam, ſed ab imperito iudice laudari quæreret; ſic fatui cenſendi ſunt, qui pretioſiſſimas virtutum operationes, non à Deo peritiſſimo iudice, ſed ab homine ignaro laudari curant: *Non*

Left-margin notes: A; Chryſoſt.; Ionæ 4. 7; Baſil. in Conſt. monaſt. c. 11; B; Vana gloria virtutes omnes inficit; C; Climac. grad. 21. non longe à princ.; Baſilius vbi ſupra.; Philo Iud. lib. de offer. vict.

Right-margin notes: D; Gen. 16. 4.; Orig. hom. 2. in Exod.; Exod. 2. 2; Eleemoſyna arcana ſit.; E; Theophil. in verb. Apoſt. ad Coloſſ. 3. mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita.; Apoc. 12. 4. 5. 6; F; Fulgentius. Vide huius rei exemplum apud Clymac. grad. 21. in f.; G

Chryſoſt. hom. 31. in Gen. in fin.

vides, inquit Chryſoſtomus, *in equorum ludis, quomodo hi, qui equos agitant, non aduertunt plauſus populi aſſidentis & celebrantis, neq; ex eo plauſu voluptatem capiunt; ſed ad vnum ſolum ſpectant regem in medio ſedentem, & ad nutum illius attendentes, totam multitudinem deſpiciunt, & tunc ſolum omnino extollunt, cum ille eos coronauerit. Hos igitur & tu imitaberis: non magni momenti facito hominum famam, neque propter eam exerceas virtutem; ſed à iuſto iudice ſententiam expecta, et ad illius nutum intentus eſto.*

Vni Deo placendum.

Idem hom. 17 in ep. ad Rom.

H Et idem alibi. *Seruus*, inquit, *ad oculos heri ſui reſpicit, mercenarius operator ad operis ſui dominum præmia daturum, diſcipulus ad præceptorem, athleta vbi certat, ibi & probari cupit; tu cùm in ſuperioribus certes, in inferioribus coronari quæris? & quidnam poterit hac amentia fieri peius?* Sanctus Nicolaus Epiſcopus Myrrhenſis, vt refert Metaphraſtes, cum aliquando Pataræ quendam nouiſſet virum nobili genere natum, qui eùm ab honoribus in contemptum, & à diuitijs in egeſtatem deueniſſet, tres filias virginea, corporis, & animi venuſtate longe præſtãtes, quas habebat miſer, vt vitam pereuntis familiæ tueretur, turpiſſimo, & flagitioſiſſimo quæſtu alienæ proſtituendas libidini cogitauerat; ſtimulante Deo, intempeſtæ noctis ſilentio, non minus ſua beneficias celare ſtudens, quàm cæteri ſua maleficia, vt potè omne humanæ

Sur. tom. 6 ſexta Decemb.

S. Nicolai in occulenca eleemoſyna ſolicitudo.

I laudis deſiderium abhorrens, & valdè curans, ne ſe ipſum videret oculus ſuus in faciendo eleèmoſynam, ſed tantum oculus Dei bonorum operum remuneratoris, auri haud mediocre pondus ſacculo bellè inſutum miſerandè domum tacitus adiens, clanculum per feneſtram, quæ cubili inſeruiebat, in quo infelix pater membra quieti tradiderat, immiſit, domumque ſe ſtatim recepit; quod cùm ſecunda, item ac tertia nocte feciſſet, infelici ſeni abundè ſubminiſtrauit, vndè tres filias ſuas honeſtè collocare poſſet. Sanè quomodo tellus omniũ longe liberaliſſimè herbis, frugibus, & arboribus, ſic alimenta, ac vitæ præſidia porrigit, vt nemo quidem omnino id ſentiat: ita & ſancti viri nullo ſciente mortalium, miſericordiã in pauperes exercere curabant.

Quòd pauperum conditio non ſit curioſè perueſtiganda, deque ordine in eleemoſyna ſeruando.

DOCVMENTVM III.

A PROHIBET etiam Tobias, pauperes non eſſe curioſiùs examinandos, dum à nullo paupere, quicunque ille ſit, auertendam eſſe faciem docet: ſunt enim aliqui, qui ſtatim ac iuuenem aliquem ſtipem poſcentem vident, inquirere ab illo incipiunt, cur iuuenis cùm ſit, labore propr o victum non quæritet, cur errabundam vitam agat. &c. *Heu infelix dic mihi*, inquit Chryſoſtomus, *tu per operationem habes, quæ habes; Quòd ſi operando accepiſti, audi Paulum, qui poſtquam laborandum docuit, dicit: vos autem bonum facientes non deficiatis.* Alij pauperes pannoſos ſimulatores vocant, habitu communi indutos, impoſtores, plagiſque affectos aſtutia, non naturali infirmitate id factũ dicunt; ita vt *quid agant de cætero*, inquit idem Chryſoſt. *egentes non habent, ò crudelẽ, ò arrogantẽ.* Et alibi: *Nõ times, ne fulmen ad hoc verbum cælitus auerſum in te feratur? ſi ſimulat, ex neceſſitate ſimulat, ex egeſtate propter ſæuitiam, & inhumanitatem tuam, quæ talibus perſonis ſupplicantibus ad miſericordiam non flectitur.* Alij tandem pauperes peccatores vocitant, & iniquitatibus plenos. O extremam hominum inſolentiam. Franciſcus Ordinis Minorum Pater, dũ iter ageret, incidit in hominem, cuius veſtimenta diutino vſu detrita, vix pudenda corporis operiebant, & nuditatem eius dolens ſubſtitit, ſuſpirauit, ingemuit: Frater vero, qui illum comitabatur, quid, inquit, ita triſtaris pater? Et ſi hic indumentis eget, forſan abundat concupiſcentijs: Tunc Franciſcus fraterni erroris non diſſimulator, ſed corrector, iuſſit protinus, vt ſua ſe tunica ille exuens, pauperem tegeret, & quod de ipſo perperam opinatus fuerat, ab eodem veniam rogaret, ac tandem diſceret & nefas eſſe miſerorum mores ſugillare, indigentiam negligere. Quid inquam, iſtis dixiſſe Franciſcus, qui contra pauperes plenis, & tumidis buccis maledicta pronuntiant? Vtinam vel talem ſubire cogerentur pœnam, quali ſocium ille ſuum puniuit, ne pœnis poſtea grauioribus addicantur. Sic docet Tobias filium, ne huiuſmodi viros peſſimos imitetur, ſed omnes pauperes beneficis ſemper oculis reſpiciat, & exaudiat, *nec auertas*, dicens, *faciem tuam ab vllo paupere.*

Chryſoſt. hom. 11. in epiſt. ad Heb. poſt med.

Chryſoſt. vbi ſupr. & hom. 17. ad popul. tom. 5

B

S. Bonau. in eius vit. c. 8

Pauperes nõ ſugillandi.

C

Ne ſcruteris, inquit Chryſoſtomus, *pauperum vitam atque negotia, nam extremæ illud inſolentiæ eſt pro uno pane totam hominis miſeri vitam curioſè inquirere: nam etiam ſi homicida ſi latro, aut aliud eiuſmodi fuerit, an non videtur tibi vel pane, vel modico argento dignus? etiam ſi manifeſtè cognoueris innumeris illum refertũ eſſe malis, nullam excuſationem habes, ſi quotidiano cibo illum priuaueris: nam etiam ſi te ipſum interempturus eſſet, nec ſic tamen fame laborantem contemnere debes: diſcipulus enim illius es, qui crucifigentium ſe ſalutem cupiebat.* Sic alibi tale ſcrutinium diabolicum appellat: *quieſcamus*, inquiẽs, *ab hac abſurda, & diabolica curioſitate.* Et verè diabolica, quia ſicut diabolus Chriſto eſurienti non panem miniſtrauit, ſed ab illo quærere cœpit, ſi filius Dei es, dic, ut la-

Chryſoſt. hom. 21 in c. 12. ad Rom. in mora.

D

Idem hom. 21. in ep. ad Heb. in fin. tom. 4

pi-

pides illi panes fiant; ſic iſti, nō pauperi egenti panem ſubminiſtrant, ſed ab illo quærunt quis ſit, vndè veniat, quid agat, & alia huiuſmodi importuna: quid hæc cum eſurie? ſuccurre eſurienti, & poſtea interroga, *neque* enim, vt idē ait, *ex vita accipientium à te mercedē tibi retributurus eſt Deus, ſed ex volūtate tua, ex liberalitate multa, et miſericordia, & bonitate.*

Idem vbi ſup. E

Quod ſi curioſus circa pauperes eſſe vis, curioſitatem imitari debes ſanctorum, ab illis ſuas ipſorum inquirendo neceſſitates, vt illas ſubleuea. *Curioſus eſto*, inquit Aug. *proſpice, attende, vnde quiſq; viuat, vnde ſe ſuſtentet, vndè habeat. Curioſus eſto, vt intelligas ſuper egenum, & pauperem: non reprehendetur iſta curioſitas tua: nemo vobis dicat; præceptum eſt à Chriſto, vt ſeruo Dei detur, mendico non detur: abſit prorſus: impius iſta loquitur: ille autē quantò minùs petit; tantò magis tibi inuigilandum eſt, vt præoccupes petiturum.* Omnibus itaque pauperibus in quantum potes, ſubuenias, nec auertas faciem tuam ad vllo paupere.

Aug. pſ. 103. tom. 3. ad me.

Quòd ſi omnibus ſubuenire nequis egentibus, tunc prudenter illius egeſtatem prius ſubuenire debes, qui forte uel fidei, vel amicitiæ tibi extitit proximior. Sic Auguſtinus: *Omnes*, inquit, *homines æquè diligendi ſunt, ſed cùm omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictiùs tibi quaſi quadam ſorte iunguntur. Sicut enim ſi tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei, qui non haberet, nec duobus dari poſſet, ſi tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua neceſſitudine ſuperaret; nihil iuſtiùs faceres, quam vt ſorte eligeres, cui dandum eſſet, quod dari vtrique non poſſet: ſic in hominibus, quibus omnibus conſulere nequeas, pro ſorte habendum eſt, prout quiſque tibi colligatus temporaliter adhærere potuerit.* Ex quibus verbis ſatis apparet charitatis mandatum, quod minimè affectu, ſed opere, vbi quia poſſit, conſummatur, ſatis impleri, vbi omnes eos, quos diligimus paſcere non valentes, eos tantùm paſcimus, quos vel fida amicitiæ, vel neceſſitudinis ſorte coniunctos habemus. Hinc B. Paulus; *Operemur*, ait, *bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.* & alibi: *ſi quis*, ait, *ſuorum, maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.*

F
Aug. de doctr. Chriſt. c. 22

Eleemoſyna quibus impēdēda, & quo ordine.

G
Gal. 6. 10
1. Tim. 5. 8

Benè itaq; docet Tobias, cùm poſſimus, *non eſſe auertendam faciem noſtram ab vllo paupere, neq; enim*, vt ait Chryſoſtomus, *ſi Abraham ſcrutatus fuiſſet, refugiētes ad ſe Angelos hoſpitio recepiſſet: fortaſſe enim non putans eos Angelos eſſe, cum reliquis repuliſſet; ſed quoniam omnes recipiebat, ſuſcepit & Angelos.* Hinc Thomas à villa noua vir, vt grauiſſimi ſcriptores narrant, eximiæ pietatis erga pauperes, eum adminiſtratorem ſuum aliquando iratum erga quendam pauperem, qui eleemoſynam bis accipere volebat, è feneſtra conſpexiſſet, per nuntium ſtatim illi præcepit, pauperi faceret ſatis, eumq. deinde accerſens interrogauit, cur pauperem egenū reiiciſſet: quia, reſpōdit, vna eleemoſyna non contentus per fraudem ſecundam expoſcebat. Ne, fili, inquit Epiſcopus, *fraudem talis deinceps dicas: pauperes enim huiuſmodi aliquādo Angeli eſſe poſſunt, qui Deo volente, noſtram tali pacto experiuntur charitatem.* ſed omni petenti te, da, & ne auertas faciem tuam ab vllo paupere.

Chryſoſt. vbi ſupra.

Mich. Salon 2. p. c. 6

Villeg. in Flo. Sanct. p. 5. verbo eleemoſyna exemplo 25
H

VERS. VIII.

Quomodo potueris, ita eſto miſericors.

VERS. IX.

Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.

1 *Eleemoſyna iuxta facultatem dantis facienda.*

2 *Libenter, hoc eſt de voluntate.*

QVIA, vt ſuperiùs vidimus, filium ſuum Tobias docuerat, nullo pacto auertendam illi eſſe faciem ſuam miſericordiæ à paupere, ne, cùm in illo ſit Deus, ipſius Dei facies, & miſericordia à ſe auerteretur; docet modo, quo pacto miſericordia in pauperes exercenda ſit, dicens

Sup. verſ. ant.

1 *Quomodo potueris, ita eſto miſericors*, Ideſt; eleemoſynam facias iuxta menſuram eorum, quæ habueris. Syrus: *eſto miſericors quantùm potes*, quod ſemper & ipſe fecerat, vt ſupra vidimus.

VERS. VIII.

Syrus. Sup. c. 1. verſ. 19

Si multum tibi fuerit, abundanter diſtribue. Arabs: *ſecundùm id, quid eſt tibi, multam fac cum eis miſericordiam.*

Arabs:

Si exiguum tibi fuerit, exiguum, &c. LXX. *Si paruum tibi fuerit, iuxta paruum, ne timeas facere eleemoſynam.* Ideſt, ſuppleat voluntas, quod facultati deeſt, ſic enim efficies, vt paruum donum æquetur maximo; quia *regnum Dei*, ſicut ait Gregorius, *tantum valet, quantum habes: valuit Zacheo dimidium ſubſtantiæ, valuit vidua duobus minutis, valuit alteri calicem aquæ frigidæ; ſed forſan nec calix aquæ frigidæ ſuppetit, qui indigenti præbeatur? etiam hic ſecuritatem vobis promittit ſermo diuinus: Redemptori etenim nato cæli ciues oſtenſi ſunt, qui clamarent: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ*

LXX.
VERS. IX.

Greg. hom. 5. in Euang.
Luc. 19
Marc. 12
Matt. 10
Luc. 12

vo-

Chryſ. hom. 19 in epiſt. 2. ad Cor. tom. 4

voluntatis. Hæc Gregorius; Et Chryſoſtomus: *Multum*, inquit, *& parum Deus non ad menſuram dantis definit, ſed ad potentiam facultatum dantis.* plura vide in ſequenti documento primo.

Aug. in pſ. 125

Deus ex affectum dantis dati quātitatem metitur.

Libenter impertiri ſtude. Etenim ſi manu porrigas, nec in corde miſerearis, ait Auguſtinus, nihil feciſti: ſi autem in corde miſerearis, etiam ſi non habeas, quod porrigas manu, acceptat Deus eleemoſynam tuam. Sanè magnitudo eleemoſynæ apud Deum magis in affectu dantis, quàm in dati quantitate conſiſtit: vnde Dominus apud Lucam viduæ minuta duo præpoſuit donarijs diuitum. Sic *liberalitas*, ait Ambroſius, *non cumulo patrimonij, ſed largitatis definitur affectu*.

Luca 21. 1

Ambroſ. lib. de viduis.

Quòd vnuſquiſque eleemoſynam ſecundum menſuram ſuarum facultatum facere debeat.

DOCVMENTVM *I.*

A

Ambr. in ſer 1 poſt ciner. 101.

SANE, vt Ambroſius ait, *illi, qui non habet, vt tribuat ſufficit voluntas bona ſecundum illud, quod ſcriptum eſt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. ſed quis eſt, qui ſe poterit excuſare, cùm etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe Dominus redditurum promiſerit? Et quare frigidæ dixit? ne fortè ſe poſſit aliquis pauper de lignorum penuria excuſare, aut dicere, ſe vaſculum, vbi aquā calefaceret, non habere*: Vndè & per beatum prophetam Dominus ita hortatur, & admonet eleemoſynam fieri, vt propè nullus pauper ſit, qui ſe valeat excuſare. ſic enim ait *Frange eſurienti panem tuum*: non dixit, vt integrum daret, cùm pauper ille fortè alium non haberet, ſed *frange*, inquit, hoc eſt, etiam ſi tanta tibi paupertas ſit, vt non habeas, niſi vnum panem, ex ipſo tamen frange, & pauperibus tribue, *& egenos, vagoſque induc in domum tuam*. quaſi dicat, ſi aliquis ita pauper eſt, vt non habeat, vndè tribuat pauperi cibum, vel in vno angulo domus ſuæ præparet lectulum, quod viduam illam Sarephtanam feciſſe legimus, quę licèt non haberet niſi parum farinæ, quantum pugillus capere poſſet, illam tamen ſibi, & filio ſubſtrahens, Eliæ poſcenti liberaliſſimè dedit. Benè itaq; Tobias: *Quomodo potueris, ita eſto miſericors, ſi multum tibi fuerit abundanter tribue, ſi exiguum, &c.* Sic abundanter, qui abundant dare debent eleemoſynas: vndè B. Paulus Corinthijs, qui abundant diuitijs: *veſtra*, inquiebat, *abundantia eorum ſuppleat inopiam*. hoc eſt non vnum obolum, non quadrantem uos, qui abundantes eſtis, dare debetis; ſed tam abundanter, vt pauperum inopiam ſubleuetis: non dicit, date omnibus parua, ſed eſtote liberales iuxta abundantiam veſtram, proponitque illis imitandos Macedonios, quibus non ſolum non obfuerant propter liberalitatem, quæ à contribulibus ſuis pro Chriſto perpeſſi fuerant, etiam in magna direptione bonorum; ſed deindè cætera omnia ſua dederunt Apoſtolis, multa cum obſecratione rogantes, etiā cum lacrymis, vt gratiam, hoc eſt eleemoſynam, & ſocietatē miniſterij ſuſciperēt. ſic Patriarcha ille Abraham peregrinos inuitabat, opiparumq. parabat conuiuium, vitulum occidebat optimum, propinabat butyrum, & lac, recentes panes exhibebat. Quid porrò Sancta fœmina Dorcas? non perexiguum pauperibus, ſed prout poterat, affatim miniſtrabat; vndè dicta eſt mulier bonis operibus, & eleemoſynis plena. Ex quibus conſtat, quàm malè ſentiant diuites, dum huic Tobiæ præcepto ſatisfactum putant, ſi vnum, alterumq. nummulum, vel obolum aliquando pauperibus tribuant: nam quemadmodum ille, qui ex ingenti vaſe aqua pleno vnam, aut alteram guttam effundit, nequaquam dicitur vbertim aquam effudiſſe, ita nec illi dicendi ſunt largas eleemoſynas tribuere, qui non pro viribus tribuunt. Quare *audi*, inquit Chryſoſtomus, *prophetam dicentem: ego autem ſicut oliua fructifera in domo Domini. Tales ergo efficiamur, ſicut oliua fructifera ex omnibus partibus miſericordiam germinemus: nō enim ſufficit oliuam eſſe; ſed opus eſt eam eſſe fructiferam; ſunt enim miſericordes, ſed modica per totum annum tribuentes, aut per ſingulas ſeptimanas, aut ſi quando forte fortuna progrediuntur, iſti oliuæ quidem ſunt, ſed non fructiferæ, quin etiam aridæ, & quandoquidem miſerentur, oliuæ: quoniam vero non largè, nec magnificè, non ſunt fructiferæ.* Nec timeas, dum abundè pauperum ſubleuas mendicitatem: nam *tale quid timere*, ait idem, *eſt animæ incircumſpectæ, & inflatæ, neq; rerum naturam manifeſtè ſcientis: non vides, quòd omnes mutua opera indigemus? Miles opificij, opifex negotiatoris, negotiator agricolæ, ſeruus liberi, dominus ſerui, pauper diuitis, diues pauperis, qui maxime omnium vſui eſt: nam ſi pauperes non fuiſſent, id quod abundamus, ſaluti noſtræ non caderet, ſi autem turpe eſt egere alterius opera, reliquū eſt, vt moriamur, qui enim hac timere voluerit, viuere non poterit: nam licèt diues eſſes, plurimorum, eorumq vilium opera indigeres: nam quantò magis diteſcis, tanto magis hominum opera eges.*

Iſa. 58. 7

Aug. ſerm. 12 de temp.

Eleemoſynæ neceſſitas.

B

3. Reg. 17. 9

2. Cor. 8. 14

C

Gen. 19. 3

Act. 9. 39

Eleemoſyna vbertim largienda.

D

Chryſ. ho. 32 in ep. ad Heb. tom. 4

Pſ. 51.

E

Chryſoſ. ho. 19 in ep. 2. ad Co. poſt med. to. 4

Efficaciſſima ſanè conſideratio, quæ eos maximè moueat, qui ratione, non ſenſu, (vt pars hominum maxima ſolet) ducuntur; ex qua manifeſtum apparet, illos, qui pecunias elargiri renuunt, ne aliorum opera indigeant, ſimiles eſſe illi, qui mare ingreſſus ſint naui, ſint nautis, & omnino abſq. nautica

Minus egent, qui minus habent.

lu-

F ſupellectile, nauigare tamen contendit. Sanè
nullus eſt, qui alterius opera minus egeat,
quàm is, qui Chriſtianam amplectitur pau-
pertatem, qui omnino aliorum opera vel non
eget, vel ſi eget, pro pane tãtum, & veſte eget,
quæ minima eſt inter mortales egeſtas: nam &
paſſeres, & lilia campi hæc nullo protinus ne-
gotio comparant. *Non* igitur, inquit idem
Chryſoſt. vbi ſupra. Chryſoſtomus, *ingenuitatis eſt de his confun-
di, ſed mollis ac ſordida, & ſtulta anima.*

Quomodo itaq. *potueris, ita eſto miſericors:*
immò plus, quàm potueris, eſto miſericors:
Anſelm. in c. 2 ep. 2 ad Cor. *ille enim eſt miſericors*, ait Anſelmus, *prout
poteſt, qui ſibi neceſſaria retinet, & cætera,
quibus carere poteſt, pauperibus elargitur: qui
vero de his tribuit, quæ ſuo vſui neceſſaria
ſunt, ille dat ſecundum id, quod non poteſt.*
quod, infert, facere Deo gratiſſimum eſt; vnde
G B. Paulus Macedonas laudat, qui plus, quàm
2. Corint. 2. 10 poterant, tribuerant, ad eoſq. imitãdos hor-
tatur Corinthios, vt explicat ibi Chryſoſto-
Amb. li. 2. Off. c. 28. & habetur diſt. 86. c. s. pulchra. mus. Hinc Ambroſius: *Compatiamur*, ait,
*alienis calamitatibus, neceſſitates aliorum,
quantum poſſumus, iuuemus, & plus inter-
dum, quàm poſſumus.* Et in Concilio Gan-
Conc. Gangr. c. vlt. habetur diſt. 42. cap. 1. Parſimoniam in fin. gienſi dixerunt Patres: *Bona opera, quæ ſupra
vires in fratres pauperes exercentur, ſecun-
dum Eccleſiaſticas traditiones beatificamus.*
Huius doctrinæ contrarium aliquando do-
Hier. in epith. Paul. ad Euſtoch. ep. 27 to. 1. cuiſſe Hieronymum, ipſe de ſe ipſo in epitha-
phio Paulæ teſtatur his verbis: *Fateor erro-
rem meum, cum in largiendo Paula eſſet pro-
fuſior, arguebam illam, proferens de Apoſtolo,
non vt alijs refrigerium, nobis autem tribu-
latio: ſed ex æqualitate in hoc tempore, vt ve-
ſtra abundantia ſit ad illarum inopiam, &*
Luc. 3. 11. *hoc de euangelio Saluatoris. qui habet duas tu-*
H *nicas, det alteram non habenti, & prouiden-
dum eſſe, ne quod libenter faceret, ſemper fa-
cere non poſſet: multa quoque huiuſcemodi,
quæ illa mira verecundia, & ſermone parciſ-*
Eleemoſynis ſancta Paula illuſtris. *ſimo diſſoluebat, teſtem inuocans Dominum,
ſe pro illius nomine cuncta facere, & hoc ha-
bere voti, vt mendicans ipſa moreretur, &
vnum nummum filiæ non dimitteret, & in
funere ſuo aliena ſyndone inuolueretur; ego cau-
tiorem in re familiari eſſe cupiebam, ſed illa
ardentior fide, toto Saluatori animo iungeba-
tur, & pauperem Dominum pauper ſpiritu
ſequebatur, reddens ei, quod acceperat, pauper
pro ipſo effecta.* Hæc Hieronymus: ex quo
patet, laudabilem illum eſſe, qui etiam plus,
quã poteſt, de ſuo tribuit, & pauper pro Chri-
ſto efficitur exemplo etiam Paulę, de qua idem
Hier. in fin. epit. vbi ſup. Hieronymus ait: *teſtis eſt mihi Ieſus, ne vnũ
quidem nummum ab ea filiæ derelictum.* Quẽ-
I admodum enim arbor fructifera non ſolum
partem fructuum, ſed omnes elargitur decer-
pendos, quin & ramos, ſeque ipſam donat
ad comburendum, vt frigentes confoueat, &
calefaciat; ita viri pij, qui plantati ſunt iu-
xta fluenta aquæ gratiæ Dei, fructum ſuum
pauperibus elargiuntur: quin & aliquando ſe
ipſos, vt alios recreent, impendunt: quod in
Paulino Nolæ Epiſcopo manifeſtũ apparuit; *Aug. de Ciu. lib. 1. c. 10. Greg. dial. lib. 3. c. 1 Proſper lib. 2. vit. contempl. c. 9.*
is enim, vt ſancti quàmplurimi de eo ſcri-
bunt, depopulata Campania Vuandalorum
excurſionibus, cùm in redimẽdis captiuis cun-
cta conſumpſiſſet, ſe ipſum quoque in eleemo-
ſynam tradidit. Profectus enim in Aphricã, vi- Eleemoſynã ſe ipſe impẽdit S. Paulinus.
caria ſeruitute redemit viduæ Nolanæ filium,
olitoremq. præſtitit barbaro domino, vt ma-
trem vnici filij iactura conſternatam, eo recu-
perato, conſolaretur. Iactent ſe, qui facultà- L
tes nõ modicas in pauperum vſum impendiſ-
ſe gloriantur: ecce qui omnia impenderat, in-
uenit præterea, qua ratione inops factus, om-
nium diuitũ eleemoſynas ſuperaret. Cæterum
miſericordiæ remunerator Deus, virum tan-
ta pietate præditum non paſſus fuit diutius
ſubijci impiorum iugo. Contulit illi prophe-
tiæ ſpiritum, quo affectus, cum prædixiſſet
regem in proximo moriturum, & vaticinio
reſpondiſſet euentus; tantæ admirationi fuit,
vt ſtatim libertatem ſibi, alijsq. recuperarit:
pro vno quidem emancipando, ſe ſe in ſerui-
tutem obtulit: ſed cum omnibus ſimul, qui
Nola abducti fuerant, liberatus, frumento
inſuper nauibus impoſito, ad patriam glorio
ſiſſimo rediјt poſtliminio, priſtinæq. digni-
tati honorificentiſſime reſtitutus fuit. Quàm
belle nos ſancti docent, non ſolum conducere,
quod Tobias docet: *quomodo potueris, eſto* M
miſericors: ſed etiam bonum eſſe plus, quàm
poſſumus, eſſe nos miſericordes: licèt enim
politica liberalitas medium reſpiciat iuxta
poſſibilitatem dantis, infuſa tamen medium
excedit, neceſſarium etiam propter Deum
miniſtrans: ſicut temperantia infuſa non ſo-
lum à delectationibus animę nociuis, rationiq.
contrarijs abſtinet; ſed etiam curat, vt cor-
pus in ſeruitutem animæ omnino redigatur.
Quia tamen quidam inopiam ferre non va-
lent; ideo illis, vt Anſelmus ait, *tolerabilius* *Anſelmus vbi ſupra.*
*eſt minùs tribuere, quàm poſt largitatem
ſuam ex inopiæ anguſtia murmurare: cum
enim dantis mens ferre inopiam neſcit, ſi mul-
ta ſibi ſubtrahit, occaſionem contra ſe impa-
tientiæ exquirit: prius ergo præparandus eſt
animus patientia, & tunc aut multa, aut cun-
cta ſunt largienda.* Illud tamen maxime curan
dum eſt, vt vel ſaltem documentũ Tobiæ exe-
quamur, vt poſſumus, tribuendo, & libenter.

Quòd eleemoſyna, dum viuimus, prompto hilarique animo tribuenda ſit.

DOCVMENTVM II.

DOCET etiam Tobias filium, A
eleemoſynam ſereno libenti-
que animo impertiendam eſ-
ſe, dum ait: *libenter impertiri
ſtude*: eſt enim miſericordiæ
ſplendor alacritas, & prom-

pti-

ptitudo in tribuendo; non minus miſerenti neceſſaria, quàm miſero grata: Miſerenti quidem neceſſaria, quia cùm abalienare, quo ſuum eſt, vnicuiq; triſtitiam ſuaptè natura inferat, nunquam habitum miſericordiæ, rem, gradumq. o. tinebit, quoad vſque huiuſmodi

Eleemoſyna cum alacritate eſſe debet.

ægritudine depulſa officio, hilareſcat miſerantis animus: neque enim eleemoſynam te facere exiſtimare debes, ſi illam haud libenter facias: *eleemoſyna enim*, vt ait Chryſo

Chryſoſt. to. 4

ſtomus, *eſt quando cum alacritate fit, quando non putas dare, ſed accipere, quando quaſi beneficio afficiaris, quando quaſi lucrum faciens, & non perdens*. Miſero etiam eſt ne-

B

ceſſaria, quia cum egeſtas, & calamitas mœrore ſemper affligat miſerum cor, tunc maxime illud eleuatur, recreaturq. quando receptum beneficium fuerit libenter collatum: nam *quomodo*, inquit Chryſoſtomus, *qui in*

Chryſoſt. to. 4 hom. 12. in ep. ad Rom.

triſtitia eſt, refocillabis, ſi tu doles? nam nihil aliud videtur hominibus adeò turpe, ac ab alijs accipere, niſi excellenti hilaritate ſuſpicionem illam ſuſtuleris. Quinimo nec ipſe Deus,

2. Cor. 9. 7

vt B. Paulus ait, illum diligit, qui ex triſtitia, aut ex neceſſitate operatur, ſed hilarem tantùmodo datorem. Sic huius mundi proceres ſolent illum ſeruum habere chariorem, quem hilarem, contra verò illum abominari, quem triſtem, & faſtidientem in ſeruitio experiuntur. Hancque inter alias cauſam fuiſſe volunt Doctores, quare præceperit Deus Pharaoni, vt populum ſuum dimitteret, vt ſibi ſacrificaret in deſerto, dicens: *dimitte populum meũ,*

C

Exo. 5. 1.

vt ſacrificet mihi. quia dum populus ſub tyrannica illius ſeruitute afflictus erat, vix gaudens victimas Deo poterat ſacrificare: quod etiã ex Aaronis facto ſatis apparet, qui mortem filiorum Nabad & Abiu dum ſacrificio incumbens perſenſiſſet, tanto eſt mœrore correptus, vt ſacrificare prætermiſerit, Moyſiq

Leuit. 10. 19.

factum arguenti reſponderit: *Quomodo potui comedere eam*, (victimam ſcilicet) *aut placere Domino in ceremonijs mente lugubri?* quod cùm audiſſet Moyſes, *recepit*, aiunt ſacræ literæ, *ſatisfactionem*.

Qui etiam dat pauperi tetrico vultu, aut verbis aſperis; terret pauperem, ne iterum accedat ad illius opem implorandam, datumque etiam minuit, & efficit minus gratum

D

Greg. Naz. or. 16.

accipienti: *quod enim mœſto, & coacto animo defertur, ingratum eſt*, inquit Nazianzenus,

Senec. li. 1. de benef. c. 1.

minimeque præclarum. Et Seneca. *Nemo libenter debet, quod non accepit, ſed expreſſit*.

Beneficia cito conferẽda

Hinc philoſophus quidem dicebat, nos in vltione Grauipedes, & in beneficijs Delphinos eſſe debere: ſententia ſane chriſtiano homine digna. Grauipes enim animal eſt teſte Plinio tardiſſimum; Delphinus verò motu velociſſimus, quales ſimus oportet, quando egentes, in quibus tanquam in ſuis membris Chriſtus ſplendere voluit, amore amplecti velimus, vt enim alibi me dixiſſe memini, cùm amor vni-

Sup c. 2. verſ. 6.

tiuus ſit, cùm primùm aliquem diligimus, eius incommoda noſtra putamus: eademq fortitudine, ac hilaritate ſuis, quam noſtris ſubuenimus incommodis. Sane quomodo aridiora ligna facile comburit ignis, nec differt ſuæ formæ introductionem in materiam

E

diſpoſitam, & quomodo flores facile aperiuntur à vento, ſi nihil obſit; ita planè hominum corda vera charitate excitata, atque parata, vt clamorem pauperis audierint, ſuccenduntur, & ad miſerationem cõmouentur.

Expende, quàm libenti animo exceperit Abraham hoſpites pauperes: apparuerũt enim

Gen. 18. ibiq; Chryſ.

ei tres, qui Angeli erant, et virorum ſpeciem præferebant, quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum. *Currit, & volat*, inquit Chryſoſtomus. *quia vidit prædam, quam venabatur*: Non vocauit famulos, quaſi diceret, ma-

Eleemoſynæ comes alacritas.

gna negotiatio eſt, magnus theſaurus, per me ipſum hanc mercedem inferre debeo: ſic alacri animo excepit hoſpites, alacri vultu cibum apparauit. Feſtinauit Abraham ad Saram in tabernaculũ, dixitq. accelera tria ſata ſimilæ, & fac ſubcinericios panes; ipſe vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditq. puero, qui

F

Orig. hom. 4. in Gen.

feſtinauit, & coxit illum. *Abrahamus currit*, inquit Origenes; *vxor feſtinat, puer accelerat*, ſed ſi cauſam tantæ alacritatis in his ſuſcipiendis hoſpitibus, & refocillandis ſcire de

Eleemoſynæ mater charitas.

ſideras, conſidera eos, Abrahamũ, vt ſcriptura loquitur, *in ipſo feruore diei* vidiſſe, hoc eſt, dũ charitate ferueret, ex illa enim charitate tãta alacritas, & tanta in ſuſcipiendis egenis prõptitudo profecta eſt. Ama igitur, & libenter dabis. Sic etiam de B. Paula, quæ eadem ardebat charitate, ait Hieronymus: *Paula*

Hier. ep. 27

eleemoſynas curioſiſſimè tota orbe perquirens damnum putabat, ſi quiſq. debilis & eſuriens cibis ſuſtentaretur alterius, vtpotè adeò alacris in largiendo eleemoſynam, vt ſolum doleret, quando cui impertiretur, non habebat.

G

Quod ſi aliquis in morte liberalem, & amatorem pauperum ſe futurum dicat, & vbi toto vitæ ſuæ tempore ſuis rebus vſus fuerit, illas teſtamento pauperibus relicturum; audiat

Baſil. ad diuit. hom. 16.

Baſilium eum talibus compellantem. *Cum*, inquit, *nemo amplius erit inter homines, tunc te fratris amatorem appellabo? nemo poſt ſolutas nundinas negociatur, neq; qui poſt certamen accedit, coronatur, neq; qui poſt bellum venit, laudem aſſequitur: neq; igitur poſt vitam quia pius eſt*. Et poſt pauca: *qui ex redundanti offert, non admittitur; tu verò quæ poſt omnem vitam ſuperfuerint offers benefactori? ſi non audes præclaros homines reliquis menſis excipere, quomodo audebis Deum re-*

Eleemoſyna in fine vitæ improbatur.

Sur. tom. 6. 13. Decemb. in vit. S. Luciæ.

liquijs tuis placare: Hinc Sancta Lucia matri ſuæ, *non eſt admodum gratum ò mater Deo munus, quod qui offert, ideo offert, quia illius vſum ſuprema interdicit dies; da mater, dum ſana es, ne, dum moriens dederis, inuita dediſſe arguaris, rem vtiq; quam velis, nobis relinques*. Haud enim facile eſt credere (li-

H (cèt fieri poſſit) amatorem in morte pauperum hominem fieri, qui viuentem eos ſe nunquam adamaſſe oſtendit. Difficillimum item eſt credere, cum libenter tunc pauperibus elargiri poſſe, qui, dum vixit, id facere recuſauit: *libenter* itaq; *impertiri* eleemoſynam *ſtude*, dum ſanus es, ne ſi moriens, dederis, vt Lucia Sancta monebat, inuitus dediſſe arguaris, & propterea ſine vllo merito.

Quòd ſi adeò durus es corde, vt non valeas libenter pauperi dare, ſaltem præſtato libenter tibi: pauperi enim modicum commodum ad tempus ex denarijs tuis accreſcit; tibi commodum ſempiternum: quòd ſi verò hac de re ambigis, vbi eſt fides tua? Nunquid ex euangelio non audiſti, *quandiu feciſtis vni ex*

Matth. 25. 40 *his fratribus meis minimis, mihi feciſtis?* & iterum: *Qui relinquit domum, vel agrum propter me, centuplum accipiet?* Si impera-

Eleemoſynã cæleſte centuplum ſuadet. toris diploma quiſquam ex domeſticis eius proferret, quo quicquid à ciuibus ſibi dare-

I tur, & gratum habere, & centuplum rependere pro illo repromitteret, exiremus obuiam ad exitus viarum, compelleremus intrare domum, recipere plurima, pretioſa conſumere propter imperatoris centuplũ repromiſſum. Ad Dei vero cẽtuplũ nullus accurrit? nũquid fallere poteſt Deus, ſicut rex poteſt? vbi fides? vbi pietas? ſi nõ credis, cur te Chriſtianũ vocetenus profiteris? ſi credis, cur libenter non impendis? ſed eſto, tibi non eſſent profutura, quæ porrigis Chriſto Domino Saluatori tuo, donorum ſuorum, quæ gratis ipſe dedit, reliquias non libenter præſtabis? ò ingratitudo inaudita! de ſuis donis nolle paſcere largi-

Hier. ad Paulam. torem! Benè Hieronymus. *Qua nam Chriſti*

L *vnitas, qua nam religio hæc, abundare diuitijs; affluare delicijs, & videre Chriſtum in paupere fameſcentẽ, & nolle cibare? Nunquid,*

Ierem. 2. 31. quod ipſe Dominus dixit per Ieremiam, *Solitudo factus eſt tibi Deus, aut terra ſerotina*, ita vt ſeminata non reddat, aut tardet reddere? nequaquam, ſed dum eleemoſynam facis, omnia tibi proſpera, abundant omnia: ama igitur eleemoſynam, & eam libenter facies; conſidera eius vtilitates, & amabis, quas dum recenſebit Tobias, aduerte

VERS. X.

Præmium enim bonum theſaurizas tibi in die neceſſitatis.

1 *Theſaurizare quid hoc loco ſignificet.*
2 *Quid dies neceſſitatis.*

VERS. X. Arabs. **P***RAEMIVM bonum*, hoc eſt magnam remunerationem: Arabs mercedem bonam. Sapientiſſime namq; Sanctus Tobias, qui filio abũdantẽ ſuadere volebat eleemoſynarum elargitionem iuxta ſui ipſius facultatum menſuram, modò eundem docet, eleemoſynam licèt profuſiſſimam, ſemper tamen fieri ſine vllo diſpendio, & cum magno com-

Syrus. pendio: vndè Syrus, *Ne timeas*, legit, *facere miſericordiam, theſaurum enim magnum theſaurizas tibi in die neceſſitatis.*

Theſaurizas tibi, hoc eſt, theſaurum tibi ipſi reponis, non alijs, vt faciunt, qui opes terrenas *ſibi* coaceruare dicuntur: nam cum theſaurus præcipue ſignificet opes, ſeu diuitias collectas, ſepoſitas, & reconditas, quarum poſſeſſione felicem ſe dicit homo, & ab aduerſis tutum; *theſaurizare* hic nihil aliud erit, niſi diuitias non quaſcunque, ſed cæleſtium meritorum, cumulare, & cumulatas in tuto loco reponere, nimirum in cælis, vbi,

Mat. 6. 20 vel teſte Chriſto: *neque ærugo, neq; tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur*; quòd multa bona merita ſibi comparet, reponatque in cælis, qui facultates ſuas, ſedulo, conſtanter, liberaliterque in Dei gratiam profundit: quin, vt Hebræus hic habet, multa etiã terrena bona: ſic enim

Hebræus. ille: *Poſſidebis autem diuitias, & theſauros auri, & argenti in iuſtitia.*

2 *In die neceſſitatis*: quando nimirum in die mortis non modo corpus, vt in communibus noſtris neceſſitatibus; ſed etiam anima, in extrema, & lacrymabili neceſſitate periclitabunda reperitur, ita vt quæ videntur perire diuitiæ, in eleemoſynam erogatæ, in incorruptibiles, cæleſtes, æternoſque theſauros in tempore, neceſſitatis iterum multiplicatæ, recipiendæ recondantur.

Quòd profuſa eleemoſynarũ largitio cæleſtem ſimul, terreſtremque theſaurum multiplicet.

DOCVMENTVM.

M*VNDANOS* homines, qui A terrenos theſauros, & aurum cumulant, non ſibi, ſed poſteris cumulare nemo inficiabitur: quare pſaltes, de illorum quopiam verba faciens,

Hier. in pſ. 38 ait: *theſaurizat, & ignorat, cui congregabit ea*: nam, vt S. Hieronymus ait: *Sæpè plerique theſaurizant, & congregant multa,*

Auari. alijs congregant, non ſibi diuitias. *quæ aut deſideria filiorum euertunt, aut fiſcus occupat, aut diripiunt alieni*: Et Caſ-

Caſſiod. ibid. ſiodorus: *Hinc probatur*, inquit, *ſtulta eius vanitas, qui cupit peritura ſeruare, & tranſitoria cuſtodire, maxime cum poſſeſſio eorum probetur incerta: nam qui ſe putat charis filijs relinquere, ignorat, ſi ea contingat inimiciſſimos poſſidere.* Quòd ſanè eue-

1. Reg. 30. niſſe in Nabal ſacræ literæ narrant, qui nunquam animo ſuo cogitauiſſet ſubſtantiam

ſuam

ſuam Dauidi ceſſuram: quod ſi non alijs, ſed ſibi auarum cumulare dicas, quid quæ ſo te, cumulabit? num aurum? num lapides pretioſiſſimos? num argentum? vel quid piam ſimile? non vtique, ſed, vt B. Paulus ait: *theſaurizat ſibi iram in die iræ*: nam dum gemmas, aurum, aut argentum inique minutatim cumulat; etiam iram Dei ſibi pro die iræ, & neceſſitatis theſaurizat. At qui ſua pauperibus tribuunt, qui eleemoſynas faciunt, haud iram in die iræ ſibi cumulant, ſed *præmium bonum*, vt Tobias ait, *ſibi theſaurizans in die neceſſitatis*. Quare quod *pauperi dederis*, inquit Petrus Chryſologus, *tu habebis, quod pauperi non dederis, habebit alter.* Noë vectigalia in arcam poſuit pro diebus diluuij: Ioſeph triticū in annis ſterilitatis cumulauit: qui eleemoſynas elargitur, præmium bonum ſibi cumulat pro diebus neceſſitatis. Hinc pſaltes: *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus: Dominus opem feret illi ſuper lectum doloris eius, vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.* Ille enim intelligit ſuper egenum, & pauperem, qui curam illius gerit, illique eleemoſynam adminiſtrat, eſtque beatus, quia in die mala mortis *liberabit eum Dominus: Dominus illi opem feret*, cum in lecto æger decubuerit vexatus mortis doloribus, *vniuerſum lectum*, quod ægris fieri ſolet, *verſaſti in infirmitate eius*, verſabit culcitras, & concutiet, vt cubet molliter; hoc eſt molles reddet illi mortis dolores ac labores, vt patienter ferat, quod præmium bonum ſibi theſaurizauerit in die neceſſitatis ſuæ. Quare ſicuti, qui alterius pomarium hac lege intrat, vt tantum pomorum, quantum neceſſitati ſufficit, comedat, dummodo non extrahat, prudenter ſibi conſuleret, ſi multa ſubinde extra pomarij ſepta proijceret, vt poſtea exiens, illa habere poſ ſet; ſic cum diuites hanc à Deo conditionem acceperint, vt diuitijs, conſignatis ad neceſſitatem tantum, fruantur, nec tamen ex hiſce mundi ſeptis aſportent, prudenter ſecum agunt, ſi pauperibus eas erogantes, quaſi extra pomarium eijciunt, vt in altera vita ad mercedem inueniant; quod villicum iniqui tatis feciſſe legimus, qui audiens ſe extra pomarium eijciendum, & à villicatione re mouendum, creditores Domini ſui ſibi amicos curauit reddere, vt cùm defeciſſet, eum reciperent: *& laudauit dominus villicum iniquitatis*, inquit ſacra ſcriptura, *quia prudenter feciſſet*, prudenter, inquam, non in eo, quòd res domini ſui eſt elargitus, ſed in eo, quòd ſibi pro tempore venturo pro uidit: quomodo in crudeli homicidio eleganter depicto artem pictoris laudibus efferimus, rem ipſam deteſtantes: nam induſtria fuit, & prudentia in villico amicos, qui eum reciperent, ſibi parare, licet inique Domini ſubſtantiam perderet. Benè itaque Eccleſiaſtes monet, dicens: *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa inuenies illum*, hoc eſt, mitte panem, ſeu ſementem ſuper terram aquis irriguam, quia poſt longa tempora reperies illum: conſeruabitur enim ibi ad multum tempus, quin etiam multiplicabitur. Sunt enim, vt Hieronymus explicat, pauperes terra irrigua, & feraciſſima, quæ panem multiplicat, & conſeruat: *Quomodo*, inquiens, *qui ſuper irriguа ſeminat, fructum ſementis expectat; ita qui largitur egentibus, non granum ſementis, ſed ipſum panem, ſerit: fœnore quodam multiplicationem ipſius præſtolans, & eum dies iudicij aduenerit, multo amplius, quàm dederat, recepturus.* Poteſt etiam locus iſte ita intelligi, vt ſapiens metaphorā ſumat à nautis, qui mare nauigant, & merces viliores in alienas regiones conuehunt, vt pretioſiores recipiant, ita ut per tranſeuntes aquas pauperes intelligantur, qui ſanè aquas tribulationum pertranſeunt. Neque enim ſemel in ſacris literis aquarum nomine tribulationes deſignantur: *Saluum me fac Deus*, inquit Dauid, *quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*. Mitte itaque, ait Sapiens panem tuum, & facultates tuas in eibos pauperum; nam ipſi in cælum deportabunt: *facultates Eccleſiæ, quas requiris*, dixit inuictus martyr Laurentius Decio Imperatori, *in cæleſtes theſauros manus pauperum deportauerunt.* Efficiunt enim manus pauperum non fabuloſè, vt de Mida antiqui fabulantur, quicquid tangunt aurum, & quidem non corruptibile, ſed incorruptibile, & æternum. Hinc Petrus Chryſologus. *Da*, inquit, *terram, & accipias cælum; da nummum, & accipies regnum: da micam, & accipies totum.* & Chryſoſtomus: *merca tura*, ait, *negotiatioque cælum eſt. da parua, & accipies paradiſum, parua da, & magna ſuſcipe. da mortalia, & accipe immortalia.* Varijs agitatæ procellis naues mercatorū nō infrequenter pereunt, pereūt & ſemina terris mandata: at naues iſtæ pauperum merces noſtras in tuto ponunt, & ad cæli tutiſſimam ſtationem conducunt: nam *diſperſit, dedit pauperibus*, inquit Pſaltes, *iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi*.

Mitte itaque panem tuum ſuper has naues, & poſt longa tempora reperies illum. Nec te pigeat audire, quia *poſt longa tempora illum reperies*: nam pro maiori tuo commodo ad longum tempus reſeruatur: quapropter ſicut non dolet vſurarius, ſi tardè recipiat, quod dedit ad vſuram, ob expectatum ex illa emolumentum; ita nec tu dolere debes, ſi tarde accipias, quod multiplicatum es recepturus. Quod Ioannes Euiratus præclaro probat exemplo cuiuſdam philoſophi nomine Euagrij, qui Syneſio epiſcopo, cum ad Chriſtum conuertere curanti, ſæpe dicebat: *verè mi Domine, inter ea, quæ mihi di-*

[Margin notes: B; Rom. 2.6.; Petrus Chryſolog. ſer. 8.; Pſ. 40. 1. Eleemoſynarium Deus in ægritudine conſolatur.; C; Similitudo.; D; Luc. 16. 8.; E; Eccleſ. 11. 1. Eleemoſyna quæ dantur conſeruet, augetq.; Hier. in eundem locum.; F; In Bren. Ro. lect. 5. feſti S. Laurentij.; G; Petr. Chryſol. vbi ſupra.; Chryſoſ. ho. 9. de pœnit. Eleemoſyna pretioſa mercatura.; Pſ. 111. 9; H; Io. Euirat. ad Sophron. prat. ſpirit. c. 195.]

ſplicent, Chriſtianorum illud eſt, quod di-cant, eum, qui miſeretur pauperi, fœnerari Deo, & qui diſpergit in pauperes & inopes, in cælos ſibi theſauros reponere, & centuplicata, quæ erogauerit in regeneratione, in æterna vita eſſe à Chriſto reddenda: cui Epiſcopus Synneſius, non modo fecit ſatis, ſed illum etiam Deo adiuuante ad Chriſti fidem conuertens, vna cum filijs baptiſmi aqua mundauit. Poſt ſuſceptum baptiſma Euagrius epiſcopus auri tria centenaria in vſum pauperum detulit, dicens; *accipe aurum iſtud, & diſtribue pauperibus, & fac mihi cautionem de manu tua, quod Chriſtus mihi ipſum reddet in futuro ſeculo.* quod epiſc. ſuſcipiens prompte illi, vt petebat, cautionem fecit. *Vixit itaque* philoſophus *poſt baptiſmum*, ait Eiratus, *annos aliquot: tandem infirmatus eſt ad mortem: cum autem morti proximus eſſet, dixit filijs ſuis: Quando curabitis funus meum, chartam iſtam in meis manibus ponite & mecum illam ſepelite: mortuo autem illo, fecerunt filij, ſicut eis ipſe præceperat, ſepelieruntque eum cum chirographo: tertia verò poſt ſepulturam die apparuit Epiſcopo Synneſio nocte quieſcenti, dicens: veni ad ſepulchrum, vbi iaceo, & accipe chirographum tuum, accepi enim debitum, ſatisfactum mihi eſt, atq; vt certior huius rei fias, propria me manu ſubſcripſi: ignorabat autē Epiſcopus, quod chirographū illud conſepeliſſent ei: mane autē*

L *facto, accerſitis filijs eius, dixit, num quid eū patre veſtro in monumēto poſuiſtis, & ſomnium, quod habuerat, narrās illis, cum clericis, ac primarijs ciuitatis acceſſit ad philoſophi tumulū, quo aperto, inuenerūt iacentem philoſophū, chirographumq. manu Epiſcopi conſcriptū, manibus tenentem, accipientesq. chirographū ex illius manibus, aperuerunt, inueneruntq. in eo nouiter manu philoſophi ſubſcriptum ita: Ego Euagrius philoſophus tibi ſanctiſſimo Domino Synneſio Epiſcopo ſalutem: accepi debitum in his literis manu tua conſcriptis, ſatisfactumq. mihi eſt.* Hæc Euiratus. Quibus liquet, quàm verum ſit, quod docet Tobias, præmium nimirum bonum ſibi theſaurizare in die neceſſitatis, qui pauperibus eleemoſynas facit.

Centuplum eleemoſynæ perſolutum exemplo cōfirmatur.

M Quare ſicuti qui certò ſciens ſore, vt breui in extremam regionē compellatur, vbi natali ſolo relicto, toto reliquo vitæ tempore degere debeat, inſanire meritò iudicaretur, ſi ęgrè ferret, bona ſua in illam regionem aſportari, eiſque domi tantiſper carere, donec illo tranſmeet; ſic planè inſanire dicendi ſunt, qui ſtulta cupiditate habendi, & bona ſua retinendi, negligunt illa per eleemoſynas, aliosq. bonos vſus in cælum pręmittere, vbi certò ſciunt perpetuò ſe donandos omni affluētia, & geminata mercede victuros. Meritò igitur Habacuc: *Væ ei, qui multiplicant non ſua: vſquequo & aggrauāt contra ſe denſum lutum? nunquid non repentè conſurgent, qui mordeant te, & ſuſcitabunt lacerantes te, & eris in rapinam eis?* Da igitur Deo diuitias tuas, vt ſecuræ tibi ſint, & recedant à te dæmones: *præmium* enim ſic *bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis*, ſed quid? *num ſolitudo factus eſt Deus Iſraeli, aut terra Serotina,*

Habac. 2. 6.

N ita vt in futuro tantum fructum reddat? non equidem; ſed in præſenti tempore multa bona fructificat, & cumulat; vireſcit enim oliua, cui miſericordia comparatur, & hyeme, & æſtate: ita eleemoſyna non ſolum in futuro, ſed & in præſenti ſæculo fructus vberrimos reddit: quod ſponſus in epithalamijs oſtendit ſponſæ, vbi ait: *duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs*, hoc eſt, abundantibus paſcuis: etenim lilia in paſcuis naſcentia, pinguedinem, & vbertatem indicant paſcuorum, ſuntq. hinnuli capreæ, dum lacte, quod ob ſuam puritatis albedinem, & candorem, lilium imitatur, vberrimè paſcuntur, perpulchri, & feſtiui nimis: quare vbera ſponſæ, quæ iuſtorum omnium deſignant miſericordiæ opera,

Ierem. 2. 31

Non ſolum cæleſtia, ſed etiam terreſtria dat Deus eléemoſynas facientibus.

Cant. 4. 5.

O non ſolum quia duo ſunt eorum genera, corporalium ſcilicet, & ſpiritualium, ſicut & duo ſunt vbera, ſed etiam quia per huiuſmodi opera, ſicuti per vbera, lac internæ charitatis communicatur, hinnulis capreæ ſe ipſos feſtiuè nimis, ac uberrimè paſcentibus aſſimilantur, quia ſcilicet ea facientes, magis ſe ipſos, quàm alios paſcunt, & ut Beatus Paulus ait: *Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen noſtrum* Deus, nimirum, qui adminiſtrat ſemen, ideſt eleemoſynam, ſeminanti, non modò panem ex illo ſuppeditat, ſed ipſum etiam multiplicat ſemen, ideſt, eleemoſynarum materiam, dona ſcilicet temporalia, quomodo ex ſemine in terra ſparſo, cibus ipſe colligitur, ſiue panis, & ipſum multiplicatur ſemen. Hinc Baſilius: *Quemadmodum*, inquit, *frumentum in terram cadens, lucrum proijcienti parit; ſic & panis in eſurientem proiectus.* Et *quem-*

2. Cor. 9. 10

P *admodum*, ait Clemens Alexandrinus, *quicunque putei ſcaturiunt, exhauſti in priſtinam menſuram reuertuntur, & quo magis hauriuntur, eo citius replentur, & aqua puriore, ita elargitio, quæ eſt bonus fons benignitatis, potum ſitientibus communicans, rurſus augetur, & repletur, quemadmodum ad vbera, quæ ſuguntur lac ſolet accedere.* quod apparuit in muliere illa Sarepthana, quæ dum paruam farinæ maſſam dediſſet Eliæ, abundantiſſimum deinde ſibi cumulauit ſubſidium. Contra uerò ſicut corrumpuntur aquæ non hauſtæ, & ubera quæ nō lactant, ità aliquando ex coagulatione lactis lædūtur, ut mortē inducant, ſic diuitiæ nō elargitæ, ad noſtrā condemnationē, & mortē aliquando corrūpuntur: manifeſtauit id Lucas in diuite illo, qui, dū ingētes ſibi aggeraſſet diuitias, iāq. illis frui ſe poſſe lætaretur, retentæ adeò nocue-

Baſil. hom. in diuit. auar.

Clemēs Alex. lib. 3. pedag. c. 7.

3. Reg. 17. 12.

Lucæ 12. 19.

Q rūt, ut tandem nocte improuiſam mortem illi

at-

Paul. de Pal. in Matt. c. 5

attulerit. Merito itaque Paulus de Palatio, *planè*, inquit, *nullus in cælo ſimul, & in terra beatus; at legem hanc ſola violat miſericordia*, quæ ſola in cælis, & in terris theſauros cumulat, cùm Dominus, vt Dauid loquitur, eum, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, non ſolum in cælo, ſed & in terra beatum faciat, ea illi concedendo, quæ homines, dum in terra habent, ſe ipſi beatos exiſtimare ſolent, diuitias nimirum, & filios diuitiarum hæredes: nam parum ſanè prodeſſe videntur homini diuitiæ, ſi habeantur ſine hærede. Quare cum Abrahæ Dominus multa bona promiſiſſet; dixit Abraham: *Domine Deus quid dabis mihi? ego vadam abſque liberis, & ecce vernaculus hæres meus erit:* ac ſi dixiſſet: credo Domine, quòd promittis, te videlicet multa bona mihi largiturum; at cui ea vſui erunt, ſi ſine liberis moriar? Dat, inquam, ob hanc cauſam Deus & filios eleemoſynæ, quod Eliezer ſeruus ſenior Domus Abrahæ non obſcurè ſignificauit, dum Meſopotamiam petens, ſic iuſſus à Domino, vt ibi Iſaac filio ſuo coniugem quæreret, cùm primum ad puteum vrbis Hachor, quo ciuitatis illius conuenire puellæ ſolitæ erant, perueniſſet, Dominum orans, ait: *Puella, cui ego dixero: inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa reſponderit: bibe, quin & camelis tuis dabo potum; ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac.* Sed vnde obſecro hæc colligebat Eliezer? quod ſignum hoc ad futuram ſponſam Domini ſui cognoſcendam? non aliud ſanè, niſi quia cùm ad prolem obtinendam quæreret Abraham vxorem foecundam filio, non putauit ille talem ſe reperire poſſe, niſi miſericordem, & eleemoſynariam virginem repperiſſet. Nouerat enim, heram ſuam Saram tunc promiſſionem futuræ prolis recepiſſe, quando miſericorditer hoſpites Angelos ſub virorum ſpecie recepit, pro comperto habens, foecunditatem miſericordiæ præmium eſſe. Bene itaque Dauid beatum vocat illum, qui ſuper egenum, & pauperem intelligit, & in cælo, & in terra. In cælo, quia *præmium bonum ſibi theſaurizat in die neceſſitatis*: in terra, quia dummodo illi expediat, ijs ſemper rebus abundabit, quibus beati homines hic eſſe creduntur; ſed iam hiſce omiſſis, alia eleemóſynæ bona ex ipſomet Tobia cognoſcamus.

Eleemoſynarũ elargitio prolẽ a Deo impetrat.

Gen. 15. 2.

R

Gen. 24. 14

Fœcũditatis cauſa eleemoſyna.

S

VERS. XI.

Quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.

1 *Eleemoſyna quomodo à peccatis liberet.*
2 *Quomodo etiam, & à qua morte.*
3 *Tenebræ hic pro peccato.*
4 *Pro tribulatione.*
5 *Pro inferno.*

QVONIAM *eleemoſyna*. Aſſignat hic Tobias rationem præcepti de facienda abundanti eleemoſyna, pro facultatibus filio datis: *quoniam*, dicens, *eleemoſyna liberat.*

1 *Ab omni peccato.* Nam inter omnia opera, quibus homo ad diuinam gratiam promerendam, & peccatorum remiſſionem obtinendam, ſe ipſum diſponit, vel ipſo ſancto Thoma teſte, efficaciſſimum eſt eleemoſyna, cuius actus, vt idem docet, circa peccatum operatur; vel per modum ſatisfactionis poſt iuſtificationem: quia nimirum miſericordes, vt Chriſtus ait, miſericordiam conſequentur. Nam eleemoſynarum impertitor iuſtus, earundem merito, imminentia grauiora peccata præcauet, commiſſorũ reliquias excidit radicitus; venialia expiat, vel etiam pro temporaria pœna illis debita ſoluit. Iniuſtus verò, ſi eum culparum ſuarum pœniteat, earundem etiam merito, remiſſionem obtinet peccatorum: non ſanè quòd ipſæ eam efficiant, quam ſolus Deus ſua gratia efficit: ſed quòd ad illam recipiendam, iniuſtum præparent, & quodammodo idoneum reddant, & dignum, cui Deus eximium illud peccatorum remiſſionis munus elargiatur. Dixi, *ſi pœniteat*, quia ſine pœnitentia, & charitate Dei, quãtalibet eleemoſynarum effuſio nihil homini ad remiſſionem peccatorum, cæleſtiſque iuſtitiæ conſecutionem prodeſſe poteſt: etenim ſicut B. Paulus ait: *ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

S. Th. 2. 2. q. 154. ar. 2. & q. 113. ar. 4. ad 1.

Matt. 5. 7.

Eleemoſyna diſponit ad pœnitentiã, ſine qua nulla poteſt eſſe peccatorum remiſſio.

1. Cor. 13. 3.

2 *Et à morte liberat.* Non naturali, de qua B. Paulus: *ſtatutum eſt*, inquit, *hominibus ſemel mori*, nec eſt, qui illam deuitare queat; ſed peccati, quæ ſcilicet propter peccatum, vel in peccato, vel propter peccatum, & in peccato ſimul contingere ſolet, hoc eſt, à morte, quæ à Deo, vel ab hominibus propter admiſſam culpam infligitur pœnitentibus, & à morte, quæ impœnitentibus etiam ex natura contingit, non quacunque; ſed quam B. Paulus vocat mortem peccatorum, & peſſimam, in qua morituros Dominus Phariſæos prædixerat, dicens: *& in peccato veſtro moriemini*, horrenda, & cui nulla ſupereſt medicina; ſed tantùm flammæ æternæ, non illam expiantes, ſed ardore punientes æterno; & tandem liberat à morte, quæ propter peccatum, & in peccato contingit, qualis fuit Sodomitarum, Abiron, & ſimilium. Sic Auguſtinus, ſiue auctor ſermonum ad fratres in eremo: *nunquam memini me legiſſe*, ait, *mala morte periſ-*

Hebr. 9. 27

Mors peccati triplex.

Ioan. 8. 21

Aug. ſiue auct. Aug. ſerm. ad fratr. in Erem. to. 10. ſer. 44. in princ.

ſe ι..um, qui libenter in hac vita opera charitatis, vel pietatis voluit exercere: habet enim multos interceſſores pius homo, & ille, qui opera charitatis exercet hilariter. Quare, vt Chryſoſtomus docet: ſicuti ſi mors temporalis redimi poſſet, vnuſquiſque omnia ſua daret; ita multò magis pro hac æterna redimenda, ſunt omnia noſtra elargienda. *Vide*, ait, *quanta ſit Dei miſericordia; temporalem redimere mortem tibi non concesſit, ſed conceſſit æternam mortem: ne breuem, inquit, emas vitam hanc; ſed vitam illam æternam: illam tibi vendo, non hanc, non illudo tibi, hanc & ſi ceperis, ceperis nihil; ego noui, quòd illa magna eſt; ſed non ita caupones, & ſeculares quæſtus ſectantes, faciunt: illis enim ſi liceat illudere, quibus velint, pro magno paruum exhibent: ipſe verò non ita, nos autem ita: Dic mihi, ſi ad aliquem profectus mercatorum, duobus propoſitis lapillis, hoc quidem falſo, hoc autem pretioſo, & diuitiarum multum trahente, illius parui pretium deponens, magnum accepiſſes, nunquid illum incuſaſſes? nequaquam, ſed potiùs fuiſſes admiratus. Itidem & nunc propoſitæ ſunt duæ vitæ, temporalis, & æterna, ipſas autem venundat Deus, ſed hanc nobis, non illam vendit: quid inſipientium more puerorum triſtamur, quòd pretioſam accepimus?*

Chryſoſt. ſerm. 30. ad pop. circa fin.

3 *Nec patitur animam ire in tenebras.* Non oculorum, ſeu priuationis huius corporeæ lucis, ſed peccatorum, quæ, vt Auguſtinus ait, magis metuendæ ſunt, quàm oculorum. ſic ille: *tenebræ*, inquit, *metuendæ ſunt morum, non oculorum, & ſi oculorum, non externorum, ſed internorum: vnde diſcernitur non album, aut nigrum, ſed iuſtum, & iniuſtum*: nam, vt Chryſoſtomus ait: *ſunt etiam vitij tenebræ*: vnde & apud B. Matthæum dicitur: *populus, qui ſedebat in tenebris*: & B. Paulus: *abijcite*, ait, *opera tenebrarum*, hoc eſt, tenebricoſa opera peccati; nam qui peccant, quaſi qui in tenebris ambulant, pedibus ſuarum operationum offendunt, & rectam viam amittunt. Hinc Auguſtinus: *Tobias*, inquit, *moriens filium ſuum ad opera bona monebat: dicebat illi, vt daret pauperibus, præcipiebat, vt eleemoſynas faceret indigentibus, dicens: fili eleemoſynæ non ſinunt ire in tenebras: ſi ei filius reſponderet: quid ergo pater, tu eleemoſynas non feciſti, vt modò cæcus loquaris? tu nunc non ne in tenebris es, qui mihi dicis: eleemoſynæ non faciunt ire in tenebras? Nouerat ille, de qua luce doceret filium: nouerat in interiore homine, quod videbat: filius patri porrigebat manum, vt ambularet per terram, & pater filio, vt habitaret in cælo.*

Tenebræ quæ metuendæ.

S. Aug. in tract. 21. in Io.

Chryſoſ. in pſ. 142. in illis verbis, collocauit me in obſcuris, &c.

Matt. 4. 16.

Rom. 3. 12

Aug. refertur in Gloſſa ordinaria hic.

4 Seu *non patitur animas ire in tenebras*, Hoc eſt, homines in maximam tribulationē incidere: cum tenebrarum nomine in ſacris literis non rarò vrgens aliqua tribulatio, quæ mentem planè offuſcare, & confundere ſoleat, ſignificetur; qua ſibi quodammodo homo non conſtet, & quaſi qui in tenebris ambulat, non videat euadendi modum. Tali tribulatione percuſſus Saul, adeò obtenebratus eſt, vt ab armigero ſuo confici expetierit: θανάτωσον, inquit, ὅτι κατέσχέ με σκότος δεινόν: ſic enim habent LXX. ideſt, *conſice me: nam apprehenderunt me denſæ tenebræ.* quod cùm facere renuiſſet armiger, ſe ipſum necauit: quo ſenſu tenebræ, non ſolùm in ſacro, & ſacrorum Doctorum eloquio, vt apud Iob, & Ieremiam, & S. Gregorium frequentiſſimè; ſed etiam apud profanos ſcriptores accipiuntur. Hinc Euripides

Tenebrarum nomine vrgens aliqua ſignificatur tribulatio.

Ἥκειν φῶς ἐμοὶ καὶ σοῖς κακοῖς:

& contra dixit Poëta,

Afflictus vitam in tenebris, luctuque trahebam.

Iob 15. 23. 30.

Thren. 3. 2

Ioel. 2. 3.

Greg. li. 5. moral. c. 1. vel 2.

Euripides

Virg. 2. Aen.

5 Vel tandem *non patitur animas ire in tenebras*, Hoc eſt, in infernum; tenebrarum nomine non rarò in ſacris literis deſignatū: vnde Chryſoſtomus: *tenebræ*, ait, *ſunt ea, quæ futuræ ſunt, de quibus dixit Dominus, tollite eum, & mittite in tenebras exteriores.* & Iob locum infernum *terram tenebrarum* appellat. nam ſicut terra, quæ aurum producit, terra auri dicitur, & ea, quæ argentum, argenti; ſic cùm ab eo tenebræ omnes ortum ducant, terra tenebrarum meritò nuncupatur: nam quo pacto quicquid lucis in inferiore hoc mundo eſt, à patre deſcendit luminum, & à ciuitate illa ſancta quæ Sole non indiget; ita quicquid in eo eſt tenebrarum, illarum præſertim, quæ homini inimicæ ſunt, à patre, & principe tenebrarum, & ab ipſis inferis ad nos accedunt: vnde Poeta:

Infernus dānatorum cur tenebrarum nomine ſignificatus.

Chryſoſt. vbi ſup.

Vmbrarum hic locus eſt, ſomni, noctiſq. ſoporæ.

Virg. Aen. 6

neque enim ignis, qui animas damnatorum in inferno cruciat, lucem habet, à qua tenebræ fugari poſſint: nam, vt idem Iob ait: *deuorat eos*, qui nimirum in inferno ſunt, damnatorum *ignis, qui non ſuccenditur*, quia ſicut ignis noſter, dum non ſuccenditur, denſum ex lignis vaporem euaporare facit, à quo tenebræ, nigrorque fumi exoritur; ſic ignis ille inferius ex adiuncta ſibi damnatorum materia, nunquam ſuccenditur; ſed tantùm fumum, & caliginoſos vapores emittens, omnia potius obnubilat, & obſcurat: quod ſi ſubinde nonnihil luminis emicat, ad maiorem id damnatorum pœnam contingit, vt innuit S Gregorius, dicens: *Ignis illic ad conſolationem non lucet; ſed vt magis torqueat.* Hoc idem afferunt Iſidorus, Innocentius, & alij. *Sic enim ſub quadam vmbroſitate*, inquit S. Thomas, *videbunt damnati ea, quæ illis afflictionem ingerere poſſunt.* At ſimpliciter loquendo

Ignis inferni lucem non habet.

Iob 20. 26.

Greg. 9. moral. c. 39.

Iſid. l. 4. de ſū. bon. c. 31.

Innoc. to. 3. de cōtemp. mūdi.

S. Th. in ſuppl. q. 97. art. 4.

in-

Digitized by Google

inferni locus tenebricoſus eſt, & denſiſſima calicine circumfuſus. Ab iſto itaque maximè tenefiroſo loco inferui nos liberare eleemoſynam docet Tobias, dum ait: *quoniam eleemoſyna non patitur animas ire in tenebras.* vnde legit Hebræus, & cum eo Cyprianus, & Auguſtinus: *Et eleemoſyna liberat à iudicio gehennæ*, hoc eſt, ab æterno carcere: gehenna idem eſt, ac vallis Ennon ex, בר, quod vallis, & הנוד, quod Ennon ſignificat, nomen proprium hominis, de quo apud Ioſue: filij Iſrael Idolo Moloch filios ſacrificauerant igne, & in ea centum octoginta millia hominum exercitus Regis Sennacherib ab Angelo ſunt contempta, ex quo apud Ieremiam vallis interfectionis, & immunditiæ eſt appellata; ſic in inferno homines concremantur, & à Deo puniuntur.

Hebræus. Cyprian. epiſt. 52. & li. 3. ad quirin. c. 1. li. de op. Aug. li. 50 homil. hom. 47.

Infernus cur gehenna dictus.

Ioſue 15. 28. Pſ. 104. & Ierem. 7. & c. 27. & 29.

Quòd eleemoſyna liberet à peccato.

DOCVMENTVM I.

A

Peccata peccatorū ſunt vincula quæ ſoluit eleemoſyna.

INTER mala, quæ grauiſſima animæ noſtræ à peccato contingunt, ſpiritualia quædam vincula, quibus improbi detinentur, & ſeruitus, quā miſerè ſeruiunt, non poſtremum locum habent. nam, vt Sapiens ait: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* & Chriſtus, qui veritas ipſa eſt, ait: *Amen dico vobis, quia qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Et quidem, ſi ſeruus, & captiuus alicuius tyranni ille dicitur, qui ſui iuris non eſt, quique totus ex alieno pendet arbitrio, & voluntate, quomodo arctiſſimis non erit vinculis alligatus, ac duriſſima ſeruitute conſtrictus, qui quæ probat, hand ſequitur; ſed quicquid vel fera libido, vel auaritia, vel ambitio, vel metus hominum, vel cupiditatis intemperantia ſuadet? nam & quæ crudelior, aut durior ſeruitus eſſe poteſt, quàm nobiliſſimam mentem, diuinæ imaginis ſignaculo nobilitatam, carnis tyrannidi, effrænatisq́. cupiditatibus, quin & ipſi tenebrarum principi ſubiectam eſſe, quę ſoli diuino ſpiritui ſubdi, & ab eo agi debuiſſet? Ab hac ſanè duriſſima ſeruitute nos liberare eleemoſynā docet Tobias, dum ait: *Quoniam eleemoſyna ab omni peccato liberat:* nam, vt Sapiens ait: *ſicut ignem ardentem extinguit aqua; ita eleemoſyna reſiſtit peccatis.* hoc eſt, expiat, & liberat à peccatis: Græcè, ſicut etiam legit Cyprianus ἐξιλάσεται τὰς ἁμαρτίας, quia, ſicut ignem ardētem, & lædentem ſic extinguit aqua, vt non lædat, immo ne ſit quidem; ita eleemoſyna ſic peccata extinguit, & ſoluit, vt quæ inſtar ignis hominem læderent, & perderent, atque in ignem inextinguibilem mitterent, amittant perdendi vim, & omnino eſſe deſinant. *Ita*, inquit Ambroſius, *eleemoſyna extinguit peccata, ſicut aqua Baptiſmi gehennæ extinguit incendium: ergo eleemoſyna quodammodo animarum aliud eſt lauacrum, vt ſi quis fortè poſt Baptiſmum humana fragilitate deliquerit, ſuperſit ei, vt iterum eleemoſyna mundetur: niſi quod, ſalua fide dixerim, indulgentior eſt eleemoſyna, quàm lauacrum: lauacrum enim ſemel datur, & ſemel veniam pollicetur, eleemoſynam autem quoties feceris; toties veniam promereris.* Neque tam arcta vmquā erit peccati ſeruitus, quin eleemoſyna ab illa nos valeat liberare: nam, vt Chryſoſtomus ait: *Omne peccatum infra illam ſtat, remedium eſt ad omne vulnus vtile.* Quid enim Nabuchodonoſore turpius? quid deformius? quis vmquam illo arctiore peccati ſeruitute diſtrictius? qui impiè nimis plurima vidit ſigna, & Dei iudicia, nec vmquam voluit reſipiſcere, ſed ſeruos Dei in caminum ignis iniecit, cui tamen Daniel: *Rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime; forſan ignoſcet Deus delictis tuis. Forſitan dixit*, inquit idem Chryſoſtomus, *non ambigens, valdè enim perſuaſum erat prophetæ, ſed volens illum amplius terrere, & cogere, vt hoc faciat: ſi enim affirmando dixiſſet, negligentior factus eſſet ille; ita & nos tunc maximè quoſdam vrgemus, quando dicimus, obſecra illum, & non adijcimus, omnino adiuturum; ſed fortè adiuturum; metus enim à dubitatione profectus, magis impellit, & propter hoc certum, & manifeſtum iſtud nō facit.* Sed quid auaro deterius, cùm *auaritia*, vt B. Paulus docet, *omnis ſit iniuſtitiæ fomes?* Eleemoſyna tamen auarus publicanus omnem ſuam culpam abluit: vnde Zacchæus: *Ecce Domine*, dicebat Chriſto, *dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum: Ait Ieſus ad eum: hodie ſalus domui huic facta eſt.* Sic eo die, quo diuitijs ob eleemoſynam domus exhauſta eſt, ſalutem, & remiſſionem peccatorum obtinuit. Quare ſi tam grande peccatum tuum fuerit, vt illud ſolis lacrymis minimè delere valeas, adde eleemoſynæ oleum, & delebis: ſic mulierculæ, dum aqua maculas diluere nequeunt, olei mollitiem, & saponis acrimoniam addunt: etenim, vt ait Ambroſius, *nullum tam graue delictum, quod non purgetur abſtinentia, & eleemoſynis non extinguatur.* Et Nazianzenus: *herba*, inquit, *egregia eſt, quia quidam, vt lana, quidam vt nix dealbantur, pro miſericordiæ videlicet proportione.* Verùm, vt Auguſtinus ait, *cauendum eſt, ne quiſquam exiſtimet infanda illa crimina, qualia qui*

Prou. 5. 22

Vide ſup. c. 1. verſ. 12.

Peccati ſeruitas duriſſima

B

Eccli. 3. 33

Cyprian. ſer. de eleemoſ.

Ambro ſer. 31 in fi. & Max. ſer. de eleem.

Eleemoſyna lauacrū eſt, & veluti nouus baptiſmus.

G

Chryſoſ. ho. 25 in act. poſt med. tom. 1

Dan. 4. 24

Chryſoſ. vbi ſupra.

D

Gal. 2.

Luc. 19. 8. 9.

Eleemoſyna animam lauat.

B

Ambroſ. ſerm. 15

Nazianz. orat. de paup. amor.

Aug. in Enchirid. c. 7 tom.

agunt

Digitized by Google

agunt, regnum Dei non poſſidebunt, quotidie patranda, & eleemoſynis quotidie redimenda, in melius quippe eſt vita mutanda, & per eleemoſynam de peccatis præteritis, eſt propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, vt ea ſemper liceat impunè committere; nemini enim dedit laxamenta peccandi, quamuis miſerendo deleat iam facta peccata, ſi non ſatisfactio congrua negligatur.

A peccatis quomodo eleemoſyna liberat. F

Sic liberat quidem nos eleemoſyna ab omni peccato, ſed eo modo, quo, vt in literæ explanatione, diximus, ab omni nos illam pœna peccati liberare; neque enim rarum eſt in ſacris literis, vt ſupra vidimus, peccatum pro pœna peccati poni: vnde in libris Regum dicitur: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris*, & apud Ieremiam: *patres noſtri peccauerunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portauimus.* Et rurſum in Regibus: *erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.* id eſt puniemur morte, vt rei, & alibi multoties.

2. Reg. 12. 13
Thren. 5. 7
3. Reg. 1. 21

E

Eleemoſyna vires habet ieiunii, & orationis.

Eſt enim eleemoſyna virtus inter omnia opera pœnalia, maximè ſatisfactoria, quippè quæ, vt totum quoddam, vt aiunt, potentiale, cæteras ſatisfactionis partes complectatur, nimirum ieiunij, & orationis, non ſecus ac partes vegetationis, & vitæ complectitur homo: & quidem complectitur partes orationis, quia propter Deum data quaſi quædam eſt oblatio eidem Deo facta vim habens orationis: nam, vt philoſophus ait: *dona ijs ſunt affinia, quæ Deo conſecrantur*: vnde & eleemoſyna non rarò ſacrificium acceptabile à ſanctis nuncupatur: *talibus enim hoſtijs*, inquit B. Paulus, *promeretur Deus.* Complectitur etiam partes ieiunij, quia eleemoſynis deditı, vt commodius id, cui ſtudent, præſtare valeant, parciores ſumptus faciunt; quæ parcitas, quoddam ieiunium eſt, quo bona corporis, cuiuſmodi ſunt facultates, mercantur. at eleemoſynam purgare peccata iterum docebimus infra.

Ariſt. 4. Ethi. Aug. hom. 28. lib. 50. homil. Proſp. de prom. p. 2 c. 7. & ad Heb. 3. 7. S. Th. in 4. diſtin. 15. ar. 2. ad 2. q.

ſup. c. 12. verſ. 9. num. 1.

Quòd eleemoſynarum vi à gehennæ liberemur incendijs, & præmia adipiſcamur æterna.

DOCVMENTVM II.

A

Bona opera præcipue eleemoſyna comites ſunt defunctorũ.

LIBERAT nos eleemoſyna, vt docet Tobias a gehenna, quia iuxta promulgatam illam Ambroſij ſententiam: *ſola miſericordia comes eſt defunctorum.* Omnes enim morimur, licèt Reges, licèt Imperatores, licèt Pontifices ſimus, & morientibus nulli erunt famuli, nullæ militiæ, nulla poteſtas amici, conſanguinei, aut diuitiæ vllæ, quæ nos aſſociare, aut defendere in incognita illa regione valeant: quia amici, & pompæ ſæculi ad ſepulchrum vſque nobiſcum eſſe poſſunt, at *non plus vltra:* nam homo *cum interierit*, ait Dauid, *non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.* Saladinus Aegypti princeps potentiſſimus, vt referunt non pauci ſcriptores, in ſumma rerum felicitate moriens, teſtamento præcepit, vt in ſuæ mortis funere interiorem ſuam tunicã, quam geſtare ſolebat, ſeu pannum nigrum, vt alij ferunt, lanceæ trunco ſuſpenſum inſtar trophæi, præferretur, præcone clamante. *Saladinus Aſiæ totius dominator, ex tanto regno, tantiſq. opibus nihil aliud ſecum defert.* O vocem præclaram principibus, & diuitibus huius ſeculi repetendam. Tunc quidem, in morte ſcilicet, non te ſequentur, quæ ſtudioſè comparaſti, ſed quæ benignè erogaſti; non quibus domum locupletaſti, familiam auxiſti, nobilitatem amplificaſti, omneſq. in tui admirationem rapuiſti, ſed quibus Chriſti pauperes aluiſti.

Pſ. 48. 18.

Egnat. l. 7. c. 2 Fulgoſ. Platin. in Caleſtin. 4. Polyd. li. 14

Saladini præclara cõſideratio. B

Quod inſigni quadam parabola probat Barlaam apud Damaſcenum, dum quendam tres habuiſſe amicos narrat, ex quibus duos tanto amore proſequebatur, vt ad mortem vſque pro ipſis ſibi periclitandum eſſe non dubitaret, tertium quaſi deſpectum habens. is cùm aliquando à terribilis cuiuſdam imperatoris militibus in carcerem, ob grauiſſimum æs alienum à ſe contractum, trahendum ſe præſenſiſſet, ad primum ex ſuis chariſſimis amicis aufugiens, vt ſibi ſuccurreret, deprecabatur, à quo tantum vilia panni cula vix obtinuit: vnde mœſtus ſecundum adiens, nihil aliud ab illo accepit, niſi promiſſum, quòd eum ad carcerem vſque proſecuturus eſſet: quare non ſine maxima confuſione ad tertium ſe recepit, dumq. illum deprecaretur, vt ſibi ſuccurreret, præter ſpẽ non ſolum ab illo hilari ſuſceptus eſt fronte, ſed & de ſua libertate ſecuritatem accepit: ſic duos priores amicos pecuniarum poſſeſſionem ſignificare docens, & amicorũ mundanorum turbam, ex quibus vnus veſtem, qua corpus noſtrum tegitur, alter verò ſocietatem, ſeu comitatum ad ſepulchrũ vſque vix præſtat, neuter tamen illorum nos valet ab ira ventura ſupremi iudicis liberare: a tertio verò amico, bonarum operationum multiplicitatem indicari, quæ nos à condemnatione æterni carceris, & ab ipſa gehenna liberat. Hinc Ambroſius: *Facultates*, inquit, *relinquentur, hic etiam ſi nolimus, bonorum autem operum conſcientia nobiſcum pergit ad Deum.* & Auguſtinus: *Felix*, inquit, *operarius cultor eleemoſynarum, cum quo ambulat patrimonium in immortale horreum. Sequuntur*, inquit Bernardus, *opera iuſtorum illos, etiam poſt mortem. at opera malorum non ſequuntur*

Damaſcen. in VV. SS. Ioſaphat. & Barl.

C

Opera bona poſt mortem nos comitantur.
Vide ſup. c. 2. verſ. 2.

Ambroſ. ſer. 61
D
Aug. li. 50 ho. 39. in vit. PP.
Bernar. ſerm.

ma-

malos, ſed perſequuntur. Sic olim in ſpiritu ſe vidiſſe teſtatus eſt quidam ex ſanctis Patribus diuitem quendam iniquum, qui in extremis degens, cùm vale diceret ſuperbiæ, auaritiæ, luxuriæ, & alijs peccatis, in quibus vixerat, reſponderunt illa: Amice falleris, neque enim te deſerere nobis datum eſt, nã quæ, te volẽte, hucuſque tecum fuimus, Deo modò imperante, teſtes contra te ante diuinum tribunal adeſſe cogimur. Heu miſeram peccatoris conditionem; qui non bona opera ſequentia ſe habeat, non eleemoſynas, ſed peccata, quæ illum, vt Bernardus ait, *perſequantur*: nam ſicut in nuptijs illis euangelicis, eos tantum admiſſos fuiſſe ſcimus, qui veſte nuptiali induebantur, & virgines quæ oleum ſecum detulerunt cum lampadibus; ita eos tantum admittit Deus ad cæleſtia regna, qui charitatis veſtem, & oleum miſericordiæ ſecum deferunt: etenim *Quicunque fecerit miſericordiam*, ait Tobias, *is videbit faciem Dei*. Sic Dominus ſola opera miſericordiæ in extremo illo iudicio ſe cõmemoraturum docuit, non quòd cætera benefacta tunc pro nihilo reputari debeant, & ſine præmio ſint remanſura: nam *cuncta, quæ ſunt, adducet Dominus in iudicio ſiue bona, ſiue mala ſint*, ait Eccleſiaſtes; ſed vt nos doceat, in illis præcipuè ſalutis rationem perquirendam eſſe: & vt inde diſcamus, quanti momenti ſit apud Deum cætera pretioſa bona præſtare: nam ſi fruſtrum panis, & calix aquæ frigidæ ad præmium tunc commemorabuntur, quantum erit perfectiorũ operũ præmium? quid de martyrio? quid de religione? quid de alijs perfectionis operibus credendum eſt? magis etiam ex illarum commemoratione confundentur peccatores, dũ cælum ſe amiſiſſe ob tam facilium operum omiſſionem cognoſcent. at nemo tamen vt ſibi perſuadeat, velim, ſola eleemoſynarum largitate ſalutem ſibi parare poſſe, ſi alias vitam ab omni læthalis criminis labe, præcipuèq. ab omni carnis laſciuia incõtaminatã conſeruare non ſtudeat: nam huiuſmodi homines, licèt eleemoſynas faciant, in maximo tamen ſalutis diſcrimine verſantur, vt exemplo oſtendit Gregorius, quod hic ferè ad literam haud referre grauabor, vtpotè ni fallor, ad hanc rem comprobandam aptiſſimũ: Sic ille: *Ante triẽnium miles quidam in hac eadem vrbe noſtra peſtilentia percuſſus, ad extrema peruenit, qui eductus è corpore exanimis iacuit, ſed citius rediit, & quæ cum eo fuerant geſta, narrauit. Aiebat enim, ſicut tunc res eodem etiam multis innotuit, quia pons erat, ſub quo niger fluuius, atq; caliginoſus, fœtoris intolerabilis nebulã exhalans decurrebat: tranſacto autẽ ponte, amœna erãt prata, atque virentia, odoriferis herbarũ floribus exornata, in quibus dealbatorũ hominum cõuenticula viſebantur, tantusq. in eodem loco odor ſuauitatis inerat, vt ipſa ſuauitatis fragrantia illic deambulantes, habitantesq. ſatiaret. Ibi manſiones erant diuerſorum, multa luce completa. Hæc verò erat in prædicto ponte probatio, vt quiſquis per eum vellet iniuſtus tranſire, in tenebroſũ, fœtentemq. fluuium laberetur: Iuſti verò, quib. culpa non obſiſteret, ſecuro per eum greſſu, ac libero ad loca amœna peruenirent. Poſt varias autem piorũ, & impiorum hominum ſortes, quas in altero ſeculo miles ille ſe vidiſſe cõmemorabat, Stephanum quendam nobis notum, ſe cognouiſſe dicebat, qui dum tranſiret, etiam pes lapſus eſt, & ex medio corpore iam extra pontẽ deiectus à quibuſdã teterrimis viris, ex flumine ſurgentibus per coxã deorſum, atq; à quibuſdam Abbatis, & ſpecioſiſſimis viris cœpit per brachium ſurſum trahi: cumq. hoc luctamen eſſet, vt hunc boni ſpiritus ſurſum, mali deorſum traherent, ipſe, qui hæc videbat, ad corpus reuerſus eſt, & quid de eo plenius geſtum ſit, minimè cognoſcit: qua in re de eiuſdem Stephani vita datur intelligi, quia in eo mala carnis cum eleemoſynarum operatione certabant: qui enim per coxas deorſum, per brachia trahebatur ſurſum patet, nimirum quia & eleemoſynas amauerat, & carnis vitijs perfectè nõ reſiſtebat, quæ eum deorſum trahebant, ſed in illo occulto examine quid in eo vicerit, & nos, & eum, qui vidit, & reuocatus eſt, latet: ſatis enim hoc exemplo ſignificatur, in quanto periculo verſentur, qui eleemoſynam in peccatis faciũt.* Hæc Gregorius.

Eſt tamen eleemoſyna etiam peccatoribus fiducia magna, vt ſequenti verſiculo docet Tobias.

VT. PP.

Opera mala hominẽ poſt mortem perſequuntur.

E

Matt. 22. 12.

Tobias hic ex Hebræa lectione.

Eccleſ. 12. 14.

F

Matth. 10. 12.

Sola eleemoſyna ſaluare haud poteſt.

Greg. dialog. lib. 4. c. 36

G

H

VERS. XII.

Fiducia magna erit coram Deo eleemoſyna omnibus facientibus eã.

1 *Fiducia quid, & cur eleemoſynæ effectus.*
2 *Eleemoſyna cur ſacrificium.*

1 F*IDVCIA*, Teſte S. Thoma, *eſt ſpes roborata ex aliqua firma opinione*, ſeu, *eſt ſpei excurſus*, vel *præſumpta certitudo rei, ex aliquo cõſiderato, ſecundũ ſententiã euenturæ*. Quare, ſicut ſine aliqua dubitatione confidit optata a principe obtinere, qui rem illi gratiſſimam ſe feciſſe, quiq. ſe multos apud illum interceſſores habere conſiderat; ita cùm eleemoſyna res ſit Deo gratiſſima, & apud ipſum Deũ potentiſſimus interceſſor, qui illam tribuit, amplũ à Deo munus, & maximã miſericordiã ſe conſecuturũ meritò fidit: ſic enim vertunt Hebræus: *munus amplum, & bonum rependetur coram ſancto*, ſiue, vt legit Vatablus: *à Deo merces optima reddetur fa-*

Hebræus.

Syrus.

cien-

cientibus, nimirum eleemoſynam.

Coram ſummo Deo, hoc eſt, facientibus eleemoſynam, non coram hominibus, vt videantur ab eis; ſed facientibns eam, vt ſoli Deo placeant, quem omnia intuentem conſiderant, & vbiq; præſentem: vnde legit Hebræus: *munus enim bonum eſt eleemoſyna omnibus facientibus eam in conſpectu altiſſimi:* & Syrus: *Sacrificium bonum, & miſericordia omnibus ijs, qui operantur illam coram excelſo. de qua re ſupra.*

Hebreus. Syrus.

Sup. anteriore documento. Eleemoſyna ſacrificium appellatur.

2 *Eleemoſyna.* Syrus: *Sacrificium*; vel quia omnis actus bonus cuiuslibet virtutis, relatus ad Dei honorem, eſt actus religionis, & quaſi holocauſtũ Deo apprimè charum, vel quia eleemoſyna propriè quaſi ſacrificiũ eſt Deo oblatũ per manus pauperũ, qui ex ea viuunt, vnde & illa Deum maximè conciliari

Heb. 13. 16 B. Paulus docet, dum de illa loquens, ait: *talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* ad quod etiam præſtandũ nos Pſaltes hortatur, dũ di-

Pſal. 4. 6. cit: *ſacrificate ſacrificiũ iuſtitiæ*, hoc eſt, eleemoſynæ: etenim eleemoſynam generali nomine iuſtitię ſępè appellari ſupra docuimus.

Quòd eleemoſyna magnam fiduciam pariat apud Deum.

DOCVMENTVM.

A

ELEEMOSYNAM rem eſſe Deo gratiſſimam, & conſequenter magnæ fiducię fundamentum, ipſemet Dominus docuit, dũ ſibimet ipſi dari, quod pauperibus erogatur, profeſſus eſt,

Matt. 25. 40. Eleemoſyna Deo ipſi gratiſſima.

dicens: *Quod feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis:* quæ res vt omnibus perſuaderetur, quibuſdam ex priuilegio ſpeciali, aut gratia conceſſum eſt, ipſum Deũ in egentis habitu ſuſcipere, ſicut de quodam patrefamilias, & de Martino quodam refert Gregorius, & de S. Martino Sulpitius Seuerus, ex quibus hiſtorijs dum oſtẽdere voluit Chriſtus ſibi fieri, quod pauperibus facimus; manifeſtum reliquit omnibus, gratiſſimum hoc eleemoſynarum munus ſibi eſſe: *Magnũ enim*, inquit Chryſoſt. *& pretioſum, quid vir miſericors; nam eo quòd in nomine Ieſu mortuos excites, hoc multo maius eſt, quod pauperem paſcas Chriſtum: nam hic quidẽ tu Chriſto benè facis, illic autem ipſe tibi iam eſt merces, in benefaciendo, nõ in bene patiendo: nam hic quidem de ſignis loquor, ipſe debitor efficeris Deo, in eleemoſyna Deũ debitorem conſtituis.* O miram eleemoſynæ poteſtatem. O miram mortalium vecordiã, qui hæc intelligentes, illam non toto animo amplectuntur? De monacho Ordinis Ciſterciẽſis optimè ſibi noto refert Cãtipratanus, qui dum iter ageret, algore nimio terra Brabantiæ reſperſa, puerum quendam elegãtiſſimæ

Greg. hom. 39 & 23. in Euãgel. Chriſtus in pauperis formam nõnunquam apparuit. *Chryſoſt. ep. 2. ad Cor. c. 8. hom. 16.*

B

Cantiprat. in lib. apum.

formæ quaſi triennem, magno fletu, & eiulatu in niuis frigore ſolitarium reſidentem inuenit, cui maximè compatiens, ſtatim ex equo deſcendit, & flentem complexus, flere cum illo cœpit, & quærere, quid haberet: verùm tacente puero, iterum ex illo ingemiſcens quærit: vbi eſt mater tua? nunquid perdidiſti eam? ad cuius interrogata puer fortius eiulans, tandem dixit: *Heu me, heu me, quare non fleam? quare non eiulem? ecce vides, quod egens ſolus, & in frigore ſedeo, & non eſt, qui colligat me, & hoſpitiũ mihi præſtet*, Mox ſurgens Monachus, & puerum vlnis excipiens, deoſculatus eſt eum, dicens; ceſſa dulciſſime, quia ad hoſpitium portabo te, & enutriendum curabo: hoc dicẽs cum puero equum aſcendere voluit, ſed puer è brachijs amplexantis euolauit, quia Chriſtus filius Virginis fuit. Ecce quàm crudeliter ſe ipſos tractent, qui talem puerum, pauperes nimirum, in quibus Chriſtus eſt, relinquunt. Meritò itaque Nazianzenus: *Neque enim*, inquit, *vlla res eſt, qua Deo beneuolentiam perinde conciliet, ac miſericordia.* & Dominus in Canticis animæ miſericordi loquens: *Pulchriora ſunt*, inquit, *vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* duæ nimirum mammæ tuæ, quę ſunt miſericordia, & beneficentia, ipſo vino cõtemplationis ſunt pulchriores, & odor earum ex me dilecto tuo, qui *vnguentum effuſum* dicor, & inter ipſas cõmoror, quaſi faſciculus myrrhæ, aut botrus Cypri, ſeu balſami, cæterarum omnium virtutum odorem ſuperans: per vbera ſignificari miſericordiæ opera iam diximus, quia ſicut illis pueri; ita iſtis pauperes alũtur: per vinum verò ſignificari contemplationem, ex eo liquet, quia ſicut contemplatio mentem eleuat, & lætificat, teſte Iſaia, vbi ait: *Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ*; ſic vinum auolare mentem quodammodo facit; vnde antiquitus Deum, vt fabulantur, vini Ψιλαν, hoc eſt alatum dicebant, & Dauid: *vinum*, inquit, *lætificat cor hominis:* aduertendum tamen eſt, non dixiſſe Dominum vbera ſponſæ meliora eſſe vino: qualia ſponſa ipſius eſſe dixerat, vbi ait: *meliora ſunt vbera tua vino*, ſed pulchriora. nam, S. Thoma teſte, licet in Deo miſericordia attributorum omnium ſit maximum, in hominibus tamen pulchrior eſt, atq; fragrantior; etenim quãuis pulchrũ, & bonũ in ſubiecto idem ſint, vt ex Dionyſio patet: ratione tamen inter ſe differunt, cùm bonum propriè vim appetitiuam, pulchrum vim cognoſcitiuã reſpiciat: ſic dicimus bona placere, & viſa delectare, & pomum vnum bonum non pulchrum, aliud pulchrum, non bonũ, bonitatẽ ſemper à pulchritudine diſtinguentes: ſic miſericordia pulchrior, non melior eſt contẽplatione, & cæteris virtutibus, & quidẽ hominibus, quia externa ſua

C

Greg. Naz. orat. de paup. amor.

Cant. 4. 10

D

Miſericordia, & beneficentia vbera ſponſæ.

Iſaia 56. 7

Pſal. 103. 15.

E

Cant. 1. 1

S. Th. 2. 2. q. 30. ar. 4.

Dion. Areop. de diu. nom. c. 4.

Miſericordia contemplatione pulchrior, non melior.

oſten-

Google

F

oſtenſione magis intuētium ad ſe oculos allicit, & Deo, qui cum per illas nos ſibi ſimiles fieri conſpicit, magis ea delectatur, & proinde magis illā habentes amat, cùm ſimilitudo, quę vnitas quædā eſt amoris, ſit cauſa beneuolentiæ: enimuerò non amicitiæ amore quemquam diligimus, niſi aliqua ſimilitudine concordemur. Vnde Nazianzenus nullā aliam virtutē inter externas eſſe docet, quæ Dei beneuolentiam perinde conciliet, ac miſericordia; & ipſe Ethnicus Pythagoras, virtute ſola, ac beneficentia homines Dijs ſimiles haberi poſſe docuit. Verùm quod nulla etia externa operatione ita ſimiles Deo reddamur, ac miſericordia, apparet ex eo, quia reſpectu noſtri, vt diximus, eſt in Deo miſericordia maxima; & omnium diuinorum attributorum primum: vnde canit Eccleſia: *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere*: quare ſicuti alicui ſimiles eſſe dicimur non manibus, pedibus, aliaue corporis parte, ſed facie, quæ pars eſt hominis præcipua, ita abſolutè ſimiles Deo non in alijs diuinis attributis dicimur, quæ licèt in Deo æqualia ſint, tamen tanquam minora, concipimus, ſed in miſericordia, quæ omnium attributorum diuinorum eſt maximum. quare non mirum, ſi eleemoſyna, vt B. Paulus ait, maximè promereatur Deum, nobiſq. illum conciliet, firmam nobis, ſicut ait Tobias, præbens fiduciam aſſequendi diuinam miſericordiam.

Nazianz. in orat.

Pithagoræ dictum in laudem miſericordiæ.

G

V E R S. XIII.

Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire.

1 *Attendere ſibi quis dicatur.*
2 *Fili mi, verba affectuoſa.*
3 *Fornicatio pro omni actu luxuriæ.*
4 *Quare crimen ſit fornicari.*
5 *Quæ huic verſiculo addant L X X.*

ATTENDE tibi, Arabs *Caue tibi*. Sanè attendere ſibi ab aliqua re, nihil eſt aliud, quā ſtudioſè ab illa ſe cuſtodire: quam ſtudioſam cuſtodiam non niſi in grauiſſimis rebus ſacræ requirunt literæ: vnde Sapiens: *Attende*, inquit, *fili mi, à peſtifero, fabricat enim mala; ne fortè inducat ſuper te ſubſannationem*. Et Chriſtus Dominus: *Attendite*, inquit, *vobis, ne fortè grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate, & curis vitæ, ne veniat ſuper vos repentina dies illa*. Et alibi: *Attendite*, inquit, *vobis, ſi peccauerit in te frater tuus, increpa illum*. ex quo apparet, quàm graue ſit peccatum omnis fornicatio.

Arabs.

Eccli. 11. 35.

2 *Fili mi*. Verba delicata, & affectionis plena, nam quos enixè diligimus noſtros nominamus: vnde tantum eſt dicere meus filius, ac dilectus meus, quique mihi maximè eſt cordi.

3 *Ab omni fornicatione*. Fornicatio hic non in ſua formali, & propria ſignificatione ſumitur, quatenus ſcilicet, cum ſcorto, vel cum quauis ſoluta conſentiente rem habere ſignificat; ſed pro omni actu luxuriæ extra coniugium exercito. Sic apud Matthæum ponitur pro adulterio, & à B. Paulo pro inceſtu: & conſtat ex eo, quòd non ſimpliciter dicit Tobias: *attende tibi* à fornicatione, ſed ab omni fornicatione.

Matt. 19. 9.
1. Cor. 5.

4 *Et præter vxorem tuam, nunquam patiaris crimen ſcire*. Crimen hic, non peccatum ſignat, ſed quamcunque coniunctionem viri cum vxore. quare legit Arabs, *Caue, ò gnate mi, ab omni fornicatione, & ne cognoſcas mulierem aliam præter tuam*.

Arabs.

Sanè crimen eſſe, & illud maximum, aliam quamcunque mulierem præter propriā vxorem cognoſcere, ex eo patet, quia in Deuter. voluit Deus lapidare puellam, quæ ante nuptias in domo patris fornicata eſſet: & in libris Numerorum ob fornicationem Hebręorū cum filiabus Moab, cæſa ſunt ex eis viginti quatuor millia: & Sapiens in prouerb. *Qui ſe*, inquit, *iungit fornicarijs, erit nequā, putredo, & vermes hæreditabunt illum*. quin & B. Paulus, manifeſtis verbis omnē fornicationem damnat, dicens: *An neſcitis, quia iniqui regnū Dei nō poſſidebunt? nolite errare, neq; fornicarij, neq; idolis ſeruientes, neq; adulteri, neq; molles, &c. regnum Dei poſſidebunt*. Et alibi: *manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſūt fornicatio, immūditia, impudicitia, luxuria*. nam repugnat illa primæ hominis creationi, & inſtitutioni matrimonij, qua Deus vſum membrorū generationi ſeruientiū, matrimonio ita alligauit, vt extra illud illis vtēdi omnino homini facultatem ademerit. quin etiā repugnat fidei coniugali, atque bono prolis, quæ extra matrimoniū in fornicatione rectè educari nequit, cùm in vago cōcubitu certus parens ignoretur, qui prolis curā ſuſcipiat: quin etiā ſi noſcatur, facilè deſerit natū cum matre, quippe qui nullo vinculo erga eos ſe putat ligari, raroq. cōtingit, vt dent matrib. vnde prolē ſuſtētent. Nec obſtat, aliquos iuriſperitos cōcubinatū vocare coitū licitū, & legitimū, quia illud ſolū affirmare volūt, legibus illū permitti, & nō puniri, vt enim in lege penultima dicitur: *quia cōcubinatus per leges nomen aſſumpſit, extra leges pœnā eſt*: vnde ſicut notat Couarruuias: melius illi dixiſſent, concubinatū eſſe lege permiſſum, quàm legitimū concubitū: ex quibus omnibus patet grauiter erraſſe Rabbi Moſen Aegyptiū, dū congreſſū Iudæ cū Thamar hoc nomine excuſat, quod ante legē Moyſis licitum eſſet meretrici: & turpiùs errare noſtri polytici de-

Deut. 22. 21.
Numer. 25. 9.
Eccli. 19. 3
1. Cor. 6. 9.
Gal. 5. 19.

Fornicatio omnis cur vetita.

Concubinatum perperā vocant iuriſperiti concubitum licitū.

Bar. in l. pen. de concubin. & quidam alij.

Couarr. de ſponſ. p. 1. c. 4. n. 8.

R. Moſ. lib. 3. More c. 50.

Gen. 38.

deprehenduntur, qui licet concedant lege Chriſti vetitam eſſe fornicationem; negant tamen eam lege Moyſis fuiſſe vetitam. Sanè nec inter ipſos ethnicos defuere, licet, vt queritur etiam in Tuſculanis M. Tullius, æquo pauciores, qui coniugalem tantùm ſocietatem probarent: vnde Platonem præcepiſſe legimus, vt nemo auderet vllam attingere præter legitimam ſuam vxorem: & Epitectus: *Circa Venerem*, ille ait, *pro virili, ante coniugium, caſtum, purumque eſſe oportet*.

Cic. in Tuſc.

Plato lib. 7. de legibus.

Epitect. can. 37.

LXX. *Syrus.*

5 Addunt huic verſiculo LXX. & Syrus præcepiſſe Tobiam filio, ne iungeret matrimonium cum muliere aliena, quæ videlicet non eſſet ex tribu parētum ſuorum, ex quo loco dicit Cyprianus; matrimonium cum gentilibus non iungendum, de qua re plura dicemus inferius.

Cypr. li. 3. ad Quirin. c. 62 infra cap. 7. verſ. 14.

Quòd exurgentes primùm cogitationes carnales illico repellendæ ſint, ad fornicationem vitandam.

DOCVMENTVM I.

A *Theſſal. 4. 3. 4.*

IVSTISSIMAM hanc eſſe Dei voluntatem, vt alia omnia miſſa faciam B. Paulus, apertiſſime teſtatur, *vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuũ poſſidere in ſanctificatione, & honore*: Vas, corpus nimirum noſtrum morti obnoxium, fragile, & non minns corruptibile, ac ſint res vitreæ figulinæ, atque teſtaceæ: vndè nec minore circumſpectione tractari debet, dum in hoc lubrico carnis ſumus, ac illæ, ne in aliquam fornicationem, & luxurioſum actum offendentes, nos ipſo confringamus: *ſenſus* enim, *& cogitatio humani cordis*, vt ipſe Dominns ait, *in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*. vbi metonymice cor poteſt ſumi pro fomite, ſeu concupiſcentia ab originali peccato in homines dimanante, qui præcipue ſenſu, ſeu ipſo appetitu concupiſcibili, & cogitatione augetur. Rupertus, nomine ſenſus, qninque corporis sēſus intelligit, qui proni ſunt ad malum, præſertim vbi cogitatio cordis, quæ reſtringi, & gubernari debuerat, & ipſa ad malum prona ijſdem ſenſibus pro armis ad malum opus vtitur. Quare attentè nobis cauendum eſt, ne cor, & ſenſus noſtri ad malum ita procliues in id, in quod feruntur, eant. Ipſa etenim rerum experientia docet, in cuiuslibet rei corporeæ violento motu neceſſariam omnino eſſe auctoris motus, vel eius virtutis aſſiſtentiam, ne altero deficiente protinus à motu ſubſiſtat: quod ſatis conſpicuum in ſaxo, quod ſurſum iaciatur, efficitur: vel in naue, quæ contra fluminis curſum trahatur, in quibus ceſſante virtute à iaciente impreſſa, & niſu trahentis, violentum quoq; eorum motum ceſſare conſpicitur: quod naturæ noſtræ ad malum pronæ coutingit, quæ cum non niſi violenter, ſenſus mortificationem ferat, ſi virtus, & labor mortificantis ceſſet, ſtatim ex illa, ſponte ſua, laſciuia, & iniquæ pullulabunt cogitationes, quæ nos paulatim in conſenſum peccati ferunt. Quare ſicuti ſtudioſus viridarij cuſtos nunquam ceſſat laſciuientes, & inutiles herbas è terra ſua ſponte erumpentes, euellere, ne terram occupent, bonaſq; diſperdant; ſic profectò nobis attentè cauendnm eſt, ne ſponte ſua naſcentes prauas cogitationes, laſciuas, vt diximus, intrare patiamur; ſed ſtatim à principio, & continuò euellendæ. *Diaboli primis titillationibus obuiandum eſt*, inquit Cyprianus, *nec coluber foueri debet, donec in ſerpentem formetur*. & Hieronymus: *Diabolus*, inquit, *ſerpens lubricus eſt, cuius capitis, hoc eſt primæ ſuggeſtioni, ni reſiſtatur, non eſt dubitandum, quin in penetrale cordis furtim illabatur*. Quare *ſtatim*, ait idem, *vt libido titillarit ſenſum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem, Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi caro: nolo ſinas cogitationes creſcere, nihil in te Babylonium, nihil confuſionis adoleſcat, dum paruus eſt hoſtis, interfice, ne zizania creſcat, & detur in ſemina. Audi Pſalmiſtam dicentem: Filia Babylonis miſera: beatus, qui retribuet tibi retributionem ſuam; beatus, qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram, quia enim impoſſibile eſt in ſenſum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, et allidit ad petrā: petra autē Chriſtus eſt.* nam ſicut vnus Moyſes, qui inter Hebræorum filios viuere permiſſus eſt, coronam, & ſceptrum à Pharaone rege auferre valuit, & in mare rubrum demergere, ita ſanè quælibet licet minima cogitatio admiſſa facilè nos corona charitatis, & ſceptro Chriſtianæ fidei priuare poterit, & in tartarum demergere. Vermes ſerici in ſemine, veluti acini paruuli, & minuti ſunt, quæ tamen minima ſemina dum vberibus ſuis fœminæ admouent, & calore fouent, vermis indè gignitur: ad eundem modum primæ Diaboli ſuggeſtiones, & carnis titillamenta licet parua ſint, ſi tamen ea homo cogitatione fouere incipit, ex illis inſenſiſſimi impuriſſimorum actunm vermes animæ virtutem exſugentes naſcuntur. Argumentatori Sophiſtæ ſufficit, ſi paruam illi propoſitionem initio concedas, vt deinde maxima argumentorum ambage, te in ſuam ſententiam

Gen. 8. 21.

Senſus luminis prnni sūt ad malum ab adoleſcentia

Rup. in c. 8. Gen.

B

Mortificatione frænandi ſunt.

C

Tentationi reſiſtendū in principio.

Cyprian. ſer. de ieiun. & tent. Chriſti.

Hier. in c. 9. Eccleſ.

Idem Hier. ad Euſtoch.

D

Pſ. 136. 8

E

Peccata venialia euitanda.

Similium congeries.

tra-

Digitized by Google

trahat. Ruſticus nullo negotio ligna in fru-
ſta ſecat, vbi in illa calculum vel breue
poſuerit. Sutor calceos firmiſſimo funicu-
lo conſuit, vbi per acus foramina ſubtilem
animalium ſetulam introduxerit. Fur do-
F mum totam exhaurit, vbi puerum, qui ia-
nuam ſibi aperiat, in illam intrare fecerit:
ita ſufficit diabolo, ſi primas carnis titilla-
tiones admiſeris, vt paulatim mentem tuã
ad prauum peccati conſenſum inducat. Qua-
re *oportet*, ait Bernardus, *ſi mundas conſer-*
uare volumus animas noſtras, adhuc longè
agentibus cogitationibus huiuſmodi, multa
cum indignatione occurrere, & exſufflare
à nobis, vt nullus eis detur acceſſus.

Bern. ſerm. de triplici indicio.

Quàm enim difficile ſit ingromiſſas, licèt
inculpabiliter, excludere, nos ſuo exemplo
inter reliquos docuerunt ſanctiſſimi viri, Be-
nedictus, & Franciſcus. Benedictus enim, te-
ſte Gregorio, dum adhuc adoleſcens in Sub-
laci ſolitudine corpus ſuum varijs mortifi-
cationibus affligeret, rerumq. diuinarũ con-
templationi vacaret quodam die, dum ſolus
eſſet, tẽtator adfuit; nam nigra, paruaq. auis,
quæ vulgo merula nominatur, circa eius fa-
ciem volitare coepit, quam cum ſigno cru-
cis eieciſſet, malignus ſpiritus quandã foe-
G minam, quam vir ſanctus aliquãdo viderat,
ante eius mentis oculos reduxit, tãtoq. igne
ſerui Dei animum in ſpeciem illius ſuccen-
dit, vt eum non niſi ſanguinis effuſione, &
ſuorum carnium laccratione extinguere va-
luerit: nam increſcente impura cogitatione,
exutus indumẽtis, nudus inter vrticas & ve-
pres, ſeſe tandiu volutauit, donec per cutis
vulnera vulnus mentis ſanauit, & voluptatẽ
traxit in dolorem. Sanctus etiã Franciſcus,
qui ſemper rigidus in diſciplina ſuper cu-
ſtodiam ſuam ſtabat, teſte S. Bonauentura,
dum graui carnis tentatione apprehendere-
tur, caſtitatis amator, depoſita veſte, fune no
dis contexto, ſe duriſſimè verberans, *eia*, di-
cebat, *frater aſine, ſic te decet manere; ſic ſu-*
bire flagellum, tunicam religionis relinque,
ſanctitatis enim ſignaculum præfert, neque
illam ferre libidinoſa licet, ſi quo vis perge-
re, perge: & miro feruore ſpiritus animatus,
H aperta cella foras exiuit in hortũ, & in ma-
gna demergẽs niue corpuſculũ iam nudatũ,
ſeptem ex ea plenis manibus coepit compin
gere maſſas, quas ſibi proponens, ſuo ſic ex-
teriori homini loquebatur: *Ecce*, inquiens,
hæc maior vxor tua eſt, quatuor iſtæ duo fi-
lij, & duæ filiæ; reliquæ duæ ſeruus, &
ancilla, quos ad ſeruiendum habere opor-
tet: feſtina igitur omnes induere, quia
frigore moriuntur: ſi verò multiplex eorum
ſolicitudo moleſtat, vni Domino ſolicitè ſer-
ui. Illicò tentator victus abſceſſit, & vir ſan-
ctus cum victoria in cellam ſuam redijt. Ec-
ce quãta difficultate tantus vir, turpẽ, quam
inuitus tentationem admiſerat, fugauerit.
Attẽtè igitur cauendum eſt, vt docet Tobias,

Admiſſas impuras cogitationes expellere, difficillimum eſt.
Greg. dial. li. 3. c. 2.

Caſtitatis ſeruandæ ſolicitudo.

S. Bonauent. in eius vita.

ab omni fornicatione, caput ſerpentis cõte
rendo, & primæ reſiſtendo ſuggeſtioni: nam
ſi tantam fuiſſe legimus ſeptuaginta illorũ I
virorum fortium in cuſtodiendo lectulo Sa-
lomonis diligentiam, vt vnuſquiſque eorum
enſem ſuper femur ſuum poſitum haberet,
& manum ad capulum admoueret, vt prom-
ptiores eſſent ad illum audiendum, fugien-
doſq. hoſtes: *En*, inquit, ſacra ſcriptura,
lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiũt
ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios,
& ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis
ſuper femur ſuum propter timores noctur-
nos; quali cuſtodia cuſtodiendus erit lectus
cordis noſtri, in quo verus Salomon requie-
ſcit, qui quauis cogitatione impura pollu-
tus, à vero Salomone deſeritur? Cherubim,
qui aditum, & oſtia terreni Paradiſi ſeruat,
flammeum gladium, atque verſatilem, ad
cuſtodiendam viam ligni vitæ manu tenuiſ-
ſe legimus: quare, cùm anima iuſti paradi-
ſus ſit deliciarum, qui illum cuſtodire deſi- L
derat, & quamcelerrimè impuros affectus,
cogitationesq. in animo inſurgentes, abſcin
dere, verſatilem gladium ſpiritus habere de-
bet, & flammeum, hoc eſt, diuino amore ad
illos conſumendos accenſum. *Amor enim*,
inquit Climacus, *amorem excludit, & ignis*
ſpiritus ignem. Sanè pudica, & fidelis v-
xor, quæ virum ſuum ardenter amat, non
modò adulterium, verum etiam verba im-
pudica deteſtatur, adulterij ſpeciem exiſti-
mans, illis vel aurem præbere; ita anima,
quæ ſponſum ſuum diligit, non modò ab
omni impuro opere; ſed etiam ab impuris
cogitationibus ſe pro virili tuetur, quippè
quæ intellexit, animum facilè ludibrio ho-
ſtis patere, qui in ſe ipſo cuſtodiendo negli-
genter ſe habet. quod in illa puella pur-
gante triticum ante oſtium Iebuſech, figura-
tum fuit, qua dormiente, duo latrones oſtiũ
ingreſſi, caput regis præciderunt. ſic ſanè M
dormiente prudentia, cuius eſt prauas à bo-
nis operationibus ſeiungere, intrãt prauę co
gitationes tanquã latrones, & necẽ ſpiritui
noſtro inferunt. *Crede mihi*, ait Aug. *cedros*
Libani, & ductores gregis ſub hac ſpecie cor-
ruiſſe vidi, de quorũ caſu non magis dubi-
tabam, quàm Ambroſij, aut Hieronymi. Et
Hieronymus; *non in præterita*, inquit, *caſti-*
tate confidas: neque enim ſanctior es Dauid,
aut Salomone ſapientior.

Itaque magnopere cuiuſdam ex Diui Frã-
ciſci ſocijs probo conſilium, qui cùm mira-
bile caſtitatis donum à Deo accepiſſet;
adeò tamen ſolicitè omnia caſtitatis peri-
cula vitabat, ac ſi iuuenili ardore cor eius
vreretur, à quo cum confeſſarius, qui puri-
tatis eius conſcius erat, quæreret, cur tanto
ſtudio omnia caſtitatis pericula vitaret,
cùm tam præclaro caſtitatis dono præditus
eſſet; *quoniam*, inquit, hoc mihi donum à
Deo cõtigit, ac proinde maxima cura omnia

Cordis munditiès cuſtodienda.
Cant. 3. 7. 8.
Gen. 3. 24.
Climacus.
Mens à prauis cogitationibus cuſtodienda.
2. Reg. 4. 5.
Aug. lib. confeſſ. c. 6.
Hier. ad Nepotem.
In prima par. Cron S. Franciſci.
Caſtitas vigilantiſſimè ſeruanda.

R pu-

pudicitiæ pericula deuito: quod ſi non facerem, fortaſſe non eo, quo nunç mihi Dominus præſenti numine adſpiraret.

Quod ſola fuga luxuriæ incitamenta vincantur.

DOCVMENTVM II.

A

ERGO quotieſcunque animus luxuriæ motibus tangitur, non detur immundæ cogitationi locus, ſed per obliuionis remedium ducatur in contemptum: & quomodo in eo, qui ſemper vtitur inſidijs, nulla prorſus ſunt commiſcenda colloquia; ſic neque cum immundis cogitationibus carnis ſunt tractanda conſilia: quod facilè aſſequi poterimus, ſi, vt B. Paulus Corinthios docet, fugiamus. ſic ille: *Fugite fornicationem*. Et Auguſtinus: *Contra libidinis impetum*, inquit, *apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam*: nam & idem alibi: *cætera vitia pugnando vinci ſolent, ſola libido eſt, quæ fugiendo potius, quàm pugnando ſuperatur*. Vincuntur aliorum vitiorum tentationes reſiſtendo, quia quanto magis homo ſingularia conſiderat, & tractat, tantò magis cognoſcit in eis non delectationem, ſed afflictionem animi reperiri. Quare Auguſtinus refert de quodam milite, qui ex vanitatum mundi conſideratione hæc ſocio ſuo habuit: *Dic quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris, quò ambimus peruenire? quid quærimus? cuius rei cauſa militamus? maior ne eſſe poterit ſpes noſtra, in palatio, quàm vt amici Imperatoris ſimus? at ibi quid non fragile, plenumque periculis? & per quot pericula peruenitur ad grandius periculum?* Ecce ex ſingulorum affectuum mundanæ dignitatis conſideratione, quantam adeptus ſit cognitionem; ſic enim mundo renuntians, mundi etiam incitamenta ſuperauit, quod non facilè aſſequitur, qui fugæ ſe dedit: nam is Agag in carcerem trudit, non occidit: ſecurim ad ramos ponit, non ad radicem: aluum exſiccat in riuis, & non in fonte: quare facilè iterum & fluunt, & pullulant. Ideo refert Caſſianus, quòd dum in eremo tentationem acediæ ſe fugiendo ſuperaſſe, Abbati Moyſi viro ſanctiſſimo retuliſſet, ait illi Abbas: non eam viciſti, ò fili, ſed maiorem ei aditum tribuiſti: grauius enim te, vt fugitiuum, & deſertorem, aduerſarius oppugnabit, quem de conflictu ſuperatum protinus aufugiſſe conſpexit: niſi de cetero commiſſa congreſſione, non deſertione cellæ, ſed tolerantia potius, & conflictu didiceris triũphare. Verùm tentatio carnis, quia, vt S. Thomas ait, experientia teſte, tantò magis incenditur, quanto magis de ea particularia conſiderantur; non reſiſtendo, ſed cedendo, & fugiendo vincenda eſt: arduũ enim nimis eſt deuitare telum, quod blandè iacitur: nam peſtis blanda eſt luxuria, vt Seneca ait: *minus enim malum eſt dici*, aiebat quidam noſtri temporis miles, vulgò, il Piccinino, nuncupatus: *Piccininus hic ſe à bello ſubtraxit, quàm hic victus iacuit*. haud enim turpe eſt fugere, quoties expedit hoſti dare locum. Hinc Antigonus Imperator, vt refert Plutarchus, cùm aliquando cederet hoſtibus imminentibus, ſe nequaquam fugere, ſed vtilitatem à tergo ſitam quærere dicebat. Et Horatius ille inter milites Romanos non infimæ laudis, dum, ſicut refert Liuius, amiſſis duobus fratribus, ſolus contra tres Curiatios multis plagis vulneratos, pro patria certamen haberet, vt eorum pugnam ſegregaret, prudenti ſtratagemate fugam excogitauit, & victor euaſit: nam cùm aliquãtulum ſpatij ex eo loco, vbi pugnabatur, aufugiſſet, & reſpiciens vidiſſet inſequentes hoſtes, magnis interuallis ſegregatos, magno impetu in eum ruit, qui non procul abſcederet, quo cæſo, ſecundum, & tertium diſiunctum ſuperauit. Sic ſanè militi euenit Chriſtiano, dum luxuriæ tentationes fugiendo ſuperare contendit; vel enim fugienti ſibi inſequentes cedunt, vel facilè diuiſæ ſuperantur. Quare, vt Ambroſius ait: *Glorioſa hæc fuga eſt fugere à facie peccati*. Sic fugit Iacob matre ſuadente: ſic fugit Moyſes à facie Pharaonis: ſic fugit Dauid à facie Saulis, & Abſalonis: & Auguſtinus; *Tibi verecundum non ſit fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere*.

Margin notes: 1.Cor. 6.18 — Aug. ſer. 250. — Idem lib. de honeſt. mulier. c. 1. — Fuga de impudicitia triumphat. — B — Aug. lib. 8. confeſſ. c. 6. — C — Caſſian. Inſt. lib. 10. c. 25. — Vitia fugientes grauis inſequuntur. — S. Tho. 2. 2. q. 35. ar. 1. ad 4. — Senec. trag. 8. — D — Plutarch. in Apophteg. — Tit. Liu. li. 1. Dec. 1. — E — Ambroſ. li. de fuga ſeculi c. 4. — Aug. vbi ſup. ſerm. 250.

Quòd ad euitandam fornicationem, eius ſint occaſiones fugiendæ.

DOCVMENTVM III.

A

CVM itaque vix aliquem reperire poſſimus, qui diligenter iuxta Tobiæ præceptum attẽdere ſibi poſſit à fornicatione aliter, quàm fugiendo, danda opera nobis eſt, vt diligenter ea perſequi curemus, quę nos quoquo modo iuuant, ea ſcilicet omittendo, quæ talem fugam retardant, eaque committendo, quæ illam accelerant. Cęterùm cùm vix quidquã magis eam cohibeat, quàm malorum occaſiones, in primis cauendum nobis eſt, vt generatim occaſiones omnes prauas deuitemus, quæ licèt minimæ, licèt paruæ ſint, ſemper tamen graue, & maximũ malũ in animã inducũt. Nã paruus licèt fuerit peſſulus oſtij ſpõſæ: ſpõſi tamen ingreſſum prohibuit: licèt

Cant. 5.6.

par-

Dan. 2. 35 paruus eſſet lapis ille, qui à monte ſine manibus abſciſſus eſt, ſtatuam tamen maximam deuaſtauit: profunda licèt ſit ſpelunca Dalmatiæ; in illam tamen ſi paruus iaciatur lapis, denſiſſimas emittit nebulas,
B quæ aerem totum obſcurant: ſic leuis licèt ſit occaſio, impedit tamen diuinæ gratiæ aduentum in animam, eamq́; diſſipat, adeoque perturbat, vt etiam horribilem in ea excitet tempeſtatem. Præcepit olim Deus primo noſtro parenti, ne comederet de ligno ſcientiæ, dicens: *ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas*. ſed cùm ſerpens omnium animantium callidiſſimus, à muliere exquireret, cur dederit illis Dominus tale præceptum, reſpondit illa: *praecepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur*. quia cùm eſſet *lignum bonum ad veſcendum, pulchrum oculis, aſpectuque delectabile*, ipſa verò mulier fragilis, optimè nouerat, facilè fieri poſſe, vt inde occaſionē captaret, diuinum præceptũ tranſgrediendi, ſi illud vix etiam attingeret: idcirco de ſuo addidit, & ne tangeremus. Deus enim nec aſpectum, nec tactum, nec eſum tantum prohibuerat. Eadem ratione præcepit Deus
C Abraham, vt iuxta Saræ placitum ancillam, & filium eius eijceret; ne ſi vnum innocentē retineret, alter nocens inde redeundi arriperet occaſionem. Prohibuit & Hebræos in paſchali ſolemnitate fermentum comedere, & ne anſa præberetur violandi præceptum, nec eos voluit illis diebus fermentum domi retinere, ſic *ſemper*, inquiens, *diebus azima comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus veſtris*. Prohibuit aſcenſum montis Sinai, vtque omnis tranſgrediendi occaſio deuitaretur, nec montis radices voluit attingi. Nazaræis vinum vetitum eſſe voluit. & ne ex vuarum ſapore occaſionē ſumerent illud bibendi, vuas quoq; prohibuit; tali ratione nos edocens, non ſolùm rem vetitam relinquendam, ſed & omnia, quæ nos ad illā alliciũt: etenim occaſiones, licet paruæ ſint; ſemper tamen ita impediunt caſtitatis bonum, vt in illis poſiti haud vnquam illā acquirere, vel adeptam ſeruare valeamus. Ete-
D nim ſicut ignis non comburit lignum, niſi remota ab eo humiditate, & frigiditate, nec forma inducitur in materiam, niſi ab eadem remoueatur contrariæ formæ diſpoſitio; ita non inducitur in animam habitus caſtitatis, vel cuiuſuis alterius virtutis, niſi remotis impudicitia, eiuſq́; prauis occaſionibus: vt enim Amos ait: *nunquid currere queunt in petris equi?* quòd ſi contingat eos in petris currere abſque eo, quòd impingāt, caſui magis, quàm prudentiæ adſcribendum eſt. Quare cùm ſint occaſiones impedimenta uirtutis, qui per illas currit, ſi nec impingit, nec cadit, non ſuæ prudentiæ, ſed diuinæ dandum eſt miſericordiæ; unde & poenam ſem-

Gen. 2. 17.

Gen. 3. 3.

Occaſio peccati dux.

Geneſ. 21. 10.

Exodi 12. 15.

Occaſiones peccatorum impedit Deus.

Amos 6. 13.

per ſuæ negligentiæ dare debet, cùm per eum non ſteterit, quin caderet. Atque ideo conſul ille Romanus obuius factus filio, ubi illum prope Capuam de uictoria hoſtium triumphantem aduentare cognouit, non modò eum non laudauit; ſed poena capitis plexuit, quòd uictoriam, nec iuxta ſuum præceptum, nec militaris diſciplinæ rationem attentaſſet. Etenim, ut Sapiens ait: *qui amat periculum, in illo peribit*: quia licèt occaſio peccatum non ſit internum, eſt tamen externum, quod animam obſidet, & capit, ab Apoſtolo *circumſtans nos peccatum* dicta: & licèt non ſit mors, eſt tamen vmbra mortis, in qua qui manet, ex illis eſt, qui in tenebris, & *in vmbra mortis ſedent*. Et tandem licèt fur non ſit, qui ingreditur ſpolians, eſt tamen, vt Oſeas dicit, *latrunculus foris*. Si itaque liberari vis à peccato, occaſionem fuge peccati. quod exemplo ſuo B. Petrus nos docuit, qui vbi aulam ſui caſus occaſionē præbuiſſe animaduertit, vt à peccatis ſibi deinceps caueret, *exiuit foras, & fleuit amare*. Magdalena, quę, vt omnes occaſiones peccati tolleret, oculos ſuos afflixit, capillos neglexit, delicias omnes reiecit, & *ſtans retro ſecus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui terſit, & unguento ungebat*. Nam ſicut Rex Salomon, cùm primum poſſeſſionem regni adeptus eſt, Adoniā, Ioab, aliosq́; omnes de medio ſuſtulit, quos nouit ſibi fuiſſe aduerſarios; idque, ne qui iam ſibi regnum impedire tentauerant, in poſterum aliquo modo perturbarent. Et principes munimenta omnia populorum ſubditorum tollunt, ne defenſionis occaſionem aucupentur: ſic ſancti viri, & quicunque è peccato exire, & gratiam Dei adipiſci exoptant, ea omnia, quæ ſcandalo ſibi fuerunt, vel eſſe poſſunt, omni diligentia vitant. Hinc Dauid Dominum deprecatus eſt, dicens: *Viam iniquitatis amoue à me*, hoc eſt, rogo Domine, vt non modo me à peccato liberes; ſed etiam ab occaſione peccati, quæ via eſt iniquitatis: Idcirco *diſrumpamus*, ait alibi, *vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum*. haud ſatis eſſe docens, à peccatis recedere poenitendo, aut iugum ipſorum deponendo, cùm remanētibus vinculis, facilè contingere poſſit, vt iterum à dæmone vinciamur, eorumq́; iugo iterum ſubiiciamur; ſed inſuper diſrũpenda ipſorum eſſe vincula, & iugum longè à nobis proiiciendum. Abraſerant enim Philiſtæi Sāpſonis capillos, in quibus Dominus eum fortè effecerat; at quia nō radicitus eos euulſerunt, creſcentes priſtinā reddidere fortitudinem. Radicitus euellenda peccata, ſi iterum renaſci nolumus; attendendumq́; nobis eſt, ne qua radix, vt Beatus Paulus ait, amaritudinis ſurſum germinans remaneat Qui ſub confractis habitat tectis, ſi dum H

Qui occaſiones peccatorum non fugit poenam ſoluere debet peccati.
E

Eccli. 3. 27

Hebr. 12. 2

Luca 1. 79

Oſea 7. 1.
Occaſio latrunculus.
Matt. 26. 75.
Luc. 22. 62.
F
Luc. 7. 38.

Pſ. 118. 29
G
Occaſio ad peccatum via.
Pſal. 2. 3.

Occaſio hominē in ſua damna proclivem reddit.

pluit illabentes guttas varijs in vaſibus re-
cipere curat, vt extra domum eijciat, benè
quidem facit: at nunquam conſultum erit
domui ſuæ, niſi tectum inſtauret; ſic bonum
eſt mente concipere odium peccati, illudq́.
per confeſſionem eijcere; at nunquam benè
nobis prouidebitur, niſi tectum inſtaure-
mus, locumq́. claudamus, per quem aqua
peccatorum intrat: non enim qui importu-
nas hirundines è domo ſua vult eijcere, ſat
ſibi eſſe putat, ſi eas bis, aut pluries expellat,
niſi earum nidum diſſipet: naſcitur triticum
in terra ſatum, niſi ab illo, formicarum exem
plo, partem germinalem decutias; auferen-
dæ occaſiones, ſi non vis germinari pecca-
tum. Cuncti greges, vt præcepit Deus Iſ-
Exod. 12. 20. raeli, educendi nobiſcum ab Aegyptiaca
ſeruitute, nec remanere debet ex eis vngu-
I la ſub ditione Pharaonis: & ſicut Loth egreſ-
Gen. 19. 12 ſus eſt à Sodoma cum tota familia, ne eo-
rum amore ad illam regredi cogeretur; ſic
nos de Sodomis, & de poteſtate Pharaonis,
ita egredi debemus, vt nihil relinquamus,
quod nos iterum ad regreſſum alliciat. Per-
1. Reg. 15. 5. cutiendus eſt Amalec, & vniuerſa eius bo-
na demolienda: vitulus peccati, quod ado-
rauimus, comburendus, & conterendus vſq;
ad puluerem, vt fecit Moyſes de vitulo, quē
Exod. 32. 20. adorauerant filij Iſrael: eijcienda ancilla, &
filius eius, vt Dominus Abrahæ pręcepit, pec
Geneſ. 21. 10. catum ſcilicet, & occaſio peccati. Quod &
ipſi nos Ethnici docuerunt. Cotys, vt nar-
Plut. in apophtegm. rat Plutarchus, cùm natura eſſet iracundior,
& eorum, qui in miniſterijs deliquiſſent,
L Occaſio exigua declinata impedit grande peccatum. aſperrimus caſtigator, vaſa fictilia tenuia
quidem, & fragilia, ſed cælaturis quibuſ-
dam, & ſculpturis politè, eleganterque
elaborata dono ab hoſpite accepta, ſimul
omnia confregit, ne ſibi poſtea in eos, qui
illa fregiſſent, animaduertendum eſſet.
Proh mirum? ne in latrones incidamus,
eorum omni ſolicitudine deuitamus ſpe-
luncas, & peccatorum occaſiones, quæ de-
monum ſpeluncæ ſunt, aſpernabimur? A
lubrica via, in qua facilis ſit lapſus de-
clinamus; & ab occaſione, quæ lubricum
eſt peccatum, non recedemus? Fugiunt cer-
Plin. lib. 25. c. 6. ui, teſte Plinio, latratu canum audito ſe-
cunda ſemper aura, vt veſtigia cum ipſis
abeant; nos verò peccatum fugientes, quæ
illud ad nos ducunt, veſtigia non delebimus?
hæc quæſo deleamus veſtigia: hoc fugiamus
libricum: hanc deuitemus ſpeluncam la-
Helinandus apud S. Antoninum lib. 5. ſumm. hiſt. tit. 23. lib. 6. S. 4. tronum. Nam, *Vis extinguere libidinem?*
ait Helinandus, *amouenda tibi ſunt ligna*
de igne, Eſt tentatio carnis ignis, quia, *vt*
Gregorius ait, *more ignis libido ſuccendi-*
Greg. in 1. reg. c. 15. *tur*: ligna ſunt occaſiones, quæ tamen cu-
iuſmodi ſint, quaſque deuitare præcipuè de-
beamus, reſtat, vt narremus.

Quòd ad fornicationem euitandam, otiam ſit fugiendum.

DOCVMENTVM IV.

LICET innumerabiles ferè A PP in Cathechiſ. Rom. par. 3 præcep. 6. in fin.
ſint occaſiones, quæ homines
in libidinem, & fornicationē
præcipitare poſſunt, potiſſimę
tamen ſunt ex PP. otium, cra-
pula, oculus, malorum, & præ-
cipue mulierum conſortium, impura locu-
tio, libri obſcœno argumento conſcripti;
molliores cantus, & vanæ ſaltationes. *Hæc* Occaſiones fornicationis.
enim, inquiunt, *ſi magno adhibito ſtudio, cu-*
raq. vitentur, omnis ferè libidinis materia
tollitur. Primum itaque, quod nobis euitā-
dum eſt, ſi iuxta Tobiæ præceptum, & Patrū
monita attendere nobis ipſis velimus à for-
nicatione, otium eſt, in quo Sodomitæ homi
nes, vt eſt apud Ezechielem, cum hebeſcerēt, Ezech. 16. 49.
in fœdiſſimum etiam illud nefariæ libidinis
ſcelus præcipites lapſi ſunt: nam quemad-
modum, vt poëta ille cecinit:

Fertilis aſſiduo ſi non renouetur aratro Ouid.
Nil niſi cum ſpinis gramen habebit ager.

ſic natura humana, niſi aſſiduo cultu vti- B
lium, ac ſalutarium occupationum exer-
ceatur, & quodammodo fatigetur, aliud ni-
hil producit, niſi turpium cogitationum, &
actionum fruges, in ſe enim iam vſque ab
ortu ſemina habet concupiſcentiæ, quæ ma-
gnam in luxuriam ſe per otium effundunt.
tantam quippè miſeriam, & naturæ huma- Otioſus animus vitia producit.
næ corruptionem peperit primorum paren-
tum lapſus, vt quemadmodum nulla cultu-
ra prouenium lolia; ſic, ad turpiſſimi fœ-
tus conceptionem, nihil aliud requiratur,
niſi vt animus quieſcat, & otietur. Ete-
nim ſicut abſente calore vitali, celerrimè
caro computreſcit, ſic homo nullo ad occu-
pationes honeſtas animi calore impulſus,
in vitij alicuius putorem vt incidat, ne-
ceſſe habet: quorum primus, & facillimus C
erit intemperantiæ, ad quem nullo etiam
duce, vel comite ſua ſponte natura corru-
pta defertur. *Sicut enim aqua*, inquit
Laurentius Iuſtinianus, *quæ caret decur-* Laur. Iuſtin. de grad. perfect. c. 9.
ſu, & iacet in foueis, puteſcit, & hu-
mano vſui aliena efficitur, repleturque
animalibus venenatis, & nexijs; ita &
corpus otij tabe confectum, concupiſcentia-
rum, ac voluptatum carnalium parit, &
nutrit inſaniam, quià, vt ſapienter do-
cuit Theodoricus Gothorum Rex, teſte Caſſiod. lib. 1. var. epiſt. 40.
Caſſiodoro, *ſicuti duris laboribus inſtrui-*
tur humana natura, ita per otia torpentia
infatuatur. Vnde quomodo ſi fatuorum
hoſpitium intrares, & miſerè varios varijs
fatuitatibus oppreſſos cerneres, alios audiēs
Reges, Imperatores alios, alios doctores,

poetas alios ſe exiſtimantes,id quidem iuxta inſaniæ varietatem , vel varios defectus cerebri contingere aſſeuerares ; ita ſi varias

D

Magiſtra vitiorum eſt otioſitas. Eccli. 33. 29.

mortalium infirmitates, & fatuitates conſideres, ſuperbias, odia,rixas , & cætera huiuſmodi, vnum otium eorum eſſe cauſam reperires ; *multam enim malitiam* , vt ait Sapiens, *docuit otioſitas* . Quare, ſicut Ariſtophanes paupertatem vtilium omnium laborum inuentricem , & magiſtram dicit; ſic ſanè nos otioſitatem tanquam magiſtrã omnium vtilium operationum cathedram docentium aſcendiſſe dicere poſſumus. Bella enim, & negotia animos reuocant à voluptatibus, ſi quid in illis ſit mentis,pax verò,& ſecuritas reuocant ad eaſdem , etiam ſæpe præſtantiſſimos . Quemadmodum de Alcibiade Cliniæ Athenienſis filio referunt Aemilius,& Plutarchus , qui licèt fuerit in laboribus ſummus Imperator,mari, terraq. diſertus, laborioſus, patiens, liberalis,ſplẽdidus,in vita atque victu affabilis,blandus,

Ariſtoph. in ſuo pſalt.

Aemilius. Plutarch.

E

temporibus callidiſſimè inſeruiens ; vbi tamen à laboribus feriare cœpit , luxurioſus, diſſolutus, libidinoſus, intemperatus ita effectus eſt , vt omnes mirarentur in vno homine tantam morum diſſimilitudinem eſſe potuiſſe. De Alexandro Magno illo bellatore egregio,orbiſq. vniuerſi domitore dicit Curtius: *Vt primum inſtantibus curis laxatus eſt animus Alexandri, militariũ rerũ, quàm quietis,otijq. patientior, excepere eum voluptates,et quem arma Perſarũ non fugarunt,vitia vicerunt*. Sic luxurioſos euaſiſſe Athenienſes poſt mortem Epaminundæ,qui eos variè exercebat, refert Iuſtinus. Marcus etiam Antonius triumuir,in re bellica abſtinentia, labore , ac fortitudine ; in otio verò luxuria, tumulentia , ac libidine , Plutarcho teſte,omnes ſuperauit.

Q.Curt.lib. 5

Otium victores Heroas ſuperauit.

Iuſtin.lib. 6.

Plutarch.

F

Quod etiam Emmanueli Commeno Græcorũ Imperatori contigiſſe refert Nicetas. Quin & Romanos non niſi poſt deuictam Carthaginem luxurijs, & ſeditionibus indulſiſſe referũt varij ſcriptores. Et Saluſtius ait: *Ante Carthaginem deletam populus Romanus placidè,modeſtèque inter ſe Rempublicam tractabant , neq; gloriæ , neq; dominationis certamen inter ipſos erat,metus hoſtilis in bonis artibus ciuitatẽ retinebat;at ubi illa formido mentibus diſceſſit,laſciuia,atque ſuperbia inceſſere : talia ſunt enim,quæ res ſecundæ amant* . *Remoto Carthaginis metu*,ait Valerius, *ſubiectaque imperij æmula, non gradu,ſed præcipiti curſu à virtute deſcitum,ad vitia trãſcurſum , in ſomnũ à vigilijs,ab armis ad voluptates , à negotijs in otium conuerſa eſt ciuitas Romana*.

Niceta lib.7 Lucius Florus lib. 2. c.11. Plutarch. in moral. de capiend. vtilit. ab inim. Saluſt. lib. de bello Iugurt. Valer. pater Craſ. lib. 2. Rom. hiſt.

Quæ cum prænidiſſet ſuæ Reipublicæ mala Naſica ille Scipio,vt refert S.Aug. nolebat æmulam Imperij Romani Carthaginẽ dirui , & decernenti , vt dirueretur, contradicebat Catoni, timens infirmis animis hoſtis ſecuritatem , & tanquam pupillis ciuibus idoneum tutorem neceſſarium videns eſſe terrorem . *Auarus verò,luxurioſuſque*, inquit Auguſtinus , *ſecundis rebus effectus eſt*,populus ſcilicet Romanus, *quas Naſica ille prudentiſſimè cauendas eſſe cenſebat , quando ciuitatem hoſtium maximam , fortiſſimam,opulentiſſimamq. nolebat auferri , vt timore libido premeretur , libido preſſa non luxuriaretur,luxuriaque cohibita , nec auaritia graſſaretur* .

Aug.de ciuitate Dei c.30 31.

Otium ciuitates ſubegit.

G

Aug.ibid. c. 31.

Hinc celebrat Aelianus factum apud Chios . Cùm enim Chij grauiſſimo ſeditionis morbo laborantes , tumultum inter ſe excitarent ; quidam nomine , vt ait Plutarchus , Onodemus, inter illos homo natura ciuilis , & pacis amator, eos alloquutus , qui omnes amicorum ſuorum aduerſarios ex vrbe eijcere moliebantur , ait ; *Nequaquam , ſed cùm victoriam obtinuerimus , relinquamus aliquos , ne procedente tempore non habentes aduerſarios , nobis ipſis mutuum bellum inferamus* .

Aelian.li.14. de var.hiſt.

Plutarch. de pietate erga fratres.

H

Hier. ep.4.d. 1.tom.1.

Quare , vt Hieronymus ad Ruſticum ſcribit : ſi tibi ipſi attendere à libidine optas iuxta Tobiæ præceptum , *ſemper aliquid boni operis facito, vt te diabolus inueniat occupatum* . Sanè antiquitus apud quoſdam barba promiſſa prohibebatur , ne per illam ab hoſtibus in conflictu milites apprehenderentur : hanc barbam otium dicere poſſumus, per quam hoſtis noſter diabolus nos apprehendit, & ſuperat : vnde B. Paulus ad Epheſios : *nolite*, inquit,*locum dare diabolo*,barbam hãc promiſſam habentes : *neq; enim* , vt ait S. Thomas , *facile capitur à tentatore , qui bono vacat exercitio* .

Eph. 4.27.

S.Tho. de regim.princ. li. 1.c.12.

Eſt Sancta occupatio,veluti murus noſtræ ciuitatis interioris, qui diſſipatur ab otio , aditum intrandi diabolo præſtat : qui ait : *aſcendam ad terram abſque muro , veniam ad quieſcentes , habitantesque ſecurè* : quia ſicut ſagittarius aues telo non traijcit ,niſi quieſcentes ; ita neque nos aduerſarius noſter , niſi ſancta occupatione vacuos . Sic Dauidem Regem tunc ſolum ictũ fuiſſe legimus quando domi otioſus demorabatur . *Factum eſt autem* , inquit ſacra Scriptura , *vt eo tempore, quo ſolent reges ad bella procedere , Dauid remanſit in Ieruſalem, cumque ſurgeret de ſtrato ſuo poſt meridiem , & deambularet in ſolario domus regiæ , vidit mulierem ſe lauantem , & miſſis nuntijs tulit , eam* , ſic enim otium , & abundantia poteſtatis cum fecere adulterum .

Diabolus otioſos aggreditur.

Ezech.38. 11.

I

2.Reg. 11. 1.

Plurimos in ſeculo aſpexi , inquit Iſidorus , *ſolicitudinibus , & curis, occupationibuſq. ex vigilijs mundanis proprij corporis inſanos motus fugiſſe , eos ipſos tamen eum exutis curis omnibus ad monaſticam vitam conuolaſſent , turpiter , atque miſerabiliter corporis commotione ſordidatos* . Quare vt idem infra ait : *Dei ſeruum ſine intermiſſione legere , orare , & operari , ne forte in mentem otio de-*

Iſid.de ſum. bon.li.3.c.20

L

R 3 di-

ditam ſpiritus fornicationis ſubrepat, cedit enim labori voluptas, animum autem vacantem citò præoccupat.

Prou. 31. 10. Hinc Salomon: *mulierem fortem quis inueniet*? quaſi dicat nullus: at perinde ac ſi ipſe inueniſſet, ſubiungit: Prou. 31. 13. *Quæſiuit lanam, & linum, manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum, & panem otioſa non comedit*, Mulier fortis quæ. Significans his verbis nullam reperiri mulierem fortem, & in virtute conſiſtentem: quare vertit Pagninus *mulierem virtutis quis inueniet?*) Pagninus in regys. quæ otioſa viuat, ſic antiqui fœminam caſtam ſignificantes, illam cum colo, & fuſo depingebant, vt Cæciliæ contigiſſe refert Pierius, Pierius. M quam in templo collocarunt: & Pelignus poëta caſtitatem Lucretiæ celebrans, de Tarquinio ſic eloquitur:

Ouid. *Inde cito paſſu petitur Lucretia, cuius.*
Ante torum calathi, lanaq. mollis erat.

Labor caſtitatis patronus. Et ad commendandam caſtitatem Claudiæ Romanæ in eius ſepulchro inciderunt: *Caſtè vixit, lanam fecit, domum ſeruauit*, ſignificantes, non potuiſſe non caſtam eſſe, quę panem otioſa non comedit.

Sed tunc maximè periculoſum eſt otium, quando abundantiæ coniūgitur, quod vt Dominus Ieremiæ ſignificaret, lumbare in Euphrate poſitum breui computruiſſe manifeſtauit: etenim lumbare ſubcingulum ſatis amplum, quo lumbi præcinguntur, antiquitus ſymbolum caſtitatis fuit, quod & Dominus ſignificans dixit: Luca 12. 35. *ſint lumbi veſtri præcincti. Tunc enim lumbos præcingimus*, Greg. hom. 13 in Euang. ait Gregorius, *cum carnis luxuriam per cōtinentiam coarctamus*. Euphrates verò ex N Hieronymo abundantiam ſignificat. Quamobrem vſque adeò, teſte Caſſiano, exercitationem neceſſariam ſibi crediderunt ſancti Caſſianus. illi priſci patres, vt cum ea opera, quæ toto anno elaboraſſent, diſtrahere propter locorum diſtantiam minimè poſſent, finito anno labores omnes ſuos traderent, denuoque noua opera molirentur, quæ quamuis ad vitæ vſum minimè neceſſaria forent; ad cādorem tamen animæ ſeruandum maximè conducebant. Ita cum aliquando, vt docet Herodotus. Herodotus, quidam à Gerardo Spartiata quæſiſſet, qua pœna à ſuis conciuibus plecterentur adulteri; Gerardus non reperiri apud Spartiatas adulteros reſpondit: addidit ille, & ſi eſſent? reſpondit: bouem in pœnam ſolueret, qui in vertice Tauri montis O poſitus in Eurotam fluuium ad radices eius ſitum, bibere poſſet: Quod cum ille reperiri non poſſe reſponderet, & fieri non poteſt, ait ille, *Spartiatas laboris, & paupertatis amatores adulterari?* Cauendum itaq; attente nobis eſt ab otio, ſi fornicationem omnem vitare volumus: nam vt poëta ille cecinit.

Ouid. de remed. vxor. *Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus,*
Extinctæq. iacent & ſine luce faces.

Quàm platanus riuo gaudet, quàm populus vnda;
Et quàm limoſa canna paluſtris humo:
Tam Venus otia amat.

Quòd ad fornicationem fugiendam crapula, & ebrietas vitanda ſint, ieiuniumque amplectendum.

DOCVMENTVM V.

EST deinde cauendum à crapula, & ebrietate, vtpote continuò libidinem, ipſarum filiā excitantibus. *Saturaui eos*, A inquit Dominus, *& mœcati ſunt, & in domo meretricis luxuriabuntur, equi amatores, & emiſſarij effecti ſunt*, Ierem. 5. 7 quales nimirum equi eſſe ſolent, vt explicat R. D. Kinchi, quibus data eſt eſca multa in nocte, & ſaturati ſunt R. D. Kinchi in Ierem. pro ſuo deſiderio, qui manè egrediente, hinniunt, emiſſarij nomen putans aduerbiaſcere, deductum à verbo שכם, ſacan, quod Crapula libidinem prouocat. eſt, mane: ſic homines, qui ciborum varietate, & copia ſunt ſaginati, infanda feruntur libidine, belluinoq. ardore, quaſi equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, acti, faciliimè in libidinem ruunt. Hinc Nilus: *Noli*, inquit, *corpus pingue facere: nam ſi vires recuperabit, in te conſurget, teque tandiu bello vexabit, quoad animam captiuam reddat, luxuriaq. dominationi ſubijciat*, Nilus orat. 1. aduerſus vitia. Caſſiano teſte, *eſcis repletus venter ſeminarium luxuriæ parit*. & Hieronymus, *eſus*, inquit, B *carnium, & potus carnis, ventriſque ſaturitas ſeminarium libidinis eſt*. Caſſian. lib. 1. de inſtit. monaſt. c. 6. Hier. lib. 2. contra Iouin. c. 6. ſicut enim qui vineam, vel arborem conſtituere ſtatuit, ſeminaria prius facere debet, ex quibus dein de arbores in aliam terram transferantur, ſic diabolus volens arborem, & vineam iniquitatum in nobis conſtituere, ventrem aptiorem ad huiuſmodi munus, velut terram eligit, in eoq. varietatem, & multitudinem ferens ciborum, vitia ex arbore concupiſcentiæ orientia, in mentem transfert; neque enim gubernacula rationis moderari valet mens ciborum pondere præfocata. Quare Gregorius ventrem principem coquorum eſſe dicit, qui muros Ieruſalem deijcit. Greg. curæ paſt. parte 3. admonit. 20. *Princeps namque coquorum*, inquit, *venter eſt, cui magna cura obſequium à coquis impenditur, vt ipſe delectabiliter cibis impleatur; muri autem Ieruſalem virtutes ſunt animæ ad deſiderium ſupremæ pacis eleuatæ. Coquorum itaque princeps muros Ieruſalem deijcit, quia dum venter ingluuie extenditur, virtutes animæ per luxuriam deſtruuntur.* 4. Reg. 25. 7. Ex. de purg. C Abſtinendum ergo à crapula illis eſt, qui & à fornicatione abſtinere volūt. & ieiunijs eorum caro domanda, ne recuperatis

Aug. ſer. 230. de tempore.

Ieiunii ad caſtitatẽ tuendam vtilitas.

ratis viribus, conſurgere contra ſpiritum valeant. *Ieiunium enim carnem ſubijcit*, inquit Auguſtinus: *concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verum lumen accendit*. Sic Daniel, & ſocij ieiunijs fornacis mitigauerunt ardorem. Et de quadam perpulchra, & nobili muliere, quæ abſente marito, varie à quãpluribus peccato, & ad peccandum illecta, caſtiſſimè diu reſtitit, refert ſpeculi exemplorum auctor, quòd cum pro acceptis victorijs audacior effecta, liberior viueret, nõ multo poſt miſerè quendam Dogmarum nomine iuris vtriuſque doctorem, turpiter adamare cœpit, cumq. vehementi æſtu concupiſcentiæ ageretur, neſciretq. modum, quo conceptam explere poſſet libidinem, eum fronte meretricia miſſis nuntijs, ipſius fingens ſe egere opera, ad ſe introduxit, adulterumq. detexit amorem. At continentiſſimus cùm eſſet Dogmarus, miſerabile ducẽs tantum ſuæ ciuitatis decus, tam indebitis amoris procellis agitari, vt & ſe ipſum ab illa expediret, & illius ſimul mederetur infirmitati, ſe finxit per annum vouiſſe pane tantùm, & aqua ieiunaturum, ob neſcio quã ſeditionem, à qua mire ſe ereptum dicebat: quo non expleto, ſe neque illi, neque alij mulieri ex voto ſatisfacere poſſe dixit. At, inquit, cùm non niſi ſexaginta mei ieiunij dies ſuperſint, quos etiam iuxta formam voti per aliam ſupplere perſonam valeo, ſi tu me amas, dimidiam eorum partem pro me ieiunandam ſume; his enim diebus expletis, ſimul erimus: quam conditionem mulier amoris impatiens cùm promptè excepiſſet, ieiunium cœpit, à quo ita poſt paucos dies mortificata eſt, vt ad ſe rediens, vehementer doluerit de concepto, & mente patrato ſcelere, cumq. etiam ſimul cognouiſſet, ieiunium ad medicinam ſibi à prudenti viro datum; hæc ad eum accerſitum habuit: Gratias tibi ago ſapientiſſime virorum, qui, & honori meo, & pudori prouidiſti, vale, & me tibi debitricem teneto, quia tuo conſilio deferbuit ardor, & marito reuertenti me caſtam ſeruaſti. Quomodo enim fame ferociores domantur equi; ita caro noſtra, quæ impinguata recalcitrat, ieiunijs domita manſueſcit: *ſi iumento inſideres*, inquit Auguſtinus, *ſi equo vtereris, qui gemendo te poſſet præcipitare, non ne, vt ſecurius iter faceres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quem fræno non poſſes? Caro mea iumentum meum eſt, iter ago in Ieruſalem, plerumque me rapit, & de via conatur excludere: via autem mea Chriſtus eſt, ita exultantem non cohibeo ieiunio?* Hæc Auguſtinus. Sic Paula, vt Hieronymus ait, laſciuientem adoleſcentularũ carnem crebris, ac duplicatis frangebat ieiunijs, mallens eas ſtomacho dolere, quàm mente. Sic & Timotheus timens carnis laſciuiam, adeò ſe à vino, & à quacunque libidinoſa re temperauit, vt propter ſtomachi infirmitates opus illi deinde fuerit vel modico vti vino. Sic illi B. Paulus: *Te ipſum caſtum cuſtodi, noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum, & frequentes infirmitates*. ac ſi dixiſſet: placet quidem, ò Timothee, ſolicitudo, & abſtinentia tua ad caſtitatem ſeruandam; at cùm ſtomacho infirmiore vtaris, te modico ſaltem vino vti decet: quibus in verbis obſeruandum eſt, non permitti ab Apoſtolo vini vſum, niſi modicum propter ſtomachum, & frequentes infirmitates, vt nullo pacto vini abuſum permittere intelligamus: dicit *modico*, vt oſtendat tantum vini bibendum, quantum ad valetudinem tuendam neceſſe ſit. Quatuor enim antiqui, vt refert Laërtius, vini pocula diſtinguebant: primum ad ſitim ſedandam, alterum ad ſobriam hilaritatem; tertium ad voluptatem; quartum ad ebrietatem, & inſaniam: primum tantùm, eumq. non magnum, his, qui caſtè viuere volunt concedit Apoſtolus: dum verò addit *propter ſtomachum, & frequentes infirmitates*, ſignificat, nullo modo dandum eſſe ijs, quibus nulla eius neceſſitas eſt; ſed tantùm illis, quibus eſt neceſſarium ob valetudinem vel tuendam, vel acquirendam: nam quod nitrato pulueri eſt ignis, quod oleum flammæ, quod ligna igni, hoc vinum homini: quare ſicuti nitratus puluis bombarda incluſus, ſtatim ex ignis propinquitate ſuccenditur, bomboque terribili cælum implet, & ſicut oleum flammam auget, atque multiplicat, & ſicut ligna ignem fouent, nutriuntque; ita ex vini potatione voluptas carnis, flamma venerea, & ignis libidinis ſuccenditur, augetur, & conſeruatur. *Vinum*, inquit Hieronymus, *eſt incendium voluptatis, oleũ flamma venerea, & fomenta ignium libidinis*. Item Oceano: *Venter*, inquit, *mero æſtuans, citò deſpumat in libidines, in vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia eſt: qui luxuriatur, viuens mortuus eſt, & qui inebriatur, & mortuus, & ſepultus eſt: Noe ad vnius horæ ebrietatem nudat femora ſua, quæ per ſexcentos annos ſobrietate contexerat: Loth per temulentiam neſciens libidini miſcet inceſtum, & quem Sodoma non vicerant, vina vicerunt*. Hinc & Athenæus dicit, Ariſtophanẽ vocaſſe vinum A'[illegible], ideſt, *lac Veneris*. & poëta ille dixit:

Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.

Id etiam verum eſſe exemplo ſuo docuerunt duo piiſſimi viri, de quibus Vincentius: hi enim dum Babyloniam expetijſſent, vt infideles ad Chriſtum conuerterent, à magno Sultano de eorum conuerſatione, & lege, & præcipue, num à carnibus, mulieribus, & vino abſtinerent, interrogati, reſpondent:

à car-

Henric. Graſſus auctor, qui ſit ſpeculi exẽplorum verbo abſtinentia, exemplo 15.

D

Caſtitatis ſeruatæ exemplum.

E

Caſtitas nobili ſtratagemate cuſtoditur.

Aug. in tract. de vtil. ieiun. tom. 9.

F

Hier. epiſt. 27 c. 10.

1. Timot. 22.

G

Laertius in vita Anacharſi & Apuleius lib. 4. Florid.

Vini parcitas caſtitati conducit.

H

Hier. ad Euſtochium, & Oceano de vnius vxoris viro circa fin. tom. 2.

Vini damna

Athenæus li. 10.

Ouid. de arte.

Vincent. Bel. in ſpecu. mor. lib. 3. par. 9. diſt. 2. circa fin.

Digitized by Google

à carnibus, & mulieribus quidem ex proprio præſcipto regulæ abſtinere; à vino verò nequaquam; tunc ille, quaſi caros habuiſſet, vt eorum experiretur propoſitum, opipara illis ſine vino parauit epulas, & cùm in nocte cubile aſcendiſſent, ad eos imprudentiſſimas duas miſit mulieres, quas cum illi conſtanter reieciſſent, poſt multos dies iuſſit, eorum menſam ſolito abundantiorem fieri, & in ea pretioſiſſimum apponi vinum: quod diu non guſtatum, cum plus ſolito, miſeri bibiſſent, illius nimio calore acti, mulieres in nocte Sultani iuſſu ad eos redeuntes lætiſſimè exceperunt. Ex quo factum eſt, vt à Sultano ignominioſiſſimè repulſi, qui aliorum animas ſaluare curauerant, per crabulam, & ebrietatem ſe ipſos morti æternæ fornicando addixerint. Cauere itaq; maximè à crapula, & ebrietate debent; qui ſibi à fornicatione cauere deſiderant; quod cum probè nouiſſet antiquitas, *mulieres apud Romanos adeo vſque à vino abſtinebant*, ait Tertullianus, *vt matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos, ſui inedia necarint: ſub Romulo verò, quæ vinum attigerat, impunè à Mecennio marito trucidata eſt: idcircò & oſcula propinquis offerre neceſſitas erat, vt ſpiritu iudicarentur. Nolite igitur inebriari vino*, vt B. Paulus ait, *in quo eſt luxuria: attendite vobis*, vt Christus præcepit, *ab omni crapula, & ebrietate* nam teſte Comico, *ſine Cerere, & Baccho friget Venus*.

1

Vinum caſtitatem expugnat.

Mulieribus interdictum.

M

Tertul. in apologetico cont. gentes. c. 6.

Eph. 5. 18.

Luca 21. 34.

Terent. in Eunuc.

Quòd ad fornicationem vitandam oculorum cuſtodia ſit neceſſaria.

DOCVMENTVM VI.

A

EST etiam non leuis fornicationis occaſio oculus: nam cum anima hominis inuiſibilis ſit, & corporearum rerum delectatione minimè tangatur, niſi per corporeos ſenſus, quos quaſi quædam habet foramina ad egrediendum, quibuſq. ea, quæ extra ſe ſunt, cognoſcit, & concupiſcit, vix fieri poteſt, niſi attente ſibi caueat, quin externas mundi pulchritudines incautè per ea proſpiciens, non optet, & optando cor ſuum turpiter non inquinet. *Quiſquis enim*, inquit Gregorius, *per has corporis feneſtras incautè exterius reſpuit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens rapitur, atque obligatus deſiderijs, incipit velle quod noluit, Præceps quidem anima, dum antè non prouidet, ne incautè videat, quod concupiſcit, cæca poſt incipit deſiderare, quod vidit.* Illuſtre eſt in hac re Allipij exemplum, à ſancto Auguſtino relatum, qui cùm à ſcenicis ludis, omniſque ſpectaculorum genere maximopere abhorreret, vix tandè ab amicis aliquando ad theatrum penè per vim adductus eſt, illud identidem repetens: ſi corpus meũ in illum locum trahitis, adeo abſens, oculos, & animum claudam, atque adeò de nobis ſimul ab illis triumphabo. Poſtquam igitur eò ventum eſt, foribus oculorum diligenter obſeratis, animum ad vanitatem videndam egredi ſeuerè prohibuit. Verum feſtiniore populi acclamatione, plauſuque neſcio qua occaſione excitato, victus, & quaſi paratus, quicquid illud eſſet, etiam viſum contemnere, & vincere, aperuit oculos. O memorabile exemplum. *Spectauit*, inquit Auguſtinus, *clamauit, exarſit; & miſer abſtulit inde ſecum inſaniam, qua ſtimularetur videre, non tantum cum illis, ſed etiam præ illis, à quibus erat adductus.* Nunc ad nos, ſi ſpectacula tam crudelia, tam horrenda gladiatorum, & venationum, quibus aut ipſi ſe homines inter ſe barbaro plane modo peterent, occiderent, lacerarent gladijs, pugionibus, fuſcinis, ita animũ, qui talia horrebat, qui inuitus acceſſerat, occupare poterãt, quid mirum ſi cadat homo, dum ea inſpiciat, quæ mira ſuauitate in omnes eius ſenſus ab adoleſcentia ſua per naturam corruptam influunt? ſic videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, filij ſcilicet iuſti Seth filias impijſſimi Cain contra Dei voluntatem *acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Ea propter ſic ira Dei in genus humanum excanduit, vt vniuerſale diluuium ſuper terram effuderit. Princeps Sichen filius Hemor, videns Dinam filiam Liæ, adamauit eam, & rapuit; ex quo deinde raptu eius ſuorumq. omnium mors conſecuta eſt: Sampſon viſa Dina tulit eam ſibi vxorem, repugnante populo ſuo, patre, ac matre, ipſaq. diuina lege. Quare deinde morte violenta interijt: Dauid tulit Berſabeam alienam coniugem: Amon Thamar ſororem: Senes illi iudices populi caſtiſſimam Suſannam conati ſunt ſubuertere, & tandem vix vnus fuit, qui oculorum feneſtras incautè aperuerit, caſtamq. mentẽ conſeruarit. Hinc factum eſt, vt Dauid oculos ſuos inimicos vocauerit dicens: *anticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus ſum, & non ſum loquutus.* Prò oculi mei habet alia lectio, *inimici mei*. Pro *oculi mei*, dum enim oculi concupiſcendo viſibilia, inuiſibiles à nobis furantur virtutes, tunc ſanè crudeliores apparent hoſtes, quàm quiuis alius, qui corporalia tantum auferat bona. *Oculus meus*, ait Ieremias, *depredatus eſt animam meam: ſicut enim ignis, vbi fœnum aliquod, aut culmum arripuerit*, inquit Chryſoſtomus, *nihil moratur; ſed ſimul lucidam ſuccendit flammam, itidem ignis concupiſcentia qui eſt in nobis, ſimulatq. per oculorum intuitum elegantem, atque venuſtam attigerit formam, protinus exurit, animumq.*

Greg. lib. 21. moral. c. 2.

Occaſio animum infecit.

C

Gen. 6.

Oculus pudicitiæ proditor.

Gen. 34. 1.

Iudic. 6.

2. Reg. 11.

2. Reg. 13.

Dan. 13.

D

Pſ. 76. 5.

Oculus animæ hoſtis.

Thren. 3. 51.

Chryſoſt. de verb. Domini hom. 3.

de-

deuaſtat; & ſicuri per ianuas & feneſtras
apertas citò ingreditur latro, qui ſpoliat
E domum; ſic per oculos vagantes, & ad cu-
rioſè inſpiciendum apertos, facilè per pra-
uam concupiſcentiam intrat mors peccati:
Ierem. 9. 21. *mors enim*, vt ait Ieremias, aſcendit *per fe-
neſtras*. Hæc proſpiciens oculorum mala
Iob, ſe cum illis fœdus iniuiſſe ait, dicens:
Iob 31. 1 *pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogita-
rem quidem de virgine*: *ne cogitarent* habet
alia lectio: nam licet oculi nõ cogitent: quia
tamen mens oculorum ducatum ſequitur,
Clem. lib. 3. pedag. c. 11. (*dum enim laſciuiunt oculi caleſcunt appeti-
tiones*, inquit Clemens, *quia irritamenta
ſunt vitiorum, & duces ſcelerum*) ſapienter
fœdus iniiſſe cum oculis, ne cogitarent di-
cit. Hinc ſanè mulierum ornatus, hinc va-
nitatum multitudo, vt per oculos mentem
humanam, & cor ad cogitandum de illis
Gen. 39. 13. inducant. Sic impudens illa mulier Aegy-
ptij Sacerdotis vxor ad commouendum
F Ioſeph laſciua corporis ſui oſtentatione il-
lius caſtiſſimam mentem tentauit: Caſtiſſi-
ma Iudith, vt cor impij Olofernis commo-
Iudith. 10. 2. ueret; *exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ,
& lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myro opti-
mo, et diſcriminauit crinẽ capitis ſui, & im-
Ornamenta corporis caſtitatem labefactant.* *poſuit mitram ſuper caput ſuum. & induit
ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitq.
ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitq. dextra-
riola, & lilia, & inaures, & omnibus or-
namentis ſuis ornauit ſe*. Hæc ſanè omnia,
vt cor incauti ducis per oculos caperet,
eumq. occidendo, vt fecit, populum Dei
Athenæus 13 dipnoſ. & Quintilian. l. 2. c. 15. liberaret. Ita Phrynem, non Hyperidis actio-
ne, quanquam admirabili, ſed conſpectu
ſuo, quòd ſpecioſiſſima eſſet, periculo libe-
ratam putant: iudices enim eius pulchritu-
dine allecti, quam iuſtè condemnarant, dein-
de per oculos in mente capti, illam liberta-
te donarunt: optimè itaq; Iob: *Pepigi fœ-
G dus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem
de virgine*: nam quemadmodum qui fœdus
ineunt, pacem, ita inter ſe componunt, vt neu
ter alteri noceat, quemadmodũ fœdus inijt
Gen. 21. 31 Abimelech cum Abraham, & Iacob cum
Laban, ita huius viri ſancti anima cum ocu-
lis ſuis fœdus iniit, ne ab illis vnquam læde-
retur, ſic nunquam & ipſe promittens, ſe
eos læſuros pœnitentia, aut lacrymis: ſicut
Pſal. 118. 136. Dauid feciſſe legimus, qui ait: *exitus aqua-
rum deduxerunt oculi mei, quia non cuſto-
dierunt legem tuam*: & *lauabo per ſingulas
noctes lectum meum*, & *lacrymis meis ſtra-
tum meum rigabo*. Quod perindè eſt, ac
ſi dixiſſet: Hoc, ò mei oculi, fœdus ineamus:
vos qui tanquam feneſtræ à ſempiterno, at-
que omnipotente dati mihi eſtis, ne morti
aditum præbeatis, nec fœdis imaginibus
interna mea deturpetis, & ego vobis hoc
ſpondeo, me nunquam vos lacrymis, aut
H doloribus afflicturum, quod facere non poſ-
ſem, ſi vana conſpiceretis. Iob in hoc foe-
dere omnes ſancti viri ſunt imitati: etenim
Abbas Ioannes, teſte Palladio, præter cætera *Pallad. hiſt. Lauſiaca c. 43.*
ſanctitatis indicia, prophetiæ quoque dono
clarus, quadraginta annis nullam unquam
aſpexit foeminam: cum autem nonagena-
rius eſſet, à tribuno militum precibus penè
coactus: vt ab eius vxore pateretur ſe vide-
ri; tantum abſuit, vt ille quidquam de inſti-
tuta ſeueritate remitteret, vt precibus à
Deo potius impetrarit, vt liceret mulieri
per quietem imaginem ſuam contemplari.
Sic factum eſt, vt vbi illa oculorum delecta-
tionem quæſierat, multo meliorem mentis
delectationem inueniret. In Aegypto, eo-
dem Palladio referente, alius etiam mona- *Pallad. vbi ſupra c. 87.*
chus fuit nomine Pior, quẽ cum poſt annos
quinquaginta eius eremi videre optaret eius
ſoror, tãtũ effecit, vt Piori imperarent ij, qui- *Oculorum ſeuera cuſtodia.*
bus obedientiã debebat, vt ſeſe vetulæ ſorori
videndum præberet. Paruit ille; ſed ita, vt cũ I
ad fores vſque profectus eſſet, quibus egre-
deretur ſoror, occluſis oculis conſiſteret.
Ibi cùm ſe ad ſatietatem vſque ſpectandum
ſorori præbuiſſet, ne illa quidem conſpecta
limine ſuperato reuerſus eſt ad ſuam, vt ipſe
dicebat, patriam, deſertam videlicet ſpelun-
cam. Verum in hoc genere argumenti illud
mirabile eſt, quod antiqui illi ethnici ſolo
naturæ lumine illuſtrati, cernentes, quantum
detrimenti licentioſa videndi conſuetudo
ſecum afferat, de cuſtodia oculorum ſolici-
ti adeò fuere, vt quodammodo Iob, & cæ-
teris enarratis ſanctis in hoc comparari poſ-
ſe videantur. Alexandrũ Macedoniæ Regẽ
memorat Plutarchus nunquam Darij vxorẽ, *Plutarchus.*
quæ inſigni forma erat, videre voluiſſe, ne
eius pulchritudine captus, aliquid ſe, hoc
eſt regia maieſtate indignum, committeret. L
Antiochus item Aſiæ rex inuitatus à quodã
familiari ad Panthæam egregia forma vir-
ginem videndam, ire recuſauit: cumq. ille
affirmaret eam virginem dignam eſſe regijs
oculis, reſpondit; ſi modò illam conuenero,
& per otiũ vacat, fortaſſe illa mihi perſua-
ſura eſt, vt, neglectis regni negotijs, illã cõue
niã, etiam cum non vacat. Quod ſi hac erant
animi continentia præditi, qui nulla diuina-
rũ rerum cognitione erant imbuti, quid no-
bis facto opus eſt, qui Chriſtum præcipien-
tem audimus, *ſi oculus tuus ſcandalizat te,* *Matt. 5. 29.*
erue eum, & proijce abs te, obiecta nimirum
omnia, quæ tibi occaſionem peccati præbere *Occaſio peccati omnino expellenda.*
poſſunt, ita deuita, ac ſi oculos ad illa conſpi-
ciẽda omnino nullos haberes: *Erue, & proy
ce?* neq; enim ſatis eſt peccati occaſionem
quoquo modo tollere, ſed lõge etiam proij-
cienda, ne redeat. *Noli* itaq;, vt ſapiens ait, *Eccli. 9. 7. 8.*
*circumſpicere in vicis ciuitatis, nec oberr-
raueris in plateis illius, auerte faciem tuam* M
à muliere corrupta, & ſic fiet, vt attendas ti-
bi à fornicatione. Fuge, vt B. Paulus eremi
cultor faciebat, teſte Caſſiano, non ſolum *Caſſian. col. 7 c. 25.*
mulierem corruptam; ſed etiam ipſius mu-

lieris

Digitized by Google

lieris corruptæ imagines, etenim videntes
Iſmaëlitæ depictas in pariete imagines
Ezech. 23. Chaldeorum, tanto fœminarum illius regionis amore exarſerunt, vt eas ſibi coninges, in deuaſtationis originem reciperēt. ſunt & aliæ fornicationis occaſiones, quas ſupra iā enumeranimus, de quibus cum vel iam dictum ſit, vel infra de illis dicturi ſimus, nihil eſt, quod modo dicamus.

Quæ caſtitatem tueantur, & præcipuè de mortis meditatione, & oratione.

DOCVMENTVM VII.

A QVAMVIS huius verſiculi argumentum eiuſmodi ſit, vt licèt cautiſſimè, deligentiſſimè tamen pertractari debeat, vt Pius V. in catechiſmo Romano his verbis docet; *Quoniam verò multa à Sanctis Patribus tradita ſunt, quibus edoeemur domitas habere libidines, & coërcere voluptates, ea populo Parochus accuratè ſtudeat exponere, atque in hac tractatione diligentiſſime verſetur*: Ne tamen longius, quam inſtituti noſtri ratio poſtulat, excurramus, quamplurimis, quæ dici hac in re poſſent, omiſſis, hoc vltimo documento aliqua tantummodo remedia, quæ ad caſtitatem propugnandam vtiliora eſſe poſſint, breuiter nobis afferenda eſſe duximus, materialibus, & naturalibus quibuſdam prætermiſſis, vt ſunt lactucæ ſemina iu vino hauſta, ſalicis folia contrita, & pota, viticis folia ſubſtrata cubilibus, lilia alba toro ſtrata, & ſimilia, quæ omnia libidinis intemperantiam cohibere naturales docent. Prætermiſſis etiam ijs, quæ ad corporis macerationem ſpectāt, vt ſunt ieiunia, de qnibus ſupra, plumbeæ laminæ lumbis ſuperpoſitæ, quas non parū libidinum faces, vi ſua frigida lenire tradūt, & frigus pedum, quod Ariſtoteles maximè libidinis ardorem domare docuit; placet illud tantùm remedium afferre, quod Ioannes Eckius vtiliſſimum dicit, videlicet mortis meditationem, quo nullum efficacius nec reperiri, nec excogitari poſſe credam: etenim omnis concupiſcentia carnis, quæque carnem nutriunt, mortis meditatione tolli certum eſt: nam quemadmodum ſanguiſugę carni adhærentes, admoto cinere auelli dicuntur, ita veras ſanguiſugas illas, atq; hirundines, voluptates, inquam, meretrices, &c. excuties, cineris, ac mortis admota conſideratione. *Nihil enim*, vt ait Gregorius, *ſic ad edomandum deſiderium carnalium appetituum valet, quàm vt vnuſquiſque hoc quod viuum diligit, quale ſit mortuum, penſet.* Quare haud contemplanda nobis eſt externa illa, & peritura rei cōcupitæ ſpecies, ſæpè mendoſa, fucata, & falſis adumbrata coloribus; ſed quid de illa ipſa futurum ſit, animæ conſortio deſtituta, ſiue Lais, ſiue Helenæ, nempe eſca vermium, cadauer putridum, fœtens tabe diſſoluendum: ex cuius ſpinæ medulla ſerpens exorietur. Hac ſanè conſideratione, cuius erat gratiſſimus amplexus, horribilis erit aſpectus, vt Bernardus ait. Cùm quidam ſerui potentis, ac celeberrimæ reginæ Iezabel eius oſſa à canibus corroſa conſpexiſſent, obſtupentes dixeruut: *Haccine eſt illa Iezabel?* videlicet, hæc eſt illa potentiſſima Regina, quæ aliorum aſtutiſſimè vineas occupabat? hæcne famoſiſſima illa, quæ tot principum cor abſtulit? vbi modo oculi illi blandi? vbi genæ? labia illa rubentia vbi? Vah canes conculcarunt, momorderunt, corroſerunt: non eſt amplius qui ante eius palleat aſpectum, non eſt qui eam cognoſcat, laudetue: Hæc ſanè quiſque, vel ſimilia de re amata dicet, ſi mortuam conſideret, ſi oculos, quos appellabat lumina, à vermibus effoſſos meditetur. Libidinem tali pacto ex priſcis illis Patribus quidam compeſcuiſſe legitur; is cum fœdo amore ſaucius formoſæ cuiuſdam mulieris cogitationes abigere nō poſſit, cùm primùm mortuam eam ſenſit, eius ſepulchrum adiens, aperuit, & pannum in tabem, ſaniemq. cadaueris muliebris intinxit, quem deinde quotieſcunque aliqua foeda cogitatione mouebatur, grauecolentem naribus admouebat, dicens: ecce quod optas, delectare, illo ſatiare, ſicque quaſi alter Iob, *teſta ſaniem radebat. cùm enim*, ait Gregorius, *ex tentatione praua mentis cogitatio influit, quaſi ex vulnere ſanies decurrit, ſed citius ſanies tergitur, ſi in conſideratione noſtra fragilitas quaſi in manu teſta teneatur.* Sic & Philiſtæos ſanatos à pudenda quadam infirmitate, qua fuerant à Deo percuſſi, legimus, vbi ſedere coeperunt in ſedibus pelliceis, ex mortuorum, nimirum, animalium pelle confectis; ita ſanè ſi carnis ægritudines curare volumus, in ſedibus mortalitatis humanæ, & ſepulchris inſidendum.

Hoc etiam remedio Abbatem quendam Eliam, de quo Sophronius, ſanatum legimus: is enim grauiter vrente æſtu libidinis, ad mulierem quandam in eremo commorantem dum pergeret, in via repente à ſenſibus abſtractus, vidit apertam terram, ſeque eius hiatu abſorptum, cumq. ibi putrida quædam cadauera inſpiceret reſoluta, & incredibilem foetorem exhalantia, à quodam grauiſſimo viro hæc accepit: Eia Abbas. cadauer iſtud mulieris eſt, iſtud viri, iſtud pueri, ſingula manu ſignans, fruere iam, vt libet: ipſe verò præ nimio foetore in terram cùm corruiſſet, in ſe deinde reuerſus, erratum ſuam agnoſcens, ad cellam de cul

Margin notes (left column): *Ezech. 23.* — A — *Catechiſmus Rom. par. 3. c. 3. ſect. 1. & 7.* — Naturalia remedia ad caſtitatem conſeruandam. *Plin. lib. 20. c. 7. & li. 24. c. 9* — B — *Ariſ. problem. ſect. 4. probl. 5* — *Io. Eckius.* — Mortis memoria caſtitatem tuetur. — *Greg. 26. moral. c. 29. ſeu 31.* — C

Margin notes (right column): *Bernardus in ſer. 4. Reg. 9.* — *4. Reg. 9. 37.* — Mira hominis in morte metamorph. — D — *In vit. PP. pa. 2. tit. de fornic.* — *Greg. moral. lib. 3. c. 22.* — E — *1. Reg. 5. 9* — *Sophron. prat. ſpirit. c. 19.* — Tentationes contra pudicitiam mortis meditatio profligat. — F

pa

pa mente commiſſa mœſtus redijt, atque ita mortis conſideratione ſanatus eſt. Hanc etiam medicinã approbans quidam ex Sanctis Patribus, hæc cuidam de fornicatione tentato ait: cùm mater filium ablactare decernit, amaro quopiam liquore ſua vbera illinit, vt cùm infans de more ad lac ſugendum acceſſerit, ſentiens amaritudinem reſiliat: ergo in cogitatione tua pone amaritudinem: cui frater, quæ nam hæc amaritudo? ſubintulit ſenex; cogitatio mortis, & tormentorum, quæ in ſeculo futuro peccatoribus præparantur.

In VV. PP. li. 4 ex edit. Colon. n. 25.

G

Oratio Caſtitatis propugnaculũ.

Sap. 8. 21.

Caſtitas Dei donum.

Cùm verò Dei donum caſtitas ſit, quod nulla humana induſtria comparari queat, omnibus hiſce remedijs addenda omnino eſt oratio, & ſupplex ad Deum huiuſmodi doni expoſtulatio, vt nos Salomon ſuo exemplo docuit, dicens: *Vt ſciui, quoniam aliter nõ poſſem eſſe continens, niſi Deus det: adij Dominum, & deprecatus ſum illum ex totis præcordijs meis*. Quamquam enim virtutes omnes ſint dona Dei, ideoq. ab ipſo poſcendæ; præcipuè tamen flagitanda eſt continentia, quippe quæ non niſi ſingulari planè Dei robore conſeruatur. Reliquæ enim perturbationes; etſi partem quandam humanæ rationis obnubilent, ne verum videre, aut diſcernere poſſimus; non tamen prorſus excæcant: at libido totum animum occupat, excæcat, quodammodo vinculis conſtringit, ne ſe ad vllum opus commoueat: reliquæ plerumq; tanquam febres quædam ſunt, quæ ſenſim lenteq. vires ſubducunt, & vitam: at libido præſentiſſima peſtis eſt, quæ ſubito vitalibus ſuo veneno infectis, vitam adimit. *Fornicatio, vinum, & ebrietas*, inquit Oſeas, *auferunt cor*, hoc eſt, intellectum peruertunt, hominemq. licèt rationis participem, quaſi brutum animal efficiunt. Quamquam autem ad trhonum gratiæ Dei confugiendum ſit, vt hoc donum conſequamur: maximè tamen in neceſſitatis articulo, cum in ipſius tentationis acerrimo conflictu verſamur, id nobis faciendum eſt: nam ſi hoc in omni periculorum genere Deus à nobis expoſcit, quanto magis in iſto, vbi nobiſcum pugnantes à nullo alio auxilium poſſumus expectare? id feciſſe legimus iuxta ſenſum Lyrani principem Apoſtolorum B. Paulum: vndè ait: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet, propter quod ter Dominũ rogaui, vt diſcederet à me, &c.* Et S. Thomas Aquinas, cum à prima ætate ſe religioni conſecraſſet, dum eum propinqui varijs vocibus, ſed fruſtra à ſententia dimouere conarentur, tandem diabolico conſilio ad eius labefactandã continentiam, adoleſcentulam ad eum introduxerunt, quæ ſola ad ſolum ingreſſa, verbis geſtibusq. ſic demulcere animum Thomæ cœpit, vt ille quamuis bene ad eam pugnam armatus, venenatæ tamen orationis tela iam ad cor penetrare ſentiret. Subito igitur ad Chriſtum, & ad B. Verginem conuerſus: *Ne ſinas quæſo*, inquit, *Domine Ieſu, & tu ſanctiſſima mater, & virgo Maria, vt tam immani me ſcelere obſtringam*. His dictis rapit è foco titionem, eumq. minaciter fœminæ intentans, refugientem ad oſtium perſequitur, ipſaquè extruſa, oſtium claudit. Sed quid? Gerardus adhuc adoleſcens, poſtea ſanctiſſimus, cùm flagitium committere conſtituiſſet, prius tamen ad preces confugiens, tanta luce diuinitus perfuſus eſt, vt quo aſpectu antea trahebatur ad malum, is illi poſt putrida, & ranioſa caro videretur. Ad orationem itaque præcipuè ei recurrendum eſt, qui à fornicatione ſibi cauere, & continentiam habere deſiderat, non tepidè, aut remiſsè, ſed eo modo, quo Salomon, *ex totis*, ſcilicet, *præcordijs*, ſumma, ſcilicet, fide & fiducia, corde nõ hæſitante, aut fluctuãte: etenim cũ de hoc cæleſti donoextet diuinum conſiliũ; manifeſtum eſt, illud omnibus Deum velle tribuere, qui illud totis præcordijs expoſcunt: alias enim perperam & inaniter illud conſilium daret, ad quod auxilium gratiæ ſuæ neceſſarium eſt, ſi nõ cuilibet, vellet, quantum in ſe eſt, neceſſarium conferre auxilium ad illud obtinendum. Dicamus itaque cum Auguſtino: *Deus meus continentiam iubes? da quod iubes, & iube quod vis*: ſed de hoc verſiculo ſatis.

De hac re inf. vide c. c. verſ. 17.

Libido rationem excæcat

H

Oſea 4. 11.

2. *Cor.* 12. 7. 8.

I

Caſtitatis acerrimè prępugnatæ exemplum.

Sur. tom. 2. in eius vit.

L

M

Aug. lib. 10 Confeſſ. c. 29.

VERS. XIV.

Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.

1 *Superbia quid, & quis verè ſuperbus.*
2 *In ſenſu quomodo ſuperbia dominetur.*
3 *Perditio hic pro omni corruptione.*
4 *Mala omnia & pœnæ, & culpæ quomodo à ſuperbia.*
5 *Locus Salomonis Eccleſ. 10. Initium ſuperbiæ eſt apoſtatare, explicatur.*
6 *Cupiditatem quo ſenſu dicit Apoſtolus 1. ad Timot. 6. omnium malorum radicem.*

S*VPERBIA*, teſte Auguſtino, *eſt peruerſæ celſitudinis appetitus*, peruerſus, ſcilicet, animi impetus, quo ad propriam procurando excellentiam impellitur: peruerſus idcirco dictus, quia cùm faciat hominem ſibi inconuenientia appetere, rectæ rationi aduerſatur, illamque peruertit; habet enim hoc recta ratio, vt voluntatem vniuſcuiuſq;

Aug. li. 14. de ciuit. c. 13.

ferat

Iſidorus ethimol. c. 8. circa med.

Superbiæ origo.

ſerat in id, quod ſibi competit. quare Iſidorus; *Superbus ille eſt, qui vult ſupergredi quod eſt*; oritur enim hoc vitium, ex poſſeſſione bonorum, ſeu naturalium, ſeu ſupernaturalium ſine conſideratione imperſectionis, & eorum dependentiæ à Deo: nam quemadmodum merces præſtantiores venduntur, cùm illarum vitia non conſiderantur (eſt enim purum bonum multò excellentius, quàm imperfectionibus admixtum) ſic perfectior ſibi videtur homo, dum imperfectum ſunm non videns, ſua tantùm bona conſiderat, ideoq́. maiore, quàm ſit, celſitudine ſe dignum arbitratur. Hinc meritò Sapiens: *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo*, hoc eſt, recedere à Deo, quod ſit, quotieſcunque non Deo, ſed ſibi ca, quæ habet bona, adſcribit: nam, vt incognitus ait: *quoties aliquis non Deo, ſed ſibi adſcribit bona, quæ facit, quid eſt aliud, quàm Dei negatio?* Hunc itaque peruerſum celſitudinis appetitum, vt à ſe reijciat, filium hortatur Tobias, ſi non omnino, quod vix fieri in hac vita poteſt, eo ſaltem modo, vt nec ſenſui, nec verbo dominetur. Sic ille: ſuperbiam nunquam in tuo

Eccli. 10. 14.

Incog. in pſal. 48. verſ. 799.

2 *Senſu*. Senſus hic pro mentis conceptu, ſeu pro ipſa mente, vt apud B. Lucam: *aperuit illis ſenſum, vt intelligerent*. vbi Syrus: *tunc aperuit eorum mentem, vt intelligerent ſcripturas*: & apud B. Paulum: *vnuſquiſque ſuo ſenſu abundet*, hoc eſt, in ſcientia animæ, ſeu mentis ſuæ confirmetur, vt etiam Syrus vertit, & hic LXX. *Noli ſuperbire cordi tuo*: & Syrus, *ne extollaris corde tuo*, ideſt, mente tua.

Luc. 24. 45

Senſus pro mentis conceptu.

Rom. 14. 5.

LXX.

Syrus.

Nec in tuo verbo, Nimirum per inanem iactantiam, te, aut tua impudenter verbis extollendo.

Dominari permittas. Dominatur ſuperbia menti noſtræ, quotieſcunque eam ita præoccupat, vt in illam imperium non minus habeat, quàm Dominus in ſeruos, & Rex in ſubditos: quod dominium cùm primùm ſuperbia aſſecuta fuerit, nihil eſt, quod homo ſuperbè, & præpoſterè non faciat, aut loquatur; cùm cæcata mens nihil, quod rectæ ſit conſonum rationi aut videat, aut cognoſcat, vt ſequentibus verbis Tobias declarat, dum ait:

Syrus.

Arabs.

Ab ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio. Syrus: *Quoniam in ſuperbia eſt perditio*. Arabs: *Per eam factum eſt principium omnis perditionis*.

3. *Omnis perditio*. Perditio licèt nonnunquam in ſacris literis pro inferno ponatur, vt eſt apud Iob: *nudus eſt infernus coram illo, & nullum eſt operimentum perditioni*: Et pro ſepulchro, vt eſt apud Dauid: *Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?* hic tamen non pro inferno, aut ſepulchro, ſed pro omni corruptione, & de-

Iob 26. 6

Perditionis variæ acceptiones.

Pſal. 87. 112.

uaſtatione ponitur: quod non ſolum Hebræa vox אבדון abadon, vt ſupra narrauimus, manifeſtat, quæ conſumptionem, mortem, barathrum, præcipitium, ruinam, & omne malum ſignificat; ſed etiam ipſe interpres ſatis oſtendit, dum legit, *omnis perditio*: etenim qui omnia dicit, nihil excludit.

Supra c. 3. v. 22.

4 Nullũ itaq; malũ, nulla deuaſtatio, conſumptio amimæ nulla, inqnit Tobias, quæ in ſuperbia non ſit, quæq́. ab ipſa non duxerit originem: etenim ab illa frigus, æſtus, fames, ſitis, nnditas, infamia, peccatum, iudicij diuini ſeueritas, gehenna, ac tandem omne malum, ſiue pœnæ ſit, ſiue culpæ, promanat. Nam ab illa Luciferi, & primorum parentum caſus fuit, ex quo deinde omne ſcelus, & omnis noſtra miſeria proceſſit. Sanè primum peccatum Luciferi fuiſſe diuinæ ſimilitudinis appetitum, ſatis apparet ex Iſaia, et Ezechiele: à peccato verò Luciferi reliqua omnia manaſſe in alios Angelos, & in genus humanum; quorum etiam primum peccatum fuit ſuperbia, communiter Theologi docent. Ex quo Gregorius ſuperbiam non enumerat inter capitalia vitia, quod illam dicat reginam eſſe, & matrem omnium vitiorum: *ipſa namque*, ait, *regina vitiorum ſuperbia, cum deuictum planè cor ceperit, mox illud ſeptem principalibus vitijs, quaſi quibuſdam ſuis ducibus deuaſtandum tradit*: & paulò inferius: *radix*, ait, *cuncti mali ſuperbia: prima autem eius ſoboles, ſeptem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur*. quod non ſolum ſacræ literæ docent; vnde in pronerbijs dicitur: *contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus*, & in Eccleſiaſtico; *initiũ omnis peccati eſt ſuperbia*; ſed etiam ratione conſtat. nam illud peccatum cæterorum cauſa cenſendnm eſt, cuius finis proprius eſt finis omnium malorum: cum ſit volitio, ſiue intentio finis, cauſa volitionis eorum, quæ ordinantur ad finem, & principium operis. At finem proprium ſuperbiæ, nimirum propriam excellentiam communem alijs eſſe peccatis ex eo ſatis liquet, quòd nullum ſit peccatum, per quod homo non ſubtrahat ſe à diuinæ legis obedientia, ac ſi propriæ eſſet excellentiæ contrarium, illi parere.

Mala omnia & pœnæ & culpæ à ſuperbia.

Luciferi, cæterorumque Angelorum primum peccatum ſuperbia.

Iſa. 14.

Ezech 28.

Greg. lib. 31. moral. c. 31.

Prou. 16. 8.

Eccli. 10. 15.

Nec aliud peccatum à ſuperbia diſtinctũ notat Sapiens, dum ait: *initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo*, ſed potius ipſum diſceſſum à Deo principium docet eſſe ſuperbiæ: ex quo enim homo incipit ſuam facere volnntatem, diuinamq́. relinquere, quod eſt apoſtatare à Deo, incipit eſſe ſuperbus: eſt enim græcè ἀρχὴ ὑπερηφανίας ἀνθρώπου μένειν ἀπὸ κυρίου, ideſt, vt exponit Ianſenius: *principium ſuperbiæ hominis deficere à Domino*, ſubintellige, fuit, tunc, ſcilicet, cœpit ſuperbia, cum homo deficeret à Domino, quod noſter vertit, *apoſtatare à Deo*: ſuperbè enim

Eccli. 10. 14.

Ianſenius in Eccli. librum Eccli.

ſatis agit, qui ſuam diuinæ præfert voluntati, quique Deo ex ſe ſubditus, totus ſupra ſe ipſum vadit, diuinæq. legis tranſgreſſionem appetit.

1. ad Tim. 6.10.

6 Et licèt Apoſtolus cupiditatē, omnium malorum radicē eſſe doceat, dum ait: *radix omnium malorum cupiditas;* non tamen volnit cupiditatem, ſicut ſuperbiam primum eſſe generis humani peccatum, ſed ex illa omne genus peccati committi poſſe, cum ad omnia ferè perpetranda ſcelera adminiculum præbeat, ac fomentum, non ſecus ac radix arbori. ex quo decantata illa parœmia promanauit: *Omnia pecuniæ obediunt:* ſeu, vt dixit Cicero: *Omnia per pecuniam effici poſſunt:* vel quod nullum peccati genus pecuniæ cupidus prætermittat, illius acquirendæ, & poſſidendæ cauſa: nam *auaritia*, ait Ambroſius, *vt deſideria ſua expleat, quod tamen impoſſibile eſt, & maleficia, & homicida, & obſcænitatem, & quicquid ſcelus eſt, perpetrat.* Verùm cùm trahant hæc omnia originem, vt diximus, ab ipſa ſuperbia, ac propriæ excellentiæ appetitu, optimè Auguſtinus: *Superbia*, inquit, *dæmones ex Angelis facit: illa eſt omnium peccatorum initium, & finis, & cauſa, quia non ſolùm peccatum eſt ipſa ſuperbia; ſed etiam nullum peccatum eſſe poteſt, potuit, aut poterit ſine ſuperbia.* Et Proſper: *initium*, ait, *non alicuius, ſed omnis peccati ſuperbia*, vt euidenter oſtenderet, quòd ipſa ſit peccatorum omnium cauſa, quoniam non ſolum peccatum eſt ipſa, ſed etiam nullum peccatum fieri potuit, poteſt, aut poterit ſine ipſa: ſiquidem nihil aliud omne peccatum eſt, niſi Dei cōtemptus, quo, ſicut diximus, eius præcepta negliguntur; quem profectò nulla res alia hominibus perſuadet, niſi ſuperbia.

Cupiditas ad omnia peccata impellit.

Cic. 1. Act. in Verr.

Amb. in hunc locum B. Pauli.

Aug. lib. de ſal. docu. c. 4.

Proſp. lib. 3. de vit. contempl. c. 2.

Peccatū nullum eſt abſq; ſuperbia.

Quòd ſuperbiæ grauiſſima pœna non rarò ſit lapſus in fornicationem.

DOCVMENTVM I.

A

CVM plerumque virus libidinis de radice elationis deriuetur, optimè Tobias filio ſuperbiam deuitare præcipit, vt per demiſſionis cuſtodiam, munditiem ſeruet caſtitatis. *Simulatores, & callidi*, inquit Iob, *prouocant iram Dei: vita eorum cum effœminatis. Hypocrita corde*, habent LXX. & Hebræus ſimplicem ponit vocem חנף, quæ ſæpè vertitur *Hypocrita*, hoc eſt, ſecretè ſuperbus, qui dum caſtiſſimæ, atque mundiſſimæ vitæ laudem, & propriam excellentiam aucupari quærit, ſæpè in pœnam ſceleris, in prauam effeminatorum luxuriam à Deo cadere permittitur. Et B. Iſaac, *qui ſuperbit*, ait, *in fornicationem permittitur cadere.* Sic *Salomon, elatus*, inquit Proſper, *mente ſimul, & corpore fornicatus eſt.* & ex philoſophis multi, vt B. Paulus ait: *qui cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, dicentes, ſe eſſe ſapientes, ſtulti effecti ſunt, propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam*, ſuperbientes nimirum, ac de propria ſcientia inflati, Deum, quem cognouerant, glorificare noluerunt; ſed magis vnuſquiſque eorum ſuam amplexus ſectam, propriam gloriam quærere, & alij Academici, alij Stoici, alij Pythagorici, alij alijs ſpumoſis, ac turgeſcentibus nominibus nominari, moxque dogmata quiſque ſua profiteri, varioſque colere Deos amarunt: quique Deum glorificare debuiſſent, quod in fabulis de formoſo illo iuuene eſt, hoc ipſum illis contigit, vt uidelicet non Deum ſuſpicientes, ſed terram, in ſua ſapientia itidem ſe ipſos, ſui ipſorum amore capti, ſpectarent: *Propter quod*, ait beatus Paulus, *tradidit illos Deus in deſideria, &c.* non impellendo, aut probriè deducendo, ſed eos ſuo auxilio denudando, uel priuando gratia, qua ſuſtentabantur. Quemadmodum, ut Chryſoſtomus docet, ſi quis militiæ præfectus, prælio ingraueſcente, retrocederet, hoſtibus milites tradere diceretur: & quemadmodū, ut ſanctus Thomas, ſi aliquis tolleret alicuius fulcimentum, eius diceretur facere caſum: *tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam*, in duras ſcilicet, crudeleſque belluas, truces, atque truculentas libidines, *εἰς πάθη*, paticas nimirum, & pudendas. Sic Platonem, & Socratē infami pæderaſtiæ vitio laboraſſe tradit Philo, Plutarchus, ac Gellius: Cardinalis tamen Beſſarion Platonis propugnator, eū ab hoc vitio purgare conatur. Chryſoſt. Solonē, alioſq. ſuperbos philoſophos, & pæderaſtiā feciſſe, & laudauiſſe docet: pœna ſanè omni morte ſæuior: nam cum homo animal rationale mortale ſit, quæcunque mors licèt atrociſſima illi contingat, nihil naturæ ſuæ diſſonum patitur, quandoquidem mortalis moritur; at cùm quicquam naturæ, ac rationi diſſonum admittit, quale hoc eſt vitium, tunc conditioni, naturæq. ſuæ inſignem turpitudinis notam inurit: & quoniā nulla res externa inuitos, ſed ſolum liberum arbitrium noſtrum nos de rationis arce deturbare poteſt, nullum potuit in ſuperbos acerbius patibulum decerni, quàm quòd in propria darentur deſideria, eaq. immunda, & impudica, quæ voluntatē quodammodo ad malū propellunt, naturáq. ipſam inquinant, fœdant, infamant. & *propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.* paſſionis nomine, vt Sotus in hunc B. Pauli locum tradidit, non quamuis qualitatis ſuſceptionem ſignificans; ſed illā, quæ naturæ ſubiecti aduerſa-

Iob 36. 13.

LXX. Hebræus.

Iſaac de mundi contemptu. c. 51.

Proſp. li. 2. de præd. c. 27. in fin.

Rom. 1. 21. 22. 24.

B

Superbia in impudicitiā adducit.

Narciſſus.

C

Chryſ. in hūc locum.

S. Tho. ibid.

Philo li. 2. de vit. cōtempl.

Gell li. 18. c. 2 & li. 19. c. 11

Plut. li. de educ. lib. ante fin.

Beſſarion li. 4 in calumn. Plat. c. 2.

Chryſ. in hūc B. Pauli locū.

Antiquorum Philoſophorum impudicitia.

D

Deſideria mala impiorum pœnæ.

Sotus in ep. ad Rom. c. 1.

tur; quo ſenſu Ariſtoteles noluit abſolutè affirmare, intelligere eſſe pati, ſed per diminutionem *quoddam pati*, ideſt, receptionem formę, qua ſubiectum perficitur.

E

Neq; aqua, dum calorem remittit, propriè cenſetur pati, vtpotè quæ in naturam ſuam tunc reuertatur; ſed quando caleſit, tunc propriè patitur, quippè quæ tunc euincitur, & de ſua natura deturbatur. Morbi ergo animi, & libidiues, cum naturali ordini, rectæque rationi aduerſentur, perquampropriè dicuntur paſſiones: at libido, non quæcunque dicitur, ſed *ignominiæ*, hoc eſt, ſine nomine, & honore: eſt autem nomen hominis idem quod honor eius, & celebritas iuxta illud: *melius eſt nomen bonũ, quàm diuitiæ multæ*. quare ignominia illud eſt, quod ex diametro opponitur honori, vt cõtraponautur nomen, & ignominia, ſicut nobilitas: uam licet ſpirituale peccatum, vt ſunt infidelitas, ſuperbia, & alia huiuſmodi, grauius ſecundum culpam ſit, vt ſanctus Thomas docet; ſecundum ignominiam tamen, & infamiam carnalia ſpiritualibus antecellunt: etenim cùm humanæ naturæ honor ex hoc ponderetur, quod præſtat naturæ cæterorum animantium, & per actiones immundas, brutorum actiones imitetur, quod non facit in ſpiritualibus culpis; hinc eſt, quòd ignominioſius peccatum luxuriæ ſit, quàm cæterorum omnium.

Nomen idẽ homo, ac honor.

Eccl. 7. 2.

S. Tho. p. 2. q. 73. ar. 5. ad 3

Peccata carnalia ſpiritualibus quomodo grauiora.

F

Sic *elati*, inquit Gregorius, *iuſta ſunt retributione feriendi: vt, qui ſuperbiendo ſe hominibus præferunt, luxuriando, vſque ad iumentorum ſimilitudinem deuoluantur*. *Homo* quippè, *cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Sic enim, qui ſuperbiendo ſe alijs præſtare putat, per tale vitium, imperfectionem ſuam manifeſtam cernit, eiuſq. Deus conuincit ſuperbiam, non ſecus ac ſyllogizans ſoleat, qui vt falſitatem alicuins propoſitionls manifeſtet, ad manifeſtum inconueniens deducit.

Greg. l. 26. moral. c. 13.

Pſ. 48. 13.

G

Huius rei exemplum habemus in vitis PP. de quodam maximæ abſtinẽtiæ, & perfectionis monacho, qui in ſuperbiam elatus, miſerè à dæmone ſub ſpecie mulieris tentatus, in cõſenſum fornicationis incurrit: at vbi obſcænos iam conaretur inire amplexus, dæmon vlulatum teterrimum diræ vocis emittens, vmbra, vt erat tenuis, per manus amplectẽtis elabitur, ipſumque, dedecentibus motibus inanem vmbram ſectantem, cum fœdiſſima irriſione deſeruit; ò monache, exclamans, qui te vſque ad cælum extollebas, quomodo demerſus es vſque ad infernum? quate miſer, ludibrium ſuum cognoſcens, velut amens, deſperans, ſemetipſum omni immunditiæ, & iniquitati tradidit, & ad vitam ſecularem regreſſus, dæmonum præda euaſit: vnde meritò de illo exclamari potuerit, quod Angelus in Apocalypſi: Væ *væ, ciuitas illa, quæ amicta erat byſſo, & purpura, et cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioſo, & margaritis, quoniam vna hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ*. Patet itaque, conuenientiſſimum fuiſſe, vt poſt præceptum de fornicatione vitanda, daretur pręceptum de ſuperbia fugienda, ne per tumorem ſuberbiæ in deuitatam libidinem facillimè dilaberetur.

Caſtitatis à ſuperbia profligatæ exemplum.

VV. PP. in vita S. Ioannis Aegyptiaci.

H

Apoc. 18. 16. 17.

Quòd à ſenſu, & verbis ſuis ſuperbiam omnem facilè pellat, quicunq; ſe ipſum, & ſua conſiderat, & quàm illa Deo ſit inuiſa.

DOCVMENTVM II.

A

SANE cum ſupetbia, vt in literæ explicatione diximus, immoderatus ſit propriæ excellentiæ appetitus, facilè à ſuo ſenſu, & à verbis ſuis, iuxta præceptum Tobiæ illam ablegat, nec ſibi dominari patitur, qui vilem ſui ipſius conditionem, miſerumq. ſtatum, ante oculos ſemper propoſitũ habet, nimirũ corporis fœditatẽ, quam ſua ipſius oſtẽdnnt excremẽta: incommoda famis, ſitis, æſtus, frigoris; multiplicitas morborũ, ęrumnæ, mors, & vermes: animæ verò ignorantiam, errores, vitia, pranas affectiones, timorem, ſolicitudinem, mœrorem, plurimorum peccatorum reatum, quibus omnibus conſideratis, nullus non ſe miſerum eſſe cognoſcit, ac miſerabilem: quibus incommodis etiam ſi aliquo modo careret, bonisque multis abundaret, illud tamen præpendere debeat, quòd ſi illa bona virtutis ſint, non ex ſe illa habeat, ſed à Deo, à quo omne datum eſt optimum, *quòd ſi accepiſti*, ait B. Paulus, *quid gloriaris, quaſi non acceperis*? & quidẽ *omnes iuſtitiæ noſtræ*, ait Iſaias, ſine Deo, *quaſi pannus menſtruatæ*: ſi verò bona ſunt naturæ, vel vt vocant fortunę, nimirum ſanitas, pulchritudo, fauor, diuitiæ, nobilitas, & ſimilia, vix ſunt, vt penè momento euaneſcant: nam & qui fieri poteſt, vt homo cogitationes ſuas non deprimat, qui ſeſe intelligit oneratum peccatis, mole huius mortalis corporis aggrauatum, terrenis curis implicatum, carnalium deſideriorum fœtore infectum, cæcum, infirmum, multis irretitnm erroribus, expoſitum periculis, timoribus trepidum, difficultatibus anxium, neceſſitatibus calamitoſum, procliuem ad vitia, inualidum ad virtutes?

Hominis miſeria.

B

1. Cor. 4. 7.

Iſai. 64. 8.

Ablegabit etiam à ſenſu ſuperbiam, quicunque quantopere illa ſit Deo inuiſa, conſiderabit, qnorumque malorum illa ſit origo. Sanè ſuperbiæ Deum potiſſimum aduerſari, non ſolùm beatus Iacobus docuit, dicens: *Deus ſuperbis reſiſtit*; ſed etiã exempla

C

Iacob. 4. 6.

quam-

Digitized by Google

Superbia Deo execrabilis.

qnamplurima oſtendunt, Luciferi in primis, & aſſeclarum, qui vbi ſuperbire cœperunt, è cælo expulſi ſunt, & ad inferna damnati: primorum item parentum noſtrorum, qui eiecti ſunt è terreſtri paradiſo, & morti, alijsq́. innnmeris calamitatibus adiudicati: *Gen. 11. 3.* Babel, & ſodalium, qui turrim ſuperbè ædificare ambientes, obſcura ſunt linguarum confuſione diſperſi: *1. Reg. 15. 5.* Coræ Datan, & Abiron, *Sup. cap. 1.* Regis Saul, Nabuchodonoſor, Holophernis, *Dan. 4. 7.* Aman, *Iudith 6. 8.* Antiochi, Herodis, & aliorum propè innumerabilium, de quibns omnibus in ſacris literis: *Eſther. 4. 9.* quibus addi poteſt Chriſtianorum apoſtata Iulianus, qui, vt teſtis eſt *Niceph. li. 10. c. 17.* Nicephorus, cùm lethali vulnere, incerto authore, telo diuinitus intorto percuſſus, in Perſide ad fluminis ripam iaceret; tametſi ob ſpretam Chriſti religionem mori ſe confiteretur, & à Nazareno victum cognoſceret; conſilio tamen cum ſacerdotibus ſacrilegis inito, ſe clam in fluuiũ præcipitem dare voluit, vt diuinitus raptus videretur. Verùm cum ſuo duce Sathana in tartara præceps actus eſt, ſed quia pancis hæc explicari nequcunt, plura de ſuperbia, eiusq́. gradibus, ac remedijs, infra dicemus.

D Iulianus apoſtata ſe precipitem in flumen dare volebat, vt crederetur raptus.

Infra in fine lib. tract. 2.

VERS. XV.

Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarij tui apud te non remaneat.

1 *Continuatio hiſtoria.*
2 *Merces quomodo ſtatim reddenda.*
3 *Nullo modo mercenario retinenda.*

1 QVICVNQVE *tibi*, &c. Docuerat filium Tobias, Deũ timere, & reuereri, parentes honorare, pauperes eleemoſynis ſubleuare, ſe ipſum cuſtodire: eundem nunc docet, iuſtitiam erga ſubditos, & operarios exercere, dicẽs: quicunq; tibi aliquid operatus fuerit.

2 *Statim ei*, hoc eſt, cùm primum fieri poteſt, redde illi mercedem, iuxta illud, quod in *Leuit. 19. 14.* Leuitico præceptum fuerat. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque mane*, alterius nimirum diei, cùm mercedis dilatio genus quoddam ſit violentiæ, ac oppreſſionis: *Deut. 24. 14.* Et illud Deuteronomij: *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui*, ſiue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt, ſed eadem die reddas ei pretium laboris ſui ante Solis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam.

Mercedem, ſeu pretium, reddendum pro labore operis.

Reſtitue. Nimirum operario, illum in poſſeſſione rei ſuæ, vel ſibi debitæ, ſtatuendo: quod facere, vt ſanctus Thomas docet, actus eſt iuſtitiæ commutatiuæ. Sanè Alexandrum Seuerum Imperatorem, quem multum laudat Aelius Lampridius, legimus non ſolùm conſueuiſſe mercedem ſtatim ſeruis reddere, ſed ſupra mercedem etiam multa addere, in ſcriptisq. habere, quid cuiq; ſeruorum præſtitiſſet: ei verò, qui nihil, aut minimum petebat, dicere: *quid eſt, quod nihil petis? an fieri me vis tibi debitorem? pete, ne priuatus de me queraris.*

Ael. Lamprid. in Alexand. Seuer.
Seueri Imperatoris regia liberalitas.

3 *Et merces mercenarij tui non remaneat apud te.* nimirũ, inuito mercenario, vel etiã illo non inuito: vnde addit Arabs: *nullo modo*, quia fortè, dum multi cenſent, minimè ſe, inuito mercenario, illam retinere mercedem ad tempus, falluntur, quod illi, ſi poſſunt, quamprimum mercedem ſuam libenter acciperent, ſi eis redderetur, quam non repetunt à dominis, cùm rem illis ingratam ſe facturos pertimeſcant.

Arabs.

Quòd merces mercenario ſtatim ſit retribuenda.

DOCVMENTVM.

A EST retinere mercedem mercenario, illo inuito, vnum ex ſceleribus illis, quæ clamare in cælum dicuntur: par videlicet homicidio, naturæ abuſui, extremæ tyrannidi, & oppreſſioni pauperum: vnde B. Iacobus: *Ecce*, inquit, *merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras*, agros ſcilicet ampliſſimos, *quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorũ in aures Domini Sabaoth introiuit;* vbi non dicit Apoſtolus, pauperem clamare, quoniam ſæpè, vt Sapiens ait: *pauper etiam læſus tacet*, ſed mercedem ipſam denegatam, aut fraudatam, quam diues raptor ſuæ domi continet, & ſcelus ipſum ſuum, vel conſcientia tacente, ſicut ſanguis interfecti Abel ad Deum clamabat, & vindictã expoſcebat: quo loquendi modo huius delicti inſignis enormitas oſtenditur, quòd ſcilicet tantæ ſit improbitatis, vt illud committẽtes diuinam in ſe vltionem prouocent: nam clamor ibi, nihil aliud eſt, niſi enormis grauitas intuitu Dei, & intoleranda inhumanitas intuitu proximi. Sanè, vt ait Eccleſiaſticus: *panis egentium vita pauperum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt: qui effundit ſanguinẽ, & qui facit fraudẽ mercenario, fratres ſunt. Fratres quidem ſunt, quia* pariles ſunt in peccatis: nã & qui fraudator mercedis quantum in ſe eſt, dum ſubtrahit mercenario mercedem, vnde ei viuendum

Iacob. 5. 4.
Eccli. 13. 4.

Philipp. in Iob 24.11.

erat, mercenarij eſt occiſor. Et ſanè, vt ait Philippus: *malum eſt hoc magnum, & iniquiſſimum, vt ſub laboribus, & fructibus aliorū requieſcant,* Et apud pauperes, vt Iob ait: *calcatis torcularibus ſitiant,* dumq. tota die laborantes operis ſui finem præſtolātur, vt famem, & ſitim ſedare valeant; fame, ac ſiti laborare cogantur. Sed heu quot reperiuntur, & quod peius eſt, qui ſine conſcientiæ ſcrupulo hoc ſcelus committunt, taliq.

C

pacto ab animorum inſidiatore dæmone, ſicut Iſraelitæ ab Amalec, in parte debiliore, & minus cuſtodita feriuntur. quanti, & præcipuè inter nobiles ſunt, qui ære alieno oppreſſi, non ſolùm mercedem mercenarijs nō ſoluunt, ſed etiam illam petentibus cum improperijs denegant? Sunt hi Laban, ac Pharaoni perſimiles, quorum vnus à ſordida ita detinebatur cupiditate, vt niſi teſtem, aut iudicem Deum Iſraël reformidaſſet, non modò Iacobum puerum ſuum, qui per viginti annos illi ſeruierat, ſine mercede abire permiſiſſet, ſicuti per decem vices facere tentauerat, dum, teſte Auguſtino, *cum Laban vidiſſet tales fœtus eſſe natos, quales placuerat, vt ad Iacob pertinerent, pactum fraude mutauit, & dixit, vt futuro fœtu, alios pecudum*

Gen. 31. 36.41.
Aug. in q. 5. ſuper Gen.

D

Mercedem retinentium exempla duo

colores haberet in mercede Iacob: tunc autem ille virgas varias non ſupponebat, & non naſcebantur varij, ſed vnius coloris, quæ Iacob ex nouo pacto auferebat: quod cùm vidiſſet Laban, rurſus pactum fraude mutabat, vt ad Iacob varia pertinerent, tunc illarum ſuppoſitione virgarum, varia naſcebantur: ſed etiam illum dimiſiſſet nudum, quod ipſe Iacob docuit, dum Laban iuxta ſtultitiam ſuā reſpondens, cùm iurgio exprobrans, ait: *quā ob culpam meam, & ob quod peccatum meū ſic exarſiſti poſt me? per viginti annos in domo tua ſeruiui tibi, quatuordecim pro filiabus, ſex pro gregibus tuis, immutaſti mercedem meam decem vicibus, & niſi Deus Patris mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan modò nudum me dimiſiſſes?*

Gen. vbi ſup.

E

Alter verò, Pharao ſcilicet, tanta tyrannide ſæuiebat in filios Iſrael, vt importabili labore eos opprimeret, nec vllam eis vel minimam mercedem redderet: *opprimantur,* dicebat, *operibus, vt expleant ea.* dumq. illi, vel paleas pro mercede efflagitarent: *ite,* aiebat, *& operamini, paleæ non dabuntur vobis, complete opus veſtrum quotidie.* O ſæuum, ò inhumanum hominem: ſed qui tales ſunt, quod hic proponit conſiderandum filio Tobias, conſiderare debent videlicet, quod eadem menſura, qua mercenarijs pauperibus menſi fuerint, à Domino ſibi remetietur: vnde legunt LXX. *merces omnis hominis quæcunque operatus fuerit, apud te non moretur; ſed redde ei ſtatim: ſi ſeruieris Deo, reddetur tibi.*

Exod. 5.9.

VERS. XVI.

Quòd ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias.

1 *Odio quæ proſequamur.*
2 *Amare debet, qui vult amari.*
3 *Quæ addant LXX.*
4 *Attendere vnuſquiſque ſibi debet.*
5 *Inconſideratè agendum nihil.*
6 *Cum quibus verſemur, conſiderandum.*

1 QVOD *oderis,* intellige malum, vel bonum, ſub ratione mali apprehenſum, cùm propriè loquendo, malum tantūmodo odio haberi poſſit.

2 *Vide, ne tu, &c.* Nam ſicut vnuſquiſque ab omnibus vult amari, & à nemine lędi; ita debet alios diligere, nec vel in minimo lædere: vnde Chryſoſt. *quod odiſti,* inquit, *alteri ne facias: odiſti contumeliā pati? neq; tu alteri irrideas: odio habes falli? neque tu fallas alium: & in omnibus generaliter, ſi hæc verba retineamus, alterius diſciplina non indigebimus.* Sanè vt idem Chryſoſt. docet, *primum hoc eſt legis naturalis principium, in omni pectore inſitum: quod tibi vis alteri facito, quod tibi non vis, alteri ne facito.* Facit ad huius loci illuſtrationē ſcitum illud dictum Theocriti à Marco Antonio Mureto relatum.

Chryſoſt. hom. 13. ad pop. circa med.
Chryſoſt. vbi ſupra.
Theocr. apud Muret. ad ep. 9. Senecæ.

Στέργετε τοὺς φιλέοντας, ἵν' ἂν φιλέατε, φιλῶσθε.
Quiſquis amatur amet, vt & ipſe. vbi amarit, ametur.

Mart. lib. 6. epigr. 11.

ſeu, vt alius poeta paucioribus verbis expreſſit.

Marce, vt ameris, ama.

nam *ad incentiuum charitatis communis,* ait Ambroſius, *plurimum proficit, ſi quis vicem amantibus reddat, nec minus redamare ſe probet, quàm ametur,*

Ambroſ lib. 2 off. c. 7.

3 Addunt LXX. & Syrus, præcepiſſe etiam Tobiam filio, vt ſibi caueret in omnibus operibus ſuis, & ne biberet vinum ad ebrietatē, dicens: *attende tibi, fili mi, in omnibus operibus tuis, & eſto eruditus in omni conuerſatione tua: vinum ad ebrietatem non bibas, & non eat tecum ebrietas in via tua.*

LXX. *Syrus.*

4 *Attende tibi,* ideſt introſpice actus tuos, ne ſtipulam pro grano ſequaris: nam brutis animantibus ea eſt natura indita, vt poſſint, nullo labore adhibito, herbas ſalutiferas ſequi, & fugere noxias: at homo nequit vitare contraria, & vtilia amplecti, niſi illa conſideret, ſiqiue diligenter attendat. Conſonat huic antiquorum γνῶθι σεαυτὸν, *noſce te ipſum,* quod olim magnis, aureiſq. literis in limine Apollini Delphici inſcriptū fuiſſe legimus, & quod ſolùm, vt grauiſſimi tradunt ſcriptores, felicitatem afferre homini poſſe ab eodem fuit oraculo reſpōſum,

Cognitio ſui ſuper omnia procuranda

Digitized by Google

vbi Crœſus ab illo quæſiſſet, qua ratione felicitatem conſequi poſſet, quodq́. è cælo deſcendiſſe cecinit Iuuenalis, vbi ait:

Iuuen. ſat. 11

è cælo deſcendit, γνῶθι σεαυτόν.
Figendum, & memori tractandam pectore, ſiue
Coniugium quæras, vel ſacri in parte Senatus
Eſſe velis.

Hugo lib. 2. de anim. c. 9.

Sanè multi multa ſciunt, et ſe ipſos neſciunt, vt benè ait Hugo, numerant multitudinem ſtellarum, & in omnibus eis nomina vocant, nec dicere norunt: *quoniam iniquitatem meam, & peccatum meum ego cognoſco*; cùm tamen veriſſimum illud ſit, quod docet Bernardus, neminem abſque ſui cognitione ſaluari, de qua nimirum mater ſalutis humilitas oritur, & timor Domini, qui & ipſe vti initium ſapientiæ, ita & ſalutis eſt: vnde optimè quidam cecinit:

Pſal. 50. 5.

Bern. ſerm. 37 in cantic.

Cognitio ſui parens humilitatis.

Incertus auctor.

Chriſte, ſciant quæcunque alij, mihi ſufficit æqua
Cognitioque mei, cognitioque tui.

Sanctus Franciſcus ſæpè orans, Domino dicebat:

nouerim me, nouerim te.

Vit. PP. libro, quod non oportet iudicare quenquam.

Cumq́. vt in vitis PP. narratur, Ioſeph quidam ex Paſtore Abbate quæreret, quo pacto poſſet in hac vita, & in futura requiem obtinere, ipſi ab illo reſponſum eſt: ſi in omni cauſa diceret: *Quis tamen ego?*

Pendenti cōſideratione ponderanda ſunt quæ agimus.

In omnibus operibus tuis. Etenim nihil inconſideratè homini vel loquendum, vel operandum, cùm nihil ei periculoſius ſit præcipitata ſententia, vt apparet in Nabuchodonoſor, qui tres innocentes pueros ad fornacem ignis condemnauit: & in Theodoſio iuniore, qui contra Theſſalonicenſes, quòd præfectū vrbis nequiter interfeciſſent, adeò excanduit, vt contra promiſſionē S. Amb. factā, ſine vllo delectu quamplurimos eorū immaniſſima occiſione deleri imperarit. Sanè omnia opera noſtra fieri debent, vt tritæ illæ voces faciendum docent, *viſis, videndis, & conſideratis, conſiderandis*: Sic, *antequam incipias*, ait Saluſtius, *conſulito, vbi cōſuleris, maturè facto opus eſt.* Vnde Salomon: *palpebræ tuæ*, ait, *præcedant greſſus tuos*: nam, *hoc eſt*, vt Beda ait, *palpebras præcedere greſſus bonum opus, quod acturus es, ſedula cogitatione præuenire.* Sic *ſpiritualis homo*, ait Bernard. *omne opus ſuum trina quadam conſideratione præueniet: primùm quidem an liceat, deinde an deceat, poſtremo an expediat.* & certè, vt idem ait, *felix, cuius cogitatio omnes actiones ad iuſtitiam dirigit, vt & intentio ſana ſit, & operatio recta.*

Daniel. 3. 13. & ſeq.

Baron. tom. 4. anno Chriſti 390.

Saluſt. de bello Iugurt.

Prou. 4. 25

In omni actione quid pōderandū.

Bern. de conſid. lib. 3. poſt med.

Id. ſer. 4. fer. 4 hebdom. poen.

Et eſto eruditus, hoc eſt, edoctus, & bene inſtructus.

Cum quibus verſemur cōſiderandum.

6 *In omni conuerſatione*, Hoc eſt, delectum habeas ſociorū, neq; prius amicitiam cū aliquo ineas, & ſocietatē, quàm benè noueris, qualibus ille ſit moribus, & conuerſatione: conſiderans, nimirum, non minus nocua eſſe praua conſortia, quā ſint bona inutilia. vnde ait Sapiens: *Qui cū ſapientibus graditur, ſapiens erit, amicus ſtultorū*, ideſt, qui conuerſationem cū ſtultis init, *ſimilis erit eis.* Quare, *non ſis amicus*, ait idē, *homini iracūdo, ne diſcas ſemitas eius, et ſumas ſcandalū animæ tuæ.* Nam, vt vulgare eſt adagiū ex Euripide ſumptū, *Quiſque eſt, vt ij ſunt, cū quibus libens agit.* Itē, *qui propè claudum habitat, diſcit claudicare.* Et laudās Sentiū Auguſtinū iunior Plinius, ait: *Viuit cū Spurmna, viuit cū Antonio, quorum alteri affinis, vterq. contubernalis eſt. Poſſis ex hoc facere coniecturam, quàm ſit emēdatus adoleſcens, qui à grauiſſimis ſenibus ſic amatur.* Eſt enim illud veriſſimum, quod Diodorus affert:

Prou. 13. 30.

Prou. 22. 34.

Talis quiſq; eſt, qualis is, cuius conſuetudine delectatur.

Euripidiſ dictū vulgare.

Plin. iun. li. 4. epiſt. 27.

Diodor. li. 12.

ὅςις δ' ὁμιλῶν ἥδε δὲ κακοῖς ἀνήρ,
Οὐ πώποτ' ἠρώτησα γινώσκων, ὅτι
τοιοῦτος ἐςιν ὅις ἥδεται ξυνών.

Quicunque vir libenter cum malis agit,
Qualis eſt haud interrogem: cū illud ſciā
Talem eſſe, vt hi, quibus libenter vtitur.

Quòd nimirū, ſi talis omnino à principio nō ſit, celerrimè fiat. ſed plura de hac re ſupra. Verùm de nimia potatione vini, ſeu ebrietate vitanda, dicemus docum. 5.

Sap. c. 3. verſ. 17. docum. 2.

Quòd proximum ſicut nos ipſos diligere debeamus.

DOCVMENTVM I.

A

HANC Tobiæ doctrinam ſiue à Iudæis, ſiue à Chriſtianis acceptam, ita adamauit Alexander Seuerus Imperator, vt ſæpè & ipſe diceret, & per præconem diceret, cùm aliquem emendaret, *quòd tibi nō vis, alteri ne feceris.* eaq. verba, vt teſtis eſt Aelius Lāpridius, in palatio, & in publicis operibus præſcribi iuſſerit. Antoninus verò Pius cū audiſſet, Chriſtianos frequēter vti hoc prouerbio: *quod tibi nō vis, alteri ne feceris.* perſcrutatus Chriſti vitā, eidē ſtatuam ob hanc ſolam doctrinā ſacrauit. Eſt enim hoc præceptū pars vniuerſalis illius Chriſti Domini: *Diliget proximū tuū, ſicut te ipſum*: in quo legem totā eſſe ſitam, docuit B. Paulus: *Omnis*, inquiens, *lex in vno ſermone impletur: diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*: nam licèt duo dixerit Dominus eſſe præcepta, à quibus tota lex, & prophetæ pendent, videlicet dilectionem Dei, & proximi: quia tamen, qui proximum verè diligit propter Deum, Deū magis diligit, iuxta axioma illud philoſophicū: *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*: benè legē implere dicitur, qui præceptū fraternæ charitatis hoc ordine implet. Cōtinet etiā charitas proximi charitatem erga Deū, eo modo, quo materia formā, & corpus

Aelius Lāpridius in Alexand. ſeu

Matt. 19. 14.

Galat. 5. 14.

B

Charitas legem implet

cõtinet animã: quemadmodũ enim hominis caro ab anima habet ſubſtantiã, & naturam humani corporis, eaq́. recedente, iam non eſt corpus humanum, ſed cadauer inanime, ſenſu, motu, pulchritudine, voce, & alijs hominis proprietatibus deſtitutum; ita fraterna charitas ab amore Dei, cuius participatio in fratre diligitur, habet tanquam à ſpecie, & forma veræ charitatis naturam, atque ſubſtantiam, quo amore ſublato, non eſt vera proximi dilectio, ſed fictum ſimulacrum, ſtatua inſenſibilis, cadauer inanime charitatis. Rogatus enim Dominus,
C
quod eſſet mandatum magnum in lege: *Diliges*, ait, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, & ſtatim ſubiunxit, *ſecundum autem ſimile eſt huic: diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*. Non autem eſſent hæc duo præcepta ſimilia, ſi timor Dei, & proximi, in principio, & fine non conuenirent, & ſi eandem non participarent naturam: Vt autem, qui aureum annulum geſtare vellet in digito, geſtet figuram etiam anuli neceſſe eſt, ſine qua annulus nõ ſubſiſtit, neque ab ea auelli, ſeparariq́. poteſt; ita qui cupit mentem ſuam fratrum dilectione exornare, non poteſt huius dilectionis figuram, charitatem, ſcilicet, Dei prætermittere, quem ſolum in creaturis diligimus: nam, vt Auguſtinus ait: *qui ſanctè, ac ſpiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit, niſi Deum?*

Matt. 37. 39.

Aug. trac. 65 in Ioan.

Alteram huius vniuerſalis præcepti fraternæ charitatis partem affirmatiuam docuit Chriſtus Dominus, dum ait: *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*. & breuius B. Lucas, vbi ait: *prout vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter*. Vnde Chryſoſtomus: *Non opus*, inquit, *eſt multis ſermonibus, aut prolixis legibus, nec varia doctrina, voluntas tua ſit lex. vis beneficia capere? confer beneficium alteri: vis miſericordiam conſequi? miſerere proximi: vis laudari? lauda alium: vis amari? ama: vis partibus primis potiri? cede prius alteri: tu ſis iudex: tu ſis legis tuæ legislator*, Sic docens eo voluntatis affectu cum proximo coniungi quemque debere, quo ſibimet ipſi coniungitur, & ea etiam bona proximo ſubminiſtranda, quæ ſibi amanter ſubminiſtrat, eaque ab eo repellenda, quæ à ſeipſo repellit: ſi eſurit, apponit ſibi cibum, ſi ſitit, miniſtrat ſibi potum: ſi
E
nudus eſt: tegit ſe veſtimento: ſi inglorius, ſibi gloriam procurat, & bonum nomen: ſi infirmus, optat ſanitatem; eodem modo erga proximum nobis eſt faciendum: ſi eſurit, panem illi apponere debemus: ſi ſitit, potum, &c. etenim ſicut leo ex rugitu, ignis ex calore, homo ex ratione dignoſcitur; ita fraterna charitas ex beneficiorum exhibitione: ſic odit quis ſuum peccatum manifeſtari, & oculis omnium videndum exponi; nec ipſe fratris caſum alijs ſine cauſa, & vtilitate manifeſtet: odit de ſuis defectibus obmurmurari; neque ipſe de alterius culpis obmurmuret: multi enim, qui modicis fratrum culpis inſolenter detrahunt, in magnas iuſto Dei iudicio ipſi miſerias prolabuntur, vt in Maria ſorore Moyſis fuit præſignatum, quæ cùm locuta eſſet aduerſus fratrem ſuum, quòd vxorem Aetyopiſſam, & ingrati coloris accepiſſet,
F
nec ductæ nobilitatem conſiderans, nec cõiugij myſticam cauſam aduertens; lepra percutitur. Sit itaque amor ille, quo nos ipſos diligimus, amoris, quo proximum diligere debemus, & norma, & regula, dũmodo verus ſit noſtri amor, & vera delectio: nam ſi nobis iniquitatem, ſi ea, quæ à Deo auertunt, optamus; non vero, ſed apparente amore nos ipſos diligimus: *qui enim amat iniquitatem*, ait Dauid, *odit animam ſuam*: iniquitatis enim amor, & ſui ipſius amor contrarij ſunt, nec ſimul eſſe poſſunt, quia iniqnitatem amans, ſibi malum amat, ſeque ipſum amans, ſibi amat bonum: ergo, *ſi diligis iniquitatem*, inquit Auguſtinus, *audi veritatem, veritatem non tibi palpantem, ſed operte tibi dicentem: odis te: quanto magis dicis, quia amas te, odis te: qui enim diligit iniquitatem, odit animam ſuam*. Quare ille dicendus eſt ſe ipſum diligere, qui peccatis omnibus abiectis, omnem virtutem colit, quæ ſola verè boni rationem habet, & proximum ſicut ſe ipſum, qui & talia bona fratri ſuo deſiderat. Haud enim nutrix diligit lactentem filium, quando permittit illi gladium, quo ſe ipſum percutiat, aut ſinit in manu eius noxium cibum, quo aduerſam valetudinem incurrat: ſed tunc eum diligit, quando ea omnino tollit, quæ ſunt nocumentum allatura, licèt paruulus contriſtetur, & ploret; ſic profectò non diligit fratrem ſuum, qui conſentit peccatis illius, vel eius vitia palpat, & contegit, ſi reprehendendo, aut aperiendo medicinam præbere poteſt: *quemadmodum enim*, inquit Baſilius, *nullo modo benemeritum de nobis illum diceremus, qui quæ peſtifera ſunt, ea nobis in corpore includeret; ſed eum potius, qui cum dolorifero cruciatu, & cruoris etiam miſſione per lancinationem ea in apertum extraheret, quo videlicet, aut quod noxium eſſet, per vomitum repelleret, atque extruderet à corpore,*
H
aut in vniuerſum per morbi cognitionem eius quoque curandi ratio faciliùs cognoſceretur; ita nimirum peccatum occultare nihil eſt aliud, quàm ægrum ſua ſponte ad mortem ruentem impellere, & procliuiorem reddere.

Præcipit itaque in hoc verſiculo Tobias filio, eiq́. commendat proximi dilectionem, & eam, quam ſanctam vnuſquiſque erga ſe

ip-

D

Matth. 7. 12.

Luc. 6. 31.

Chryſoſt. hom. 13. ad pop. circa med.

Proximo facienda quæ nobis fieri amamus.

Charitas beneficiis comprobatur.

Pſ. 10. 6.

Aug. de diſcipl. Chriſtiana c. 9. hom. 9.

Peccati per ſe ipſe diligit

G

Proximum non diligit, qui eius ini[illegible]tatem fo[illegible]t.

Baſil. reg. 46. fuſius diſp.

Digitized by Google

ipſum habere debet, præceptum ſanè, quo nullum antiquius, quoue charius nullum ſanctis viris fuit, vtpotè Domini, & quod ſi ſolum fiat, ſufficit.

Hier. lib. de ſcript. eccl. & in comment. epiſt. ad Gal. lib. 3. c. 6.

I

S. Io. Euangeliſta cur de charitate concionaretur.

Hinc Beatus Ioannes Euangeliſta, teſte Hieronymo, cùm Epheſi moraretur vſque ad vltimam ſenectutem, & vix inter diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura verba vocem contexere, nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi hoc: *filioli, diligite alterutrum*, ex quo tandem diſcipuli, & fratres, qui aderant, tædio affecti, quòd eadem ſemper audirent, dixerunt: *magiſter, quare hoc ſemper loqueris*, qui reſpondit dignam Ioanue ſententiam: *quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit*. Præceptum Domini eſt, quia nunquam dixit Chriſtus, hoc eſt præceptum meum, vt omnino non iuretis, vt Sabbatha ſanctificetis, vt parentes honoretis: nunquam dixit: hoc eſt præceptum meum, vt diligatis Deum ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra, & ex tota mente veſtra, ſicut ipſe dilexit vos; ſed dixit: *hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*. non quòd cætera ſua non ſint præcepta, cùm ipſe

L

ſupremus ſit legislator, omnem legem gratiæ concedens, & omnia eius mandata in medium producens: de quo ſcriptum eſt: *conſtitue, Domine, legislatorem ſuper eos, vt ſciant gentes, quoniam homines ſunt*; ſed ſicut dicit aliquando pater ex multis filijs, quos genuit, vnum digito oſtendens: hic eſt filius meus, non quidem negãs alios ſuos filios; ſed eum, quem ſnum appellauit, dilectiſſimum, & chariſſimũ aſſerens, & declarans ſe erga illum maiorem habere charitatẽ, ſeu amoris affectũ; ſic Chriſtus, licèt multa præcepta, & mandata tulerit; hoc tamen fraternæ dilectionis præceptum vocat ſuum, quia primum, & præcipuum locum obtinet, eſtque illi dilectiſſimum, & ſicut Ioſeph inter fratres ſuos, & ſicut ſol inter ſtellas: ſic illud inter præcepta ſplendidiſſimè fulget: in hunc etiam modum potentiſſimus rex, cnius imperio multa regna ſubduntur, regnum ſuum

Pſ. 9. 2.

Charitas fraterna chariſſimo Chriſto Domino mãdatum.

M

peculiari conſilio vocat, quod præcipuum eſt, & illuſtrius, quod fortius eſt, & potentius, & à quo apud exteras nationes maiorem gloriam adipiſcitur: ita legifer noſter Chriſtus, cuius immaculata lex multa, diuerſaq. mandata complectitur, præceptum ſuum ſpeciali ratione vocat, quod cæteris eſt nobilius, quod finem legis continet, quod magis ſuam immenſam miſericordiam erga homiues, bonitatemq. declarat, & quod ſolum ſi fiat, ſufficit, vt Ioannes ait; nam vt Gregorius docet, *quicquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur; vt enim multi arboris rami ex vna radice prodeunt; ſic multæ virtutes ex vna charitate generantur*; ſic videre eſt aliquando pulcherrimam arborem

Greg. hom. 27 in Euang.

in vna radice, in vno, eodemque trunco multos diuerſarum arborum ramos amigdali, oleæ, ficus, aut cuiuſuis alterius naturæ arboris habẽtem, & vna cum ſit ſubſtãtia, multiplicis naturæ fructus emittere; ſic fraterna charitas, quæ quaſi trunchus eſt arboris, eo modo, quo diximus in diuina charitate radicatus, non multiplices tantum, diuerſæque naturæ virtutes; ſed propemodum infinitas, vna cum ſit, producit, vt ipſe B. Paulus ad Corinthios teſtatus eſt, dicens: *Charitas patiens eſt, benigna eſt; charitas non æmulatur, non agit perperam. non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitatem, congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*. Ita Moyſes murmurationes, minas, terrores, & defectiones populi ſui non modò patienter tulit; ſed iratum illi Deum placauit dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quẽ ſcripſiſti*. ſed cur? quia *charitas patiens*. Ioſeph autem, dum habenas populi Aegyptiaci moderaretur, fratres ad ſe accedentes, licèt infenſiſſimos eos habuiſſet; benignè tamen, ac ſupra quam fratrem fortè decebat, excepit: quia ſcilicet *charitas benigna eſt*. B. Paulus ita bonum ſuorum fratrum optabat, vt diceret, *cupio anathema eſſe pro fratribus meis*, quia *charitas non æmulatur*. Sic *dum charitas*, ait Gregorius, *cauet alteri facere, quod nequaquam vult ab altero ipſa tolerare, ſolicita ſe intentione circumſpicit, ne ſuperbia eleuet, & vſque ad deſpectum proximi, animum deijciens exaltet, ne ambitio cogitationem dilaniet, ne cor luxuria polluat, ne ira exaſperet, ne inuidia mordeat, ne odium malitiam excitet: penſat, vt malis bona, & bonis meliora reſpondeat, vt erga procaces manſuetudinem longanimitatis exhibeat, vt malitiæ peſte languentibus gratias benignitatis impendat*, & tandem ita amat proximnm, vt quod ſibi nou vult fieri, nec alteri faciat.

N

Charitas virtutum mater

2. Cor. 1. 13. 4. 5. 6. 7.

Exod. 32. 32.

O

Greg lib 10. moral. c. 4.

Quòd nobis ipſis omni opere cauere debeamus.

DOCVMENTVM II.

A

ETSI attendere ſibi vnuſquiſque omni tempore debet in omnibus operibus ſuis, illo tamen tempore, in quo periculum maius imminet, maiore opus eſt cuſtodia, maius autem periculnm nobis imminet tempore belli, quàm tempore pacis, & belli, in quo hoſtis eſt vafer, quàm eo, in qno hoſtis eſt

ſtolide ferox: nocturno etiam tempore maius, quàm clara luce. Cum itaque in hoc mundo nos denſæ ignorantiæ tenebræ circumcingant, inq. ipſis hiſce tenebris colluctatio nobis ſit cum hoſte, veteratore, maximo, priſco, & inſopito draeone, qui non minus acutè in nocte, quàm in die videt; maxima ſanè nobis opus eſt vigilantia, & attentione, illorum more, qui valdè ſibi cauent ab inſidijs latronum, vel qui contra hoſtes ſub armis gradiuntur, vel denique, qui procelloſum mare, mortiq. obnoxium nauigant: eſt enim vita noſtra, vt ſæpè audiuimus, & manifeſta experientia docemur, militia, eſt peregrinatio, eſt nauigatio periculis plena, quam in naui corporis huius peragimus, in qua tempus nobis tranquillum nullum, quies nulla, ſed continnis laboribus, & continua tempeſtate ſæpiſſimè periclitamur: adſunt in itinere, in militia pericula, in mari Scylla, & Cbarybdis, à quibus, ni maximè nobis caueamus, demergimur. Quare Chryſoſtomus: *opus eſt*; inquit, *vigilantia, dilecti: nam & miles dormit non in lectulo, ſed humi: piſcator non dormiens piſcatur, ſtans aliquando peragit noctem: agricola vigilat, ne domini vinea lædatur, & paſtor ſub dio ſtans, noctem conſumit, gregem cuſtodiens: ſicut Iacob dicebat: æſtu vrgebar, & gelu, & ſomnus fugiebat ab oculis meis: & quæ ipſius vigiliæ ratio? ne illa ouis à fera necaretur: ſi verò tanta de irrationali pecude cura, qualis eſſe debet de rationali anima ſolicitudinem gerentis?* Propter hanc Iacob capiti ſuo lapidem dormiẽs ſuppoſuerat, vt facilius egigilaret, vnde ſcalam vidit ad cælos vſq; pertingentem: ſic vt continuè vigilantes pugnemus, voluit Deus, nos exitum habere incertum. Et quidem ſi quando pericula fuerunt, pro quibus maximè ſit vigilandum, ſunt modo grauiſſima: ſi quando tempore fuerunt perículoſa, ſunt modò capitalia: ſi quando noxiæ fuerunt hominum conſuetudines, & conuerſationes: ſunt modo letalia, & prorſus venenata: modo, inquam, quando vbique fraudes, & peſtes, & plurima mortis ſpiritualis imago conſpicitur: non quidem aperta, vt olim, & manifeſta, ſed fraudolenta & oeeulta. Verũ quod ſingulari cuſtodia attendere nobis ipſi debemus, vt monet Tobias, in omnibus operibus noſtris, quatuor etiam illa animalia, quæ vidit Ioannes in Apocalypſi, non obſeurè nos docuerunt, quæ cum plena eſſent oculis antè & retrò, ſignificabant, non ſufficere iuſtis quibuſcunque, per quatuor illa animalia ſignificatis, nec bouis laborem, nec leonis fortitudinem, nec aquilæ volatum, nec hominis rationem; ſed ad propulſanda pericula illis etiam opus eſſe tanta oculorum multitudine, vt oculos habeant in oculis, auribus, naribus, corde, & vbique, ad videnda non ſolum videnda, ſed etiam audienda, olfacienda, cogitanda, tandem, omnia quæcunque operanda ſunt: quæ quidem multitudo oculorum multo magis nunc eſt neceſſaria, quando nec labor, nec fortitudo, nec vlla ingenij acies, nec naturale rationis lumen quodammodo in rebus agendis reperitur: dum omnia ad corruptæ naturæ regulam operari homines conſpiciuntur, rectamq. rationem relinquentes, quæ locus naturalis eſt hominis, *tranſeunt*, vt Pſaltes loquitur, *in affectũ cordis*, qui locus eſt beſtiarũ, ibiq. dormiũt, & cõquieſcũt, ac ſi nulla eſſet tẽpeſtas in medio mari, & ibi quaſi ſopiti gubernatores, clauum amittunt, vt ſapiens ait: *Et eris*, inquiens, *ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator: amiſſo clauo: & dices, uerberauerunt me, ſed non dolui, traxerunt me, ſed non ſenſi*. Et ſicut Ionas in magna tempeſtate poſitus, dum nautæ nauem alleuiant, Deum orant, vela complicant, ad inferiora nauis, vt dormiret, deſcendit; ſic ipſi ſopore graui tunc oppreſſi, dormiunt, quando cum ſanctis magis laborandum eſſet. Quare illos imitari debemus, qui ſe ipſos attentè cuſtodientes in omnibus operibus ſuis, cum Iſaia dicunt: *Super ſpeculam Domini ego ſum, ſtans iugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam ego ſum, ſtans totis noctibus*. quod etiam in animalibus cõmemoratis apud Ezechielem, fuit eleganter expreſſum: nam cum illorum ſingula quatuor facies haberent, hominis, aquilæ, vituli, leonis, omnia tamen habebant plantam pedis quaſi vituli, nimirum, diuiſam, per quam diſcretionem fuiſſe ſignificatam docuerunt Patres, quã quæ animalia non habent, vt eſt in Leuitico, immunda cenſentur: ſic ibi: *qui ruminat, vngulamq. non diuidit, immundus eſt*.

Attende itaq. fili mi, ait Tobias; *in omnibus operibus tuis*. hoc eſt, omnia, quæ operaris, diligenter perpende: *ponite*, ait Aggæas, *corda veſtra ſuper vias veſtras*: hoc eſt, diligenter attendite vobis in omnibus operibus veſtris, artifices imitantes, qui antequam opus aggrediantur, illius exemplar menti inſcribunt: attendentes nimirum, an quod acturi eſtis, vos per viam latam perditionis ducat, quæ aberrando & diſcedendo à medio, in extremis eſt poſita: an per arctam ſalutis, quę virtutis cum ſit, in ſolo conſiſtit medio.

Periculа, in quibus verſamur, maxime nos cautos debent reddere.

B

Chryſoſt. hom. 62. ad pop.

Vigilandum nobis eſt, vt caueamus ab hoſtibus.

C

Apoc. 4.6.

D

Pſ. 72. 7.

E

Prou. 23. 34. 35.

Vigilantia ſpiritualis ſaluti apprime conducit.

Iſa. 21. 8.

F

Leuit. 11. 3.

Aggeæ 1. 5. 7.

Quod nimia vini potatio vitanda ſit, deque ebrietatis damnis.

DOCVMENTVM III.

A SANE dum hic iuxta LXX. præcipit filio Tobias, vt vinum ad ebrietatem non bibat, nec ebrietatem comitem

iti-

itineris ſui habeat ebrietatem, & ebrioſitatem, hoc eſt, actum, & conſuetudinem huius vitij prohibere videtur: nam, teſte

Laërtius.

Laërtio, ebrius eſt, qui nimio potu alienatus à mente efficitur, & ebrioſus, qui ſæpè fit ebrius, vel qui, vt Tobias loquitur, comitem viarum ſuarum ebrietatem habet; non tamen prohibet, vt hæreticos nonnullos,

Epiphanius. Auguſtinus.

teſte Epiphanio, & Manichæos, teſte Auguſtino, feciſſe legimus, omnimodam uini potionem, quam moderatam, vtiliſſimam eſſe docet Sapiens, dum ait: *Aequa vita hominis vinum in ſobrietate*, hoc eſt vitæ æquari poteſt vini ſobria potatio; nam, vt idem ait, *quæ vita eſt, quæ minuitur vino?* etenim cum *vinum lætificet cor hominis, & in iucunditate creatum ſit*, ſine qua miſera eſt, & breuis vita hominis, breuis etiam eſſe illa debet, vt in pluribus, & miſera, quæ eo deſtituitur: quare B. Paulus Thimotheo. *vtere*, inquit, *modico vino propter ſtomachum*. Verum, vt idem ait Sapiens, licèt vinum vitam augeat, atq; cõſeruet: *ſitque exultatio animæ & corporis ſobriè potũ, multum tamen potatum*, & ad ebrietatem, *ruinas multas facit, & amaritudo eſt animæ. Noxia eſt ebrietas*, ait Ambroſius, *ad corporis ſanitatem, menti etiam crimen adiungit.* Quod vtrumque malum docuit Salomon, dum ait: *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera,? cui ſuffuſio oculorum? non ne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Væ* ſanè *duplex*, vt ait Hieronymus, *carnis, & ſpiritus, præſentis ſeculi, atq; futuri*, præſentis quidem ſeculi, quia abominabilem fœditatem inducit, & talem, vt exiſtimarit Anacharſis ad fugiendam temulentiam ſingulare eſſe remedium ebriorum fœditatem intueri: Rogatus enim, qua ratione quis effugeret, ne fieret temulentus, reſpondit; ſi ſemper præ oculis habeat ebriorum indecoros mores, ob quos meritò Chryſoſtomus ebrietatem generis humani vocat *opprobrium*. Seruarunt hoc Lacedemones, qui pueris temulentos demonſtrabant ſeruos, vt deforme ſpectaculum ebrietatis videntes, illam magis abominaretur. *Ebrij*, ait Hieronimus, *vomunt, vt bibant, bibunt, vt vomant: digeſtio ventris, & guttur non occupantur officio*. Et Ambroſius: *vocem amittunt, colore variantur, oculis igneſcunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardeſcunt, ſenſu excedunt, Eos videre licet*, ait Baſilius, *oculis liuêtibus, cute ſubpallida, ſpiritu graui, lingua balbutiente, ac demiſſa, voce confuſa, pedibus puerorum more infirmis, ac titubantibus*, & infra. *Quaſi gentium idola oculos habent, & non uident, aures habent, & non audiunt, manus paralyſi affectas, pedes infirmos, ac facile offendentes*: & iterum: *miſerum ſanè ſpectaculum Chriſtianorum oculis vir, ætate florens, corpore robuſtus, obeundis in exercitu laboribus aptus, aliorum ſubſidio domum reportatur, neq; erigere ſe ipſum valens, neq; proprijs incedere pedibus, & qui terrori hoſtibus fuerat, ridiculus in foro pueris videtur, occaſionemq́. præbet, vt ab omnibus contemnatur, ſine ferro vulneratus, ſine hoſtibus enectus, &c.* ſed deformiores tibi apparebunt, ſi qualis fuerit Noë, licèt ſine culpa, ebrius in tabernaculo; quid fecerit Loth cum filijs, quid infamis ille iuuenis, de quo auctor ſermonũ ad fratres in eremo cum propria matre, conſiderabis, quæ quidem tam fœda ſunt, vt etiam referre omnino pudeat.

Eccli. 31. 32.
Vini moderatæ potationis vtilitas.
Sobrietas diuturnæ vitæ conducibilis.
Timoth. 5. 23.
Eccli. 31. 34. 36. 39.
B
Prou. 23. 29. 30.
Hier. in Amos 5. ad illa verba, in omnib. plateis planctus, &c. & Ezech. 2.
Ad ebrietatẽ vitandam remedium.
C
Chryſoſt. hom. 1. ad pop.
Sobrietatem inſaniæ temulentorũ perſuadent.
Hier. in c. ep. ad Tit.
Ambr. de Elia Iuuenis.
Baſil. hom. 14
D
Aug. ſiue auct. ſer. ad frat. in Erem. ſer. 33.

Facit etiam ebrietas homines brutis quodammodo irrationabiliores, quia vt Chryſoſtomus ait: *omnes animantes rationis expertes, cum bibunt, aut comedunt, vltra quam ſatis eſt, etiam ſi mille homines cogerent, nunquam elabuntur, & ſi quis huius rei cauſam quæreret, nemo*, ait, *reſpondere dubitabit, ne comedendi, aut bibendi exceſſus eis detrimento ſit: cum igitur minus tibi, quàm beſtiæ, prouideas, non ne hoc facto tu minoris te putare videris, qui, te continuò in dolores impellas?* Et Auguſtinus: *animalia*, inquit, *ducuntur ad aquam, vbi ſaturauerunt ſitim ſuam, etiam ſi ſupra aquã ipſam diutius teneantur, repleta ſiti bibere nolunt, nec poſſunt: conſiderent ebrioſi, ſi non peiores animantibus iudicandi ſunt: cũ enim animalia amplius, quàm eis opus eſt, bibere nolint, illi & duplũ, & triplum, quàm eis expedit, potum accipiunt*, idq́. quia, vt Iſaias ait, *Ebrij abſorpti ſunt à vino*: abſorbent vinum, & abſorbentur à vino: ſicut enim *aqua*, ait Baſilius, *igni eſt aduerſa, ita vinum immodicum rationem ſupprimit*: nam ebriorum animę à vino ſubmerſæ ſunt, ſicut ab aqua maris naues.

Chryſ. hom. 58. in Matt.
Ebrietas homines brutis peiores reddit.
E
Aug. ſer. 231. de temp.
Iſa. 28. 7.
Baſilius vbi ſupra.

Tantis etiam, ac talibus replet hominem infirmitatibus, vt vix enarrari poſſint: ex illa oculorum lippitudo, narium coriza, oris graueolentia, membrorum tremor, capitis diſtillationes, tuſſis, apoplexia, paralyſis, & articulares morbi. *Ebriorum oculi*, ait Chryſoſtomus, *nares & os coriza murco, & putredine, & his, quæ intus generantur, cænoſis, & impuris affectibus ſunt plena, & ipſa carnis ſubſtantia laxior ſit, quã naturæ proportio requirat.*

Infirmitates ex ebrietate promanãtes.
F
Chryſoſt. contra crap. to. 5.

Inutiles ad quodlibet opus bonum homines facit, quia, vt Auguſtinus ait: *Omnes ebrioſi tales ſunt, quales paludes eſſe videntur: quod enim in paludibus naſcitur. nullũ fructũ habere cognoſcitur: naſcuntur ibi ſerpentes ſanguiſugæ, naſcuntur ibi ranæ, & diuerſa genera vermium, quæ magis horrorem poſſint generare, quàm aliquid ad victum exhibere: iſtæ enim herbæ, vel arbores, quæ aut in ipſis paludibus, aut circa ripas naſci ſolent, nihil vtilitatis habere uidentur, in tantum, vt annis ſingulis incendio con-*

Aug. ſer. 231. vbi ſup.
Ebrius nemini prodeſſe poteſt.
G

cre-

Baſil. hom. in ebrietatem.

erementur. Quare *periculum ò miſer eſt*, ait Baſilius, *ne pro homine cœnum, lutumq́. fies, ſi penitus vino deditus marceſcis*. *Etenim & terra*, ait Chriſoſtomus, *aquarum abundantia oppreſſa, ornatum, calorem, ac vires perdit, neq; ad ſuum opus, vel procreationem eſt idonea*.

Chryſoſt. vbi ſupra.

Idem hom. 27 ad pop.

Ebrietas fons vitiorum omnium.

Et tandem in omnia inducit vitia: nam *hæc fons, hæc mater*, ait Chriſoſtomus, *atque origo vitiorum omnium eſt, nemoq́. diabolo magis amicus eſt*, ait idem, *quàm qui delicijs, & ebrietate maculatur*. ex quo fit, quod grauius eſt, vt hominem in væ futuri etiam ſeculi incidere faciat, & bono priuet æterno: *Ebrietas* enim quaſi *infernis puteis*, ait Auguſtinus, *quoſcunq; ſuſcepit, niſi digna ſubuenerit pœnitentia, & emendatio fuerit ſubſecuta, ita fortiter ſibi vendicat, vt eoſdem ipſos de inferni tenebroſo puteo ad charitatis, ſiue ſocietatis lucem ſine pœnitentia redire non permittat*: nam ebrioſi ouantes in tartara ſe demittunt, iociſq́. & riſibus inter pocula indulgentes, miſerandum ſuæ damnationis opus ridentes procurant, & ſtrenuè promouent: quòd ſi ebrioſi *regnū Dei*, vt ait B. Paulus, *non poſſidebunt*, ergo morientes deſcendunt ad tartara, & quomodo idem B. Paulus, ne in Damaſcum à ſibi inſidiantibus comprehenderetur, à fratribus per murum demiſſus eſt in ſporta, & ſic effugit manus perſequentium; ita illi, dum ſe inebriant, quodãmodo ſe ipſos in ſportam ponẽtes, fune lenteo in manu altera prehenſo, paulatim in os inferni ſe ipſos demittunt: & quot hauſtus ſumunt, tot illis ſemper trocheæ giris ſaburra potus deprimente, deſcendunt. Vnde & illis contingit, quod olim duobus millibus militũ Leonidis Spartanorum Regis, qui poſtquam L X X. penè Perſarum millia trucidaſſent, cum, facta iam ſtrage, ad reficiendas vires prandere vellent, *Prandete hic*, ait illis Leonides, *tanquam apud inferos cœnaturi*. quod ita accidit: nam ex fatigatione ceciderunt ſuper mortuos, illiſq́, commorituri pariter recubuere: ſic, inquam, ebrioſi, dum ſe crapulis tradunt, & ebrietati, vt plurimum ita prandent, vt inebrientur vino, & à crapula ad inferos demigrent.

Aug. vbi ſup.

H

2. Cor. 6. 9.
Act. 9. 25.
2. Cor. 11. 33.

I

Abſtinere à vino laudabiliſſimum.

Cum ergo his, qui cõmorantur in vino, & calicibus large epotandis indulgent, væ iſtud contingat: laudabiliſſimum erit omnino à vino abſtinere, vt ſanctiſſimi viri non pauci fecerunt: Sic Eccleſiaſticus; *Cogitaui*, inquit, *in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animam meam transferrem ad ſapientiam, deuitaremq́. ſtultitiam*. Sic laudat Spiritus Sanctus apud Ieremiam Rechabitas, quòd vinum, vt parerent Ionadab ipſorum patri, non biberint: laudat etiam Danielem, quòd à vino, aqua ſola contentus, cum ſocijs abſtinuerit: Gabriel Angelus inter admirandæ ſanctitatis Ioannis Baptiſtæ argumenta ponit, quòd vinum, & ſiceram non eſſet bibiturus. Euſebius commemorat, S. Marcum Euangeliſtam, primis fidelibus in Eccleſia Alexandrina degẽtibus, inter cætera virtutum exercitia, abſtinentiam à vino commendaſſe. S. Auguſtinus agens de eccleſiaſticis ſui temporis, eos laudat, quòd à vino abſtinuerint. S. Hieronymus in cęlum ferens Paleſtinę monachos, ſcribit, ne ægros quidem ſibi vinum indulſiſſe: ſed quia neq; omnibus aut licet, aut libet à vino abſtinere, documentum ſaltem Tobiæ vnuſquiſque ſeruare debet: *Vinum ad ebritatem non bibes, & non eat tecum ebrietas in via tua*.

Eccleſ. 2. 2

Ierem. 35. 18.

Dan. 1. 10.

L

Lucæ 1. 15

Euſeb. li. 2. c. 7. hiſt. eccl.

Aug. li. 1. de morib. Eccl. c. 3.

Hier. ad Euſtoch. de virg.

VERS. XVII.

Panem tuum cum eſurientibus & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege.

1 *Panis nomine quid ſæpè in ſacris literis ſignificatur.*
2 *Eleëmoſyna de proprijs bonis facienda.*

PANEM tuum. Docet hic Tobias filium, quibuſcũ præcipuè cibum ſumere, quibus miniſtrare, & quibus tandem veſtimenta ſua communicare debeat.

Panis nomine, ſicut etiam ſupra, Hebræorum more omne ſignificatur edulium, & omnia neceſſaria victui, vt etiam ſignificatur verbis orationis Dominicæ, quibus panem quotidianum petimus: nam ſi panem ſolummodo illa petitione expoſceremus, fruſtra reges illam ſibi vſurparent. Sanè nec diuina ſententia in Adamum, & poſteros lata, *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, de pane, atq; victu nudo, cùm nec illum fortè ante diluuium manducarent, herbis, & fructibus contenti, de omnibus victui neceſſarijs, herbis, fructibus, leguminibus intelligitur, quæ omnia labore illum ſibi comparare in poenam peccati voluit.

Sup. c. 2. v. 5.

Luc. 11. 3.

Gen. 3. 9.

Cum eſurientibus, & egenis comede. Non dicit, ait Hugo Cardinalis, cum diuitibus comede: nam res pauperum ſunt ea, quæ nobis ſuperſunt: *Dare diuitibus*, ait Hieronymus, *ſacrilegium eſt: diſperſit, dedit pauperibus*, ſed de hac re in documento dicemus.

Hugo Card. hic.

Hieron. in pſ. 111.

Et de veſtimentis tuis nudos tege: De veſtimentis, ait, *tuis*, ſicut etiam dixerat de pane tuo: nam *multi*, vt ait Hieronymus, *multa pauperibus, ſed de aliena ſubſtantia, & frugibus, quæ ſui vel fraude rapuerunt, tribuunt*. Vt Auguſtinus: *multi ſunt*, ait, *qui de alienis lacrymis eleemoſynas facere ſe*

Hier. in Iſai. 48. ibi frange eſurienti, etc.

Aug. ſer. 62. ad fratr. in Erem.

ſpe-

2 *ſperant, vnum expoliant, alterum veſtiunt; vnum inanem faciunt, alium alienis reficiunt: eleemoſyna cum iniquitate acquiſita, abominatio eſt apud Deum*, cuius rei rationem aſſignans Chryſoſtomus, ait: *dic mihi quæſo te, ſi aſinum mortuum, vel fœtidum in ſacrificium offerres, non ne te lapidarent, vt impium, quia fœtidam rem obtuliſti? mortuo ergo aſino grauius olet ſacrificium ex rapina Deo oblatum. Quod ſi Cain munera non Deo placuerunt, quia ex proprijs deteriora Deo obtulit, quomodo ex alienis oblata, illi erunt accepta?* Verum de hac re plura iam ſuperius dicta fuere.

Chryſoſt. hom. 72. in 10. 10. 3.

Quòd pauperes commenſales habere debeamus.

DOCVMENTVM I.

A SICVT in corpore humano membris infirmioribus, cæterorum quodammodo oblita, ſolet natura ſuccurrere, & vt vacuum impleat, ſui quodammodo oblita, efficere, vt grauiora aſcendant, deſcendant leuiora; ita hominem homini infirmo, & vacuo ſuccurrere decet, plenum, vegetumque relinquere, nec proprio diſpendio, vt hoc aſſequatur, parcere: ſic Eliſæus præcepit vaſa vacua impleri, non plena, pauperes myſticè deſignans, qui vacui bonis externis, oleo miſericordiæ repleri debent, & eius quidem, quod erga nos ipſos habemus; vnde panem noſtrum, & noſtra veſtimenta docet Tobias pauperibus tribuenda; ſunt enim nonnulli, qui ſi fruſtulum panis, aut veſtem laceram pauperibus tribuunt; magnum quid ſibi feciſſe videntur, qui tamen lautiſſima ſibi parant conuiuia, quæ dum illis cruditate ciborum repletis, nauſeam faciũt, pauperibus eſſent in maximo refrigerio:
B quibus Chriſtus ait: *Cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris. Confundantur hic*, ait Albertus, *qui dicunt, pauperibus non eſſe danda delicata; quamuis enim eis non ſint delicata porrigenda continuè, ne conſueſcant; tamen crudele eſt dicere, quòd nihil vnquã delicati debeat porrigi pauperibus, quia ſine delicijs omnimodis non poteſt viuere natura humana: Nehemiæ 8. habes? Comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes eius, qui non præparauerunt ſibi: pinguia autem, & mulſum ſunt delicata.* Sic in primitiua Eccleſia non raró, Tertulliano teſte, lautiſſima parabantur pauperibus conuiuia: vnde etiam gentes occaſionem ſumpſerunt detrahendi Chriſtianis, quòd nimis profuſi eſſent in cibis, quibus Tertullianus reſpondens, ait: *Cœna noſtra de nomine rationem ſuam oſtendit; vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio apud Græcos eſt, quantiſque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum; ſiquidem inopes quoſque refrigerio iſto iuuamus:* quem
C quoque morem ſanctiſſimi deinde viri ſunt imitati. Sic Euphemianus Romanus, & Aglaë vxor eius, cùm diuitijs pollerent, nec prolem vllam habere poſſent, quotidie poſitis menſis, pauperculos domi conuòcatos, delicatioribus obſonijs reficiebãt, proprijs etiam manibus miniſtrantes: quibus pietatis officijs, à Domino filium Alexinm promeriti ſunt, quo ſolo contenti, deinceps cõtinentiam inter ſe perpetno ſeruanerunt: ſicque ob lautiores pauperibns epulas miniſtratas, prolem ſanctam, ſanctum propoſitum caſtitatis, & vitam tandem æternam conſequuti fuerunt. Sic & pius ille Antiochenus, qui, teſte Gregorio Turonenſi, nullũ diem prætermittebat, quo panperes vndiq; conquiſitos, ad ſuam menſam non aduocaret, dum quadam die ciuitatem vninerſam luſtraſſet, nec qui ſecum pranderet, pauperẽ reperiſſet, mœnia ipſa dum egreditur ieiu-
D nus, nocte iam ineunte, cùm virum inſignem candenti amictu, inter duos ſtantem, eſſet conſpicatus, ſic illnm eſt allocntus: amabo te, qui peregrinus es, cum ſocijs domũ meam accede, vbi ſnmpto cibo, acquieſcas; qui nihil ad dicta reſpondens: nequaquam, inquam, efficere poteris, ne vrbs hæc ruat: moxque in alteram ciuitatis partem excuſſo ſudariolo, ſtatim tota illa pars concidit, cũque reliquum vrbis euerſurus, ſignum extuliſſet, duorum comitum, quos diximus, precibus indulgens, deſtitit, atque ita Antiochenum hominem iacentem, ac ſemimortuum erigens, his verbis eſt conſolatus: abi domum tuam, filij tui cum vxore ſalui ſunt, defendit enim te & aſſidua oratio, & eleemoſynarum, quas in pauperes quotidie exerces, elargitio; quibus dictis, & ipſe, & ſocij euanuerunt. At vir pius ad ſuos reuerſus, patriæ deuaſtationem non ſine lacrymis demiratus eſt, Deo gratias quammaximas agens, quòd ſe, ſuosq. omnes, quaſi
E alterum Loth, dextera Domini in medio impiorum ſaluos reliquiſſet.

Sed quid hæc recentiora commemoro? Iob ſanctiſſimus Patriarcha nunquam ſe buccellam ſuam ſine pauperibus, & pnpillis comediſſe teſtatur: *ſi*, inquit, *comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea, &c.* vbi emphaſim magnam habet buccellæ nomen, quo panem primarium, & delicatiorem, ſimilaceumq. ſignificat, indicans, haud vnquam ſe delicatiora quæque ſine pauperibus comediſſe: idque ſanè ſanctiſſimi viri fecerunt, tum quia vel ipſa natura dictabat, iuuandum eſſe conſortem naturæ; tum etiam quia iniuriam non par-

uam

Hier. in pſ. 13
4. Reg. 3.
Luc. 14. 13
Albertus in Lucam.
Pauperibus etiam delicata elargiẽda.
Nehem. 8.
Tertull. in apolog. c. 39.
Sur. in vit. S. Alexij.
Eleemoſyna prolẽ à Deo conſequitur
Greg. Turon. li. 10. hiſt. c. 23.
Eleemoſyna à morte vindicat.
Iob 31. 17.
Sanctiſſimi viri frequentiſſime pauperes commenſales habebant.

uam illum patri facere nouerant, qui paterna bona obtinens, fratri indigenti alimentum denegat, ſuperbeque, & crudeliter admodum indulgentia paterna abutitur. Quare cùm Deum omnium patrem, vt ait Malachias, eſſe norunt, pannoſum, & egentem pauperem, vt fratrem complectuntur, illique ſuccurrunt: vel denique, quia ipſum Chriſtum in paupere non oſcitanter aduertunt. Vnde ſicuti nullus eſſet, qui Chriſto in propria perſona ſtipem poſcenti, vtiliora non miniſtraret; ſic nullus eſſe debet, qui ſciens Chriſtum dixiſſe: *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, pauperibus viliora tantùm miniſtraret. Nec omittam dicere, non rarò poſſe contingere, vt in propria perſona Chriſtus ille ſit, qui ſub pauperis ſpecie à nobis eleemoſynam poſcit: nã licèt ille ex alto omnia cognoſcit; ſæpè tamen, vt ego quidem opinor, delabitur, vt hominibus in iudicio acrius improperet, quam ipſe expertus ſit feritatem. Certè Gregorius, cùm peregrinos pauperes quotidie ad menſam adhiberet, Angelum ſemel, vt in breuiario Romano habetur, ipſumque Angelorum Dominum peregrini facie accepit. Martinus, vt refert Seuerus Sulpitius audiuit à Chriſto: *Martinus adhuc cathecumenus hac me veſte contexit*: & Martinus Abbas, vt Gregorius refert, Chriſtum ſub infirmi pauperis ſpecie ad monaſterium ſuis humeris geſtauit. Nec eſt, quòd vetet nunc etiam ſæpius illud feri, quod toties factum eſſe ſcriptores non infimæ claſſis affirmant, ita vt dum nudum pauperem induis, aut famelicũ paſcis, aliquando ipſum Chriſtum induas, & paſcas.

Malach. 2. 10.

F

Eleemoſyna pauperi, ac Chriſto ipſo tribuenda.

Matth. 25. 40.

In Breuiario Romano. Seuerus Sulpitius in vita s. Martini. Greg. hom. 39 in Euang.

Pauperum perſonam Chriſtus aliquando ſuſcepit.

Quòd vel ſaltem ſuperflua pauperibus tribuenda ſint.

D;OCVMENTVM II.

AT ſi meliora pauperibus elargiri non eſt animus, ſaltem ea, quæ tibi ſuperfluunt, tribuere debes, vt filium ſuum idem noſter Tobias iuxta LXX. docuit faciendum, hæc addens: *omne quodcunque ſuperfluit tibi, fac eleemoſynam*: nam quiſquis ſuperflua omnia (ſuperflua dicimus ea, quæ nullo modo nec naturæ, nec ſtatui ſunt, vel prudenti conſideratione præuidentur fore neceſſaria) pauperibus diſtribuere debet: quod etiam Dominus præcepit, dum ait: *quod ſupereſt, date eleemoſynam*. Hinc S. Thomas: *dare*, inquit, *eleemoſynam de ſuperfluo eſt in præcepto, & dare eleemoſynam ei, qui eſt in extrema neceſſitate, aliàs artem eleemoſynam dare eſt in conſilio*. Et alibi: *res*, inquit, *quas alij qui abundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum ſuſtentationi*. Quod certè veriſſimum eſſe ex eo apparet, quòd omnia, quæ in familiarẽ vitæ vſum quouis modo veniunt, licèt iure gentium alijs, & alijs ſint adiudicata, iure tamen naturali ſunt cõmunia: quare cum abſolutè vſus abundantium præpoſterus ſit & naturali, & gentium iuri, quæ docent, nullo modo permittendum eſſe, vt vnus ſitiat, alius vero ebrius ſit; fieri haud poteſt, vt illa huic, vel illi homini aliquo iure verè ſint propria, quæ omnibus ſunt egentibus iure debita, licèt quoad curam, & diſpenſationem ipſorum, donec re ipſa in pauperes, vel alias pias cauſas exponantur, citra culpam penes occupantem remaneant: quo ſit, vt apertè contra æquitatem iuris naturalis peccet, qui ea, quæ perſonæ propriæ neceſſaria nullo modo ſunt, (hæc enim ſuperflua vocamus) cõmodè cum poſſit, in egenos non diſtribuit.

A

LXX.

Superflua quæ ſint.

Luc. 11. 41. *S. Th.* 2. 2. q. 32. ar. 5 & q. 66. art. 7.

B

Superflua diſtribuenda ſunt ex præcepto.

Nec eſt, cur dicant aliqui, quòd ſi hoc verum eſſet; nulli opulento liceret ſplendidè ædificare, aut dignitatem aliquam coëmere, aut monaſterium, vel ſtudioſorum hominum collegium conſtruere, non mercaturã exercere, aut oblatam hæreditatem adire, quandoquidem ſuperflua, ex quibus hæc vt plurimum fieri conſueuerunt, egentibus ſunt diſtribuenda: nam eccleſias dotare, bibliothecas publicas, vel ſtudioſorum hominum collegia inſtruere, aliaquè id genus pia opera facere, non modo non repugnat cum veritate eleemoſynarum, ſed principem quoq; locum inter eas obtinent; ſic etiam ſe, ſuaq. omnia, iuxta communem ſui ſtatus conditionem gubernare, prædia ampliare domus ædificare, reædificare, & his ſimilia, quæ neceſſitatem ſtatus reſpiciunt: nam vt ait Auguſtinus: *Quicquid Deus nobis plus, quàm opus eſt, dederit, non nobis ſpecialiter dedit, ſed per nos alijs erogandum tranſmiſit, quod ſi non dederimus, res alienas inuaſimus*. Quare qui ſuperflua ſibi neceſſaria putant ad altiorem in Republica ſtatum acquirendum, neceſſitatẽ conſiderare debent, quæ illos ad altiorem illum ſtatũ procurandum impellit, cum facillimum ſit ſuperflua non ſuperflua reputare, rationesq. ſibi quiſque fingere, vnde ea, tanquam ſibi neceſſaria retineat. Sanè optimum cuique eſſet Auguſtini conſilium ſeruare, quod ſic habet: *quicquid ex victu mediocri, & veſtitu rationabili ſuperfuerit, non luxuriæ reſeruetur, ſed in theſauro cæleſti per eleemoſynas pauperum reponatur*, cum valde formidabile ſit, & periculoſiſſimum, vt Chriſtus ipſe nobis oſtendit, aliter facere: vnde benigniſſimus ipſe ait: *Filioli, quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt?* & alibi hanc difficultatem per ſimilitudinem explicans: *Facilius eſt*, inquit, *camelum per foramen acus tran-*

C

Aug. ſer. 219 *de temp.*

D

Aug. vbi ſup.

Marci 10. 23.

Luca 18. 25.

ſire

ſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. 1.Tim.6.9 Quare B. Paulus: *qui volunt*, inquit, *diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diabodi.*

Sed mira res. licèt tanto cum periculo diuitię retineantur, *omnes* tamen, vt Ieremias (Ierem. 6. 13.) ait, *à minore vſque ad maiorem auaritiæ ſtudent, & à propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum.* (E) Non omnes, inquit, Theologiæ, non Iuriſprudentiæ, non Medicinæ, non Aſtrologię, ſed auaritiæ ſtudent, ac ſi dicat: Eſt auaritia, ſunt diuitiæ alphabetum puerorum, otioſorum Amadiſius, Virgilius poetarum, hiſtoricorum cronica Medicorum Galenus, Cauſidicorum Baſtolus, & Baldus, Theologorum S. Thomas, & omnium tandem libellus: *Omnes auaritiæ ſtudent.* & quod lacrymis inconſolabilibus flẽdum eſſet, nec illi, qui ſpiritualem, & ſanctã vitam profitentur ab hoc ſtudio vacant, ita vt vix vnũ reperire poſſimus, qui Lydio huic lapidi reſiſtat. (Auaritia libellus eſt, cui omnes ſtudent.) Eccli. 31.8 *Beatus*, itaque, *vir, qui poſt aurum non abÿt, nec ſperauit in pecunia theſauris.* nam *fecit mirabilia in vita ſua*: quã beatitudinem facilè aſſequitur, qui facilè, ſaltem omne, quodcunque ſuperfuerit, pauperibus tribuit.

VERS. XVIII.

Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.

1 *Quid ſit panem, & vinum ſuper ſepulturam ponere.*
2 *De antiquo more parentandi aliqua.*
3 *Eleemoſyna cur iuſtis potius, quàm peccatoribus facienda.*

VT doceat filium Tobias, nonminus mortuorum eſſe miſerendum, quàm viuorum, ait: *Panem, & vinum tuum*, quibus, vt diximus, omne genus ciborum, non raro in ſacris literis ſignificatur. (Supra verſ. praced.)

1 *Super ſepulturam iuſti conſtitue*, quales nimirum exiſtimabantur illi, qui ex Iſraëlis ſtirpe fideles moriebantur: LXX. eum Syro (LXX. Syrus. Hebraus.) legunt: *effunde panes tuos in ſepulchrũ iuſtorum.* Hebræus: *nõ ſit durum in oculis tuis panem tuum, & vinum tuum effundere ſuper ſepulchra iuſtorum*: quod ita interpretantur aliqui, vt per ſepulchrum os intelligant pauperum iuſtorum, & ſit ſenſus: *ponas panem ſuper iuſtorum os*: ſed perperam, & nimis extortè, cum ſacræ literæ os tantummodo impiorum ſepulchro comparent, qui ſicut ait Aug. (Aug. li. 2. cõt lit. Petil. c. 1 1 Serarius hic.) *mendaciorum mortes exhalãt*, ſed potius cùm *ob* in ſacris literis non raro ponatur pro *ſuper*, dicerem cum Serario pro pane, & vino annonam hic omnem fuiſſe ſignificatam, vt ſit ſenſus: annonam tuam totã, ſi opus ſit, ob iuſtorum ſepulturam, ſeu, vt iuſti ſepeliantur, inſume: & quidem nõ tam ad ſumptum faciendum, qui in captiuitate, & occulta ſepeliendi ratione nullus fiebat, quã circa ipſum ſepeliendi opus: vel etiam ad veterem alludi morem, mortuorũ ſepulturis cibum, potumq. ſuperimponẽdi, de quo etiã (Mortuorum ſepulchris antiquitus cibaria ſuperimponebuntur.) Eccleſiaſticus meminit, dum dicit: *Bona abſcondita in ore clauſo quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro*: & Ieremias, (Eccli. 30. 18.) dum ait: *Nemo franget inter eos lugentis panem ad conſolandum ſuper mortuo, & nõ dabunt eis potum calicis ad conſolandum ſuper* (Ierem. 16. 7.) *patre ſuo, & matre*, vbi etiam hunc morẽ idcirco inualuiſſe docet, vt lugentibus cibus, potuſque ab amicis præſtitus, conſolationi foret. Sic Hieronymus: *Moris eſt*, inquit, *lugentibus ferre cibos, & prabere conuiuium, quod Graci περίδειπνα, & à noſtris, vulgo appellantur parentalia: vnde & in prouerbÿs dicitur: Date ſiceram morientibus.* (Prou. 31.) Sanè parentationis proprium fuiſſe epulas ad monumentum comedendas deferre, docet Tertullianus, dũ ait: *vocas porrò ſecuros, ſi quando extra portam eum obſonÿs & martes tibi potius parentans, ad buſta recedis, aut à buſtis dilutior redis.* (Parentabant olim epulas ad monumẽta mortuorũ comedendas diferrendo. Tertull. lib. de teſtim. anim. c. 4.)

2 Fuit hoc parentalibus epulum, & parentorum, (eorum nimirũ, qui parentabant amicorum pauperũq.) & mortuorũ, quod ſuperſtitioſè nimis Gẽtes Dijs, vt vocabãt, Manibus ſacrabant, nefaſq. deinde putabãt ex illo aliquid attingere, vel comedere: vnde illud vel ſuper tumulum relinquebant, vel ignibus comburebant, quòd perperam putarent animas defunctorum ab inferis excitas, illo delectari, vt videre eſt apud Homerum, & apud (Homer. odiſſ. λ) Lucianũ, vbi ait: (Lucian.) ἐπισκοποῦσιν οὐκ οἶδα ὦ Πορθμεῦ, τί ταῦτα πρὸς ἐν Ἅδου, πεπιστεύκασι δὲ αὐτὰς τὰς ψυχὰς ἀναπεμπομένας κάτωθεν, δειπνεῖν μὲν, ὡς οἷόν τε περιπετομένας τὴν κνίσσαν, καὶ καπνὸν, πίνειν δὲ ἀπὸ τοῦ βόθρου τὸ μελίκρατον. *Hoc eſt: Equidem ignoro, ò Porthmen, quid hac ad eos, qui apud inferos agunt, pertineant: verũ illis perſuaſum eſt, vmbras ab inferis reduces, canare quidem, vtcumq; liceat, circum nidorem volitãdo, bibere autẽ ex foueis mulsũ.*

Et apud Tertullianũ, qui etiã illos damnãs (Tertull. lib. de reſur. car. c. 1.) ait: *defunctis parentant, & quidẽ impenſiſſimo officio pro moribus eorũ, pro tẽporibus exculentorũ, vt quos negant ſentire quicquam, eſcã deſiderare præſumãt.* Et Aug. ait: (Aug. ſerm. 15 de ſanctis.) *Miror, cur apud quoſdã infideles hodie tã pernicioſus error increuerit, vt ſuper tumulos defunctorum cibos, et vina conferant, quaſi egreſſæ de corporibus animæ, carnales cibos requirãt; epula enim, & refectiones caro tantũ requirit, ſpiritus autem, & anima ÿs non indiget: parare aliquis ſuis charis dicit, quod ipſe de-*

norat, quod præſtat ventri, imputat pietati.

Tertull. vbi ſupra.

Et quidem quòd cibaria aliquando ad ſepulchra relinquerent, vel concremarent, docet Tertullianus: *At ego,* inquiens *magis ridebo: vulgus tunc quoque cum ipſos defunctos atrociſſimè comburit, quos poſtmodum gulosiſſimè nutrit, ijſdem & promerens, & offendens.* Sed iam priori abuſu relaxato, de vtroque epulo meminit Gaudentius dicens: *parentalia mundi malum idololatriæ extulit caput erroris: nam gulæ ſuæ cauſa primum cœperunt homines prandia mortuis parare, quæ ipſi comederent: poſthæc auſi ſunt ſacrificia eis ſacrilega celebrare, quamuis nec ipſis mortuis ſuis minus ſacrificent parentalia, dum ſuper ſepulcra menſas tremulis manibus vina fundentes, ſpiritum balbutiunt.*

Gaudēt. trac. de lect. exod.

Illud tamen hic epulũ ſuper ſepulchra iuſtorum afferri præcipit Tobias, ſicut explicat Hugo, Lyranus, Carthuſianus, Bellarminius, & Turrianus, quod non ſolum viuis prodeſt, vt dictum eſt, ſed etiam quod ijſdem prodeſſe poſſet defunctis, nimirum illud etiam pauperibus eleemoſynam diſtribuendo, quod etiam conſueuiſſe facere in primitiua eccleſia fideles docuit Origenes: *Celebramus,* inquiens, *nimirum religioſos cum ſacerdotibus cõuocantes fideles, vna cum clero inuitantes adhuc egenos, & pauperes, pupillos, et viduas ſaturãtes, vt fiat feſtiuitas noſtra in memoriã requiei defunctis animabus, quarũ memoriã celebramus.* Et Hier. *Cæteri mariti ſuper tumulos coniugũ ſpargunt violas, &c. Pammachius noſter ſanctã fauillam, oſſaq. venerãda eleemoſynæ balſamis rigat*: Et Chryſoſt. *Cur poſt mortẽ tuorũ pauperes cõuocas? cur presbyteros, vt pro eis velint orare obſecras?* & alibi: *Sed ſi filij, et fratris defuncti facis cõmemorationem, erroris cõcuteris conſcientia, niſi conſuetudinẽ impleres, vt pauperes cõuocares.* Sed prauis ſubinde moribus ſuccreſcentibus, eò intẽperantiæ etiam fideles deuenere, vt pleriq; ad ſepulchra, luxurioſiſſimè, & ad ebrietatẽ epularentur, indicat Aug. dicens: *tu demis, & ſubtrahis gutturi tuo, ille fortè, cum mortuus fueris, calicem ſuper te nõ ponet, aut ſi fortè ponet calicẽ, ipſe inebriabitur, & ad te nulla ſtilla deſcẽdet.* Ex quo euenit, vt in tali conſuetudine abolenda, multum Sancti Patres laborarint. Quare licèt, vt obſeruat Maldonatus, pluribus in locis etiam hodie talia ſuper mortuorũ ſepulturas epula inſtituantur, ad quæ propinqui, & multi pauperes vocari ſolent, quæ Hiſpani *charitatẽ* vocant, vt olim veteres ἀγάπην; & certè, ceſſante abuſu, cum laude: vnde panem, & vinum ſuper ſepulturas iuſtorum ponit, qui eleemoſynas pias erogãdo, apud Deũ bene de illis promeretur.

Hugo. Lyranus. Carthuſian. Bellarm. li. 1. de purg. c. 13. Turrian. li. 4 pro epiſt. Pontif. c. 13. Orig. in c. 3. Iob.

Hier. ad Pammach.

Chryſ. ho. 33. in Matth. & hom. 27. in c. 11. epiſt. 1. ad Cor.

Aug. de mor. eccl. c. 34. & alij. SS. Patres Ambroſ. de eleem. de iciun. c. 7. Cyprian. de dupl. Martyrio. Maldonatus in Ierem. cap. 16. n. 7.

3 *Et noli ex eo mãducare, & bibere cũ peccatoribus,* ſeu, vt explicant LXX. *& ne dederis peccatoribus,* infidelibus ſcilicet, & ſcãdaloſè viuẽtibus: nã licèt, vt ipſemet ſenior Tobias docuerat, nõ ſit auertẽda facies ab vllo paupere, quicunq; ille ſit: tamen cum iuxta cõmunem doctorũ ſententiã, opus in mortali peccato à priuata perſona exercitũ nullius ſit moralis valoris apud Deũ ad ſatisfaciendũ, iuxta illud B. Pauli: *ſi diſtribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, charitatẽ autẽ non habeã, nihil mihi prodeſt:* (nam gratia Dei eſt, vt pœnale opus noſtrũ habeat moralẽ valorẽ neceſſariũ, ad ſoluendũ debitũ, qua priuatur peccator) & eleemoſynæ iſtæ ſuper ſepulchra defunctorũ offerrentur, vt qui eas reciperent, inde excitarentur ad orandũ, vel alia priuata, & pia operatione pro defunctis ſatisfaciendũ optimè præcipit filio Tobias, vt peccatores, & infideles nõ valẽtes ex opere proprio ſatisfacere, ab harũ eleemoſynarũ participatione ſeiũgat; vt enim Greg. docet: *ſolicitè formidandũ eſt, ne qui placare poſſe irã Dei credit, hãc ipſe ex proprio reatu mereatur; cuncti enim liquido nouimus, quia cùm is, qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.*

LXX.

Supra hoc eod. c. verſ. 7.

Non poteſt ſatiſfacere, qui non eſt in gratia.

In li. ſent. diſt. 9. q. 20. & 45 vbi S. Tho. q. 2 ar. 1. q. 5. & par. 3. q. 82. ar. 6. Sot. q. 2. ar. 1. &c.

1. Cor. 13. 3.

Eleemoſynæ pro defunctis, curandũ eſt, vt probis fiant pauperibus.

Greg. in paſt. 1. c. 11.

Illa tamen hic nobis cautio ſeruanda eſt, quam præbet Aug. omnẽ ſcilicet hominẽ à nobis exiſtimari debere iuſtũ, de quo cõtrarium non cõſtet: quare ait ille: *danda eſt eleemoſyna iuſto tãquam iuſto, id eſt, quia iuſtus: nam ſi des cogitando tibi aliquid temporale, quia cauſæ tuæ neceſſarius, &c. non tanquã iuſto das, nec accipis mercedem iuſti, contra autem etiam peccatori dandum, ſed non tanquam peccatori: quãdo enim in quo peccator eſt, hoc tibi placet, vt des; Deum offendis, vt hiſtrioni, quia hiſtrio, meretrici quia meretrix, non ibi attendit naturam operis Dei; ſed naturam operis humani.* hæc Aug.

Aug. in pſal. 102.

Vnuſquiſque præſumitur bonus, donec non conſtat de contrario.

Quòd orandum minimè ſit pro damnatis, & quòd proximos defunctos maximè iuuet myſtica panis, et vini oblatio in ſacroſancto miſſæ ſacrificio.

DOCVMENTVM.

DOCET hic Tobias, panẽ, & vinũ ſuper ſepulturã iuſti cõſtituendũ, hoc eſt pro iuſto defuncto, in fide mortuo, ſatisfaciendũ eſſe, nõ pro peccatorib. & dãnatis, quibus nihil prodeſſe viuorũ ſuffragia poſſunt, qui cũ obſtinati ſemper in malo ſint, ſemper etiã æterna ſunt pœna cruciandi; *cui enim viuo inimicus fuit Deus,* ait Clemens, *haud dubiũ, quin ſit etiã defuncto: non eſt enim iniuſtitia apud Deũ.* Quare in Concilio Bracharenſi primo decernitur, vt pro ijs, qui ſe interficiũt, nulla oblatio, nullumq. ſuffragium fiat: & in Concilio Tracharenſi, de illo, qui in actuali peccato mortali finierit vitam, dicitur, vt *nullus pro eo præſumat orare, aut eleemoſynã dare.*

A

Clem. lib. 1. conſt. c. 43.

Conc. Bracharen. 1. c. 34. 23. q. 5. Conc. Tribur. c. 31.

& ſta-

Digitized by Google

Damnati pre cibus non adiuuandi.

& ſtatim refertur hæc Auguſtini ſententia : *nemo te poſt mortem tuam fideliter redimet, quia tu te redimere noluiſti*. Itaque nec Sancti, vt ſanctus Gregorius docet, in extremo iudicio pro peccatoribus æterno igni damnandis, preces vllas ad Deum fundent.
B Quòd ſi pro anima Traiani ipſum Gregoriũ oraſſe in nonnullis hiſtorijs legimus, quod non admodum receptum eſt, Deo peculiariter inſpirante, factum fuiſſe dicere debemus, ipſe enim iudicijs ſuis inſcrutabilibus ſeruos ſuos ad ea facienda Spiritus ſancti afflatu aliquando compellit, quæ cæteris non modo ad exemplum trahenda non ſunt, ſed nec omnino tentanda.

Docet etiam pro defunctis operibus ſatisfactorijs ſatisfaciendum, quod maximè fit ſacroſancto miſſæ ſacrificio, in quo ſub ſpeciebus panis, & vini, viuificum corpus, & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti immolatur, illud pro ipſis offerendo: neq; enim ſolum ſacerdotes, & clerici offerunt, qui iuxta diuerſos gradus diuinis officijs occupantur; ſed etiam audientes, qui votis, precibusq. aſſiſtunt: nam quod propriè adim-
C pletur miniſterio ſacerdotum, generaliter agitur fide, & deuotione cunctorum: unde
Iob 42. 8. Dominus ad amicos Iob: *ſumite vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offeret holocauſtum pro vobis*. Sic plebs ſacrificium pro animabus in purgatorio degentibus offert per ſa-
Aug. ep. 122. cerdotem: etenim, vt Auguſtinus ait: *in terra captiuitatis conſtitutæ, nec ferre oblationem ad altare Dei poſſunt, nec inuenire ſibi ſacerdotem, per quem offerant Deo*. Offerunt ſacerdotes Eccleſiæ, & offert per ipſos in ipſis tota Eccleſia: nam, ſicut humanum corpus (ſeruanda eſt enim etiam in hoc proportio) operari dicitur, quod facit manus; ſic cùm fideles omnes corpus vnum myſticum efficiãt; operari dici poſſunt, quod operatur ſacerdos; & quamuis in corpore naturali actio vnius membri, quæ tribuitur toti, non propriè tribuatur alteri par-
D ti; non enim dicitur pes videre, licèt homo videat, quia ſingula membra ſingularum actionum non ſunt capacia: tamen in corpore myſtico poteſt magis hæc denominatio extendi ad operandum, vel conſecrandum, cùm fideles omnes ſaltem, vt aiunt, habitualiter, & interpretatiuè ſint offerentes; nam hoc ipſo, quòd aliquis eſt fidelis, cenſetur conſentire omnibus ſacrificijs, quæ in Eccleſia fiunt, & virtualiter velle, vt ſuo etiam nomine offerantur: magis tamen ſpecialiter offerre dicuntur, qui aliquo ſpeciali concurſu, non tantùm interno, ſed etiam externo procurant, & petunt ſacrificium, dantque eleemoſynam, ſeu ſtipendium ſacerdoti: inſeruiunt illi ſacrificanti, vel denique aſſiſtunt conſentiendo, & moraliter cooperando: ſic magis, inquam, dicuntur offerentes, non tanquam principia per ſe, & immediata actionis ſacrificandi, quod eſt proprium ſacerdotis (verum enim ſacrificium offerri non poteſt, niſi à vero ſacerdo- E
te, vt B. Paulus ait, & ſolus ſacerdos ritè Heb. 5.
ordinatus habet poteſtatem in vero corpore, & ſanguine Chriſti) ſed tanquam cooperantes, vt loquuntur, extrinſecè ipſi ſacerdoti: nam in moralibus, qui aliquo ex prædictis modis cooperatur actioni, poteſt ab illa etiam denominari; ſic enim dicitur homicida, qui conſilio iuuat, vel comitatur, homicidam, protegendo illum: ſic etiam dicentur offerentes, qui aliquo modo cooperantur exterius oblationi: vnde fit, vt tanto perfectius quis offerat, & offerendo pro ſe, proque alijs ſatisfaciat, quanto vel magis, vel pluribus modis ſacerdoti cooperatur; cum tamen ſacerdos immediatus ſit
miniſter Chriſti, & *diſpenſator myſteriorum* 1. Cor. 4. 1.
Dei, ad ipſumq. ſpectet huius ſacrificij effectum ex opere operato, vt dici ſolet, infallibilem applicare, cui magis ſibi libuerit,
vel licuerit, ſiue totum, ſiue partem eius, vt Suar. 3. p. to. 3
optimè notat Suarez: maximè curare debe- diſp. 79. ſect. 9 F
mus, vt ſacerdotes pro animabus iuſtorum in purgatorio igne degentium, offerant, &
ſacrificent. Sic ſancta Monica, vt Auguſti- Aug. li. 2. conf.
nus filius teſtatur, imminente die reſolutionis ſuæ, non cogitauit ſuũ corpus ſumptuoſè contegi, aut condi aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit ſepulchrum patrium: *Non*, inquit Auguſtinus, *iſta mandauit nobis, ſed tantummodo memoriam ſui ad altare Dei fieri deſiderauit, vnde ſciret diſpenſari victimam, qua deletum eſt chirographum, quod erat*
contrarium nobis. Sic & Ambroſius hoc ſa- Ambroſ. orat.
crificium pro Valentino exquirebat, dicens: in obit. Valẽt.
Date ſacramenta cæleſtia, animam piam noſtris oblationibus proſequamur; ſciebat enim, quantum inde emolumenti eorum animæ eſſent habituræ. Quare *non temerè*, ait
Chryſoſtomus, *hæc ſub Apoſtolis ſancita* Chryſoſt. G
fuerunt, vt in tremendis myſterijs defun- Exod. 12.
ctorum agatur commemoratio; ſciunt enim 5.
inde illis multum contingere lucrum, multam vtilitatem. Offertur enim in illis agnus ſine macula, cuius comeſtione populus Iſraeliticus liberatur, & cuius ſanguis paſchalis ſuperliminaribus poſitus, Angelum vaſtatorem compeſcit: erigitur in illis ſerpens ille æneus, cuius aſpectu infernalium morſus ſerpentum ſanantur: paratur tandem in illis menſa, vt Dauid loquitur, *aduerſus eos, qui tribulant nos*. Quare ab ipſis defunctis tanto affectu deſiderantur, vt nihil magis: ſic tanta ſolicitudine à defuncto patre ſuo illa expoſci conſueuiſſe Can-
tipratanus refert, vt, ſi quando ipſe pro il- Tho. Cantipr.
lo celebrare, aliàs impeditus diſtuliſſet; ſta- li. 2. apum. c.
tim illi appareret in ſomnis, & manibus o- 54.
ſtenſis, plagis plurimis vulneratis, illum vti-

Magis ſpecialiter miſſæ ſacrificium offerunt, qui pro eleemoſyna tribuunt, quã qui tantum aſſiſtunt.

Magna eſt miſericordia pro defũctis miſſas offerre.

que, quare patrem filius non iuuaret, ſincere argueret: quin & veridica narratione ſe didiciſſe ait, quendam defunctum à pœnis purgatorij, cuiuſdam ſanctiſſimi viri precibus, ſubitò reuocatum ad vitam, qui ſe animam cuiuſdam, benè ſibi olim noti, vidiſſe, & audiſſe in purgatorio referebat, quæ, dum grauiſſimè in igne torqueretur, exultabunda exclamabat; *Eia miſericordiſſime Deus, nec in finem oblitus es mei*; à qua anima cùm vnus, qui in poena ei conſors erat, vnde naſceretur tanta exultatio, exquireret; *meritò*, reſpondit: *exultabunda tripudio; quia mihi ſcire à Domino datum eſt, in hoc inſtanti natum puerum, qui longè poſt futurus presbyter, in eius miſſa, quam celebrabit primam, ab his pœnis ad requiem euolabo*.

Et ſanè ſi commouet nos pauperem egentem videre, & eo magis, quo magis cum egere conſpicimus; cur nos defunctorum nõ
1 commouebit neceſſitas, quæ tanta eſt, vt maior eſſe non poſſit? defunctorum, inquam, in illa caliginoſa nocte poſitorum, in qua nemo poteſt operari, in eoque ſtatu, vt iam amplius nequeant villicare, viatoribus cõſimiles, qui è longo itinere ad ciuitatem propriam noctu peruenientes, eius portas occluſas reperiunt, nec illam ingredi queũt; ſed tandiu foris ſub diò coguntur manere, donec, tranſacta nocte, aperiantur: ſic, inquam, illi coguntur noctem purgatorij ferre, non quidem rore, aut guttis noctium aſperſi, vt ſponſus in canticis, qui expectãs de nocte, aiebat: *Caput meum plenum eſt rore, & concinni mei guttis noctium*, ſed caput aſperſi ignibus, & cincinnos guttis flammeis vltricis manus Dei. Vnde meritò ad nos, qui illos iuuare poſſumus, exclamant, vt Miſſæ ſacrificio, quo ſuper omnia pro illis ſatisfacimus, eos iuuemus: *Panem itaque tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue*, & quæ ſequuntur.

Cant. 5. 2.

VERS. XIX.

Conſilium ſemper à ſapiẽte require.

1 *Conſilium quid, & quàm neceſſarium in rebus gerendis.*

2 *A Sapiente ſumendum, & quis verè ſapiens.*

1 *COnſilium*, Eſt quæſtio, ſeu interrogatio quædam de medijs ad finẽ rei alicuius contingentis obtinendum, neceſſarijs: quare conſilium requirere, eſt primo prudẽtiæ munere media inquirere, & circũſtantias ad benè operandum neceſſarias: nã cùm benè operari finis prudentiæ ſit, ad hunc finem in ſingulis negotiis idonea quærit illa media per conſultationem. Vnde Philoſophus: *prudentis*, inquit, *maximè opus eſt rectè conſultare*: Et Liuius eum laudans, qui nouit prudenter alios conſulere, ait: *Sæpè audiui eũ primum eſſe virum, qui ipſe conſulat, quod in rem ſit*. nam, vt inquit Tacitus: *Plura in ſumma fortuna auſpicijs, & conſilijs, quàm telis, & manibus geruntur*: Vnde Sapiens: *Audi*, inquit, *conſilium, & ſuſcipe diſciplinã, vt ſis ſapiens in nouiſſimis tuis*: nam, vt alibi ait: *Cogitationes conſilijs roborantur, & gubernaculis tractanda ſunt bella*: Ex quo Sapienter Euripides.

Ariſt. 6. eth. c. 7.

Liuius lib. 22.

Tacit. annal. lib. 13.

Prou. 19. 20.

Prou. 20. 18.

Euripides in Antiope.

Γνώμη γὰρ ἀνδρὸς, εὖ μετὰ οἰκοῦνται πόλεις,
Εὖ δ' οἶκος: εἰς τ' ἂν πόλεμον ἰσχύει μέγα,
Σοφὸν γὰρ ἂν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας
Νικᾷ, σὺν ὄχλῳ δ' ἀμαθία, πλέον κακῦν.

Viri prudentia facit, vt benè habitentur ciuitates,
Itemq. familia: & ad bella magnum eius momentum eſt:
Conſilium enim ſapienter initum, multas manus
Vincit: imperitia verò cum multitudine deterius malum eſt.

Sapienter quidem initum; cùm non ab omni obuio conſilium quærendum ſit, ſed vt habet Tobias,

A Sapiente, Græcus: *ab omni prudente*. Syrus: *ab omni perito*: nam cum fatuis nullũ eſt habendum cõſilium. Vnde Eccleſiaſticus: *cum fatuis*, inquit, *conſilium non habeas, non enim potuerunt diligere, niſi quæ eis placent*. Et Sapiens ille cenſendus eſt, non qui alta, & ſublimia de rebus naturalibus ſpeculatur, deq. rebus varijs miranda loquitur, quales olim fuerunt oratores, poetæ, philoſophi, & quales etiam nunc multi Chriſtiani, quibus multa cognoſcere eſt animus, & pauca opere præſtare, ſed qui *prudens* eſt, ac *peritus*, qui nimirum media ſeligere nouit, apta ad virtutis gradiendum viam.

Græcus.

Syrus.

Eccl. 8. 20.

Nam, vt Iob appoſitè monet, *Timor Domini ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo, intelligentia*. Quæ verba Greg. Nazianzenus declarans, ait. *Vera ſapientia eſt vita proba, & honeſta, & apud Deum pura mens, per quam puri puro coniunguntur, & recti recto ſociantur*. Eſt enim intelligentiæ finis, vt docet Ambroſius, recta operatio: quare ſtultus ille cenſendus eſt, qui rectam intelligentiam cum prauo coniungit opere; & ille ſapiens, qui par pari copulat, rectam nimirum intelligentiam cum recto opere; de qua re fuſius in documento ſecundo. Hinc ſacræ literæ iudicium, & iuſtitiam, ideſt rectam agendorum intelligentiam, & ipſam rationem frequentiſſimè iungunt, vt eſt in pluribus Dauidicis pſalmis, in Prouerbijs, & Habacuc etiam conqueritur, quomodo iudicium perueniat vſque ad finem, hoc eſt ad rectam vſque operationem.

Iob 28. 28.

Vera ſapientia in quo conſiſtat.

Greg. Naz. orat. in Plag. grand.

Ambr. ſer. 16 in pſ. 118.

Pſal. 118. 21.

Pſ. 105. 1.

Prou. 1. 3. & 2. 9.

Habac. 1. 4.

Quòd cuique, licèt ſapientiſſimo, ſapientes conſulendi ſint, & maximè de via Dei:

DOCVMENTVM I.

A
Conſilii neceſſitas vnde ſit in homine

EA eſt poſt primorum parentum peccatum hominis ignorãtia, vt pauca admodum ſint, quæ certè, vel clarè cognoſcat: plurima vtrò ea, quæ, cum certiſſima aliquando, & veriſſima ſibi viſa ſint, deinde accuratius conſiderata, vel dubia, vel falſa, vel talia, vt etiam pudeat in ea ſententia fuiſſe, fateatur. Hinc Gregorius: *In peccati*, inquit, *pœna, in mundi peregrinatione, & exilio tanta cæcitate percuſſi ſumus, vt nobis ipſis ignoti ſimus: nam, luce veritatis ſemel ab anima noſtra depulſa, nihil in ea præter ignorantiæ tenebras remanet, quæ cauſa eſt, vt frequenter in foſſam peccati labatur, & tamen ignoret:* quæ ſi deinde, quantum à noſtris animi paſſionibus augeatur, conſideremus, non erit, qui, remoto fidei lumine, ingenuè cum Gregorio non fateatur, plenos nos eſſe tenebris: nam ſicut ardentiſſima ſiti laboranti nihil melius, dulciuſue videtur aqua, quia iuxta diſpoſitionem ſuam illam iudicat: ſic qui cupiditate aliqua, vel perturbatione inordinata percutitur, longè aliter iudicat ſemper de rebus, quàm re vera ſe habeant. Cùm itaque ſingulare huius tãtæ ignorantiæ remedium ſit, conſilium à ſapientibus exquirere, optime Tobias filio præcipit, vt nihil ſine conſilio aggrediatur, dicens: *Conſilium à ſapiente*, prudente nimirum, & perito, *ſemper require*.

Greg. 22. moral. c. 22.

Prudens ſapientem conſulit in omni opere ſuo.
B

Quod faciẽdum ex eo etiam liquet, quia, cùm non ſicut Angelus ſolo intuitu, ac momento valeat homo naturaliter rerum cognitionem abſque vllo labore acquirere, ſed neceſſe habeat rerum multitudinem, & infinitatem, vt ita dicam, opinionum pedetentim cogitatione percurrere, paulatimque progreſſum de vna ad aliam rem facere, ſicq. conſequentias rerum ex antecedentibus cauſis, longo examine, & circuitu colligere, non dubiũ facilius à multis multa, quàm ab vno cognoſci: nam quemadmodum de ſcintillis lumen accenditur, ſic copulatis multorum gentibus, quæ antea diuiſæ erant, ſolidius in humanarum rerum adminiſtratione proſpiciunt, & qui antea ſinguli, vt dici ſolet, duos tantum oculos, ac manus, pedesq. habebant duos; vnde non omnia circumſpicere, atque attingere poterant; nunc quaſi coactis in vnum cœtum multorum oculis, ac manibus, vniuerſa luſtrare commodius, & contrectare poſſunt.

S. Tho. p. p. q. 58. ar. 3. & 4.

C

Quare ſapientia in prouerbijs: *Ego*, inquit, *in conſilijs habito, & eruditis interſum cogitationibus*, hoc eſt, vbi ſana, rectaq. conſilia manent, & quæruntur, ibi ſum præſens, & quæ recta ſunt, ſuggero, cogitationibusq. eruditis, quibus prudenter aliquid gerendũ cogitatur, interſum, ita vt oſtendam lumine meo, quid faciendum ſit. Ob id prudentiſſimis, vt etiam ſanctiſſimis viris ſemper curæ fuit, omnia in conſilio facere. Sic Artaxerſes Perſarum, & Medorum Rex, quem ſacræ literæ Aſſuerum vocant, licèt vxori ſuæ Vaſthi, mandatum ſuum contemnenti, vehementer iratus eſſet; haud tamen ſine conſilio ſapientum, à Regno eam excludendam cẽſuit: *ſed interrogauit ſapientes*, ait ſacra Scriptura, *qui ex more regio ſemper illi aderant, & quorum fiebant cuncta conſilio*, ne in propria cauſa errore aliquo deciperetur. Salomon ex mortalibus ſapientiſſimus, poſt acceptam ſapientiam, prudentiamque multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam maris innumerabilem, ita vt Dei teſtimonio, nullus ei ſimilis retroactis temporibus ſurrexerit, neque poſt eum ſurrecturus ſit; illud magnificum Domini templum extruere cupiens, alienigenæ regis auxilium popoſcit, qui, miſſo ad ſe Hiran filio mulieris viduæ, quicquid, diuina ſapientia ſuggerente, præclarum in templo Domini, vel in ſacris vaſis moliebatur, miniſterio eius, ac diſpoſitione perfecit: idque etiam Dominus faciendum nobis docuit exemplo ſuo, non modo cum ſuperioribus, & æqualibus, ſed etiam cum infimis, & ſubditis, quos dono conſilij ſæpiſſimè donatos cognoſcimus: ſic enim ille, cum turbam multam, quæ cum eo erat, inſigni miraculo reficere conſtituiſſet, rudes diſcipulos conſuluit, licèt ipſe humano auxilio, atque conſilio minimè indigeret: & alibi: *Confiteor*, dicebat, *tibi pater, quòd abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*, docens, & conſilium rudium aliquando prodeſſe poſſe: quibus non ineptè addideris vulgatum illud:

Prou. 8. 12

D

Eſther. 1. 13.
3. Reg. 7.

Sapientes licet abiecti, & humiles, conſulendi.

Conſilium etiam à ſubditis petendum.

Luca 10. 21.

Et quandoque olitor fuit opportuna locutus.

Adagium.

Hinc & Auguſtinus: *Ego*, dicebat, *ſenex à iuuene, & Epiſcopus tot annorum à collega, ne dum anniculo, paratus ſum doceri*. Sanctus etiam Arſenius, vir non modo ſanctitate, ſed etiam eruditione conſpicuus, qui in ſeculo Imperatorum Honorij, & Arcadij magiſter fuit, eremum adiens, vt Metaphraſtes ait, non modò monachos ſanctitate, & doctrina præſtantes conſulebat; ſed indoctos etiam, ac rudes, vt ſalutaria ad progreſſum in virtute faciendum conſilia ab illis acciperet. Sanctus Raymundus, vt refert Leander, vir doctrina celeberrimus, poſt acceptam à ſummo Pontifice facultatem abdicandi ſe ab Epiſcopatu, ſancti Dominici religionem complexus,

Aug. ad Auxilium Epiſc. epiſt. 75.
F
Sanctorum virorum in conſilio exquirendo humilitas.

Metaphr. in eius vita.

Leand. in vit. S. Raymundi.

de religioſi cuiuſdam fratris non admodum
eruditi conſilio omnia ſua regebat : ex quo
tantum ſanctitatis breui ſibi conciliauit, vt
etiam totius ordinis gubernacula Generalis
magiſter tenuerit. Sed quid hæc de ſanctiſ-
ſimis viris commemoro, quorum vitam
G perpetuum dixeris humilitatis documen-
tum? Sanè & ipſorummet gentilium pri-
mos, Hadrianum, inquam, Cæſarem, ſemper
humilium etiam perſonarum conſilium ad-
Dio in vit. Hadriani. mittere conſueuiſſe narrat Dio: & meritò
quidem; nam ſicut nihil aliud quærit eſu-
riens, niſi famem ſuam exſatiare, minimum
de vaſe laborans, in quo cibus offertur; ita
prudentes viri, qui iuſtitiam tantùm eſu-
riunt, dum famem ſuam exſatient, ſiue id
conſilio diuitum faciant, ſiue pauperum;
nobilium, vel ignobilium, nihil ipſorum
Stulti cenſendi ſunt qui agunt ſine conſilio. intereſt. Quare ſtulti cenſendi ſunt, qui
adeò apud ſe ipſos ſunt ſapientes, vt non
modò cæterorum conſilia non quærant; ſed
valdè ſibi detractum putent, ſi alieno ſe ege-
re conſilio oſtendant; cerebroſi ſanè, & ve-
cordes non minus, quàm Xerſes ille Perſa-
rum Rex, qui adeò proprio nitebatur con-
ſilio, vt agnoſcens, quos conuocauerat con-
ſiliarios, non approbare, quod ipſe decre-
H uerat in cauſa Græcæ expeditionis, ne vi-
dear, inquit, *meo tantum conſilio hoc aggreſ-
ſus, contraxi vos: cæterum mementote mihi
imperandum magis, quàm conſulendum*.
Stulti, inquam, & vecordes: nam, vt Sapiens
Prou. 12. 15. ait: *via ſtulti recta in oculis ſuis: qui au-
tem ſapiens eſt, audit conſilia*. Quantum-
cunque tu ſapiens, & prudens ſis; *ne inni-
Prou. 3. 5. *taris*, ait Salomon, *prudentiæ tuæ*: nam
Bernard. *omnia illi deſunt*, ait Bernardus, *qui nihil
ſibi deeſſe putat*. Conſidera te non Salo-
mone, non Auguſtino, non cæteris pruden-
Impoſſibile eſt proficere in via Dei ſine duce. tiſſimis commemoratis viris, ſapientiorem
eſſe: quòd ſi in omnibus id tibi cauendum
eſt, & conſilium exquirendum; in rebus ma-
ximè animæ, in quibus penè fieri non po-
teſt, vt ſine doctore, & ductore proficias; il-
lud à Sapiente quærendum: nam, vt ait Caſ-
Caſſian. coll. 2. cap. 11. in fin. ſianus, *Cùm omnes artes, & diſciplinæ, hu-
mano ingenio reperta, & quæ nihil ampliùs,
I quàm vitæ huius commodis proſunt, licèt
manu palpari queant, & oculis peruideri;
rectè tamen à quoquam ſine inſtituentis do-
ctrina nequeunt comprehendi; quàm ineptū
eſt credere hanc ſolam non egere doctore,
quæ & inuiſibilis, & occulta eſt, & quæ non
niſi corde puriſſimo peruidetur, cuius error
non temporale damnum, nec quod facilè re-
paretur; ſed animæ perditionem parit, mor-
temque perpetuam? Quare opus eſt in his
Dorot. ſer. 5. nobis auxilio*, ait Dorothæus, *& præter ip-
ſum Deum, opus eſt aliquo, qui etiam nos
moderetur, & gubernet: nihil enim eſt mi-
ſerabilius, nihil, quod facilius decipi, aut
expugnari queat iis, qui nullum habent du-
cem, nullumque in ira Dei moderatorem,
& inſtitutorem*.

Quam veritatem, vt nos Dominus edo-
ceret, puerum Samuelem, non quidem per
ſe ipſum diuinis colloquijs diſciplinam,
edocuit, ſed per Eli, nec illum allocutus *1. Reg. 3.*
eſt, niſi poſt, quàm ſemel, bis, aut tertiò L
ad præceptorem confugerat. Beatum etiam
Paulum, quem per ſemet ipſum vocauerat, Saulus cur ad Ananiam miſſus fuerit
& allocutus fuerat, cui etiam potuiſſet viam
perfectionis per ſe ipſum oſtendere; magis
tamen ad Ananiam direxit, vt ab eo veri-
tatis viam diſceret, dicens: *Surge, & in-* *Act. 9. 7.*
*gredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid
te oporteat facere*: ad quem, licet Tertullia-
nus exiſtimet ideo miſſum, vt Baptiſmum *S. Bernar. & Petr. Bleſſ. de conuerſ. B. Pauli.*
reciperet, putans ſatis ab ipſo Domino di-
dicisse, atque credidiſſe IESVM Naza-
renum eſſe Dominum Dei filium; commu- *Greg. hom. 9. in Ezech.*
niter tamen omnes ferè Patres docent, ideo
miſſum, vt diſceret, quid ſibi faciendum eſ- *Aug. 2. q. in Euang. c. 41.*
ſet. Auguſtinus: *Sic*, inquit, *ad Ananiam
miſſus eſt Saulus à Chriſto, qui per ſe ipſum
omnia facere poterat, vt ipſa ſocietas con-
gregatorum fidelium, approbando inuicem,
& communicando vera fidei doctrinam,* M
*in omnibus, quæ dicuntur, verbis; vel ſi-
gnantur ſacramentis, tanquam vnam ſpe-
ciem veri coloris induceret, & ab illo ſa-
cerdotio, quod in Eccleſia conſtitutum eſt,
ſacramentum doctrinæ fidei Saulus perci-
peret, & verus eius approbaretur color*. Et *Caſſian. ſup. c. 15.*
Caſſianus: *Mittit Paulum ad ſeniorem,
eumque illius potius doctrina, quàm ſua
cenſet inſtrui, ne ſcilicet, quod rectum
geſtum fuiſſet in Paulo, poſteris malum
præſumptionis præberet exemplum, dum
vnuſquiſque ſibimet perſuaderet, ſimili
modo ſe quoque debere ſolius Dei magiſte-
rio, ac doctrina potius, quàm ſeruorum
inſtitutione formari; quam præſumptionem
etiam ipſe Apoſtolus, non ſolùm literis; ſed
etiam opere, atque exemplo docet omnimodè
deteſtandam, ad hoc ſolummodo ſe aſſerens
Ieroſolymam conceſſiſſe, vt Euangelium,
quod, comitante gratia Spiritus ſancti, cum* N
*poteſtate ſignorum, atque prodigiorum gen-
tibus prædicabat, cum ſuis Apoſtolis, &
anteceſſoribus priuata quodammodo, & do-
meſtica examinatione conferret: & contuli,
inquiens, cum illis Euangelium, quod præ-
dico inter gentes, ne fortè in vacuum cur-
rerem, aut cucurriſſem*. Ita nec Corne-
lium Centurionem, vt in actis legitur, ad *Act. 9. & 10.*
quem Angelum miſerat, vt ei nuntiaret,
gratas ſibi fuiſſe eleemoſynas, quas fecerat;
noluit Deus à ſe, vel ab Angelo de via ſalu-
tis, ſed ab alio homine, nimirum à beato
Petro edoceri. Sic refert etiam Ioannes E- *Io. Euirat. in prat. c. 199.*
uiratus, quendam fuiſſe monachum tanta
vitæ ſanctitate præditum, vt Angelos ſibi
aſſiſtentes conſpiceret, quotieſcunque ſa-
cramentum offerret; qui, ab hæreticis edo-
ctus, quando offerebat in ſimplicitate, & in-

no-

nocentia, dicebat, quòd non docebat. Quare cùm aliquando à quopiam admoneretur Diacono, vix adduci potuit, vt crederet, ſe

O

Homines ab hominibus docendi.

errare potuiſſe cum Angelorum aſſiſtentia; vnde in oblatione ſalutari eoſdem interrogans, num vera Diaconus nuntiaſſet; reſponderunt: *Auſculta ei, nam vera loquitur*; quos cùm iterum requiſijſſet ſenex, cur ipſi illum de re tam grandi non docuiſſent, dixerunt: *Deus ita diſpoſuit, vt homines ab hominibus corrigantur*. Quibus omnibus exemplis, & rationibus ſatis apparet, nolle Deum, illos nec per ſe, nec per Angelos informari, qui homines magiſtros habere poſſunt.

Caueamus itaque, ne conſilium ſumere aliquando prætermittamus, ſed aſſueſcamus etiam in leuioribus, & ijs etiam, quæ nullo negotio videntur poſſe comprehendi, vt multos ſanctos feciſſe legimus, ſemper conſilium exquirere: quòd ſi ſapiens tibi

Prou. 1. 5.

ſatis eſſe videris, *audiens* tamen, vt ait Salomon, *Sapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit*: nam ſicut pyropus auro incluſus, haud pretium perdit, licèt auro pretioſior; ſed potius valorem auget; ita nec ideò tu deſines eſſe ſapiens, ſi auro alieni conſilij ſapientiam tuam exornes, ſed fies pretioſior, & ſapientior.

Quòd ſapientes illi ſint conſulendi, qui non humanas ſcientias, ſed virtutes practicè didicerunt.

DOCVMENTVM II.

A

Sapiens quis ſit.

LICET Sapiens, teſte philoſopho, in vnoquoque genere dicatur ille, qui benè de fine, & de ijs, quæ ducunt ad finē, dijudicat, vt in genere medicinæ, qui de ſanitate, & in genere negotiationis, qui de lucro; ſimpliciter tamen ille ſapiens dicitur, qui, vt ait

S. Tho. 2. 2. q. 45. art. 8. Aug. li. 1. con. Academ. c. 8. tom. 1.

S. Thomas, benè de vltimo hominis fine, & de perducentibus ad eum, dijudicat: nam *ſapientia*, inquit Auguſtinus, *nihil aliud eſt, niſi humanarum, diuinarumque, quæ ad beatam vitam pertinent, non ſcientia ſolum; ſed & diligens inquiſitio*. Quare cùm ſimpliciter, & abſolutè ſapientem conſulendum eſſe Tobias hic doceat, non quoſ-

Sapiētes qui conſulendi.

cunque ſapientes à nobis conſulendos eſſe liquet, ſed eos, qui de Deo, & de his, quæ ducunt ad Deum, benè nouerint iudicare, cuiuſmodi eſſe pios viros, & eos, qui virtutes exercent, in literæ expoſitione diximus, cùm vera ſapientia, non literis acquiratur,

B

ſed diuinitus à Domino per Spiritum ſanctū accipiatur: vnde ſanctum Antonium aliquando à philoſophis tentatum omni quæſtioni propoſitæ, etiam naturali, doctè reſpondiſſe legimus, ita vt neſcientes illi, vnde beato viro tanta ſcientia contigiſſet, obſtupeſcentes dicerent, quod olim de Chriſto

Baron. anno Chriſti 318. tom. 3. ex S. Athanaſ.

Iudæi: *Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit?* Quare vt eorum ipſe admirationi occurreret, reſpondete mihi, ait, quid

Ioan. 7. 15

priùs, ſenſus, an litera? illis autem aſſerentibus, quòd ſenſus eſſet auctor, atque inuentor literarum; igitur, ſubintulit, cui ſenſus incolumis eſt, hic literam non requirit: quippe beatus vir ex lumine intelligentiæ ſupernaturalis contemplabatur creaturam mundi, tanquam magnificum, & ſtupendum opus Creatoris Dei, atque in hac contemplatione quarumlibet rerum naturam, & proprietates ad laudādam ſummam Dei ſapientiam conſiderabat.

S. Antonius qui ſapiens.

Multi enim in Academijs, & publicis ſcholis ingenuarum, & liberalium artium diſertiſſimi, *Sapientes tantum ſunt*, vt Ieremias ait, *ad faciendum malum*; qui ſanè, licèt dicerint de Deo diſputare, deq. altiſſimis rerum cauſis, alijsq. ſapienter conſulere; tamen cū inſipientes erga ſe ipſos ſint, prauèque viuentes, eorum ſcientia ſtultitia potius appellanda eſt, quàm ſapientia. Etenim, teſte B. Paulo, *Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum*: nam, & quæ maior ſtultitia eſſe poteſt, quàm Deum ſcire, virtutum definitiones, diuiſiones, & proprietates, nec Deum, vt decet, venerari, nec de virtute vel ad minimum inquirere? Quid ſtultius, quàm noſſe, quid faciendum ſit, illudq. phalerata verborum tractare eloquentia, aliosq. docere, & nunquam ſibi, quod eſt rectum, perſuadere, aut executioni mandare? *Qui de virtutibus*, inquit Richardus, *prudenter differere ſolent, eaſq. in ſe habere non ſtudent, ex auro, eloquentiæ idolum ſibi faciunt: ſcientia enim ſanctitatis ſine intentione bona, quid aliud eſt, quàm imago ſine vita? ſcientia ſola ſine ſanctitatis effectu, & bonitatis affectu, quid aliud eſt, quàm ſimulacrum vanum ſine motu, & ſenſu? benè de his dicitur: Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum: os habent, & non loquentur; ſiquidem inanis ſcientia optimè fortaſſe nouit, qua ſit virtus confeſſionis, quomodo confiteri, Deumque laudare debeat; & tamen non confitetur, nec laudat: ſic os habet, & non loquitur; nouit, quomodo vitam ſuam circumſpicere debeat; eam tamen quomodo oportet circumſpicere, diſſimulat: ſic oculos habet, & non videt: nouit, quæ virtus ſit obedientia, & qualis debeat eſſe, nec tamen vult obedire: ſic aures habet, & non audit: per ſcientiam huiuſmodi homo diſcernendi inſtrumentum fortaſſis habet ſpiritualis odoramenti; ſed dum in moribus diſcernendis nullum ſtudium imponit, de inutili inſtrumento inaniter gloriatur; nares*

C

Ierem. 4. 22.

1. Cor. 3. 19.

D

Richar. li. de erud. hom. inter. c. 38.

Pſ. 113. 4. 5. & 144.

Sapientia ſine virtute inanis.

E

enim

enim habent, & non odorabunt: Scit, *quomodo ſe oporteat in bono opere exercere: nec tamen vult fructum boni operis per experientiam capere: ſic manus habet, & non palpat.* Hæc ille. Et quidem alijs ſapien-
tiſſimus, ſibi tamen ſtultiſſimus fuit Balaam,
Num. 24. 5. & 17. qui cum in montem aſcendiſſet, vnde om-
nia intueri poſſet, magnumq́. inde hominũ
exercitum conſpexiſſet, ſenſit, & annuntia-
uit illis, quæ ventura erant, & pericula, quæ
poſt mille annos erant ſubituri, & ignorans,
ſe poſt paucos dies interficiendum; ſuum
F neſciuit præcauere periculum. Archito-
phel etiam, qui adeò in rebus bellicis exer-
citatus, & conſilio præſtans fuerat, vt de
2. Reg. 16. 23. eo dicant ſacræ literæ: *Conſilium Architophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum: ſic erat omne conſilium Architophel, & cum eſſet cum Dauid, & cum eſſet cum Abſalon,* cum tantæ pru-
dentiæ, & ſapientiæ vir eſſet erga cæteros,
erga ſe tamen adeò demens fuit, vt de-
ſperatione compulſus, laqueo ſe ipſum
ſuſpenderit: nam, vt ait ſacra hiſtoria, *vi-*
2. Reg. vbi ſupra. *dens, quòd non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſtrauit aſinum ſuum, ſurrexitq́. & abijt in domum ſuam, & diſpoſita domo ſua, ſuſpendio interijt.* Sic Phariſæi Herodis tem-
pore, ex ſacris literis Chriſtum natum Ma-
gis regibus indicarunt, quem deinde nec mi-
racula facientem ſibi ipſis nouerunt: ſed
Matth. 12. 38. *magiſter*, dicebant, *volumus à te ſignum videre,* omnes illis ſimiles, qui arcam licèt
G conſtruxerint, in qua Noë diluuij influentis
vndas ſuperauit; ipſi tamen ab aquis ſunt
diluuij præfocati.

Quòd ſi talium ſapientiam ſtultam nolu-
Peccatorum ſcientia falſa. mus dicere, falſam tamen peccatorum, vt
dicamus, neceſſe eſt, quòd intellectum li-
cèt illuſtret, à paſſionibus tamen impedita,
quomodo lumen ſolis impeditur à corpore
opaco, affectum haud mouere valet: *obſcuratum* enim *eſt*, ait Beatus Paulus, *inſipiens*
Rom. 1. 21 *cor eorum, & euanuerunt in cogitationibus ſuis.*

Non hæc itaq; ſapientia intellectiua tan-
Supra in explicatione literæ. tum, ſed illa, quæ etiam affectiua obſeruan-
tiam habet mandatorum Dei, nobis eſt con-
ſulenda; quam veram ſapientiam, vereq́. ſa-
pientes eſſe, qui eam habent, ſupra diximus,
& docet Moyſes, dum ait: *ſcitis, quòd docuerim vos præcepta, atq; iuſtitias, ſicut man-*
H *dauit mihi Dominus Deus meus: ſic facietis ea in terra, quam poſſeſſuri eſtis, & obſeruabitis, & implebitis opere; hoc eſt enim veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſa præcepta hæc, dicant; En populus ſapiens, & intelligens.* Docet etiam Dauid, dicens: *Initium ſapientiæ timor Domini.* non quidem ſe-
cundum eius eſſentiam, vt ait Sanctus Tho-
S. Tho. 2. 2 q. 19. art. 7. inc. mas, ſed ſecundum effectum: quia primus
ſapientiæ effectus eſt timor Domini: Quod

& ipſi docuerunt Ethnici; vnde Tullius: *Vir temperatus*, ait, *conſtans, ſine metu, ſine ægritudine, ſine alacritate vlla, ſine libidine, is ſapiens eſt.* Cic. lib. 5. Tuſcul.
& alibi: *Sapientis*, in-
quit, *animus nunquam eſt in vitio.* Et Laer-
tius, *Virtus*, ait, *cum ſcientia coniuncta, eſt ſapientia.* Laer. in Vit. Philoſ.
Hanc itaq; iuxta Tobiæ præ-
ceptum conſulere debemus ſapientiam
ſine peccato, vndè Ambroſius: *Aduertendum*, Ambr. li. 2. de offic. c. 12.
inquit, *quòd in acquirendis conſilijs* I
plurimum valet vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vſus, facilitatis gratia: quis enim in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? itaque vbi luxuria eſt, ibi intemperantia; vbi vitiorum confuſio, quis indè ſibi aliquid hauriendum exiſtimet? quis vtilem iudicet cauſæ alienæ, quem videt inutilem vitæ ſuæ? quomodo enim potero iudicare Conſiliarius ſibi prius cõſulere debet
eum conſilio ſuperiorem, quem videro moribus inferiorem? ſupra me debet eſſe, cui me committere paro. An ne eum idoneum putabo, qui mihi det conſilium, qui non dedit ſibi? & mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacat? cuius animum voluptates occupant, libido deuincit, auaritia ſubiugat, cupiditas perturbat? ſicut enim ſtulto-
rum eſt à medico conſilium in negotiatione
quærere, & à negotiatore de medicina; cum
de iſtis medicus, & de illis negotiator ſit L
conſulendus, iuxta illud:

Nauita de ventis, de bobus narrat
arator;

ita cum finis humanæ vitæ Deus ſit, ad quem
nos, & noſtra dirigere oportet, de eo, de-
que eius via quærere ab illis, qui eum non
ſapiunt, & à quibus ipſe longè abeſt, ſtul-
tiſſimum eſt: notum eſt enim prouerbium:
ne ſutor vltra crepidam: ab Apelle in
quendam ſutorem, qui vltra crepidam de
picturis auſus fuerat ſententiam ferre: *vt enim*, ait Plinius, *de pictore, ſculptore, fictore, niſi artificem iudicare non decet;* Plin. iun. ep. 10. lib. 1.
ita niſi ſapiens non poteſt perſpicere ſapientem,
Et Ariſtoteles, *benè quiſque*, ait, *iudicat ea, quæ cognoſcit, & ipſorum bonus eſt iudex;* Ariſt. lib. 1. ethic. c. 3.
ita ergo in vnaquaque re benè iudicat, qui
in illa eſt eruditus, & experientia doctus,
quam nullo pacto habent malè affecti ſa-
pientes.

Quòd ſi contingat aliquando, nos bonum
accipere à peccatore conſilium, non tamen
illud ſequendum, niſi à probo etiam viro ſit M
approbatum. Vnde Lacedæmonius, vt ex
Plutarcho Gellius refert, dum aliquando Gell. li. 18. c. 3. noct. att.
de ſumma Reipublicæ, quid nam videlicet
eſſet vtile, & honeſtum, deliberaret, cum Praui hominis conſiliũ nõ prauum, quomodo ſequendum.
homo quidam turpitudine priſtinæ vitæ dif-
famatiſſimus, lingua tamen, & facundia
nimium quantum præſtabilis, ſententiæ di-
cendæ ſurrexiſſet, conſiliumq́. ſuum, quodq́.
oportebat fieri ſuaderet, & acceptũ omnibus
eſſet, & conſequenter ex eius ſententia futu-

rum

rum eſſet populi decretum, vnus ex illo principum ordine, quos Lacedæmonij, ætatis, dignitatiſque maieſtate, tanquam arbitros, & magiſtros diſciplinæ publicæ verebantur, Ephorus nomine, commotus, iratoq; animo, exilijt, nulloq. pacto ſequenda eſſe, quæ ille benè docuerat, docuit, niſi primum eadem alius, bonis ornatus moribus, repeteret, ne praui hominis ſequuti conſilium viderentur. N Simile eſt, quod Tullius de Phormione Peripatetico refert, qui cum aliquot horas de officio imperatoris, & re militari coram Annibale Poeno imperatore præſtantiſſimo diſputaſſet, interrogatus imperator, quid de Phormionis oratione ſentiret, liberè dixit, ſe multos deliros ſenes vidiſſe; ſed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidiſſe neminem, quòd ea, quæ ipſe non eſſet expertus, vellet cæteros edocere: quare vera ſapientia illa eſt, à qua, veluti è fonte Paradiſi, quatuor emanant flumina, quæ paradiſum irrigantia foecundant. Sic Bernardus: *ex vna*, inquit, *ſapientiæ vena virtus quadripartita procedit*. Et Ambroſius: *Ex anima*, inquit, *quæ culta eſt, non ex ea, quæ inculta, fons iſte procedit, vt irriget paradiſum, hoc eſt quædam diuerſarum fruteta virtutum, quarum ſunt quatuor initia, in quæ ſapientia iſta diuiditur*: Et ſubdit: *quæ ſunt quatuor initia virtutum, niſi vnum prudentiæ, aliud temperantiæ, tertium fortitudinis, quartum iuſtitiæ, quæ etiam ſapientes huiuſmodi ex noſtris aſſumpta, in ſuorum ſcripta librorum tranſtulerunt?* Sic ille veram habet Sapientiam, qui prudens media ad finem neceſſaria conſiderat, qui iuſtus debita Deo, proximo, & ſibi ipſi præſtat, nec aliquem lædit: qui fortis nulli cedit difficultati; ſed & in veritate perſiſtit, & in bono fortiter; qui temperans nunquam modum à ratione præſcriptum excedit: prūdens, inquam, & maturus in deliberatione: nam canis celerius pariens, cæcos edit catulos. Hinc Octauius crebro illud dicere ſolebat: βραδέως, ἀσφαλὴς γὰρ ἐστιν ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης. id eſt: *feſtina lentè*: aut, *matura lentè*: item; *ſat celeriter fieri quicquid fiat ſatis benè*, & Lucianus:

Ἡ βραδύπους βουλὴ μεγ᾽ ἀμείνων, ἡ δὲ ταχεῖα
Αἰὲν ἐφελκομένην τὴν μετάνοιαν ἔχει.

Tardum conſilium longè præſtantius eſt, præceps
Autem ſemper habet comitem pœnitentiam.

P Iuſtus in conſultatione, ita vt non proprium commodum, ſed eius, cui dat conſilium, reſpiciat; neque enim fieri poteſt, vt qui in dando conſilio, ſe ipſos reſpiciunt, ſequantur iuſtitiam: nam *impoſſibile eſt*, ait Ioannes Seresbarien. *quemquam iuſtitiam & pecuniam ſequi; aut enim cuiuis iſtorum quilibet adhærebit, aut alterum contemnet, aut torquebitur altero, melioris expers*. ſic enim aliorum cauſam ſuam facit, & nemo in ſua cauſa rectè iudicare, aut ſentire videtur: vnde apud quoſdam lex eſt, vt qui habent agros vicinos, ij non admittantur ad conſilium aduerſus vicinum, belli ſuſcipiendi, quaſi ob priuatam ſuam cauſam rectè conſilium dare non valeat. Hinc Gregorius, *nullus*, ait, *fidelior ſibi ad conſilium eſſe poteſt, quàm qui non ſua, ſed te diligit*. quod quàm verum ſit, apparet in infelici exitu regis Angliæ Henrici Octaui, qui, dum moriens, lumine diuino illuſtratus, ad Romanã Eccleſiam, à qua miſerè defecerat, cogitaret redire; omnes ſuos conſiliarios, præter vnum Epiſcopum Stephanum Gordinerium, Eccleſiæ metuentes amittere bona, quæ malè acceperant, ſuper hoc requiſitos, contradictores habuit: vnde miſerè extra Eccleſiam Romanam poſtea interijt. Q

Tull. de orat lib. 2.

Inexperti cõſilium ridiculum.

Gen. 2.

Bernard. de diuerſ. ad Cler. c. 21.

Ambroſ. de Parad. c. 3.

Prudentiam, iuſtitiã, fortitudinem, & temperantiã veræ ſapientiç eſſe neceſſaria.

Adagiũ Suet. in Octau.

Lucian. in Andolog.

Io. Seresb. in Policrat. lib. 5 c. 4. in fin.

Greg. regiſt. li. 1. indict. 9. c. 33.

Henrici viii. Angliæ regis infelix exitus

Fortis in dicenda veritate: nam, vt Gregorius ait: *Vtile non eſt conſilium, cui robur fortitudinis deeſt*; neque enim reſpicere faciem hominis, cuius ſit gradus, & conditionem, debet; etenim nihil peius conſulenti accidere poteſt, quàm conſiliarium adulatorem reperire, qui taceat veritatem, ſicuti neq; ægroto peius, quàm medicum, qui ei blãdiatur in applicandis, & corrigendis neceſſarijs remedijs. R

Greg. li. 2. moral. c. 31.

Temperans in ſeruando modo, non quidem illud præbendo conſilium, quod ira, aut particulare aliquod odium, ſed quod recta ratio, & lex diuina docet, atq; præſcribit. Hæc vera ſapientia, quam ſolam qui habet, iuxta Tobiæ præceptum, conſulere debemus, vtpotè vere ſapientes. *Conſilium itaque à ſapiente perquire*.

VERS. XX.

Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.

1 *Deus omni tempore quomodo benedicendus.*
2 *Exponitur locus Lucæ, 18. 1. oportet ſemper orare.*
3 *Quomodo vias hominis dirigat.*
4 *Conſilia noſtra qualia ſine eo.*

O*MNI tempore benedic Deum, &c.* Benedicitur Deus, optando, & precando, vt gloria, & maieſtas eius in omnes orbis partes diffundatur, & ab vniuerſo mortalium genere celebretur; nam, vt ait Ambroſius: *tunc Deus benedicitur, cum laudibus dignis extollitur*; Et Richardus: *Benedicimus*, ait, *Deum*,

Quomodo Deus benedici dicatur.

Ambroſ.

Richard. in pſ. 102.

cum

cum gratias illi reddimus pro beneficijs collatis, quòd non ſemel, aut bis, ſed ſemper eſt faciendum.

Omni tempore, Nimirum tempore congruo, ſtatuto, ſedulò vacans diuinis laudibus: nam qnomodo ſacra ſcriptura impoſſibile dicit, aut numquam fieri, quod exequi eſt difficillimum, aut raró illud fieri poſſe contingit, *omni tempore*, dicit Tobias, fieri oportere, quod frequenter faciendum eſt; maximè quia communi etiam, et vſitato loquendi modo, omni tẽpore id fieri dicitur, in quod tanto affectu incumbitur, vt idem fiat qnandocunque, & quotieſcunque fieri poteſt; ſic de homine ſtudioſo dicitur: omni tempore ſtudet; & de puero intemperante, omni tempore comedit. Ad quem etiam modum communiter Sancti Patres exponunt verba illa Chriſti: *oportet ſemper orare*: & in Actis Cornelius Centurio dicitur vir religioſus, & deprecans Deum ſemper, qui tamen çibum, potumq. capiebat, alijsq́. negotijs vacabat, vtpote multorum dux militum.

Luca 18. Ibiq; Patre. abud Suarez de relig. tom. 2. lib. 1. c. 2.

3 *Et pete ab eo, vt vias tuas dirigat*, hoc eſt, vt ipſe opera tua gubernet, & regat Deus: nam, vt alibi diximus, frequentiſſimum eſt in ſacro eloquio viam, & vias pro opere, & peculiaribus operationibus poni: nam cum via, ſecundum communem intelligendi modum, ſpatium illud terræ ſit, per qnod ambulatur, & tranſitur ab vno termino ad aliũ, à termino nimirum, quem vocant à quo, ad terminum ad quem, in moralibus, teſte Gregorio, viarum nomine, actiones humanæ deſignantur: vnde in illis verbis Iob: *non ne conſideraſti vias meas?* quid viarum nomine, niſi actiones denuntiatur? Hinc enim per Ieremiam dicitur: *bonas facite vias veſtras, et ſtudia veſtra*, quia ſicut greſſibus corporeis ab vno termino ad alium peruenitur, ita greſſibus actionum noſtrarum ex hac vita peruenitur ad aliam: quare, vt illæ rectæ ſint, ſicut docet Tobias, à Domino aſſiduis precibus eſt flagitandum, cùm non tàm labore noſtro, quàm Dei clementia illæ rectæ fiant. Nam, vt ſanctiſſimè docet concilium Tridentinum, in hominis licèt ſit poteſtate, vias ſuas curuas, & malas facere; rectas tamen, & bonas haud poteſt facere ſine diuina gratia: vnde efficaciam gratiæ, vias noſtras dirigentis, comparari poteſt Angelo, qui Loth de ciuitate Sodomorum liberauit. Dirigit ergo Deus gratia ſua, nobis cooperantibus, ſemper vias noſtras, quandocunque, remotis impedimentis, & complanatis obliquis, aſperis, & tortuoſis tramitibus, in præceptorum diuinæ legis obſeruantia expeditius incedimus: quod, vt fieri poſſit, conſilia noſtra in Deo fixa permanere debent; vnde ſubdit idem Tobias:

Sup. c. 3. verſ. 2.

Via pro opere.

Greg. li. 2. moral. c. 4.

Homo rectè operari ſine diuina gratia non poteſt.

Conc. Trid. ſeſſ. 6, can. 6.

4 *Et omnia conſilia tua in ipſo permaneãt*: Quia, vt addit Græcus; *non enim eſt vlla gens, quæ conſilium habeat, ſed ipſe Dominus omnia bona dat, & quæcunque voluerit, humiliat, prout vult.* Et Syrus: *Quoniam omni populo non eſt cogitatio, ſed ipſe Dominus dat omnia bona, & illum, quem volet, humiliat.* Hebræus: *Quoniam non eſt in hominis manu conſilium aliquod, ſed in manibus Dei, qui eſt benedictus, quia omnia, quæ volet, faciet, illumq. humiliabit, & illum exaltabit*, Sanè, vt B. Paulus ait; *ſufficientes non ſumus cogitare aliquid ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: aliquid, nimirum, quod excelſum ſit, & naturæ ordinem ſuperet, qualia ſunt omnia, quæ ſpectant, & ordinantur ad fidem, gratiã, meritum, & ſalutem æternam: nam ſicut corpus graue, & in centrum terræ propenſum, aliqua leuitate ſibi non debita, & alis pernicibus ad volandum egeret; ita homo, non dico ad opera, ſed etiam ad cogitationes illas excelſas, & ſupra omnem naturam ſuam, auxilijs non debitis, ac gratuitò conceſſis, debet admoueri: ſic Tobias docet: conſilia ipſius, hoc eſt diſcurſus, & ratiocinationes ipſius non eſſe debent, quomodo à ſe ipſo, vel ab alijs creaturis adiudicari poſſit ad cæleſtia capeſſenda; ſed omnia in Deo ſolo collocanda ſunt, qui ſolus illum de talibus edocere poteſt, ſimulq́. auxilium ad illa præſtare: vide docum. 3.

Græcus.

Syrus.

Hebræus.

2. Cor. 3. 5.

Quòd in omnibus, & in omni tempore benedicendus ſit Deus, & maximè pro beneficio Redemptionis.

DOCVMENTVM I.

OMNIA *tempus habent*, inquit Eccleſiaſtes, opportunitas ſcilicet omni rei, vel negotio: *tempus naſcendi, & tempus moriendi, tempus plantandi, & tempus euellẽdi, quod plantatum eſt; tempus occidendi, et tempus ſanandi; tempus deſtruendi, et tempus ædificandi; tempus flendi, et tempus ridendi*; ita vt fatuus omnino ille cenſendus ſit, qui aliquid extra tempus ſuum operatur: nam, vt eſt in prouerbijs, *oleum*, & operam perdit: & ſicut poeta ille dicebat:

Eccl. 3. 1. 4

Temporibus medicina valet: data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Ouid. 1. de remed. amor.

& Boëtius ait:

Signat tempora proprijs
Aptans officijs Deus,
Nec quas ipſe coërcuit,
Miſceri patitur vices.

Boet. 2. de conſolat. metr. 6.

Verùm ad benedicendum Deum, ſeu ad diuinas laudes perſoluendas, aut gratias

agendas, tempus omne congruum veſpertinum, matutinum, meridianum, nocturnum, diurnum, propſerum, aduerſum & quodcunque aliud reperitur: *Omni tempore*, ait Tobias, *benedice Deum*: Et quidem ſicut omni tempore ab eo gratias accipimus; ita omni tempore pro eis, quas licet nobis, gratias illi reddere debemus, & præcipue pro maximo omnium redemptionis beneficio: nam, vt Auguſtinus ait: *cætera Dei beneficia, quæ multa, & magna ſunt, huic vni collata, ſplendorem, & dignitatem ſuam quodammodo amittere videntur.* Quare Ieremias: *Ecce, ait, dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent vltra: Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Aegypti; ſed viuit Dominus, qui eduxit & adduxit ſemen domus Iſraël, de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quos eieceram eos*: vbi loquitur propheta non de liberatione à captiuitate Babylonica, Aegyptiacæ liberationi nullo modo comparanda; ſed vt explicant Hieronymus, Rabanus, Hugo, & S. Thomas, de liberatione à captiuitate dæmonis, docetq́. proinde Ieremias, in comparatione huius liberationis, non eſſe deinde dicendum: viuit Iehoua, qui eduxit Iſraël de Aegypto; ſed qui eduxit de terra Aquilonis, de captiuitate dæmonis. Hinc Zacharias apud Lucam: *Benedictus*, ait, *Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ*, quaſi dicat: mihi quidem benedicendus ſemper eſt Deus, qui fecit, & creauit nos, qui nos eripuit de ſeruitute Pharaonis, & cæterarum gentium: at præcipuè benedicendus, *quia viſitauit, & fecit redemptionem*, &c. Viſitauit quidem, non ſicut antea per prophetas, & Angelos, aut per aliam creaturam, ſed per ſe ipſum: viſitauit vineam ſuam à peccato, & ſingulari fero ſuperbiæ depaſtam, & conſumptam, perfecitq́. eam ſuper filium hominis, quem ſibi ad hoc confirmauerat: *quem filius ſolius hominis, ait Auguſtinus, niſi quem confirmaſti tibi, magnum fundamentum, Chriſtus Ieſus? incenſa igni, & ſuffoſſa ab increpatione vultus tui*, ait Domino Dauid, *peribunt: videamus, intelligamus*, ait Auguſtinus, *quæ ſunt igni ſuccenſa, & ſuffoſſa. Quid increpauit Chriſtus? peccata ab increpatione vultus eius perierunt; ſed quare peccata igne dicũtur ſuccenſa, & ſuffoſſa? Omnia peccata duæ res faciunt in homine cupiditas, & timor*: cupiditas boni, & timor mali: amor quippe ſuccendit, timor verò humiliat: ideò peccata mali amoris igne ſuccenſa ſunt, peccata mali timoris effoſſa ſunt: ſuccenſa itaque igne, & ſuffoſſa, omnia ſcilicet peccata, ab increpatione vultus Dei perierunt; vnde vinea Domini à ſingulari fero eſt liberata: viſitauit Deus medicus hominem ægrum, vt illum ſanitati reſtitueret: *benè nouit*, Auguſtinus ait, *ſanctitas veſtra, Dominum eſſe medicum ſalutis noſtræ, & ſalutis æternæ*, qui, mira res, medicinam ſumpſit, noſq́. ſuo liuore ſanauit: & quis aliquando talem non dico reperit, ſed excogitauit medicum, qui, vt ægrum curaret, ſe ipſum infirmum redderet? quis talem chirurgum, qui ſaucio cuipiam, proprio vulnere; & ſanguine mederetur? viſitauit ſanè, vt redimeret: *viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ*: dura nos quidem tenebamur peccati captiuitate: *ipſa redemptio*, ait Auguſtinus, *clamat captiuitatem noſtram, vnde enim redempti, ſi non captiui?*

Auguſtin. — Ierem. 23. 7.8. — Redẽptionis beneficiũ peculiares gratias exigit. — C — Hieron. Rabanus. Hugo, & S. Tho. in Ier. 2. — Redemptionis beneficiũ omnium maximum. — Luca 1. 68 — Pſal. 79. ibique Aug. — D. — Chriſtus Redemptor medicus fuit animarum. Aug. de verb. Domini ſerm. 18. — E — Aug. in pſ. 70.

Nos itaq; captiuos peccato redemit Dominus noſter, nõ ſicut olim Iſraëlitas à ſeruitute Aegypti, nullo ſoluto pretio, ſed cornu ſalutis in ligno crucis erecto: *neque enim*, dicit Auguſtinus, *potentia Dei diabolus, ſed iuſtitia ſuperandus fuerat: gratis venundati eſtis*, ait Iſaias, *ſine argento redimemini*, ſine argento, non ſine pretio, & quidem magno; *empti enim eſtis pretio magno*, ait B. Paulus, ſanguine nimirum Chriſti; *ſcientes*, ait B. Petrus, *quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti*: pretium adeò magnum, vt naturæ humanæ omnem ſuperet captum. Quare Iſaias: *Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt?* ideſt, quis intelligit Deum mortuum propter hominem, & credet? eſt enim hoc grande myſterium, ſola fide credibile: *prædicamus*, inquit B. Paulus, *Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*; ſed cur ſcandalum? cur ſtultitiam? *quia*, ait S. Gregorius, *ſtultum hominibus, vt auctor vitæ moreretur: & inde contra eum ſcandalum ſumpſit, vnde ei amplius debitor fieri debuit*: & Hieronymus: *ſcandalum*, inquit, *eſt Iudæis audire, Chriſtum mori potuiſſe, quem illi tanquam immortalem expectant: Gentibus autem ſtultitia, quia ſecundum humanam ſapientiam, eis ſtultum videtur credere Chriſtum crucifixum.*

Aug. li. 13. de Trin. c. 13. — Iſaiæ 52. 3. — 1. Cor. 6. 20. — 1. Petr. 1. 18.19. — F — Iſaia 53. 1 — 1. Cor. 1. 23. — Greg. hom. 6. in Euang. — Hier. in loco B. Pauli.

Et verè ſi amici Iob, cum eum in ſterquilinio ſedentem, & teſta ſaniem radentem, vidiſſent, quem antea opulentiſſimum, & multis opibus circumfluentem, cognouerant; tanto ſtupore completi ſunt, vt ſeptem diebus, & ſeptem noctibus eum eo humi ſedentes, ſilentium tenuerint, neque eorum quiſquam ipſum alloqui auſus ſit; quantus erit ſtupor non hominem ſic affectum, ſed hominem ſimul, & Deum intueri? Si Achior videndo caput Holophernis principis militiæ Aſſyriorum, abſciſſum, æſtuaſſe animo dicitur, & præ ſtuporis, pauoriſq́. magnitudine, in terram corruiſſe; quid mirum, cadere præ ſtupore totam humanam naturam, dum auctorem vitæ morte damnatum audit? dum cruci affixum Deum ab homine ſentit? Et quis ſine ſupernaturali fide credat,

G — Iob 2. 13. — Paſſio Chriſti admiranda. — Iudith. 13. 19.

Iſa.6.1. Deum illum, quem olim vidit Iſaias ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, cui adſtabant

H Seraphim, cuius maieſtate omnia replebantur, fuiſſe crucifixum, & inter latrones deputatum?

Iſa.57.1. Sed mira res: *iuſtus perÿt, & non eſt, qui recogitet in corde ſuo*, ait Iſaias: credimus Chriſtum, & hunc crucifixum, & quaſi nihil eſſet, Deum pro homine mortuum, non eſt, qui cogitet, nec, qui benedicat, vel gratias agat pro tanto beneficio: quia proh

Ierem. 6. 29.30. dolor: *defuit ſufflatorium*, inquit Ieremias, *in igne conſumptum eſt plumbũ, fruſtra conflauit conflator; malitiæ enim eorum non ſunt conſumpta, argentum reprobum vocate eos.* Defecit primum ſufflatorium meditationis, quæ, dum in corde noſtro ſufflat, ignem diuini amoris incendit; vnde etiam *in igne conſumptum eſt plumbum*. Solent

Hier. & Theodoret. in Iere. fabri argentarij, inquiunt Hieronymus, & Theodoretus, quando à materia aliqua adulterina purgant argentũ, miſcere plumbum, vt materia abſumatur aliena; quod ſi

Reprobationis argumentum nulla de paſſione Chriſti meditatio. purgata non fuerit, plumbum omne conſumitur, & *fruſtra conflauit conflator*: Sic fruſtra poſuit Deus plumbum ſuæ dulciſſimæ paſſionis, deficiente ſufflatorio meditationis: quia eius fructu priuamur: quare qui

I illam non conſiderant, argentum reprobum ſunt dicendi: *Omni* itaque *tempore benedic Deum*, & præcipuè pro tanto redemptionis beneficio.

Quòd vias ſuorum Deus diligentiſsimè regere, ac gubernare ſoleat.

DOCVMENTVM II.

A DOCET etiam Tobias filium, vt à Domino petat dirigi in vijs ſuis, quod ille erga ſuos tanta diligentia præſtare ſo-

Pſal.31.8. let, vt dicat per Dauid: *Intellectũ tibi dabo, & inſtruã te in via hac, qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos*, hoc eſt dabo, ſi ad me confugies, conſilium, & monebo te, quam viam ingredi debeas, & commoſtrantis viam, ducisq́. munere fungar, nec ſegniter, ſed didiligentiſſimè *firmabo ſuper te oculos meos*: nam ſicut prę̨mit oculos, palpebraſque contrahit aliquando ille, qui aliquid attentius animo quaſi abſorptus reuoluit: ita ego, ait Dominus, tanta cura tibi conſulam, excogitatumque attentius cònſilium tibi dabo, vt quodammodo in te abſorptus videri poſſim, deque nulla alia re cogitans, nec minori te diligentia cuſtodiam, & in via diri-

B gam, quàm nutritius paruuli infantis greſ-

Oſea 11. 3. Deus hominum nutrix. ſus dirigere ſoleat: Sic per Oſeam: *Ego quaſi nutritius Ephraim portabã eos in brachÿs meis*; nam ſicut nutritius puerulum ſuæ curæ demandatum, vt tutus incedat, progredi ſuauiter docet, ac titubanti, ne cadat, ſuccurrit, ſtatimq́. ſi cadat, erigit; ita Dominus iuſtorum nutritius, & pater, greſſus eorum in ſuis ſemitis dirigit, ab omnique caſu arcet, & ſi leuiter prę ingenita imbecillitate ceciderint, in increpationibus ſubleuat, cautioreſque reddit: nec ſolum, ſicut nutritius, ita infantuli greſſus dirigit, vt nullo pactu roboret, ſed inſuper illos dirigit, ac potentiſſime gratia ſua roborat: & *ſi-*

cut aquila, vt Moyſes loquitur, *prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas: & aſſumpſit eu n, atq; portauit in humeris ſuis.* ò magna Crea- *Deut.32.11.*

toris benignitas; aquilæ ſe comparat, quæ pullos ſuos roſtro, & alis ad volandum prouocat, ipſisq́. volantibus ſuperuolitat, vt eorum periculis præſto ſit, fatigatosq́. ad nidulum ſuper humeros ſuos deferat: ita dulcis Dominus, ac verus noſtri pater, ſi paululum obdormiſcamus, abditiſſimis vocibus, & occultiſſimis ſermonibus, qui in corde tantum ſonant, ad viam virtutis ſolicitè peragrandam, non excitat, præcedit, comitatur, ſubſequitur; neue erremus, labamur, à coepto deſiſtamus, diligentiſſimè cauet, noſq́. ſe ipſo, velut ſcuto, circundat, ac protegit: quod ſi quid aduerſi patiamur, ſtatim adeſt, noſq́. moerentes ſolatur, oppugnatos adiuuat, ac tandem in tutum ponit, *datq́.* vt Dauid loquitur, *virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ.* *Pſal. 67. 36.*

Vnde *qui timent Dominum*, ait Iſaias; *mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, ſicut aquilæ, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient*, hoc eſt, *deambulabunt, & non deficient*, hoc eſt, dabit Deus timentibus ſe non modò pedes ad *Iſa.40.31.* D

currendum per viam ſalutis, ſed etiam alas ad volandum, ne, ſicut additur, deficiant, laborentue. Hinc meritò Habacuc, *Deus Dominus*, ait, *fortitudo mea ponet pedes meos quaſi ceruorum*, hoc eſt, quales cerui habent veloces ad pericula præcauenda, & ad mundi huius impedimenta tranſilienda; & *ſuper excelſa mea deducet me*, ideſt, *per viam*, vt ait Euthymius, *tritam, & periculis liberam: cerui enim vim fugiunt venatoris*, ait idem: *in excelſos montes properant, & ibi tuti conſiſtunt.* exemplo iſtud com- *Habacuc 3.19.* Seruorũ ſuorum Deus difficultates explicat.

probat Hieronymus Platus, Andreæ Spinulæ, qui ante quàm Societati Ieſu nomen daret, cùm prouectiore iam eſſet ætate, nempe triginta, & octo annos habens, dum de ſeculo relinquendo deliberaret, atq; in partem *Platus de bon. ſtat. Relig. li. 3. c. 16.* B

contrariam tum valetudinis imbecillitas, tũ deliciarum coaſuetudo, familiæ nobilitas, dignitatis, quam in Eccleſia gerebat, amplitudo deniq; diſciplinæ difficultas, & multæ aliæ rationes, quaſi agmine facto, ad terrorem ei ſe ſe offerrent, repente à Dei bonitate, hunc

ip-

ipſum, quem diximus, verſiculum menti ſuæ obiectum ſenſit: *pones pedes meos quaſi ceruorum:* eoque verſiculo, tanquam lumine quodam oborto, ita illuſtratus eſt, vt quemadmodum ipſe narrabat, omnes illæ timidæ, & diffidentes cogitationes euanuerint, isque, animo penitus confirmato, conſtanti aduerſus illa omnia incommoda permanſerit, & quidem id breui etiam expertus eſt: nam cùm antea adhuc ſecularis, quoties Ieſuitarum menſæ intereſſet, quod amicitiæ cauſa nonnunquam faciebat, multa faſtidire ſoleret, vtpotè delicatioribus epulis argenteæ ſupellectili, & exquiſitæ cuidam munditiæ domi ſuæ aſſuetus; idē deinde, ſocietate iam inita, cùm primum ad communem menſam venit, omnia viſa ſunt ei longè alia, quàm prius viderentur, mantilia nitidiſſima, patinæ, atque orbes, quaſi ex argento, ipſe vero locus vndecunque optimo odore fragrans; ita vt nihil apud ſe dubitarit, quin illa omnia præter eorum morem parata eſſent, rectoris iuſſu, ad ſuam videlicet infirmitatem releuandam, de qua etiam re ſeriò cum rectore conquæſtus eſt, & poſtea ſuum hunc errorem ſæpius ipſemet amicus familiariter narrauit.

Deus ſeruorum ſuorum guſtum dulciſſimè immutat.

F

Pſ. 17. 3.

Meritò itaq; Dauid: *Dominus*, ait, *fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, & liberator meus*, ideſt cauſa totius roboris mei, firmamentum in tuto, refugium in periculis, liberator in ſeruitute.

G

Cant. 1. 3.

Et Sponſa in Canticis: *trahe me poſt te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum*: quaſi dicat, nulla eſt, Domine, tuta via, niſi per quam incedis: *Dirige greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea. Da vires*, ait Honorius, *poſſe tua veſtigia per hanc viam ſequi*, per quam ad gloriam præceſſiſti: via Domini eſt, proſpera mundi non appetere, & aſpera patienter pro ea pati: per hanc viam ipſe ingreſſus eſt ad gloriam: cùm enim Iudæi vellent eum regem conſtituere, fugit: cùm vellent eum crucifigere, vltrò ſe obtulit: per hanc ſe ſequentibus ire præcepit Deus, dicens: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſe met ipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, ideſt imitetur me; per hanc viam nemo gradietur, niſi trahatur, vt ſcriptum eſt: *nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum*.

Honor. in Cãtic. apud Delrium.

Via Dei quę ſit.

Matth. 16. 24.

Via Dei quę.

Iob 6. 44.

Quòd nihil, incõſulto per orationem Deo, aggrediendum ſit.

DOCVMENTVM III.

A

Docet etiam Tobias filium, nihil, quod proprio marte excogitarit, aut adinuenerit, exequendum, inconſulto, per orationem, aut ſacrarum Scripturarum lectionem, Deo, *& conſilia tua*, dicens, *in ipſo permaneant*: eſt enim proprium conſilium illud, quod cuiuſque mentis iudicio libet, & videtur optimum: nam cùm infirmum, & imbecillum valde ſit humanum conſilium, à vero ſæpè fine per ſe ipſum aberrare neceſſe eſt. Sic, vt Iſaias docet, *conſiliarij Pharaonis*, licèt ſapientes eſſent, *dederunt conſilium inſipiens*; quia, vt B. Paulus ait, *animalis homo non percipit, quæ Dei ſunt, nec iudicia illius dijudicare valet*: quare nec noſtris, nec cæterorum hominum cõtenti eſſe debemus, ſed diuinum etiam in oratione requirere, quod nec fallitur vnquam, nec fallit. & iuxta illud omnia noſtra conſilia dirigere.

Iſa. 19. 11.

1. Cor. 2. 14.

De voluntate Dei in omnibus exquirenda diximus etiã ſupra cap. 3. verſ. 3. doc. 3

B

Eſt enim hoc præcipuum prudentis hominis officium, non modo omnia cum conſilio facere, ſed etiam diuinis manibus, antequàm fiant, tractanda committere, humiliq. fiducia, ac prece ab eo impetrare: quod cognouerunt & ipſi ethnici, qui nefas omnino putabant, aliter in rebus arduis facere. Vnde Romani nunquam bellum aggrediebantur, inconſultis per aruſpices, & ſacrificia ſuis Dijs: & Athenienſes, omnibus publicis negotijs, atque conſilijs ſacerdotem intereſſe volebant, qui ante omnia ſacrificijs numen diuinum inuocaret: & Scipio Africanus filius Iouis inde eſt dictitatus, quòd nunquam publicum conſilium, Ioue non inuocato, intraret: quin & Cambyſem hæc filio ſuo Cyro præcepiſſe Xenophon narrat: *nihil in publicis, vel priuatis rebus agas, niſi ſacris peractis, Deorumq. voluntatibus per auguria conſpectis, & cognitis, quid agendum, quid non agendum explores; humanum enim genus, erroribus plenum eſt: at Dij, cum ſemper fuerint, cumque omnia nouerint; præſentia, præterita, & futura; inuocati adſunt conſultationibus hominum, ſigniſque oſtendunt, quid agere, quibuſue abſtinere oporteat*.

Nefas opus aliquod aggredi, inconſulto Deo.

Deus ſemper conſulendus.

Xenophon. in Ciropæd.

C

Sed optimè hanc veritatem nos docuit Iudæorum rex ille Ioſaphat, dum ait: *Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros ad te dirigamus*. Sic Dauid aiebat: *Conſilium meum iuſtificationes tuæ*: vnde nec aliquod arduum opus aggrediebatur, antequàm Dei conſilium exquireret, vt in libris Regum apparet; dum enim, vt ibidem legitur, certaturus eſſet contra Philiſtæos, Dominũ conſuluit, dicens: *num vadam, & percutiam Philiſtæos iſtos?* nec prius iuit, quàm audierit à Domino: *Vade, percute Philiſtæos.* Nobilis etiam illa fœmina Iudith, mirabile aggreſſura facinus, vt ſuccederet ex animi ſententia, nihil aliud, quàm diuinum conſilium exquiſiuit; vnde populo ait: *Vſq; dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, niſi oratio pro me ad Dominum*. Ipſa vero cum

2. Paral. 20. 1.

Pſal. 118. 24.

1. Reg. 23. 2.

Ab oratione omnia noſtra auſpicãda ſunt.

D

Iudith. 8. 33.

alijs temporibus frequenter orauit, tum etiam cum Holophernis caput iam iam eſſet amputatura: *Stetit ante lectum orans cum lacrymis*, cumq. iam pugionem euaginaſſet, capitiſq. comam manu apprehendiſſet, hunc in modum precata eſt: *Confirma me Domine Deus in hac hora*. Heſter quoque, cum populum ſuum ab impendente necis periculo vellet eripere, antequàm negotium inchoaret, hæc Mardochæo verba mandauit: *Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Suſam repereris, & orate pro me: non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo*. Chriſtus enim Diminus noſter, qui, vt Titus Boſtrēſis ait, *quodcunque volebat, operabatur, quique cum ſapientia eſſet patris, nullo egebat conſilio*, vtpotè qui manus ſemper oculatas habebat, tornatiles, plenas hyacinthis; huins etiam rei exemplum nobis præbuit, vt obſeruat Ambroſius, dum miſſurus Apoſtolos orauit prius, & ſolus orauit; nec ſummum redemptionis opus aggreſſus eſt, antequàm Deum patrem orando in horto Gethſemani, conſuluiſſet; quem imitati deinde ſanctiſſimi viri, nec verbum quidem, Deo inconſulto, pronuntiabant. Hinc Pambonem Abbatem narrat Palladius, diuina ſapientia, prudentiaqne præditum, quoties ab eo conſilium, vel reſponſum de quæſtione aliqua poſtularetur, nunquam illicò reſpondiſſe; ſed ſpatium petijſſe prius rem Deo commendandi, ac tum demnm reſponſnm dediſſe: qua pia conſuetudine effecit, vt iam vicinus mortic, onfeſſus ſit, ſe nunquam verbum vllum protuliſſe, cuius pœnituiſſet, cuius coutrarium ei accidit, qui niminm ſuo, vel aliorum fidens conſilio, diuinum in actionibus exquirere negligit; vnde fit, vt crebrius talis allucinetnr; ſicut contigit Ioſue: nam cùm Gabaonitarum legati ad eum veniſſent, & inſigni fraude confinxiſſent, ſe è longinquis regionibus profectos, eiusqne rei argumentum eſſe ſaccorum, calceamentorumq. vetuſtatem, pannī etiam, quos recentes accepiſſent, duritiem; Ioſue, pacis fœdera, interpoſito iureiurando, cum illis inijt, quæ deinde, fraude detecta, frangere non ſine ſcandalo coactus eſt; cuius erroris diuina ſcriptura cauſam illam commemorat, *quòd in precibus os*, vel conſilium Domini explorare neglexerit.

Iudith. 13. 7.

Oratio optima conſiliatrix.

Eſther 4. 16.

E

Titus Boſtrenſis.

Cant. 5. 14

Ambroſ. in c. 6. Lucæ.

Pallad. in hiſt. Cauſ.

F

Ioſue 9.

Oratione inconſulta, res perperam ſuccedunt.

G

Meritò igitur Dominus: *Væ*, ait *filij deſertores, vt faceretis conſilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum*. Quare Iudæorum populus, inconſulto Deo, cùm in deſerto cum hoſtibus confligere vellet, Moyſes diuinorum arcanorum interpres, eos ab hoc temerario auſu vt renocaret, ait: *nolite aſcendere; non enim eſt Dominus vobiſcum*: cumq. ſanctiſſimi viri voces audire noluiſſent, dum ad pugnam ſe parant, vix appropinquantes hoſtes conſpicati ſunt, cum terga vertentes, inimicorum gladijs ſunt obtruncati: ſic euenit, vt fœdè perirent, qui claram, & inſignem ſibi victoriam peperiſſent, ſi pugnare volniſſent eo tempore, quo fuerunt ad pugnam, Dei conſilio, concitati. Quicunque igitur ſapientem vitam inſtitnunt, nihil audent, niſi de ſummi Dei conſilio decernere, ſemperque ſe ipſos excitant ad Dei verbum mente cōcipiendum, nec aliud iu vita meditantur, quàm, vt dnctum, & imperium illius ſummi ducis, & imperatoris, ac moderatoris alacres, & expediti ſequantnr, vſque adeò, vt ne licita quidem, communiq. modo, & lege conceſſa aggredi velint, niſi prius in Dci numen inſpiciant; vnde vox illa Moyſis ad Dominum: *ſi non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto*.

Iſai. 30. 1.

Num. 14. 42.

Deum non conſulentes arguuntur.

H

Exod. 33. 15.

Quòd ſi aliquando etiam poſtquam diuinum noſtris rebus adhibuerimus conſilinm, res noſtras in diuerſum cadere videmus, non continuò ſpem abijcere debemns; ſed magis ac magis diuinum expoſcere conſiliū, vt docet hic Tobias, dum ait: *& conſilia tua in ipſo permeneant*, hoc eſt, licèt aliquando minus proſperè illud ſuccedat, quod iuxta diuinum conſilium fueris operatus, ne ideò ab incœpto deſiſtas, ſed *permane*, perſiſte in diuino conſilio; haud enim quid nobis expediat, nouimus Hinc Anguſtinus multa ſibi in vita contigiſſe ait, quæ maximo ſibi nocumento futura eſſe credebat; ſucceſſu vero temporis intellexit, nihil ſibi commodins accidere potuiſſe: generoſus enim accipiter, quem ſublimipetam vocāt, ardeam in ſublime volitantem aggreſſus, non adnerſus illam rectè contendit, ſed in aliquam partem volatum dirigens, magis illam fugere, quàm petere videtur: qui tamen hoc volatu in diuerſam partem commutato, ſuperior effectus, ex alto ſe in eam rapido impetn demittit, ac tandem interimit. Simile quidpiam pijs aliquando hominibus accidit, vt res, quæ humano iudicio in tranſuerſum ire videbantur, illis tamen præter omnem ſpem maximè ſalntares exiſtant. Et quis crediſſet, Ioſeph à fratribus Iſmaëlitis venditnm, in proregem euaſurum Aegypti? Quis mulierem Hebræam facere potuiſſe confuſionem in domo Nabuchodonoſor regis? Mardochæum inter Aſſueri regis domeſticos euaſurum maximum, dum illi ab Aman ſuſpendium parabatur? tales tamen exitus habent res, quæ diuinis manibus, & prouidentiæ committuntur. Conſilia itaq; tua, vt ait Tobias, incipiant, & permaneant in Deo: *memor, quia*, vt dicebat Auguſtinus, *ſi non vſque in finem ſperaueris, deletur totum, quod operaueras*.

K

Aduerſa quæ videntur, in proſpera Deus commutat.

Accipitris in Ardeam aſtutia.

L

Gen. 41. 41.

Iudith 14. 16.

Eſther 8. 2

Aug. in pſal. 129. 6.

Verſ.

VERS. XXI.

Indico etiam tibi, fili mi, dediſſe me decem talenta, dum adhuc infantulus eſſes, Gabelo in Rages ciuitate Medorum, & chirographum eius apud me habeo.

E

VERS. XXII.

Et ideo require, quomodo ad eum peruenias, & recipias ab eo memoratum pódus argenti, & reſtituas ei chirographum ſuum.

Sup. c. 1. verſ. 16.

Boni teſtatoris conditiones.

QVID talentum, quis Gabelus, quæ ciuitas Rages, quod Chirographum ſupra docuimus. Boni teſtatoris hic Tobias vicem gerens, qui hucuſque ea, quæ filij ſui animam ditare veris bonis poterant, ipſi vltima ſua voluntate legauerat; iam bona, quæ fortunæ dicunt, quibus commodè corpus ſuſtẽtatur, eidem teſtamẽto relinquit, nimirum pecunias, quas Gabelo, vt ſupra vidimus, mutuos dederat, dicens:

Sup. c. 1. verſ. 18.

Syrus. Arabs. LXX. Syrus. Arabs.

Indico tibi, fili mi, Syrus: *oſtendo tibi*. Arabs: *ſignifico tibi dediſſe me*, nimirum in depoſitum, ita LXX. & Syrus: *Quæ depoſui apud Gabelum*.

Decem talenta, Arabs: *decem pondera*. Sanè talentum pondus eſſe, & quale, ſupra docuimus.

Arabs:

Et chirographum eius, Arabs; *Et meum eſt chirographum de ea*.

VERS. XXII. Arabs. Hebræus.

Et ideo, Arabs: *Propterea curam habeto, quomodo peruenias ad eum, & recipias ab eo pondera connumerata, & reſtitue ei chirographum eius*. Addit Hebræus: *quia neſcitur diem mortis meæ*. Eſtque, vt notat Serarius, Hebraiſmus, pro *neſcitur dies mortis meæ*.

Serarius hic.

Quòd magis ſoliciti eſſe debeant parentes iam morituri, quomodo filios veris animæ bonis ditatos, relinquant, quàm bonis corporis, deque teſtamento maturè condendo.

DOCVMENTVM.

A

DOCET exemplo ſuo Tobias, prius de rore cæli, quàm de pinguedine terrę dandam eſſe filijs benedictionem, prius videlicet animæ ipſorum benedicendum, quàm prouidendũ corpori. Sic iam moriturus ſanctiſſimus ille Patriarcha Iſaac: *Det*, ait Iacob filio ſuo, *tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ*: vbi Tertullianus: *animaduertenda eſt*, inquit, *ſtructura benedictionis; nam circa Iacob, qui poſterioris populi eſt figura, ideſt, noſtri, prima promiſſio cæleſtis eſt roris, ſecunda terrenæ opimitatis; nos enim primò ad cæleſtia inuitamur, cum à ſeculo auellimur, & ita poſtea inuenimur terrena etiam conſequuti*: quin etiam inſigniores deinde Patres veteris teſtamenti legimus ante mortem parum, aut nihil de temporalibus bonis, multa de animæ ſalute dixiſſe. Sic Iacob ſupremis verbis filios maximè ad pietatem adhortatum fuiſſe legimus. Ad patris imitationem, duodecim patriarchas familiam quemque ſuam, cum ex hac vita migrandum eſſet, alloquutos de diuerſis fuiſſe virtutibus, meminit Origenes, & Procopius: Moyſes item morti proximus paterno affectu Hebræis benedicens, vice teſtamenti, multa ſalutaria documenta reliquit, feliceſque; ſi Deo ſeruirent, prædixit euentus. Hoc idem Ioſue, Samuel, & Dauid feciſſe legimus: quin & ipſe Saluator noſter in nouiſſima cœna ad mortem mox iturus, ſermonem habuit ad diſcipulos ſuos diuinæ doctrinæ præceptis, & oraculis refertiſſimum, cuius deinde exemplo ducti magiſtri nonnulli, & quaſi Patriarchæ religioſarum familiarum, idem præſtiterunt: & meritò quidem: nam vltima parentum verba maximè cordi infixa remanent, & expenduntur, quaſi memoriale perpetuum receptorum beneficiorum: vnde ingratiſſimus ille filius cenſetur, qui vltimas parentum admonitiones non magni facit: ſed plura de hac re inferius.

Gen. 27. 28

Tertull. lib. 3. contra Marcionem c. 24.

B

Gen. 49.

Teſtatores ſpirituales.

Orig. hom. 15 in Ioſue. Procop. Gaz. in c. 48. Gen. lib. inſcript. teſtam. 12. Patriar.

Deut. 31. 32. 33. Ioſue 24. 1. Reg. 12. 1. Paralip. vlt.

C

Inf. c. 14. v. 5

Quid igitur de infelicibus illis parentibus dicendum, qui ſicut viuentes filiorum ſalutem neglexerunt; ita & morientes illam contemnunt? quique non virtutis benedictionem filijs, ſed diuitiarum laqueum relinquere curant? illam, inquam, benedictionem, quam non Iſaac, prædeſtinatorum ſymbolo Iacob filio ſuo; ſed quam Eſau, ſymbolo reproborum, reliquit; dixit enim: *In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua*: & ita ordinem inuertentes rerũ, caduca æternis, vilia cæleſtibus, terræ pinguedinem cęleſti rore ponũt: quod quàm vanum ſit, & præter omnem rationem, Chriſtus docuit; dum ait: *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Quid ſcilicet proderit, filios fortunæ bonis corporalibus diuites, ſpiritualibus verò inanes relinquere? quid illis omnia terrena proderunt, ſi amittantur æterna? quid mundo imperaſſe, viuẽtes, ſi morientes, æternis ignibus concremandi, tradantur? Optimus ſanè æſtimator rerum, ait Bernardus:

Teſtatoris terrenarum facultatum improbatur.

Gen. 27. 39

D

Matt. 16. 16.

Bernard. ſer. 30. in Cant.

qui nihil ſuorum ſibi præferendum exiſtimat: & maxima filijs relinquitur hæreditas, ſi benè in via ſalutis edocti relinquātur: & quis neſciat, nullam adeò pinguem reperiri de bonis corporis hæreditatem, quæ breui temporis momento, à malo filio hærede non valeat diſſipari? quis hæc quotidie euenire non videt?

E

Aelian. de var. hiſt.

Hinc Dionyſius ille Syracuſanorum tyrānus, Aeliano teſte, dum exul ob ſcelera ſua, & principatu priuatus in extremam redactus eſſe miſeriam, Alexandro interroganti, quomodo tanta patris bona diſſipaſſet, reſpondit; *quia non ſuis fortunis, ſed ſuis diuitijs pater hæredem me fecit*: neque enim alia eſt fortuna, quàm Deus, quem, qui in bona educatione filijs non relinquunt, fruſtra cætera, & non niſi ad conſumptionem relinquunt: quod intelligens maximus ille Dux Athenienſium Phocion, dum oblata ſibi munera à diuite Macedonum rege Alexandro contempſiſſet, ijs, qui ea detulerant, dicentibus, vt vel pro filijs reciperet, hæc inſuper habuit: ſi mihi ſimiles habebo filios, ager hic paruus, qui me ad hanc dignitatem euexit, illis erit ſatis: quòd ſi mihi ſimiles non habebo, abſit, vt meis ſumptibus laſciuias, & vitia ipſorum ſuſtentare velim. Reſponſio ſanè Chriſtiano homine potius, quàm Ethnico digna.

Sapiens dictum.

F

Meritò itaque Tobias noſter de fortunæ bonis maximè ſolicitus, prius animam virtutibus, quā corpus diuitijs ditare curauit.

Teſtamentū fieri debet ante infirmitatem grauiorem.

Illud verò, quod his verſiculis addit Hebræus, idcircò de recuperanda pecunia filiū admonuiſſe, quia *neſcitur dies mortis*: parentes admonet de bonorum ſuorum negotijs, de contractibus, nominibus, totoque teſtamento, maturè omnia conſtituere debere: quod vtinam facerent, eoq. tempore teſtamentum conderent, quando ſani, & corpore, & mente benè norunt, quid agant: nam tali pacto non ſolùm propriæ cōſcientiæ, & ſuorum paci conſulerent; ſed etiā: proprijs conditoribus, quod dum facere omittunt, vel deinde illis faciendi tempus deeſt, vel ſi ſupereſt, magis aliorum, quàm propriæ coguntur adhærere voluntati, taleque condere teſtamentum, vt ſi conualeſcerent deinde, iure iurando affirmarent, haud vnquā fieri potuiſſe, vt eo modo illud dictauerint, vtpotè qui morbo oppreſſi, vel circumſiſtentium filiorum lacrymis cōmoti, nihil, aut certè parum, quòd congruit facere, vel norint, vel poſſint.

G

Lites inter hæredes ſ. equêtes ob teſtamenti difficultates.

Hinc non raro lites inter ipſos hæredes, & rixæ conſequuntur eiuſmodi, vt maximam bonorum hæreditariorum partem litigando cogantur abſumere. Et quid obſecro nocumenti affert de rebus ſuis quantociùs diſponere? an neceſſaria mors poſt teſtamentum? non ne in poteſtate teſtatoris ſitum eſt, quandiu viuit, ſi expedire cognouerit, vt quoſdam feciſſe noui, quotannis teſtamentum innouare, inſuperque conuiuium in ipſa die amicis, totique familiæ ſumptibus, vt ille aiebat, hæredum efficere? heu miſeranda hominum miſeria. Diſcant quæſo, diſcant opportuno tempore de rebus ſuis diſponere, dum *neſcitur*, vt ait Tobias, *dies mortis noſtræ*.

VERS. XXIII.

Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus; ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè.

1 *Quid doceat hic Tobias.*
2 *Timentibus Deum bona dari ſpiritualia, & terrena.*
3 *Quis recedat à malo, & faciat bonum.*

1 VLTIMA ſunt hęc teſtamenti Sancti Tobię verba, quibus filium docet, nullam aliam timendam eſſe paupertatem, niſi virtutis, cùm veræ diuitiæ in timore domini, in bonis operibus, & in fuga peccati conſiſtant; quippe quæ homines & terrenis, & cæleſtibus bonis abundare faciant.

Noli timere, fili mi; pauperem quidem vitam gerimus, hoc eſt, ne cadas animo, fili mi, quia pauperes ſimus. Syrus: *noli timere, fili mi, eo quod pauperati ſimus*. Arabs: *Quia viuimus vitam pauperem*. Hebræus: *Viriliter age, & eſto robuſtus*. Græcus: ἐπλωχεύσαμεν, *ſi in mendicitatem incidimus*. — *Syrus. Arabs. Hebræus. Græcus.*

Sed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum. LXX. — LXX.

& Syrus: *Sunt tibi multa, ſi timueris Deum*. Arabs; *Quia erunt nobis multa bona, ſi timuerimus Deū*. Hebræus: *Dabit tibi Deus diuitias magnas, ſi requiſieris eum in toto corde tuo, & tota mente tua*. — *Syrus. Arabs. Hebræus.*

Habebimus nimirum affluentiam bonorum omnium, non ſolum ſpiritualium, ſed etiam, ſi expediat, temporalium; quia non ſolum miſericordiam, & Dei fauorem timentes, Deum promerentur: — 2

vnde Dauid: *Miſericordia Domini ab æterno, & vſque in æternum ſuper timentes eū*. — *Pſ.* 107. 17

Et B. Virgo: *Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum*, vel ſolum, — *Luc.* 1. 50.

quod ait Sapiens, *gloriam, gloriationem, lætitiam, & coronā exultationis, & benedictionē in extremis*; ſed etiam in terris potentiā, gloriam, & diuitias: — *Eccli.* 1. 11 Timor Dei locuples.

vnde Pſaltes ait: *Potens in terra erit ſemen eius*: & alibi: *gloria, & diuitiæ in domo eius, nec eſt inopia timentibus eū*. Et in Exodo dicitur, creuiſſe populū Hebræorum, confortatūq. fuiſſe nimis, quia — *Pſal.* 111. 2. *Pſ.* 33. 10. *Exo.* 1. 17.

Pſ. 33. 11.
Matth. 6. 33.

timuerunt obſtetrices Deum; & tandem, vt Dauid loquitur: *Inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono*: quod etiam Chriſtus Dominus in nouo confirmauit teſtamento, dum ait: *Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*: cuius rei infinita propemodum exempla afferri poſſent, inter quæ illud, quod refert Ioannes Euiratus de nobiliſſimo quodam viro, qui ex profundiſſima paupertate ad maximam diuitiarum abundantiam venit, quòd virtutem amplexus ſit, Chriſtum mallens habere tutorem, quàm amplam hæreditatem poſſidere; ſed pauca alia hac de re vide ſupra.

Io. Euirat. in prat. ad Sophronium. c. 201.

Supra hoc c. v. 10. in doc. non longe à princ.

Recesſerimus ab omni peccato. Et quidem in particulari, nam ab omni peccato in generali nemo abſtinere poteſt, vt infra dicemus.

Inf. initio docum. 3.
Tertull. 2. ad vxor. c. 3.
Ambroſius.

3 *Et fecerimus benè.* Recedit à malo, ait Tertullianus, *qui non facit, quod obeſt; facit bonum, qui addit inſuper, quod prodeſt.* Et hic, ſicut docet Ambroſius, eſt ordo diſciplinæ ab inferioribus ad perfectiora contendere: quia, ſicut non poteſt recuperare ſanitatem, qui prius à ſe morbum non depulerit, nec recaleſcere, qui priùs non excuſſerit frigus; ita nec opus meritorium perpetrare, qui prius non recedit à malo: nam, vt ait Hilarius: *ſolum malum non admittere, non habet laudem, niſi mali abſtinentiam etiam gloria boni operis conſequatur*: quia, vt ait quidam:

Hilar. in pſ. 144.

Iuuen. ſat. 2.

Fruſtra vitium vitaueris illud,
Si te aliò prauum detorſerit.

Sed de his plura in documentis.

Quòd veræ diuitiæ in virtute conſiſtant.

DOCVMENTVM I.

A

DOCET Tobias, quid maximè curare homo debeat, vt multa, & vera bona conſequi valeat, nimirum timere Deū, recedere ab omni peccato, & facere bene: nam apud viros cordatos in magno pretio ſunt non gemma, non argentum, non pulchritudo, non veſtis corporis; ſed virtus, quam qui induit, non penſa gerit vermium, vt fert ille, qui argentum, & aurum induit; ſed talem veſtē, quam nec tinea, nec mors ipſa lædere poteſt, vtpotè quæ non à carne, ſed à ſpiritu originem trahat. Et quidem *quis*, ait Cicero, *dubitet, quin in virtute diuitiæ poſitæ ſint; quoniam nulla poſſeſſio, nullo vis auri, & argenti pluris, quàm virtus æſtimanda eſt: etenim ſi callidi rerum æſtimatores prata, & areas quaſdam magni æſtimant, quòd ei generi poſſeſſionum minimè quaſi noceri poſſit; quanti æſtimanda virtus, quæ nec eripi, nec*

Cic. paradox. 1. & vlt.

B

ſurripi poteſt vnquam, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec temporum, nec tempeſtatum permutatione mutatur, qua qui præditi ſunt, ſoli ſunt diuites: ſoli enim poſſident res & fructuoſas, & ſempiternas. hæc ſunt verè bona, quæ hominem faciunt bonum: nam *diuitiæ ſunt bona*, inquit Auguſtinus, *vnde homo faciat benè, non quæ ipſum faciant bonum.* Hæc ſunt bona vtilia, quibus inter bona, quæ poſſidet, redditur bonus: hæc ſunt bona maiora, quæ non ad corruptibile corpus pertinent, ſed animā præcipuam hominis partem afficiunt. Hæ ſunt ampliſſimæ diuitiæ, quibus homo, auro, & argento vacuus, & extrema mendicitate preſſus, dicitur diues: *Diuitibus huius ſeculi*, ait B. Paulus, *præcipitur non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum*, vt intelligas, quòd ſi diuites huius ſeculi ſunt, qui aurum, & argentum, & res temporales poſſident: diuites alterius ſeculi, quod nunquam finem habebit, erunt, qui gratiam, charitatem, & reliquas virtutes recondunt; quare ſicut ſeculum illud æternum in omnibus caduco antecellit, ita bona eius meliora ſunt ijs, quæ ſeculum iſtud cuſtodit, multoq. melius, ac præſtabilius hominem diuitem, & ampliſſimis bonis inſtructum faciunt: vnde rectè Ambroſius: *Neſcis, ait, ò homo ſtruere diuitias, ſi vis diues eſſe, eſto pauper ſeculo, & ſis diues Deo, diues fidei, diues eſto Deo: qui diues eſt in miſericordia, hic diues eſt in Deo.* Non habent has diuitias infideles, nō habent fideles impij, non ambitioſi, licet totius mundi *dominatores*, niſi peccatū exuāt; ſed qui virtutes diuinas habent, & amici ſunt Dei: *verè diues*, inquit idem, *qui in conſpectu Dei poteſt diues videri*: in cuius cōſpectu terra exigua, mundus ipſe anguſtus eſt; ſed ſolum illū Deus diuitem nouit, qui ſit diues æternitati, qui non opum, ſed virtutum fructus recondat. Hinc Sapientia: *mecum*, inquit, *ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia*: illæ, nimirum, quæ ſolæ veræ ſunt diuitiæ, quę ſolæ ſunt ampliſſimæ opes, quibus ſeculi huius diuitiæ comparatæ, moleſta ſunt, & anguſta paupertas: etenim de diuitibus huius mundi dicitur: *diuites eguerunt, & eſurierunt.* O vanos diuites, quos mendicitas premit, paupertas affligit, & penuria bonorum anguſtat? de iuſtis autē, & virtute præditis dicitur: *inquirentes autem Dominū, non deficient omni bono*, hoc eſt, verè diuites erunt: nam veri diuites illi dicendi ſunt, qui non plura deſiderant, quàm hebeant, quales profectò haud eſſe poſſunt, qui diuitias huius mūdi habent, quæ potius afflictionem ſpiritus procreant, & inquietudinem, quàm ſatisfaciant: quod Salomon nos manifeſtè docuit, dum opera ſua conſiderans, & laborem, in quem fruſtra ſudauerat, nihil ſe reperiſſe teſtatus eſt, niſi vanitatem, & afflictionem ſpiritus.

Aug ſer. 214. de temp.

1. Tim. 6. 17.

C

Virtutes hominem locupletant.

Amb. lib. de Nabuchod. c. 14.

Idem lib. 3. epiſt. 10.

D

Prou. 8. 18.

Pſ. 33. 11.

Veri diuites cēſendi ſunt, qui nolunt plura quàm habent.

E

Mundi diuitię nunquam ſatiant.

Docuit etiam rex Tyri Hiram, cuius obſequijs magnificentiſſimè idem Salomon reſpondens, & viginti oppida in terra Galileæ in eius ditionem transferens, nequaquam ſuis deſiderijs ſatisfactum cenſuit: vnde quaſi per contemptum ait: *Haeccine ſunt ciuitates, quas dediſti mihi, frater? & appellauit Hira ea oppida terram Chabul*, ideſt terram diſplicentiæ, & ad indignationem prouocantem: verum virtutum diuitiæ ita iuſtorum deſiderium implent, vt nullo bono careāt: hinc pauperi Smyrniæ Epiſcopo: omni humano auxilio deſtituto, à Spiritu Sancto dictum eſt: *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed diues es*; pauper nimirum rebus, at diuinis virtutibus diues. Sanè, vt Hugo docet, dum iuſtus in hoc ſeculo ad inſtar peregrini, pauperē vitam ducit, multas in patria ſua, quæ cælum eſt, reponit diuitias: quare ſicut pauper non diceretur mercator, qui maximis, in patria opibus circumflueret: quamquam extra patriam egenus videretur: ita nec vir iuſtus, in cælo diues, pauper appellandus eſt, dum in hac terrena peregrinatione premitur egeſtate; nam, vt Pſaltes Dominum alloquens, ait: *viſitaſti terram, & inebriaſti eam*; Viſitat nimirum Deus humani cordis terram, & cæleſtibus diuitijs, vt exponit Hilarius, illam abundare facit: iuxta illud Apoſtoli: *In omnibus diuites facti eſtis in illo*: & alibi: *altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum*: vbi Græcè pro altiſſima habetur ἡ κατὰ βάθους πτωχεία, hoc eſt, *profundiſſima*: Loquitur de Lacedemonijs, quorum paupertas cum eſſet profundiſſima, ideſt exhauſtiſſima, tamen illi ſupra virtutem eleemoſynam tribuentes, quicquid arca recondebant, pauperibus liberaliter impertiebātur; ſumitur autem metaphora ab arca, vel vaſe, ad fundum vſque exhauſto: abundauit itaque, ait B. Paulus, hæc profundiſſima paupertas ſimplicitate, animi candore, & reliquis omnium virtutum opibus, quibus duntaxat veræ opes, & diuitiæ continentur, quas ſolas auide expetendas, Tobias filium docet, dum ait: *Noli timere, fili mi, &c.*

3. Reg. 9. 13. — *Apoc. 2. 9.* — *Hugo in hunc locum Apoc.* F — *Pſ. 64. 10. & ibi Hilar.* — *1. Cor. 1. 5.* — *2. Cor. 8. 2.* — Paupertas euangelica diues. G

Quòd timor ſeruilis & filialis multa afferant bona.

DOCVMENTVM II.

A HABEBIMVS quidem multa bona, ſi vt Tobias ait, timuerimus Deum, non modò filiali, vt aiunt, ſed etiam ſeruili timore, nimirum illo, quo quis poenas à Deo peccatoribus conſtitutas, timet, non quidem tanquam ſummum illæ ſint malum, quia non ſeruorum timor is eſſet, ſed inimicorum, vt pote arcano Dominum odio proſequentes, propter quem, vel à quo talem poenam ſuſtinere coguntur; officium enim bonorum ſeruorum eſt, cum labore, & poena propria res dominorum ſuorum cuſtodire; ſed tanquam malum, naturæ contrarium; quòd naturale eſt homini timere: Quid enim tam naturæ, & rationi conſonū eſſe poteſt, quàm grande malum maximè gehennæ, quo nullum atrocius, pertimeſcere? Quis, vt ait Iſaias, *habitare poterit de nobis cum igne deuorante? quis habitabit de nobis cum ardoribus ſempiternis?* Eſt præterea hic timor ab amore ſui, qui bonus cum ſit, vt potè reſpiciens propriam incolumitatem; bonus & ille debet eſſe, vtpotè refugiens poenas, quæ propriæ ſunt incolumitati contrariæ: *neq; enim poteſt arbor bona malos fructus facere*; boni etiam eius fructus, & enim bonum eſſe indicant: nam *neque arbor mala bonos fructus facit*.

Timor ſeruilis afferens multa bona quis. — *Iſa. 33. 14.* B — *Matth. 7. 18.*

Affert is timor multa bona; quia, vt teſtis eſt Chryſoſtomus, potentiſſimè arcet hominem à peccatis, eaque efficaciter abſumit, & virtutes omnes lenitet in animum inducit, quaſq; introduxerit, fideliter fouet, atq; conſeruat.

Chryſ. ho. 11. ad pop. Ant. — Timor ſeruilis peccata fugat.

Arcet quidem à peccatis, quia, vt docet Ambroſius, explicans illud Dauidicum: *Configere timore tuo carnes meas: ſicut ſunt aculei timoris, quibus compungimur, ita ſunt claui timoris, quibus configimur: qui compungitur, excitatur, qui configitur mortificatur, vt peccato deficiat, Deo viuat*. Etenim, vt Spiritus Sanctus ait, vix fieri poteſt, vt peccet, qui diuino timore confixus, viuit: vnde Sapiens: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*: hoc eſt reminiſcere mortem certam, iudicium diſtrictum, ſupplicium ſempiternum; quia hæc cogitans, timore Domini, quaſi clauis confixus, haud vnquam peccare valebis.

Ambr. in pſal. 118. ſer. 15. in fin. — *Eccli. 7. 40*

Omnino etiam peccatum abſumit, quia dum peccator, quaſi alter Iob, tumentes ſuper ſe fluctus timet, pondus eius ſuſtinere minimè valet: quod feciſſe legimus nautas illos apud Ionam, qui in maxima tempeſtate poſiti, timuerunt, miſerunt vaſa, quæ erāt in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis; ſic qui diuinæ iræ vndas metuunt, grauia omnia peccatorum pondera ex conſcientia in mare poenitentiæ abijciunt, vt ſe ipſos incolumes ab illis ſaluent. Quare ſicut ad ſuperandos Madianitas Gedeon trecētos ſuos delectos milites tuba, & lagena, qua ignis includebatur, armatos voluit; ita ad ſuperandos peccatorum exercitus, eximium eſt telum tuba illa, quæ extremo die mortales ad immortalitatem vocabit, ſi clangor illius frequenter auribus noſtris ſpiritualibus inſonet: fortiſſimus eſt contra ea clypeus,

Iob 31. 23. — Peccatum abſumit. — *Iona 1. 5.* D — *Iudic. 7. 16.*

la-

lagena terrea, hoc eſt fictile corpus noſtrũ,
ſi putridum, diuerſiſque oſſibus ſepulchro
conditum, conſideretur. Ignis autem tar-
tareus, ſi meditatione irruentes in hoſtes
iactetur, quod tormentum bellicum illo po-
Eccli. 1. 27 28. tentius? Hinc meritò Sapiens: *Timor Do-
mini expellit peccatum: nam qui ſine timo-
re eſt, non poterit iuſtificari*: nam cum ille,
qui timet, neceſſe habeat rem illam dilige-
re, per quam à timore liberari poteſt, vt
E patet in nautis, qui dum mergi timent, na-
uigandi artem addiſcunt; in mercatoribus,
qui diſcunt cautionem, dum timent dece-
ptionem; in litigatoribus, qui dum cauſa
cadere timent, diſcunt ſolicitudinem; in
militibus, qui timentes ſeruitutem, diſcunt
artem belligerandi; ſequitur vt peccatores,
dum timent ob luxuriam puniri, diſcant
caſtitatē; dum timent puniri ob ſuperbiā, di-
ſcant humilitatē, &c. ex quo docet cum Sa-
Baſil. hom. 9. piente Baſilius, timenti Deum iter eſſe ſtra-
tum, viam complanatam, ſemitam expedi-
tam ad omnem virtutem, & contra, ſine
hoc timore neminem poſſe ad ſanctimoniam
peruenire. ſic non multa, variaq. lectio,
non multiplex rerum cognitio, non vehe-
mens animi contentio, aut acuta ſpecula-
F tio, non vrbium, prouinciarum, nationum-
ue cognitio initium eſt ſapientiæ; ſed, vt
Prou. 1. 7. verè Sapiens ait: *timor Domini*, & quidem
ſeruilis, de quo hunc locum omnes ferè pa-
tres explicant.

Conſeruat etiam hic timor, quas intro-
Virtutes animo inſerit. duxit in anima, virtutes, quia contra om-
nes laqueos, hoſtileſq. impetus timor iſte
vires ſuppeditat, eſtque, tanquam ſpecula,
murus, & turris inexpugnabilis contra ho-
ſtium tentamenta. Sic Chryſoſtomus: *Ex-
Chryſ. tom. 5. homil. 15. ad pop. Antioch. cubitor*, ait, *metus eſt: ſomnus excluditur,
vbi timor eſt animæ murus, ſecura eſt hu-
militas, quia timens, ſibi diffidit: inde vo-
luptas excluditur, quia timor in ea cernit
lethale virus, lucri cupiditas exulat, quia
perſpicax timor videt inter lucri inuolucra
vitæ diſpendium æternæ: fruſtra ſubrepit
G gula, quia timor clamat, mors in illa, fri-
gidus anguis in herba latet*: quod præclarè
Hier. ad Fabiol. epiſt. 127. docuit Hieronymus, dum enumeratis mul-
tis manſionibus filiorum Iſrael in deſerto,
quibus ſignificari docet conuerſiones pecca-
torum ab infidelitate ad fidem, à luto mun-
di ad Chriſtum, à deſidia ad charitatem, &
habitationem vnius moris in domo: tandem
manſione tertiadecima Iſraelem perueniſſe,
& caſtra metatum eſſe dicit in תחת, Thachel,
quo pauorem interpretatur: vt doceamur,
licèt aliquis illibatam fidem, & catholicam
ſeruaret veritatem; licèt propter Deum
Salus cum timore procuranda. omnia relinquerit, Chriſtum ſecutus: etiam
ſi donum miraculorum fuerit conſecutus;
tamen ad virtutum cuſtodiam, illum debe-
re ſalutem ſuam cum iugi timore operari.
Timor, inquit, *virtutum cuſtos eſt, ſecu-
ritas ad lapſum facilis: vnde & in quodam* H
*pſalmo poſtquam propheta dixerat: Domi-
nus regit me, & nihil mihi deerit: in loco
paſcuæ ibi me collocauit, iungit timorem,
qui cuſtos eſt beatitudinis, & infert: Virga
tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt,
& eſt ſenſus, dum tormenta formido, ſer-
uaui gratiam, quam acceperam.* Ecce quàm
verum ſit, ſicut docet Tobias, quòd multa
bona habebimus, ſi timuerimus Deum ti-
more ſeruili.

Multò tamen maiora bona habebimus, ſi
caſto, & filiali timore timuerimus Deum
noſtrum, ſi culpam, non pœnam, ſi diuinam
iram, non propriam afflictionem formida-
bimus; etenim ſicut ingenuorum, ac regum
eſt, de nulla re, niſi de culpa pauere; ita vi-
lium, & ſeruorum eſt, pœnam pertimeſcere:
ſeruus quidem Dei eſt, qui timet Deum,
vt Pſaltes ait: *Seruite Domino in timore*, Pſ. 2. 11.
at ſeruitus eſt regnans: nam *ſeruire Deo,* I
regnare eſt: & tragicus ille:

Rex eſt, qui poſuit metus;
Rex eſt, qui metuit nihil.

qui vanos metus poſuit, quos mundus ti-
met, qui nihil in ſe culpæ deprehendens, eo-
rum etiam nihil metuit, quæ à peccatoribus
meritò metuuntur. O quanta maieſtate
plenum eſt hoc regnum, nihil ſibi timere,
niſi culpam! Iſto timore nihil eſſe, quod
breuiore tempore maiorem aliquem faciat,
nihil, quod citiùs hominem beet, mirifica
quadam gradatione nos docuit Spiritus ſan- Eccli. 25. 9
ctus in Eccleſiaſtico, dum quoſdam recen-
ſendo gradus beatitudinum, vt ſunt iucun-
dari in filijs, videre ſubuerſionem hoſtium,
habitare cum muliere ſenſata, habere ſa-
pientiam, & prudentiam, & ſimilia; ſu-
premum inter hos tenere gradum diuinum
timorem his verbis exaggerat: *Timor Do-* Eccli. ibi ſup. 14. 15.
*mini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit: beatus
homo eſt, cui datum eſt timere Deum, qui
timet eum, cui aſſimilabitur?* Ac ſi dicat: li- K
cet magnum ſit vxorem habere, ſicut vitem
fœcundam, & filios, ſicut nouellas oliuarum
in circuitu menſæ; vxorem habere ſapien-
tem, non indigna ſeruitute premi, abundare Timor Dei terrenas felicitates antecellit.
diuitijs, ſapientia, prudentia; præſtat tamen
hiſce omnibus timorem Dei habere, cum
omnia hæc à timore Dei ſeparata, parua ſint,
& humilia. Altè quidem volat ardea, ſed
ſublimior eſt aquilæ volatus; aqua terræ ſu-
pernatat, ſed oleum aquæ: ſic timor Dei ſe
ſuper omnia, licet altiſſima, ſuperpoſuit:
quare ſapientia ardeæ volanti comparari
videtur, prudentia cum aquilæ aſcenſu: at
timorem caſtū cum regaliolo, puſilla quidē
auicula, ſed animo plena, quia licet exilis
timor caſtus appareat, nihil eo animoſius:
nam ſicut tranauit regaliolus, vt priſcorum L
fert apologus, ignaræ aquilæ ſcapulis inni-
xus, longe ſublimiore volatu aëra, vnde no- Sine Dei timore nullæ virtutes.
men regis accepit, ita hic ſanctus timor, pru-

dentiæ,ſapientiæq.alis innixus,proprio ſubinde remigio adhuc altius euehitur. Sic fortior Sampſone, ſic opulentior Abrahamo, ſic curſu velocior Iahele,ſapientior Salomone,nihil hæc ſine Dei timore ſût profutura.

Prou. 31. 30.

Fallax gratia,ait Sapientia increata,*vana eſt pulchritudo; mulier timens Deum, ipſa laudabitur: Beatus homo eſt, cui datum eſt timere Deum*. Sed quid non nouit ſapientia diuina? hærere tamen videtur, cui timentem Deum comparet: vnde ſubdit: *Qui timet eum,cui aſſimilabitur?* non habet, cui aſſimilet; quia ſine timore Dei, nihil eſt, quod beet, aut glorioſum faciat; quinimmò ſine eo nullus eſt,qui hominis dignus ſit nomine: quod teſtatur Salomon,dicens: *Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt,omnis homo.* quo loco,ſicut notat Olympiodorus, loquitur Sapiens de caſto timore, qui ſolus integrum, & perfectum hominem efficit, quia vt etiam ibi S. Hieronymus adnotat, ad hunc finem creatus eſt homo, vt Deum timeat, & mandata eius ſeruet: quare ſicut phyſicè non eſt homo, qui rationis eſt expers; ſic ethicè non eſt homo, qui finem ſuum non aſſequitur:nã finis in moralibus dat eſſe rei. Hinc Hugo de ſancto Victore: Si, inquit, *omnis homo eſt, qui Deum timet, & mandata eius obſeruat; conſtat, qui hoc non facit, hominem minimè cenſendum: ſi cognoſcit Deum, & mandata eius, Deum tamen non timet, & mandata contemnit,potius diabolus dicendus eſt,quàm homo: ſi verò non cognoſcit Deum, nec mandata eius, caret intellectu, & eſt ſimilis equo,& mulo, brutum dicendus,non homo: ſi verò cognoſcit Deum, & mandata obſeruat, hic demum homo dici meretur; ſi ſeruat, quia timet ſupplicium, ſeruus eſt: ſi ſeruat; quia timet offendere Deum, quem diligit homo, is rex, & liber eſt*. Tales fuerunt Patriarchæ veteris, & noui teſtamenti; tales Apoſtoli, & agmina ſanctorum Martyrum, & Confeſſorum, tales tot chori beatarum virginum, qui in tantum culpam timuerunt, vt aliquando mortem potius elegiſſent, quàm inter tot peccandi pericula viuere, vt fusè ſupra docuimus.

M
Eccleſ. 12. 30.
Homo à Deo conditus vt timeat.
Hugo de S. Victore de timore Dei ſer. 10.
N
Sup. c. 3. verſ. 6. docum. 2.

Meritò itaque Tobias: *multa bona habebimus*, ait, *ſi timuerimus Deum*, peccata deuitando, & virtutes aſſequendo maximas & hominis perfectionem.

Quòd perfectus Dei timor ab omni peccato, licèt veniali, hominem reuocet.

DOCVMENTVM III.

A

CVM timor Dei, & peccati deteſtatio tam arctis inter ſe vinculis connectantur, vt diſtrahi omnino nequeant, Tobias ita in litera timorem Dei commendat, vt eum eſſe perfectiſſimum doceat omnium peccatorum remedium, & bonorum operum incitamentum: ſic poſtquam dixiſſet, *multa bona habebimus, ſi timuerimus Deũ*, ſubdit, *& receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè*: nam, vt ait Sapiens: *qui timet Deum, nihil negligit*: nullumque peccatum quamuis minimum contemnit: ſed omnia cauet, non quidem omnino ſine peccato viuendo, cum ſcriptum ſit: *ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*: & alibi; *ſepties in die cadit iuſtus*, & rurſus alibi: *In multis offendimus omnes*: vnde Cyprianus: *ſine aliquo*, inquit, *conſcientiæ vulnere eſſe non poſſumus*. & Auguſtinus inter tria dogmata, quæ dicit ab Eccleſia contra Pelagianos defendi, vnum eſt, in quantacunque iuſtitia, ſine qualibuſcunque peccaris, in hoc corruptibili corpore neminem viuere, ſolam Beatam Virginem excipit, ciuſq. priuilegium fuiſſe docet tridentina Synodus: Sanctum etiam Ioannem Baptiſtam nunquam peccaſſe venialiter aſſerunt alij, & fauet eorum opinioni Eccleſia, canens de eo:

Nemo à peccatis venialibus omnino ſibi cauere poteſt.
Io. 1. 8.
Prou. 2. 16
Iacob. 3. 2.
Cypr. li. de op. & elee.
Aug. lib. de bon. perſeu. c. 12. de nat. & grat. c. 36.
Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 23.
Galat. de arcan. li. 6. c. 9.
&
Catharin. opuſc. 2. de exim. Chriſti praeſ.
Eccl. in off. S. Io. Baptiſte.
B

Antra deſerti teneris ſub annis
Ciuium turmas fugiens petiſti,
Ne leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſes.

& alibi:

O nimis felix, meritiſque celſe,
Neſciens labem niuei pudoris, &c.

ſed in ſingulari, omne peccatum deuitando; ita vt nullum ſit ſingulare peccatum, licèt minimum, à quo recedere nolit, qui Deum perfectè timet: ſic etiam ſancti viri quoduis potius rerum temporaliũ ſubire diſcrimen, quemuis potius cruciatum perferre voluerunt, quàm vel officioſum vnum mendacium proferre. Heu quò decidimus, & in quàm periculoſum ſtatum, ſi minima contemnimus? etenim *qui contemnit modica*, ait Sapiens, *paulatim decidit*: & quidem non in leuiora, ſed in grauiſſima crimina, nimirum, ex loquacitate in detractionem, ex nimia familiaritate in obſcœnitatem, ex curioſitate in iudicium temerarium, ex ambitiuncula in apertam ſuperbiam, & magnam ambitionem: quod etiam docuit Nazianzenus dicens:

Eccli. 19. 1.
In grauiora decidit, qui leuia tenuit.
Greg. Naz. in præſcript. ad Virgines.

Sed neque furtiuos mundi ſecteris amores,
Atq; fidem Chriſto iuratam perfide fallas:
Hanc porrò fallit, ſacrataq. fœdera rũpit
Quiſquis vel tenuem radicẽ criminis in ſe
Excipit: innumeros nã paruo tẽpore ramos
Hinc, atq; hinc extenta ſolet diffundere radix;
Et ſucco exiguo denſatur copia lactis;
Ac lapidem ſiquis tranquillas iactet in vndas,

C

Praclaros turbat latices,vitatque colorē,
Multiplicesq. orbes ſumma naſcuntur in vnda,
Qui ſimul ac pacantur aqua ſoluuntur inanes.
Quin etiam paruo liueſcit vulnere totum
Corpus, & ingentes ſubeunt, cruciantq. dolores.
Aſpidis haud grande eſt vulnus,tamen illa ſoporem
Mortiferum extemplo inducit, vacuuſq. dolore.
Interit, excepit qui tetrum corpore virus.
Ergo caue,ne vel labes tenuiſſima menti
Inficiat,minimaſque etiam procul abijce noxas.

Peccata venialia, licet minima, valde nocent.

Bernard. ſer. 1. de conuerſ. S.Pauli.

Et Bernardus: *nemo dicat*, inquit, *in corde ſuo, leuia ſunt iſta, nolo corrigere, non eſt magnum, ſi in his maneam venialibus, minimiſq. peccatis: hæc eſt enim, dilectiſſimi, impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum, Sanctum, blaſphemia irremiſſibilis.* Et Auguſtinus de peccatis venialibus ait; *hæc peccata, etſi ſint parua per Dei miſericordiam, fiunt magna in peccatoribus negligentia; nullum enim peccatum adeò paruum, quod non creſcat neglectum*: & Chriſoſtomus: *propterea exhortor*, inquit, *initio, vt caueamus vel puſilla fugientes mala; nam magna ab his naſcuntur,etenim qui in vnoquoque peccato dicere edoctus eſt,non in hoc poſitum eſt ſalutis momentum, is pedetentim omnia peſſundabit.* & Auguſtinus iterum inquit:*leuia multa faciunt vnum grande;multæ guttæ implent vnum fluuium,multa grana faciunt maſſam*: & alibi: *quàm minutiſſima*, ait, *ſunt grana arenæ, ſi arenæ amplius in nauim mittatur, mergit illam, vt pereat*, & alibi rurſus idem: *Quid intereſt*, inquit, *ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur, aut paulatim ſubrepente aqua in ſentinam?* Hæc Sanctiſſimi Patres, non quòd ſignificare velint, è multis leuibus peccatis vnum aliquod mortiferum conflari poſſe,aut verò eſſe huiuſmodi, quæ per ſe, & ſuapte natura animæ, ſalutiſque noſtræ nauigium deprimant; ſed in illis hanc vim ineſſe, vt paulatim aditum exitiali culpæ præbeant, ſicuti modici ſumptus imprudenter iterati, magnas quamuis facultates exhauriunt, & dum minus putamus, diuitem pecunijs vacuum, & egenum derelinquunt: & ſicuti intermiſſæ ægrotatiunculæ,quæ vitam quidem non diſſoluunt, ſed ita corpus extenuant, vt accedente aliquo grauiore morbo, corpus reſiſtendi viribus deſtitutum, ſuccumbat:& denique ſicut formicæ, vel paruæ illæ beſtiolæ aliquam arborem corrodentes, quæ niſi adurantur, arborem infrugiferam reddunt: vnde Sponſa in Canticis: *Capite*, ait, *nobis vulpes paruulas, qua demoliuntur vineas.* In occidentalis Indiæ inſula Iſabella dicta, minutiſſimi inſecti genus, inter arenas naſci ferunt, quod Ninguam vocant: id, poſtquam pedes incedentium inuaſerit, intrans digitorum vnguens, & cutem, vix initio ſentitur; attamen niſi ſtatim crebra lotione, & ſcalpro interimatur: quidam in cute oriuntur folliculi, in quibus maxima lendinum copia, ab eo generata, ita breui tempore multiplicatur, vt cuncta exedens, nullum aliud deinde remedium relinquat, niſi membri præciſionem, aut vſtionem. His planè Ninguis ſimillima ſunt peccata venialia, quæ cum primum hominis inuadunt animam, niſi ſtatim abijciantur pœnitentiæ aqua, vel timore ignium, ad grauiſſimum mortiferæ culpæ interitum ducunt. Hinc Bernardus: *Mens*, ait, *Deo dicata, ſic caueat minora vitia, vt maiora; quia à minimis incipiunt, qui in maxima proruunt.* etenim, vt Iob teſtatur, *ante faciem eius*, diaboli ſcilicet, & grauioris culpæ,*præcedit egeſtas*, ariditas ſcilicet cordis: & defectuum leuiorum contemptio.Sic *lapſus quiſpiam*, ait Caſſianus, *nequaquam ſubitanea ruina corruiſſe cenſendus eſt; ſed aut praua inſtitutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam, paulatim virtute animi decedente, & per hoc vitijs increſcentibus, caſu miſerabili, concidiſſe*: quemadmodum domus nunquam ſubitaneo ad ruinam procūbit impulſu, niſi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantium deſidia: *In pigritijs enim*, ait Sapiens, *humiliabitur contignatio*, hoc eſt, iuxta nim Hebraicæ ſignificationis in deſidia animę,corporiſque, ſeu in negligentia rerum, cadet domus, inclinabit ſe nimirum,vt cadat.

Cant. 2. 15

Bernar. de ord. vit. ad fi.

Venialia vitanda, quia in grauia inducuntur.

Caſſian. coll. 6. c. 17.

Aug. de ver. & falſ pœnit. c. 8.

Chryſ. c. 4. ep. ad Rom. hom. 12.

Aug. epiſt. 1. 10. tract. 1. & lib. de decem chord. cap. 15 & epiſt. 108.

multa venialia nequeunt facere vnum mortale.

Eccle. 10. 18.

D E F G

Meritò itaq; Iſaias: *væ*, ait, *qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum*: hoc eſt, væ vobis, qui peccata uenialia, quaſi funiculi ſint vani, & nullius momenti, ſine vlla erubeſcentia admittitis, & miſeram animam ad apertam iniquitatem paulatim trahitis, & ex aperta iniquitate (quod ſæpè in eiectis à Religionibus vidimus) ad habendum poſt vos plauſtrum, ideſt ad vitam flagitioſam, & omni genere peccatorum fœdatam. Diligentiſſimè idcircò ſibi cauebant ſancti viri à peccatis venialibus, & lacrymis commiſſa delebant: ſic de Beata Paula Romana ſcribit Hieronymus, eam leuia peccata ita planxiſſe, *vt illam grauiſſimorum criminum crederes ream*, quod iuxta doctrinam Sāctorum ſuperari nequeant potentes hoſtes animæ noſtræ, mundus ſcilicet, diabolus, & caro, nec graues eorum inſultus vitari, niſi minimis, & venialibus reſiſtamus. Vnde Iſichius presbyter: *Si,certare ſtatuiſti*, inquit,*imitandum tibi propone exiguum animalculum, nempe araneam, illa quidam minutas venatur muſcas: quòd ſi tu eodem exemplo,labore quietem animi comparare volueris,irremiſſè*

Iſaia 5. 18

H

Hier. epiſt. ad Euſtoch. n. 25

Venialia niſi vitētur ægrè mortalia arcentur.

Iſich. presb. li. de temp. & virt. ad Theobulum cen. 1. num. 17.

pue-

pueros, interfice Babylonicos, &c. Cuius rei memorabile exemplum præbuit Euſebius Eremita, de quo hæc miranda Theodoretus narrat, *Sedebat*, dicens, *ſuper quandam petram Euſebius, & Ammianus admirabilis, & diuinorum euangeliorum hiſtoriam alter quidem legebat, alter verò eorum, quæ erant obſcuriora, explicabat ſententiam: cum autem agricolæ in ſubiecto campo terram colerent, ad hanc contemplationem Magnus tractus eſt Euſebius: cum autem diuinus Ammianus locum legiſſet euangelicum, ſciſcitaretur autem interpretationem, iuſſit Magnus Euſebius, vt repeteret lectionem; cum is autem dixiſſet: ijs, fortè, qui arant, delectatus, mini mè exaudiſti, vt eſt veriſimile; ſuis deinceps oculis legem tulit, vt ne campum illum vnquam intuerentur, neque cæleſti pulchritudine, & chori aſtrorum aſpectu frueretur, ſed anguſtiſſima vtens ſemita, cuius menſuram aiunt fuiſſe vnius palmi, ferente ad orationem, extra eam deinceps egredi non eſt paſſus: dicunt autem, eum plusquam quadraginta annis vixiſſe poſt hanc legem: vt autem cum animi ſui ſententia ad hæc quoque eum traheret aliqua neceſſitas, cum lumbos zona ferrea alligaſſet, & grauiſſimum collare collo impoſuiſſet, aliquo alio ferro coniunxit zonam collari, quod erat collo impoſitum, vt hoc modo inclinatus, cogeretur aſſiduè in terram deſpicere: has ipſe de ſe exegit pœnas, quod illos eſſet contemplatus agricolas:* & rogatus, cur grauiſſimam pœnitentiam adeò leui culpæ impoſuiſſet, reſpondit: *ne malignus dæmon de magnis bellum gerat, conans auferre temperantiam, & iuſtitiam; conor hoſtem ad hæc parua traducere, in quibus etiam ſi viceris, non magnum affert detrimentum, & ſi victus fuerit, euadit magis ridiculus, vt qui ne in paruis quidem poſſit euadere ſuperior.* ò ſapiens reſponſum? ò dignam ſanctiſſimo viro ſententiam? ò ſaluberrimum conſilium è cælis ad viros ſanctos, ac Deum timentes demiſſum? Talem optabat filium ſuum Tobias, talique ſancto timore munitum, qui ſcilicet non modò grauem deuitaret culpam, ſed quamuis etiam minimam, & faceret benè.

Theodoret. de hiſt. ſanct. ſui temp. ſect. 4.

Quòd non ſufficiat ad multa vitæ æternæ, bona promerenda recedere à malo, niſi etiam faciamus bonū, & bene

DOCVMENTVM IV.

CVM duæ ſint iuſtitiæ partes, declinare ſcilicet à malo, & facere bonum, non poteſt iuſtitiæ præmium habere, qui totam non habet iuſtitiam; etenim ſunt non ſufficit ei, qui aliquorſum tendit, terminum, vt aiunt, à quo deſerere, vt terminum ad quem aſſequantur; ſed opus etiam habet per media illa tranſire, quæ neceſſaria ſunt ad terminum ad quem, aſſequendum; ſic ad ea bona adipiſcenda, quæ timentibus ſe, Deus promiſit, non ſatis eſt declinare à malo, ſed etiā opus eſt per exercitium bonarum operationum, & mandatorum Dei obſeruantiam tranſire, & facere bonum. Hinc Iſaias, vt vtrumque neceſſarium eſſe doceat ad Deum promerendum, *Quieſcite*, inquit, *agere peruerſè, diſcite bene facere*. Et Pſaltes de ſe ipſo: *In corde meo*, inquit, *abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi*, & addit; *in mandatis tuis exercebar*. nam ſicut exercitium, vt medici docent, in corporalibus ſanitatem efficit, atq; conſeruat, excitando in debilibus emortuū calorem, & diſpertiendo per membra corporis, vt viuificentur, at vero in benè valentibus malos humores conſumendo, & vires bonis addendo, ad ea, quæ ſuperfluunt, egerenda; ſic in ſpiritualibus exercitium bonorum operum, penè extinctam apud imbecilles deuotionem excitat, eamq. per animæ potentias, vt viuificentur, diſpertit, & perfectis charitatis calorem, qui per exercitium bonorum operum commouetur, multiplicat, quo etiam omnium peccatorum mali humores facile conſumuntur. Hinc factum eſt, vt ſacræ literæ Chriſtianam profeſſionem vocare conſueuerint vineam, agrum, negotiationem, curſum, ſtadium, militiam, ipſoſque homines agricolas, ſatores, negotiatores, milites, & ſimilia: quia ſicut ab ijs nihil aliud exigitur, niſi ſuæ profeſſioni congruens labor, ita ab homine Chriſtiano nihil aliud exigitur, niſi aſſiduus, & diligens labor, qui maximus requiritur ad æternam adipiſcendam ſalutem, in vitandis malis, boniſq. faciendis. etenim ait Chriſtus Dominus: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*; & Iacobus; *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? nūquid poterit fides ſaluare eum?* Sanè, vt Clemens Alexandrinus ait, *gratia ſaluamur, ſed non ſine bonis operibus:* quia, vt ipſe ethnicus Aeſchylus ait:

φιλεῖ δὲ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν θεός.

Adeſſe gaudet, ſed laboranti, Deus.

neque enim qui nos ſine nobis fecit, ſaluabit nos aliquādo ſine nobis: Pelagianum eſt ſuo arbitrio, uiribusq. cōfidere, Luteranum; bona opera cōtemnere, & negligere, & vim omnē liberi arbitrij tollere: vtroq; eſt opus ad ſalutem, gratia Dei, & liberi hominis arbitri ad illam concurſu. Sic Sanctus Proſper: *Verbum*, inquit, *fidei prædicandum eſt, audiens credat, credens intelligat, intelligens ſuum opus perſeueranter exerceat, quoniam eum, qui poteſt vti liberè voluntatis arbitrio, nec opera ſine fide, nec fides ſi-*

A Operum bonorum neceſſitas probatur.

Iſaiæ 1. 16 17.

Pſal. 118. 11.

B

Sacræ literæ hominē operario comparant, vt innuant, in hac vita laboribus vacandum eſſe.

C

Matth. 19 17.

Iacob. 2. 14.

Clem. Alex. c. 5. ſtrom.

Aeſchylus in Perſis.

Opera bona neceſſaria ad ſalutem.

D

S. Proſper li. 1 de vit. cōtēpl.

ne

Pind. in Nemais.

ne operibus iuſtificat. Innuit ipſe Pyndarus, qui in Nemæis diuinam opem humano labori copulans, ait: πρὸς ἄκρον ἀρετᾶς ἦλθον, οἵτι πόνων ἐγεύσαντο, σὺν θεοῦ ἢ τύχῃ, *ad apicem virtutis peruenerunt, qui labores guſtarunt, cum Dei tamen fortuna* inde nigro ille poteſt comparari cycno, nulli, vel rariſſimo, cui quaſi alteri Ziotheo Athenienſium imperatori, felici dicto, deſidioſo omnia ex vota cedunt; vnde iuxta illius tumulum fortunam dormientem, oppida retecogentem, pingere valeant; *pauci enim omnino ſunt*, vt Plutarchus ait, *quibus vltro dona Deus ſuppeditet*, & vt ait Cratinus in Pluto:

E

Cratin. in Pluto.

αὐτόματα τοῖσι θεὸς ἀνίειν τὰ ἀγαθά.

Paucis diuina beneficia dormientibus in ſinum deferuntur.

Quare facere debet bonum, qui æternam requiem adipiſci deſiderat, & *multa habere bona*: Sic *propoſita eſt æterna requies*, ait Baſilius, *ijs, qui legitimè in hac vita decertarũt; quæ tamen non ſecundum operæ debitum, ac meritum, retribuitur; ſed iuxta magnificentiam Dei, ijs, qui in eum ſperauerunt, exhibetur.*

Baſil. in pſal. 114.

Opera bona ex diuina regula facienda.

Curandum tamen eſt, vt bona opera non quomodocumq; fiant, ſed iuxta diuinæ regulæ præſcriptum; nam ſicuti non ſatis eſt militi, aut agricolæ ſine vllo ordine, aut modo multitudini operationum inſiſtere: ſed neceſſe eſt, vt in illis ſe iuxta præſcriptum artis exerceat; & ſicuti non eſt ille optimus pictor, vt Nazianzenus docet, qui multiplices, & egregios colores fruſtra commiſcet, & veluti pratum in tabula depictum, oſtendit; ſed qui veras, & pulcherrimas formas pênicillo delineat, ita non eſt perfectus Dei ſeruus ille cenſendus, qui multitudine bonorum operum, vtcnmq; factorum, ſuam vitam informat; ſed qui pulcherrimis, & perfectis operibus ſe ipſum cohoneſtat, nam faciat licèt calceos ſutor, ſi tamen perperam, nec eo modo, quo decet, vt ad eius pedes, pro quo facti ſunt, accommodentur, ridendus eſt; ſic, inquam, ridendi omnino ſunt, qui bonas operationes faciunt, non tamen eo modo, quo decet; ſicut illos actus & dæmones rident: vnde Ieremias: *Viderunt*, inquit, *eam hoſtes, & deriſerunt ſabbatha eius*. Sabbatha ſunt, in quibus homo ab operibus ſeruilibus, à peccatis ſcilicet abſtinet, & in virtute, tanquam in ſancto otio requieſcit: ea rident dæmones, dum negligenter fiunt; quia, benè norunt, illis non modò nos non proficere; ſed potius tepiditate langueſcere.

Greg. Naz. or. de vit. differ.

F

Thren. 1.7

G

Malach. 1. 8.

Abhorret etiam à talibus operibus Dominus: vnde apud Malachiam ait: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? ſi offeratis claudum, & languidum, nonne malum eſt? offer illud Duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Et quidem cæca eſt bona operatio, quę oculis rectæ intentionis non dirigitur; clauda, & languida, quæ ſine feruore charitatis efficitur: quæ duo, ſi operi bono deſint, quodcunque illud ſit, malum ſemper erit, &, vt communis Theologorum docet ſchola, nullius apud Deum meriti: neque enim iudicat Deus, vt aiunt, ad menſuram publici ponderis, ſed ad menſuram ponderis ſanctuarij, non ſcilicet ſecundum externam apparentiam, ſed ſecundum illud, quod intus latet; eſt enim omnis pulchritudo filiæ regis, animæ ſcilicet ſanctæ, ad intus. Heu quot ſunt ieiunia, quot orationes, quot opera miſericordiæ quæ ſanctiſſima licèt appareãt ad pondus publicum, ad ſanctuarii tamen pondus minus inueniuntur habere? Quare, vt B. Paulus præcipit, curandum nobis eſt, vt omnia quæcnnque facimus, *in verbo, aut in opere*, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti faciamus: *Magni*, ait Auguſtinus, *intereſt, cum aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione faciamus: officium quippe noſtrum, non initio, ſed fine penſandum eſt, vt ſcilicet non tantum ſi bonum eſt, ſed præcipue ſi bonum eſt, propter quod facimus, cogitemus*: & idem alibi: *finis*, ait, *quo referuntur ea, quæ facimus, ideſt, propter quę facimus, quicquid facimus, ſi non ſolum inculpabilis, ſed etiam laudabilis fuerit; tunc etiam facta noſtra laude aliqua digna ſunt: ſin ille, meritoq. culpatur, quem ſpectamus, & intuemur, cum in aliquo verſamur officio, id quoque officium nemo improbandum, vituperandumq. dubitauerit. De Catilina memoria proditum eſt, quod frigus, ſitim, famem ferre poterat: hæc erant illi ſpurco, ſacrilegoq. etiam cum Apoſtolis noſtris communia, vnde ergo diſcernitur parricida ille ab Apoſtolis noſtris, niſi fine illo, quem diuerſiſſimũ ſequebantur? namque ille iſta tolerabat, vt immoderatiſſimas, & immaniſſimas expleret cupiditates; illi è contra, vt eas premerent, & dominanti rationi ſeruire cogerent.* Et hoc illud eſt, quod Chriſtus Dominus noſter nos docuit, dum aiebat: *ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem fuerit nequam, etiam corpus tuum tenebroſum erit*. oculum iſtum totum corpus fuſcantem, eſſe prauam intentionem docet Gregorius; & quidem meritò: nam ſicut oculo prius eò aciem intendimus, quò poſtea nobis tendendum eſt & corpore; ita & intentione prius illum reſpicimus finem, ad quem poſtea per operationem tendere debemus & anima; & ſicut vniuerſa corporis pulchritudo, ex oculorum pulchritudine potiſſimum pendet; ita & totus animæ decor, & ſanctitas, ex rectitudine, & ſanctitate pendet intentionis: vnde alibi Chriſtus: *lucerna corporis tui eſt oculus tuus.*

Ad opus bonum quid requiratur.

Pſ. 44. 14.

H

Aug. in pſal. 118. conc. 2. & de morib. Manich. li. 2. c. 13.

Opera bona ex fine ponderanda.

I

Luca 11. 34.

Oculus operis intentio.

Greg. 28. moral. c. 6.

K

Mat. 6. 22

Eſt

Eſt deinde & feruor charitatis ita ad
quodlibet opus bonum neceſſarius, vt di-
1. Cor. 13. 3. xerit B. Paulus: *ſi diſtribuero in cibos pau-
perum omnes facultates meas, & ſi tradidero
corpus meum ita, vt ardeam; charitatem
autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Non
Chryſ. in hūc locum. dicit, vt docet Chryſoſtomus, ſi pauperi-
I. bus alteram facultatum mearum partem,
duas, treſue dedero; ſed ſi vniuerſas dede-
ro, & non dedero ſolum, ſed inſumpſero, ita
vt impenſis adminiſtratio etiam diligentiſ-
Opera bona ex charitate deriuare debeat. ſima coniungatur: *ſi tradidero*, ait, *corpus
meum ita vt ardeam*: non ait, ſi moriar, ſed
ſi mortem omnium teterrimā ſuſcepero, vt
viuus ſcilicet comburar; hæc citra charita-
tem nihil valent, & iuxta Chriſti ſenten-
tiam, ille perfectus, qui omnia ſua vendit,
& dat pauperibus: *ſi vis*, ait, *perfectus eſſe,* Matt. 19. 21.
vade, & vende vniuerſa, quæ habes, &c.
& idem de martyrio ait: *maiorem hac dile-* Io. 15. 13.
*ctionem nemo habet, vt animam ſuam po-
nat quis pro amicis ſuis*: hæc tamen duo,
ait B. Paulus, *ſine charitate nihil proſunt*: 1. Cor. 13. 3.
debent itaq; opera noſtra bona intentione,
& charitatis feruore muniri, vt Deo pla-
ceant, & multa valeant nobis bona prome-
reri: habebimus enim tunc multa bona, cum
ſic fecerimus benè, ſed hæc de quarto To-
biæ capitulo enarrata ſufficiant.

SYNOPSIS CAPITIS V.

Tobiæ ſocium, ac ducem itineris in Rages Medorum quærenti, Raphael Angelus ignotus occurrit, cui pater filium committit, quibus profectus, mater filij deflet abſentiam.

CAPVT QVINTVM.

1 TVNC reſpondit Tobias
patri ſuo, & dixit: Om-
nia quæcunque præce-
piſti mihi, faciam, pater.
2 Quomodo autem
pecuniam hanc requi-
ram ignoro: ille me neſcit, & ego eum
ignoro, quod ſignum dabo ei? ſed neque
viam, per quam pergatur illuc, aliquando
cognoui.
3 Tunc pater ſuus reſpondit illi, & di-
xit: chirographum quidem illius penes
me habeo, quod dum illi oſtenderis, ſta-
tim reſtituet.
4 Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem
fidelem virum, qui eat tecum ſal-
ua mercede ſua, vt dum adhuc viuo, re-
cipias eam.
5 Tunc egreſſus Tobias, inuenit iuue-
nem ſplendidum, ſtantem præcinctum ad
ambulandum.
6 Et ignorans, quòd Angelus Dei eſ-
ſet, ſalutauit eum, & dixit: vnde te ha-
bemus, bone iuuenis?
7 At ille reſpondit: ex filijs Iſrael: &
Tobias dixit ei: noſti viam, quæ ducit ad
regionem Medorum?
8 Cui reſpondit: noui. & omnia iti-
nera eius frequenter ambulaui, & manſi
apud Gabelum fratrem noſtrum, qui mo-
ratur in Reges, ciuitate Medorum, quæ
poſita eſt in monte Ecbatanis.
9 Cui Tobias ait: Suſtine me, obſe-
crò, donec hæc ipſa nunciem pari meo.
10 Tunc ingreſſus Tobias, indicauit
vniuerſa hæc patri ſuo, ſuper quæ admi-
ratus pater, rogauit, vt introiret ad eum.
11 Ingreſſus itaq; ſalutauit eum, & di-
xit: gaudium tibi ſit ſemper.
12 Et ait Tobias, quale gaudium mihi
erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli
non video?
13 Cui ait iuuenis: forti animo eſto,
in proximo eſt, vt à Deo cureris.
14 Dixit itaq; illi Tobias: Nunquid
poteris perducere filium meum ad Ga-
belum in Rages ciuitate Medorum? & cū
redieris reſtituam tibi mercedem tuam.
15 Et dixit ei angelus: Ego ducam, &
reducam eum ad te.
16 Cui Tobias reſpondit: Rogo te,
indica mihi, de qua domo, aut de qua
tribu es tu.
17 Cui Raphael Angelus dixit: Genus
quæris mercenarij, an ipſum mercena-
rium, qui cum filio tuo eat?
18 Sed ne fortè ſolicitum te reddat,
Ego ſum Azarias Ananiæ Magni filius.

19 Et Tobias reſpondit: Ex magno genere es tu, ſed peto, ne iraſcaris, quòd voluerim cognoſcere genus tuum.

20 Dixit autem illi Angelus: Ego ſanum ducam, & ſanum tibi reducam filium tuum.

21 Reſpondens autem Tobias ait: benè ambuletis, & ſit Deus in itinere veſtro, & Angelus eius comitetur vobiſcum.

22 Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri ſuo, & matri ſuæ, & ambulauerunt ambo ſimul.

23 Cumque profecti eſſent, cœpit mater eius flere, & dicere: Baculum ſenectutis noſtræ tuliſti, & trãſmiſiſti à nobis.

24 Nunquam fuiſſet ipſa pecunia, pro qua miſiſti eum.

25 Sufficiebat enim nobis paupertas noſtra, vt diuitias computaremus hoc, quòd videbamus filium noſtrum.

26 Dixitque ei Tobias: Noli flere, ſaluus perueniet filius noſter, & ſaluus reuertetur ad nòs, & oculi tui videbunt illum.

27 Credo enim, quòd Angelus Dei bonus comitetur ei, & benè diſponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos.

28 Ad hãc vocem ceſſauit mater eius flere, & tacuit.

VERS. I.

Tunc reſpondit Tobias patri ſuo, & dixit: omnia quæcunque præcepiſti mihi; faciam, pater.

VERS. II.

Quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro: ille me neſcit, & ego eum ignoro: quod ſignum dabo ei: ſed neque viam, quomodo pergatur illuc, aliquãdo cognoui.

1 *Non reſpondendum, antequàm interrogans finem loquendi faciat.*

2 *Patris nomen ſoli Deo quomodo congruat.*

3 *Debitor an filio creditoris ſoluere ſine vllo ſigno debeat.*

VERS.I.

TVNC, hoc eſt poſtquàm ſenior Tobias finem loquendi fecerat, benèque perceperat filius voluntatem patris, (neque enim fas eſt, vt multi faciunt, reſpondere, antequam ſermonem finiat, qui nobiſcum loquitur: nã, vt ait Scriptura, *qui prius reſpõdet, quàm audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum*, non cogitans præceptorum difficultatem, nec multitudinẽ, vt probum filium decet, omnia ſe facturum promittit, quæ pater præceperat, & etiam ad Gabelum iturum, dummodo ille doceret modum: vnde ait:

Non reſpondendum antequam finẽ loquendi faciat, qui interrogat.
Prou. 18. 13.

Omnia quæcunque præcepiſti mihi, faciã. Ideſt, ea omnia, quæ circa Deum, circa matrem meã, circa operarios, circa proximos, circa egenos, circa defunctos, & circa meipſum facere præcepiſti, libẽtiſſimè exequar.

2 *Pater*, Eſt pater honoris nomen, quod principaliter Deo conuenit. Vnde Chriſtus Dominus ait: *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim pater veſter, qui in cælis eſt.* Quare cùm dicat Apoſtolus, ex Deo omnẽ paternitatẽ nominari in cælis, & in terra: *Paternitatis nomen*, inquit Hieron. *Deus ex ſe met ipſo largitus eſt hominibus, qui ſicut ſolus bonus dicitur; ita & ſolus pater; quia creator eſt omnium, & vniuerſorũ cauſa ſubſtãtia, præſtat cæteris, vt patres eſſe dicantur.* Sanè hic Tobias communi modo loquendi patrem hoc nomine appellat, quatenus nomen eſt ætatis, honoris, & ſapiẽtiæ, & naturalis principij filij, nõ quatenus iuxta vim ſuæ proprietatis, creatorem ſignat, quo pacto Deo ſoli cõueniri vel ipſi Ethnici docuerunt. Vnde cum Iouem auctorem rerum omnium profiteri volebant, & largitorem vitæ, patrem appellabãt, Bithini, vt docet Arrianus, Iouem dicebant Pappam, Scythę verò, vt docet Herodotus, Pappum.

Patris nomẽ Deo principaliter conuenit.
Matt. 23. 9.
Epheſ. 3. 25.
Ibiq; Hier.
Arrian. in Bithin.
Hered. in Melpomen.

VERS. II.

Quomodo autẽ pecuniã hanc requirã, ignoro. Arabs: *Sed hanc pecuniam neſcio quomodo acquiram*, rationemq. aſſignans, ſubdit.

Arabs.

3 *Ille me neſcit, & ego eum ignoro.* Arabs: *cũ illum ignorem, & ille me ignoret*, & licèt cognoſcerem, ille me non cognoſceret, nec ſubinde ſciam, pecuniam ſit ne ipſe redditurus.

Arabs.

Quod ſignum dabo ei? Nam abſque ſigno non tenetur debitor, nec debet filio creditoris ſoluere; vnde & leges poſtea ſtatuerunt, ſolutionem coniunctæ perſonæ factam, ſine ſpeciali creditoris mandato, nullam eſſe, nec debitorem liberare.

Non debet ſoluere debitor filio creditoris ſine vllo ſigno.
L. vero procuratori, & ibi Gloſſ. ff. de ſolut.

Sed neque viam, quam ſcire neceſſarium eſt abſolutè ei, qui aliquo iturus eſt.

Quòd magna virtus ſit obedientia, & ab omnibus amplectenda.

DOCVMENTVM

A

DVM Tobias non mancam, aut truncam obedientiam patri promittit ſuo, ſed integram, atquè perfectam, *Omnia*, dicens, *quæcunque præcepiſti mihi, faciam, pater;* quanta res ſit obedientia docet; quam ſanè idcirco homines Deo, & parentibus truncam, vel nullam reddunt, quia eius virtutem neſciunt: ſic ignarus ruſticus gemmam contemnit, puer aurum, & Iudæi ipſum Chriſtum, quem in propria venientem non receperunt: quia, vt Ioannes ait, *mundus eum non cognouit.*

Io. 1. 10.

Sanè tanti feciſſe olim obedientiã Deum legimus, vt primum, quod primis noſtris parentibus præcepit, illud fuerit; *Ex omni ligno paradiſi comedite, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedatis*: Et quidem, vt Auguſtinus ait, *non quia ipſa, nimirũ arbor, erat malum; ſed propter commendandum puræ, & ſimplicis obedientiæ bonũ, quæ magna virtus eſt rationalis creaturæ ſub creatore Domino conſtituta.* Etenim dum obedientiam inter omnes virtutes ad primum protoplaſtorum animæ munimen ipſe Deus ſelegit, illam inter cæteras morales virtutes maximi ponderis, ſibique gratiſſimam eſſe, manifeſtum reliquit: quod ipſe etiam nouus Adam Chriſtus deinceps nos docuit, dum illam ſuum peculiarem cibum eſſe voluit: vnde ait: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.* Sic enim omnia opera ſua obedientiæ præmonuerat tribuenda: dũ per pſaltem dixit: *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui legem tuam in medio cordis mei*: vnde nec abhorruit, vt eandem cuſtodiret, prohroſiſſima quæque ſuſtinere ſupplicia, quod per eundem ipſum pſaltem, Patrem alloquens, teſtatus eſt, dicens: *Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras*; ſeu, vt interpretatur Hieronymus: *Ego obſeruaui viam latronis*, quod accidit, dum publicam, & turpiſſimam latronum mortem inter latrones, cruci ſuffixus pertulit; quam, vt Cyprianus obſeruat, nec ſuſtinere voluit, niſi obedientia patris accepta: ſic ille: *Bonus*, inquit, *Ieſus patri ſuo promptiſſima voluntate conſenſit, & cùm in cruce eſſet, non reſpondit verbis, ſed obedientia inclinauit caput, & tradidit ſpiritum*: quod præter conſuetum moriendi modum contigiſſe manifeſtum eſt, cùm morientes in ſpiritus emiſſione, potius eleuare, quàm inclinare caput conſpiciantur.

Gen. 2. 16. 17.

Aug. de Ciu. li. 14. c. 20.

Obedientia Dei gratiſſima.

B

Cibus Chriſti obedientia.

Io. 4. 34.

Pſal. 39. 9

C

Pſ. 16.

Obedientiæ vi latronum mortẽ Chriſtus tolerauit.

Cyprianus.

Hanc Chriſti obedientiam, vt imitari poſſet quidam religioſus, vt in vitis patrum legitur, morti proximus, Abbatem ſuum, Arſenium nomine, requiſiuit, vt ſibi moriendi obedientiam daret: iam à ſexaginta annis, dicens, quibus Deo ſeruire cœperat, hoc in optatis in primis habuiſſe, nonniſi præcipiente Abbate, exemplo Chriſti, obedientem vſque ad mortem animam exhalare: cui cum Abbas dixiſſet: Ego tibi, ò frater Rogeri, (id enim Monacho erat nomen) per ſanctam obedientiam iubeo, vt ſtatim ex hac vita diſcedas, & animam Creatori tradas, paſſionis Chriſti merito, & meæ benedictionis decoratam; creatori ſuo animã reddidit, & eadem poſtea nocte Arſenio ſe conſpiciendum præbens, affirmauit, pluris Chriſtum feciſſe mortem, à ſe obediẽtia ſuſceptam, quàm aliud quodcunque totius vitæ ſuæ opus: vnde merito, & ipſe Ethnicus Aeſchylus dicit:

In VV. PP.

D

Obedientia bonis operibus meritum parit.

πειθαρχία γάρ ἐστι τ' εὐπραξίας
μήτηρ, γυνὴ σωτῆρος, ὧδ' ἔχει λόγος.
Obedientia enim eſt felicitatis
Mater, coniux ſoſpitionis, vt habet ſermo

Aeſchylus in ſeptem ad Thebas.

Et clarius Sapiens: *Vir obediens loquetur victoriam*, quia, dum per obedientiam quis ſua deſideria vincere ſatagit, per iuſtitiã iudicis hoſtium ſuorũ victoriam cõſequitur, & quidem dæmonis, mundi, carnis, & ſui ipſius: dæmonis, quia, vt docet Greg. *cum hominibus pro Deo ſubÿcimur, ſuperbos ſpiritus ſuperamus, cæteris quidem virtutibus, dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus; victores ergo ſunt, qui obediunt; quia dum voluntatem ſuam alÿs perfectè ſubÿciunt, ipſi lapſis per inobedientiam Angelis dominãtur.* Detegit enim obediẽs ipſius dæmonis dolos, & technas, dum patri ſpirituali cogitationes immiſſas aperiens, nihil ſine ipſius obediẽtia molitur: mundum etiam vir obediens vincit, quia, vel teſte Chryſoſtomo, nihil aliud eſt mundum vincere, quàm peſſimorũ hominum voluntati, conuerſatione noſtra, contradicere, Deiq́. voluntatem amplexari, quam ſolus ille amplectitur, qui fideliter diuinis mandatis obedit: quare nec Ioannes mundi victoriam fidei adſcriptam voluit, niſi in quantum obedientiæ iungitur: *quoniam*, inquiens, *omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum, & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra: naſcitur ex Deo*, ait Chryſoſtomus, *qui baptiſmo illinitur, & quod ſacramento illo profitetur, vita, & conuerſatione amplectitur: quis eſt autem hic, niſi qui per obedientiam Dei præcepta cuſtodit? Ergo obedientia eſt, quæ in filÿs adoptiuis Dei, mundum, & eius adiutores proſtrauit: & quæ fides eſt mundi victoria? non ne illa, quæ charitate formata, Dei ſermones obſeruat? Sed hanc ſicut nemo à charitate diuellit, ita*

E

Prou. 21. 28.

Obedientia hoſtium noſtrorum victrix.

Greg. in l. 1. Reg. li. 2. c. 10 & li. 4 c. 1.

Chry. hom 18 in Ioan.

F

1. Io. 5. 4.

Chryſ. vbi ſupra.

neque

G *neque ab obedientia ſeparabit: obedientia igitur, qua Dei mandatis ſubÿcimur, nos victores mundi conſtituit:quod & ipſe Ioannes ſtatim clarius aperuit: quis eſt,* inquiens, *qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt filius Dei: & quis autem eſt iſte credens, vt oportet, niſi qui per gratiam, & obedientiam mandatorum Chriſtum habitatorem habet?* Carnem etiam hominis infeſtiſſimum hoſtem calcat obediens: *quoniam*, ait Bernardus, *tale inuenit homo inferius ſuum, qualem ſe exhibet ſuperiori: armatur enim creatura ad vlciſcendam ſui creatoris iniuriam, & ideo nouit anima, quæ rebellem ſibi inuenerit carnem ſuam, ſe quoque minus, quàm oporteat, ſuperioribus poteſtatibus eſſe ſubiectam.* Et certè, vt ſacræ literæ produnt, Adam, quandiu obediuit Deo, ſui, & creaturarum Dominus fuit, qui, cum primum præceptum Dei eſt præuaricatus, legem quoque membrorum, mentis legi præuaricantem, ſenſit: vnde Caſſianus de Thebanis monachis verba faciens: *multis,* ait, *experimentis edocti tradunt, monachum, & maximè iuniores, ne voluptatem quidem conſcientiæ ſuæ refrænare poſſe, niſi prius mortificare per obedientiam ſuas didicerit voluntates.*

Bern.ſer.2.de omn. Sanct.

Obedientiã ab inferiore non exigit, qui ſuperiori non exhibet

H

Caſſian. li.4. inſtit.monaſt. c. 8.

Adipiſcitur etiam vir obediens ſui ipſius victoriam, quæ tanta eſt, vt maior nulla eſſe queat: nam homo vincens ſemet ipſum, fortior oſtenditur eo, qui vincit reliqua omnia, & maiorem ex hoc facinore, quàm ex alijs gloriam aſſequitur: & quidem vincit vir obediens ſe ipſum; quia, vt Gregorius ait, *dum alienæ voci humiliter ſubdimur, noſmet ipſos in corde ſuperamus.*

Victoria ſui omnium maxima.

Greg. lib. 35. moral.c.10. alias 12.

Quare ad tantæ virtutis meritum, & virtutem aſſequendam; nullus eſſe deberet, qui ſibi ducem aliquem, nimirum Confeſſarium, non deligeret, cui in omnibus, & præcipuè in ijs, quæ ad vitam ſpiritualem pertinent, non ſe ſubiectum vellet: nam cum iuxta Bonauenturæ ſententiam, *obedientia ſpontaneum ſit, & rationabile propriæ voluntatis ſacrificium*, vel, vt idem ait, *pio ſtudio propriæ voluntatis abnegatio*; obedientiæ meritum, non tantum religioſi, quod multi perperam ſunt arbitrati; ſed etiam cæteri omnes fideles habent, dum Confeſſario, ſeu patri, vt aiunt, ſpirituali obediunt, non in ijs tantum, quæ Deus ipſe præcepit: (nam talia ſatis conſtat præſtanda eſſe, etiam ſi Confeſſarius non præciperet, nec omittenda, etiam ſi ille prohiberet iuxta Beati Petri dictum: *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*) ſed etiam in ijs, quæ ſunt conſilij, & ſupererogationis; in quibus plus, minuſue præſtari poteſt, propriaque voluntas facile alitur, & fouetur, ſeque ipſos in eius manibus gubernandos committunt, vt præſtet quicquid ille in bonum animæ ſuæ iniunxerit, etſi iniucundum, & difficile appareat: quod vt facile exequi valeant ſibi perſuadere debent, nihil vnquam illum iniuncturum, niſi prudenter, & quod iuſtum erit: vnde & illi dicere debent, quod Saulus Chriſto: *Domine, quid me vis facere?* & accepto præcepto, cum Tobia reſpondere: *Omnia quæcunque præcepiſti mihi, faciam, pater*: multorum cauentes, vt bene Bernardus docet, puſillanimitatem, ſeu peruerſitatem, qui, niſi à confeſſario audiant, quod cæcus ille euangelicus à Chriſto; quid tibi vis vt faciam, nunquam ſibi ſatisfactum putant; vnde neceſſe habent conſiderare confeſſarij miniſtri, & vicarij Chriſti, quid illi ſibi præcipi velint, cum ipſi conſiderare deberent, quæ voluntas ſit confeſſarij.

Confeſſarius vnicuiq; deligendus, cui obediat.

I

Bonau. in Centiloq p.3. ſect. 44. opuſc.10.2

Obedientia eſt rationabile propriæ voluntatis ſacrificiũ, vel abnegatio. Confeſſario quibus in rebus obtẽperandum.

Act.5. 29.

K

Act.9. 6.

Bern.ſer.2.in conuerſ. S. Pauli poſt med.

Luca 18. 41.

Sanè talium non eſt obedientia plena, quòd non in omnibus cum Tobia parati ſunt obſequi, nec per omnia ſequi propoſuerunt eum, qui non ſuam, ſed patris venit facere voluntatem, dum diſcernunt, atque diiudicant eligentes, in quibus obediant imperanti, immò confeſſarium ſuæ ipſorum voluntati obedire neceſſe ſit. Quare, ait Bernardus, *huiuſmodi & ſi tolerari ſe videant, & condeſcendi, ac morem geri infirmitati ſuæ, proficiant, obſecro, pudeatque ſemper paruulos inueniri, ne quando fortè audiant, quid debui vobis facere, & non feci? & abutentibus patientia, & benignitate prælati, fiat tandem multitudo exhibitæ miſerationis, cumulus iuſtæ damnationis.* Sed plura de veræ obedientiæ natura ſumus infra dicturi.

L

Obediens ad omnia paratus eſſe debet.

Bern. vbi ſupra inter ſer. de temp.

Inf.c.6. verſ. 10.

VERS. III.

Tunc pater ſuus reſpondit illi, & dixit: Chirographum quidem illius penes me habeo, quod, dum illi oſtenderis, ſtatim reſtituet.

VERS. IV.

Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum, ſalua mercede ſua, vt, dum adhuc viuo, recipias eam.

1 *Chirographum, ſeu priuata ſcriptura quomodo probat.*
2 *Viri qui verè dicantur.*
3 *Fidelis vir quis dicatur, & quòd fides etiam infideli præſtanda ſit.*

1 TVNC *pater ſuus*, Vt nimirum petitioni, & difficultatibus filij faceret ſatis, illumq. ad iter ſu- VERS. III.

ſcipiendum adhortaretur, reſpondit illi.
Chirographum. Hebræus: *Marſupium*,
aut ſacculus, in quo, ſcilicet, chirogra-
phum erat, quomodo autem, & quando
l. fin. cum aut ſeq. C. ſi cert. pet. chirographum, ſeu priuata ſcriptura pro-
bet debitum, vel non probet, aut eius ſo-
lutionem; ex iure humano eſt textus, nota-
rus in lege finali. Illud etiam iure Cæſareo
certum, priuatam ſcripturam debitum be-
nè declarare, quotieſcunque debitoris eſſe
probatur, quare optimè ſatisfacit primæ
difficultati Tobias, dum filio chirographum,
manu debitoris firmatum, ſe daturum pro-
mittit: quomodo autem & viam ſcire poſ-
ſet, cum docens, ſubdit:
Inf. c. 9. v. 9. *Sed perge nunc, &c.* Hoc eſt, vade, feſtina.
Herod. in Poly. hymn. 2 *Et inquit tibi virum*, Hominem, nimi-
rum fortem, & conſtantem, quales perpau-
Laer. in Diog. cos reperiri docet Herodotus, dum ait: *Ho-*
1. Reg. 4. 9. *mines permulti, viri perpauci*. Vnde &
Diogenem, virum vnum ad exiguam lucer-
næ lucē medio Sole quæſitaſſe, narrat Laër-
tius; & Plutarchus, alium quendam philo-
ſophum dixiſſe refert, ſolas lucernas viros
parere: iuxta quem ſenſum in libris Regū
dicitur: *Confortamini, & eſtote viri Phili-*
ſtym, hoc eſt, valentes viribus, ac fortes.
3 *Fidelem*, qui nimirum, iuxta nominis fi-
dei etymologiam (componitur enim fides
ex facere, & dicere) faciat, quod dicit, ſeu
Aug. ep. 19. & lib. de mend. cap. 20. & li. de ſpir. & litera c. 30. & li. de Ciu. c. 15. promittit: Etenim *fides, ſeu fidelitas appel-*
lata eſt, inquit Auguſtinus, *in Latina lin-*
gua, ex eo quòd fit, quod dicitur: quam
fidem etiam hoſtibus ſeruandam idem do-
cet, exemplum afferens de Marco Attilio
Regulo, qui, vt fidem hoſti datam ſeruaret,
exquiſitiſſimis ſeſe obtulit ſupplicijs; & de
Saguntinis, qui interire maluerunt, quàm
fidem Romanis datam violare. Quare vir
ille verè cenſendus eſt fidelis, qui id, quod
promittit Deo, & hominibus, ſeruat; qua-
Eccli. 27. 12. lem expreſſit virum ſanctum Eccleſiaſtes,
dùm ait: *Homo ſanctus in ſapientia ma-*
net, ſicut Sol; ſtultus vero, ſicut luna
mutatur: etenim qui. quod iuſtè promiſit
pro ſuo arbitratu, non implet, is certè le-
uiter mutatur, apertèque oſtendit, ſe aut
in promittendo fuiſſe ſtultum, aut certè
Aug. de bon. coniug. c. 4. promiſſum non implendo ſtultum eſſe: iu-
ſtè, inquam, promiſit: nam, vt Auguſti-
nus ait, *neque vera cenſenda eſt virtus fi-*
delitatis, quæ verbum, aut promiſſum
implet iniuſtum; cùm ipſamet iuſtitia
exigat, ne illud impleatur: id quod etiam
iuris regula præſcribit, dicens: *in malis*
promiſſis reſcinde fidem; impia enim eſt pro-
miſſio, quæ ſcelere adimpletur.
Arabs. *Qui eat tecum, ſalua mercede ſua*.
Arabs: *Qui abibit tecum cum mercede*.

Quòd fidelis ſocius, & pius exemplo
ſuo maximum afferat emolumentum,
& maximum detrimentum infide
lis, & impius.

DOCVMENTVM.

NEMO eſt, qui verbis expli- A
care queat, quàm vtile vni-
cuique ſit ad viam ſalutis æ-
ternæ addiſcendam, iuxta To-
biæ monitum, filio hic datum,
fidelem ſibi eligere virum co-
mitem, qui, inquam, fidelis Deo, & homi- Fidelis viri exemplo ad fidelitatem incitamur.
nibus promiſſum ſeruans, exemplo ſuo fide-
litatem Deo, & hominibus ſeruare doceat.
Etenim cùm homo, ſicut Seneca docet, am- *Senec. lib. 1. epiſt. 6.*
plius oculis, quàm auribus credat, dum
commoratur cum viro fideli, ad eiuſdem
fidelitatem imitandam non parum incitatur
exemplo: quod ſignificaſſe animalia illa Eze *Ezech. 1. 23.*
chielis, dum ſe mutuo alis percutiebant, & *Greg. ibi.*
ad volandum incitabant, docet Gregorius,
dicens: *Is planè ala ſua me percutit, qui* Exēpla plus docēt quam verba.
exemplo ſuo me ad benè viuendum prouo-
cat: quod enim virtutis iter per præcepta
longum, & difficile apparet, per exempla
breue, & facilè demonſtratur. ſic ait cita- B
tus vbi ſupra Seneca: *Zenonem Cleantes nō*
expreſſiſſet, ſi eum tantummodo audiſſet,
vitæ eius interfuit, ſecreta perſpexit, obſer-
uauit illum, an ex formula ſua viueret,
& ad viuum expreſſit: ita nec pictorem,
nec ſcriptorem ſolis documentis euadere
quēpiam potuiſſe nouimus, qui tamen propo
ſitis exemplis, optimus in vtrauis profeſſio-
ne fuit, ſicuti contra, nec ſolis verbis exag- Societas malorum efficacius ad malum prouocat, quam bonorum ad bonum.
gerari ſatis poteſt, quātum, infidelem habere
itineris noſtri ſocium, noceat, cum efficax li
cèt ſit, vt diximus, fidelis ſocij exemplū ad
bonum, longè tamen illo, vel ipſa natura te-
ſte, infidelis ad malum ſit efficacius: Sic cæ-
lum, quod ex bonis, & malis aſtris, bonos &
malos in hæc inferiora habet influxus, ſi a-
ſtrologis credimus, ſi mala, ſeu, vt aiunt,
maleuola bonis, & beneuolis coniuncta ha- C
beat ſigna, ſemper maleuolos cauſat effe-
ctus: &, teſte Iuuenale: *Iuuen. ſat. 2.*

grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit, & porrigine porci.

Sic pomum integrum à corrupto infi-
citur,

Vuaque conſpecta liuorem ducit ab vua.

Et inter corporis membra, corruptum infi-
cit ſanum, vnde:

Immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera
trahatur.

Sic influit ſecundum philoſophos natura in
infirmiorem partem, & àpud Logicos a-
xioma eſt, concluſionem ita debiliorem par-

tem

Ita cũ bonis verſandũ, vt malos fugiamus.

tem ſequi debere, vt ſi vna ex præmiſſis eſt neceſſaria, & altera contingens, ipſa non neceſſaria, ſed contingens eſſe debeat: quare non ſufficit nos cum bonis verſari, niſi prauos totis viribus fugiamus: etenim omni procul dubio continget, ex praua conuerſatione magis nos prauos euadere, quàm

D

Trithem. ad Monach. ho. 11. lib. 1.

bonos ex bona: *Rerum enim natura ſic eſt*, ait Trithemius, *vt quoties bonus malo coniungitur, non ex bono malus melioretur; ſed ex malo bonus contaminetur*: idque non ſolum quia, ſtante natura corrupta, facilius eſt, ſicut philoſophus ait, deſtruere, quàm ædificare, & in ipſa natura facillimum ire ab habitu ad priuationem, & difficillimum, tamen ſit, immo impoſſibile à priuatione redire ad habitum; ſed etiam quia rationes, quibus vtuntur mali ad malum ſuadendum, ſenſui, quo magis mouentur homines, ſunt accommodatæ, &, vt Chriſtus ait, *Filij huius ſeculi prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua*, quòd ſuum patrem diabolum imitantes, qui cùm pater

E

ſit tenebrarum, transfigurat ſe in Angelum lucis; ſi manifeſtè culpam ſuadere non valent, varijs fallacibusq. rationibus perſuadere nituntur, vt mentes innocentium ſeducant.

Aug. Conf. c. 3 & 9.

Quare Auguſtinus, cùm ſocios huiuſmodi haberet: *præceps*, inquit, *ibam tanta cæcitate, vt inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, cum audiebam eos iactantes flagitia ſua, & tanto gloriantes magis, quantò magis turpes eſſent, & libebat malum facere, non tantum libidine facti, ſed etiam laudis: quid dignum eſt vituperatione, niſi vitium? ego, ne vituperarer, vitioſior fiebam; & vbi non ſupererat,*

Exempli mali vis.

quo admiſſo, æquarer perditis; fingebam me feciſſe, quæ non feceram, ne viderer abiectior, quo innocentior, & ne vilior haberer, quo eram caſtior. Sed quid mirum, ſi vnus Lucifer momento temporis, tertiam Angelorum partem rebellem Deo, ſuo exemplo

F

valuit efficere? Hinc optime Sapiens admonet, vbi ait: *Fili, ſi te laudauerint peccatores, ne acquieſcas eis*; præbent enim

Prou. 1. 10.

lac, quod primùm dulciter influat, tum ſoporem conciliet, denique ſenſum adimat, & prorſus occidat. Sic miſerè olim Siſara, à fœmina lactis hauſtu ſoporatus, temporibusq. clauo transfixus, interijt.

Iudic. 5. 26.

O lac pernicioſiſſimum à ſocijs infidelibus propinatum: lac, non quod nutriat, ſed quod occidat: lac tigrium, vrſorumque potius, quã à maternis vberibus expreſſum:

Malorum blanditiæ læthales.

meritò itaque Dauid, Dominum enixè à talibus liberari rogans, ait: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me*, hoc eſt, vt communiter exponitur, ne quæſo ſinas mihi ſuperbos approximari, ne fortè proprijs eorum exemplis ad malum moueat: nam per manus opera ſignificari, & ſacræ, & profanæ literæ do-

Pſ. 35. 12.

Manus operis hieroglyficum.

G

Pier. de manu tit. opus.

cent. Sic Pierius: *manus*, ait, *apud Aegyptios operis in primis hieroglyficum fuit*: Et Moyſes, vt diceret, ſicuti communis fert expoſitio, vidiſſe Aegyptios mirabilia, quæ operatus fuerat Dominus pro populo ſuo, ait: *viderunt Aegyptios mortuos, & manum magnam, quam exercuerat Dominus*: ſed eloquentiam item ſignificari manu, docet idem Pierius: *eloquentia verò latè diffuſa, per dilatatam manum oſtendebatur.* quare optimo compendio Dominum deprecatus eſt Dauid, à malo peccatorum exemplo, & verbo liberari, dum aiebat: *& manus peccatoris non moueat me.* etenim optimè norat, mundum ſe futurum ab omni culpa, ſi longè à peccatore abeſſet: quòd etiam alibi docuit, vbi ait: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo*, à peccatis nimirum ignorantiæ occultis, & à prauo alienorum contubernio.

Exod. 14. 31.

Pſ. 18. 13.

Alieni dicũtur à diuina lege declinantes.

Alieni enim dicuntur illi, qui longè à recta via diuinæ legis deflectunt, & alienigenæ in ſacris literis illis, qui idola colebant.

H

Hinc rationem aſſignans Dauid, cur tantopere ab hiſce alienis longè abeſſe optaret, ſubdit: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo*, hoc eſt, ſi illi per nimiam familiaritatem non me ſibi ſubiecerint, & ad ſuam redegerint voluntatem, tunc immaculatus ero, & mundatus à grauiſsimo delicto, quod eſt mortalis culpa: ita ſignificans, vix fieri poſſe, vt, is à graui delicto ſit mundus, qui cum alienis conſuetudinem habet.

Conſuetudo alienorum lethalis.

Neque tamen inficior, ſingulari Dei munere, aliquando, ſicut lilium inter ſpinas, amicos Dei inter ſceleratos fuiſſe conuerſatos, vt patet de Tobia noſtro cum Niniuitis, & ſceleratis filijs Iſrael de Iob cum Huſſitis, qui erant adeò ſceleſti, vt ipſemet dicat: *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum*, & de Pergomi Epiſcopo dicit Spiritus ſanctus: *ſcio vbi habitas, vbi ſedes eſt Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam*: quin & alios perfectos viros legimus cum peccatoribus conuerſatos, vt ipſos conuerterent: at id vel neceſſitate factum eſt, vel ſic diuino ſpiritu dictante: quare generaliter loquendo, veriſſimum eſt illud Dauidicum; tunc hominem tantum immaculatum viuere poſſe, quando longè à peccatoribus viuit: nam omnis, qui cum malis ſocietatem init, neceſſarium quodammodo eſt, vt eorum peruerſitate aliquantulum vitietur; nam aut diliget eos, & ſimilis eorum efficietur malus, aut odio habebit, & erit inimicus multorum, ideoque neceſſario inquietus, vel ſaltem tanto tardius in ipſo erit deſiderium proficiendi in virtute, quanto magis conſortio

Cant. 2. 2

I

Iob 30. 29.

Apocal. 2. 13.

Cum peccatoribus quãdo conuerſandum.

K

S. Ephrem. de rect. viu. rat.

Peccatores iuſtorum laquei.

Pſ. 6. 9.

peruerſorum conturbabitur. Hinc Sanctus Ephrem: *quamprimùm*, inquit, *capta à dæmone fuerit anima, ad alias decipiendas ſit quaſi laqueus, ſicut perdix comprehenſa, pro eſca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ ſunt; circa illam enim aucepi laqueos figit, vt voce ſua perdix reliquas circunuolitantes ad eoſdem pelliciat*. Clama itaque cum Dauid: *Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem*; &, vt Tobias docet: *Quære tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum in via tua*.

VERS. V.

Tunc egreſſus Tobias inuenit iuuenem ſplendidum, ſtantem, præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum.

1 *Iuuenis, qui apparuit Tobiæ quis.*
2 *Angeli qualia, & quomodo aſſumant corpora, dum apparent hominibus.*
3 *Cur in forma iuuenili præbeant ſe conſpiciendos.*
4 *Cur ſplendidus apparuit Raphael.*
5 *Cur præcinctus.*

VT non minus opere, quam verbo oſtēderet obedientiam iunior Tobias,

Tunc, hoc eſt, illicò, audito patre, egreditur ex ædibus, fidelem virum ſocium ſibi quęſiturus. O mira Dei prouidētia! vix egreſſus,

LXX. Syrus.

1 *Inuenit iuuenem*, hoc eſt, Angelum vnū, ex ſeptem ante faciem Dei aſtantibus, nimirum Raphaelem, obuium habuit: Sic LXX. & Syrus. *Et inuenit Raphaëlem*, qui patris preces ad Deum obtulerat, cui bina erant, vt ipſemet poſtea declarauit, nomina, Raphael ſcilicet, & Azarias, illud medicinam Dei, hoc Domini auxilium ſignificans; quē etiam aliqui illum eſſe putant, qui ad tempus olim è cælo deſcendens, aquam piſcinæ Bethſaida commouebat, vt qui prior poſt aquam commotam ſe mergeret in piſcinam, à ſua ſanaretur infirmitate. Etenim cū Angeli natura ſint inuiſibiles, neq; ſicuti ſunt, hominibus, ſe patefaciant, transfigurati voluntate Dei, indutiq. corporibus, non ſolum ſe circumſpiciendos, ſed etiam tangendos exhibere ſolent: quod qualiter efficiant, difficile eſt diuinare, vt docet Auguſtinus his verbis: *Cum iſta quæruntur, & ea quiſque, ſicut poteſt, coniectat, non inutiliter exercentur ingenia, ſi adhibeatur diſceptatio moderata, & abſit error opinantium ſe ſcire, quod neſciunt; quid enim opus eſt, vt hæc, atque huiuſmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum diſcrimine, quando ſine crimine neſciuntur?*

Raphael & Azarias quid ſignificent.

Raphael probaticæ piſcinæ præfuit.

Aug. Enchirid. c. 19.

Angeli aereū corpus aſſumunt.

Verum ex aëre, quem ſua virtute condenſant, & ad quaſcunque formas componunt, eos formare ſibi corpus communis Theologorum ſchola docet, quorum opinioni vt conſenſum præbeam, ſuadet reſponſum Angeli huius inferius Tobiæ datū, quòd ſcilicet filius eſſet magni Ananiæ; quod vocabulum nubem Domini ſignificat: cum enim corpus ab Angelo aſſumptū, pars aëris concreta ſit, non male dicitur nube prognatus: *Angeli*, ait Beda, *corpora, in quibus hominibus apparent, in ſupremo aëre ſumunt, ſolidamq. ſpeciem ex cæleſti elemēto inducunt, per quam humanis obtutibus manifeſtius demonſtrantur*: cui quidem corpori aſſumpto, Angelus accidentariè vnitur, non eo tātum modo, quo, ſicut aliqui dixerunt, motor vnitur mobili ſimpliciter, niſi dicamus omnia corpora ab Angelis aſſumi, quæ ab ipſis mouentur; ſed vt motor mobili motorem ipſum quodammodo repræſentanti, & cognoſcendum exhibenti.

Ananias quid ſignificet.

Beda in lib. quæſ. de Ang. q. 9. tom. 8.

S. Tho. 1. p. q. 51. ar. 2. ad 1.

Angeli qui corpori aſſumpto vniātur.

Sic apparuit iuniori Tobiæ Angelus in aſſumpto corpore ad effigiem humanam, vt miniſterium conductionis, à diuina bonitate ſibi delegatum, corporali figura circumamictus commodius expleret.

3 *Iuuenem*, qui tamen integram, ac ſpectatam præferebat ætatem: vnde legit Arabs: *Adoleſcentem*: hanc enim, vt aſſumeret formam, & officij ratio, & vitæ conditio poſtulare videbatur: officij quidem ratio, vt aptior videretur ad peragrandam viam conſtitutam, ob iuuenile robur, cum nec pueri, nec ſenes idonei ſint ad longum iter pedeſtre: vitæ verò conditio, ne putaremus, Angelos tempore ſeneſcere, vel ætate conſumi: quod nullo pacto melius poterat ſignificari, quàm forma iuuenili: ob id addunt plerique ex Dionyſio, bonos Angelos, vt plurimum in eadem iuuenili forma apparere.

Arabs.

Raphael cur iuuenili forma Tobię apparuerit.

Dion. Areop. c. 15. cæl. hier.

Nec obſtat, quòd Angeli, qui apparuerunt Abrahamo, dicātur fuiſſe viri; nam dicti ſunt viri ex eo, quia non eſſent mulieres: vnde etiam Eccleſia ſub iuuenili forma eos coloribus repræſentare conſueuit.

4 *Splendidum*, Apparuit item Raphaël ſplendidus, non luce, vt quidam ex eo, quòd Angelus erat, poſſent exiſtimare; etenim in communi hominum forma eum apparuiſſe neceſſe eſt, cùm homo, non Angelus apparere vellet: tunc enim tantummodo luce ſplendidos Angelos apparuiſſe legimus, quando pro Angelis cognoſci amabant; ſed apparuit ſplendidus, hoc eſt, vt legit Arabs, *ſpecioſus, decorus*: nobilis nimirum, & illuſtris viri perſonam præferens. Nam cum iuſſus ſit Tobias, fidelem ſibi virum quærere ſocium, non aliunde ex improuiſo melius fidelitas co-

Splendidus quid hic velit.

gnoſci poterat, quàm ex nobilis, atque illuſtris viri aſpectu, atque præſentia: quod innuit B. Lucas in actis, dum Theſſalonicenſium nobiliores cum auiditate verbum Domini ſuſcepiſſe declarat: vel ſplendidus, quod ferè idem eſt, hoc eſt, præſeferens perſonam ſanctam, atque virtute pollentem, ſic dicimus ſplendere aliquem nomine, familia, magnificentia, & virtute. Vnde Cicero Caij Plotij virtutem exaggerans, ait: *Caius Plotius Eques Romanus ſplendidus.*

Act.17.11

Cic. 1. de fin.

· *Præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum*, hoc eſt, vt legit Arabs, *ſtantem, accinctum, tanquam hominem iter facientem*: particula enim *quaſi*, non tam ſimilitudinem, quàm veritatem affert, ſicut etiam apud B. Ioannem, vbi dicitur: *vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti*, hoc eſt, vt exponit Hieronymus, verè vnigeniti: idq. vt tam ex aſpectu, quàm ex habitu, & diſpoſitione corporis induceret iuniorem Tobiam ad ſe compellandum, miſcendoſq. ſecum vltrò citroq. ſermones de propoſito negotio, & ad inquirendum, vtrum ſe comitem itineris inſtituti ſibi vellet exhibere.

Arabs.

Io. 1. 14.

Cur præcinctus apparuerit.

Accinctum etiam idcirco ſe oſtendit, vt ſignificaret, ſe non modo promptum ad ambulandum, ſed in opere ſtrenuum: nam veteres, deſides, ac molles diſcinctos appellabant? Vnde Perſius:

Perſius ſat. 3

Non pudet ad morem diſcincti viuere Nacc?

& Liuius, *Nihil*, ait, *primo aſpectu contemptius, equi, homines, paululi, & graciles: diſcinctus, & inermis eques*, hoc eſt deſes, & non armatus.

Liuius bell. Maced.

Quòd ſeruos ſuos mira Deus prouidentia protegat.

DOCVMENTVM I.

A

APPARET ex hoc verſiculo, miram Dei erga nos prouidentiam eſſe, qua tanta ſolicitudine nos protegit, vt meritò illud dicere poſſimus cum Ambroſio: *Docuit Dominus dormire tepidis, vigilare perfectis*: non quod tepidorum, quin & peccatorum ipſe obliuiſcatur; ſuſtinet enim patientiſſimè eorum vecordiam, defectus reprehendit, torporem excitat, negligentem vitam caſtigat, & ad oſtium cordis pulſat, vt conuertantur, & viuant, ſed quia iuſtorum, quam habet, prouidentia, in ſignis, in effectis, in donis, in prodigijs, in mirabilibus pro eis patratis in immenſum, magis apparet. Dat hic Tobiæ ducem itineris vnum ex ſeptem Angelis aſtantibus ante faciem ſuam, & quidem, vt ire poſſet Rages ad exigendam pecuniam à Gabelo: Eliæ in magna rerum penuria ſedenti in Torrente Carith, abundanter ſuccurrit per coruos, Angelico miniſterio panem, & carnem illi mane deferentes: Similiter panem, & carnes veſperi Danieli in lacu leonum fameſcenti, per Angelum ſuppeditauit: eodem modo præſto fuit in nouo teſtamento Ioanni Baptiſtæ in deſerto, Columbano, Lupicino Abbati, Timotheo monacho, & alijs propemodum infinitis, quos recenſere nimis longum eſſet. Hinc B. Laurentius; *In tribulatione*, ait, *Deus iuſtos comitatur, vt illos in præſentiarũ eripiat, & glorificet in futuro: comitatur ipſos in negotijs, ne delinquant: in periculis, ne cadant: in dubijs, ne errent: ne huius vitæ conſolationem amittant*: Sic direxit in actibus ſuis longæuum Noë, quem ſolum ſuper terram coram ſe reperit iuſtum: fuit cum Abraham patriarca, illumq. ab Abimelech, & Pharaonis protexit inſidijs; innocentem Ioſeph ab adulteræ cuſtodiuit amplexu, atque Aegypto præfecit vniuerſæ: in nube, & in igne per deſertum ambulauit cum Moyſe, quem in conducendo populo ſuo optimè roborauit: Dauidem quoque, ne in ſuperbi Regis Saulis manus incideret, nunquam deſeruit, vnde meritò exclamans, ait, *oculi Domini ſuper iuſtus, & aures eius ad preces eorum*. Quid autem mirum tantam habere Deum curam ſuorum, ſi tantam habet prouidentiam omnium rerum, ratione, ſenſumque carentium, tanquam ſupellectilium domus hominis, cuius cauſa eas ex nihilo fecit? *operit cælum nubibus, parat terræ pluuiam, producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum, dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum, inuocantibus eum*, hoc eſt, ſi tegit cælum nubibus, parat ipſi terræ pluuiam, vnde per illam irrigata, producat pro beſtijs gramen in montibus, qui alioqui aquæ penuria ſterileſcerent, & herbam pro ijs animalibus, quæ hominum ſeruiunt commodis, dans vnicuique beſtiæ pabulum, ipſi conueniens; & ſingulari miraculo paſceus pullos coruorum, qui, antequam plumeſcant, derelicti, ſua crocitatione, verborum vice, Deum quadamtenus inuocare videtur. Seruius eximij Poëtæ enarrator, obliuioſos eſſe coruos ſcribit, & plerumq. minimè ad nidos ſuos reuerti: ſed quadam ratione, inſtinctuque naturæ ea congerere ad ſuos nidos formandos, ait, quæ vermes producere poſſint, ex quibus interdum relicti horum pulli aluntur: quod etiam Chryſoſtomus, & multis in locis Euthymius oſeruant; ex quo manifeſtum apparet, quanta ſit diuina prouidentia, etiam erga minima. Sed illud mihi mirabile valde videtur, quod de Alcyone varij ſcriptores referunt, cui marinæ auiculæ in maris litoribus nidificanti, tam mirabiliter ferunt prouidiſſe Deum, vt hyberno tempo-

Amb. li. 4. in Lucam.

Prouidentia Dei erga ſuos ſeruos.

3. Reg. 17. 4.

Dan. vlt.

B

Io. Abb. inuit. Columban.

Greg. Turon. in v. 5. Lupicini.

Metaphraſ. in vit. B. Timot.

Laur. Iuſtin. de triumphal. Chriſti agon. c. 21.

C

Pſ. 33. 16.

Prouidentia Dei in omnia creata.

D

Seruius in 1. Geor.

Chryſoſt. Euthym.

E

Granata in introd. fidei. Iſid. Clar. in orat. 5. tom. 1

po-

pore, quando multis violenriſque flatibus mare funditus perturbatum, rumidas vltra litus viderur vndas impellere, per ſeptem dies, quibus hæc auicula oua propria, in maris arenam edita, fouet, & per ſeptem alios, quibus pulli, ex his nati, educarione, & incremento egent, marini fluctus, alioqui inſani, generationi ramen huius auis arridentes, omnino miteſcant, & componantur: quam rem & nauræ intelligentes, dies ilios Alcyonios appellant. Ecquis tam miram Dei prouidentiam conſiderans circa hæc vilia, iam mirari non deſinat, eam, quam maximam habet erga ſanctos ſuos?

F

Sed quæ, dicet aliquis, eſt iſta Dei prouidenria, ſiue prorectio erga ſuos, qui, vt B. Paulus ait, *Secti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt*? quis non aduertat perfectos viros aduerſa corporis valerudine ſæpè conſumi, doloribus vrgeri, contumelijs impeti, & rerum remporalium amiſſione probari? ex aduerſo verò læta omnia, ſecura omnia, pacata omnia impijs viris ſuccedere? Quæſtio hæc adeò Dauidis animum aliquando commouit, vt quaſi in illa inueſtiganda defecerit: quod ipſemet teſtatur, dicens: *mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns*, vnde ſubdit: *Et dixi: ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meũ, & laui inter innocentes manus meas*? ſed hæc vix dixerat, quãdo finẽ iniquorum, iuſtorumq́. conſiderans, ait: *Veruntamen propter dolos poſuiſti eos, deiecisti eos, dũ alleuarẽtur:* quaſi dixiſſet: quamuis lubrica in re verſer, & incerta, neque alio, quàm diuino ſpiritu inquirenda; tamen illud certò dici poteſt, te Deum propter illorum impiorum dolos, vafroſque ſermones, & ad gratiam compoſitos, ac doloſa commenta, quibus homines capiebant, vt illis vices redderes, poſuiſſe eis laqueos nimirum, ac reria, vt eorum fraudes, & dolos alijs fraudibus caperes, & ſuis ipſorum artibus eluderes: vnde non eſt, cur de temporali hoc iudicio angar: erenim, *quid eſt mihi in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* ac ſi dicar: tanta ſunt ea, quæ mihi in cælo parata ſunt, & tam pauca ea, quæ in terris deſiderem, vr angar fruſtra de terrenis hiſce proſperitatibus, quæ in comparatione cæleſtium bonorum, quæ appeto, nihil ſunt. Et quidem non ſunt terrena hæc ſors filiorum Dei, ſed cæleſtia: ſapiens ergo prouidentia Dei aliquando iniquis proſpera tribuit, vt amplius puniat, & iuſtis aduerſa, vt ad perfectiorem virtutem, & cumulatiorem gloriam extollat. Alia ad huiuſmodi argumentum ſpectantia habuiſti ſupra.

Hebr. 11. 37.

Iuſti cur hic deprimantur extollantur improbi.

Pſ. 72. 2. 3

G

Iniquorum proſperitas damnationẽ arguit.

H

Iuſtorum aduerſa, beatitudinis argumentum.

Sup. c. 3. v. 13 doc. 8.

Quòd contemnant mundum, qui ſe peregrinos eſſe in illo cognoſcunt, & quomodo ſe homo præparet in hac peregrinatione.

DOCVMENTVM II.

A

ADMON'ET etiam Angeli huius in humana ſpecie apparitio ſub peregrini forma, homines in hoc mundo peregrinos eſſe, ob idque, ſicut ſtabar ille ſuccinctus, & paratus ad ambulandnm, ita illos ſtare ſemper debere ſuccinctos, & ad ambulandum paratos. ò nos felices, ſi frequenter id noſtris obtutibus conſiderandum proponeremus? etenim licèt multa ſint in mundo, quæ conſiderata, contemptum mundi in noſtris animis ingenerare queunt, vt ſunt eius vanitas, inſtabilitas, prauitas, & alia huiuſmodi, nihil tamen adeò nos potenter mouet, ſicuti conſiderare nos hoſpites in hoc mundo, & peregrinos eſſe: ſic volens B. Petrus nos ad voluptatum huius mundi fugam horrari ait: *Chariſſimi, obſecro vos, tanquam aduenas, & peregriuos, abſtinere vos a carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam.*

Peregrinum qui ſe putat, terrena contemnit.

1. Pet. 2. 11.

B

Sed ò res deploranda! licèt quotidie moriamur, videamusq́. nulli vnquam datum fuiſſe in hoc mundo diu manere, vix ramen eſt, qui ſibi hoſpitem hic, & peregrinum ſe eſſe perſuadeat. Solet peregrinus frequentes de patria ſermones habere, illam laudare, ad illam ſuſpirare, & præter illam cæteras omnes, in quibus verſatur, regiones contemnere: at miſeri homines, ac ſi nullam aliam haberent patriam, niſi terram, terrena tantum ſapientes, ſemper de terrenis loquuntur, terrena quærunt, & illa, quod peius eſt, cæleſtibus anteponunt: non ſic ſancti viri, qui, dum ſe aduenas, & peregrinos in terra conſiderant, cæleſtia tantum quærunt, & ad illa ſuſpirant. *Aduena*, dicebat Dauid, *ego ſum, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Inrerrogatus enim Iacob Patriarcha à Pharaone: *quot ſunt dies annorum vitæ tuæ? dices*, ait, *peregrinationis meæ centum viginti annorum*; ſic ait Dauid, vr patres mei, me peregrinum puto: quid inde? *heu mihi*, ait, *quia incolatus meus prolongatus eſt*: ecce quomodo ex conſideratione ſuæ peregrinationis ad cæleſtia deſideranda moueretur: ſicut B. Paulus: *Non habemus*, ait, *hic ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirimus*: corpus enim noſtrum non habet domum, in qua ſtabile haberi ſolet habitaculum, ſed tabernaculum, quod eorum eſſe ſolet, qui caſtra ſequuntur, vel iter faciunt, quemadmodum

Peccatores cęlo terram anteponunt.

Iuſti cęlum ſolum inquirunt.

Gen. 47. 9.

C

ſe-

fecerat populus Iſraël ex Aegypto in Chananæam proficiſcens, in cuius deinde rei memoriam feſtum tabernaculorum ab eis eſt quotannis celebratum: *qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati*: Sed qui huius conſiderationis fructus? *Infelix ego homo*, ſubdit, *quis me liberabit de corpore mortis huius?* & alibi; *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. En qui ſe homines peregrinos putauerant, quale deſiderium cæleſtis patriæ concipiebant.

Vitæ peregrinationē quo modo peragere debeamus.

Peregrinos itaque nos ipſos cum ſanctis viris agnoſcentes, ad iter nos componere eo modo debemus, quo Angelus.

Tertull. li. 4. contra Marcion. c. 29.

Succincti, hoc eſt, vt Tertullianus explicat, expediti ab impedimentis laciniosæ vitæ & implicitæ, attendentes, ne pondere rerum aggrauati, aut multitudine impediti, in via deficiamus; ſed viatico ſolo contenti, iuxta Apoſtoli ſtatutum; *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*: cum ob itineris breuitatem haud multæ pecuniæ, aut opes nobis ſint neceſſariæ, quas nec in patriam inferre valemus, nec illis in ea opus habemus: quòd ſi ea nobiſcum ferre contendimus, vt peregrinus prudens facit, ad congregatam in aliena regione pecuniā, in patria recipiendā, conciues noſtros egentes quætere debemus, quibus bona noſtra, donec in patriam reuertamur, inibi poſtea illa recepturi, commendemus: tales Chriſti ſunt pauperes, per quos & B. Laurentius theſauros Eccleſiæ, vt Decio dixit, in cælum tranſmiſit cuſtodiendos.

Tim. 6. 8.

E

Pauperes in cęlo eleemoſynas rependunt.

Eccle. 11, 1.

Sic Sapiens, *Mitte*, inquit, *panem tuum ſuper tranſeuntes aquas*. Impediunt enim hæc terrena bona noſtrum iter, vt laciniosæ hoc eſt nimis demiſſæ, & laxæ veſtes ſolent. Quare ſicut magnam eius fatuitatem diceres, qui longam ambulaturus viam, & inimicis plenam, talem impedientem veſtem indueret; ita ſanè fatui cenſendi ſunt homines, qui longum huius vitæ iter agentes, ab inimicis, dæmone, mundo, & carne certatim impetiti, talibus onerant ſe veſtibus, vanis implicando ſe negotijs, & vanitatibus, quibus detenti, vel ab eis proſternantur, vel in illis impingentes, ſe ipſos præcipitent. ò itaque nos beatos, ſi quaſi peregrini vigilantes, eſſemus ſuccincti veſtibus, & ad ambulandum parati, & tantum ea nobiſcum ferentes, quæ neceſſaria ad iter agendum cognoſcimus, alia omnia ſuperflua omitteremus; nam ſine dubio, Deo adiuuante, non Rages ad Gabelum perueniremus, ſed in cæleſtem patriam ad Deum, præmium negotiati talenti recepturi.

Terrena iter in cęlum impediunt.

F

VERS. XI.

Et ignorans, quòd Angelus Dei eſſet, ſalutauit eum, & dixit: vnde te habemus, bone iuuenis?

1. *De varijs ſalutandi formulis.*
2. *Veteres aliquem alloquentes, ſingulari cur vterentur numero.*
3. *Adoleſcens quis dicatur.*

STVPENS iunior Tobias ſubitum eius, quem quærebat, occurſum, habitu ad ambulandum parati, præſentia nobilis, & probi.

Arabs.

Ignorans, quod Angelus eſſet. Arabs, non *cognouit, eum eſſe Angelum Domini*.

Salutauit eum: Qua ſalutatione, incertum: etenim ſalutationum formulæ antiquitus, ſicut & hodie, variæ & multiplices ſemper fuerunt. Romani *Aue*, dicebant, *ſaluere iubeo*, ſaluus ſis, *ſalue* etiā, & *vale*: illud, vt obſeruat Dio, mane, iſtud veſpere. Hebræi: *pax tibi: pax tecum; Dominus tecum*, aut *vobiſcum. Gaudium tibi ſit ſemper*. Noſtri verò hodie: *bonus dies, bonus veſper, bona nox, te Deus adiuuet; tibi fortuna bona.*

Dio in Hadr. & cal. li. 16. c. 21.

Adiungebant ſalutationi olim non raro aliquod beneuolentiæ ſignum, vt oſculum: ſic Iacob oſculatus eſt nepotes, & amplexatus eſt eos: Aaron Moyſem, Moyſes Iethro ſocerum ſuum; Iacob Rachelem: Samuel Saulem; & tandem, vt cæteros omittam, Iudas Iſcariotes Ieſum Saluatorem, vt ſub pacis ſymbolo filium hominis traderet. Sic *ſalutate vos inuicem*, ſcribebat B. Petrus *in oſculo ſancto*, & B. Paulus: *In oſculo pacis*. Apud Romanos verò in tantum mos iſte excreuerat, vt permoleſtum, & frequentibus occurſationibus faſtidioſum euaſerit. Vnde Tiberius, lege ſancita, illum tollendum curauit, ſed (quod probauit euentus) plus lege valuit inolitus vſus: vide de hac re Herodotum, & ex modernis Baronium.

Gen. 44. 18.
Exo. 18.
Gen. 29. 11
1. Reg. 10.
1. Petr. 5. 14.
Rom. 16. 16.

Oſculū olim frequentiſſimè ſalutationibus iniungebantur.

Herod. li. 1. Baron. ad an. Chriſti 45. Homer Iliad. x & Odiſſ. 3. Ioan Petrus Maffeius hiſt. Ind. lib. 12. & lib. 6.

Adiungimus hodie corporis inflexionem, manus oſculationem, dexteræ porrectionem, vt etiam apud Homerum, & capitis aperitionem. Addunt, teſte Maffeio, Iapones aperitionem pedum, idque per leui crepidarum, vel ſandaliorum excuſſu. Sinenſes verò vario ritu varia: plebei leuam in pugnum cōpreſſam obtegūt dextra, ambas deinde pectori ſæpius admouent, & ſimul ita accommodant ad geſtum ſermonem, vt demoſtrent amicum ſibi conditum hærere in medullis. At primores brachijs arcuatim extenſis, ac digitis vtriuſque manus implexis, identidem ſeſe ad terram vſque demittunt: ſed plura de his StuKius, quem, ſi placet, videre poteris.

2 *Vnde te habemus*, Hoc eſt, à quo loco; quaue de gente es tu? Sanè veteres cum vno loquentes, ſingulari ſemper numero vti conſueuerunt, cum pluribus plurali, & quidem maxima ſimplicitate, & facilitate. Inoleuit poſtea vſus, ſæpe etiam apud ſanctos patres, nominum abſtractorum, quo pro tu, veſtra dominatio, veſtra ſublimitas, vſurpabant, & vos pro tu, & vobis pro tibi dicentes: quā tamen conſuetudinem damnans Petrus Bleſenſis ait: *quod per tu, & tibi, & te ſcribo, moleſtè non feras, pluralis enim locutio, qua vni loquendo vtimur, ſermo adulatorius eſt, longe à ſacro eloquio alienus.* À ſanctis tamen viris, dum illa plurali locutione ſunt vſi, prudentiſſimè factum arbitror: nam tempori indulgentes, nullo pacto vel minimam ſuſpicionem adulationis incurrere poterant: nondum tamen apud Latinos ita ſublatus eſt antiquus loquendi vſus, vt non ſit frequentiſſimus, licet multæ in communes loquutiones inuectæ ſint formulæ, quæ nullo pacto ab adulatione liberæ eſſe poſſe uideantur; tamen licet ſapiendum ſit, vt pauci, loquendum eſt, vt eſt in prouerbio, vt plures.

Veteres cum vno loquentes ſingulari vtebātur numero.

Petrus Bleſ. epiſt. 15.

3 *Bone iuuenis*. Hebræus, *adoleſcens*: Arabs: *adoleſcens optime*. præſeferebat enim Angelus modeſtiam maximam, & ætatem illam iuuenilem, quam adoleſcentiam dicimus, nimirum, iuxta quādam pueritiam, excedentem à duodecimo ætatis anno ad vſque trigeſimum primum. Albertus Megnus putat adoleſcentiam incipere à quartodecimo; doctiſſimus Varro à quintodecimo ad triceſimum propriè. Gellius, *Tubero*, ait *in hiſtoriarū primo, Seruium Tullium Regē Romanum pueros exiſtimaſſe, qui minores eſſent annis ſeptemdecim, atq; inde ab anno decimoſeptimo ad annum quadrageſimumſextum iuniores, ſupra eum ſeniores appellaſſe*. Vide de diſcrimine ætatum Iulium Pollucem.

Hebræus. Arabs.

Albertus Magnus. Varro. Gellius li. 10. Attic. noct. c. 28.

Iul. Pollux de diſcrimine ætatum lib. 2.

Quòd obuij amici comiter ſint more patrio ſalutandi.

DOCVMENTVM.

A

QVOD nos docet ſuo exemplo iunior Tobias, illud eſt, obuios quoſcunque, antequam alloquamur, comiter ſalutandos eſſe: etenim cum ſalutatio quædam optatio ſit, & præcatio, qua bonum alteri optamus, & precamur, humanitatis, beneuoleutiæque ſymbolum eſt ea vti: vnde ab inter ſe iratis, & aduerſarijs ſolum omitti experientia docet. Et B. Ioannes erga hæreticos tantum ea vti vetuit: dicens; *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.*

2. Ioan. 10

Et mirum quidem eſt, quantum ad conciliandos animos, & amicitias fouendas, ſalutatio valeat. Quare non ſolum piorum hominum mos vetuſtiſſimus fuit, benignè ſalutare, & comiter appellare vnumquemque, ſed Angelorum etiam, & ipſius Regis Angelorum Chriſti. Sic ſalutauit Angelus Gedeonem his verbis: *Dominus tecum, virorum fortiſſime*: &, ſicut inferius apparebit, Tobias, dicens: *Gaudium tibi ſit ſemper*: Et Gabriel Beatam Virginem, vbi ait, *Aue gratia plena, Dominus tecum*: Chriſtus mulieres voce illa, *Auete*: & diſcipulos non ſemel, dicens, *pax vobis*: quod & Apoſtolis faciendum præcepit, dum ait; *In quamcunque domum intraueritis, dicite, pax huic domui*, & ne vanus ſolum verborum ſtrepitus æſtimaretur, hanc ſalutationem, apertè ſubiecit, efficaciſſimam fore ijs, qui ea digni eſſent: *ſi ibi*, inquiens, *fuerit filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra:* nec obſtat, quod ibidem prius præceperat, dicens: *neminem per viam ſalutaueritis*, quia iuxta Lyrani ſenſum, locus ille eſt intelligendus, ac ſi dixiſſet; neminem per viam ſaluum eſſe dixeritis; nam, ait ille, *ſalutare aliquem idem eſt, ac ſaluum facere*: haud enim dignus eſt viator, quem dicere debeamus ſaluum, niſi ex diuina reuelatione, vel nemini ex occaſione tantum ſalutem rogabitis, vt fieri ſolet erga eos, qui nobis in via occurrunt, ſed ex deſiderio ſalutis eius, qui occurrit: neq; enim decet virum perfectum, vt erant Apoſtoli, aliquid ex occaſione facere; ſed quicquid facit, aut dicit, ex cordis veritate illi eſt faciendum: quod innuiſſe videtur idem Chriſtus, dum ſubdit: *ſed in quamcunque domum intraueritis, dicite: pax huic domui*, ſignificans, in domo, hoc eſt ex animo, non ex occaſione, in via ſalutandos proximos: vel, vt communiter exponitur, quod ſanè literę magis cōgruit: *neminem per viam ſalutaueritis*, hoc eſt, tam promptos, & expeditos vos exhibebitis in miniſtratione diuini verbi, adeoque ad illam intentos, ut omnia prætermittatis, quæ curſum prædicationis remorari poſſunt. Simili elocutione uſus eſt Eliſæus, quando miſit Giezi ad ſuſcitandum puerum uiduæ, *Si occurrerit*, inquiens, *tibi homo, non ſalutes eum; & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi*, hoc eſt, ſic ad iuſſiones meas exequendas intentus pergas, ut neminem eundo uideas, quem ſalutes, & reſalutes. Et ſanè ſi tanta cum feſtinatione faucijs ſuccurrendum eſt corporibus, quanta cum feſtinatione ſauciis, ægrotisq. ſuccurrendum eſt animis? ſi ſecularibus noſtris negotiis intenti, nonnunquam ita per uias pergimus, ut amicos obuios ne uideamus quidem, nedum ſalutemus; quomodo per uiam nobis eſt ambulandum, dum

B

Iudic. 6. 12.

infra verſ. 11

Luc. 1. 28.

Mat. 28. 9.

Luca 24. 36.

Luca 10. 5

Lyranus ibi.

C

Nemo eſt, qui ſaluus dici poſſit, dū viuit.

Salutandi obuii amici ex animo, nō ex adulatione.

D

4. Reg. 4. 29.

con-

conuerſionem animarum meditamur? itaque commendat potius, quàm prohibet Chriſtus ſalutationes, dum illas in via fieri vetat. Hinc dicimus, licitum cuiq. eſſe ſalutationem appetere, tum quia, vt vidèmus, bonæ ſunt, & ab ipſo Chriſto approbatæ, tum etiam quia cum licitum ſit nobis ſalutare, licitum etiam eſſe debet illas optare, vtpote ex conſuetudine iam debitas inter homines, dummodo, vt faciebant Phariſæi, quos Chriſtus corripuit, ad vanam oſtentationem, & gloriam illas non quæramus: quinimmò grauiter peccant, qui eas ſeruis Dei per contemptum negant. Oſtendit hoc Dominus, dum regiam Valentini imperatoris ſellam, vbi ſedebat, igne cæleſti combuſſit, ex eo quia ingredienti ad illũ ſancto viro Martino, aſſurgere non volebat. Errare etiam illos non tantum dicimus, qui ſplendore pomparum ſuarum, vel diuitiarum ſuperbos ſibi æquales non ſalutant, aut plebeios, ſe obuiam demiſsè ſalutantes, ac ſi communi ſalutatione indigni eſſent: ſed illos etiam, qui ſeruos obuios non hilari ſalutatione recipiunt; ſed rugatis potius, vt aiunt, ſupercilijs, inflatis inſuper buccis ita eos alloquentes, ac ſi non homines: ſed bruta eſſent animantia: quos non mirum, ſi deinde habeant contumaces, & mercenarios, vel parum ſedulos, vel infideles, quibus officij magiſter timor tantummodo eſt, & lucrum.

Licitum eſt vnicuique ſalutationẽ appetere, dummodo nõ ad oſtentationẽ.

Peccant qui ſeruos Dei per contemptum ſalutare recuſant.

Quare, vt ſapiens ait, *ſeruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua: quaſi fratrem, ſic eum tracta*. Sic Booz tam humaniter erga ſeruos ſuos ſe habuit, vt, dum aliquando inuiſeret meſſores, non prius eos ſit alloquutus, quàm benignè ſalutauerit, dicens: *Dominus vobiſcum*. His itaque propoſitis exemplis, diſcamus nos inuicem comiter ſalutare, non in via, hoc eſt, occaſione ſumpta conſuetudinis; ſed in domo, hoc eſt ex corde, alter alterius ſalutem deſiderantes.

Eccli.7.23

Ruth. 2.4.

VERS. VII.

At ille dixit: ex filijs Iſraël: & Tobias dixit ei: noſti viam, quæ ducit in regionem Medorum?

1 *Raphaël cur ſe dicat vnũ ex filijs Iſrael.*
2 *Angeli in miniſterium miſſi, ſemper beati faciem Dei vident.*

EX *filijs Iſrael:* non quidem ſecundum carnem, vt putauit Tobias, ſed ex illis, qui aſtant ante Deum, vt inferius ipſemet Angelus docuit, dum ait: *Ego ſum Raphaël Angelus vnus ex ſeptẽ, qui aſtamus ante Dominũ.*

Infra Tob.12 15.

Eſt enim Iſraël idem, ac videns Deum: etenim Angeli in æuum ſempiternum beati, licèt in miniſtenium noſtrum mittantur; nunquàm tamen Deum videre deſinunt, vt Chriſtus manifeſtè docuit, dicens: *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris mei, qui in cælis eſt*; etenim nec locus, nec exterior occupatio illos impedire poteſt ab altiſſima diuinæ eſſentiæ contemplatione, in qua beatitudo ſita eſt: non locus, quia experientia ipſa nos docet, intellectiuam cognitionem non alligari diſtantiæ, aut propinquitati loci, ſicuti ſenſitiua: facilè enim quancunque rem nobis cognitam, licèt noſtris obtutibus remotiſſimã, conſideramus, nec, licèt difficile eſſet, *Deus longè eſt ab vnoquoq; noſtrum*, vt B. Paulus ait; *in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* quare vbiq; à potentia cognoſcitiua, ad cognoſcendum diſpoſita, cognoſci poteſt: neque enim exiſtimare debemus, cælum Empyreũ ita eſſe locũ beatitudinis, vt alibi nequeant eſſe beati, etenim in terra, in aëre, & in quacunque vniuerſi parte, immò in ipſo inferorum carcere, eo modo beatos eſſe poſſe, quo in cælo Empyreo, oſtendit Chriſtus, dum latroni in cruce pendenti ait: *Hodie mecum eris in paradiſo:* quod præſtitit quidem non in cælo Empyreo; ſed in inferuo, in ſinu, inquam, Abrahæ, & limbo Patrum, vbi latronis animam illa ipſe die excepit, qui locus eo tempore paradiſi nomen eo iuſtius merebatur; quantò magis Ieſu Chriſti præſentia illuſtrabatur, diuinæque eſſentiæ manifeſtatione beatificabatur. Meritò itaq; Auguſtinus: *Angeli*, inquit, *cum mittũtur, nunquam ab eorum contemplatione Deus, à quo reficiuntur, abeſt: non quòd illi ſpiritus vbique pariter poſſint eſſe, qui mittuntur; ſed quod Dominus, qui vbique eſt, ab ijs, qui diſcurrunt ſemper in omni loco, cum ſui imitatione conſpicitur; vnde ſcribitur: millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei: vtrunque enim ſuprema poteſtates pariter faciunt, quia adminiſtrant, dum mittuntur, & aſſiſtunt, dum contemplantur.* Et Gregorius; *Angeli*, ait, *cum ad nos veniunt, ſic exterius implent miniſterium, vt tamen nunquam deſint interius per contemplationem; & mittuntur igitur, & aſſiſtunt, quia & ſi circumſcriptus eſt Angelicus ſpiritus; ſummus tamen ſpiritus ipſe, qui Deus eſt, circumſcriptus non eſt. Angeli igitur, & miſſi, & ante ipſum ſunt, & quolibet miſſi veniunt, intra ipſum currunt.*

Angeli in miniſteriũ miſ ſemper faci Dei vident.

Matt. 18 10.

Act.17. 27 28.

Luca 23. 43.

Aug. ſeu Auc lib. de diſpoſ vnin. qui habetur in 7. inter opera quædam S. Aug Rems apud Auguſtinianos.

Angeli ad homines miſſ. ſemper Deo fruuntur.

Greg. li. 2. moral. c. 2. & ho. 34 in Euang. poſt med.

Nec obſtat, vt obſeruat Beda, quod B. Petrus Apoſtolus, de Deo loquens, dicat in ſua canonica: *in quem deſiderant Angeli conſpicere: Nam benè*, ait ille, *vtrũmq. eſt: etenim veraciter credimus, quod Deum Angeli vident, & videre deſiderant, & habent, & habere feſtinant, & amant, & amare*

Bed. in li. qq. q. 9. de Angel. tom. 8.

Angeli qui Deum deſiderare dicũtur

nituntur. & infra: *deſiderant ſine labore, & ſatiantur: deſiderant ſine labore, & ſatiantur ſine faſtidio; ne enim ſit in deſiderio neceſſitas., deſiderantes ſatiantur: & iterum ne ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant: vident enim Angeli faciem patris per ſatietatem; ſed quia ſatietas iſta faſtidium neſcit, Angeli deſiderant in eo conſpicere ſemper*.

S.Tho.p.p. q. 112.a.1.ad 3

Non impedit deinde eorum beatitudinẽ, nec minuit externa occupatio, vt S.Thomas ait, duarum operationum, quarum vna eſt regula alterius, vna non impedit, ſed iuuat, alteram; ſicut non impedit artificem conſideratio regularum, & rationum artis, dum operatur in ſua arte; ſed magis tali conſideratione iuuatur. Vere itaque Angeli, qui ſuarum operationum Deum pro regula habent, ſunt ſemper eodem modo videntes Deum, ſemperq. filij ſunt Iſraël, quocunque mittantur.

Et Tobias dixit ei. Verum quia non ſatis erat Tobiæ fidelem habere virum optimum, & ſanctum, niſi etiam illum itineris ſui ducem habere poſſet, & conſequenter viarum, quæ ducebant Rages, peritum, iterum ab illo quæſiuit.

LXX.

Noſti viam, qua ducit in regionem Medorum? LXX. *Et dixit ei: ſi poſſum ire tecum in Rages Mediæ, & ſi peritus es locorum*.

Syrus. Arabs.

Syrus: *Et quæſiuit ab eo, ſi poſſet ſecum ire ad Regem Medorum, & ſi experimento cognoſceret loca*. Arabs; *Noſti ne vnquam viam, ducentem ad Ciuitatem Medorum?* nimirum Rages.

Quòd iuſtitiæ, vel charitatis cauſa vti liceat verbis, geminum ſenſum habentibus, & amphibologicis.

DOCVMENTVM.

A

ILLVD diſcere ex Angelica hoc reſponſione poſſumus, nulla eos reprehenſione dignos eſſe, qui verba, geminum ſenſum habentia, iuſtitiæ, vel charitatis tuendæ cauſa, alio ſenſu enuntiant, quàm ab audiente intelligantur: Sic Angelus, vt ſuum erga Tobiam commodius miniſterium exequeretur, ſuam occultando mentem, ſe Iſraëlitam dixit, vt non Angelus, ſed homo à Tobia exiſtimaretur: ſic dum exempli cauſa quiſpiam ſummo diluculo è domo pedem extulerit, & paulo poſt nobis videntibus, reuertatur, ſi occurrat ſicarius, & à nobis percontetur, ſitne ille domi; citra mendacium ſeruandæ eius vitæ cauſa; reſpondere licet, ſummo mane egreſſum. Sic in ſimili caſu narrant aliqui Sanctum Franciſcum reſpondiſſe, manibus in manicis connexis, illac hominem quæſitum, non tranſiſſe: & quidem vere, ſi vera eſt narratio; & longè ante illum S. Athanaſius, nauicula fugiens, dum ex improuiſo conuerſa nauicula in perſequentes ſe, ab eiſdem interrogaretur, an vidiſſet Athanaſiũ; reſpondit, illum ſe vidiſſe, & illhac iam iam tranſiſſe: viderat enim ſe, qui modò illhac tranſierat.

Aequiuocè aliquando interroganti reſpondere licet.

In Cronic. Ord. Min.

B

Nauar. man. c.12.n.8.;18. 19. Sot.li.8. de iuſtit.q.1. & 7. in 4. argum.

Quinimmò volunt aliqui, cælare nos poſſe mentem noſtram, non ſolum ſimilibus æquiuocis, & ambiguis verbis, ſed etiam tacita verborum reſtrictione, dum aliquod incommodum in nos, vel alios ex eius manifeſtatione reſultat, vt eſſet nimirum, cum mutuam quis à nobis expoſcens pecuniam, quam habemus, eam negaremus habere, tacitè animo concipientes ad eam mutuo dandam: quod veriſſimum eſſe conſtat ex ſancto Gregorio, qui prophetam ait Ezechielem *connectere* orationem externam cum interna, & ideò incipere ſuam prophetiam particula copulatiua. *Et factum eſt*, quod & multos alijs ſacræ ſcripturæ exemplis oſtendi poſſet; Iacob, vt habetur in Geneſi, interroganti Patri: quis eſſet: *Ego*, inquit, *ſum primogenitus tuus Eſau*, ſubintelligens iure, & priuilegio: ſic & ſancta mulier Iudith, quædam dixit, quæ vix aliter à mendacio excuſari poſſent, quam aliqua conditione, vel tacita additione addita, vel reſtrictione: quin & apud Marcum interrogatus Chriſtus de die iudicij; *de die illò*, reſpondit, *vel hora nemo ſcit, neq; Angeli in cælo, neq; filius hominis*: qui tamen cũ, teſte B.Paulo, in ſe reconditos haberet omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, benè diem illam nouerat: ſubticuit igitur ad reuelandum, vt explicant Ambroſius, Hilarius, Auguſtinus, vel, *vt legatus, & hominum doctor*, vt explicant Cyrillus, Nazianzenus, & alij: ſolet enim legatus dicere, ſe neſcire, quod non habet in mandatis, vt aperiat: & apud Ioannem idem Chriſtus ait; *Ego non aſcendam ad diem feſtum hunc*: ſubintelligendum vel modò, vel manifeſtè, vt ſoleo: etenim ad illum aſcendiſſe ſacra docet hiſtoria.

Greg. hom. in Ezech.

C

Aequiuocatio licita exemplis comprobatur.

Gen. 27. 29.

Iudith 10.

Marci 13. 32.

Coloſ. 2.3

D

Greg.li.2. ep. 42 ad Eulog. Amb.Luc.17. Hilar.li.9.de Trin. Cyril.l.9.Theſaur. c.4. Nazian. or. 36.

Io.7.28.

Non tamen exiſtimare debemus paſſim, & quauis minima de cauſa hiſce reſtrictionibus, aut ambiguis vti nos poſſe; ſed tunc ſolum, quando, vt diximus, graue damnum nobis, vel proximo immiuet, ſi iuxta mentem interrogantis, qui interrogandi legitimam non habet poteſtatem, reſpondeamus; etenim ſi paſſim his locutionibus vteremur, tolleretur abſque dubio humana conuerſatio, & charitas inter proximos: repugnant enim puritati, & ſimplicitati Chriſtianæ, ſuntq. hominum fictorum, ac duplicium notæ, impedientes non rarò æquè, ac vſus mendaciuuculorum, fidem, & concordiam hominum: nam & quis fidem habeat, etiam

E

Sophiſtica, & ambigua locutio vitanda.

Eccl. 37. 23.
ſeria affirmanti, à quo ambiguis ſæpè ſermonibus circumuentus eſt? *Qui ſophiſticè loquitur*, ait Sapiens, *odibilis eſt*, Deo ſcilicet, & hominibus, immo etiam & Angelis.

VERS. VIII.

Cui reſpondit Angelus: noui, & omnia itinera eius frequenter ambulaui, & manſi apud Gabelum fratrem noſtrum, qui moratur in Rages ciuitate Medorum, quæ poſita eſt in monte Ecbatanis.

VERS. IX.

Cui Tobias ait: ſuſtine me, obſecro, donec hæc ipſa nuntiem patri meo.

1 *Quomodo ſecunda Tobiæ interrogationi ſatis Angelus faciat.*
2 *Ecbatana quæ ciuitas.*
3 *Angeli, & homines quo modo inter ſe fratres dici poſſint.*
4 *Suſtinere pro expectare.*

SECVNDAE huic interrogationi Tobiæ vt ſatisfaceret Angelus, non modò viam, quæ ducit in Regionem Medorum ſe ſcire ait; ſed etiam omnia itinera eius frequenter ſe ambulaſſe dicit, & apud Gabelum in Rages, ad quem erat eũdum, nõ ſemel manſiſſe; in cuius rei ſignum ciuitatẽ Rages ſitam eſſe docet in monte Ecbatanis, hoc eſt, vt obſeruauimus ſupra, in monte Ecbatanorum, in monte ſcilicet, qui in ea ſitus eſt planitie, in qua iacet Ecbatanis. Erat autem Ecbatanis ciuitas Medorum maxima, vt ſacræ literæ docent, ab Artaxerſe amplè, & magnificè in planitie campi, vt hic habet Hebræus, ædificata, de qua plura Serarius in Iudith, vbi eorum etiam diluit opinionem, qui illam Tauriſum aſſumant: fuerant & Ecbatana in Syria, de quibus Plin.

Sup. c. 3. v. 7.

Iudith. c. 1 Serarius in Iudit. q. 7. & 8. Pli. li. 5. c. 20.

Manſi apud Gabelum. Indicant hæc verba, magnam fuiſſe Gabeli ſanctitatem, qui Angelos etiam cohabitantes habere meruit, & ipſorum etiam Angelorum erga nos amorem, qui frequenter nobiſcum morari non dedignantur.

Ang: lorum erga homines amor maximus.

3 *Fratrem noſtrum*, hoc eſt eiuſdem cum nobis naturæ intellectualis: nam, vt Gregorius Nyſſenus ait: *Frater quodammodo hominis animo eſt Angelus ob intellectualium connexionem*: ſunt etiam Angeli fratres hominis, quia eundem cum illo habent patrẽ Deum, cùm & creatione, & adoptione Angeli, & homines filij ſint Dei, vtrique ex profundiſſima nihili abyſſo, atque tenebris ab eodem in hanc lucem editi, ad ſui ſimilitudinem formati, libertatis, ac dominij participes effecti, multiſque demum ſupernaturalibus, & gratuitis donis cumulati. Sic etiam & vtroſque demum, quod de homine ait beatus Paulus, prædeſtinauit in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtũ: & Chryſoſtomus nunquam cenſet Angelos filios Dei fuiſſe appellatos, cum B. Paulus ſcribens ad Hebræos, dicat: *Cui dixit aliquãdo Angelorum: filius meus es tu?* tamen ibi locutum fuiſſe B. Paulum de naturali filiatione, communis patrum, & Theologorum eſt expoſitio; appellantur enim Angeli filij Dei apud Iob, vbi dicitur: *eum veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent*, & alibi: *& iubilarent omnes filij Dei*. & apud Danielem viſus eſt in fornace quartus, qui filij Dei ſpeciem habebat: *Species quarti*, ait ſacra historia, *ſimilis filio Dei*, id eſt Angelo, vt paulò poſt ipſemet Nabuchodonoſor expoſuit, dum ait: *Benedictus Deus eorum, qui miſit Angelum ſuum, & liberauit ſeruos ſuos.*

Greg. Nyſſ. de vit. Moyſis.

Epheſ. 1. Chryſ. in c. 6. Gen. hom. 22.

Hebr. 1. 5.

Angeli filii Dei appellantur.

Iob 1. 6. & 38. 7.

Dan. 3. 92

4 *Suſtine me*, Id eſt expecta me quæſo, vt etiam infra: *ſuſtinuit quaſi dimidiam ferè horam*: & Arabs: *rogo, vt expectes me*: ſic ſuſtinere Deum dicitur, qui eius remunerationem patienter expectat: Quare in pſalmis dicitur Domino: *Vniuerſi, qui ſuſtinent te, non confundentur*; & alibi: *Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.*

VERS. IX.

Pſ. 24. 3. Pſ. 26. 14.

Donec hæc ipſa. Nam licet Tobias omnia ex animo ſibi contigiſſe cum Angelo cognoſceret, talemq. ſibi reperiſſe ſocium, qualem optauerat; nihil tamen, patre ſuo inconſulto, ſtatuendum exiſtimabat, cui iuxta LXX. reſpondens Angelus ait: *Vade, & ne tardaueris.*

LXX.

Quòd nullum arduum opus aggrediendum ſit abſque conſilio.

DOCVMENTVM.

SANE dum Tobias patrem ſuum de omnibus, quæ ſibi cum Angelo contigerant, certiorem facere quærit, nec ſine ipſius conſilio, quicquãm audet ſtatuere, exemplo ſuo nos docet, nullum arduum opus ſine conſilio aggrediendum eſſe: etenim ſicut Solis fulgidam lucem ſæpè nubes obtegunt; ita intellectum noſtrum, licèt fulgentem, & perſpicuum, inconſiderantia obrepens aliquando, tenebroſum reddere ſolet: vnde ſolius Dei eſt nullius egere conſilio: nam *quis*, ait Iſaias,

A Nullus eſt adeo ſapiẽs, qui conſilio non egeat.

Iſaia 40. 13.

adiuuit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Nos vero omnes, etiam ſi plurimum ſapientes, in multis tamen offendere teſtatur B. Iacobus: *In multis*, dicens, *offendimus omnes*, ea propter, *ne ſitis*, ait, *prudentes apud voſmet ipſos:* nam licèt mirum in modum ſapiens ſis, & quæ oportet perſpicias, tamen ſicut ſapientiſſimus, & inſtructiſſimus Moyſes conſilio ſoceri ſui indiguit: ſic & tibi quicunque ſis, quomodocunque videas, conſiliario ſemper opus eſt: quod optimè cum animaduertiſſet Sapiens: *Fili*, ait, *ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebit*, docens, quæ cum ſano, ac recto fiunt conſilio, benè ſemper, prudenterque fieri, nec vnquam talia feciſſe, licèt non rectè ſuccedant, dolendum, niſi dolere velit homo de bona, & prudenti operatione. Quod cum optimè Galliæ rex Franciſcus pernoſceret, in bello Papienſi deuictus, dum captiuos varios de ſe variè loquentes audiret, ſuæque exiſtimationi nonnullos detrahentes, quòd dicerent, non prudenter ſe habuiſſe in committendo bello tam graui, tam facundo ore, vt teſtis eſt Iouius, facti rationem dedit, conſiliariorumque ſuorum rationes explicauit, vt ſi res in integrum reſtitui poſſent, ſe iterum ea, tanquam optima conditione dimicaturum, dicere minime vereretur, ſic indicans, ex eo quia bellum non ſine conſilio eſt aggreſſus, nullo pacto ſibi pœnitendum eſſe de eo, quod geſſerat, licèt illi malè ſucceſſerit. Quod adeò compertum erat antiquis, vt Chartaginienſes, referente Alexandro ab Alexandris, ſi aliquis eorum ducibus prauo conſilio, licèt felici euentu, pugnaſſet, in crucem elatus, pœnas daret, ita vt nec victoriæ triumphus, nec honor adeptus, nec hoſtium ſuperba ſpolia eum liberare poſſent. Sic maximus Thebeorum Dux Epaminondas, teſte Plutarcho, filium ſuum Eſteſibrotum è prælio victorem redeuntem, ex eo ſolo decollari iuſſit, quòd, ſe inconſulto certaſſet: quod etiam feciſſe Manlium erga filium ſuum docet Liuius: etenim prudentes viri, non quod euenerat, conſiderabant; ſed quòd moraliter ex inconſiderato certamine euenire debuiſſet. Quare non admodum curandum eſt, ſi Dei voluntate, vel dæmonis malitia, quod ſæpe accidit, contingit, vt ea ipſa, quæ prudentiſſimè ſunt conſiderata, teterrimè cadant: nam, vt Euripides ait: *vtens rebus, ſi eas benè inſtituerit, proſperè egit*: videmus enim quotidie prudenter multa tractata, non benè cadere; quæ tamen nulla vituperatione digna ſunt cenſenda. Sic, *factus eſt*, vt aiunt ſacræ literæ, *ſuper Iephte Spiritus Domini, circuiens Galaad: votum voui Domino, dicens, ſi tradideris filios Ammon in manu mea, quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, eum holocauſtum offeram Domino:* cumque primum filia occurriſſet, putans ſe voto teneri, illam mœrens in holocauſtum obtulit: ſed num quia teterrimi huius facinoris cauſa fuit, votum, Spiritu ſancto dictante, emiſſum, malè eum vouendo feciſſe dicemus? De morte Saulis, & Ionathæ certior facta nutrix Miphiboſeth, filij Ionathæ, tulit puerum, & fugit, cumque feſtinaret fugiendo, è brachijs puer elapſus, vt ſacra refert hiſtoria, claudus effectus eſt: ſed num quia claudus effectus eſt, cadens, vituperanda nutrix, quæ eum ſaluare fugiendo curabat? non equidem. Prudenter itaque Iephte diuinæ inſpirationi reſpondens, votum emiſit, prudenter & nutrix curauit innocuum à morte ſubtrahere; & licèt non rectè illis euenerit, vterque tamen prudenti operatione laudandus. Ex quo manifeſtum apparet, non ex euentu, ſed ex operatione ipſa prudenti laudem operis pendere. Operandum itaque in arduis omnibus cum conſilio, vt exemplo ſuo nos docet Tobias, nec vnquam facti, ſicut Sapiens docet, nos poenitebit.

Iacob. 3. 2.

B

Exod. 18.

Eccli. 32. 24.

Quod fit cũ conſilio benè fit, licèt malè ſuccedat.

Conſilia operа perpẽdenda.

Iou. li. 6. de vit. Ferdinã. di Daualy Piſcarij.

Alex. ab Alex. li. 4. c. 6.

Plutarch. li. de par alel. c. 25.

Liuius Decad. 1. lib. 8.

D

Opera nõ ex infelici euentu damnãda.

Euripid. in Belleroph.

Iudic. 11. 29.

E

Laus operis non ab euentu iudicãda.

VERS. X.

Tunc ingreſſus Tobias indicauit vniuerſa hæc patri ſuo, ſuper quæ admiratus pater, rogauit, vt introiret ad eum.

1 *Cur dicatur Tobias ingreſſus, non regreſſus domum.*

2 *Admirari quid.*

1 TVNC *ingreſſus Tobias*: nam vix è domo exierat, quando Angelum reperit; vnde non regreſſus domum dicitur, ſed ingreſſus: vniuerſa, quæ ſibi contigerant, prout geſta fuerant, patri renuntiauit: ille verò vnde tam ſubitus eius viri occurſus, qui quærebatur, contingere potuerit, penetrare non valens.

2 *Admirans*, hoc eſt valdè mirans, & ſuper talem rem noua conſideratione ſuſpenſus, vt ſolet contingere, quando effectus cogniti non cognoſcitur cauſa, vel quando res aliqua inuſitata conſpicitur; vnde Auguſtinus: *iſta*, inquit, *ſunt cauſæ admirationis, cum vel ratio cuiuſque rei latet, vel quia ea res vſitata non eſt.*

Aug. ep. 2. ad Euod.

Digitized by Google

Arabs. *Rogauit, vt introiret.* Arabs: *rogauit eum, vt introduceret*, nimirum Angelum, & cognoſceret, quis eſſet, & num fidelis: ſic
LXX. LXX. *voca ipſum ad me, vt cognoſcam, cuius tribus eſt, ac ſi fidelis ad eundem tecum.*

Quòd puerorum præceptores tales eligendi ſint, vt magis exemplo doceant, quàm verbis.

DOCVMENTVM.

A OBSERVANDA, & imitanda ſimul mihi videtur in hoc verſiculo ſedulitas, & diligentia Sancti patris in inquirendo de eo, cui committendus erat filius: neque enim ſatis habuerat eiuſdem filij ſui relatione, didiciſſe, virum, quem ille repererat, Iſraëlitam eſſe, & optimè viam, quæ duceret in Rages, noſſe; ſed per ſe ipſum cuiuſnam tribus eſſet, & num ad eundum cum illo fidelis eſſet, cognoſcere voluit: ſic ſanè parentes docens, bonum quidem eſſe, pædagogos, & eos, quos cuſtodes filiorum ſeligunt, Iſraelitas, hoc eſt Chriſtianos eſſe, bonum, eos ſeligere doctores, & ſcientes viam, per quam itur in Rages, nimirum ad artes, & ſcientias; at non ſatis hæc, niſi etiam per ſe ipſos agnoſcant, bonæ eos eſſe tribus, hoc eſt bonæ famæ viros, ac tales, vt fideles futuri exiſtimentur ad eundum, & manendum cum filijs: etenim præceptores, quaſi patres puerorum, animos in ſpiritu regenerare debent; quaſi medici, eoſdem à vitijs ſanare; quaſi agricolæ, purgare primum à ſenſibus, noxijsque vitiorum herbis, & bonum deinde ſemen virtutum in eos deriuare; quaſi hortulani, ſatione in eis innouare primam ad malum pronitatem doctrina, ac philoſophia, ſeu potius legis diuinæ præceptis, naturales immutando propenſiones: quaſi paſtores regere: ac demum quaſi figuli, in rudes propemodum, ac tanquam tabulas raſas, informes ipſorum animas documenta virtutum deſcribere, ea etiam ab illis auferendo, & addendo, quæ magis videbuntur neceſſaria: quo pacto ferunt ab vrſo informes ſuos partus formari. Tales, inquam, ſunt ſeligendi præceptores, qui hæc omnia facere non modò norint, ſed etiam poſſint, ac velint. Et quidem, vt Alexander Comnenus docuit, *verbo, & opere*: neque enim ſat eſt præceptori, vt ſciat & velit pueros edocere; ſed opus etiam eſt, vt eas ipſe exerceat virtutes, quas docet: *etenim nec medici, nec pictoris nomen quiſque obtinet*, ait Nazianzenus, *niſi prius morborum naturas expenderit, aut multos colores miſcuerit, variaſque formas penicillo expreſſerit.* Talem fuiſſe præceptorem Chriſtum duo illi diſcipuli, qui Emaus ibant, docuerunt, dum eum virum fuiſſe prophetam potentem opere, ac ſermone coram Deo, & omni populo, dicebant, (*cœpit enim ille prius facere, & poſtea docere*) exemplo ſemper doctrinam ſuam veram eſſe docens: ſic completo ſermone illo, quem in monte mirabilem fecerat, dum illinc deſcendiſſet, ſanauit ſtatim oblatum ſibi leproſum, in monte docuit, in planitie ſanauit, in monte locutus eſt, in planitie eſt operatus: in monte dixit: *beati miſericordes*; in planitie vſus eſt miſericordia: in monte dixit: *beati mundo corde*; in planitie ait: *volo, mundare*. Sic Eſdras: *parauit cor ſuum*, ait ſacra hiſtoria, *vt inueſtigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Iſrael præceptum, & iudicium: nihil enim doctore frigidius*, ait Chryſoſtomus, *qui verbis duntaxat philoſophatur: neque enim hoc doctoris eſt, ſed hiſtrionis, & hipocritæ*; nam, *ſi repleta fuerint nubes*, ait Salomon, *imbrem ſuper terram effundent*; ſi nimirum quis quaſi nubes, virtutum aquis repletus fuerit, illas abundanter communicare poterit, quod non facit ille, qui quaſi nubes ſine aquis, illis eſt vacuus.

Magiſtri filiorum diligentiſſimè a parentibus de vita, moribusq. examinandi.

B

Alex. Comn. Ceſ. orient. nouell. 6.

C

Greg. Naz. de laud. Baſily.

Luca 24. 19.

Magiſter verbo, reque docet.

D

1. Eſdra 7.9.

Chryſ. hom. 1. in act.

Eccli. 11. 3.

E Hinc Beatus Paulus Timotheum aliorum doctorem inſtituens, illi præcepit, vt exemplo præcipuè ſuo, alios erudiret, dicens: *Exemplum eſto fidelium, in verbo, in conuerſatione*, &c. vbi Græcè loquitur τύπος γίνου τῶν πιστῶν, hoc eſt typus eſto, ſeu exemplum fidelium, ex cuius ſcilicet intuitione, fideles dignoſcere valeant, quid illis in vita operandum ſit: ſic etiam de ſe ipſo, *imitatores, ait, mei eſtote fratres, & obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram*. Græcè τύπον ἡμᾶς, hoc eſt, ſicut habetis nos typum, & exemplar: nam & quid magiſtro illo turpius, qui cum teſte Aeliano, puerum, quem per viam ducebat, ficum vidiſſet, humi iacentem ſuſtuliſſe, illum vehementer obiurgans, & de manibus extorquens, non illam, ſicut debuiſſet, proiecit; ſed impudentiſſimè comedit? quid, inquam, turpius; quàm magiſtrum in ea ipſa re peccare, quam in diſcipulo acriter reprehendit. Sanè, vt pulchrè Iſidorus ait, *qui non viuit, ſicut docet, ipſam, quam prædicat, veritatem contemptibilem facit*: quia, ſicut docet Chryſoſtomus, *non tam conſiderantur ea, quæ à nobis dicuntur, quàm quæ à nobis aguntur, licèt infinities tantum phi-*

1 Timoth. 4.12.

Philip. 3. 17.

Aelian. li. 14 de var. hiſt. ex Sybarit. hiſtor.

Magiſter dänandus, qui in eo quod arguit, peccat.

Iſid. lib. 3. de ſum. bon.

Chryſ. hom. 8. in Gen.

F

loſophemur verbis, & de patientia diſſeramus, non tantum proderunt verba, quantum nocebunt opera. etenim haud facile eſt, vt quis perſuadeat, per viam eſſe eundum, quam ipſe deuitat, & illam dimittendam, per quam ipſe ambulat: quare lingua magiſtrorum docentium benè, & facientium malè, arcui peruerſo comparari poteſt, è quo ſagittam emittunt, dum eorum prauam vitam propriæ linguæ ictu confodiunt, vel regulæ tortuoſæ, à qua fieri haud vnquam poteſt, vt cætera dirigautur.

Iudic. 7.6. Sanè, vt Madianitarum potentiam Deus attereret, Gedeoni præcepit, vt ſibi eligeret milites, qui manibus ad bibendum
G aquam haurirent, quique, dum eundum eſſet ad pugnam, ſiniſtra manu faces ardentes deferrent, & dextera tubam; ſic docens, manum adiungendam eſſe ori, hoc
Magiſter opera à verbis non ſeiungat eſt operationem verbis, & voci tubæ lucis exemplar eis, qui ad ſubigendos hoſtes, vel domandas aliorum paſſiones deputantur; ſunt enim tubæ ſonantes doctorum verba: *Quaſi tuba*, ait Iſaias, *exalta vocem tuam*, & lampades in manibus virtutum actiones: *lucernas quippe ardentes in manibus tenemus*, ait Gregorius, *eum per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus*. Sic dum mitteret Deus Aggæam prophetam ad populum ſuum inſtruendum, *factum eſt*, aiunt ſacræ literæ, *verbum Domini in manu Aggæi prophetæ*, quæ certè locutio à ſcholis mathematicorum videtur deprompta, qui poſtquàm verbis demonſtrandam curauerint circuli quadraturam, linearum parallelarum, & trianguli figuris, è cathedra
H deſcendentes, earundem figurarum typum manibus ſuis ſtylo deſcribunt, ducentque exemplo, quod verbis docuerant: ſic verbum Domini in manu prophetę factum dicitur, quia, quod lex Domini dicebat, exemplo ipſe exprimebat ſuo, & opere complebat.

Iſaia 58.1 — *Greg. hom. 13 in Euang.* — *Aggea 1.3 & 2.2.*

Quare vnicunque cum Tobia curandum eſt, vt eorum filijs pręceptorem tradant, qui rectus ſit verbo, & opere, ſciatq́. non ſolùm ſcientiarum viám; ſed etiam fidelis ſit ad eundum cum pueris.

VERS. XI.

Ingreſſus itaque ſalutauit eum, & dixit: Gaudium tibi ſit ſemper.

VERS. XII.

Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video.

1 *Gaudium, quod Tobiæ Angelus eſt deprecatus, quale.*
2 *Luminis oculorum priuatio magna miſeria.*
3 *Triſtari ob infortunatos, vt aiunt, rerum temporalium euentus, an iuſtum, & præclarum virum deceat: Matthæi locus cap. 6. verſiculo 25. Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis, exponitur.*

S*ALVTAVIT eum*. De ſalutatione pluribus ſuperius egimus. Hic verò, vt mœrentis Tobiæ animum ſularetur Angelus, ad eum ingreſſus, gaudinm illi precatus eſt: & quidem non illud tympanorum, quod ceſſat, neque onagrorum, qui in puncto ad inferna deſcendunt, non mundi ſcilicet leue, & momentaneum, ſed quod optimum iu longitudine dierum per æterna ſecula durat.

Gaudium, dicens, *tibi ſit ſemper*, Hoc eſt ſempiternum. Arabs: *magnum*, quod nimirum ſolum veram ſalutem affert, gaudiũ, cui nemo dicere poteſt: *cur fruſtra decipâeris?* gaudium, cui non miſcetur extraneum, quod illud perturbet: gaudium, intra quod tantum immittitur, qui iuſtificatur vſque adhuc, & perſeuerat in finem, De quo Duminus: *Euge*, inquit, *ſerue bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudiũ Domini tui*, in ipſum nimirum Deum, qui ſicut in ſemet ipſo iurat, & in ſemet ipſo magnus eſt, ita in ſemet ipſo gaudens eſt, & beatus.

Eccleſ. 2. 2 — *Matt. 25. 21. 23.* — *Luca 19. 17.*

Et ait Tobias, quale gaudium, Arabs: *vnde erit mihi gaudium?* hoc eſt, & quomodo gaudij, & ſalutis, quam precaris, compos eſſe poſſum. VERS. XII. *Arabs.*
2 *Qui in tenebris ſedeo*, nimirum cæcus.

Et lumen cæli non video? Arabs: *& non video lumen Solis?* Hebræus: *ſi ſalus mecum, quare totum iſtud inuenit me? En ego nihil video*. Carthuſianus ita putat hæc verba debere intelligi, vt ſit ſenſus, non cupio in hac vita gaudium, cum cæcus nunc viuam, & propediem præſentibus gaudijs moriturus ſim; futura deſidero. Sed reſponſionem Tobiæ triſtitiæ, ac moeroris fuiſſe, textus ſatis apertè docet, illamque veluti quandam moderatam fuiſſe quærimoniam: quaſi dixerit. de gaudio terreno verba Angeli intelligens, ah quale gaudium habere iam poſſum, qui in tenebris miſeram vitam ago, iucundiſſimæque lucis vſura nulla fruor? Et quidem meritò, cum nihil acceptius, nihil uculis delectabilius face illa ſplendente, & lucida Solis rota, qui hominem

Arabs. — *Hebræus.* — Cæcitas grãde malum.

cum

cum homine generat, animalia, & plantas producit, ſanitatem affert, timorem pellit, ſcientiam aduehit, mundum ſpecie illuſtrat, qui tandem omnes alias creaturas viſibiles facit acceptas. Vnde Solis, lunæ, ſtellarum, maris, terræ, herbarum, florum, fructuum, fluminum, amœnitatis camporum, aliarumque rerum innumerabilium, non modicam afferentium voluptatem, aſpectu priuari; maximum fuit Aegyptiorum ſupplicium.

Solis mira virtus.

Præterea, cùm teſte Philoſopho, viſus omnium ſenſuum præſtantiſſimus ſit; eius priuationem maximum homini mœrorem naturaliter inferre neceſſe eſt: vnde meritò Tobias nullum habere poſſe gaudium cenſuit, qui viſu corporeo careret: quod non modò ad animi lætitiam, & rerum multarum ſcientiam adipiſcendam, quam omnis homo naturaliter deſiderat, ſit neceſſarius; ſed etiam ad illa omnia, quæ animalium vita requirit, nam *viſus*, inquit idem Philoſophus, *ineſt animalibus ſalutis cauſa, vt moueantur ad alimenta, & fugiant nociua*.

Ariſt. 2. de anim. c. 9.

Viſus ſenſuũ præſtantiſſimus.

Ariſt. vbi ſup.

3 Neque verò exiſtimandum eſt, quod multi perperam ſunt arbitrati, pro infortunatis, vt aiunt, euentibus, virum iuſtum, qualis erat Tobias, moderatam aliquo modo dedecere triſtitiam; cum ipſemet Chriſtus, cum abeſſet non procul ab horribili crucis tragœdia, cœperit pauere, & tædere: nec in cruce poſitus, vinum myrrhatum bibere voluerit; ne in medijs doloribus ſenſus retunderetur, aut ſtuperet, nobis ſignificans, haud velle ſe, vt in calamitatibus, & ærumnis hebeſcamus, aut conſopiamur indolentiæ, vel ſtupiditatis veterno: neue nobis conueniat, quod in ebrium dicit Sapiens: *eris ſicut dormiens in medio mari, & ſicut ſopitus gubernator, amiſſo clauo, & dices: verberauerunt me, ſed non dolui: traxerunt me, & non ſenſi*. Quare monet Ieremias: *Scito, & vide quia malum, & amarum eſt dereliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem eius apud te*; ideſt amaritudinem calamitatum ſapias, & guſtum ſumas ærumnarum, quas pro peccatis ſuſtines, vt vel hoc ſenſu, & amaritudine ad ſanam mentem reuoceris.

Marc. 14. 33.

Triſtari ob infortunatũ rerum tẽporalium euentũ haud virum probum dedecet.

Prou. 23. 34. 35.

Ier. 2. 19.

Doloris acerbitas fortitudinẽ auget.

Præterea tantum abeſt, vt doloris ſenſus extenuet fortitudinem, vt potius amplificet, atque commendet. Quare Ambroſius: *non habent*, inquit, fortitudinis laudem, qui ſtuporem magis vulnerum tulerunt, quàm dolorem: propterea apud Iſaiam Chriſtus dicitur *Sciens infirmitatem*. Quod ſi aliquando ex ſacris literis, & ſanctis patribus, ea proponuntur, quæ contrarium innuere videntur, vt eſt illud Eccleſiaſtici: *ne dederis in triſtitiam cor tuum*, & illud: *Triſtitiam non des animæ tuæ, & ne affligas temet ipſum in conſilio tuo*. Et iterum illud: *cor prauum dabit triſtitiam, & homo peritus reſiſtet illi*. & illud Ambroſij: *pretio empti eſtis: nolite fieri ſicut ſerui hominum, quia libertas noſtra in Chriſti ſapientia eſt; quæ ſententia magnis à philoſophis fluctuata, atque iactata eſt, diſputationis molimine dicentibus, quia omnis ſapiens liber: omnis autem inſipiens ſeruus; ſapiens enim non metu frangitur, non poteſtate mutatur, non attollitur proſperis, non triſtibus mergitur*, & alia multa, quæ omnem triſtitiam damnare videntur; omni dubio procul ita huiuſmodi accipienda ſunt, ac illa Chriſti, quibus omnem de craſtino ſolicitudinem prohibet: *ne ſoliciti ſitis*, dicens, &c. *reſpicite volatilia cœli*, vbi aduertere diligenter debemus, quomodo hæc præcipiantur, & quo fine, etenim cùm dixiſſet: *non poteſtis duobus Dominis ſeruire, Deo, & Mammonæ*, nequaquam negat haberi piè poſſe diuitias mammonæ nomine ſignificatas; ſed illis, & Deo nos ſeruire poſſe: etenim qui cor ſuum ita diuitijs apponunt, vt Deum ex illis quodammodo ſibi faciant, honorem Deo debitum, creaturæ tribuunt: ſed cùm Deum toto quidem animo colunt, res verò omnes, quæ infra ſe habent ſibi ſubiectas retinent, vni ſoli Deo ſeruiunt: ita qui triſtitiæ, qui affectionibus ſuis ſeruit, illaſque ſequitur, ille triſtis, ille auarus, ille iratus dicitur, quibus, qui vti nouit, eaſque ad rationem inflectere, opportunam, & commodam operam ex illis accipit. Quod verò inferius dicemus, ſanctiſſimos viros, & omnes penè martyres etiam cum externo gaudio lætanter aduerſa, & mortem ipſam toleraſſe, diuina illa conſolatio fuit à dono fortitudinis dimanans, quâ magis agebantur, vt Sanctus Thomas docet, quàm ipſi agerent; procedunt enim talia dona peculiariter ex quodam Spiritus Sancti inſtinctu, quo mens plerunque mirabiliter ſolet agi, & impelli ad quædam opera præſtanda, quorum vix aliqua poteſt ratio reddi, neque ſciri, quo pacto ad ea homines impellantur. quare ſicuti nulli humanæ rationi, aut alij ordinariæ regulæ eſt adſcribendum, quòd Sampſon, concuſſis domus columnis, ſe, & omnes, qui aderant, interimeret, ſed dono fortitudinis: ſic, vt etiam quod Eleazarus ſe beſtiæ ſupponeret, vt ſuo triumpho ſimul cum beſtia ſepeliretur; & dono conſilij, quod Salomon adhuc paruulus duodecim annorum, illud mirabile iudicium faceret ad veram matrem viui pueri reperiendam: ita ſanè cum nulli humanæ rationi, aut aliæ ordinariæ regulæ adſcribi poſſit tantum ſanctorum gaudium, & exul-

Ambr. ſuper illud Luc. 22. para ſi vis.

Iſaia 53. 3

Eccli. 38. 21.

Ibid. 30. 22.

Ibid. 36. 22.

Ambroſ. in Pſ. 104.

Matth. 6. 25. 26.

Solicitudinẽ prohibet Chriſtus, quę nos à recto auocat.

Infr. doc. 1.

S. Tho 1. 2. q. 68. ar. 2. 3. 8.

Donum eſt Spiritus ſancti in aduerſis gaudere.

Iudic. 16. 29. 30.

1. Macha. 6.

3. Reg. 3. 25.

tatio in aduerſis, ſine dubio dono Spiritus eſt adſcribendum, quo impulſi talia præter omnem humanam rationem, aut aliam regulam ſunt operati. Nihil itaque minus perfectè egiſſe Tobiam putandum eſt, ſi tali impulſu non agitatus, mœrens, ac triſtis eſſet in ſua cæcitate, licèt tanta fortitudine, & patientia præditus, vt immobilis perſiſteret, gratias inſuper agens Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.

Quòd ſpiritualiter gaudendum ſit in ipſis etiam tribulationibus.

DOCVMENTVM I.

A

SANE ſpiritualiter omnibus gaudendum ſemper eſſe Angelus docet, dum Tobiam ſalutans, dicit: *gaudium tibi ſit ſemper*: rationem aſſignat ſapiens, *quia*, inquiens, *cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore autem animi deijcitur ſpiritus.* & alibi: *animus gaudens ætatem floridam facit. Spiritus triſtis exſiccat oſſa.* quod non tantum de oſſibus corporis, ſed de animi etiam vigore intelligendum eſt: nam ſicut triſtitia oſſa deſiccat; ita animi vigorem omnino atterit, atque extenuat, dum illum in oratione aridum, & ad bona opera tardum, languidumque reddit. Quamobrem ad ſemper gaudendum nos etiam Beatus Paulus hortatur dicens: *gaudete in Domino ſemper*: quod vt ſeriò ſe præcepiſſe oſtendat, ſubdit: *iterum dico gaudete*. Hinc Palladius Apolli, cuius nomen inter veteres Patres celebre eſt, ſententiam fuiſſe docet: indecorum Chriſtiano viro eſſe, luctum, & triſtitiam, ſuoſque diſcipulos, quos ad quingentos habebat ita inſtituere conſueuiſſe, vt ſemper alacres eſſent, nec vllam in terris aliquando lætitiã, atque exultationem videre licuiſſe ait, cuiuſmodi inter illos perpetua erat; dicebat enim non decere eos triſtes eſſe, qui tam certam ſpem habeant felicitatis æternæ, & quidem Gentilibus, aut Iudæis, aut etiam improbis Chriſtianis luctum eſſe relinquẽdum iuſtum, ac uerum: at verò Dei famulis ſemper eſſe lætandum: quod ſi qui terrena animo agitant, gaudent in rebus terrenis, religioſi, qui tanta bona, & præſentia tenent; & futura tam certò ſperãt, cur non perpetua quadam lætitia perfruantur? Sic Pater ille, & verè. Nec obſtat quod Chriſtus ait: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* cum ille non de corporali luctu loquatur; ſed, vt Oecumenius docet, ſpirituali mortificationis, & peccati: *neque enim præcipit*, ait ille, *mundi lucrum, hoc eſt, vt propter cognatorum, vel affinium amiſſionem lugeamus; ſed Spiritualem, vt lugeamus peccata.* Nec B. Paulus, de mundi huius gaudio loquitur; ſed cæleſti, propterea etiam addit, *in Domino*, & Angelus hic addit, *ſemper*: quare nec ſine gaudio luctus ille eſt: vnde & ipſi, qui in Domino lugent, ideò beatificantur, quia conſolabuntur, nimirum gaudio in Domino ſempiterno, qui enim gaudent in Domino, & ſi lugentes torquerentur, & lacerentur; gaudio tamen ſemper afficiuntur, ſicut Pſaltes ait: *Secundum multitudinem dolorum meorum conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* & Chriſtus Apoſtolis: *Mundus autem gaudebit, vos verò contriſtabimini; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.*

Et quidem gaudent ſerui Dei in ipſis etiam tribulationibus, ſcientes, vt Beatus Paulus ait, *quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem.* Nec mirum: nam ſi faber ferrarius ferrum emolliendo, & aliquid ex illo operis faciendo, gaudet, & cantat, quoniam ex illo mercedem expectat; cur iuſtus dolorem ſuſtinens, & ſe ipſum in tribulatione molliens, nõ gaudebit, atque cantabit? ſiquidem non ſolam mercedem futuram, ſed præſens bonum, & illud magnum ſibi parari patientiæ, & probationis intelligit.

Ea enim eſt differentia, vt obſeruat Chryſoſtomus, inter labores alicuius rei temporalis gratia exantlatos, & labores Dei cauſa ſuſceptos, quòd illos nulla præſens delectatio minuit; iſtos autem præſens voluptas non modicum afficit: *In rebus*, inquit, *huius ſeculi certantes quidem, laborem, ac dolorem, miſeriamque ſuſtinent, coronæ verò, & præmia accepta voluptatem demum apportant: hic verò ſecus, nihil enim nobis minus iucunditatis afferunt certamina ipſa, quàm certaminum præmia.* Cauſam deinde aſſignans, ſubdit: *tribulationes enim ipſæ in ſe ipſis bonæ ſunt: qua ratione? quoniam ad patientiam imbuunt.* Conſiderationem etiam futuri gaudij tribulationibus promiſſi, non modicum in ipſis met tribulationibus afferre gaudium, docuit Chriſtus, vbi ſuos alloquens: *Beati*, inquit, *eſtis, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſus vos, mentientes propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Ex quo factum eſt, vt licèt duriſſimumquid eſſet, flagella, vincula, & carceres tolerare; ferrent tamen illa ſancti viri non patienter modò, ſed etiam lætanter: Sic Beatus Lucas: *ibant*, inquit, *Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contume-*

liam

Prou. 15. 13.
Ibid. 17. 22.
Triſtitia languoris mater.
Phil. 4. 4.
B
Pallad. in hiſtor. Lauſiaca vita 52.
Gaudium religioſos decet.
C
Matt. 5. 5.
Oecumenius in ep. ad Philip. pen.
Lugẽtes qui conſolentur
D
Pſ. 93. 19.
Io. 16. 20.
Gaudent ſerui Dei, etiam in tribulationibus.
Rom. 5. 3. 4.
E
Chryſoſt. hom. 9. ad Rom.
F
Matth. 5. 11. 12.
G
Act. 5. 41.

lsam pati. Et exultabat B. Paulus, gaudioq. triumphabat, *repletus* inquiens, *conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*. Et alibi: *ſed & ſi immolor ſuper ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis, id ipſum vos gaudete, & congratulamini mihi.*

2 Cor. 7.4. Phil. 2.17. 18.

Tribulatio iuſtis gaudiũ parit.

H

Tiburtius, dum pedibus nudis ſuper ardentes carbones, iuſſu Fabiani præfecti, incederet; gaudens ait: *mihi videtur, quòd ſuper roſeos flores gradiar*. Mercellianus, & Marcus eiuſdem præfecti iuſſu in ſtipitem ligati, dum eorum pedes acutis confixi ſunt clauis: *Ecce*, clamabant, *quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum & nunquam tam bene epulati ſumus, quia modò cœpimus eſſe fixi in amore Chriſti, vtinam nos ſic eſſe permittas, quandiu huius corporis tegimur indumento*: etenim vbi cor noſtrum diuinæ charitatis igne ſuccenditur, ſempiternique gaudij ſpe inflammatur, nullis aquarum tribulationibus obrui poteſt. Sic Spiritus ſanctus in canticis: *Aquæ multæ*, ait, *non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Verum ſi aquam ſuaptè natura grauem, cum calefit, ac feruet, aſcendere, ac ſaltare quodammodo conſpicimus, quid mirum eſſe debet, charitatem, amoremq. cæleſtium illum extollere, gaudioque replere exultationis, quem res aduerſæ deprimunt?

Baron. tom. 2. ann. Chriſti 286. S. Fabianus.

Cant. 8.7.

I

Refert Metaphraſtes, Danielem Stylitam pœnitentiæ cauſa anno Domini quadringenteſimo ſexageſimo in ſublimi deguiſſe columna, tantoque diuini amoris igne ſuccenſum, in ea victitare conſueuiſſe, vt quodam tempore cum hyems eſſet, eaq; glacialis, & valdè aſpera, ſæuientibus interim ventorum procellis, ac denſis niuibus; omnia circunquaque loca operientibus, iamq; habitus monaſticus vi tempeſtatis excuteretur, adeo vt præ frigore putaretur enecatus, manſerit tamen immotus in iſta tam horrendi frigoris, niuisq. ſæuitia in diem vſque ſecundum, vel tertium, donec monachi admotis ſcalis inſtar dormientis eum repererunt, ad quos, cum ad ſe redijſſet, *Ecquid*, inquit, *moleſtiam mihi affertis, & ſuaui oppreſſum ſomno vexatis?* Verum non habent amorem iſtum cæleſtium, ex quo tale gaudium oritur, qui terreſtrium non contemnunt, ſeſeque mortificant: neque enim fieri poteſt, vt terreſtri ſimul, ac cæleſti gaudio lætemur: quare ſicuti Sara vxor Abrahami, videns Iſmaëlem filium ſeruæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, indignabunda illum eijci ſimul cum matre præcepit; *Eijce*, dicens, *ancillam hanc, & filium eius*; ſic dum vna ludentes, & gaudentes, videntes paſſiones carnis cum animi affectibus illas eijcere & carnem mortificare debemus, haud licere conſiderantes ancillæ filios liberè cum filijs gaudere.

Sur. tom. 6. die 11. Decembr. c. 32. eius vit.

Pœnitentia ſanctis viris iucũdiſſima.

K

Gen. 21. 10

L

Etenim ſicuti Gedeonis milites victoriæ gaudium obtinere non valuerunt, niſi lagenarum fractione, ita nec nos, qui, vt B. Paulus ait, theſaurum cæleſtis gaudij in vaſis fictilibus noſtri corporis gerimus, illo frui poſſumus, niſi per carnis mortificationem: neque enim fert terra fructum, niſi aratro conuulſa; nec vicit Iacob luctam, niſi percuſſus in femore: nec adeptus eſt Moyſes gaudium legiſlatoris, niſi poſt ieiunium quadraginta dierum: nec amputauit Iudith caput Holofernis, niſi poſt cilitium, & pœnitentiam.

Iudic. 7. 10.

Gaudiũ ſpiritus, & carnis non conceditur.

2. Cor. 4.7

M

Gen. 32. 32.

Exod.

Iudith. 8.

Quare ſicuti videns Iephte filiam ſuam, tympanis, & choris exultantem, & tripudiantem, ait: *Heu me filia mea decepiſti me, & ipſa decepta es*, illamq. ſicuti vouerat, primo ſibi occurrentem in holocauſtum Deo obtulit, ita ſancti viri, vt quod in baptiſmo promiſerunt, Deo reddant, occurſantem, ſeu magis incurſantem carnem, & mundi gaudia præferentem, in holocauſtum mortificationes mactant, Deoq. ſacrificant, gaudio mundi dicentes, *quid fruſtra deciperis?* Sic enim hiſce mundi voluptatibus mortificatis, gaudio illo, quod Tobiæ Angelus precatus eſt, in ſempiternum fruuntur.

Conſolationes carnis mortificant, qui ſpirituales exoptant.

Quòd cum nullum in terris germanum ſit gaudium, ſine quo eſſe non poſſumus, illud è cœlo petendum ſit.

DOCVMENTVM II.

VT etiam oſtendat Tobias, nullam eſſe homini cauſam gaudij, dum in hac vita incertus de diuinæ gratiæ luce viuit, *quale gaudium*, ait, *mihi erit qui in tenebris ſedeo? Gaudete*, aiebat Chriſtus diſcipulis ſuis, *quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*, ac nobis, quib. nulla eſt de ſalute noſtra certitudo, *nemo* enim, vt B. Paulus ait, ſcit, *vtrum odio, vel amore ſit dignus*: *Viro*, ait Iob, *cuius abſcondita eſt uirtus, & circundedit eũ Deus tenebris*, quale gaudium eſſe poteſt? *peccata quippe deſerentes*, ait Gregorius, *ad iuſtitiam tendimus, & vndè venimus, nouimus, ſed quò perueniamus, ignoramus: quid heſterna die fuimus, ſcimus; ſed quid contingat craſtina nos eſſe, neſcimus: tantis tenebris miſeri circundamur*, ait idem, *vt ſæpè opus noſtrum cauſa damnationis ſit, & profectus putetur virtutis; eſt via prouerbiorum quartodecimo, quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem: vnde ſancti viri, cum mala ſuperant, ſua etiam benè geſta formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, ne peſtifera tabes putredinis ſub boni ſpecie*

A

Luc. 10. 20

Rom. 9.

Iob 3. 23.

Greg. li. 5. moral. c. 6.

Triſtitiæ cauſa eſt certa culpa, & incerta gratia.

lateat coloris : ſciunt enim, quia corruptionis adhuc pondere grauati, dijudicare bona ſubtiliter nequeunt, & cum ante oculos extremi examinis regulam deducunt, hæc ipſa in ſe nonnunquam, & quæ approbant, metuunt. Hæc Gregorius : Ecquæ itaque nobis tantis in tenebris poſitis cauſa poteſt eſſe lætitiæ ? quæ cauſa gaudij? quale gaudium nobis erit, qui non valemus lumen cæli videre ?

C

Gaudii nulla eſt cauſa in mundo, ſed tantum doloris.

Hæc non perpendentes miſeri mortales, non modo cum Tobia ob tantas tenebras non franguntur doloribus ; ſed potius gaudentes, diuitias, glorias, honores, voluptates, aliaque mundi bona toto conatu inquirunt, quæ cum primum ſunt conſecuti, in illis quaſi verum gaudium repererint, toto lætantur animo, & in nihilo gaudent, non ſecus ac in vero bono, de quibus Amos: *Væ*, ait, *qui opulenti eſtis in Sion, confiditis in monte Samariæ, qui dormitis in lectis eburneis, qui canitis ad vocem pſalterij, qui lætamini in nihilo*. Ecce quæ ſint voluptates illę, quibus tantopere homines delectantur, nihil *lætatur in nihilo*, ideſt in rebus vanis, quæ vanitas ſunt, & nihil. lætantur, ſicuti Ionas ſub vmbra hæderæ lætitia magna, diuites ſub umbra diuitiarum, nobiles ſub vmbra honoris, voluptuoſi ſub vmbra delectationum : at ſicuti ſubitò Ionæ lætitia cum hedera euanuit : *parauit enim Deus vermem aſcenſu diluculi in craſtinũ, & percuſſit hederam, & exaruit*, ſic vmbratile gaudium harum rerum euaneſcit : dum illæ breui tempore exareſcunt : & ſicuti qui nihilo, & vanitate paſcitur, ſemper magis exurit, ſic etiam hi miſeri, dum his mundi gaudijs, quæ nihil ſunt, repleri quærunt, ſemper maiore fame laborant. Animaduertit hoc Dauid : quare poſt indignè ſuſceptas voluptates, ſe deluſum cognoſcens ait: *lumbi mei repleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.* ac ſi diceret : dum his mundi voluptatibus repleri poſſe confiderem, peccaui : at ò me miſerum ! illuſus ſum irriſionibus, ludibrijsq. mundi dæmonis, carniſque repletus. Facit mundus, dum ſuas proponit voluptates, vt ſolet pater erga fameſcentem puerum, vberaq. matris lacrymis affectantem, cui porrigit digitum, quem ſimplex puerulus papillam mammarum exiſtimans, nec illudi ſe animaduertens auide arripit, & illum ſugendo, licèt nihil eliciat, quaſi quod poſcebat, ſit adeptus, quieſcit. Sic, inquam, mundus, dum fameſcentes homines, lacque veræ conſolationis expoſcentes, conſiderat, vt illudat, offert ſteriles ſuas voluptates, quas miſeri æquè auidè excipiunt, ac ſi lac veracium conſolationum porrigeret: at quale gaudiũ inde eliciant, ſi lætantur in nihilo? ſi lætantur in re nullius veri gaudij participe?

Amos 6. per totum.

Mundi voluptares, & gaudia nihil sũt.

D

Iona 4. 7.

Pſ. 37. 8.

E

Mundi cõſolantis fraus.

F

Ariſt. 10. Ethic. c. 4.

Verum quia, vt ipſe teſtatur philoſophus, ſine conſolationibus homo nec viuere nec operari poteſt, & experimento quotidiano compertum habemus, in eo nos opere fortes, & promptos eſſe, quod cùm aliqua tranſigimus voluptate, in eo verò langueſcere, & ab initio iam operis deficere, quod nulla delectatione perficitur, Deum enixè rogare debemus, vt aliqua nos conſolatione ſua lætificet : etenim quo pacto, vt primi noſtri parentes operarentur, & quidem, vt Auguſtinus ait, *iucundè*, poſuit eos Deus in paradiſo voluptatis : ſic ſacra hiſtoria : *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum*, & ſingulari prouidentia, atque benignitate voluptatem, & delectationem in ijs actionibus eſſe voluit, quæ ad vitam ſuſtentandam eſſent neceſſaria, vt patet in comeſtione, potu, ſomno, & ſimilibus: ſic ei, qui arduum virtutis iter arripere deſiderat, ad Deum confugere debet, à quo ſolo veræ conſolationes dimanant, & qui ſolus lacte diuinarum conſolationum animam paſcit: nam inquit per Oſeam: *lactabo eam; ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*. dulciſſimo enim conſolationum ſuarum lacte paſcit ipſe ſolus animam ad ſe confugientem, vt facilè, ac promptè ſpiritualia operetur exercitia : nam, vt ait Hieronymus; *loqui ad cor eſt blandis verbis conſolari*. Idcirco pro eo, quod in Geneſi Hebraicè legitur, quòd *Sichen locutus eſt ad cor puellæ Dinæ*, vertit ille, *triſtem deliniuit blanditijs*. Quare Dauid hanc diuinarum conſolationum neceſſitatem aduertens, ad hominum conuerſus; *Fiat*, exclamabat, *miſericordia tua, vt conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo* : Et anima iuſta in canticis : *Trahe me poſt te, & curremus*, ait, *in odorem vnguentorum tuorum*. *Trahit* enim, vt Auguſtinus probat, *ſua quemque voluptas* : nam ſicut euenire ſolet, vt graue aliquod marmor, quod nec magno hominum numero, ingenti vi è loco ſuo moueri vel digitũ poteſt, trochæa adhibita conuerti ab vno, vel paucis hominibus ad libitũ valeat, atq; in ſublime trahi : ſic piæ animæ contingit, dum in huius vitæ miſerijs tædio quodam oppreſſa, nullo auxilio conſolari poteſt, aut ad Deum trahi, quæ vbi trochæa diuinarum conſolationũ ad Deum erigitur, in odorem talium vnguentorum ad ipſum currit. nec mirum : nam ſi cicur columba, teſte Baſilio, vnguentis ſuauiter olentibus delibuta, agreſtes ita trahit ſuorum odorum ſuauitate, vt quotquot inuenerit, omnes ad columbarium adducat, quid mirum, ſi approximans agreſti animo, diuiniſq. conſolarionibus non aſſueto Deus, fragrantia vnguentorum ſuorum ita eum alliciat, vt ad virtutis columbarium trahat? & quidem non violenter; ſed *in odorem vnguentorum ſuorum* : etenim quamuis vnguenta, cæteraq. odorata id à natura

Aug. li. 8. c. 9. in Gen. ad lit.

Gen. 2. 15.

G

Conſolator vnus Deus.

Oſeæ 2. 14.

Hier. in hunc locum Oſee.

Gen. 34. 3.

H

Pſ. 118. 76

Cant. 1. 3.

Aug. trac. 26. in Ioan.

I

Baſil. ep. 175. ad Iulit.

ha-

Trahitur homo ad virtutem diuinarũ conſolationũ odore.

habeant, vt ad ſe per ſuam trahant fragrantiam; haud tamen quempiam trahere poſſunt, niſi & ipſa trahantur ab odorante; ſic haud vult Deus, quempiam inuitum trahere: ſed eum, qui ex animo, ſponteq. quas
K ipſe dat, gratias, quos emittit odores, acceptat.

O nos felices, ſi poſt talium, & tantorum adoramentorum fragrantiam curreremus; ò quantum terrena, quantum mundana omnia contemneremus! quàm expediti, quàm prompti in hac mundi militia contra hoſtes noſtros decertaremus. Nam ſicuti Ionathæ guſtanti fauũ mellis oculi præ fame caligantes aperti ſunt, vt omnia circunſtantia poſſet clarè conſpicere; ita ſanè, ſi ſemel diuinæ conſolationis; dulciſſimum guſtaremus mel, mentis oculis roborati, cum Tobia hæc mundana videntes diceremus: Et quale gaudium mihi in his eſſe poteſt, dum lumen cæli non video! ò lumen ſanctum. ò lumen diuinum. tu ſolum es, quod veras affers conſolationes: diceremus ſanè cum Ionatha, mundum in Saule præfiguratum, idcircò
L huius ſanctiſſimi mellis eſum vetuiſſe, vt milites nos Chriſti moreremur, & nihil in prælio huius mundanæ militiæ operaremur.

Conſolationes terrenas negligit, qui cæleſtes deguſtat.

1. *Reg.* 14. 29.

Turbauit, dixit Ionathas poſt mellis comeſtionem, *pater meus terram, vidiſtis ipſi, quia illuminati ſunt oculi mei, eo quod guſtauerimus paululum de melle iſto*. Et ſicut Daniel viſo Angelo Domini ſibi futura nuntianti ait: *Et ego Daniel langui, & ægrotaui per dies, cumq. ſurrexiſſem, faciebam opera regis, & ſtupebam ad viſionem*; ita nobis contingeret, ſi guſtum virtutis, & notionem
M vilitatis terrenarum rerum ſemel aſſequeremur: nam terrena omnia nobis dum amareſcerent, ſalubri languore primum deficeremus, deinde ad negotia regis pertractanda, & in Dei amorem, & obſequium noſtras vires impendendas ſurgeremus, & tandem dulcia, quæ amara putabamus, experti obſtupeſceremus.

Daniel. 8. 27.

Si itaq; nullæ ſunt in mundi rebus conſolationes, & in illis, nec virtutis iter arripere poſſumus; ad Deum qui ſolus eſt *Saddai*, hoc eſt, qui ſolus ſufficit, accedamus dicentes: *fiat miſericordia tua, vt conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo*, & cum ſponſa: *Trahe me poſt te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum*.

Pſ. 118. 76

VERS. XIII.

Forti animo eſto: in proximo eſt, vt à Deo cureris.

1 *Fortitudinis variæ acceptiones.*

Fortitudo pro animi firmitate, ſeu ſtabilitate.

FORTI *animo eſto*, Sumunt ſancti Patres non infrequenter fortitudinem pro firmitudine animi in quauis virtute exercenda neceſſaria, quod in omni virtute difficultas aliqua ſuperanda occurrat: nam, vt poëta quidam ait: *Ouid. 2. de Pont.*

Tendit in ardua virtus.

& alius:

Et via virtutis dextrum petit ardua collem, *Virg. lit. Pytag.*
Difficilemq. aditum primum ſpectantibus offert.

Quare Proſper. *Animi*, inquit, *fortitudo ea debet intelligi, quæ non ſolum diuerſis pulſata moleſtijs, inconcuſſa permanet; ſed etiam nullis voluptatum illecebris reſoluta ſuccumbat*. Verum hic fortitudinem accipit Angelus in quantum virtus eſt cardinalis, & moderatrix triſtitiæ: nam ſicut moderatur fortitudo timorem & audaciam, antequam malum euenerit, & ſuperari nequeat: ita moderatur paſſionem triſtitiæ, ne quis ſe nimium affligat, aut aliquid indecorum ex moerore faciat. *Proſp. li. 3. de vit. cõtempl.*

Fortitudo hic pro virtute cardinali.

In proximo eſt, vt à Deo cureris. Arabs. *Sanaberis de proximo*, hoc eſt, proximum iam tibi adeſt diuinum auxilium, breuique conſequeris ſanitatem, & oculorum lumen: quibus verbis animat Tobiam Angelus ad præſtantiſſimum fortitudinis genus, quale eſt ſui ipſius animi paſſiones ſuperare, & ſimul ſpe futuræ ſanitatis mœrenti ſolatium affer, e curat. *Arabs.*

Quòd animi fortitudo illa maxima ſit, quæ paſſiones animi ſuperat.

DOCVMENTVM I.

QVIA ſicut docet Ambroſius, ille tantummodò fortis animo iure dicendus eſt, qui ſe ipſum vincens iram continere nouit, nec vllis emollitur illecebris, aut inflectitur, nec aduerſis perturbatur, nec ſecundis extollitur, nec quaſi vento quodam variarum rerum circunfertur mutatione; nemo erit, qui veram hanc animi fortitudinem, quam Tobiæ Angelus præcipit, adipiſci valeat, niſi proprias animi paſſiones in primis tolerantia ſuperare curet: nam ſicut optimè præmonuit Sapiens; *melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium*, Melior, ideſt maior, atque præſtantior, quia videlicet operoſius, difficiliusq. eſt affectus immoderatos cohibere, & ſenſuum petulantiam compeſcere, quàm viſibiles aduerſarios expugnare, & in ſe ipſo inclusam ſuperare iracundiam, quàm leonem: & cupiditates auidiſſimas coërcere, quàm rapaciſſimas deijcere volucres, & libidinem ſuperare pudoris, ac famę debellatri-

A *Amb. de offic. li. 1. c. 36.*

Prou. 16. 32.

B

Lactan. lib. 1. diu. inſt. c. 9.

cem,

cem, quam bellatricem Amazonem,& vitia de corde egerere, quæ magis ſunt pernicioſa, quia domeſtica, quàm fimum de ſtabulo, & propria tandem mala, quàm illa, quæ & vitari poterant, & caueri. Sic animum ſuum coërcuit Dauid, dum in ſpe-
1.*Reg.* 4. lunca ſuorum hortatu Saulem erat perfoſſu-
2.*Reg.* 6. rus, niſi ſe cohibuiſſet, & aliàs conceptum in Nabal facinus,mitigato dictis Abigail,furore refrænabat, ne cum tota familia funditus euerteretur.

C Quin & ipſe ethnicus Ageſilaus Rex Lacedæmonum pluris feciſſe dicitur vnicum animi affectũ domare, quàm munitiſſimam aliquam ciuitatem armata manu expugnare. Vnde Gregorius: quam habuit de ſe ipſo vi-
Greg. li.27. moral.c.27. ctoriam Dauid, quando coram arca ſaltauit, à Nichol deſpectus,omnibus alijs eius ſplendidis trophæis mirè præpoſuit. Hinc opti-
Horat. lib.1. epiſt. mè Horatius.

Animum rege, qui niſi paret,
Imperat, hunc frenis, hunc tu compeſce catenis.

Sanè, vt eiuſmodi noſtræ cupiditatis victores eſſemus, ab initio Deus homini liberam ſuæ voluntatis, atque arbitrij fecit poteſtatem, vt quo eſſet in victis maior igno-
D minia, eò maior eſſet in vincentibus gloria: Sic in vno Cain omnibus mortalibus dixit:
Gen. 4.7. *ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*: cui conſonat, quod dicit Eccleſia-
Eccli. 15.14. ſticus: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.*& ali-
Qui ſibi dominatur rex merito dicendus. bi:*appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Vnde & benedicit Proſper: *non caret regia poteſtate,*
Proſper. *qui corpori ſuo nouit rationabiliter imperare.*

Quòd mœrentes animo conſolari maximum ſit opus miſericordiæ, compaſſione potius exercendũ, quàm verbis

DOCVMENTVM II.

A DOCET etiam nos Raphaël, dum Tobiã conſolatur, mœrentes eſſe conſolandos, vt etiã alij non pauci ſuo exemplo nos docuerunt Angeli;
Gen. 21. nam & alium legimus Angelum conſolatum fuiſſe Agar, dum illa cum filio ab Abraham dimiſſa, per ſolitudinem mœrens erraret: alium item conſolatum
3.*Reg.* 19. fuiſſe Eliam, dum Iezabelis furorem deui-
Angelorum eſt conſolari mœrentes. tans, apud Iuniperum conquieſceret: alium conſolatum eſſe Chriſtum, dum in horto grauiſſimis curis anxius triſtari cœperat.
Seu. Sulp. de vit. S. Martini cap.4. & dialog.3. Sanctum Martinum, dum teſte Seuero Sulpitio,non vulgari mœſtitia triſtatus ingemi-
B ſceret: Sanctum Iſaacium medijs in ſpinis poſitum: Sanctum Marcum, Sanctum Elphagum,in tetros carceres coniectos, Sanctum Romanum, S. Agatham in Martyrio, & alios propemodum infinitos, quos nimis longum eſſet recenſere: Sed multo efficacius iſtud idem nos docuit ſuo exemplo Chriſtus Dominus, cuius illa eſt dulciſſima inuitatio: *Venite ad me omnes, qui laboratis, &* *Matth.* 11.
onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quod re 28.
ipſa præſtitit, dum ad conſolationem viduæ Naim filiũ illius vitæ reddidit; & Magdalenæ, & Marthæ miſeratus, fratrem eorum Lazarum viuum reſtituit, & ad regulum mœrore leuandum,puerum eius à morte excitauit: & ad ſolamen matris ad crucem ſtantis, illam virgini diſcipulo commẽdauit: ob idque etiam cæcis viſum, mutis loquelam, ſurdis auditum, clandis greſſum, C
ægris denique quocunq; genere morbi reddidit ſanitatem. Quare non ſolum opus eſt Angelicum conſolari mœrentes; ſed etiam diuinum, & ſummæ, vt ita dicam, miſericordiæ: nam, *ſicut tinea veſtimento*, ait Sa- *Prou.* 25.
lomon, *& vermis ligno, ita triſtitia viri* 20.
nocet cordi. Sunt fideles myſticum Chriſti Triſtitiæ dãna grauiſſima.
templum, & veſtimentum, quia, vt Beatus Paulus ait, habitat Chriſtus in eis:*Vos eſtis*, 1.*Cor.* 3.
inquiens, *templum Dei, & Spiritus Dei ha-* 16.
bitat in vobis; &, vt Iſaias, illis ſicut veſtimento decoratur. Sic: *in ſublimitate tua*, *Iſai.* 4.9.
ait, cum Chriſto loquens, *omnibus his,velut veſtimento veſtieris*.nam,ait Gregorius: *Greg.in pſ. 1. pœnit ibi. Et ſicut opertorium mutabis eos, &c.*
ſicut veſtimentis ſuis homo circundatur, ita ſanctis ſuis Deus veſtitur. Verum ſicut veſtimentum à tinea corroſum, & lignum à D
verme conſumptum, inutilia ſunt ad veſtimentum, & templi ſtructuram; ita fideles à triſtitiæ verme roſi, deſinunt eſſe Chriſti veſtimentum, & inhabiles fiunt ad ſtructuram, & ornamentum myſtici templi. Etenim, Caſſiano teſte: *Edax triſtitia, ſi paſſim per* *Caſſ. de inſt. mon.c.6.li.9.*
ſingulos incurſus, & incertos, & varios caſus obtenebrandi animum noſtrum habuerit facultatem, ab omni nos per momenta ſeparat diuinæ contemplationis intuitu, ipſamque mentem ab vniuerſo puritatis ſtatu deiectam, funditus labefactat, ac deprimit: orationes eam explere eum ſolita cordis alacritate non permittit: non ſacrarum lectionum ſinit remedijs incumbere: tranquillum quoque, ac mitem fratribus eſſe non patitur, & ad cuncta operationum, vel religionis officia impatientem, & aſperum reddit,omni- E
que perdito ſalubri conſilio, & cordis conſtantia perturbata, velut amentem facit, & ebrium ſenſum, frangitque, & obruit deſperatione pœnali.

Hęc omnia grauiſſima mala à proximi animo pellit, qui eum verbis, & factis conſolatur: nam ſi offendit mœror animi tenebras, ne cæleſtia homo intueri poſſit, reddit lucem lætitia, qua diuina, Deumque ipſum

Digitized by Google

cum gaudio contempletur: itque ſupprimit illa animum, ne ſe ad ſuperna attollat; erigit hæc, vt omnia inferiora contemnat: ſi orantes illa interturbat; facit hæc, vt in conſpectu Domini ſint cum exultatione: ſi illa à ſacris lectionibus arcet, efficit hæc, vt
F eas ſuauiſſimum pabulum ſentiat: ſi illa fratribus reddit hominem intolerabilem, & quaſi inſanum in deſperationem agit; hæc lenit, ac temperat, fiduciaq. diuina illum replet: & tales denique reddit, vt veſtis iterum, ac templum Chriſti dici, vereque eſſe poſſit. ò maximum miſericordiæ opus, quo è tantis malis liberatur proximus: tantis bonis augetur. Sed quid hæc commemoro? nullum eſt miſericordiæ corporalis opus, quod non exerceant, qui Angelos, qui Chriſtum hoc vno opere imitari curant. Aſpernatur mœrens cibum; conſolatus ad eum alacris reuertitur: deperditus erat eius vel pretioſiſſimi vini guſtus, mœrore depulſo,

Opera etiã miſericordiæ corporalia exercet, qui mœrentes conſolatur.

G tenuiſſimo eſt aquæ potu contentus: atris veſtibus, & ſordidis ſquallebat; recreatus veſtimento ſe lætitiæ induit; tectum oderat, vaguſque auia. & ſolitaria loca quærebat: redit ad hoſpitium hominum nouo gaudio, & conſuetudine delectatus: vinctus duriſſimæ paſſioni laqueis tenebatur; ſoluit animum lætitia, & dulciſſimæ libertati reſtituitur: denique tanquam mœrore ſepultus, nullum ſenſum communis vitę habebat: perfuſus gaudio non in ſepulchrum infertur; ſed à morte ad vitam reuocatus videtur, manifeſtumq́. apparet, quod Salomon decet, *ſicut in mœrore animi deycitur ſpiritus; ita, mœrore depulſo, erigitur.* Quod, quàm gratum ſit Deo, infra, ipſo concedente, dicemus,

Prou.15.13.

Inf.c.10.v.6

H Verum ad tantum hoc opus miſericordiæ fructuosè præſtandum (neque enim ſemper ſuum effectum conſequitur) illud nobis conſiderandum eſt, quod B. Paulus docet: vnum nos eſſe corpus in Chriſto, ſingu'i autem alter alterius membra: quare ſiquid patitur vnum membrum, & reliqua *membra illi compati neceſſe ſit*, videlicet non niſi pio compaſſionis officio, vel ſaltem eo maximè mœrentes conſolari nos poſſe: Sin *flebam*, ait Iob, *eum eo, qui afflictus erat*: ſic & amici ipſius, dum ad eum omnibus propemodum malis obrutum, conſolandum, accederent, ait ſacra hiſtoria: *Exclamantes plorauerunt, ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cælum, & ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum.* Eſt enim miſeris in primis delectabile, vt S. Thomas docet, actuale experimentum ſumere de vera amicitia per certa, veriſſimaq́. ſigna exterioris compaſſionis, nullis etiam verbis adhibitis: qua forte ratione potiſſimum, vt docet Pineda, Angelus Chriſtum Dominum orantem, *confortabat* quadã nimirum aſſiſtentia, & ſocietate, tum etiam

Rom.12.5. Mœrentes ſolatur, qui eis compatitur.

Iob 2.12.13.

S.Tho. in Iob ubi ſup.

Pineda ibid.

conſideratione, & ponderatione eorum, quibus Chriſti anima mœroribus angebatur: adde etiam habitu, guſtuque ſimili aſſumpto, vt Chriſto aſſertore, flectente genua, ille etiam flecteret; & cum humi proſtrato, ſe quoq; proſterneret: quæ omnia amicitiæ & ſolaminis officia in diſcipulis deſiderauit; neque verba conſolationis à Petro requiſiuit; ſed attentam conſiderationem vigilantis animi, & ſocietatem quandam mœroris, atque doloris, *ſic*, inquiens: *non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Quod ſi verba ſunt proferenda, illa tantum eſſe debent, quæ animum ad Deum leuare poſſunt, & ad ſpem futuræ liberationis, vel diuinæ retributionis: Sic Angelus poſtquam dixiſſet Tobiæ, *forti animo eſto*, ſubdit: *in proximo eſt, vt à Deo cureris.* Sicut enim Caſſianus ait: *hanc pernicioſiſſimam paſſionem*, triſtitiæ ſcilicet, *ita de nobis expellere poterimus, vt mentem noſtram ſpirituali meditatione iugiter occupatam, futura ſpe, & contemplatione repromiſſæ beatitudinis erigamus: hoc enim modo vniuerſa triſtitiarum genera; ſiuè quæ ex praecedenti ira deſcendunt, ſiuè quæ amiſſione lucri, vel detrimenti illatione nobis adueniunt: ſiuè quæ de irrogata generantur iniuria; ſiuè quæ de irrationabili mentis confuſione procedunt, ſiuè quæ læthalem nobis deſperationem inducunt, valebimus ſuperare: ſed plura de hac re iterum infra.*

Optimũ conſolandi genus eſt mœrenti cõpati.

K

Matth.26.40.

Caſſian. li.9. inſt. c.13.

Inf.c.7.v.8. in ducum.

VERS. XIV.

*D*ixitq. illi Tobias: nunquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in ciuitate Rages Medorum, & cũ redieris, reſtituam tibi mercedem tuam?

VERS. XV.

Et dixit ei Angelus: Ego ducam, & reducam eum ad te.

1 *Merces operario non niſi perfecto opere reddenda.*
2 *Merces hic Angelo promiſſa quæ ex LXX.*
3 *Drachma quid.*

VERS. XIV.

Sup.c.1.verſ.

NV*MQVID poteris*. Quis Gabelus, quæ ciuitas Rages, ſupra explicauimus. Interrogat hic Tobias Angelũ, num ita viam calleat, quæ ducit Rages, vt filium ſuum ad Gabelum poſſit adducere, & deinde reducere domum: quod ſi faciat mercedem poſt reditum promittit.

Et cum redieris reſtituam tibi mercedem

tuam. Sic & pater ille familias euangelicus, [Matth. 20. 8.] qui conduxerat operarios in vineam ſuam, non prius mercedem illis neceſſariam dari voluit, quàm opus perfectum eſſet. ſic apud B. Matthæum dicitur, *cum ſero factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: voca operarios, & redde illis mercedem,* ſed quam hic mercedem Angelo Tobias promiſerit, [LXX.] habent LXX. qui ita legunt: *Dicito mihi, quam tibi ero mercedem daturus? drachmã die, & neceſſaria tibi, ſicut & filio meo, & adhuc adijciam tibi ſupra mercedem, ſi ſani reuerteritis, & benè ſenſerunt ſic.* Et quidem drachma genus eſt nummi argentei eu- [Drachma argentea æquiponderis eſt cum Regali Hiſpano, & Iulio Romano.] ſum pondere drachmæ eius valoris, cuius eſt hodie regalis Hiſpanicus, vel Iulius Romanus ſimplex; & olim, quod plerique Budæum ſecuti aſſerunt, vnius minoris denarij argentei.

[VERS. XV] *Et dixit ei Angelus.* Promiſit Seniori Tobiæ Angelus ſe fidum iunioris ducem, reducemq́. futurum. [Arabs.] Arabs: *Ego ducam eum, & reducam incolumen cum ſanitate.* quod, [Inf. hoc eodē cap. verſ. 20.] ſicut inferius adnotabimus, ſciret diuinam voluntatem: neque enim aliàs, cum, ſicut B. [Iae. 4. 14.] docet Iacobus, ignoremus quid in craſtino futurum ſit, tam aſſeueranter dixiſſet; *ego ducam, & reducam,* cum ſolius Dei ſit ſuas præparare, hoc eſt firmare, ac ſtabilire co- [Iob 22. 28.] gitationes; & Eliphaz docet, *antè rem decernere, quàm eueniat.*

Quòd bonis operibus æterna ſit parata retributio.

DOCVMENTVM I.

[A] QVAM hic promittit mercedem Tobias operi Raphaelis maximam, illam deſignat æternæ retributionis, quam Deus noſtro promittit operi. [Eccli. vlt. 38.] vnde Sapiens: *operamini,* inquit, *opus veſtrum ante tempus, & dabit vobis mercedem veſtrã in tempore ſuo. Operamini,* inqnit, *opus veſtrum,* hoc eſt, opus ſpirituale, & virtutis, quod opus eſt rationis, & hominis, illudq́. *ante tempus,* ante quam ſcilicet tempus mercedis recipiendæ adueniat: etenim duo ſunt tempora, vnum, in quo operamur, alterum in quo mercedem recipimus: eſt primum noſtrum, alienum alterum, [Gal. 6. 9. 10.] vt innuit B. Paulus dicens: *dum tempus habemus, operemur bonum, tempore enim ſuo metemus non deficiẽtes:* recipiemus [B] enim mercedem: *dabit vobis mercedem veſtram,* eam ſcilicet, quam ſua cuique ope- [Apoc. 22. 12.] ra taxauerunt: nam *ecce venio cito,* ait Dominus in Apocalypſi, *& merces mea mecum eſt reddere vnicuiq; ſecundum opera illius,* [2. Tim. 4. 8.] nimirum vt B. paulus ait, *coronam,* non quidem gratuitam, vel indebitam: ſed quam iuſtitia ipſa decernit: *iuſtitiæ,* illam ſcilicet, [Operi bono merces à Deo paratur] quam iuxta ſententiam ſuam in ipſo actu iudicij, *iuſtus iudex,* operibus vniuſcuiuſq; deberi ſtatuet, & quidem *in illa die,* non miſericordiæ, ſed iudicij. Et ne hanc bonorum operum mercedem laboribus noſtris promiſſam, ſui ipſius tantummodò priuilegium fuiſſe arbitremur͡, ſubdit: [C] *non ſolum autem mihi; ſed & ijs, qui diligunt aduentum eius,* hoc eſt, non meum hoc eſt priuilegium, ſed vnicuiq; dabitur, vt ex- [Anſel. in ep. ad Tim.] plicat Anſelmus, *qui ſibi de bona operatione erit conſcius: etenim aduentum iudicis non diligunt, niſi qui ſe in cauſa ſua habere iuſtitiæ merita ſciunt.* Hæc ille.

Verum licet merces vitæ æternæ operibus noſtris debita ſit, eſt tamen etiam gra- [Rom. 6. 23. & 8. 18.] tia: nam *gratia Dei,* ait B. Paulus, *eſt vita æterna,* & alibi: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Vnde Auguſti- [D] nus. [Aug. de grat. & lib. arbit. c. 8. ep. 105.] *Quia vita bona noſtra nihil aliud eſt, quàm Dei gratia ſine dubio, & vita æterna, quæ bona vita redditur, eſt gratia.* & alibi. *Vita æterna, meritis ſanè præcedentibus red-* [Merces quomodo operibus bonis ſit debita.] *ditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parara ſunt per noſtrã ſufficientiam; ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa vita æterna gratia nuncupatur: non ob aliud certè quia gratis datur, nec ideo gratis, quia meritis non datur; ſed quia data ſunt & ipſa merita, quibus datur.* Hæc ille.

Simile, vt Stopletonius docet, ac ſiquis [Stoplet. Dom. 7. poſt Pent. in promptuar. Cathol.] pecunia ſibi ab aliquo data, ab eodem poſtea ex eadem prædium emeret; venditio [E] enim iſta & iuſta eſſet, quia commutatio iuſta, & eſſet gratuita, quia ſuæ ipſius pecuniæ prædium ſuum venderet. Sic donat Deus vnicuiq; talenta gratiæ, vt inde negotietur vitam æternam. Quare bonus nego- [1. Cor. 15. 10.] tiator B. Paulus de ſe ipſo dixit: *gratia autem Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit; ſed abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem; ſed gratia Dei mecum,* ſic indicans, ad bonas operationes, quibus æterna merces acquiritur, ita ſe gratia Dei agnoſcere, vt ſuam cooperationem non excluderet: hinc & B. Petrus: [2. Pet. 1. 10] *ſatagite,* ait, *vt per bona opera certam* [F] *faciatis vocationem, & electionem veſtram. ſatagite:* nam multa poteſt quis breui tempore apud Deum promereri bona: etenim diuina licèt electio, vocatioq́. certa ſit, ſicut etiam certus eſt, ac infallibilis prædeſtinatorum numerus, eo tamen modo certa eſt, vt includat opera noſtra bona, tanquam media ad finem illum ſupernaturalem conſequendnm: ex quo fit, vt qui ad bona opera [Opera bona certam efficiant electionem noſtrã.] incumbit, tam ſibi, quàm alijs certam faciat, & compertam vocationem, & electionem ſuam: quare licet verum ſit non ſine

Deo

Apoc. 14. 13.
Ambroſ. & Primaſ. ibi.
Opera in morte ſequũtur nos.
G
Vegas ibi.

Deo eſſe noſtram ſalutem: verum tamen etiam eſt, non ſine nobis eam eſſe. Vnde B. Ioannes: *opera enim*, ait, *illorum ſequuntur illos*, quo loco, *ſequi*, vt Ambroſius, & Primaſius explicant, idem eſt ac comitari, vt conſtat ex ipſa lectione Græca, ἀκολουθεῖμεθ' αὐτῶν: eſt autem ἀκολουθεῖν proprium famulorum, qui dominum pone, ſequuntur, nec, vt Vegas obſeruat, Græce eſt *ſequuntur illos*, ſed *ſequuntur*, ſeu *comitantur eum illis*, vt indicetur opera non longe, ſed proximè ſequi dominos: ſignificat ergo Ioannes, ſeu Spiritus Ioanni, opera bona eſſe quaſi famulos, qui poſt mortem iuſtos tanquam ſuos dominos comitantur, & ſequuntur: & quemadmodum quantum quiſque diues ſit, ac nobilis, ex ſamulorum tum numero, tum ornatu cognoſcitur; ita ſanctorum nobilitatem, & affluentiam meritorum ex operum bonorum multitudine, & præſtantia poſt mortem intelligi, quomodo merces bonis operibus debeatur poſt perpetrata opera: & quomodo dicat nobis Deus, quod Angelo Tobias: *cum redieris, reddam tibi mercedem tuam*. dat neceſſaria nobis ad benè operandum, ad benè ambulandum per viam virtutis, Deus, poſt perfectum iter donat mercedem: *cum redieris, reſtituam tibi mercedem tuam*.

Quòd ſinguli homines Angelum cuſtodem habeant.

DOCVMENTVM II.

A

SICVT olim Iſraelitico populo dedit Deus cuſtodem Archangelum Michaelem, vt eum educeret de Aegypto, & adduceret in terram promiſſionis: *Ecce ego*, ait Dominus populo, *mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui*: ita Raphaëlem iuniori Tobiæ dederat, vt eum ad Raguelem duceret, Saramque ei in vxorem acciperet, ſimulque eum medicinam doceret, qua patrem à cœcitate liberare poſſet. Quin & ſingulis dat hominibus à principio ſuæ natiuitatis, vt S. Thomas docet, vel ab ipſa conceptione, vt docet S. Bonauentura, Angelum, qui eum ducat, & reducat, totoque vitæ ſue tempore cuſtodiat, dæmonis inſidias patefaciat, & quantum in ſe eſt, ab illo auertat: Nouit enim pientiſſimus pater, non eſſe colluctationem tantum cum carne, & ſanguine, ſed etiam cũm principe tenebrarum harum. Quare ſicut ille, qui periculoſam viam obambulat, in qua latent variæ hoſtium inſidiæ, haud tutò per illam tranſire poteſt ſine perito, ac fideli duce; ſic nequit homo in hac vita mortali, quæ via eſt periculoſa, tum ex parte ipſius hominis, qui valde eſt infirmus ac debilis: tum ex parte hoſtium, qui continuas illi parant inſidias, tutò incedere ſine cæleſti duce, & cuſtode Angelico.

Exod. 23. 20.
Angelus tutelaris quando homini aſſignetur.
S. Tho. 1. p. q. 113 ar. 1. & 2.
B

C
Deus naturę ordinem ſeruat.

Quam cuſtodiam licet per ſe ipſum Deus præſtare potuiſſet, hominemq. in via hac reddere tutum; tamen, vt naturæ ordinẽ, quẽ ipſe poſuit, ſeruaret, per Angelos id præſtitum voluit. Sic licèt potuiſſet olim Iudæos à Philiſtinorum infeſtatione per ſemetipſum cuſtodire, & poſſet modo Chriſtianos ſine ſacramentis, & euangelij prædicatione ſaluare, poſſetq. conſeruare homines ſine cibo, & potu; non vult tamen, vt ordinem ſuæ diuinæ prouidentiæ, quo ſuauiter omnia diſponuntur, conſeruet; ſed ſicut illos per iudices populi; ita hos per ſacramenta, & euangelij prædicationem, & omnes tandem per cibum, & potum vult ſpiritualiter, & corporaliter viuere, & ſaluos fieri, vt cum Dominus ſit ille, ſuis vtatur creaturis, & famulis. Quod explicuit Dauid dicens; *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*: Et B. Paulus: *Omnes*, inquit, *ſunt adminiſtratorij Spiritus*, quibus vtitur Deus ad hominum omnium ſalutem procurandam: omnium, inquam: nam cum velit ille, omnes homines ſaluos fieri, omnibus etiam ſiue peccatoribus, ſiue iuſtis, ſiue infidelibus, ſiue fidelibus Angelum huiuſmodi tutelarem præſtat, ſolemq. ſuum oriri facit, ſuper bonos, & malos, pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.

D
Pſ. 90. 11.
Heb. 1. 14.
E

Angeli commiſſos ſibi homines diligẽtiſſime cuſtodiunt.

Quod quidem munus, quanto deinde amore, ſolicitudine, ac diligentia Angeli præſtent, ex ipſorum maxima nobilitate coniectare licet: nam ſi vir nobilis quo magis ingenuus, eo magis deſtituto à parentibus infanti compatitur, ad ſuasque fores nocte proiectum, ſuis excipit vlnis, & æquè, ac proprium nutrit filium; quid non faciet Angelus homine longè nobilior, hominem vbi conſpicit, ſuo magis egentem patrocinio, quàm infans ope nutrientis?

Præterea ex obedientia etiam, qua ſuſcepit hominem cuſtodiendum, id magis cognoſcitur: etenim cum à Deo tam ardenter diligi ſuum videat clientulum, tamque impensè ſibi commendari, tuetur eum, atque circumſpicit, non ſecus ac Regis filium pedagogus. Vnde Auguſtinus: *Magna*, inquit, *cura, & vigilanti ſtudio adſtant nobis omnibus horis, & locis cuſtodes Angeli ſuccurrentes, & prouidentes neceſſitatibus noſtris*. Sic quidem cuſtodit, ac defendit nos ab inſidijs, & vafritie dæmonis, qui, vt Beatus

Aug. in ſolil. c. 27.
F

Pet. 5. 8.

Petrus ait: *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*, gyrans, & ille ſimiliter in circuitu noſtro, vt hoſtis ſtratagemata diluat. Quòd graphicè docuit Pſaltes, dum ait: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Vbi Theodoretus legit: *Angelus ſimul pugnat ab hominis latere in circuitu.* Chaldæus verò: *moratur, & quieſcit cum pupillo ſuo.* iuxta tamen vulgatum ſenſus eſt:

Pſ. 33. 8. *Theod. ibi.* *Chaldaus.*

G Angelum hominem circundare, vt in aduerſarium tela contorqueat, ſeu tela ipſa poſt circumcurrẽtem aduerſarium gyrare faciat: ſeu, vt optimè Baſilius: *Immittit*, ait, *ſe Angelus Domini in circuitu, vt eripiat imperitum*, & quemadmodum vrbium muri in circuitu vndequaque hoſtium inſultus arcent; ſic etiam Angelus à tergo, & à frõte nos ita cuſtodit, vt lateris vtriuſque partes, animam ſcilicet & corpus, haud vnquam incuſtodita relinquat. Probat hoc inter alia inſigne, quod in hac mea diœceſi Adiacenſi factum contigit, à fide dignis patribus ſocietatis Ieſu teſtibus oculatis ad me perlatum, paucioribus hic expreſſum. Vir erat Baſtelicæ inſignis Diœceſis meæ pagi, qui perplures annos ad pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramenta nunquam acceſſerat: tandem anno proximè præterito, milleſimo ſexcenteſimo decimo octauo, menſe Maio de animo expiando cogitare cœpit, & in ea cogitatione perſiſtens, Angelum cuſtodem ſuum ſibi ſentire

Baſil. in pſ. 33. 8.

Angeli pœnitentes homines à demone defendũt.

H videbatur ad cor dicentem: Confitere, confitere peccata tua: qua permotus adhurtatione Adiacium petit ad Patres ſocietatis Ieſu, confeſſionem ſubiturus: vbi verò peruenit ad pontem ſex milliaribus à ciuitate diſtantem, dæmonem habuit obuium humano aſpectu, habituq. rudi, quo pergeret, à ſe petentem, acceptoq. reſponſo, de confeſſione, in ea ciuitate ſubeunda, pluribus verbis à propoſito dimouere conantem, dumq. tentatoris ille ſubdola voce permotus, cum de regreſſu ad propria cogitaret, ecce tibi Angelus, vt pingi ſolet alatus, ſplendidusq́ue, qui dæmonem ignito gladio percuſſum fugat: hominem verò timore proſternatum, ac ſemimortuum erigit, talibusq. compellat: Ad Patriam tuam redi, ibiq́ue Ieſuitas, ad quos modò pergebas, illuc intra triduum venturos ad confeſſiones excipiendas, expecta: interea te ipſum præuio, diligenti, ac dolen-

Adiacium Ciuitas Corſicæ primaria, olim totius Inſulæ regia.

I ti examine præpara. Diſparuit his dictis, & ille vir in propria reuerſus, vbi tertium poſt diem, vt Angelus prædixerat, Patres Ieſuitæ illuc adierunt, iuſſis Angelicis ad vnguem obtemperauit; vnique ex eis peccatorum ſuorum plagas aperiens, hæc inſuper prout ſibi contigerant, non ſine lacrymis, & gratiarum actione narrauit.

Liberat deinde nos à tenebris mundi, & lethalium veneno hominum, illuminans, ac manu ducens, vt cæcum ducit anteambulo. Sic Beato Petro in carcere, hominem in mundi tenebris poſitum ſignificanti, apparens: *lumen refulſit in habitaculo, dixitque, ſequere me*, illumq́ue præcedens, & manu ducens, à vinculis, & tenebris carceris liberauit. Ita Cyrillus: *Angeli*, inquit, *præſentes vbiq́ue curant ignorãtias noſtras.* Exemplo etiam, quod noſtris temporibus contigit, probat Albertinus. Narrat enim, Calabriæ iuueni cuidam ad vlciſcendam

Act. 12. 7.

Cyrill. Ieroſol. Cathec. 14.

K iniuriam ſibi irrogatam, arma paranti, Angelum pulcherrima, ac iuuenili, ſed grauiſſima forma apparuiſſe, talibus allocutum: Quid meditaris mi homo? quid negotii, quæ te cura premit, quòd tanta expolis ſolertia inſtrumenta mortis? Conſilium diſſimulanti rurſus Angelus indignatione, zeloq. plenus hæc ait: num exiſtimas me latere, quæ hactenus ad expeditiorem deſignati facinoris executionem attentaſti? Hiſce igitur peccatis, hac ingratitudine altiſſimo Deo tãta pro te viliſſimo peccatore perpeſſo, reſpõdes? Pro eius manſuetudine, & longanimitate, quæ tibi vſq; ad hanc horam pepercit, cum tamen mille meruiſſes inferorũ pœnas, has illi gratias perſoluis? His permotus adoleſcens, An-

Angeli ab homicidio homines auertunt.

L gelũ cuſtodem, vt erat arbitratus, tam vehementi pietatis affectu cor ſibi tranſuerberatum ſenſit, tot lacrymis, tot ſuſpiriis, tot ſingultibus internum ſalutare vulnus oſtendit, vt ab oculis eo fugiente præ pudore videretur decedere. Quare perniciofiſſimo ſibi vltionis conſilio in melioris vitæ propoſitum commutato, totius vitæ peccata ſacramentali confeſſione propalauit.

Defendit demum nos à carnis tentationibus: etenim cum ſit homo propria circumſeptus carne, non ſecus ac fuerit olim Daniel carnificibus circundatus leonibus, quo modo miſit Dominus Angelum ſuũ ad Danielẽ, & concluſit ora leonũ, ſic ad liberandũ nos à carnis inſidijs, Angelum ad fores animi noſtri mittit, vt eius tutela defendamur. Simile fuit, quod erga Loth, & filios eius fecit Dei Angelus, dũ eos ab exurendis iam cæleſtibus flammis Sodomis propria eduxit manu: nam

Dan. 6. 22.

Gen. 19. 16

M carnis flammæ ſunt, à quarũ incẽdio vt eruamur, Angelica ope indigemus.

Huc pertinet exemplum præclariſſimę virginis Theophilæ, quæ, vt narrat Baronius ex Metaphraſte, cum à lictoribus ad contumeliæ officinam traheretur; oculis, & manibus in cælum ſublatis, orabat. Mi Ieſu, ait, meus amor, mea lux, meus ſpiritus, meus cuſtos caſtitatis, & vitæ, vide eam, quæ eſt tibi deſponſa, vide ò ſponſe, in quem nulla cadit reprehenſio, & feſtina, quoniam non eſt quidem tempus precandi, ne pactum conuentum fallam, ne prodas me beſtiis, ne lupi tuã pecudem lanient: ſerua, ſponſe, ſpõſam, meam conſerua caſtitatem, fons caſtitatis, vt tuum quoque nomen nunc maxime glorificetur, quod intelligenter glorificatur ab Angelis.

Baron. tom. 2 anno Christi 300.

Angeli caſtitatis cuſtodes.

Ora-

Orauit hæc cum lacrymis, Deus effectum N reddidit, Angelum, luce ineffabili, ac pulchritudine quadam incredibili in ſpecie adoleſcentis, velut quædam tela fulgoris ex oculis emittentem, ad illam miſit, qui ei aſſiſteret, eamque à petulantibus tueretur: ducta illa in proſtibulum, Euangelij librum ex ſinu depromptum in cubiculo mœſta legebat: intrauerat vnus ex intemperantibus æſtu inſano percitus: at lumine vultus Angelici percuſſus, occubuerat illicò mortuus: intrauerat alter exploraturus quid tãtopere prior moraretur, & pari radio excæcatus quærebat, quâ rediret: penetrauerãt & alij complures, vt viderent, quid comites detinerentur, & planè aſpiciebant puellam qnidem honeſtè ſedentem, & libro incumbentem, adoleſcentem autem quendam O propè eam ſtantem, & luce inſolita illam irradiantem, atque protegentem, petulcum autem illum priorem iuuenem ad pedes exanimem: & quidem hi diuinitatem Chriſti agnoſcebant. Maximianus autem præſtigijs magicis tribuebat, Theophilamque perdi imperabat, quam Angelus educens lumine præcedente vſque ad eccleſiam duxit, inque eius veſtibulo, cum illi *pax tibi* dixiſſet, eam relinquens euanuit: fideles porrò in Eccleſiam illam receperunt, Deoq. pro tam admirabili eius ſalute gratias egerunt. Sic ab alijs etiam omnibus malis, & corporalibus, & ſpiritualibus eripit, vt Iacob mo- *Gen.* 44.16 riens nos docuit, vbi ait: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.*

Quod ſi nos tanto cuſtode muniti, nec à peccatis ceſſamus, nec inſidiis, & tentamentis noſtrorum ſpiritualium hoſtium reſiſti- P mus, noſtra omnino iſta culpa eſt: huius enim eſt modi diuinæ prouidentiæ ordo, vt nunquam ordinem naturæ, aut eius effectus tollat ad mala, quæ fiunt, impedienda: ſicut, exempli gratia, dedit Deus igni naturam, vt ardeat: non modo ardet ille, ſiue malitia humana, ſiue aliqua alia de cauſa applicatus, fores profanas, ſed etiam ſacras templi: nec impedit eius effectum, niſi miraculosè, & præter naturæ ordinem, vt fecit, dum ignẽ ardere noluit ad tres iuuenes comburẽdos, *Daniel.* 2. 50. in fornace Babylonica poſitos. Sic homini Angelum licèt ipſe cuſtodem dederit, qui eum ad bonum inducat, à peccatis liberet, haud tamen vult, eum aliter operari, quàm Q natura exigat ſua. Quare cum liber natura ſit, in manu ipſius eſſe voluit Angelicis ſuaſionibus, & illuminationibus vel acquieſcere, vel reluctari, eiuſdemq. auxilijs vti, vel *Bern. ſer.* 2. *ſuper Cant.* non vti. *Sedulus tamen ille eſt*, ait Bernardus de Angelo cuſtode loquens, *in omni loco pediſſequus animæ, non ceſſat ſolicitare eam, & aſſiduis ſuggeſtionibus monere dicens, delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Si itaq; eius non aſſentimur adhortationibus, nobis culpa tribuenda eſt.

Chriſtus nõ habuit Angelũ cuſtodẽ. R Non habuit tamen huiuſmodi tutelarem Angelum Chriſtus, quippe qui per vnionem hypoſtaticam intrinſecè erat impeccabilis, & plenitudine gratiæ, quam habebat, benè ſe ipſum excitare ad benè agendum poterat, ſimulque plenitudinem ſuæ ſcientiæ, qua omnes Angelos ſuperabat, ſe ipſum docere, & inſtruere, ne deciperetur: quare nec poterat à tentatione ſuperari. Vnde ſicut ſanctus Thomas ait, Angelos habuit miniſtros, non cuſtodes. Sic, vt Matthæus narrat: *Accedentes Angeli* miniſtrabant ei. *Matth.* 4. 11.

VERS. XVI.

Cui Tobias reſpondit: rogo te, indica mihi de qua domo, & de qua tribu es tu?

VERS. XVII.

Cui Raphael Angelus reſpondit: Genus quæris mercenarij, an ipſum mercenarium?

1 *Generis nobilitas quanti facienda.*
2 *Inclinat ad virtutem ex S. Thoma.*

VERS. XVI.

CVI *Tobias, &c.* Non acquieſcendum putans Angelicæ promiſſioni, niſi prius quis ille eſſet ſciret, & cuius generis, & patriæ.

Rogo te, ait: etenim, vel ipſo teſte Philoſopho, *generis nobilitas apud omnes in honore habetur; eſtque conſentaneum ex melioribus natos, eſſe meliores*, cum vel ſola nobilitas generis ſic cõparetur cum ſimplici ignobilitate in quibuſcunque conuentibus nobilium ſimplicium, & plebeiorum ſimplicium: præſumuntur enim nobiles generoſiores habere animos, quàm plebeii, & niſi valde inertes ſint, cum maiorum ſuorum res præclarè geſtas animo diligenti contemplantur, non parum ad dignam eorum imitationem prouocantur: neminem enim excelſi ingenii virum humilia delectant, & ſordida: quod Fauſtus poëta, hoc diſtico expreſſit. *Ariſt.* 5. *polyt. c.* 1. *Fauſtus.*

Si te ruſticitas vilem genuiſſet agreſtis.
Nobilitas animi non foret illa tui.

1 Et quidem, vt ſanctus Thomas explicat, non ſecundum actum perfectum, ſed ſecundum inclinationem ad virtutem perfectam: *nam*, vt ait ille, *dicitur quis bonus dupliciter: vno modo ſecundum actum perfectum, & ſic bonus non generat bonum, quia bonus eſt ſecundum intellectum, & ſecundum electionem, & exercitationem: non ergo fit bonus aliquis ſe-* *S. Tho. in Ariſt.* 3 *polyt. c.* 6.

cundum actum perfectum à parentibus: Alio modo dicitur quis bonus ſecundum inclinationem ad virtutem perfectam, & ſic bonus vult bonum generare, quia virtus in ſemine exiſtens, intendit per ſe generare ſimile ei, à quo eſt ipſum ſemen ſecundum omnes diſpoſitiones, ad quas poteſt attingere virtus generatiua. Attingit autem ad omnes diſpoſitiones materiales, quæ inclinant ad diſpoſitionem voluntatis, & intellectus, & ideo intendit generare ſibi ſimile, ſecundum omnes diſpoſitiones inclinantes ſiue in bonum, ſiue in malum, propter quod inclinatio ad virtutem aliqualiter eſt ex parentibus: bonus itaque iſto modo, vt in pluribus, generat bonum: ſi autem quandoque accidit contrarium, hoc eſt per accidens. Hæc S. Thomas. Ex quibus conſequitur optima ratione quæſiuiſſe hic ſeniorem Tobiam à ſibi non cognito, vt exiſtimabat, viro, cui filij ſui curam demandatam volebat, de qua domo, & de qua tribu eſſet.

VERS. XVII.

Cui Raphael, &c. Oſtendens nimirum haud nimis anxiè in mercenario genus, & nobilitatem eſſe quærendam, ſed potius probos mores, & vitam eius honeſtam, ait:

LXX.

Genus quæris mercenarij, & quæ ſequuntur. Septuaginta, *An mercenarium, qui ſimul ibit cum filio tuo?*

Quòd munia, & dignitates, cæteris paribus, nobilibus tribuenda ſint.

DOCVMENTVM I.

A

SANE dum ex genere, & patria ſanctus Tobias conijcere ſe poſſe cenſuit hominis, vt ipſe putabat, mercenarij mores, & num talis eſſet, vt ipſi curã demandari poſſet, ducendi, & reducendi filium ſuum, nobilem virum, nobilem nimirum genere, ac patria, ignobili ſemper cæteris, vt aiunt, paribus, eſſe in electionibus præferendum cenſuit: illique potius noſtri, noſtrorumq. curam eſſe, quàm alij demandandam: cæteris, inquã, paribus: nam ſi aliquis ignobilis genere, nobilem virtute ſuperet, potius ille, quàm hic præferendus eſt: ſic enim, vt refert Gloſſa, ſapienter quiſpiam in Summi Pontificis electione, dum alius allegaret alterius nobilitatem, reſpondit: *Piſcatori Petro, fabri filio*, cui tamen non defuit eximia ſanguinis nobilitas, ex nobiliore, regiaq. tribu Iuda, de qua erat, *ſucceſſorem quærimus non Auguſto?* Quamuis nec ſi Auguſto ſucceſſor quæſitus fuiſſet, virtuti, vt diximus, ſola nobilitas

Nobilis ignobili cæteris paribus præferendus.

Gloſ. c. quoniam 24. q. 1. Inuidia.

Maior virtutis quam generis ratio habenda.

B

generis fuiſſet præferenda. Hinc & S. Thomas, vt facilè quis aliquam adminiſtret prouinciam, præter ſapientiam, ne erret in adminiſtratione, & virtutis potentiam in exequẽdo, generis quoque requirit proſapiam, ne contemnatur præcipiendo. Tales fuerunt quos Moyſes populo propoſuit. Vnde ait: *Tuli de tribubus veſtris viros ſapientes, & nobiles, & conſtitui eos principes tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac denarios.* Talis fuerat Eli ſacerdos cum filijs, quãdiu glorificabant Deũ. Talis & Samuel: quin & ipſi ethnici tales eligebant præfectos. Sic laudat Tacitus Tiberium Cæſarem, qui illud obſeruabat, *nimirum*, ait, *vt mandaret honores, nobilitatem maiorum, claritudinem militiæ, illuſtres domi artes ſpectando.* Et meritò quidem; nam ſine dubio ſtimulus eſt maximus ad vittutem maiorum virtus, ne ab ea degenerent filii. Quin & magis eniteſcit virtus in viro nobili, quàm in plebeio, vt gẽma pretioſiſſima in annulo aureo: vnde etiam fit, vt alii pulchriorem virtutem in ea cernentes, magis eius deſiderio flagrent, confundanturque. nam & quis dubitet multo magis relucere in vno Thoma Cantuarienſe Archiepiſcopo humilitatem, dum quotidie treſdecim pauperes domum aduocabat, & ſedere iuſſis, genuflexus pedes lauabat, diſcumbentibus miniſtrabat, abeuntes cum dono dimittebat, in vno, inquam, viro nobili, quàm in plebeio, qui hæc eadem operaretur? In vno Alexio Euphemiani conſularis viri filio, mundi contemptum, quàm in quouis alio inferioris ſortis, vel fortunæ:

S. Tho. in c. 1. epiſt. ad Heb. lect. 2.

Deut. 1. 15

1. Reg. 2. 30.

1. Reg. 9. 6.

Tacit. li. 4.

C

Sur. in vit. S. Tho to. 6. 29. Decemb.

Pauperes magnificè excepti.

Sur. ex Metaphraſte to. 4. 17. Iulij.

Quare Auguſtinus de nobiliſſimo viro Victorino Rhetore Dominum alloquẽs, ait: *Nonne multi ex profundiore tartaro cæcitatis, quàm Victorinus redeunt ad te, & accedunt, & illuminantur, recipientes lumen? Sed ſi minus noti ſunt populis, minus de illis gaudent, etiam qui nouerunt eos; quando enim cum multis gaudetur, & in ſingulis vberius eſt gaudium, quia feruere faciunt ſe, & inflammantur ex alterutro: Deinde quòd multis noti, multis ſunt auctoritati ad ſalutem, & multis præeunt ſecuturis, ideoque multum de illis, & qui eos præceſſerunt, lætantur, quia non de ſolis lætantur.* Hæc Auguſtinus. Quin etiam adiunctam ſæpiſſime viri genere illuſtres habent in animi dotibus claritudinem, vnde melius cæteris veritatem cognoſcant, doceantque: oſtendit nobis hoc Beatus Lucas, dum Theſſalonicenſes nobiliores ſuſcepiſſe verbum Dei cum omni auiditate memorat.

D

Aug. Conf. li. 8. c. 4.

Quòd

Quòd generis nobilitas virtute deſtituta, nihili facienda ſit.

DOCVMENTVM II.

A

Io. Alex. apud Baron. tom. 8 anno 620.

CVM, ſicut Ioannes Alexandrinus ait, *vera nobilitas non ex carne, & ſanguine, ſed ex virtute animi accipiat formam*, fruſtra quis nobilitatem quærit, vbi eiuſdem forma nòn adeſt, ſuntque illi valde ridendi, qui mores corruptos habentes, ſola generationis ratione abſque forma nobilitatis adeò ſe nobiles iactitant, vt & ipſos virtutum cultores contemnere non vereantur, quaſi eorum maiores non fuerint aliquando primum cogniti ſimiles alijs. Sanè, vt Plato docuit, nemo Rex non ex ſeruis oriundus, nemo non ſeruus ex Regibus: omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum fortuna verſauit: nam, & *quis*, inquit ille, *generoſus, niſi qui ad virtutem benè à natura eſt compoſitus? hoc vnum eſt intuendum, alioquin ſi ad vetera factum reuocas, nemo non inde eſt, ante quod nihil eſt: à primo enim mundi ortu perduxit nos ex ſplendidis, ſordidisque alternata ſeries: non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus, nemo in noſtram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt.*

Plato ep. 44.

B

Quare nobilibus, ſi tali ſunt dignandi titulo, quibus non eſt virtutis præſtantia, generis claritas, potius dedecori, & ignobilitati eſt tribuenda, quàm laudi, cum haud amplius ea claritas illis prodeſſe queat, quã vt nos poſſint latere, ſi velint, & ſine fabula vulgi non degenerare. Hinc Alphonſus Rex Aragonum, vt refert Panormita, cum à quodam hoc nomine plurimum commendaretur, quòd ex antiquiſſima, & nobiliſſima regum familia originem duceret; ille contra, nihil eſſe in vita reſpondit, quod minoris ipſe duceret, quàm quòd illi tanti facere viderentur: laudem ſcilicet illam confitendo non ſuam, ſed maiorem ſuorum eſſe. Sanè, vt Poggius ait: quanto maioris habetur ædificare domum, quàm habitare, aut ornare ædificatam; tanto præſtabilius eſt, atque excellentius ab ſe partam nobilitatẽ poſſidere, quàm ſeruare ab alijs acceptam, cum alter ſuis viribus, & lumine ſplendeat, alter præſeferat alienum. Sed quæ dicat de nobili malè morato Nazianzenus, audiamus.

Ant. Panor. lib. 2. de reb. ab Alph. Reg. geſt.

Poggius de nobilit.

Nazianz. to. 2. in ſ. Carm. Iambi.

Nobilis, inquit, *at grauibus vitijs adopertus, honeſto;*
Nõ tamen illuſtri, commemorabat auos.
Riſit ad hoc alter, ſcitèque hoc rettulit: vt mi
Dedecori genus eſt, ſic quoq; tu generi.
Hoc memori condas animo, repetasque ſubinde,
Vt virtute tibi nil prius eſſe queat.
Quòd ſi te ſalibus quiſquam probriſque laceſſat,
Quòd tibi cum facie, ſit quoque fœdus odor;
An dices forma genitor præſtabat, odorq.
Quem dabat è toto corpore, gratus erat?
An multas dices, timidus ſi fortè voceris
Imbelliſque, atauus vicit Olympiadas?
Sic quoque ſiquis te nequam, ſtolidumq. vocarit,
Ne mihi quos rapuit mors fera profer auos.
Pulchra vides, modulos dedit vbi barbytus: vni
Vilis: at egregios edidit iſta ſonos.
Dic mihi quis fidicen melior cenſendus eorum?
An non qui docta barbyton arte ferit?
Ergo animos tollas, quòd ſis licet improbus ipſe,
Diceris auratis patribus eſſe ſatus?
An tibi nobilitas ſunt priſca cadauera? ficti
Sermones, et quos garrula fundit anus?
Ludis? ego tantum id ſpecto. (par omnibus ortus
Argilla eſt etenim) ſis bonus, an ne malus.
Omnibus eſt eadem pellis, nos patria; opeſque,
Nos tamen & tumidos reddit inane decus.
Vana quid ergo refers; patriam, genus? haud mihi ficta,
Haud mihi buſta placent, temet ego inſpicio.
Omnibus eſt idem puluis, fictorque tyrannis.
Non natura homines ſcidit in iſta duo.
Qui malus, hic ſeruus; quiſquis, hic mihi liber.
Quid facit ad clarum mens nimis alta genus?
Quid probum eſt mulis aſino fluxiſſe parente?
Quod mulos aſinis eſt genuiſſe decus?
Quin parit, & nido fœtus Iouis eijcit ales?
Ergo te miſſo quid mihi promis auos?
Eſſe probus malim, quamuis ignobilis ortu,
Quàm claros vitijs plenus habere patres.
Ex ſpinis etiam roſa naſcitur, ignibus, at tu
Dignus eeè molli ſpina creatus humo.
Cur caput inſtar equi molitor ſuſtollis aſelle?
Obque atauos, cùm ſis improbus, ipſe tumes?

Ergo, vt bene docet Hieronymus, nemo de-

Hier. in c. 1. Io.

debet apud Deum erubeſcere ſanguinem: nam filiorum Dei generatio *non eſt ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo*. Quare cum Beatus Paulus myſterium de gentium conuerſione Epheſijs, qui ex gentibus crediderant, ſcriberet, ne quòd non eſſent ex genere Iudæorũ, putarent inueſtigabiles illas Chriſti diuitias ad ipſos non pertinere; *huius*, inquit, *rei gratia flecto genua mea ad Patrẽ Domini mei Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur*. hoc eſt quamuis nõ ſitis vos ex patre Abraham, nec ex aliqua illorum illuſtrium duodecim tribuum; non minus ideirco nobiles apud Deum cenſendi eritis vos, cùm filij Dei ſitis, à quo omnis paternitas pendet: quo loco paternitas propriè, vt Pineda explicat, genus, cognatio, familia, generis alicuius contribules, tribus, & patria dicitur. Omnis namque familia ad Deum, quem primi generis auctorem, & creatorem reducitur, nobiles, & ignobiles, Iudæi, & gentes, ne ſuperbiant illi, ne iſti concidant animo. Quod Beatus Lucas docuit, Chriſti generationem non ſicut B. Matthæus ab Abraham incipiens; ſed retro conuerſo ordine vniuerſos illos patriarchas referens in primum omnium parentem; Adamum vero in Deum plaſmatorem corporum, & patrem ſpirituum: *Fuit*, inquit, *Adam, qui fuit Dei*, vt ex Deo omnem paternitatem, omnem tribum, omnem nobilitatem oriri ſignificaret.

Epheſ. 3. 14. 15.

Deus hominũ, & omniũ creatarum pater.

Paternitas in ſacra ſcriptura, quid.

Pineda in Iob c. 1. v. 1. append. 3.

E

Luc. 3. 38.

Ex quibus elicitur, quòd licèt generis, & natalium claritas ſuum ſibi honorem deferri iure poſtulet, cum argentum quoddam ſit, & ſplendorem habeat; ſi tamen pietati non iungatur, in ſcoriam, vt Iſaias peccatori loquitur, facillime conuertitur. Sic ille: *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam*. Quare dicendum nobilibus eſt, quod Chriſtus Iudæis de ſemine Abrahæ glorIantibus: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*. Sed plura de hac re diximus ſuperius.

Iſa. 1. 22.

Io. 8. 39.

Sup. c. 1. v. 1. ducum. 1.

VERS. XVIII.

Sed ne fortè ſolicitum te reddam, ego ſum Azarias Ananiæ magni filius.

VERS. XIX.

Et Tobias reſpondit: Ex magno genère es tu: ſed peto, ne iraſcaris, quòd voluerim cognoſcere genus tuum.

1 *Solicitudo mentem obnubilat.*

2 *Raphael quo modo dicat ſe eſſe Azariam filium Ananiæ.*

3 *Azarias contribulis Tobiæ.*

4 *Mollis Tobiæ reſponſio ad faciendum ſatis Raphaeli.*

SED *ne fortè ſolicitum te reddam*. Arabs: *At ne vexeris ſolicitudine propter me*, illa nimirum ægritudine, quæ animum in diuerſas rapiẽs partes, veritatis conſpectum obnubilat: nam, vt docet Baſilius, quemadmodum oculus corporeus continuo circum actu verſatus, & nunc horſum, atque illorſum deflexus, nunc ſurſum, deorſumque erectus viciſſim, ac depreſſus exactè cernere nequit; ſed obtutu incumbere in rem viſam eum oportet, qui cõtemplari vult; ſic humana mens *ſolicitudinibus diſtracta*, veritatem euidenter cernere vix vnquam poterit.

VERS. XVIII.

Arabs.

Baſil. ep. 4.

Solicitus animus veritatẽ videre non poteſt.

2 *Ego ſum Azarias*. Specie nimirum externa, & ſimilitudine. Sic imaginem S. Petrum repręſentantem, S. Petrum appellamus: & Angelus in Geneſi, & alibi Dei perſonam gerens: *Ego ſum*, dicebat, *Dominus, qui eduxi te*. Vnde Athanaſius: *Angelus*, inquit, *Raphael comitatus eſt Tobiam in ſpeciem hominis, qui Azarias dicebatur*.

Gen. 15. 7.

Athanaſ. in Synop.

Ananiæ magni filius. Fuerat enim Ananias pius quidam vir, cum quo, vt docent LXX. Tobias adhuc adoleſcens magna, & quotidiana congreſſus eſt conſuetudine: vnde & illum ſibi ſocium aſciuerat itineris Ieroſolymitani, dum iuxta Domini præceptũ, tribus vicibus per annum Deũ adoraturus, templum adiret: ex quo Tobiam Angelo reſpondiſſe ferunt: *Cognoſco enim Ananiã, & Ionatham filios Saruiæ Magni, quoniam iuimus ſimul in Ieruſalem ad adorandum*, quòd cum facere ſine grauiſſimo periculo haud poſſent, ex quo rex Ieroboam templum illud adiri vetuerat, maximè ex tali ſocietate ſe inuicem conſolabantur. Cum itaque ſciret Angelus talem virum gratiſſimum Tobiæ fuiſſe, nec vllum de illo nuntium aduentare poſſe, & iuniori Tobiæ eſſe vellet, quod olim Azarias Seniori fuerat, ratione officij, Azariæ effigie ſumpta, Azariam Ananiæ filium ſe dictitat.

Azarias quis LXX.

Ex LXX.

Raphaele ſe Azariam ratione offici dictitat.

Putat neſcioquis commentator ſummæ ſancti Thomæ quem citat hic Serarius, fieri potuiſſe, vt Angelus Ananiæ corpus, quòd ante conformatum iam fuit, tunc autem in ſepulchro forte iacebat, aſſumpſerit, ſubdens, Raphaelem ſe Azariam dicere, quòd Azariæ corpus aſciſcere ſibi potuerit, vel certè alius alicuius, qui ex magni Ananiæ proſapia eſſet; cum nulla tamen probabili ratione, vel auctoritate hæc ſententia fulciatur, ab eodem Serario non ſine ratione reijcitur.

in q. 51. ar. 2

Serarius hic.

Figuratiuè Angelum fuiſſe loquutũ alijs,

non

Sup. ver. 7. non improbabiliter, placet, vt etiam ſupra loquutus fuerat: nam cum Azarias Dei auxilium interpretetur, vel Dei adiutor, & Ananias gratias Dei, ſintque Angeli adiutores, & adminiſtri Dei, quatenus per eorum miniſterium cooperatur Deus ſalutem
Heb. 1. 14. electorum: nam *omnes ſunt adminiſtratores ſpiritus*, vt beatus Paulus ait, *in mini-*
Matt. 18. 10. *ſterium miſſi eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis*: ſimulque gratiæ conſummatæ filij, quia faciem patris, qui in cælis eſt, ſemper vident, meritò vnuſquiſque eorum dici poteſt Azarias filius Ananiæ. Priorem tamen explicationem magis textui congruere ex iam dictis apparet. Ad hæc Tobias.

3. *Ex magno genere es tu*. Nam fuerat ex eadem cum Tobia tribu: ſic enim di-
LXX. cunt LXX. Angelum reſpondiſſe: *Ego Azarias Ananiæ magni de fratribus tuis: cui Tobias: tu es frater meus ex pulchra, & bo-*
Syrus. *na progenie.* Syrus: *Ex radice bona tu es frater meus*.

4. *Sed peto*. Supplex efflagito: *rogo te*:
Arabs. ait Arabs, ne iraſcaris: viſus enim ſibi fuerat Angelus aliquantulum conturbari, quando dixit: *genus quaris mercenarij*: vnde
Prou. 15. 1. ad iram omnem ab eo abigendam, iuxta ſapientis monitum molliter reſpondendum duxit. Nouerat Gedeonem tali reſponſione iram fregiſſe multorum, quando nimirum victis Medianitis inſurrexerunt aduerſus eum filij Ephraim irati valdè, quòd non fuerint ad præmium euocati, quibus
Iudic. 8. 2. 3. ille reſpondit: *quid enim tale facere potui, quale vos feciſtis? non ne melior eſt racemus*: ideſt pauci ex Ephraim, *vindemijs*, ideſt copioſis exercitibus mei progenito-
Mollis reſpōſio frangit iram. ris, *Abiezer in manus noſtras Dominus tradidit Principis Madian, Horeb, & Zeb, quid tale facere potui, quale vos feciſtis? quòd cum locutus eſſet*, ſubdit Scriptura, *requieuit ſpiritus eorum, quo tumebant contra eum*. Ita ſæpè vidimus miti reſponſo, & iram proximi fuiſſe ſedatam, & noſtram etiam aliquando fuiſſe compreſſam.

Quòd verbis humilibus, atque pacificis cum proximo ſemper agendum ſit.

DOCVMENTVM I.

A SANE dum leuibus, & beneuolis verbis iratum, vt videbatur, Angelum S. Tobias conatur lenire, exemplo ſuo nos docet, quid cum proximis noſtris, licèt nobiſcum iratis, & inferioris etiam conditionis agere debeamus: quibuſque verbis in illis agendum ſit. Sunt enim permulti, qui nullum duriuſculum verbum audire poſſunt, quin ſtatim moueantur, & contra proximū commoueantur, & eo magis, quo vilior eſt perſona, à qua illa audiunt: non ſic noſter Tobias; ſed tantum abfuit, vt Angelo mercenarij perſonam agenti, ſibique etiam duriuſculè reſpondenti, iraſceretur, vt etiam fratrem eum compellans, ab eodem ipſe veniam depopoſcerit, ac ſi iniuriam in ipſum ipſemet intuliſſet. Sic: *tu* B
es frater meus, ait, *ex magno genere*, addens, *ſed quæſo ne iraſcaris, quòd voluerim cognoſcere genus tuum*. Sanè talibus cum fratre verbis agendus eſſe, & Chriſtus Ieſus docuit, qui licèt teſte Dauid, *ex vſuris, &* Pſ. 71. 14.
iniquitate redemerit animas noſtras, honorabile tamen nomen noſtrum ſemper habuit: vbi Vſuræ pro peccatis accipiuntur. Aug. in pſ. 71.
Auguſtinus: *Quæ*, dicens, *ſunt iſtæ vſuræ, niſi peccata, quæ etiam delicta nominantur? vſuras autem appellatas puto peccata, quia plus mali inuenitur in ſupplicijs, quàm commiſſum eſt in peccatis: nam verbi gratia, cum homicida corpus tantum hominis perimat, animæ autem nihil nocere poſſit; ipſius & anima, & corpus perditur in gehenna*. Et ex vſuris, licèt pec- C
catorum animas noſtras ſanguine ſuo redemerit, ſibique nos quaſi ſeruos emptitios, & mancipia fecerit; non tamen iniuriis, aut contumeliis nos aliquando laceſſit; ſed potius *honorabile* ſemper *nomen noſtrum* coram illo fuit, nos oues, amicos, fratres, & filios appellans: & quidem oues, dum ait: *Ego ſum paſtor bo-* Io. 10. 14.
nus, & cognoſco oues meas. homines ſcilicet, quos à diaboli ſeruitute liberaui. Amicos dicens: *Iam non dicam vos ſeruos,* Io. 15. 15.
quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. & tanquam mihi amiciſſimis ſecreta cæleſtia manifeſtaui, Fratres dicens per Pſaltem: *narrabo nomen tuum fratribus meis*. Pſ. 21. 23.
Vocat nos tandem, & filios dicens: *Ego ero illis in Deum, & ipſi erunt mihi in* D
filios, & filias. Verum quid mirum, ſi impiiſſimum etiam proditorem ſe deoſculantem, non modò non exhorruit; ſed illum amici nomine compellans, ait: *Ami-* Matt. 26. 5.
ce, ad quid veniſti? Verùm honorabile nomen noſtrum coram illo: En qualem diſciplinam agendi cum fratribus Tobias, & qualem nobis Chriſtus ipſe reliquerit.

Nullum ſanè, vt Sanctus Bonauentura docet, eſt euidentius ſignum prædeſtinationis, nihilque magis hominem Deo aſſimilat, quàm manſuetum eſſe, & patientem: vnde dicebat Saluator: *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, Sic docens eum ſibi eſſe gratiſſimum, qui mitibus ſemper S. Bonau. l. de prof. relig. Prędeſtinationis nullū euidentius ſignū māſuetudine, & patientia. Matt. 5.

ver-

Cant.4. ibiq Theodoret.

verbis ex corde fratrem ſuum alloquitur. Quod etiam in Canticis Spiritus ſanctus docuit, dum ait: *ſicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce*. vbi Theodoretus perquàm acutè idem eſſe ait, ac ſi dixiſſet, eloqnium tunm, ò amica mea, fieri minimè poteſt, quin mihi ſit gratiſſimum, cùm per omnia ſimilitudinem reddat faſciç illius coccineæ appenſæ feneſtræ domus Ierychuntinæ in ſignum clementiæ, & veniæ, vt cùm eò perueniſſet exercitus, gladius domum illam non attingeret, ſed in vaginam ſuam reconderetur: ſic etiam docens ſolis verbis pacificis, ac mitibus iratum nos poſſe fratrem ſuperare.

F

Quare falluntur ſine dubio illi, qui ſuperbia ducti, iratis verbis verba irata ſuperare ſe poſſe cõfidunt. Vnde Chryſoſtomus:

Chryſ.ho. 5e. in Gen.

Quid enim, ait, *dic mihi, accuſas indignationem fratris tui, & quòd hoſtiliter ſe gerat erga te? cur igitur non diuerſa via ſtudes incedere; ſed ipſe magis iraſceris? non poteſt igne ignis extingui, repugnat enim hoc naturæ; ſic neque furor furore alio demulceri poterit vnquam. Verùm quod igni eſt aqua, hoc eſt iræ manſuetudo*.

Iracundos nõ irata, ſed mitia verba ſuperant.

Sic enim & Sapiens ait;

Prou. 15. 1.

reſponſio mollis frangit iram. Docuit ſapientiſſima illa mulier Abigail, quæ audiẽs valdè commotum fuiſſe Dauid contra virũ ſuum Habal, illum adiens verbis blandis, bonisque ita mitiganit, vt diceret:

G

1.Reg.25. 32.

Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui miſit hodie te in occurſum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem, & vlciſcerer me manu mea, Sic indicans quàm gratum ſibi fuerit per mulieris prudentiſſimæ verba mitiorem reddi. Contra verò, vt idemmet etiam teſtatur Sapiens. *Sermo durus ſuſcitat furorem*.

Iraç reſponſionis mala.

H

Verbum vnum impatienter, & inconſideratè prolatum, ſicut acutiſſimum telum, primum proferentem crimine iracundiæ fecit, deinde verò miſerabiliter audientem animi triſtitia confodit, omnem pellit charitatem, amicitiam omnem diſrumpit. Nam cum dilectionis proprium ſit dilectum honore proſequi, & eius vitia, ſiqua habet, contegere, qui verbis contumelioſis fratrem onerat, dum eius imbecillitates prodit, eumque inhonoratum reddit, leges omnes amicitiæ ſoluit, & quidem tali pacto, vt, ſi Sapienti credimus, vix colligari deinceps unquam poſſit: nam

Eccli.22. 26.

ad amicum, ait ille, *& ſi produxeris gladium, non deſperes: eſt enim regreſſus ad amicitiã; ſi aperueris os triſte, ne timeas; eſt enim recordatio, excepto conuitio, & improperio, & plaga doloſa: in his omnibus effugiet amicus*.

I

Odio proſequens proximum non poteſt non iratè cum eo loqui.

Ad hæc itaque deuitanda mala cor neceſſe eſt habere tranquillum: nam fieri minimè poteſt, ut ex corde conturbato lenia procedant uerba, & manſueta: etenim, ut Christus Dominus ait: *ex abundantia enim cordis os loquitur*.

Matt. 12. 34.

Quod fratres nos docuerunt Ioſeph, qui cum illum odiſſent, vt ait ſcriptura;

Gen.37. 4.

nec poterant ei quicquam pacificè loqui. Contra uerò Dauid, qui cor quietum habebat, licèt à Saule grauiter læſus, quinimmò ad mortem vſque exquiſitus; ſemper pacificè cum illo legimus loquutum fuiſſe: unde cum prehendiſſet aliquando clamydis oram eiuſdem Saulis, ut ſuum obſequium erga eum oſtenderet,

K

1.Reg. 24. 9.

inclinans ſe Dauid pronus in terram, ait ſacra hiſtoria, *adorauit, dixitq. ad Saul, Quare audis verba hominum loquentium? Dauid quærit malum aduerſum te? Pater mi, vide & cognoſce orã chlamydis tuæ in manu mea, quoniam cum præſcinderem ſummitatẽ chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. quem perſequeris rex Iſrael? canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum*.

Tale autem cor quietum, & mite habebit ille, qui iracundiæ occaſionibus fortiter aſſueuerit repugnare, non qui, vt vulgo exiſtimatur, iracundiæ occaſionem vitabit.

Nemo mitis, qui non habeat patientiam, quç nõ niſi contrariorum tolerantia acquiritur.

L

Quod cuiuſdam monachi exemplo, vt teſtis eſt Cyrillus, Sanctus Enthimius probare conſueuerat, de illo narrans, quòd cum ad iram multum procliuis eſſet, ſolitudinem petijt, vt iræ occaſiones, quæ in monaſterio ſibi multæ nimis eſſe videbatur, effugeret:

In vit. eius apud Sur. to. 1. 20. Ian.

quam ſolitudinem incolere vix cœperat, quando in tantam incidit iracundiam, vt vas, quo aquam ad bibendum hauſerat, ſemel, iterum, ac tertio dæmonis malitia effuſum confregerit, tali pacto cognoſcens, non fuga ſedandam eſſe iracundiam, ſed patientia, animiq. victoria.

Iracundiam vincit patientia, non fuga

Quod probe nobilis quædam matrona cum ſciret, vt teſtis eſt Piamon apud Caſſianum, ad patientiæ exercitationem à Sancto Athanaſio Patriarcha Alexandrino viduam ſibi pauperem aſſignari alendam petijt, à quo cum vnam mitem, & humilem accepiſſet, non benè ſibi in illa eſſe poſt multum temporis dixit:

Caſſ. coll. 18. c. 6.

M

quare cum aliam peſſimam, quç nihil niſi rixas, & conuitia nouerat, iterum ab eodem accepiſſet alendam, optimè ſe cum illa habere aſſeruit, quòd illam quotidiano doceret exercitio virtutem:

Patientia ex toleraris cõuitiis comparatur.

quod nec multum admirabile in Chriſtiana fœmina exiſtit conſideranti Socratem ethnicum philoſophum (vt auctor eſt Gellius) rixoſam Xantyppem vxorem duxiſſe, vt ex illius improbitate patientiam diſceret,

Gell. li. 1. c. 16

ad quam nos animat diuina promiſſio, qua terrena poſſeſſio, & cæleſtis promittitur ei, qui mitis animo mitem etiam ſe verbis oſtendit, vbi ait: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*.

Matt.5.4.

N

terram quidem omnibus modis ſumptam, terram elementarem, terram cæleſtem: *neque enim*, ait Chryſoſtomus, *de futuris ſolummodo bonis, verum etiam de præſentibus cohortatur, propter tardiores*

Chryſ. in hūc locum.

Manſuetudinis quale premium.

ſci-

Aud. op. in perf. in c. 5. Matth.

ſcilicet auditores, & antequam futura veniant, præſentia requirentes: elementarem, quia, vt auctor imperfecti operis ait, *mites his contenti ſunt, quæ habent, nec murmurant in Deum, vel in alios, plura poſſidentes.* Vnde fit ferè in hoc mundo, vt quietius nemo, nemo minori cum difficultate ſuis vtatur, quàm mitis animus, rixæ, contentioniſque oſor: nam *illi infeſtantur*, ait Sanctus Thomas, *qui alios infeſtant: ſed manſueti nullos infeſtant, ergo nec debent ab alijs merito infeſtari.*

S. Tho. in pſ. 36.

Quòd ſi fortè contingit ſuis contra fas exui, & ab alijs infeſtari, plus impetrat ab vltro largientibus māſueta tolerantia, quàm ab inuitis extorqueat immitis violentia; & contra, periculum facimus quotidie, neminem citius poſſeſſiones ſuas perdere, & ab eis deturbari, quàm iniuriarum retaliatores: neminem citius funditus prorſus euerti, quàm hos peruicaces, & immaniſſimos homines, quibus diſceptantibus, plerunque decies plura inſumenda erunt, quàm poſſit æſtimari ſumma, ob quam rixantur: & qui numquam quicquam ferre, neq; aliquid de ſuo iure concedere ſuſtinent: ſed ſtatim ſyluas, & montes euertere, & quod dicitur cælo mare miſcere contendunt, nullum vel leuiſſimum verbum diſſimulantes, qui acceptas omnes vlciſci volunt iniurias, vt plurimum, ſic iuſtè permittente Deo, ſibi ipſis rebuſq. ſuis extremam ruinam ſolent afferre. Poſſident igitur terram hanc elementarem, qui mites ſunt corde, ſed quod multo pluris eſt faciendum, aliam etiam poſſident cæleſtem, quam immites contemnunt. *pro nihilo*, ait Dauid, *habuerunt terram deſiderabilem*. Quare Auguſtinus; *rixantur*, *ait, immites, & dimicant pro terrenis, & temporalibus rebus, ſed beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram, de qua auelli non poterunt*. Hæc itaque ſaltem bona nos mouere debent, ni moueat exemplum Tobiæ, ſi minus exemplum Chriſti, ratio ipſa amicitiæ, & mala, quæ nobis imminent ex immiti, & inconſiderata locutione, ad hoc, vt lenes, & mites corde, verbiſque viuamus.

P

Pſ. 105.24

Aug. de ſer. Dom. in monte lib. 1. c. 3. to. 4.

Quòd virum Chriſtianum deceat reconciliationem cum fratre irato ſolicitè quærere.

DOCVMENTVM II.

A

CVM ex data ſibi reſponſione exiſtimare potuerit Tobias, Angelum ſibi eſſe iratum, mitiſſimus Patriarcha, vt eius leniret animum, veniam de facta interogatione popoſcit, *ſed quæſo te*, dicens, *ne iraſcaris mihi*, nos exemplo ſuo docens, quanta ſolicitudine reconciliationem cum fratre in minimis etiam nobiſcum turbato, quærere debeamus: *Quicunque habetis diſcordiam*, ait Auguſtinus, *cum fratribus veſtris, & reuocatis vos ad vos, & conſideratis vos, & iuſtum iudicium fertis in vos intus in cordibus veſtris, & inuenitis vos non debuiſſe facere quod feciſtis, non debuiſſe dicere quod dixiſtis, petite veniam fratres à fratribus veſtris: facite fratres, quod ait Apoſtolus: donantes vobis ipſis, ſicut Deus in Chriſto donauit vobis*. Quod ſi frater abſens ſit, *debemus*, ait Gregorius, *ad proximum quamuis longè poſitum, longèq. diſiunctum, mente ire, eiq. animum ſubdere, humilitate illum, ac beneuolentia placare, vt ſcilicet conditor noſter, dum tale placitum noſtræ mentis aſpexerit, à peccato nos ſoluat, qui munus pro culpa ſumit*. Hæc ſanè fuit conſuetudo Religionis antiquæ, Domini præcepto confirmata. Quare *ſi offers*, ait Chriſtus Saluator, *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo & tunc veniens, offeres munus tum*. ò admirabilē bonitatem; ò ineffabilem benignitatem: *Vide*, ait Chryſoſtomus, *miſericordiam Dei quomodo hominum vtilitates amplius reſpiciat, quàm ſuos honores: ſi enim ſuos honores magis reſpiceret, ſic dixiſſet: interim offer munus tuum. & poſtea vade, & reconciliare; nunc autem dicit, vade primum, & reconciliare, & ſic veniens, offer: vade ergo, vt ſcias quia plus diligo concordiam fidelium meorum, quàm munera*. Cum enim in ſacrificio, & oratione res cum Deo habeatur, nihil adeò graue occurrere poſſe videtur, pro quo interrumpi, aut differri valeat.

Aug. lib. 50. hom. hom. 40. c. 5.

Ephes. 4. 32.

Greg. li. 4. dialog. c. 60.

B

Matth. 5. 23.24.

Chryſ. in c. 5. Matt. ho. 11.

Deus fideliū concordiam magis diligit quā munera.

C

Xenophon, teſte Hieronymo, ad ſolemne ſacrificium Deorum ſuorum incūbens: dum repente audiſſet filium ſuum primogenitum in bello occubuiſſe, *non ideò*, ait Valerius, *inſtitutum Deorum cultum omittendum putauit: ſed tantummodo coronam deponere contentus eſt*: nec filij ſui mortem audire fuit illi ſatis, vt à cœpto ſacrificio deſiſteret. Et Dido, ne interrumperetur à ſorore Anna, dum manus violentas inferre ſibi ipſi parauerat, ſacrificium, quod interrumpere putauit nefas, ſe incœpiſſe diſſimulans ait.

Hier. ep. 3.

Val. Max. li. 5. c. 10.

D

Sacra Ioui Stygio, quæ ritè incœpta paraui,
Perficere eſt animus.

Aeneid. 4.

Et in ſacris literis dure admodum legimus redarguiſſe Moyſem filios fratris ſui Aaron, quia ablatum hircum repererunt in fauillā redactum, abſq; eo, quòd ſacerdotes de illo comediſſent, qua in comeſtione oblatio finiebat. Ita in lege gratiæ ſacramenti inte-

Sacrificium deferendum ob reconciliationē cū inimicis.

gritas adeò ſeruatur, vt ſi quis poſt conſecrationem ſacerdos celebrans vita exceſſerit, alium eſſe ſubſtituendum decernatur, qui cœptum continuet ſacrificium. At Dominus noſter ipſum etiam ſacrificium interrumpi vult, & iubet, vt concordia conſeruetur, vultq́. vt ſaltem mente, ſi corpore ſine nota non liceat, illud nos relinquere,
E
vt fratribus toto nos animo reconciliemus: nam, vt Auguſtinus ait, *plerumque affectibus potius, & effectibus, quàm pedibus ad fratrem ire debemus.*

Aug. in trac. de ſerm. Dom. in monte.

Quod facere ſine dubio, qui Chriſtianam perfectionem optant, ſemper debent, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè habeat aliquid proximus noſter aduerſum nos. Cuius rei ſingulare exemplum præbuit nobis Ioannes ille cognomento eleēmoſynarius, qui incruentum offerens ſacrificium, ea ipſa hora, in qua ſacrum velum à ſanctis donis aufertur (ideſt poſt conſecrationem, cum eſſet recitanda oratio Dominica) recordatus cuiuſdam clerici erga ſe offenſi propter ſuſpenſionem
F
iuſtam, ſignificat Diacono, vt connexam reſumeret petitionem, & ſæpè diceret, donec ipſe rediret. Ipſe autem ventris leuandi neceſſitatem prætexens, egreſſus ab altari celeriter ad ſe venire iuſſit clericum illum, & procidens ad pedes eius, coram omnibus veniam poſtulauit. Quo facto motus clericus, & ipſe quoq; procidens veniam petijt: ſic fratri reconciliatus ad altare redijt, & cum fiducia cecinit: *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus*, memor verbi Saluatoris iam indicati: *ſi offers munus tuum*, & quæ ſequuntur. Quo in loco, licet munus intelligatur, (vt communiter Sancti Patres exponunt) quodcunque opus ex-
G
ternum, quo Deum promereri ſtudemus, vt eſt oratio, ieiunium, afflictio carnis, eleēmoſyna, & ſimilia: ſanctus tamen Ioannes de ipſo etiam intelligi ſacrificio voluit: quia quæcunque ſint noſtra munera, tunc tantum Deo illa gratia eſſe nouit, quando offerens *illi gratus* eſt. quando ſcilicet capiti Chriſto per fidem, & dilectionem, cæteriſq́ue membris per charitatem cohæret.

Sur. in eius vit. tom. 1.

Matt. 6. 12.
Matth. 5. 23.

Rom. 12. 20. 21.

Merito itaq; B. Paulus: *Noli vinci*, clamat, *à malo, ſed vince in bono malum, ſi exurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitierit, potum da illi; hoc enim facient, carbones ignis congeres ſuper caput eius:* etenim
H
contraria contrarijs curantur, & non poteſt vinci malum, niſi à bono; ſicut nec vincitur bonum, niſi à malo. Docet Macharius Aegyptius fabula quadam à Plutarcho deſumpta (licèt enim fabulæ ad veritatis confirmationem non conducant, vt tamen Gregorius Niſſenus docet, ad eiuſdem veritatis explanationem non parum inſeruiunt) quę inter ſubſolanum, & ſolem maxima quadam orta contentio narratur, vter ſcilicet eorum prior viatorem quempiam veſtibus exuere poſſet. Sicque cum maxima vi ſubſolanus cœpiſſet flare, vt pallium à viatore detraheret, ille venti violentia motus, ma- I
gis, ac magis pallium ſibi aptauit, adeoq́. fortiter tenuit, vt nunquam, licèt ad momenta ingraueſceret ventus, illud dimittere voluerit: at vix ſolis radios viator experiri cœpit, eum eorum feruore permotus, ſponte ſua primò pallium, deinde cæteras etiam veſtes depoſcit. Qua fabula commodè oſtenditur, calore potius charitatis ſuperari homines, quàm violentia vindictæ, vel alterius damni. Quod & ipſe quamuis ethnicus Philippus rex Macedonum nouit, qui teſte Plutarcho, hortantibus amicis, vt Archidionem perpetuo ſibi maledicentem puniret, cùm occurriſſet homini, humaniter cum illo allocutus, mox etiam donis ad eum miſſis, percontari eos poſtea iuſſit, quomodo iam de ſe apud Græcos loqueretur, cunctis teſtificantibus, iam mirum eum Philippi laudatorem eſſe factum: *Ego igitur*, inquit, *melior medicus fui, quàm vos*. Tali etiam pacto exiſtimauit noſter Tobias, ſe Angelum placare poſſe, ſibiq́ue iterum reconciliatum reddere, quod eum conſequutum fuiſſe, vt Angelus oſtenderet, tali pacto reſpondit.

Machar. Aegypt. hom. Plut. in Apopht. Greg. Niſſ.

Fabula de vēto, ac Sole.

Inimicus beneficiis ſuperatur.

Plutar. li. 1. de cohib. ir.

VERS. XX.

Dixit autem illi Angelus: Ego ſanum ducam, & ſanum tibi reducam filium tuum.

VERS. XXI.

Reſpondens autem Tobias ait: Benè ambuletis, & ſit Deus in itinere veſtro, & Angelus eius comitetur vobiſcum.

1 *Raphaël cur abſolutè ſpoponderit ſe ductorem, & reductorem fore Tobiæ.*
2 *Deus cuſtos viarum noſtrarum.*
3 *Angeli cuſtodia quàm valida.*

VERS. XX.

EGO *ſanum ducam*. Eiſdem ferè verbis cōfirmat Raphaël, quod ante promiſerat, ſe nimirum ducem, reducemq́. fidelem futurum iunioris Tobiæ: & licèt non benè videatur locutus, dum ſine conditione, & abſolute loquitur, cùm Iacobus doceat, conditionatè ſemper de futuris eſſe loquendum, hoc eſt, *ſi Dominus voluerit: ſi vixerimus:* non autem: *hodie, aut craſtino ibimus in illam ciuitatem & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis, quid erit in craſtrino;*

De futuris cū conditione loquendū eſt.

Iac. 4. 13. 14.

cer-

certus tamen ille de diuina voluntate ſic lo-
qui poterat, vt etiam nos poſſemus, ſi Deus
nobis, quæ futura ſunt, reuelaret. Quare
non amplius de fide ductoris trepidus ſubdit
Tobias.

VERS. XXI. *Arabs.* *Benè ambuletis.* Arabs: *iter facite in bono,*
proſpero ſcilicet itinere, expedito, & ſine
impedimentis.

2 *Et Dominus ſit in itinere veſtro,* Qui ni-
mirum, vt in Deuteronomio dicitur, cir-
cunduxit populum ſuum, & cuſtodiuit, vt
pupillam oculi, ſuper eum volitanit, aſſum-
pſit, portauit in humeris, & dux eius fuit,
Deut. 1. 33. & quidem *in columna nubis* per diem oſten-
& 31. 15. dens illis viam, *& in columna ignis* per
noctem: & vobiſcum ſit, omnemq. auertat
à vobis temporis inclementiam, aſperitatē
viæ, malorum occurſum, hominum, beſtia-
rum, & denique ea omnia, quæ proſperita-
tem veſtri itineris retardare valent.

3 *Et Angelus eius comitetur vobiſcum.*
Angeli potētia admirabilis. præſidio nimirum ſuo vobiſcum ſit, quia ad
grandia, & mirifica perpetranda eorum vnus
ſufficit: etenim vnus ſolus fuit, qui occidit
vna nocte centum octoginta quinque millia
Aſſyriorum, quiq. dux fuit filiorum Iſrael
Sup. hoc eod. c. verſ. 4. doc. 2. per deſertum. Sanè conſueſcere Deum mi-
niſterio Angelorum peculiaria nobis auxi-
lia conferre ſupra docuimus, noſque per eos
à malis imminentibus liberare, iuxta illud
Pſ. 90. 11. pſalmi: *Angelis ſuis Deus mandauit de te,*
vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.

Quòd iter arripere nullus debeat, niſi poſt diuinæ protectionis inuocationem.

DOCVMENTVM.

A DOCET Sanctus Tobias, quē
noſtri itineris ſocium opta-
re debeamus ac Ducem,
Deum nimirum, & Angelum
eius, qui nos euntes, & re-
deuntes protegat: nam li-
cèt Deus ſecundum eſſentiam ſuam vbiq; &
apud omnes, cum omnibus, & in omnibus
Act. 17. 27 vbique ſemper ſit: *neque enim,* ait B. Paulus,
longè eſt ab vnoquoque noſtrum, cum in ipſo
viuamus, moueamur, & ſimus; eſt tamen
Deus aliquibus ſpecialius adeſt. quoad ceteros effectus, nimirum, auxilia,
& gratias, cum quibuſdam ſpecialius, dum
ad certum aliquem finem ea homini tribuit,
quibus illum attingere valeat, omniaque
contraria, & aduerſa remouet, ac tollit
tam in corporis, quàm in fortunæ, animiq.
B bonis. Sic ſacræ literæ dicunt Dominum
Gen. 21. 2. fuiſſe cum Iſmael, dum ipſum præ ſiti defi-
cientem, & à matre iam derelictum enutri-
Gen. 31. 5 uit, & conſeruauit in ſolitudine: cum Ia-
cob, dum eum tam mirifice ditauit, & è ma-
Act. 7. 10. nibus liberauit Eſau: cum Ioſeph patriar-
chā, *quia,* vt ait Sanctus Stephanus, *eripuit*
eum Dominus ex omnibus tribulationibus
eius, & dedit ei gratiam, & ſapientiam in
conſpectu Pharaonis regis Aegypti, & con-
ſtituit eum præpoſitum ſuper Aegyptum, &
ſuper omnem domum ſuam. Tali itaque
ſpeciali modo vt adſit & cuſtos, & comes
precatur Tobias Deum: quo etiam pacto C
antiqui patres iter habituri conſueuerunt
Dominum inuocare, ſcientes, quia, vt teſtis
eſt Dauid, *ſolus Dominus proſperum iter fa-* *Pſ.* 67. 20.
ciet nobis: & hodie in Religioſorum fami-
lijs, & præcipuè in clariſſima illa Domini-
canorum, id moris inoleuit, vt recedentes
fratres religioſi è domo, coram ſacroſancto
altaris ſacramento, vel aliqua ſacra imagi-
ne proſtrati, antequam iter arripiant, pro iti-
neris proſperitate preces ad Deum fundant,
illumque comitem itineris illis verbis inuo-
cent: *In viam pacis dirige nos, Domine, vt* *Breuiar. Ro. in Itinerario Cleric.*
cum ſalute reuertamur ad propria, & An-
gelus comitetur nobiſcum, & iuxta præſcri- D
ptos ordines reuertentes, eodem modo pro- Deus ante itineris exordium inuocandus.
ſtrati gratias agunt: nec diſſimili ritu Eccle-
ſia iter facturis clericis Deum inuocandum
præſcribit in fine Romani Breuiarij. Et ſanè
quid iter facientibus beatius contingere po-
teſt, quàm Deum ipſum comitem itineris
habere? Nam, vt Chryſoſtomus ait: *Nihil* *Chryſ. ho. 50. in Gen.*
fortius eo, qui ſecum habet Deum, hic nihil
reformidat; ſed omnia vincit, & ſuperat.
O ſocietas? ecquid dignius eſſe poteſt, quàm
maieſtatis eius comitem fieri, cui ſeruire
regnare eſt? quid iucundius, quàm ſocieta-
te Dei, omnī tædio carente, & conuerſatio-
ne illius frui, *delectationes,* vt Dauid loqui- *Pſ.* 15. 11.
tur, *in dextera ſua habet vſque in finem?*
quid vtilius, quàm cum eo iter facere, de
quo ſub ſapientiæ nomine ait Salomon: *Sap.* 7. 11.
venerunt mihi omnia bona pariter cum illa,
Qui Cæſarem vehebat nauclerus, vt Plu- *Plutarch.*
tarchus refert, ob tempeſtatem retro ſcaphæ
curſum vertere dum ſtatuiſſet, à Cæſare ani-
matus eſt, metumque poſuit, conſiderans,
quòd Cæſaris fortunam gereret: & quid ille
timebit, qui Dei, vt ſic dicam, fortunam
ſecum habere cognoſcet? Nam ſi mare naui-
gat; *mare, & venti obediunt ei:* ſi terram
ambulat, ipſe *cuſtodit introitum tuum, &*
exitum tuum: ſi inter hoſtes verſatur, *docet*
manus tuas ad prælium, & digitos tuos ad
bellum: vnde iure Dauid, *ſi ambulauero,* *Pſ.* 22. 4.
ait, *in medio vmbræ mortis, non timebo ma-*
la, quoniam tu mecum es. Meritò igitur pre-
catur Tobias: *Benè ambuletis, & ſit Do-*
minus in itinere veſtro.

VERS. XXII.

Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri ſuo, & matri ſuæ, & ambu-

la-

Digitized by Google

lauerunt ambo ſimul.

VERS. XXIII.

Cumque prrofecti eſſent, cœpit mater eius flere, & dicere: baculum ſenectutis noſtræ tuliſti.

1 *Quæ parauerit Tobias pro itinere.*
2 *Qua ſalutatione vale dixerit parentibus.*
3 *Lacrymæ dolorem leuant.*
4 *Filij quomodo ſint parentibus baculum ſenectutis,*

VERS. XXII. TVNC poſt datam à patre veniam, nulla interpoſita mora, iunior Tobias,
1 *Paratis omnibus, quæ erant in via portãda*, chirographo, nimirum, Gabelo poſt receptam pecuniam reſtituendo, & alijs pro viatico neceſſarijs, nempe pane, & obſonio; neque enim, vt infra videbimus, erant tunc, quæ
Inf.c.8.v.21 apud nos hodie cauponæ & diuerſoria; ſed ea in Oriente præſertim, viatorum ratio erat, vt vel humeris, vel iumentis ſua ſecum cibaria deferrent.

2 *Fecit vale patri ſuo, & matri ſuæ*, amica eos ſalutatione compellans, ea ſcilicet, quæ amplexibus, & oſculis fieri ſolet, vt legimus feciſſe Laban, dum icto fœdere cum Iacob genero ſuo, vale dicens in monte Galaad fi-
Gen.31.55 liabus, & nepotibus ſuis, *oſculatus eſt filios, & filias*, ait ſacra hiſtoria, *& benedixit illis.* dulcis enim eſt applicatio liberorum, anhelitusq. ſuauiſſimus, vt eſt apud Euripidem:

Eurip. in Medea. ὦ γλυκεῖα προσβολὴ,
ὦ μαλθακὸς χρὼς, πνεῦμά τ' ἥδιστον τέκνων,

Quin & Epheſios fideles magno cum fletu in
Act.20.37 B. Pauli diſceſſu collum illius amplexatos legimus, vt eum deoſcularentur, quod multo magis factum fuiſſe cenſendum eſt inter Tobiam, & chariſſimos ipſius parentes.

Sic itaque ille facto parentibus vale, diſcedens cum Angelo, ambulauerunt ambo ſimul.

VERS. XXIII. *Cumq. profecti eſſent.* Credibile eſt tamdiù Tobiæ parentes abeuntem filium oculis eſſe proſequutos, quandiu licuit, cumque ille tantum elongatus eſſet, vt ampliùs non appareret, Anna mater tam amabilis filij ſuaui aſpectu ſe deſtitutam ſentiens,

3 *Cœpit flere.* Nam ſicut ſanies vlceri incluſa ęgri dolores exagitat, & excluſa miti-
Lachrymę dolorem leuant. gat: ita lacrymæ ægri cordis dolores incluſæ augent, & leniunt excluſæ. Vnde vehemens eſt illorum dolor, quem lacrymæ placare nequeunt: nam vt magnus fumus denigrat domum, niſi habeat, vnde exhalare queat, ſic ex calamitatum igne exortus dolor, hominẽ atra bile corrumpit, ni lacrymis per oculos exeuntibus conſumatur, de qua re videri
Sup.c.3.v.1. docum.3. poſſunt, quæ ſupra diximus.

4 *Baculum ſenectutis noſtræ tuliſti, & tranſmiſiſti à nobis.* Eſt baculus ſtirps, ſeu ſcipio, quo præcipuè imbecilles ad ſolatiũ, vel ſuſtentaculum greſſus vtuntur: cum autem parentes adeo toti eſſe ſoleãt in liberis, vt præ nimia dilectione ſine illis ſibi deficere videantur, vocat Anna filium Tobiam baculun ſenectutis ſuæ. Sanè vt ſupra indicatus poeta cecinit, Euripides.

Filij maſculi columna ſunt familiarũ,
& alibi:
Mulier egreſſa paternis ædibus,
Non amplius eſt parentum, ſed coniugis:
Maſculum vero genus perpetuo manet in ædibus.
Deorum paternorum, & ſepulchrorum limitem honorat.

Quòd propter filiorum ſalutem maximũ voluerit eſſe Deus amorem parentum erga eoſdem, non tamen inordinatum.

DOCVMENTVM.

NE deficeret naturæ conditor in ijs, quæ ad vitam conſeruandam ſunt neceſſaria, A
maximeq. neceſſarium eſſet, vt parentes filios diligenter educarent, eoſque ab iniurijs teneræ ætatis vindicarent, nihil ad hoc commodius facere potuit, quàm ardentiſſimum prolis amorem eis ingenerare: hoc enim vel vno natutæ beneficio ſatis ſuperque huic educationis muneri cõſultum nouerat, cum nihil amore fortius, nihilq. ad labores perferendos potẽtius eſſe poſſit. Vnde S.Bernard. Bernard.
in eo, inquit, *quod amatur, aut nõ laboratur,*
aut etiã labor ipſe amatur, ſic cum maior B
auibus à natura in alendis filijs labor indictus ſit, dum ſicut cætera animantia, diſtenta lacte vbera non gerentes, quòd earum volatus plus iuſto tali põdere grauatus fuiſſet, neceſſe habent ſibi ipſis, & filijs cibum quæritare; diuina prouidentia factum eſt, vt etiam maiorem amorẽ in partus haberent. Volucribus maior in prolem amor, quàm cæteris animantibus.
Quod in gallina vſq; eo apparet, quę cũ maximè timeat, & fugiat homines, ob pullorum tamen defenſionem armatum etiam
hominem aggredi non veretur; vt ipſe Do- C
minus maximum ſuum erga genus humanũ Matth.23
explicaturus amorem, illi ſe comparauerit 37.
dicens: *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub* Dominus gallinę ſe comparat, quòd ſummè illa prolem diligat.

alas,

alas, & noluiſti? nullo enim arctiore vinculo homo homini iungitur, nullo minus ſolubili nexu, quàm eo, quo parentes liberis. Quare multa licèt velimus patriæ debere, multa parentibus, multa demum multis; filiorum tamen cauſa, ſolum patrium, parentes, & cætera ſi quæ ſunt, quæ magis nos vrgeant, relinquere non dubitamus. Cuius rei, vt innumera fere exempla profana prætercream, vnum illud Iſraëlis ſufficiat: quem ſicut ſacræ literæ narrant, patriam, &

'en.

D amicos reliquiſſe conſtat, vt filium, quem tanquam mortuum fleuerat, in Aegypto regnantem videret. Non itaq; mirum, ſi & Anna, & cæteri parentes pluris faciunt præſentiam, & incolumitatem filiorum, quàm cætera omnia.

At mirandum valdè eſt, eòuſque aliquorum parentum amorem proceſſiſſe erga liberos, vt pluris faciant illos, quàm ipſum Deum, magiſque eorum commodis temporalibus conſulant, quàm æternis. Quod Deo optimo maximo adeò diſplicere oſten-

'r. 7. 16.

dit Ieremias, vt pro huiuſmodi nec exorari quidem velit. Sic illi Dominus: *Tu noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Sed quæ, ò piiſſime, te cauſa impulit, vt inexorabilis

nor inordi .tus paren- m in filios :o maxime uiſus.

E fieres? *Nonne vides*, ait, *quod iſti faciunt in ciuitate Iuda, & in plateis Ieruſalem? filij colligunt ligna, & ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cæli, & libent dijs alienis, & me ad iracundiam prouocent.* Fouent patres, & matres paleas, & vanitates filiorum: matres fucó, ac pigmentis dum illis filias artificioſè ornant, patres veſtimentis pretioſis, & nummis, quibus ignem vanitatum filiorum ſuccendant. Sic omnes ſimul libant vanis, & vt luna, inſtabilibus mundi idolis: ò crudeles parentes. & illis

'ſ.105.37 8.

crudeliores, quos proprios filios, & filias dæmonijs immolaſſe teſtatur Dauid, dum

F ait: *immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs, effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaam.* Etenim corpus illi, non animam filiorum perdiderunt, at iſti corpus ſimul, & animam. His tamen iuſto Dei iudicio euenit, quod ſolet contingere pædagogo, qui prauis artibus eos filios imbuit, quos bonis moribus erudiendos ſuſcepit, à cuius cuſtodia parentes filios, ne deteriores fiant, remouere ſolent: ita omnium auctor, & parens Deus, qui naturales patres, tanquam filiorum pædagogos inſtituit, vbi muneri ſuo eos non reſpondere nouit, à filiorum tutela frequentiſſimè reijcit, & filijs orbatos relinquit: quod manifeſtum apparuit,

eus parēti- ıs filios eri it, cum in s educādis egligenres unt.

G vt ſacræ teſtantur literæ, in magno Hebræorum ſacerdote Heli, cui *eo, quòd nouerat*

.Reg. 3. 3.

agere indigne filios, & non corripuerit eos, à Domino dictum eſt: *pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit,* vt deinde contigit, & ipſe cum nuntium accepiſſet de morte filiorum, *cecidit de ſella, & mortuus eſt.* Quare cauere ſibi debent parentes; ne amore inordinato filios diligant, taliq. pacto magis ſibi ipſius, & liberis noceant, quàm proſint.

& c. 2. 33.

VERS. XXIV.

Numquam fuiſſet ipſa pecunia, pro qua miſiſti eum.

VERS. XXV.

Sufficiebat nobis paupertas noſtra_, vt diuitias computaremus hoc, quòd videbamus filium noſtrum.

1 *Pauperior, qui cupidior.*
2 *Iuſtus pauper diuite felicior.*
3 *Prob us filius non leue parentibus eſt ſubſidium_.*

A

VERS. XXIV.
LXX.
Syrus.

NVMQVAM *fuiſſet.* Septuaginta: *Argentum argento non anteuertat; ſed periſpema filij noſtri ſit.* Syrus: *Argentum ad argentum non perueniat*, hoc eſt, nunquam ad talem pecuniam exigendam filius noſter perueniat; ſed contemnat illam, quaſi rem abiectam, ſcobem, ramentum, remque viliſſimam. Arabs: *ſed hæc pecunia pereat.*

Arabs.

VERS. XXV.
Pauper eſt non qui parū habet, ſed qui plus cupit quam habet.
Senec. ep. 2.
Idem ep. 108.
Chryſ. hom. 5. de ſid. ann.

1 *Sufficiebat nobis paupertas noſtra.* Sanè vel ipſo teſte Seneca, non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt: nam vt idem ait:

> *In minimo eget mortalis, qui minimum cupit.*
> *Quod vult, habet, qui velle, quod ſat eſt, poteſt.*

2 Et, vt docet Chryſoſtomus, felicior eſt iuſtorum pauperum conditio quoad corpus, quàm diuitum: nam, ait, *nemo dicere poteſt, quòd pauperes ſoli egeant, diuites ſemper proſpera vtantur valetudine: contrarium quidem videre licet, pauperes non facilè inſanabilibus morbis capi; ſed eos paſſim in diuitum corporibus prouenire.* Sed non ſolum felicior illorum eſt conditio quoad corpus, ſed etiam quoad animam, nam, vt ait Baſilius, *paupertas pædagogus eſt ad colendam pietatem*; contra diuitiæ anſam præbent ad contumelias, & irrogandas iniurias.

Baſil. in c. 2. Iſa.

3 *Vt diuitias computaremus.* Etenim non ſolum filiorum eſt honorare, & colere parentes, ſed eis etiam quaſi dominis miniſtrare, ſemperq. illis auxilio, & ſubſidio in

Eccli. 3.8.

omnibus eſſe. Vnde Sapiens, *Filius, qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi dominis ſeruit ijs, qui ſe genuerunt.* Quin, ſicut Pſaltes ait, & illorum eſt à parentibus propulſare iniurias: nam ait ille: *ſicut ſagitta in manu potentis, ita filij excuſſorum.*

Pſ. 126. 4.

Ianſen. ibi.

hoc eſt, vt exponit Ianſenius, filij iuuenes, & ad opus expediti, ſunt parentibus velut ſagittæ in manu alicuius robuſti, vt quomodo fortis aliquis vir ſagittas in hoſtes vi maxima iaculatur, ita & illi filijs ſuis ad ſuperandos, & ſupprimendos hoſtes ſuos ſunt potentiſſimi.

Quòd pecuniæ, & diuitiæ plus noceant poſſeſſoribus ſuis, quàm proſint: vnde potius reijciendæ, quàm deſiderandæ ſunt.

DOCVMENTVM I.

A

ANIMADVERTENS Anna, pecuniam fuiſſe triſtitiæ ſuæ cauſam, vt hic liquet, ab illa ita abhorruit, vt dixerit, *nunquam fuiſſet ipſa pecunia.* Ita ſanè, & mundani homines contra eam dicerent, ſi illam, non maximam, vt faciunt, ſuæ beatitudinis partem: ſed grauiſſimarum omnium miſeriarum, vt verè eſt, cauſam, & fomentum exiſtimarent. ſic æger cõtra cibum, vel potum, cuius dulcedine delinitus, ſui morbi pręſentaneum remedium expectabat, loquitur, ſi eum originem, & fomentum morbi fuiſſe deinde cognoſcit: non quod opibus non poſſimus benè vti, & illis etiam regnum cæleſte promereri,

B

vt noſtra ætate S. Carolus fecit, annuos ſuos prouentus omnes in pauperes, & pia opera diſtribuens; ſed quia mundanis viris, qui non vt paſcant pauperes, illas cumulant, ſed magis, vt eos potentia ſua opprimant, vel vt terrenis tantum abundent commodis, nimirum magnificis apparatibus, pretioſis veſtibus, delicijs, & quibuſcunque rebus ad oblectamentum corporis idoneis, æternæ ſunt mortis occaſio.

Diuitiæ damnationis occaſio.

Vnde per Amos Dominus: *Væ vobis,* ait: *qui dormitis in lectis eburneis & laſciuitis in ſtratis veſtris, qui comeditis vitulum de armento, & bibitis vinum defæcatum, & primis vngimini vnguentis:* quo vno verbo *væ* omnis omnium malorum, & miſeriarum, & calamitatum ſumma concluſa eſt: nam, vt Chryſoſtomus ait: *quanto copioſius diuites ſuis opibus ambiuntur, tanto oneroſius vinciuntur.*

Amos 6. 4.

Chryſ. hom. 4 in Matth.

C

Incredibile enim eſt, quantopere omne virtutis ſtudium multæ pecuniæ extinguant, & cæleſtium rerum cogitationem, & amorem, & memoriam quoque ipſam omnino deleant, & ad alia omnia conuertant: idque ob maximam, quam requirunt, ſolicitudinem, vt cuſtodiantur: eius enim naturæ cum ſint, vt ſemper dilabantur, & aliorum quoque rapinis, & iniurijs pateant, quin & ad omnes caſus fortuitos ſint expoſitæ, magnam omnino cautionem, animiq́. præuiſionem requirunt.

Studium virtutis extinguunt.

Vnde in prouerbijs philoſophorum legitur, Diogenem Laërtiũ, cuidam de nocte ſibi ſacculum cum nummis è lectuli capite ſubtrahere conanti dixiſſe: *Tolle infelix, vt facias vtroſq́. dormire*: ſignificans, pecuniam poſſeſſoris, & raptoris quietem non parum perturbare, dum illi, vt eã cuſtodiat, iſti, vt eam ſuffuretur, nõ ſemel euigilandum: ſed minimum hoc eſſet malum, ni æternum etiam *væ* animæ inducerent, vt B. Paulus oſtendit de ijs, qui diuitias exoptant, dum ait: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Quare dicam cum B. Iacobo. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſerijs veſtris, quæ aduenient vobis: Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus.* Flete cum Anna, & dicite: *Nunquam fuiſſet ipſa pecunia,* pro qua in tot mala incidimus &, vt B. Paulus ait: *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus.*

Philoſophi dictum in furt.

Animi quietẽ auferunt.

D

1. Tim. 6. 9

Iac. 5. ver. 1. & 3.

1. Tim. 6. 8

Quòd cupiditas diuitiarum inexplebilis ſit.

DOCVMENTVM II.

A

QVANTVM diſtaret animus Annæ ab eo, qui nnnquã diuitijs exſatiatur; hæc eius verba non obſcure indicant: *ſufficiebat,* ait, *nobis paupertas noſtra,* paupertas nimirum, cum animo ſua ſorte contento.

Sup. c. 2. v. 17

Quis diues? ait Auſonius, *qui nihil cupit; quis pauper? auarus*

Auſon. ex Biante.

Quæſtus enim magnus eſt, ait B. Paulus *pietas cum ſufficientia.* Pietas ſcilicet illa, quæ in Anna erat cum animo in ipſa ſua paupertate contento.

At non is animus mortalium; nam ea eſt in eis inordinata diuitiarum cupiditas, ea auri fames, quam auaritiam vocant, vt licet ditiſſimi ſint, nunquam tamen cum Anna dicant, *ſufficit.* Hinc de auaro dicit Eccleſiaſtes; *Auarus non implebitur pecunia,* Et Claudianus:

Diues ille eſt qui nihil cupit.

Eccl. 5. 9.

B

Claudian.

Sitis diuitiarum expleri non poteſt.

Non Tarteſſiacis illum ſatiaret arenis.
Tempeſtas pretioſa Tagi: non ſtagna rubentis
Aurea Pactoli, totumq́. exhauſerit Hermum:

Ar-

Ardebit maiore ſiti.

Chryſ. ho. 81. in Matth.

Nam, vt Chryſoſtomus ait: *Quemadmodum ignis addita materia magis effertur, ſic pecuniarum cupiditas adiectione auri magis extollitur.* Et Nazianzenus: *Quid eſt*, inquit, *pecuniæ ſtudium? an non vere dolium perforatum, toto fundo perfluens, cui ſi vel totum mare effundas, ea natura eſt, vt impleri non poſſit?*

Naz. in orat. ſu. aeb. de Plavilla.

Pier. lib. 6.

Sic refert Pierius, olim in litore Africano columnam extitiſſe, in qua vir erat cælatus, cui ſerpens diro morſu ſitim, quæ nulla aqua ſedari poterat, efferebat; quam ob cauſam aderant & fœminæ, quarum quædam aquam hauriebant, aliæ aquã ſummoperè ſitienti propinabant; quo ſymbolo auari hominis imaginem expreſſam fuiſſe dicit, quippe qui ab auaritia, quaſi à ſerpente, qui dipſas à verbo Græco διψάω, ideſt, ſitio, dicitur, (quòd illos, quos mordet, adeò ardenti conficiat ſiti, vt quo potant magis, eo magis ſitiant) percuſſus, exſatiari nulla diuitiarum quantitate queat.

C

Virg. Aen. li. 3

Sed vt Poëta Latinus cecinit:

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Auarorum cupiditas impia.

D

Maria cupidus nauigat, profundam excauat terram, ipſa mortis pericula contemnit, & quem inſtar piæ matris nocuũ cibum natura ſubtraxit, aurum nimirum, in abditis terræ viſceribus illud retrudens, ne ſuo ſplendore homines excæcaret; ipſe ſolicitè excauat, & auidè inter ipſa mortuorum cadauera poſcit. Quam auarorum cupiditatem vt ſugillaret Nitocris Babyloniorum regina, quam alij Semiramim appellant, vt refert Herodotus, ſupra portas vrbis celeberrimas in loco edito, atq; conſpicuo ſepulchrum ſibi extruxit, illudq. his literis doloſè inſcripſit: *Si cui regum Babylonis poſt me futurorũ fuerit pecuniæ penuria, aperto ſepulchro ſumat quantumcunque libuerit, pecuniæ duntaxat indigens, aliter ne aperiat, non enim ſatius fuerit.*

Semiramidis factũ inſigne. Herod. lib. 1. poſt med.

E

Quod tandiu fuit immotum, quandiu regnum peruenit ad Darium, qui indignum eſſe ratus non ſumere pecunias in illo repoſitas, & ipſum prouocantes, reſerauit monumentum: in quo non quidem pecunias inuenit; ſed literas ita dicentes: *Niſi pecuniæ eſſes inexplebilis, & turpis lucri cupidus, haud aperuiſſes vrnas defunctorum.* Quibus verbis Nitocris auaritiam eius maximam futuram oſtendit, qui nec vrnis ipſis defunctorum parceret, vt aurum haberet.

F

At minima hæc cupidorum facinora, qui etiam deteſtabilioribus aſſueſcunt: nam, vt Auguſtinus ait: *Cùm auaritia alicui dominatur, ſubiectus malis omnibus demonſtratur*: quia de auaritia omnia mala oriuntur, & peccatorum omnium ſpinæ producuntur. Vnde meritò à B. Paulo dicitur Ῥίζα πάντων τῶν κακῶν, *radix omnium malorum cupiditas*, quod ex illa, ſicuti ex radice ramis, nulla non oriantur mala.

Aug. de lib. arb.

Auaritia malorum omnium cauſſa.

1. Tim. 6. 10.

Chryſ. in hūc locum B. Pauli hom. 17.

Vnde Chryſoſtomus: *Nonne*, ait, *diuitiarum gratia rapimus? inimicitias ſubimus? contentiones teximus? ad mortuos vſque impias quidam extendere manus, ad parentes, ad patres? Tolle pecuniarum ſtudium, & omnia mala ſublata ſunt, conquieuit bellum, ceſſauit pugna, hæreſes, inimicitiæ. Quemadmodum furentes ventis miſcent maria, vel arena ipſa è fundo excitata, ita cupidi omnia penitus miſcent. Neminem, qui huiuſmodi eſt, amicum nouit. Quid amicum dicimus? ne ipſum quidem ſcit Deum. Non aſpicitis ferro accinctos prodire Titanas? ſunt illa figmenta, veſania; at qui ſunt huiuſmodi inſania furunt. Si nudam illorum animam videant, non vno, ſed mille inuenies præcinctam gladijs, nullum cognoſcens, ſed æque furere in omnes*: Hæc Chryſoſtomus

G

Plut. li. de cupid. diuit.

Sed rogo, & quæ ex tota malis auaro lucra? Famelicus vbi comedit, famem expleuit: ſitibundus, vbi potum hauſit, ſitim ſedauit: iratus animus, vbi de hoſte vindictam ſumpſit, conquieſcit: pecunia verò nec poſtquam acquiſita eſt, vel minimum affert ſolatium.

Auarus diuitiis non fruitur.

Eccl. 5. 9.

H

Senec. ep. 53.

Benè itaque Sapiens: *Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* *Vidiſti*, ait Seneca, *aliquando canem miſſa à Domino fruſta panis, aut carnis aperto ore captare? quicquid accipit, protinus integrum deuorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat; quod auaro euenit, cui quicquid expectanti fortuna proijcit, ſine vlla voluptate dimittens, ſtatim ad rapinam alterius erigitur.*

Ambroſ. de Naboth, & vinea to. 4. c. 2. in fin.

Sic refert Ambroſius, diuitem quendam benè ſibi notum fuiſſe, qui in agrum proficiſcens, panes breuiores vrbe delatos numerare ſolebat, vt pro numero panis æſtimaretur, quot dies in agro futurus eſſet. nolebat obſignatum aperire horreum, ne quid de cõditione minueretur: panis vnus ſingulis diebus deputabatur, qui tenuem vix ſatiare poſſet; cuius et iam viri fidem eam eſſe comperit, vt ſi quando ouum ei eſſet appoſitum, quereretur, quod pullus eſſet occiſus.

Auari mira turpitudo lucri.

I

O auari hominis miſeriam. Infelix, & eo dignus ſupplicio, quo, auorum memoria, Sigiſmundus imperator Philippum Florentinum, quem vulgari Florentinorum nomine Pippum hiſtorici dicunt, affecit. Is, teſte Sabellico Ducem ſuum contra Venetos, quod in Pannoniam, re infecta, auro corruptus reuertiſſet, auro igne liquato (quo ſupplicio prodit antiquitas, à Parthis Craſſum, & à Tomyri Scytharum regina Cyrum affectos) ſitim eius ſedauit, dicens: *Aurum ſitiſti, aurum bibe.* Et Naitonus narrat ab Haolano Caliphum inedia mori coactum, cum illum intra cubiculum auro, gemmiſque refertum incluſiſſet, quòd neceſſario ſumptui pepercifſet in bello.

Sabell. lib. 9. Aenead. 9. antiquitas. Ioſeph. 14. antiq. c. 13. Sabell. Aen. 6.

Aurũ ſitiens aurum bibit.

Naiton. Armenus in hiſt. de tartar. c. 26.

K

Quòd ſi cauſam quæris, cur cætera deſideria expleantur, nunquam vero auaritia,

Seneca. Auri fames cur inexplebilis.

Reſpondit Seneca: *Quia plus incipit habere poſſe qui plus habet.* Acutè ſanè nam procul poſita, velut impoſſibilia, & difficilia minus deſiderantur; in ea vero præceps animus incurrit, quæ ad manum, & velut ante oculos ſunt poſita. Alias aſſignat huius rei rationes Hugo, inter quas illa mihi videtur eſſe præcipua, quam ab animi humani conditione deſumit: nimirum, quòd obruere potius, vt lutum poſſunt, & fœdare ſpiritualem animam diuitiæ, quàm illam exſatiare: nam ſicut arca non valet ſcientia impleri, ita nec animus rebus corporeis. Hinc Habacuc: *Væ*, inquit, *ei, qui multiplicat non ſua, vſque quo aggrauat contra ſe denſum lutum?* vbi Gregorius *per denſum lutum*, ait, *terrenarum rerum multiplicitas figuratur: denſo enim ſe luto aggrauat, qui per auaritiam terrena multiplicans, peccati ſui ſe oppreſſione coanguſtat.* Aggrauat, hoc eſt, multiplicat, quia, quando res multiplicatur, aliquid additur, vnde fit grauior, atq; maior: Cæterum *lutum* vocat diuitias propheta propter earundem vilitatem, & *denſum*, quia citius in puluerem denſum lutum, quam molle conuertitur, & quia ex denſo luto facta ædificia, operoſum licèt habeant laborem, breuitate diſſoluuntur, ac pereunt: ſic, dum multiplicant auari denſum hoc diuitiarum lutum, *multiplicant non ſuum*, ſed beſtiarum cibum: nam luto ſerpens non paſcitur. Quare non magis inſanit qui corpus vento, quàm qui putat auarus, ſpiritum rationalem rebus poſſe corporalibus ſatiari.

Hugo Card. in Eccl. c. 5. 9

I. *Habac. 2. 6.*

Greg. lib. 34. mor. c. 9.

Quòd ſola paupertas animi noſtri cupiditatem ſedare in hoc mundo valeat.

DOCVMENTVM II.

A HINC fit, nullum alium eſſe, qui exſatiari in hoc mundo queat, niſi ille, qui ſua ſorte contentus cum Anna dicit: *Sufficit nobis paupertas noſtra*: nam ſicut Chriſtus docet: *Beati* ſunt *pauperes ſpiritu*: hoc eſt, bonorum omnium ſunt illi poſſeſſores, (eſt enim *beatitudo*, teſte Boëtio, ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus) qui *pauperes ſpiritu*, nimirum affectu, ſi non etiam effectu, nihil amplius deſiderare norunt, quàm quod habent. Nulli enim dubium, in maxima etiam terrenarum opum abundantia, earundem opum maximum eſſe poſſe contemptum, vt fuit in Abraham & Dauid. Quin & S. Gregorius Pontifex in maxima rerum copiæ conſtitutus pauperior ſpiritu, affectuq. erat quàm Sanctus quidam Eremita, qui ſolam catellam habebat. Græce enim pro *pauperes ſpiritu*, ponitur οἱ πτωχοὶ, mendici, & quales nos dicimus *pitocchi*, ſeu *meſchini*, ita Syrus ܡܣܟܢܐ *meſcine*, talium enim, vt ſubdit Chriſtus Dominus, *eſt regnum cælorum*: ò quales in paupertate diuitias. *Non habet paupertas*, ait Chryſoſtomus, *duos, tres, vel viginti loculos, rerum plenos, ſed ſic abundat, vt vniuerſum mundum paruipendat, & theſaurum habet in cælo. Regnum porrò atque aurum, & alia huius generis, quaſi pueriles ludos, trochos dico, & pilas aſpernatur.* Et B. Paulus: *Omnia*, inquit, *arbitratus ſum ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.*

Matt. 5. 3.

Boetii de beatitudine definitio.

Petr. Diacon. in eius act. in princ. op. eiuſdem S. Greg.

B

Chryſoſt. homil. 48. in Matth.

Phil. 3. 8.

Sed quatenus paupertas cæli regnum adipiſcatur, docuit Dauid, dum ait, *Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in ſeculum ſeculi.* quaſi diceret: Vis in æternum regnare? Vis ſpiritualibus, & veris abundare diuitijs? *declina à malo.* ſed quis à malo declinat præter eum, qui tollit radicem mali? Sicut enim qui malum aliquem fruticem vult è medio tollere, ne ſuppullulet, eius euellit radices; ita ſanè, cum teſte Beato Paulo, *radix omnium malorum ſit cupiditas*, ille ſolummodò à malo recedit, qui hanc malorum radicem è medio tollit; ſanctamq. ſaltem affectu amplectitur paupertatem, mundique rerum contemptum.

Pſ. 36. 27.

C

1. *Tim. 6. 10.*

Facit etiam paupertas ſpiritus hominem virtutis, ac iuſtitiæ amatorem, quod & ipſi ethnici docuerunt. Vnde Ephiales, teſte Aeliano, cuidam paupertatem ſuam exprobanti reſpondit; *Et cur etiam non alterum dicis, quòd iuſtitiam colam*, oſtendens vir ſapiens, paupertatem virtutum nutricem eſſe: nam cum nihil habeat in terris pauper, quod magni faciat, facilius, & felicius cælo hæret, quam diues. Sic coruum emiſſum ex arca à Noë, dicunt ſacræ literæ amplius non rediſſe, quia iacentia, vt SS. Patres docent, in montium cacuminibus detectis cadauera, vnde paſceretur, inuenit; ſic homines cupidi quaſi corui à ſempiterno illo Noë, (qui requies interpretatur) Deo recedentes, his mundi caducis rebus putidis, his cadaueribus ita paſcuntur, vt Deum ſuum quodammodo obliti, in illis conquieſcant. Sic diues ille Euangelicus animæ ſuæ aiebat: *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare*, at miſer tuto in loco pedem non fixit: vnde ſtatim audiuit, *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti, cuius erunt?* Verùm pauperes, quaſi columba illa, quam poſt coruum idem Noë ex arca emiſit, *quæ eum non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam, extenditq. manum, & apprehenſam intulit in arcam*: dum in terris non inueniunt vbi requieſcat pes eorum, animi ſcili-

Aelia. de var. hiſt. lib. 11. Pauper facilius iuſtitiā colit, quam diues.

D

PP. in Gen. apud Cat. Limpon.

Luc. 12. 19

Paupertas animū ad cæleſtia extollit, opes ad terrena deprimunt.

Gen. 8. 9.

E cet affectus, & amor (nam, vt Auguſtinus ait, *pes animæ amor intelligitur, amore mouetur tanquam ad locum, quò tendit*) proſperè ad ſuum Noë, ideſt ad requiem tendunt, & ad virtutem euolant. Chriſtus verò venientes non ſolum manu, ſed brachijs etiam excipit extenſis, eoſque non in arcam, ſed in regnum cælorum infert. Idcirco à ſanctis viris nonnullis non modo paupertas tanquã vtilis, eſt adamata, ſed tanquam diuinum quiddam culta. Vnde apud Antoninum legimus, Claram virginem, aliarum quidem omnium, ſed huius præcipuè amore ita exarſiſſe, vt ſuis ſororibus prædicare ſoleret, tum demum ſuum illud collegium ſtabile, & firmum futurum, cum propugnaculis, & mœnibus paupertatis quammaxime muniretur: quin etiam cum ab Innocentio IV priuilegium, vt illa appellabat, perpetuum paupertatis ſupplex precata eſſet, delectatus Pontifex noua illius priuilegij formula, cuiuſmodi nunquam ab Apoſtolica Sede ad eam diem poſtulatum affirmabat, non ſolum non negauit, ſed totum incredibli cum voluptate propria manu ipſe conſcripſit. Nec mirum tantum fuiſſe in virgine iſta huius virtutis ſtudium, cum fuerit Franſciſci alumna, qui non ſolum paupertatis commodis libentiſſimè fruebatur; ſed eam etiam quaſi rem eximiam, & cui nulla humana dignitas poſſet comparari, ita honorabat, colebatq́. vt, ſicut S. Bonauentura ſcribit, eam in omni ſermone modo matrem, modo ſponſam, modo dominam appellaret, ſæpè etiam reginam, propterea quòd in rege regum, eiuſque genitrice adeo inſigniter effulſiſſet. Quin & alios quoque ſanctos viros hunc ſancti Franciſci ſenſum habuiſſe non eſt dubitandum; neque enim ſancti eſſe potuiſſent, niſi mundo contempto: neque mundum contemnere, niſi hac certa opinione, iudicioq́, G adducti: inter quos magnus ille Nazianzenus, qui: *paupertatem*, inquit, *& inopiam exprobrabunt: at iſtæ ſunt diuitiæ meæ, hæc me non ſolum gloriantem, ſed, & arrogantem facit: videntur enim mihi inimici, dum hoc obyciunt, id obÿcere, quod in veſtigys illius incedam, qui propter nos inops factus eſt, cum eſſet diues. Atque vtinam exuere me poſſem panniculis iſtis, quibus circundari videor, vt nudus effugerem ſpinas ſeculi, quæ reuocant, & retinent pergentes ad Deum*. Sed quid in euangelij luce mirum eſt tantopere paupertatem elucere, ſi omnes etiam gentes, ac nationes voluntariam ſemper ſuſpexerunt? Ariſtides uir ſummus Athenis in tanta viuebat egeſtate, vt in attrita lacernula incederet, friguſque, et famem ſæpe domi pateretur. Quare cum H Callijas quidam propinquus, homo ditiſſimus cauſam diceret, inter alia obiectum eſt ei ab accuſatoribus, quòd Ariſtidem tantum virum in ſumma paupertate degentem ſuis opibus non releuaret. Quo reus cum iudices offenſos ex eorum admurmuratione ſenſiſſet, ipſum adijt Ariſtidem, obſecrans, vt in iudicio teſtificaretur, quàm multa, & quàm ſæpe à ſe illi fuiſſent oblata, quæ ille ſemper conſtantiſſimè repudiauerat, dicens magis ſe ſua tenuitate, quàm Callijam tantis diuitijs gloriari, cum qui pecuniam, qua abundant, in prauos vſus conferant, paſſim reperiantur: qui verò paupertatem generosè ferant, pauciſſimi: eſſe autem paupertatem ijs tantum dedecori, qui nolentes eſſent pauperes. Quæ cum Ariſtides coram iudicibus cum ſumma auctoritate affirmaſſet, nemo ex illo conſilio non ita diſceſſit, vt magis Ariſtidi talem inopiam, quàm Callijæ ſuas opes inuideret. I

Aug. in pſ. 9.

Antonin. in 3 par. hiſt. c. 24.

S. Clara ab Innoc. IV. priuilegiũ paupertatis quæſiuit, & obtinuit.

F

S. Bonau. in vit. S. Franc.

Paupertas ſanctis viris clariſſima.

Greg. Naz. in Apolog.

Ethnicis admirationi fuit paupertas.

Plutar. in vit. Ariſtidis.

Sic Crates, vt narrat Nazianzenus, relictis poſſeſſionibus ſuis ad aucupandam ex eo facto gloriam in editum locum aſcendit, & publicè proclamauit: *Crates Cratetem libertate donat*.

Naz. orat. 30

Quare ſi hæc vera ſunt, non habet multum Chriſtianus, quod de ſua voluntaria paupertate glorietur: nam *quomodo*, inquit Auguſtinus, *ſe audebit attollere de voluntaria paupertate Chriſtianus, vt in huius vitæ peregrinatione expeditior ambulet viam, quæ perducit ad patriam:, vbi veræ diuitiæ ipſe Deus eſt, cum legat, Valerium, qui in ſuo defunctus eſt Conſulatu, vſque adeo fuiſſe pauperem, vt nummis à populo collatis, eius ſepultura curaretur? legat [illegible] Cincinnatum, cum quatuor iugera poſſideret, & ea ſuis manibus coleret, ab aratro eſſe abductum, vt dictator fieret, victiſq́. hoſtibus ingentem gloriam conſequutum, in* L *eadem paupertate manſiſſe? Aut quid ſe magnum feciſſe prædicabit, qui nullo præmio mundi huius fuerit ab æternæ illius patriæ ſocietate ſeductus, cum Fabricium didicerit tantis muneribus Pyrrhi regis Epirotarum, promiſſa etiã quarta parte regni, à Romana ciuitate non potuiſſe diuelli, ibiq́ in ſua paupertate priuatum manere voluiſſe? Hæc propoſita ſunt neceſſaria cõmonitionis exempla, vt, ſi virtutes, quarum iſtæ vtcunque ſunt ſimiles, quas iſti pro ciuitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei glorioſiſſima ciuitate non tenuerimus, pudore pungamur; ſi tenuerimus, ſuperbia non extollamur*. Hæc ille.

Aug. lib. de Ciu. c. 18.

Ethnicorum gloriola pauperum exempla.

L. Valerius Conſul Romanus.

Cincinnatus.

Quod ſi plerique homines paupertatem non probant: ſed cum illis, de quibus Dauid, *beatum* dicunt *populum, cui hæc ſunt*: eius non conſiderant priuilegia, Iuliano illi Apoſtatæ ſimiles, ad quem cum Iunior Apollinaris, vt teſtatur Nicephorus, librum doctiſſimum, quem elucubrauerat, inſcriptum περὶ ἀληθείας, *de veritate*, miſiſſet, perfidus ille reſpondit ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων, *legi, cognoui, damnaui*. Cui reſponſioni, ad SS. Patres eius iuſſu delatę S. Baſilius om- M

Niceph lib. 10. c. 25.

niũ nomine reſcripſit in hæc verba: *ἀνέγνως μὲν, ἀλλ' οὐκ ἔγνως, εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως: legiſti, ſed non cognouiſti; ſi enim cognouiſſet, non damnaſſes.* Sic, inquam, miſeri diuitiarum concupitores damnant paupertatem, quia eius non percipiunt commoda, quæ ſi perciperent, nulla difficultate, vel ſaltem cum Anna dicerent: *ſufficit uobis paupertas noſtra*, vel, vt legunt LXX. *Quomodo*
LXX.
N *datum eſt nobis viuere à Domino, hoc ſatis multum nobis eſt.* Quod ſequenti exemplo oſtenditur. *Fuit noſtro tempore in Hiſpania*, ait Coſterus, *non procul ab Hiſpali ruſticus quidam, qui cum vxore, & filijs ſuis diligentiſſimè laborabat ad victum habendum: ſed tamen quicquid ille ageret, atque pauper manebat. Hinc totus fit triſtis, & iratus, & impatiens in Deum, qui non eum ex tanta ſua miſeria eriperet. Quadam nocte exit domum ſuam, & ibat, quò pedes ducebãt eum, ignorans quò nam iret, neque in via aliud quid fecit, quàm murmurare aduerſus Deum. Cum iam mane in campo eſſet non procul ab Hiſpali, audit puerum quendam vocantem ſe ſuo nomine: vertit ſe: ſed neminem vidit: progreditur, atq. rurſum clamare audit; ſed neminem adhuc cernit, poſt tertium clamorem apud ſe videt ſtare puerulum aliquem, qui ſua manu tangit*
O *brachium ſuum. Ruſticus ex hoc præ nimio timore contremiſcit: dicit puerulus: Trepidas tu, quia infans te tetigit, & non times criminari maieſtatem Dei? Eas ad templum Societatis Ieſu, & auſcultes diligenter, quidnam ibi dicetur tibi. Quibus dictis, euanuit. ille quamprimum abit, & veniendo ad templum, concionabatur in illo vir quidam ſanctus Baptiſta cognomine, mihi optime notus, ſacerdos noſtræ ſocietatis, qui iſto tempore tractabat de felici ſtatu pauperum ſupra diuites. Ruſticus inde totus conuertitur ad ſaniorẽ mentem, & poſt concionem venit ad quendam ſacerdotem in eodem templo, cui confitetur omnia ſua peccata, & præſertim quæ fecerat illa nocte, murmurando contra Deum: poſtea totus conſolatus reuertitur domum, & læto corde dicit ad vxorem: Agamus Deo gratias, quòd ſimus pauperes, quia in paupertate plus felicitatis ineſt, quàm ipſimet ſciamus.*
P Hæc Coſterus. En qualiter ruſticus iſte ad huius veritatis cognitionem ſtatim factus ſit ſua ſorte contentus, & ſatis, multumq. quod habebat in ſua paupertate, ſibi eſſe putauit.

Coſter. in conci. Dom. in Quinquageſ num. 13.

VERS. XXVI.

Dixitq. illi Tobias: Noli flere: ſaluus perueniet filius noſter.

VERS. XXVII.

Credo enim, quòd Angelus Dei bonus comitetur ei, & benè diſponat omnia, quæ circa eum geruntur.

VERS. XXVIII.

Ad hanc vocem ceſſauit mater eius flere, & tacuit.

1 *Fletus quid, & cur homini datus.*
2 *An ſpiritu prophetico locutus hic Tobias.*
3 *Angeli Dei mali qui.*
4 *An ſingulis hominibus vnus ex eis tentator deputatus ſit.*

NOLI *flere*, Eſt fletus triſtitiæ, ſeu mœroris effectus ex commiſeratione alieni mali, vel, vt hic in Anna, ex amore, & cupiditate fruendi concupitis, proueniens, datus homini ad ſuum teſtandum dolorem, & ad alios in ſui miſerationem, & opem ferendam, citiùs, & vehementiùs commouendos. Sic Tobias ad vxoris lacrymas accurrens, eiq. compatiens, ad moderandum fletum eam eſt exhortatus conſolatuſque, incolumen futurum promittens filij reditum, dicens, VERS. XXVI.

2 *Saluus perueniet filius noſter.* Verum, ne à ſpiritu prophetico actum, ſe talia promittere exiſtimaretur, addidit.

Credo. Nam quæ prophetæ prædicebant, certo futura nouerant, quippe qui diuino ſpiritu afflati, ea videbant, ac ſi præſentia eſſent, vnde ea prædicentes, *ſcio*, vel *video*, dicebant, non, *credo*. Sic Eliſęus Azaëlem regem Syriæ alloquens; *ſcio*, ait, *quæ facturus ſis filijs Iſraël mala.* VERS. XXVII. 4. Reg. 8. 13.

3 *Quòd Angelus Dei bonus*, eum nimirum, qui nos ad bonum hortatur, beneq. omnia noſtra diſponendo curat. Sunt enim, & angeli Dei mali, qui per ſuam corruentes ſuperbiam, in infernum præcipites dati ſunt, qui & ipſi dicuntur Dei propter creationem, dominium, & miniſterium, quæ, vt docet Gregorius, ſuper illos etiam habet Deus, *Quomodo*, dicens, *ſi malus eſt dæmon, ſpiritus Domini dicitur? Domini eſt propter poteſtatem, malus autem propter eius voluntatem.* Et Hieronymus de Angelis malis loquens: *Angeli mali Domini dicuntur*, ait, *quia Dominus illos creauit, & Dominus illos habet in poteſtate.* Greg. 8 mor. c. 6. Hier. ſuper il lud pſ. 34. Angelus Dominĩ perſequẽs eos.

4 Ex his malis Angelis vnum ſingulis hominibus à ſuperiore aliquo dæmone Deo permittente peculiariter deputari, vt ad malum incitet, ſicuti à Deo deputatus eſt cuilibet homini peculiaris Angelus bonus, qui ad bonum prouocet, non caret probabilitate. Vnde Gregorius Nyſſenus ait: *Occultior quædam traditio eſt, verus ſermo ad nos vſque deſcendit, Angelorum aliquem* Greg. Nyſſ. in vit. Moyſis ante med.

in adminiculum cuiq. conſtitutum fuiſſe, naturaq. noſtra corruptorem in omnibus contra annitentem prauum aliquem, atque maleficum dæmonem ad malè viuendum homines impellentem ad ſingulos deſtinaſſe: bonorum autem medium factum hominem: quorum alter virtutis præmia cogitationibus affert, alter titillationes, & voluptates carnis ſuggerit. & ante eum Tertullianus his verbis: *Cui hominum non adhærebit ſpiritus nequam, ab ipſa etiam ianua natiuitatis animam occupabundus?* Vide etiam Origenem, & Caſſianum, qui hæc eadem docent. Angelum itaq; bonum à Deo comitem filio datum Tobias credens, qui non ſolum mali iras compeſceret, ſed etiam benè diſponeret omnia, quæ circa eum contingere potuiſſent, ait, *Credo enim, quòd Angelus Dei bonus comitetur ei.*

Tertull.

Orig. hom. 35. in Lucam. Caſſian coll. 8. c. 17. & col. 13. c. 12. obſeru. annot. 13.

Arabs.

Et bene diſponunt omnia. Arabs: *Ego puto Angelum Dei optimum eſſe in comitatu eius, & regere omnia opera eius, vt redeat ad nos cum gaudio.*

Arabs.

VERS. XXVIII.

Ad hanc vocem. Arabs: *Propter hæc verba.*

Ceſſauit mater eius flere, & tacuit. LXX. *Ceſſauit plorans.* Syrus: *Siluit à fletu.* Arabs: *Et quieuit,* Anna nimirum, quæ plorabat, talibus verbis conſolata, & diuini auxilij ſpe fulcita, ceſſauit à lacrymis.

LXX. Syrus. Arabs.

Quòd commotiones animæ moderandæ ſint, & expoſcendæ lacrymæ contritionis.

DOCVMENTVM.

A

DOCET Tobias, dum ſpe proſperi reditus filij ſui Annæ coniugis dolorem lenire curat, commotiones animi ratione, conſilio, prudentiaq. eſſe moderandas potius, quàm euellendas radicitus. Nam quemadmodum in mari non ea optatur tranquillitas, quæ eſt venti expers omnino; ſed illa potius, quã dũ perflat aura, fluctus mouẽtur, & nauis proſpero curſu impellitur: ſic in animo noſtro nõ ea eſt optãda quies, quæ lãguida ab omni ſenſu abhorret; ſed temperata commotio, qua animus ex vaſto mundi gurgite ad æternam gloriam tendat, & felicem vitæ curſum perficiat, quod ſine laboribus varijs, & tolerantijs aduerſitatum fieri omnino nequit: cùm nihil meriti habeat ille, qui nihil habet, quod propter Deum ſuſtineat.

Immoderata quidem uitanda commotio, quæ, vt Nilus ait, *animi ſenſum aufert*, inordinatum nimirum vincendo appetitum creaturarum, quem qui abiecerunt, parum, aut nihil vnquam triſtantur; ſic non triſtatur vir temperatus ciborum penuria: caſtus, quòd libidini nequeat indulgere: mitis, quòd vlciſci acceptas iniurias nequeat: humilis, quòd contemnatur: liberalis, & diuitiarum contemptor, quòd iacturam aliquam fecerit: nam ſicut virum probe armatum minimè lædunt ictus iaculorum, nec munitam ciuitatem, & mœnibus vndequaq; vallatam multitudo bellantium; ſic ille, qui aduerſus cupiditates munitus eſt, à triſtitiæ, aculeis non vulneratur. Quòd ſi clypeus plerumq. ſagitta configitur, & oppugnantium multitudine murus, quo ciuitas defenditur, ſuffodi videtur: nulla proinde aduerſitatum ſagitta, nulla multitudine paſſionum configitur, aut ſuffoditur, qui immoderatas animi commotiones rationis imperio domuerit.

Nil. Abb. or. 5.

B

Nulli ſuccũbit periculo, qui paſſiones habet domitas.

Illæ tamen, quamuis maximæ, lacrymarum peroptandæ commotiones, quæ vi ſua mirabili, Deique munere ſingulari maculas omnes paccatorum diluunt, quales illæ ſunt, quæ præ magno offenſi numinis dolore profundimus: quin & pro his maximè laborandum eſſe nos exemplo ſuo docuit Pſaltes, dum ait: *Laboraui in gemitu meo.* vbi, ſicut docent Gregorius, & Remigius, in laborandi verbo ſtudioſam diligentiam acquirendi lacrymas, culpasque à ſe commiſſas deflendi ſignificauit. Sic Niniuitarum rex, & Niniuitæ, vbi Ionam prædicantem audierunt: *Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur*, cùm ſolis lacrymis tanta mala euitari poſſe non ignorarent, ad illas in ſe ipſo, & populo ſuo excitandas, rex de ſolio ſurrexit ſuo, regijsque à ſe veſtimentis abiectis, ſacco indutus, ſedit in cinere, & clamauit, & dixit in Niniue. *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non paſcant quicquam, nec paſcantur, & aquam non bibant. Et quis ſcit*, ſubdens, *ſi conuertatur, & ignoſcat Deus?* Nam & quis regem, & quidem cum populo adeo humiliatum, innocentes paruulos lacrymantes, boues, & iumenta mugientes, flebilesque omnes præ fame eiulatus emittentes, necis intueri oculis potuiſſet? Quis, inquam, tanta potuiſſet conſpicere doloris, & mœroris indicia ſine dolore? Sanè potuit hoc ſpectaculum, hic labor in gemitu tales, & tantas lacrymas pœnitentiæ elicere, vt ſtatim diluta penitus, ac deleta ſit omnis Niniuitarum culpa, & Dei mutata ſententia. Quia, vt optimè B. Laurentius ait: *Nemo ad Deum flens acceſſit, qui non inſtam petitionem ſuam acceperit, nemo ab eo beneficium iuſtum optauit, qui non impetrauerit.* qua de cauſa omnes laborant ſancti in gemitu, & qui myrrham primam effundere nequeunt, ſecundam habere curant. Eſt myrrha prima, de qua in canticis canticorum, vt naturales obſeruant, quæ ſponte ſua ab arbore, ex qua producitur, fluit, eoque modo, quo ex fœcundis

C

Lacrymæ cõtritionis ſolicitè exquirendæ.

Pſal. 6. 7.

Greg. & Remig. ibi.

Ion. 3. 4.

D

Vis lacrymarum.

B. Laur. Iuſt. lib. de ligno vitæ c. 9. de orat.

E

Sunt lacrymæ myrrha prima.

Cant. 5. 13

ar-

Myrrha ſecunda.

arboribus gummi electiſſimum, & probatiſſimum: ſecunda vero minus probata, quæ non niſi arbuſti cortice inciſo fluit: ſic ſane veræ lacrymæ illæ ſunt, quæ ex feruido Spiritus ſancti calore, è corde quaſi ſponte ſua dimanant, probatiſſimæ quidem, & perfectiſſimæ, cuiuſmodi illæ Magdalenæ fuerunt, quæ teſte Chriſto, amoris igne ſuc-

Luca 7.38

cenſa: *quia dilexit multum, lacrymis cœpit rigare pedes eius*. nam ſicut impoſſibile eſt

F

ex ſublimatorio herbis virentibus pleno aquam non fluere, ſi ignem habeat ſuppoſitũ, ita ex cordis ſublimatorio viriditatibus ſenſualitatũ pleno, impoſſibile eſt lacrymarum hanc primam myrrham non fluere, ſi illi diuinus ſupponatur ignis: neſcit enim amor ſine lacrymis eſſe. Hac vtinam lacrymarum myrrha ſponte ſua cor noſtrum flueret; at qu.a lapideum illud habemus: *loquimini*,

Lacrymæ è corde quo modo eliciantur.

ait Chriſtus, *ad petras, & dabit vobis aquas*. Virga conſiderationis cor noſtrum percutiendum eſt, cultroque meditationis incidendum; laborandum nimirum in gemitu, vt vel ſic fluant ab oculis lacrymæ, dentq. myrrham ſecundam.

Pſal. 53.4. Hier. ibi.

Sic *contriſtatus ſum*, ait Pſaltes, *in exercitatione mea: In meditatione mea*, vertit Hieronymus, hoc eſt, tunc doloris lacrymas emiſi, quando exercebar cogitando, & mecum ipſe conferendo miſerias meas: nam licet aridum, & ſaxeum habeamus cor, ſi laborabimus, vt noſtræ culpæ grauitatem conſideremus, Dei nimirum offenſam, Angeli cuſtodis contemptum, animæ damnum, corporis periculum, proximi ſcandalum, mortis approximationem, inferni pœnarum æternitatem, & alia huiuſmodi, impoſſibile omnino erit, quin emolliatur cor noſtrum, quin fluant lacrymæ, quin Deus nos exaudiat. ne itaque pro infortunatis euentibus, vel pro rerum temporalium priuatione multum ploremus; ſed ad hoc laboremus, vt has pœnitentiæ lacrymas, hanc ſecundã myrrham habeamus.

G

SYNOPSIS CAPITIS VI.

Angeli hortatu Tobias inuadentem piſcem apprehendit, & exenterat, cor eius, fel, & iecur ad medicamenta reſeruans, & ad Raguelem diuertunt, vt iuſſu Angeli petat in vxorem, illius filiam Saram, cuius ſeptem viros occiderat dæmonium, diſcens ab Angelo, quo fine ſuſcipiendum, ac ſeruandum ſit coniugium.

CAPVT SEXTVM.

1 PROFECTVS eſt autem Tobias, & canis
ſecutus eſt eum, &
manſit prima manſione iuxta fluuium Tigris.
2 Et exiuit, vt lauaret pedes ſuos, &
ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum.
3 Quem expaueſcens Tobias, clamauit voce magna, dicens: Domine inuadit me.
3 Et dixit ei Angelus: Apprehende
branchiam eius, & trahe eum ad te, quòd
cum feciſſet, attraxit eum in ſiccum, &
palpitare cœpit ante pedes eius.
5 Tunc dixit ei Angelus: Exentera
hunc piſcem, & cor eius, & fel, & iecur
repone tibi; ſunt enim hæc neceſſaria
ad medicamenta vtiliter.
6 Quod cum feciſſet, aſſauit carnes
eius, & ſecum tulerunt in via, cætera
ſalierunt, quæ ſufficerent eis, quouſque
peruenirent in Rages ciuitatẽ Medorum.
7 Tunc interrogauit Tobias Angelum, & dixit ei: Obſecro te, Azaria
frater, vt dicas mihi, quod remedium
habebunt iſta, quæ de piſce ſeruare
iuſſiſti?
8 Et reſpondens Angelus dixit ei:
Cordis eius particulam, ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, ſiue à viro, ſiue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos.
9 Et fel valet ad vngendos oculos, in
quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.
10 Et dixit ei Tobias: Vbi vis, vt maneamus?
11 Reſpondenſq. Angelus ait: eſt hic
Raguel nomine vir propinquus de tribu

tua, & hic habet filiam nomine Saram;
ſed neque maſculum, neque fœminam,
vllum habet aliam præter eam.
12 Tibi debetur omnis ſubſtantia
eius, & oportet eam te accipere coniugẽ.
13 Pete ergo eam à patre eius, & dabit
tibi eam in vxorem.
14 Tunc reſpondit Tobias, & dixit:
Audio, quia tradita eſt ſeptem viris, &
mortui ſunt: ſed & hoc audiui, quia dæmonium
occidit illos.
15 Timeo ergo, ne fortè mihi hæc eueniant,
& cum ſim vnicus parentibus
meis, deponam ſenectutem illorum cum
triſtitia ad inferos.
16 Tunc Angelus Raphael dixit ei,
Audi me, & oſtendam tibi qui ſunt, quibus
prçualere poteſt dæmonium.
17 Hi namque, qui coniugium ita
ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente
excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut
equus, & mulus, quibus non eſt intellectus;
habet poteſtatem dæmonium
ſuper eos.
18 Tu autem cum acceperis eam, ingreſſus
cubiculum, per tres dies continens
eſto ab ea, & nihil aliud niſi orationibus
vacabis cum ea.
19 Ipſa autem nocte incenſo iecore
piſcis, fugabitur dæmonium.
20 Secũda vero nocte in copulatione
Sanctorum patriarcharum admitteris.
21 Tertia autem nocte benedictionẽ
conſequeris, vt filij ex vobis procreentur
incolumes.
22 Tranſacta autem tertia nocte accipies
virginem cum timore Domini amore
filiorum magis, quàm libidine ductus,
vt in ſemine Abrahæ benedictionem in
filijs conſequaris.

VERS. I.

Profectus eſt autem Tobias, & canis ſecutus eſt eum, & manſit prima manſione iuxta fluuium Tigris.

1 *Puerum cur vocent Tobiam LXX.*
2 *Canis narratio cur hic appoſita.*
3 *Quid illa myſticè ſignificet.*
4 *Manſio quid, & quæ prima Tobiæ in Rhageno itinere.*
5 *Tigris Fluuius cur ſic dictus, & quæ eius origo.*

1 P*ROFECTVS eſt autem Tobias* Hoc eſt, vt patris adimpleret præceptum, cum Angelo Raphaële iter habere cœpit.

Et canis ſecutus eſt eum. Arabs: *Et canis eius ſequebatur eum.* LXX. & Syrus. *Et canis pueri cum eo.* Nam licèt annum tunc ageret Tobias circa vigeſimum tertium, cùm eodem anno, vel ſaltem ſequenti vxorem duxerit, vt ex ſequentibus patet; puer tamen erat innocentia, & vitæ ſimplicitate, quo pacto alibi ſacræ literæ etiam Iſaac annum agentem trigeſimum quintum, vel trigeſimum ſeptimum, appellant puerum: & Saul ad regnum euectum filium vnius anni.

Arabs. LXX. *Syrus.* Puer Tobias erat innocentia, non ætate.

Gen. 22. 5.

1. *Reg.* 13. 1.

2 Hanc de cane ſequente Tobiam narrationem ad veritatem facti promendam, à ſacro ſcriptore poſitam fuiſſe cum Lyrano, & Serario cenſeo; nec verò minutior videri debet, quàm vt diuinis libris ſit deferenda, vt multi perperam ſunt arbitrati, cùm ſicut Hieronymus, & Chryſoſtomus docent, in ſacris literis, ſinguli ſermones, ſyllabæ, apices, & puncta plena ſint ſenſibus: quare ſicut ij, qui fodiunt metalla, vbi nacti fuerint aliquam venam auri, meatus omnes exactè circumſpiciunt, ne vel minima quidem fruſtula ipſos prætereant; ita nobis in ſacris literis nihil minutum, nihil ſuperfluũ exiſtimandum eſt: ſed omnia etiam minima ſpiritualibus diuitijs, & myſterijs plena. Quare ſi apud profanos in fabulis iſtiuſmodi narrationes laudantur, vt apud Homerũ, quòd veritatem ſcilicet rectè imitentur; multo profectò magis in ipſa veritate laudanda ſunt, in qua non cognitionis tantùm multum afferunt; ſed etiam actionis. Sic, vt optimè Auguſtinus, licèt non omnia, quæ in ſacris literis geſta narrantur, aliquid etiam ſignificare putanda ſint, propter illa tamen, quæ aliquid ſignificant, etiam ea, quæ nihil ſignificant, attexi credendum eſt. *Solo vomere terra proſcinditur; ſed vt hoc fieri poſſit, etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria, & ſoli nerui in vaſis muſicis aptantur ad cãtum; ſed vt aptari poſſint, inſunt & cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus; ſed ea, quæ percuſſa reſonant, his connectuntur: ita & in prophetica hiſtoria dicuntur aliqua, quæ nihil ſignificant; ſed quibus adhæreant, quæ ſignificant. & quomodo*, alias quodammodo *religentur.*

Lyranus hic Serarius inf in c. 11.

Hier. to. 9. in c. 3. ep. ad Ephe. ſub init. Chryſoſt. to. 1. ho. 15 in Gen. non longè à princ & ho. 2. de verb. Iſaiæ circa med.

Homer. Odyſſ. 15. & 16.

Aug. 16. de Ciu. Dei. c. 2.

3 Sanè per Raphaëlem, & canem, quos ſui itineris ſocios Tobias habuit, Angelum,

Raphael, & canis Tobiæ ſocii Angelū cuſtodem, & continētiam ſignificant.

& conſcientiam, quos Deus hominibus ſocios, & quaſi comites ſuæ peregrinationis adhibuit, myſtice ſignificatos fuiſſe non incongruè dicere poſſumus. Nam ſicut Tobiæ Angelus Raphaël datus eſt, vt illum ab inſidijs Aſmodæi liberaret, & connubij nexu firmaret; ita Angelus cuſtos datus eſt nobis, vt ab inſidijs dæmonum liberemur, & copulemur Deo. Data eſt etiam nobis conſcientia, quæ ſicut canis, neque in proſperis, neque in aduerſis dominum ſuum deſerit; ita nec nos aliquando deſerat: & quæ, ſicut canis odoratur vtilia omnia, & noxia cognoſcit; ita illa bona, & mala lumine ſuo dijudicet: ac tandem quæ, ſicut canis excubat ſemper ad fores, & paruo fragore audito oblatrat, externos mordet, & pandit; ita illa ſemper vigilet, in ipſa cogitationum ianua inſidens, nec vnquam ſomno corripiatur; ſed cuncta, quæ cogitat anima, conſpiciat, & ſi quid eius pacem interturbare nouit, exclamet, & quaſi oblatret, morſuque amariſſimo mordeat, nec minis terreatur, nec demulceatur blanditijs. Verùm de Angelo cuſtode ſicuti etiam de conſcientia ſupra iam pluribus actum eſt.

Sup. c. 5. v. 14 doc. 2. & c. 3. ver. 16. doc. 3

LXX.

4 *Et manſit prima manſione iuxta fluuium Tigris.* LXX. *Euntes viam, venerunt veſperi ad Tigrim fluuium, & manſerunt ibi.* Syrus: *Venerunt in Cuſpinis prope fluuium Tigris, & pernoctabant ibi.* Arabs: *Dormiuitque prima manſione in latere fluminis Tigris.* Eſt *manſio* actus ipſe manendi in aliquo loco, cuius contrarium eſt *deceſſio*: ſignificat apud Latinos hoſpitium. Vnde Suetonius de Tito loquens: *Deinde*, ait, *ad primam ſtatim manſionem febrim nactus, cùm inde lectica transferretur.* Significat etiam iter vnius diei, vt apud Plinium, vbi legitur: *Manſionibus octo ſtat regio thurifera à monte excelſo.* Sicque primo die in Rhageno itinere, non cauponam repererunt, quas nullas, vel rariſſimas illo tempore fuiſſe inferius demonſtrabo, ſed hoſpitium, vt habet Syrus in Cuſpinis ad ripam Tigris fluuij.

Syrus. Arabs.

Suet. in Tit. Veſp. c. 10.

Plin. lib. 12. c. 14.

Inf. c. 8. verſ. 21. n. 2.

Tigris vnde dictus.

5 *Tigris.* Tradunt hanc vocem apud Medos nomen eſſe ſagittæ, & ex eo accommodatam huic fluuio, quòd ſagittæ inſtar celerrimè defluat. Sanè Hebræam vocem הרכל Chidikel velocem ſignificare, vt ſagittam nonnulli aiunt. Eſt is fluuius inter quatuor illos celeberrimos à paradiſo voluptatis effluentes, tertio loco in Geneſi poſitus: Meſopotamiam teſte Solino circūplectitur, & in Armeniæ maioris regione caput tollit, mirum quàm lucido, conſpicuoque fonte in loco edito, qui Elongoſina nominatur: Euphratem in ſinum defert Perſicum cum amne Coaſpe. De eo Plinius, *Oritur*, ait, *in regione Armeniæ maioris fonte conſpicuo in planitie. Cuius quà tardior fluit Diglito: vnde concitatur, à celeritate Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi ſagittam. Influit lacum Arethuſam omnia illata pondera ſuſtinentem, & nitrum nebulis exhalantem. Fertur autem & curſu, & colore diſſimilis, tranſuectuſque occurrentem Tauro monte in ſpecum mergitur, ſubterque lapſus à latere altero eius erumpit: eundem eſſe manifeſtum eſt, quòd demerſa perfert. Alterum deinde tranſit lacum, qui Theoſpites appellatur, rurſuſque in cuniculos mergitur, & poſt vigintiquinque millia paſſuum circa Nimphæum redditur.*

Gen. 2. 14.

Solinus.

Plin. l. 6. c. 27

Quòd ingratitudo vitium deteſtabiliſſimum ſit, & Deo maximè inuiſum.

DOCVMENTVM.

A

Amb. in Examer lib. 6. c. 4 in princ.

CANEM hunc Raphaëlis Angeli nutu ſequutum fuiſſe Tobiam docet Ambroſius, vt nimirum ex eo ille diſceret gratias pro beneficijs referre. *Muta ſpecie beſtia*, ait ille, *S. Raphaël Angeli Thobiæ iuuenis, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat effectum. Et verè quis*, ait idem, *non erubeſcat, gratiam benè de ſe merentibus non referre, cùm videat etiā beſtias refugere crimen ingrati? & illa imperita, memoriam alimoniæ ſeruant, tu non ſeruas ſalutis acceptæ?* Mira certè ſunt gratitudinis exempla, quæ ab animalibus referuntur. Leonem cuidam Androdo ſeruo benefactori ſuo ſe ſponte ſua ſubieciſſe ex Appione Polyhiſt. refert Gellius. Draconem narrat Aelianus puerum ſui educatorem à latronibus liberaſſe. Delphinos, quod ſæpius à nauigātibus proiectis cibi reliquijs veſcantur, homines genuino affectu proſequi narrant alij. Nota ſunt exempla. Apud Proſelenem Troiæ Vrbem Delphinus dorſo ferens Arionem à nautis in mare deiectum, incolumen ad litus humeris perduxit: quapropter & crocodilo hominis inſidiatori hoſtis eſt infenſiſſimus. At ſuperant hæc omnia licèt mira, quæ de cane ſcribuntur. Vnde Ambroſius: *quis tam tenax*, inquit, *poteſt eſſe beneficij, & memor gratiæ? quandoquidem domino, etiam in latrones inſilire nouerunt, & extraneorum acceſſus prohibere nocturnos, & mori pro dominis, & commori cum dominis ſint parati? ſæpe etiam necis illatæ euidentia canes ad redarguendos reos indicia prodiderunt, vt muto eorum teſtimonio plerumque ſit creditum. Antiochiæ ferunt in remotiore parte vrbis crepuſculo necatum virum, qui canem ſibi adiunctum haberet: miles quidam prædandi ſtudio miniſter cædis extiterat: tectus*

Gell. noct. att. lib. 5. c. 14.

Aelian. de var. hiſt. lib. 13.

B

Mira animalium brutorū gratitudo erga ſuos benefactores.

Amb. in Examer. lib. 6. c. 4 prope med.

idem tenebroſo adhuc diei exordio in alias partes conceſſerat: iacebat inhumatum cadauer: frequens ſpectantiũ vulgus adſtabat: canis queſtu lacrymabili domini flebat ærũnam: fortè is, qui necem intulerat (vt ſe habet verſutia humani ingenij) quò conuerſandi in medio auctoritate præſumpta, fidem aſciſceret innocentiæ, ad illam circumſpectantis populi acceſſit coronam, & veluti miſerans appropinquauit ad funus. Tum canis ſequeſtrato pauliſper queſtu doloris, arma vltionis aſſumpſit, atque apprehenſum tenuit, & velut epilogo quodam miſerabile carmen immurmurans, vniuerſos conuertit in lacrymas, fidemque probationi detulit, quòd ſolùm tenuit ex plurimis, nec dimiſit. Denique perturbatus ille, quòd tam manifeſtum rei indicem, neque odij, neque inimicitiarum, neque inuidiæ, aut iniuria alicuius poterat obiectione euacuare, crimen diutiùs nequiuit

D

refellere. Itaque, quod erat difficilius vltionem, canis ſcilicet, *proſequutus eſt, quia defenſionem præſtare non potuit.* Canis etiã Iaſonis Licij, vt refert Fulgoſius, poſtquam dominum ſuum aſpexit mortuum, omni penitus cibo abſtinuit, quaſi verò turpe ſibi exiſtimaret, quem fuerat ſemper viuendo ſequutus, eundem & vita priuatum non ſequi.

Fulgoſ. lib. 5. c. 2.

Carpunt hæc, & alia infinita propè, quæ poſſent afferri, gratitudini animalium exẽpla noſtram ingratitudinem, qui non temporario tantum pane, nec vno, aut altero beneficio ſumus à Deo cumulati; ſed perpetuo pane, immenſis beneficijs; nec tamen agnoſcimus. O res digna ſtupore! Immanes leones, ſerpentes, piſces beneficij memores in benefactores, & nutritores ſuos beneuoli, & grati deprehenduntur, & homo rationis capax contra Deum ſuum ingratiſſimus ſemper exiſtit. *Cognouit bos*, ait Dominus per Iſaiam, *poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël me non cognouit.* quòd ſi inter animantia ſtolidiſſimi bos, & aſinus Dei munera noſcunt, quanta erit hebetudo, quanta ſtoliditas hominis, ſi inter tanta Dei beneficia poſitus, ea non cognoſcat, nec vllas pro eis gratias rependat?

Hominis erga Deum ingratitudo. E

Iſaia 1. 3.

Illud etiam auget admirationem, quòd cùm inter omnes humani cordis affectus, & maximus, & primus, atque aliorum omnium origo, amor ſui ſit, quid huic amori vicinius, & coniunctius, quàm vt gratus, & beneuolus erga eum exiſtas, à quò talia & tanta es beneficia conſequutus? Eſt hoc ſanè, vt Guillelmus ait, *Diaboli magnum miraculum:* etenim ſicut naturæ miraculũ eſt, Salamandram, vt fabulantur, in igne viuere, & gratiæ fuit tres pueros Hebræos aliquandiù vitam egiſſe intactos in fornace Babylonica ſuccenſa; ſic vice verſa inter tot tantaſque beneficiorum flammas ingratum congelari, eſt planè diaboli nouum quidem, ſed inter homines vſitatum miraculum, quod ea de cauſa perpetrare quotidie ſatagit, vt nimirum eidem tantis à Deo cumulato beneficijs, fontes diuinę benignitatis, & gratiæ obſtruere queat. Quomodo enim, qui munitiſſimam arcem obſident, diligentiſſimè itinera ea occupare ſolent, per quæ commeatus ad hoſtes importari poſſint; ita callidiſſimus humani generis hoſtis ſumma cura prouidet, vt omnia diuinæ gratiæ præſidia, quibus ſalus noſtra continetur, intercipiat, quod ingrati animi vitio maximè perficit: nam vt Bernardus ait: *Eſt ingratitudo inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſpenſatio, beneficiorum perditio: ingratitudo ventus eſt vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ.* Quare Pſaltes, ne tali deturparetur macula, ſuam orationem gratiarum actioni ſemper iungebat. Vnde ait: *laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero*, ac ſi diceret, facile Domini ope, & miſericordia ab omnibus animæ, & corporis hoſtibus ſaluus ero, ſi me illi ob anteacta beneficia gratum, officioſumq́. præbens, pro acceptis beneficijs gratias reddidero: & pro eo, quod nos legimus: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*, alij verterunt: *tanquam adipe, & pinguedine ſatiabitur anima mea, cum labijs exultationis laudabit os meum*, hoc eſt, tunc ſpiritualibus delicijs affluam, tunc bonis omnibus redundabo, cum mirabilem erga me beneficentiam tuam Domine, lætiſſimis, & iucundiſſimis vocibus collaudauero.

Guill. 1. de Rhet. diuin. c. 4.

F

Diaboli miraculum eſt ingratitudo.

G

Bern. ſer. 11. in Cant.

Pſ. 17. 4.

Pſ. 62. 6.

H

Ne itaque magna, quæ è cælo fluunt, beneficia homo recipiat, diabolus ingratum, & pernicacem eum reddit, miraculumq́. hoc in humana natura facit, vt homo benefactoris Dei penitus obliuiſcatur.

Quod etiam quàm graue malum ſit, ipſe ethnicus Seneca docuit, qui ad Abacium Liberalem ſcribens, hæc habet: *Licèt ingratus ille ſit, qui beneficium accepiſſe ſe negat, quod accepit, ingratus, qui beneficium diſſimulat, ingratus, qui non reddit: ingratiſſimus tamen omnium eſt, qui eius obliuiſcitur; etenim ſi non ſoluunt illi, ſaltem debent, & extat apud illos veſtigium certũ meritorum intra malam conſcientiam concluſorum, & aliquando ad referendam gratiam conuerti, ex aliqua cauſa poſſunt, ſi illos pudor admonuerit, ſi ſubita honeſta rei cupiditas, qualis ſolet ad tempus etiã in malis pectoribus exurgere, ſi inuitauerit facilis occaſio. hic nunquam fieri gratus poteſt, cui totum beneficium elapſum eſt. Vitioſi enim ſunt oculi, qui lumen reformidant, at cæci, qui non videant: & parentes ſuos non amare impietas eſt: non agnoſcere, inſania.*.

Sen. in princ. lib de benef.

Accepti beneficii obliuio ſumma ingratitudo. I

Sed

Sed & hoc eſt antiquum, & conſuetum
diaboli opus, efficere, vt non modo benefi-
ciorum humo obliuiſcatur, ſed (quod pe-
ius eſt) vt eorum magnitudinem ingratitu-
dinis menſura compenſet, vt videre eſt in
Deut. 32. 15. Deuteronomio, vbi dicitur: *Incraſſatus eſt*
dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impin-
L *guatus, dilatatus, dereliquit Deum facto-*
rem ſuum, videlicet belluinos mores eſt
ęmulatus. Et apud Iſaiam, qui, poſtquam
Iſa. 2. 7. dixiſſet; *Repleta eſt terra argento, & auro*,
ſubdit: *Et repleta eſt terra eius idolis*. Et
apud Oſeam, qui ait: *Vitis frondoſa Iſ-*
Oſeæ 10. *raël, fructus adæquatus eſt eis*. LXX. *fru-*
ctus abundans in ea. Sed quid? *Secundum*
multitudinem fructus ſui multiplicauit al-
taria. Vnde quo abundantior, eo idolo-
rum appetentior, quo proſperior, eo pro-
fuſior in idolatriam fuit. ò ſtoliditatem! ò
certè plus quàm belluinam, & intolerabi-
lem ingratitudinem! Nam ſicut intolerabi
lis viſa eſt Dauidi ingratitudo Architophe-
lis, quem vnanimem, hoc eſt amiciſſimum
habebat, & ducem conſilij ſui, familiarem,
& commenſalem, dum eum contra ſe con-
M ſpiraſſe cum filio nouit, quod illis verbis
Pſ. 54. 13. pſalmi explicuit, quibus ait; *quoniam ſi*
14. 15. *inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſ-*
ſem vtique: & ſi is, qui oderat me, ſuper
me magna loquutus fuiſſet, abſcondiſſem
me forſitan ab eo. Tu vero homo vnanimis,
dux meus, & notus meus. qui ſimul mecum
dulces capiebas cibos, in domo Dei ambula-
uimus cum conſenſu. Hoc eſt, ſi quiuis alius
hoc egiſſet malum, tolerabilius mihi eſſet;
at vero quòd tu, qui tantis à me beneficijs
cumulatus fueras, illud egeris, omnino in-
tolerabile apparet. Et ſicut Cæſari intole-
rabilis viſa eſt Bruti ingratitudo, quem
ſibi in filium aſciuerat, & hæredem, dum
illum inter coniuratos, & necis ſuæ mini-
ſtros aſpexit: vnde ad eum conuerſus hæc
(cum temporis anguſtia plura fari nequiue-
rit) dixiſſe ferunt; *Tu quoq; fili*, pauciſſi-
mis verbis ſummam ipſius ingratitudinem
exaggerans, & illam intolerabilem eſſe de-
monſtrans. & tandem ſicut ingrati in Deum,
N & intolerabiles cẽſentur Barbari, Scythæ, In-
di, & aliæ nationes, extra Dei Eccleſiam po-
ſitæ, dum diuinis beneficijs, vt eos natura
docet, non reſpondent; ita intolerabiles
omnino noti, & fideles Dei cenſendi ſunt,
qui ab illo creati, ac redempti, & in Ec-
cleſia ſancta conſtituti, ipſius etiam menſæ
aſſidentes, eodem prorſus pane, ac potu
cum illo, alijſque cælicolis paſcuntur, nec
tantis beneficijs ſaltem gratias referendo
reſpondent.
1. Reg. 25. Quod, ſi Dauid, quia Nabalis Carmeli
34. gregem ſtudioſe cuſtodierat, nec deinde ne-
ceſſitate preſſus, panem, aut aliquid huiuſ-
modi ab eo obtinere valuit, adeo tantam
ingratitudinem eſt deteſtatus, vt eum, eiuſq́.
familiam de medio tollere, & funditus euer-
rere decreuerit, quanto obſecro potiore O
iure præpotens Deus deteſtabitur hominis
ingratitudinem, & ſupplicium de ea ſumet?
Sic *leuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt*
mei, ait Dominus ad Oſeam, de ingratiſſimis Oſeæ 13. 6.
filijs Iſraël loquens: *ero eis quaſi leena, & ſi-* 7. 8.
cut pardus in via Aſſyriorum, occurram
eis, quaſi vrſa raptis catulis, varijs ferociſ-
ſimarum beſtiarum ſimilitudinibus vindictæ
in ingratos futuræ atrocitatẽ demonſtrans:
eſt enim leena ferocior præſertim cum pe-
perit. Vnde Poeta:

Tempore non alio catulorum oblita Virg. 3. Georg.
leena
Sęuior errauit campis.

Eſt etiam pardus, cui ſe Dominus aſſimilat,
velociſſimus, atq; ſæuiſſimus, & in via, qua
potiſſimum ad Aſſyrios itur, ſæpè viatores
repente inuadens, ac diſcerpens. occurre-
bat enim magna, & vaſta ſolitudo euntibus
ex terra Iſraël in Aſſyrios, in qua ferociſ- P
ſimos pardos, & viatoribus infeſtiſſimos
fuiſſe apparet. De vrſa verò *tradunt*, ait
Hieronymus, *qui de beſtiarum ſcripſere na-* Hier. in Oſeã.
turis, inter omnes feras, nihil eſſe vrſa ſæ-
uius, cum perdiderit catulos, vel indigue-
rit cibis. Sic ferociſſimarum beſtiarum natu-
ram ſe imitaturum contra ingratos Domi-
nus prædicit, ni gratum animum induant.

VERS. II.

Et exiuit, vt lauaret pedes ſuos: & ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum.

1 *Cur exierit Tobias ad lauandos pedes.*
2 *Particula, Ecce, quid notet hoc loco.*
3 *Piſcis hic qui ſpecificè fuerit.*

1 E*T exiuit*. Illius erat tempo- Antiquorum mos lauandi pedes ante cœnam.
ris conſuetudo, vt peregrini
hoſpites non prius cęnatum,
vel pranſum irent, quàm pe-
des à contractis in itinere
ſordibus abluerent, recepto-
riſque hoſpitalis erat munus, aquam ad hoc
porrigere, & miniſtrare. Sic Abraham ad
tres Angelos, qui in peregrini ſpecie ad ſe
venerant; *Domine*, inquit, *ſi inueni gra-* Gen. 18. 4.
tiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuũ:
ſed afferam pauxillum aquæ, & lauate pe-
des veſtros, & requieſcite ſub arbore. Sic
& Eleazar ſeruo Abrahæ dedit Laban Re- Gen. 24. 20
beccæ frater fœnum, & aquam ad lauan-
dos pedes camelorum, & virorum, quos
vna cum eo hoſpitio exceperat, & deindè
fecit eis conuiuium. Sic etiam hoſpitalis
ille ſenex in terra Gabaa hoſpitibus ſuis: nã
poſtquam lauerunt pedes, ait ſacra hiſtoria:

Antiquitas. Vide Terent. Act. 1. ſcen. 1. Martialē lib. 3. epigr. 50. n. 1. Plautum in Perſa, & alios.

recepit eos in conuiuium: & quidem ne puluerulentis pedibus menſæ accumbentes, & lectulos triclinij conſcendentes, ſtrata lectorum inquinarent; vnde etiam, ſoleis depoſitis accumbere illos conſueuiſſe, Antiquitas docet. At cum nullum Abraham, nullum Laban, vel ſenem Gabaonitam in ſuo hoſpitio Tobias repererit, qui aquam ſibi miniſtraret, depoſitis ſarcinis *exiuit, vt lauaret pedes ſuos*, nimirum ad fluuium Tigrim.

2 *Et ecce*, Notat hæc particula rem nouam, inopinatam, atque mirabilem, & quidem meritò: nam vix ad fluuium Tobias peruenerat, ad ripas nimirum eius commodiores, quando.

Arabs.

Piſcis immanis. Arabs: *magnus*, ferus, & ad nocendum paratus, peruenit adnatans, ad ipſum Tobiam mordicus apprehendendum, & deglutiendum: qui etiam

Syrus.

Exiuit. Syrus. *Saltauit de flumine.*

Arabs.

Ad deuorandum eum. Syrus: *Et quæſiuit inglutire eum*. Arabs: *vt ingluaret eum.*

Interp. Theophil. in Ionā. Plin. li. 9. c. 7. Infra v. 4. Rondelet. lib. 10 c. 13. Carthuſ. hic. Plin. 9 c. 7. Infra ver. 4. Franc. Georg. tom. 6. probl. 105. Valeſ. de ſacr. philoſ. c. 42. Serarius hic. Hier. Bapt. de la Nuza tractat. 7. Euāg. num. 79. Rondoletius vbi ſupra. Aldroandus lib 2. c. 51. Gal. li. 10. de ſimpl. c. 12. Plin. lib. 32. c. 7. Ariſt. de animal.

3 Multi, quiſnam is piſcis ſpecificè fuerit, quærunt. Interpres Theophilacti Balenam illum fuiſſe putat; ſed perperam, quia Balenæ, teſte Plinio, branchiæ non ſunt, & piſcis hic noſter, vt infra apparebit, branchijs fuit apprehenſus. Eſtque Balenæ, vt accuratè ſcribit Rondeletius, anguſtior gula, quàm vt hominem capere poſſit. Sed nec fuit, vt voluit Carthuſianus, Crocodilus, qui, teſte Plinio, integros dies extra aquam degit; quia, vt etiam infra dicitur, is eductus ab aqua, ſtatim palpitare cœpit, eratque eſculentus, qualis ille non eſt. Non fuit Lucius, vt credidit Franciſcus Georgius, qui conuenientius illum credere debuiſſet lupum marinum, Græcis Lycium, quia erat carniuorus, & immanis, vt litera docet, qualis haud Lucius vulgaris cenſetur. Nec erat Vranoſcopus, quem Plinius vocat Callyonimum, hoc eſt, pulchri nominis, vt volunt Valeſius, Serarius, & Hieronymus Bapt. de Nuza; quia, vt teſtis eſt Rondeletius, & Aldrouandus, eſt Vranoſcopus non multum excreſcens, & rarò pedalem longitudinem excedens, eratque is magnus. Nec probat eorum dictum fellis Vranoſcopi virtus ad oculos medicandos, vel etiam ad oculorum albuginem tollendam, vt tradunt Galenus, & Plinius, vel quòd piſcis ſit littoralis, vt docet Ariſtoteles, & ἡμεροκοίτης, hoc eſt die dormiens, noctu exiens, & oberrans: nam & alij non pauci reperiuntur eiuſdem naturæ piſces, & qui fel habent ad medendum oculorum albugini, non minus aptum, inter quæ ſingulatiter eminent, eodem Plinio teſte, fel Coracini, & Scorpij. Quare difficile omnino cenſeo, ne dicam impoſſibile, qualis is piſcis ſpecificè fuerit diuinare: nam fluuij Tigris piſcium ſpecies ferè innumerabiles cenſentur, eum in illo, vtpote magno, ac ſtagnante, Oceani etiam piſces, non rarò inueniātur, & aliquando etiam, ex fluxu, & refluxu maris, penè molis immenſæ. Genericè tamen placet quod dicit Serarius, illum cetū fuiſſe, ſi tamen omnes grandiores aquarum belluas cum Iunio, qui etiam citat Plinium, cetos appellandos eſſe dicamus.

Incertū quis piſcis ille fuerit, qui adnatans exiuit è fluuio Tigris ad deuorandum Tobiam.

Iun. lib. 2. de animal c. 13. Plin. lib. 9.

Quòd hoſpitum noſtrorum pedes abluere debeamus.

DOCVMENTVM I.

A

NON hoſpites imitandos nobis eſſe Tobiæ, qui ſi tamen aliquos habuit, in illa prima manſione; pedes eius nō lauerunt; ſed alios, qui hoſpitibus ſuis pedes lauent, docet B. Paulus, dum Timotheo ſuo præcipit ſuper vidua eligenda, quæ Eccleſiæ eſſet liberalitate ſuſtentanda, vt illud inter cætera ab illa exigeret, quod magno iam natu, ideſt ſexagenaria, *Sanctorum*, inquit, *pedes lauet*. Dederat enim nobis, & vniuerſo orbi ipſe Chriſtus Dominus eius rei exemplum: quando iam iam ad ſalutare ſupplicium iturus, ſuorū pedes Apoſtolorū, Deus hominibus, magiſter diſcipulis lauit: quod ſanctiſſimi deinde viri, etiam Principes ſunt imitati. Beatiſſimus Ludouicus Frācorum Rex inuictiſſimus, vt in eius actibus habetur, tanto amoris, & deuotionis ardore erga Chriſtum Dominum, diſcipulorū pedes abluentem, affectus eſt, vt non ſemel in anno, vt nonnulli Chriſtiani reges & principes faciunt; ſed ſingulis ſabbathorū diebus, in loco ſecretiſſimo, pauperū pedes ablueret, lotoſq. deuotiſſimè oſcularetur; idemq. obſequium eorundē manibus præſtans, certam inſuper eis pecuniæ ſummam erogabat. Beata etiam Eliſabetha Luſitaniæ regina, ad præſcriptum Apoſtoli, annos ſuæ viduitatis cōponens, nō ſolum pedes Sāctorum, hoc eſt inopum fidelīū, & mulierculárum, regijs manibus lauit; ſed etiam vlcera ipſa, odorē peſtilentem exhalantia, imperans horrori, quo ab eius officio pietatis auertebatur, exoſculata eſt. Et tandem, ſicut Aug. ait: *apud ſanctos vbicunque hæc conſuetudo non eſt, quod manu non faciunt, corde faciunt; multo autem eſt melius, & ſine controuerſia verius, vt etiam manibus fiat; nec dedignetur, quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus: Cum enim ad pedes fratrum inclinatur corpus, etiam corde ipſo, vel excitatur, vel ſi iam inerat, confirmatur ipſius humilitatis affectus.*

1. Tim. 5. 10.

Io. 13. 5.

Sur in act. ss. Ludouici, & Eliſabethæ.

S. Ludouici Regis Franciæ in pauperes pietas.

B

B. Eliſabetha Luſitaniç Regina.

Aug tract. 58. in Io.

C

Hinc factum eſt, vt olim inter monaſticas obſeruationes, illud præ cæteris eſſet decretū, vt hoſpites nō modò obuio, & amico ani-

Hoſpitibus olim monachi pedes abluebant.

S. Hier. ad Ruſticum monachum.

mo exciperentur; verum etiã & humili obſequio eorum pedes ablnerentur. Sic Hier. monachum ab ipſis incunabulis inſtruens, hoc præceptum his verbis inculcat: *Seruies fratribus: hoſpitum laues pedes.* Sed quid? infideles ipſi, nullo Chriſti exẽplo propoſito, hoc miræ beneuolentiæ exẽplũ præbuerũt. Omitto antiquiſſimũ Vlyſſis, qui poſt viginti annorũ exilium, cum habitu mendici in ędibus ſuis obambularet, Homero teſte, minimè ob abſentiã tot annorũ à Penelope cõiuge agnitus; ab illa tamen nõ modo, vt hoſpes receptus eſt: ſed etiã iuſſæ ſunt famulæ ipſi Vlyſſi, tanquam peregrino, pedes abluere, & deinde ad Telemachũ filium coenatũ ducere. Illud mirũ, quod in vita S. Otbonis Bãbergenſis narratur: dum cnim Vdalricus religioſus, presbyter S. Aegidij, & Albinus, viri Dei Othonis interpres, opulentiſſimã ciuitatẽ, Hologoſt dictam, adiſſent, vt diuini verbi prædicatione eã ab execranda Idolorum cnltura liberarent; quædã mater familias, vxor ſcilicet pręfecti Vrbis; honorificè, non modò, vt hoſpites eos ſuſcepit; ſed etiam manibus ipſa ſuis pedes eorum ſumma humilitatis deuotione mulier idololatra lauit, ſtatimque, menſa appoſita; copioſiſſimis eos etiam dapibus refecit, mirantibus ſanè eis, & admodum ſtupẽntibus, quòd talem in regno diaboli humilitatis, & hoſpitalitatis gratiam meruiſſent.

Homer. Iliad. 5.

D

In lib. trium SS. Bamberg. Serarij in vit. S. Othonis lib. 3. c. 6.

E

Tot igitur exemplis propoſitis, & conſideratis, quis hoſpites Tobiæ, eornmq. ſimiles nõ abhorreat? Quem nou pudebit ab idololatris confundi? quis non ſibi glorioſum putabit facere illud, quod tanti principes, & reges fecere, immo & ipſe rex regum Chriſtus Dominus fecit.

Quòd animi affectus diligentiſſimè mundandi ſint ante ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſumptionem.

DOCVMENTVM II.

A

Chryſ. ho. 72. in Io.

CVM *nulla*, ſicut ait Chriſoſt. *vtilitas ſit in munditia corporis, anima coinquinata*, exiens Tobias, vt ante coonam ſuos lauaret pędes, nos docet, quãta diligentia animi noſtri pedes, ante myſticam agni immaculati coenã, abluere debeamus; nã ſi tunc temporis adeo indecẽs exiſtimabatur pedibus, vel manibus immundis cibum materialem ſumere, quàm indecẽs erit, verum, & viuificum panẽ, Chriſti ſcilicet corpus, & ſanguinẽ illotis animi pedibus manducare? *Sanè*, ait Aug. *& ſi eccleſia, quod externum erat, remiſerit, lotionẽ ſcilicet pedum, finem tamen, & rem huius ſigni retinet, probationem ſcilicet, & internã præparationem.* Indicans morem olim fuiſſe Chriſtianorum pedes ante communionẽ lauare, quem tamen remittentes, ſignificationem tantum eius retinuerunt, abluendi ſcilicet pedes animi, nimirum ipſos humanos affectus: nam, vt idem ait: *ipſi humani affectus, ſine quibus in hac mortalitate nõ viuitur, quaſi pedes ſunt, vbi ex humanis rebus afficimur, & ſic afficimur, vt ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt.* Pedes itaq; hos animi præcipuè abluere debemus ante ſacrum viuificæ menſæ conuiuium: quod explicuit illis verbis B. Paulns, vbi de eo, qui ad illud accedit, verba faciens, ait: *Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Probet, hoc eſt exactè ſcrutetnr, & diſcutiat, non hnnc, vel illum; non huius, vel illius ſordes; ſed ſuas, *ſe ipſum*: affectus ſuos examinet, & videat, num latentem radicem aliquam amaritudinis habeat. *Probet ſe ipſum*, & videat, an cibus ſit aptus viuifici illius panis, qni in hac cęna ſumitur. Etenim: *Ego ſum panis viuus*, ait Chriſtus, panis ſcilicet, qui edentes ędere valeo, qui nõ mutor in comedẽtes; ſed eos in me commuto. Quare non ego, vt alij mortui cibi, probãdus, ſed tu te ipſum probare debes, mundusne ſis, an immundus; habeasne ſaporem dulcem gratiæ, an amarum peccati; ſisne eo modo conditus, quo noſti me velle, an nõ: vt enim poëta ille dicit: *Coquus Domini ſui debet habere gulam*, ideſt, debet cibos eo modo coquere, quo vult Dominus: ſic debet homo probare ſe ipſum, & videre, num ſe Domini ſui palato accommodauerit.

Aug. ep. 119 cap. 8.

B

Idem tract. 56. in Io.

Euchariſtia mũdo corde ſuſcipienda.

1. Cor. 11. 28.

1. Co. ibid.

C

Io. 6. 51.

Aug. li. 7. confeſſ. c. 10.

Lib. 14. Aphor. 110.

Statuerat Moyſes ex Dei præcepto inter tabernaculũ teſtimonij, & altare, labrum æneum, plenum aqua, vt in eo ſacerdotes, antequã ad altare ſacrificaturi accederent, pedes ſuos abluerent. At nobis alius eſt fons, fluuius alius, in quo nos abluamus, nimirum pœnitentiæ Tigris, in quo, Bernardo teſte: *omnia in confeſſione mundantur.* Sic viuifici panis præoccupare debemus faciem in confeſſione: *peccata*, ait Auguſtinus, *citò feſtinemus per cõfeſſionem, & veram pœnitentiam abluere, ne cum Iuda proditore pereamus.* Etenim, vt ait B. Paulus: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit*, hoc eſt, qui abſq; præuia diſcnſſione, contaminatis animi affectibus; panem vinnm manducat, iudicium ſibi manducat, & ſuã condemnationem; vtitur enim in hac locutione B. Paulus figura Synecdoche, qua, per id, quod antecedit, intelligitur, quod conſequitur, per iudicium ſcilicet damnatio, qua etiã eſt vſus figura ad Hebræos ſcribens, dum ait: *Fornicatores, et adulteros iudicabit Dominus*: hoc eſt, cõdẽnabit, ait Theophilactus, vel vtitur Hebræornm idiotiſmo, illud explicãs, quod pater de filio, contra ſuam voluntatem aliquid comedẽte explicaret, ſi diceret, *edat*

Exodi 30. 18.

Peccata ante euchariſtiæ ſumptionem confeſſione expianda.

D

Ber. ſer. 2. de reſurrect.

S. Aug. ſer. ...ant. lib. de ſalut. docum. c. 33.

Heb. 13. 4.

E

edat,

edat, certè virgam ſibi edit, flagellum intelligens. Sic intelligit Beatus Paulus mortẽ animæ, ſeu damnationem, quæ indignè cõmunicans demeretur. Vnde *iudicium ſibi manducat*, non quia malum eſt, quod ſumit; ſed quia malus malè accepit, quod bonum, & ſanctum eſt. Sic refert Euagrius, B. Macharium Alexandrinum in Eccleſia, cum ſui monachi ſacram perciperent Synaxim, vidiſſe nonnullos illius loci à Diabolo ignitos carbones accipere, ipſumq́. Chriſti corpus ad presbyteri manus remeare, cum verò boni religioſi id dignè acciperent, longè illinc fugiſſe dæmones, & ſanctos Angelos manus ſuas, ſacerdotis manibus iunxiſſe, vt digni dignè communicarent. Docens nos malos communicando nouum committere mortale crimen; Et in Saxoniæ Annalibus legitur Wuedechindum Saxonum principem, adhuc gentilem, vt Chriſtianorum myſteria conſpicere poſſet, veniſſe ignoto habitu ad Caroli Magni caſtra, circa annum Domini ſeptingenteſimum ſeptuageſimum octauum, & Eccleſiam ingreſſum, omnia curioſè perluſtraſſe, qui tandem ipſa Paſchali ſolemnitate à quodam agnitus, ad Cæſaris eſt conſpectum adductus; à quo de cauſa ſui aduentus requiſitus, cum nullam aliam fuiſſe reſpondiſſet, niſi, vt Chriſtianorum myſteria cerneret, quid vidiſſet ab eodem iuſſus eſt explicare: cui ille: vidi, ait, ante biduum vultu demiſſo te triſtem incedentem, lætantem hodie (erat enim dies Paſchæ) ad menſam templo mediam accedentem, & vna cum tuis de manu purpurati ſacerdotis pulchellum puerum in os recipere, quem quibuſdam ludibundum arridere, & vltro properare, alijs verò abhorrentem auertiſſe vultum, & tamen in ore demiſſum, nec redeuntem aſpexi, nec quid ſibi hæc velint, noui. Tum rex, benè, inquit, perfeciſti, plus tibi aliquid, quàm cunctis ſacerdotibus, & nobis oſtenſum eſt, quidque ſingula, quæ viderat, ſibi vellent, illi ſignificauit.

Vit. PP. p. 2.

Euchariſtiã indigne, digneq. ſuſcipientium exemplum.

F

Crantz. li. 1. c. 9. Brandembachius lib. 1. coll. 2.

G

Sed non ſolùm mors animæ ex indigna ſacramenti huius ſumptione conſequitur; ſed etiam corporis, quod teſtatum reliquit B. Paulus, dum ait: *Conuenientibus vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare.* quid inde? *Ideo inter vos multi infirmi, multi debiles, & dormiunt multi.* Scio quoſdam Patres, vt Acatium, & Abbatem Theonem, hæc de infirmitate, dormitioneq. ſpirituali intellexiſſe; ſed certum eſt, iuxta communem doctorum ſententiam, Apoſtoli ſermonem eſſe de infirmitate, debilitate, & morte corporis, quam conſequitur, qui huic diuinæ menſæ indignè accedit: quod multis confirmari poſſet exemplis; ſed ſingulare illud à Palladio his verbis relatũ: *Cum ad Macharium aliquando veniſſem, reperi ante fores cellæ ipſius presbyterum quendã, cuius totum caput adeò exeſum, & conſumptum erat illo morbo, qui cancer nominatur, vt etiam os verticis videretur, qui illuc, vt curaretur aduenerat, neque tamen vſque in illum diem à S. Machario ſuſceptus fuerat, aut viſus: ego itaque tunc ipſum rogaui petiui, vt eius miſereretur, & ſaltem reſponſum ei daret; tunc mihi ſanctus: non, inquit, eſt iſte dignus curari, hanc enim pœnam ex præcepto diuinitatis accepit: ſi autem vis curari eum, perſuade illi prius, vt à ſanctorum ſacrificiorum immolatione diſcedat: cumque ego dicerem; cur obſecro id fieri iubes? Quia, inquit, fornicatione pollutus myſteria Domini violare conſueuerat, propter quod talis ſupplicij atrocitate cruciatur: ſed ſicut dixi, ſi nunquam hic ſacerdos ſacrificia contigerit diuina, Deo iuuante, poterit ſanari. Cum ergo illi, qui hoc morbo laborabat, iſta dixiſſem, vt cum ſacramento mecum paciſceretur non ſe vlterius ad officium ſacerdotis acceſſurum. Tum demum à ſancto illo vocatus eſt, qui cum his allocutus eſt verbis: Credis, inquit, Deũ eſſe, cui nihil occultum eſt? reſpondit: credo. Non potuiſti, inquit, virtutem diuinitatis eius euadere? reſpondit ille: non potui Domine mi: Tu ne magnus Macharius, ſi cognoſcis, inquit, peccatum, & vis euadere hanc, quam propter illud tibi Dominus intulit poenam, emendare de reliquo: quo audito, ille proprium confeſſus eſt crimen, & de cætero ſe nunquam peccaturum eſſe promiſit, neque ſacerdotis officio functurum; ſed inter laicos iam futurum: tunc illi ſanctus Macharius impoſuit manum, atque in paucis diebus capillorum quoque recuperatione curatus, Deumque glorificans, & ſancto viro gratias referens, videntibus nobis, ad propria remeauit.* Ita Palladius.

1. Cor. 11. 20. & 2. 30.

Acat. Caſarien. epiſt. ad Minor. & Alex. Theon. apud Caſſ. coll. 22. c. 5.

H

Pallad. in vit. S. Macharij Alex.

Sacerdotis ſacroſãcta myſteria indignè obeũtis pœna.

I

Sacerdos indignè celebrans punitur.

L

Quare *probet* prius, *ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* ſe ipſum examinet: maculas peccatorum ſuorum in Tigride pœnitentiæ lauet, conſiderans ſi illotus accedat, *ſe reum eſſe corporis, & ſanguinis Domini.* vt idem B. Paulus teſtatur, & condemnationem illam mereri, quam Iudas proditor meruit, dum ſanguinem iuſtum triginta argenteis vendidit, & quam meruit Pilatus, qui Dominum morti addixit, & quam tandem ipſi meruerunt ſatellites, qui Dominum in cruce confixerunt, dum, ſicut illi, peccat, non ſolum in Chriſtum; ſed etiã in corpus, & ſanguinem Chriſti: nam licèt peccet in Chriſtum, qui honorem illi debitũ non tribuit, qui ſanctos, & amicos eius ſpernit, vt ipſemet teſtatur, *qui vos ſpernit*, dicens, *me ſpernit*, non peccat tamen in corpus, & ſanguinem Chriſti, niſi qui Chriſtum cum Iudæis flagellat, vulnerat, atque trucidat: ſicut nec peccat in alicuius corpus, qui res, famulos, aut filios alterius lædit, ſed qui ipſum corpus lædit.

1. Cor. 11. 28.

M

Luca 10. 16.

Quòd diabolus beſtia ſæuiſſima ſit, & bonis omnibus ſemper infenſa.

DOCVMENTVM III.

A

LICET, vt ſuperius in literæ explanatione oſtēſum eſt, incertum omnino ſit, quis ſpecificè fuerit piſcis, qui Tobiam inuaſit; certum tamen eſt piſcem illum fuiſſe ſæuum, ingentem, carniuorum, & homini infenſum, per quem Chriſtum Dominum myſticè fuiſſe ſignificatum multi ex Sanctis Patribus docent. Et ſane literæ omnes, vt probat Auguſtinus, & Tertullianus, quibus Græce piſcis exprimitur Ιχθὺς aeroſtichidem dant egregiam, qua ſignificatur Ιησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ: Ieſus Chriſtus filius Dei Saluator: at quia loquimur hic, non de quolibet piſce; ſed de fero, vorace, & truce eum Beda diabolum per illum miſtice fuiſſe ſignificatum magis placet: eſt enim diabolus beſtia immanis, hominum vorax, & eorum præcipuè, qui ad Tigridem pœnitentiæ, vt affectuum pedes abluant, deſcendunt: Beſtia quidem, non natura, nam, teſte Dionyſio, omnes ſuas dotes naturales diabolus etiam poſt lapſum integras retinuit) ſed ob irrationabilem peccati naturam, quam induit, & propter malitiam, nequitiamq. ferinam, quam aſſumpſit, quaque vtitur contra homines: nam ſi homo propter peccatum iumentis inſipientibus, teſte Dauid, comparatus, & ſimilis illis effectus, meritò beſtia dicitur; cur & multo magis Diabolus qui peccatum inuenit, beſtiæ nomen non ſortietur? Adde quod cum creaturæ rationales omnes ad beatitudinem ſint ordinatæ; ſi quando contingat aliquam ex eis deuenire ad ſtatum, in quo iam inepta ad beatitudinem conſequendam efficiatur, procul dubio ſimilis erit beſtijs, quæ beatitudinis participes eſſe non poſſunt, itaq. cum diabolus eiectus iam ſit à prima illa conditione, & conſortio Angelorum; ad conditionem beſtiarum, è qua iam aſſurgere haud amplius poteſt ad vitam meliorem, meritò beſtia nuncupatur. Quinimmo, vt apud Iob habetur *Beemoth* hoc eſt beſtia beſtiarum: fatetur enim hoc ipſemet diabolus, dum ſuam cognoſcens beſtialitatem, variam ſæpè beſtiarum formam induit: nimirum ſerpentis in tentatione Euæ, porci, lupi, aut alterius animalis cuiuſcunque in tentationibus, quas alijs ſanctis viris intulit: nam in omnium ferè beſtiarum formis aggreſſus eſt SS. Antonium, Macharium, & cæteros ſanctos monachos deſerti incolas. & quidem non beſtia quæcunque ille eſt, ſed ſæuus, & vorax piſcis, vt ipſemet docuit, vbi ſieut beſtia, quæ piſcem repræſentat, adorari voluit. Sane Dagon à Philiſtæis cultus apud Hebræos piſcem ſignificare patet ex Geneſi, Exodo, & Deuteronomio, alijſq. ſacræ ſcripturæ libris, formamque ipſius ſuperne humanam, infernè vero piſculentam eundem è Sirenum genere fuiſſe, quæ cantus dulcedine nautas ſopire, ſopitos demergere, demerſoſq. tandem necare dicuntur.

Aug. ſer. 4. de SS. Petro, & Paulo. li. 18. de ciuit. c. 23. Proſper. lib. de promiſſ. & prædeſt. p. 2. c. 39 Tertull. li. de Bapt. Aug. vbi ſup. Beda.

Dionyſ. lib. de diu. nom.

B Diabolus beſtia truculen

Pſ. 48. 13. 21.

Iob 4. 10.

Gen. 1. 26. & 28.

Exod. 7. 11. Deut. 4. 18. Ouid. lib. 5. metamorph.

D

Diabolus animarum vorator.

At ſingulare ferum diabolum eſſe, vel ex eo patet, quod non tantum hominis corpus, ſed etiam animam depaſcere velit; fraude enim ſua ipſe primus intulit mortale, homini mortem: nam *inuidia diaboli*, vt Sapiens ait, *mors intrauit in orbem terrarum*. Quin, & ſacrificulos, idolatraſque ſuos ad cruenta ſacrificia, humanaſque hoſtias offerendas ſemper coëgit. Sic olim in manus idoli Maloch pueros (teſte Hieronymo) vinos dari volebat comburendos. Magnæ etiam (vt aiebant) Deæ matri larium, referente Macrobio, pueros mactari pro familiarum ſoſpitate; hoſpites immolari, vt narrat Lactantius Dianæ Tauricæ. Quid? tanta erat ſacrificatorum multitudo, quam ille exigebat, vt, ſicut è Plinio diſcimus, ante ortum Chriſtum centeſimo plus minus anno huiuſmodi hominum ſacrificia à Romanis in aliquot Italiæ locis ſint vetita. Quin & Tiberij Cæſaris principatu, refert idem, ſublatum fuiſſe in Gallijs huiuſmodi ſacrificiorum genus. Dithmarus Northmannos, & Danos narrat quotannis menſe Iannario ſacrificaſſe dijs homines nonaginta nouem, idque duraſſe vſque ad Henrici primi Germaniæ Regis ætatem. Didacus Vallades à quibuſdam ſenibus indigenis in Mexicanæ ciuitatis templo olim vno ſacrificio ſolemni audiuit immolatos ſeptuaginta ſex millia captiuorum ex bello Thaxcala. In ſuoſum profectò, & miſerandum ſpectaculum feris tantum & trucibus oculis immanis beſtiæ diaboli gratum.

Sap. 2. 24.

Hier. in illud Iſaiæ præparata, eſt ab heri Thophet. Macrob. lib. 1. Satur. c. 7. Lact. lib. 1. inſtit. c. 21. Plin. lib. 30. c. 1.

E

Dithmarus lib. 1.

Vallad. in Rhetorica Chriſtiana c. 7.

Odit ille ſanè ſceleris vltorem, punitorem doloris ſui Deum, in quem cum odium exercere non valeat, facit quod olim impius fecit Sennacherib, qui putans tali pacto vindictam de Deo ſumere ſe poſſe, reuerſus à Iudæa, fugiens plagam quam circa eum fecerat Deus, propter blaſphemiam ſuam, iratus multos occidit ex filijs Iſraël Dei ſeruis; ſic inquam ille, cum Deum, ſicut vellet, perdere nequeat, in hominem, qui Dei eſt imago, & filius, iram ſuam contorquet. *Panthera*, ait Baſilius, *naturalem quandam habet aduerſus hominem iram, & ſolet vel maxime in oculos inſilire. Hinc, qui inſana illi beſtia illudunt, ex chartæ imaginem, quaſi hominem ipſi oſtentant, illa vero nimio impetu, ac nulla conſideratione acta, eſſe hominem autumans, chartam veluti hominem concerpit, atq; hinc quanto ſit in hominem odio oſtendit*. Eodem prorſus modo monſtrum immane, & trucuelenta panthera diabolus, quanto flagret in Deum odio oſtendit, dum ipſum Deum attingere non valens, tanta feritate in hominem, Dei ſimilitudinem referentem inſurgit, (ſic & gladiatur,

Tob. 1. 21.

F

Baſil. in pſ. Diaboli odium in hominem.

qui

qui caput hoſtis ferire non poteſt, corpus, aut membra appetit; & Reges ſuſpendunt è
G patibulo imagines nobilium, quos captiuos habere nequeunt) eoque maiori rabie, quanto magis per gratiam in Tigride pœnitentiæ eos ablutos cernit, Deoq. magis ſimiles conſpicit. *Hoſtis noſter diabolus*, ait Gregorius, *quanto magis nos ſibi rebellare conſpicit, tanto amplius expugnare contendit. Quèadmodum pyrata*, inquit Chryſoſtomus, *quando vident nauem multis mercibus oneratam, & plurimas adducentem diuitias, tum potiſſimum varijs moliuntur inſidijs, vt poſſint mercibus omnibus nauigantes illos ſpoliare: ita ſanè diabolus, cum videt ſpirituales diuitias coacervatas, alacritatem feruidam, mentem vigilem, & quotidie diuitias augeri, cruciatur, & dentibus frendit, & quaſi pyrata circuit, & innumeras excogitat artes, vt ſi quem vel paruum inueniat aditum, quicquid nobis eſt ſpiritualium diuitiarum, depredetur:*
H Odit etiam ipſum hominem, quia, vt ſic dicam,

Greg. lib. 24. mor. c. 12. Chryſ. ho. 31. in Gen.

Enead. lib. 1.

manet alta mente repoſtum
Iudiciū Paridis, ſpretaq. iniuria formæ,
Et genus inuiſum, & rapti Ganymedis honores.

Ex inuidia etiam diabolus *ſe nobis opponit*, ait Baſilius, *non fert terrenā creaturā ad Angelorū dignitatē exaltari.* Et, vt dolet nobilis de palatio ſuo fiſco addicto, inuidetq. pauperi, cui rex gratis dono illud dedit; ſic ille pauperi homuncioni inuidet eam gloriam, qua ipſe culpa ſua eſt priuatus. Iſte, ait furens, mihi natura inferior, adipiſcetur, quod ego ſeruare non potui? Iſte de terris migrabit in cælum, cum ego de cælo ſim lapſus in terrā? Iſte in Tigride pœnitentiæ ablutus, fiet de inimico amicus, adoptionis filius, & cæli hæres? Sic Eſau perſecutus eſt Iacob pro patrata benedictione, & Saul Dabid ſucceſſorem
I ſuum; ſed iam quantum humano generi truculenta, & immanis hæc beſtia ſit expaueſcenda, videamus.

Baſil. hom. 9.

Inuidia diaboli erga genus humanū maxima.

VERS. III.

Quem expaueſcens Tobias, clamauit voce magna: Domine inuadit me.

1 *Dominus quis propriè dictus.*
2 *Quo ſenſu Raphael ſic appellatus.*

QVEM *expaueſcens Tobias*. Improuiſum nimirum, adeò immanis beſtiæ conſpectum, à quo nullum ſibi patere locum euadendi conſpiciebat, vt legit Arabs: *Exhorruit*, & *Clamauit voce magna*, dicens: *O Domine mi, irruit in me piſcis ad inglutiendum me.*

Arabs.

1 Dominus, qui Græcè Κύριος, dicitur, eſt, vt ait Budæus, is, qui ſummam habet poteſtatem rei cuiuſcunque, cui opponitur ἄκυρος, ideſt, nullius imperium, aut poteſtatem habens. Eſt enim Græcis Κῦρος, ex quo Κύριος, ideſt auctoritas, & quidem plena, & perfecta. Vnde abſolutè olim ſolus imperator, & Auguſta dicebantur Domini, vt inter cæteros oſtendit Sidonius, & Tertullianus. Tamen & illi impropriè, cum nullus perfectè Dominus, niſi ſolus Deus dici poſſit, qui ſolus abſolutè dominatur ex propria vi, & auctoritate: alij verò non niſi vſurpatione, vel permiſſione, vel conceſſione, ſeu ex poteſtate Dei, qua quidem ſæpiſſimè, non minus, quàm libero arbitrio abutuntur. Vnde tritum eſt illud Tiberij Cæſaris, qui ſe Dominum appellanti denuntiauit, ne ſe amplius contumeliæ cauſa tali nomine compellaret.

Dominus quis propriè dicatur.

Sidonius li. 1 epiſt. 2. 13. lib. 5. ep. 13 carm. 5. 7. Tertull. in Apolog.

Dominus ſolus Deus.

Vide de hoc dicto Tiberij Tacit. li. 2. Annal. c. 27.

2 Quia tamen poſtea in titulum honoris, non autem abſoluti dominij, vſurpatum fuit, vnde Seneca, ipſi, ait, gentiles omnem tum dominis inuidiam, tum ſeruis contumeliam detraxerunt, Dominum patrem familias appellando; hac voce domini ſignificamus, & regem, & moderatorem ciuitatis, & ducem, & tutorem, & herum, & quicunque is eſt, penes quem eſt imperium, & poteſtas: Latini quoque à domo dominum dixerunt, quaſi domi ſuæ tantum præpoſitum: ſic Dominum vocat Tobias Angelum, quòd ſuæ cuſtodiæ à patre ſuo eùm eſſet traditus, quaſi tutorem, & herum ſuum illum receperat.

Senec. ep. 47.

Quòd cuique expaueſcenda ſit vafricies, & fortitudo dæmonis, à qua tamen Angeli cuſtodis ope tu:i euadimus.

DOCVMENTVM.

A MYSTICE ſanctus Tobias exemplo ſuo nos admonet, diabolum, quem ſupra diximus immani hoc piſce fuiſſe ſignificatum, natura ſua cuique, licèt ſanctiſſimo expaueſcendum eſſe, nihilque contra eum temerè præſumendum; ſed dum nos vi ſua, aſtuque deuorare tentat, & in peccatum inducere, ad orationem, & Angeli cuſtodis præcipuè inuocationem confugiendum: ſic enim ille, licèt ſanctiſſimus, aſpectu tamen immanis belluæ pertimuit, & ab eius inſultibus non vi propria liberari ſe poſſe præſumpſit; ſed domini tantùm, & Angeli cuſtodis auxilio. vnde ad eos exclamauit: *Domine inuadit me.*

Sup. verſ. 2. doc. 3.

Eſt enim immanis bellua diabolus tantæ fortitudinis, vt ſi permitteret Deus, montes ipſos poſſet vno momento ſubuertere, quòd

Sup. verſ. 2. doc. 3.

Dæmon ſua fortitudine montes peruerteret ſi Deus permitteret.

Iob 41.24.

B

naturalia, vt ſupra diximus, quibus pollebat vt Angelus, nunc etiam retineat, iiſq. modò in noſtram perniciem pro virili abutatur. Quare *Non eſt ſuper terram poteſtas*, ait Iob, *qua comparetur ei*. Sumus nos in cõſpectu eius Dauides paruuli, ipſeq. magnus eſt Goliarh, exprobrans agminibus Iſrael: nos folium, nos ſtipula, nos, vt eſt in prouerbijs, bulla natura ille indefeſſus, vtpotè incorporeus, arena non cedens, nec victus quieſcens; ſed ſicut de Antæo lyrico fabulantur, & nos cernimus in pila follicata tanto eſt reſiliens, & reſurgẽs atrocior, quanto per diuinam gratiam fortius eſt terræ colliſus, ſimillimus Hydræ, cui plura repullulant capita vno detruncato. Vnde & Chriſtum ipſum ſemel iam victorem fortiùs ſecundo, & tertio auſus eſt aggredi. Quare non mirum, ſi, vt Athanaſius ait, *Nec Antonio ſecuritatem viuendi dedit vnus triũphus, nec diaboli ſemel fractæ defecere vires.* Quòd ſi fugam aliquando ſimulat, id ea gratia facit, vt pugnam reſtauret ardentius, Parthis fugientibus ſimilis, qui ſequentes, poſt terga reflexis arcubus, ſagittando conficiũt, & victi victoribus maximè ſunt metuendi.

Eius vafrities, & potẽtia cõtra homines maxima.

S. Athanaſ. in vit. S. Anton.

Eſt etiam veteranus, & inueteratus, iamq. propemodũ ſenis annorum millibus in omni certamine aſtu bellico, & ſtratagemate verſatiſſimus, & verſutiſſimus. Vnde, *Serpẽs*, dicitur, *callidior cunctis animantibus*. Nos verò inexperti, quippe qui moriẽtes ſumus, cùm diſcere incipimus. quare dum ad ſingulare certamen cũ eo deſcendimus, in eo conſtituimur periculo, in quo tyro miles, & inexpertus, quando in arenam cum veterano pugnaturus deſcendit. Sed malum tolerabilius foret, ſi nos aperto inuaderet marte; aſſumit enim ſubdolus animarum noſtrarũ impugnator teſſeram, ſignumq. militare alterius partis, vt in acceſſu amicus appareat, ſicuti Darium feciſſe legimus, qui profligatorum hoſtium exuuias, & inſignia ſuorũ aptauit humeris, & ita in reliquam hoſtium partem immiſit: ita Corœbus

Gen. 3. 1.

Polian. lib. 1.

Mutemus, ait, *clypeos, Danaumq. inſignia nobis*

Aptemus: dolus an virtus quis in hoſte requirat?

2. *Aenead.*

Salutem, quietem, & omnimodam proſperitatem noſtrã quaſi amicus ſe quærere ſimulat, vt nos in maiorẽ ruinam deinde præcipitet. Sic Euæ per ſerpentẽ omnia bona, & magnifica optare aſſimulans, dum illi, & Adamo verè mortẽ optaret, dicebat: *eritis ſicut Dij.* Nam *ſedet*, vt Pſaltes ait, *in inſidijs cũ diuitibus in occultis, vt interficiat innocentẽ: inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua. Narrauerunt, vt abſconderent laqueos, dixerunt quis videbit eos? Parauerũt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuris rectos corde.* Neq; enim ſpirituales viros ſtatim de grauibus tentat, nec ſtatim proponit

Dæmon ſalutẽ animarũ ſimulat, vt perdat.

Pſ. 9.8. & 63.6.

Dæmon ſalutem noſtram ſimulat, vt perdat.

illicita, ſuperflua, & magna; ſed licita, neceſſaria, & parua. Vnde ſi tentat de gula, nõ ſtatim ait: epulare, ingurgitare, ſed licet refici; immo neceſſarium eſt, & B. Paulo parendum, qui dicit: *Rationabile ſit obſequiũ veſtrum*; nam, inquit: *In medio cõſiſtit virtus.* Mulieri offert fragilem ſexum, iuueni ætatem, & quòd ieiunare noceat incremento; ſeni ſenectã, & quòd non ſit addenda afflictio afflicto, cùm ſenectus per ſe ipſa ſit morbus. *Comede*, dicens, *& bibe; grandis enim tibi reſtat via.* Sic S. Franciſcũ, vt S. Bonauentura refert, volens ad tepiditatem reuocare, quadã nocte, dum ſanctus vir orationi vacaret, tertio eũ vocauit, dicens: *Franciſce, Franciſce, Franciſce*: Cui cùm reſpondiſſet Sãctus, quid quæreret: *Nullus*, ait, *in mundo eſt peccator, cui, ſi conuerſus fuerit, non indulgeat Deus. Sed quicunq; ſe pœnitentia dura necauerit, miſericordiam non inueniet in æternum*, Cuius, aſtũ vir Dei per reuelationem intelligẽs, feruẽtius mortificationis ſtudio vacare cœpit.

E

3. *Reg.* 18. 41.

S. Bonau. in vit. S. Franc.

F

Sic enim induit quaſi venator viridem colorem, ne fugiant feræ: & quaſi piſcator hamum obuoluit eſca, ne illum piſces dignoſcant, & tanquã auceps rete cooperit, ne volucres euolent: condit venenum ſaccaro, vt qui illud propinat, exhauriat cũ ſuauitate, & dulcedine. Hac ratione in coniuge ſanctũ Iob aggrediẽs, ne maledictionis vocẽ horreret, & vt illum ad deſperationẽ induceret: *Benedic*, ait, *Deo, & morere*; hoc eſt: En quantis te Iob Deus laceſſit malis, quibus mortẽ ſe velle tuam nõ obſcure indicat: *Benedic* ergo Deo, faciẽdo, quod exigere à te videtur, teq. ipſum interime: *morere*. Sic virtutis ſpecie Scribas, & Phariſæos fefellit, dum eos ad maximum omnium ſcelerũ, condemnationẽ nimirũ ipſius Dei, adduxit: ſic illi collecto Cõcilio: *Quid facimus*, dicebant, *quia hic homo multa ſigna facit: ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.*

Iob 2.9.

G

Expaueſcenda itaque tanti hoſtis potẽtia, pertimeſcenda vafrities: attendendũ, & curandum, quod B. Ioãnes præcipit, ne omni ſpiritui credamus. ſic ille: *Cariſſimi*, ait: *nolite omni ſpiritui credere*, nam ſicut aurũ non eſt quicquid ſplẽdet, ita nec virtus, aut æquitas, quicquid virtutis, aut æquitatis decorẽ præfefert. Sic Ioſue cùm Angelum conſpexiſſet, euaginatũ manu verſantẽ gladiũ, non ſtatim eum credidit Angelũ Domini; ſed eũ interrogauit, dicens: *noſter es, an aduerſariorũ?* & Iob: *Verebar*, ait, *omnia opera mea*; & Dauid: *Meditatus ſum*, ait, *nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meũ.* Nã, ſicut mulier illa in Euangelio, vt drachmam perditam inueniret, domum verrebat; ſic Dauid ſpiritum ſuũ ſcrutabatur, & quaſi ſcopis verrebat, vt veritatẽ inueniret abſconditam. At quia impoſſibile eſt nobis tantum habere lumen, vt omnẽ inimici aſtũ vitare poſſimus,

1. *Io.* 4. 1.

Spiritus probandi.

Ioſue 5. 13

Iob 9. 28.

Pſ. 76. 7.

Luca 15. 8

H

niſi illud à Deo accipiamus,è cælo poſcẽdũ
eſt,& cũ Tobia dicendũ:*Domine,inuadit me.*
Pſ.33.8.
Sanè ſe *immittet*, vt Pſaltes ait, *Angelus
Domini in circuitn timentiũ eum,& eripiet
eos.Circundabit*,vertit Hier. *Angelus.Domi
ni in gyro timentes eũ,& eruet eos. Caſtra-
metatur Angelus Domini*, vertit Felix, *per
eircuitũ timentiũ eum:* mittet ſcilicet Deus
Hieron. Felix.
Angelum ſuum,qui quaſi diligens ciuitatis
cuſtos,mœnia, turres, & propugnacula ani-
mæ noſtræ accuratè lnſtrabit,& muniet: ca-
ſtrametabitur in circuitu noſtro,& cum ſuis
militibus,& ſtationibus erũpens,crebris ex-
curſionibus, & leuioribus prælijs aduerſa-
rios aggredietur dæmones, fugabitq. Nam
ſicuti imperatoris,ait Chryſoſt.*optimi proui*
Chryſoſt.
I *ſione vrbes omnes,caſtella ſingula, manu mi-
litari aduerſus hoſtilem muniuntur aduen-
tum;ita & Deus quoniam barbara,& agre-
ſti mente rabiẽtes dæmones ad pacis euerſio-
nem vbique verſantur, ad tutelam noſtram
inſtituit exercitus Angelorum.*

VERS. IV.

Et dixit ei Angelus: apprehende
branchiam eius, & trahe eum ad
te; quod cum feciſſet, attraxit cũ
in ſiccum, & palpitare cœpit an-
te pedes eius.

1 *Branchia quid, & quibus ſit piſcibus.*
2 *Piſcis ab aquis extractus, cur ſtatim
palpitare cœperit,*

1 A*PPREHENDE bran
chiam eius.* diuinitus ani-
matus Tobias,præcipiente
Angelo,aggrediente piſcẽ
immanem aggreditur, &
per branchias,hoc eſt, per
eas partes, quæ ſecundum ceruicem follium
more hiant,quibus piſces aquã reddere,quã
ore receperint,ad cordis refrigeriũ conſue-
ſcunt: (nam *branchiarum natura*,ait Philo-
ſophus,*quaſi ad ſpirandi vſum piſcibus data
eſt)* fortiter eum apprehendens, prius ad ſe
ne illaberetur,deinde ſuper aridam traxit.

Ariſt.2. de hiſtor. anim.c.13.poſt med.
Branchiarũ munus in piſcibus.

Habent branchias,ait idem Philoſophus, *ex
piſcibus alij multas,alij paucas,alij duplices,
alij ſimplices ſed nouiſſimam ſimplicem ma-
gna ex parte. Verùm,cognitio diligentior ex
conſectionibus, commentationeq. animalium
petenda eſt.Cauſa copiæ,& inopia branchia-
rum,caloris cordi inſiti copia, aut inopia eſt.
in quibus enim plus ineſt caloris,hæc celerius
moueri oportet,& vehementius;gemina autẽ
branchia,atque duplices talem naturam po-
tius,quàm ſimplices,paucioresq. obtinent,vn
de fit,vt nonnulli ex ijs,qui branchias habẽt
pauciores,minusq. continentes, diu extra
aquam viuere poſſint, vt anguilla, & qui-
cunque ſerpentis ſpeciem referunt;non enim
multum refrigerationis deſiderant.*

Ariſt. vbi ſupra.

2 *Et palpitare coepit ad pedes eius.*Ex qui-
bus liquet, hunc Tobiæ piſcem calidiſſimæ
fuiſſe naturæ, & multum refrigerationis e-
guiſſe,quippe qui vix ab aqua extractus,ſta-
tim quaſi moriens,ante pedes Tobiæ palpi-
tare cœpit.

Quòd diaboli aſtus, & inſultus haud il-le pertimeſcere debeat, qui, Angelo cuſtode inuocato illi animosè reſiſtit.

DOCVMENTVM.

DOCET verſiculus poſtquam A
ad Ducem noſtrum, hoſtium-
que noſtrorum victorẽ Deum
pro belli directione, virtu-
tiſque incremento, & ad An-
gelum noſtrum cum Tobia
confugerimus,exclamantes: *Domine inua-
dit me*; nihil amplius eſſe, quòd minaces
hoſtis moremur fauces, nec eſſe, quod ter-
reamur, aut in minimo animum deſpon-
deamus; ſed de diuino auxilio ſecuri, ag-
gredientem cum Tobia hoſtem nos aggre-
di debere. Sic Antonius, vt Athanaſius re-
fert, dæmones ad ſingulare certamen pro-
uocabat, dicens: *Si quid valetis, ſi vobis in
me poteſtatem Dominus dedit; ecce praſto
ſum, deuorate conceſſum; ſi verò non pote-
ſtis, cur fruſtra nitimini?* nec vllum dabat
eis locum, vt B. Paulus omnibus faciendum
præcepit, dum ait: *Nolite locum dare dia-
bolo*: hoc eſt, ſtate, & cedite ei concedentes
in aliquo, ſed ſicut Iacobus ait: *Reſiſtite
diabolo, & fugiet à vobis. Fortes*, nimi-
rum, vt Beatus Petrus ait, *in fide*: nam
crocodyli mores cum obtineat, immanis B
iſte piſcis fugientes inſequitur, & fugit in-
ſequentes, ac reſiſtentes. Extrahendus ta-
men primùm ab aqua operum voluptuoſa-
rum, quia ſicuti certare cũ immani piſce in
aqua, quæ proprium eſt ipſius elementum,
periculoſum eſt; ita certare cũ immani bel-
lua diabolo,dum in lubrico ſumus carnaliũ
voluptatum, quæ proprium eius ſunt elemẽ-
tum,eſt periculoſiſſimum. Etenim, ſicut Iob
explicat: *Sub vmbra ille dormit in locis hu-
mentibus.* Vbi Gregorius:*ſunt loca humen-
tia*,inquit,*opera voluptuoſa*, quæ quaſi pro-
prium diaboli ſunt elementum, extra quod
extractus ſceleſtus, ante pedes noſtros om-
nino impotens palpitat: nam, *ſuper a-
ſpidem, & baſiliſcum ambulabis*, ait de
viro iuſto Pſaltes, *& conculcabis leonem,
& draconem.* Leonem ſcilicet rugientem,
de quo B.Petrus,& draconem flumina inco-
lentem, de quo Ezechiel ſub nomine Pha-
raonis, nimirũ immanem piſcem diabolum.

Athanaſ. in vit. S.Anton.
Dæmones nocere homini nõ poſſunt,niſi Deo permittente.
Eph.4.27.
Iacob.4.7.
1.Pet.5.9.
Dæmones voluptuoſis oblectantur operibus.
Voluptates dæmonis domicilia.
Iob 40.16.
Greg lib.33. moral.c.3.circa fin.
Pſal. 90.13.
1.Pet.5.8.
Ezech.29.3.

Quia

Quia nimirum antiqnns hoſtis, ait Gregorius, *ſicut contra conſentientes fortis eſt; ita contra reſiſtentes debilis: ſi enim eius ſnggeſtionibus aſſenſus præbetur, qnaſi leo tolerari neqnaqnam poteſt: ſi autem reſiſtitnr, qnaſi formica atteritur: alÿs ergo leo eſt; alÿs formica, quia crndelitatē illius carnales mentes vix tolerant; ſpirituales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant.* Vnde ſi leones ſumus cum eo, formica ille nobis erit; ſiue magis Beelzebub, quo nomine in Euangelio appellatur, hoc eſt poſſeſſor muſcarum: nam ſicuti ad vas mellis palàm propoſitum, non aquilę, ſed muſcæ conuolāt; ſic ad mella, & voluptates turpes, quas ille proponit, non aquilæ, ideſt viri virtute inclyti, ſed alij muſcis ſimiles accurrunt. Verùm, vt diximus, ſit licèt gigas, & fortis armatus; ſi tamen in arido extra carnales voluptates trahatur, palpitabit, nec amplius, vtpotè à Chriſto ligatus, præualere pôterit. Etenim, *venit Chriſtus*, ait Auguſtinus, *& alligauit diabolum: ſed dicit aliqnis, ſi alligatns eſt, quomodo adhuc tantum præualet? Verum eſt, fratres chariſſimi, quia multnm præualet; ſed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibns dominatur. Alligatus eſt enim, tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum, qui ſe illi mortifera ſecuritate coniunxerit. Iam videte fratres, quàm ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus, mordet. Tn te illi per voluptates, & cnpiditates ſecnli noli coninngere, & ille ad te non præſumit accedere. Latrare poteſt, ſolicitare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem. Non enim cogendo, ſed ſnadendo nocet, nec extorqnet à nobis cōſenſnm,*
2 *ſed petit.* Trahe itaque, ſi præualere huic immani beſtiæ optas, eum in ſiccum, fuge mundanas voluptates, in quibus cubat: *qui enim amat periculnm*, vt Sapiens ait: *peribit in illo.* Hinc appoſitè Seneca: *quantum poſſnmns*, ait, *à lubrico recedamus, in ſicco quoque parnm firmiter ſtamus.*

Greg. li. 5 moral. c. 17. poſt med.

Aug. ſer. 197. de temp. poſt med.

Dæmon nolentibus nocere non poteſt.

Senec. ep. 117

VERS. V.

Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piſcem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi; ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta vtiliter.

1 *Exenterare quid.*
2 *Cordis, fellis, ac iecoris in animantibus munus:*
3 *Cur ea reponi Angelus præceperit.*

T*VNC dixit ei Angelns.* Nimirum Tobiæ, vt illum doceret, quomodo ex immani illo piſce vtilitatem caperet.
1 *Exentera hunc piſcem*, hoc eſt, ad intima vſque ipſius exta, & recondita viſcera, hunc piſcem diuide, vt inde extrahere valeas cor, fel, & iecur. Arabs: *Diuide ventrem piſcis.*
2 *Et cor eius, & fel, & iecur repone tibi.* Arabs: *Et educ cor, & iecur, & repone tibi in peram.* Eſt cor in animalibus primum viuens, & vltimum moriens, inter viſcera præcipuum, & vitæ ſedes, & arteriarum, & caloris natiui, quo animal regitur, quaſi fons quidam, ac domicilium. Fel, humor eſt flauus in ima hepatis parte veſicula quadam contentus: & iecur eſt principium, & fons ſanguinis venalis, quod in ethnicorum augurÿs habebatur: infelicitatis magnæ argumentum, ſi defuiſſet in extis, ſicut aliquādo defuiſſe, refert Plinius.
3 *Sunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta vtiliter:* hoc eſt, ſunt hæc neceſſaria ad vtiliſſima medicamenta, nimirum, vt inferius apparebit, cor, & iecur ad effugandos dæmones: fel, ad acuendum, & reſtituendum viſum. Arabs: *Quoniam hæc innant ad medendnm in neceſſitate.*

Arabs.

Arabs.

Pli. li. 11. c. 37

Arabs.

Quòd medicamenta corporis, licèt nullo pacto ſint contemnenda; incerta tamen ſint, & aliquando inſcitia medicorum nocua, deque veris animæ medicamentis.

DOCVMENTVM.

AFFERVNT, teſte Plinio, phyſica omnia aliquod nobis vtile medicamentum, & certè cum omnia propter hominem creata ſint, & ipſi cæli, quos etiam, vt Moyſes, docet, *creauit Deus in miniſterium cunctis gentibus*, nihil vel minimum eſſe decet in natura homini non proficuum, licèt *tot iam exiſtant morborum mala*, ſicut Auguſtinus dicit, *vt nec libris medicornm cuncta comprehenſa ſint. Omnia* tamen, vt Sapiens ait, *fecit Deus duplicia, vnum contra vnum, & non fecit quicqnam deeſſe*, hoc eſt, vt idem Sapiens declarat, *contra malum bonum, contra mortem vitam, & ſic intuere in omnia opera altiſſimi duo, & duo, & vnum contra vnum.* Vnde hominis eſt ignorantia, ſi neſciat rebus omnibus vtiliter cum Raphaele pro medicamentis vti. Nouit eis vtiliter vti Salomon,

A Plin. lib. 24. Phyſica omnia vtilia ad medendum morbis.

Deut. 4. 19

Morborũ numerus incertus.

Aug. li. 22. de ciu. c. 22. poſt med.

Eccli. 42. 25. & 33. 15.

Medicinæ ars certa, ſed hominibus non probè noia.

vt

Euſebius apud Anaſtaſium Nicenū Epiſcopum. q. 39. in ſcript. 3. *Reg.* 4. 33.

Salomon artis medicæ peritiſſimus.

vt luculentus eſt auctor Euſebius, qui, vt in libris etiam Regum habetur, *diſputauit ſuper liguis, à cedro, quæ eſt iu Libano, vſque ad byſſopum, quæ egreditur de pariete*, à maxima ſcilicet plantarum, ad minimam vſque. *Et diſſeruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus.* Habuit enim ille à Domino, vt in libro Sapientiæ dicitur, omnium creatarum rerum ſcientiam veram, vt ſciret, *virtutes elementorum, naturas animalium, & differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque ſunt abſcondita.* Eius tamen ſcripta de medio ſuſtulit Ezechias, igneque combuſſit, vt indicatus Euſebius his verbis docet: *Libros Salomonis, qui ſcripti erant de prouerbijs, & odis, in quibus tractabatur de natura plantarum, & omui genere auimalium, & curatione omnium morborum de medio ſuſtulit Exechias, propterea quod morborum medelas iude acciperet populus, & nihili faceret à Deo petere curationes.* Hæc ille, quæ fere verba Georgius etiam Cedrenus habet: ſublatis itaq; his Salomonis ſcriptis, adeò difficilis remanſit medicinæ ſcientia, vt ipſe Hippocrates medicorum facilè princeps dixerit medicinæ artem adeo longam eſſe, vt vita noſtra breuis ſit ad eam comparandam: iudiciumq́. de morbis in ea admodum docuit eſſe difficile, & experimentum omne ita periculoſum, vt inutiliter rebus pro medicamentis non raro vtamur. vtendum tamen illis iuxta medicorum præſcriptum, qui, vt præcepit Ieſu filius Sirach, in maximo ſunt habendi honore. *Honora*, ait, ille, *medicum, propter neceſſitatem: etenim eum creauit altiſſimus.* & infra: *Altiſſimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.* nam licet in ea omne ſit experimentum periculoſum, nõnulla tamen adeo certa habet, vt imprudens omnino cenſendus ſit, qui illam abhorret. Vnde apud Locros, Aeliano teſte, tanta, & cura medicorum, & veneratio fuit, vt lege Zaleuci cautum fuerit, ſi quis Locrenſium Epizephyriorum ægrotans vinum merum bibiſſet, niſi iubente medico, etiam ſi ad priſtinam valetudinem rediſſet, mortis ſupplicium eſſet conſtitutum, quòd non iuſſus biberat. Verùm quia eo adducta ſunt noſtra tempora, vt maxima morborum pars à medicis originem trahat, vel quia ſunt nimis multi, vel quia imperiti, vel quia negligentes, vel quia ambitione, quæſtuue corrupti, *cauenda eſt multitudo medicorum*, quæ, vt ait Menander, *Hadrianum Cæſarem perdidit*, & certis medicis vtendum, ſicut etiam certis eſt libris inhærendum: & quidem, non quibuſcunque; ſed ijs, qui vſu multò, atque experientia magis docti ſint, quam libris. Ad quod ſignificandum Aeſculapium barbatum finxit antiquitas: nam, vt Plinius ait: *Diſcunt medici periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt*, & quia, vt Philemon ait: *neque medicus vllus, ſi diligenter circumſpicias,*

B

Sap. 7. 17.

Ezechias cōbuſſit libros medicos Salomonis. *Euſeb. vbi ſupra.*

Georg Cedrenus in comp. hiſtor.

Hipp. Aphor. 1. *lib.* 1.

C

Eccli. 38. 1

Apud Locrēſes medicina in magna eſt habita reuerentia. *Aelian. lib.* 2. *de var. hiſt.*

D

Maxima pars morborum a medicorū multitudine originem ducit, & ab eorundem imperitia, & malitia. *Plin. init. li.* 29.

Plin. vbi ſup.

Stob. ſer. 100.

Amicos ſuos benè valere cupit.

Curandum eſt, vt boni illi ſint, & fideles, quique officium medici eſſe ſciant, quod docet Celſus: *Curare celeriter, & iucundè.* Quòd ſi eam medicinam, quæ adeò inutiliter medicamentis vtitur, in tantùm reuereri debemus; quid de ea dicendum, quæ nobis omnino eſt neceſſaria, quaque ferè ſemper vtiliter ad medicamenta vtimur? Duas enim medicaminum officinas, vt Origenes docet, Deus condidit; alteram pro infirmitatibus corporis in agris; alteram pro languoribus animi in pratis ſcripturarum ſanctarum. *Sciens Deus*, inquit, *quòd homo infirmitatibus, & languoribus eſſet obuoxius, venturis paſſionibus prouidens medicamenta creauit ex terra, & ſicut corpori ex herbis, ita anima medicamenta præparauit ex ijs ſermonibus, quos per diuinas ſcripturas ſeminauit.*

E

Celſ. li. 3. *c.* 4 *de cur. diu. gen.*

Medicamēta animæ vtiliſſima ſunt pœnitentia tribulationes, & mortificatio. *Orig. in pſ.* 37

Et quidem ſunt neceſſaria ad animæ medicamenta, cor, fel, & iecur: Cor pœnitentia contritum, quo ſemper vtiliter vtimur. Etenim, vt Dauid loquitur: *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* nam tantæ eſt illud efficaciæ, vt valeat ſtatim omnē ab anima languorem tollere: quod idem Dauid ſuo exemplo nos docuit, qui cùm primum eum pœnitere cœpit ſuæ culpæ, poſt vocem illam pœnitentiæ: *peccaui*, ſtatim audiuit à propheta Dei: *Et Dominus tranſtulit peccatum tuum.* *En*, ait Ambroſius, *quantum tres ſyllabæ valeant:* Eſtque adeò certum hoc medicamentum, adeoque vniuerſale: vt nullum ſit in eius experimento periculum; quicunque ille ſit animæ morbus, ad quem apponitur. Vnde Cyprianus: *O pœnitentia, quid de te noui referam? Omnia ligata tu ſoluis: omnia contrita tu ſanas.*

Cor pœnitēs animæ eſt ſalus.

F

Pſ. 50. 19.

Amb. lib. 2. *de pœnit.*

Pœnitentiæ vis, & efficacia. *Cyprian. de laud. pœnit.*

Eſt etiam fel, quod, vt infra dicetur, amaritudine ſua ſymbolum eſt dolorum, & afflictionum; vtiliſſimum animæ medicamentum, quòd, ſicut Iſaias ait, *det intellectum*, & inſtar Gellebori ſtultiſſimos repentè ſapientes efficiat, & ſicut chelidonia hirundinibus; ſic ipſum hominibus viſum reſtituat. Sunt enim plerique hominum, flori illi Indico ſimiles, quem appellant arborem triſtem, qui, vt in hiſtoria de plantis Indicis legitur, nunquam floret, niſi poſt Solis occaſum: vel ſicut veſpertiliones, qui nuſquam volant, niſi in tenebris: ſic, inquam, illi, non niſi in nocte aduerſitatum virtutibus florent, vel ſeipſos ſupra ſe, cœleſtia petentes, leuant.

Fel dolorum eſt ſymbolum. Inf. c. 6. *v.* 9.

G

Garſias ab horto de plantis Indic. li. 2. *c.* 1.

Iuuat etiam animam iecur, quod Hebraicè eodem modo exprimitur, ac gloria. Vnde Lauretus ex Origene, Heſychio, Gregorio, & Ruperto, oſtendit occulta deſide-

Lauret. in ſylua allegor.

Mortificatio carnis optimum animæ medicamentum.

ria

ria illo ſignificari, vt pote amoris, & deſideriorum ſede, ſi tameu ſuper carbones ponatur mortificationis, ſicut Angelus poſtea docuit: vnde canit Eccleſia:

Eccleſ. in Breuiario.

Lumbos, iecurque morbidum
Adure igni congruo.

H Rom.8. 13 Quare B·Paulus inquit: *Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.*

Prodeſt tandem, eſtq. vtiliſimum animæ medicamentum ipſamet piſcis, nimirum dæmonis, exenteratio; *Exenteratur* autem, vt dicit Gloſſa moralis, *diabolus, quando eius doloſitas aperitur, per cor autem ipſius aſtutia, per fel nequitia, per iecur appetentia, qua ſemper tendit ad malum, ſignificatur: In caſſidili memoria hac reponenda, quia quanto melius cognoſcuntur, tanto facilius euitantur*: Et Gloſſa ordinaria. *Aſtutia diaboli*, inquit, *& nequitia cognita, nobis ad medelam proficiunt: quantò, enim ea certius exploramus, tanto certius declinamus*. Nam & quis diabolo per peccatum adhæreat, ſi callidè ab eo ſibi fluxa bona offerri animaduertat ad animę ægrotationem, ſeruitutem, & perpetuam damnationem? *Beneficia dæmonis*, ait S.Leo, *cunctis ſunt nocentiora vulneribus: Exentera* itaque, ſi præſeruari deſideras à morbis animæ, *piſcem, & cor, & fel, & iecur repone tibi: ſunt enim hac neceſſaria ad medicamenta vtiliter*,

Gloſſa moral. hic. — Vigilandum cuique a dæmonis aſtu. — Gloſſa ordinaria hic. — I S.Leo ho. 19. de paſſ.

VERS. VI.

Quod cum feciſſet, aſſauit carnes eius, & ſecum tulerunt in via, cætera ſalierunt, quæ ſufficerent eis, quouſque peruenirent in Rages Ciuitatem Medorum.

1 *Piſcis habet carnes.*
2 *Exponitur litera.*

QVOD *cum feciſſet*. Poſtquā, ſicut vidimus; animosè Angelico præcepto Tobias paruiſſet, exenteratoq. immani piſce, cor eius, fel, & iecur in caſſidili repoſuiſſet.

1 *Aſſauit carnes eius*, Nimirum piſcis. Habet enim & piſcis carnes, licet alias ab eis, quorum vſum ieiunij tempore interdicit Eccleſia: nam vt B. Paulus ait. *Non omnis caro eadē caro: ſed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piſcium.*

1.Cor. 15. 39.

2 *Et ſecum tulerunt in via*. Poſtquam ſcilicet ex illis comediſſent. LXX, *Piſcem autem aſſantes comederunt*. Arabs, *Aſſauitque eas, ac appoſuit ſecum menſa*. videbatur enim & Angelus viſibilem manducare cibum, licet inuiſibili verè vteretur, vt infra ipſemet docuit.

LXX. Arabs. — Inf.c.12.v. 19. Sup. hoc eod. c. v.2.

Verum quia, vt ſupra vidimus, piſcis ille tantæ fuerat magnitudinis, vt hominem deuorare poſſet, ex eius carnibus iam aſſis, eam partem tulerunt, quam ſibi in via poſſe ſufficere ſunt arbitrati; neque enim tunc temporis cauponæ reperiebantur, vt inferius dicemus, in quibus commeatum habere poſſent.

Inf.c.6.v.21. n.2.

Donec peruenirent in Rages ciuitatem Medorum, Ad quam properabant, vt à Gabelo creditum argentum exigerent; tamen quia nuptiarum cauſa, deinde Ecbatana conſtiterunt, legunt LXX. *Et pergebant vtrique, donec appropinquauerunt in Ecbatana*. Et Syrus: *Et iter fecerunt ambo quouſque acceſſerunt Ecbatana.*

Catera ſalierunt. nimirum, quæ ſuperfuerant, & inteſtina, quæ in caſſidili repoſuerunt ad vtilia medicamenta, ne corrumperentur.

Quòd corpus Diaboli comedunt, qui zelum habent ſalutis animarum.

DOCVMENTVM.

A Sup. v.2. doc. 3.

VERVM quia immani hoc piſce, vt ſuperius diximus, diabolus ſignificatus eſt, dum eius carnes manducat Tobias, ſecumq́, in via defert, & à nobis, qui vt B. Paulus ait, *non habemus hic manentem ciuitatem; ſed futuram inquirimus*, donec ad eam perueniamus ciuitatem cæleſtem Ieruſalem, ad quam properamus, diaboli corpus, manducandum eſſe docet: nam *corpus diaboli*, ait Petrus de Harentales, quem etiam refert Hugo, *conſtat ex omnibus perfidis, & peruerſis, & hoc corpus fideles comedunt, quando perfidos, & iniquos ad conuerſionem, & pænitentiam trahunt, & corpori Chriſti, cuius ipſi membra ſunt, ipſos incorporant*. Sic etiam Auguſtinus de vitulo aureo loquens, quem iuxta Dei præceptum Moyſes in ignem mitti iuſſit, & minutatim ita comminui, vt epotari à ſuis adoratoribus poſſet: *Quid eſt hoc*, inquit, *niſi quia adoratores diaboli corpus ipſius facti erant, quomodo agnoſcentes Chriſtum fiunt corpus Chriſti, vt eis dicatur: vos eſtis corpus Chriſti, & membra? Corpus diaboli conſumendum erat, & hoc ab Iſraelitis conſumendum. Ex illo enim populo Apoſtoli, ex illo prima Eccleſia. & dictum erat B. Petro de gentibus macta, & manduca. Quid eſt macta, & manduca? occide eos quod ſunt, fac eos quod es. Hac macta, & manduca, hac comminue, & bibe; vtrumque tamen in eodem ſacramento, quia oportebat*

Hebr.13. 14. — Hugo Card. Petrus de Harentales in ſua catena in pſ. 73. 14. — Aug. in illud pſ. circ. med. in annot. — 1.Cor. 6. 15. — B — Act. 10. — Proximorū ſalus ardentiſſime procuranda.

vti-

vtique, & ſine dubitatione oportebat, vt corpus, quod erat diaboli, credendo tranſiret in corpus Chriſti, ſic diabolus conſumitur amiſſis membris ſuis.

Quod faciendi neceſſitas eadem eſt ſuperioribus, & inferioribus, maximis, & minimis, quia, ſicut ſapiens ait: *Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo;* Vnde, quemadmodum ait Chryſoſtomus: *non ipſi tantum fures dant pœnam; verum etiam eadem pœna plectuntur ij, quibus cum eſſet poteſtas vetandi, non vetuerunt tamen; ita non ſolum qui impie agunt; verum etiam illi, qui, cum poſſint ab impietate reuocare; tamen vel ob pigritiam, vel ob timiditatem id facere nolunt, ſimul cum illis pœna plectuntur. Alioqui talentum illud, quod acceperat, ac defoderat ſeruus ille reddidit integrum, attamen dat pœnas, eo quod non auxerat lucrum; ita tu quidem, etiam ſi ipſe purus, & innocens perſeueres; caterum non augeas talentum, nec fratrem pereuntem reuoces ad ſalutem, eadem, quæ ille patitur, patieris:* nam nullus verè bonus, ait, S. Leo, *ſibi ſoli bonus eſt, nec cuiuſq. ſapientis ſibi tantum amica ſapientia, & hæc verarum natura virtutum, vt multos à tenebroſo abducant errore.* Vt enim lux claritate ſua, nihil obſcuritatis in ſe habens, alijs etiam lucet: & ſal, niſi ſalſum, reddat, non eſt ſal, ſed aliud eſſe deprehenditur; ita vir bonus nullam habere cenſebitur bonitatem, niſi charitatem erga proximū exerceat, qua ſola bonus efficitur: nam & *quomodo,* ait S. Bonauentura, *poteſt quis dicere ſe Deum diligere, & eius amorem appetere, qui eius imaginem videt iacere in ſterquilinio, & non curat? aut ſi cogitat, quod filius Dei pro animabus redimendis mortuus eſt, quomodo & ipſe, pro animabus mori non cupit? & maximè cum videt Chriſti ſanguinem pedibus conculcari; quomodo quæſo poteſt hanc ſui Domini iniuriam ſuſtinere?* Et infra: *Quomodo ergo credis te ſponſi amicitiam habere, qui eius ſponſam ab adulterio non cuſtodis? aut cum feſtinanter ad ſponſum non reducis?* Sic optabat B Paulus, qui verè Dei charitatem habebat, pro fratribus anathema fieri à Chriſto: *Optabam,* inquit, *anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Quibus verbis, ſiue intelligas cum Caſſiano optauiſſe non ſolum temporalibus; ſed etiā perpetuis adijci pœnis, dummodo omnes, ſi fieri poſſet, homines Chriſti conſortio fruerentur, ſiue intelligas cum Hieronymo, optauiſſe à Chriſto, hoc eſt propter Chriſti amorem (vt etiam in pſalmis à ieiunio genua dicuntur infirmata, hoc eſt propter ieiunium) de vita tolli, & tanquam quippiam abortiuum, execratumque de hominum ſocietate pro ſalute proximorum exterminari, quod per anathema ponant Hebræi חרם cherem, quod proprie occiſionem ſignificat: ſiue tandem intelligas B. Paulum pro eadem ſalute proximorum optauiſſe *anathema fieri à Chriſto,* hoc eſt, (vt explicant Chryſoſtomus, & communiter omnes patres Græci, qui per anathematis vocem, ſeparationem ſignificari volunt) ab eo choro ſeparari, atque alienari, qui Chriſtum circumdat, non quidem per gratiam: & charitatem, quod fieri nequit, niſi per peccatum mortale, nullam ob cauſam, etiam pro totius mundi ſalute admittendum: ſed quantum ad priuationem gaudiorum illius iucundiſſimæ fruitionis, inenarrabiliſque voluptatis, quam Beati percipiunt videndo Chriſtum, horum, inquam, quæcunque intelligas optauiſſe B. Paulum pro fratrum ſalute pati, ardentiſſimum ipſius apparet deſiderium conuerſionis proximi: quod etiam magnum oſtendit, dum ad Philippenſes ſcribens ait: *Coarctor à duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto multo magis melius: permanere autem in carne neceſſarium propter vos: & hoc confidens ſcio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum, & gaudium fidei.* ò vere Apoſtolicum animum, qui licet adeo Chriſto coniungi optaret, vt aſſidue diceret: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto,* tamen pro ſalute proximi ab eodem Chriſto nec anathema fieri pertimeſcebat. Et *quis mercator,* ait Chryſoſtomus, *nauem habens mercibus plenam, cum liceat iam ad portum appellere, adhuc tamen in mari nauigare vellet? Quis athleta cupiat adhuc certare, cum iam liceat coronari? quis miles, cum iam liceat cum triumpho domum reuerti, & omnium rerum affluentia frui, adhuc in bello ſudare, & periclitari ſuſtineat?* ſed quæ alij ſancti viri pro eadem ſalute proximi egerint videamus.

Abbas Serapion, vt Palladius narrat, oppidum quoddam infidelium aliquando ingreſſus, cùm publicè prædicantem è medio pellerent, venundare ſe ſe illis cœpit in ſeruum, vt ſaltem cum Dominis priuatim colloquendi poteſtatem haberet: vbi verò frequenti, aſſiduaq. ſuaſione illum, cui ſeruiebat, credentem ab idolorum ſeruitute in fidei Chriſti veritatem, & libertatem vindicaſſet, reddito ei pretio, ad alium pertranſibat, nec recuſabat vilis mancipij vilitatem, vt alios à pernicie liberaret erroris.

Vitalis Monacus, vt in vitis legitur SS. Patrum, proſtibula adibat fœminarum, & cum ea, quæ impudentiore laſciuia diffluere videbatur, noctem pactus, pretium offerebat. Admiſſus autem, in aliquo fornicis angulo procumbens, deprecando peruigilabat, donec illuceſceret dies, vt quam nullo alio modo poterat, ſaltem oratione iuuaret. Sicut enim in rebus humanis, vbi indigentis per nos opitulari minime poſſumus, ad virum potentiorem confugimus, orantes, vt ipſe

præ-

Margin notes: Eccl. 17. 12. — Chryſ. aduer. Iudæos. or. 1. circa fin. — C — Matt. 25. — S. Leo ſer. de S. Laurent. — Virtutes nullæ ſine proximi charitate eſſe poſſunt. — D — S. Bonau. in Pharetr. diu. amor. p. 2. c. 1. circa med. — Zelus ſalutis animarum magnus in S. Paulo Apoſtolo. — Rom. 9. 3. — Caſſ. coll. 23. cap. 6. — B — Hier ep. 151. ad Algaſ. q. 9 — Pſ. 108. 24 — Chryſ. ho. 16. in hunc locū. — F — Phil. 1. 23 — Chryſoſt. ho. 4 in c. 1 ep. ad Phil. — Mors bonis optabilis. — G — Pallad. lauſ. hiſt. c. 83. Serapionum ſolicitudo in ſalute proximorum curanda. — Mirādus, ſed nō imitādus S. Vitalis in eo quod proſtibula adiret fœminarum, vt illas ad Chriſtum conuerteret. — H

præſidio eſſe velit, ita in omni, quæ fratri-
bus noſtris occurrit, neceſſitate, ſi per nos
ipſos ſubuenire non poſſumus, ad Deum
Sap. 18.21 confugere debemus. *Properans, enim*, ait
Salomon, *homo ſine querela deprecari pro*
Oratione ſalus proximi quærenda. *populis, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum ora-*
tionẽ, et per incenſũ deprecationem allegans,
reſiſtit iræ. Sic peruigilabat Vitalis in ora-
tione, pro peccatricis ſalute. Factum admi-
rans mulier, cogebatur interim tacita intra
ſe cogitare, non iam quantum lucri feciſſet;
ſed quantum, turpiter viuendo, Deum offen-
diſſet. Itaque multæ ab eo hoc modo con-
uerſæ, vitam inſtituere meliorem. Ipſe ve-
rò, peruerſa hominũ opinione iactatus, quo-
niam circa lupanaria frequens erat, palamq.
repræhenſus, patienter tolerabat, cum plus
vtilitatis ex alieni delicti correctione cape-
1 ret, quam ex ſua infamia detrimenti. E-
xemplum ſane, in quo magis ardens ſalutis
proximorum deſiderium imitandum propo-
nitur, quam factum, etenim propter ſcanda-
lum, & periculum peccandi, niſi quis cum
Vitale à ſpiritu Dei actus eſſet; non ſine cul-
pa illum imitari (mea quidem ſententia)
poſſet: Vnde nemini hoc ſuaderem, quia
neminem Vitali ſimilem noui.

Sed quia nimis longum eſſet ſanctorum
zelum fuſiori oratione referre, hæc dicta
ſufficiant; illud ſolum placet adijcere, præ-
ceptum Domini eſſe, & cuiq. ſeruandum,
Proprii corpori ſalus ſpirituali proximi ſaluti poſthabẽda. corporis ſalutem propriam contemnere pro
ſalute animarum: nam, vt B. Io. ait: *In*
hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam il-
le animam ſuam pro nobis poſuit, & nos de-
1.Io. 3.16. *bemus pro fratribus animam ponere*. & in-
primis pro ſalute eorum, qui vel conſan-
guinitate, vel amicitia ſunt nobis coniuncti:
dat enim ſecuritatem amor, & qui vere a-
mat, quæ ad amici. ſalutem faciunt, libere
L debet loqui: Cuius rei mirabile nobis præ-
buit Nazianzenus exemplum. Sic enim de
Ruff. li.2 c.9. eo habet Ruffinus: *Gregorius, & Baſilius*
ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo
collegæ, ambo de auditorio egreſſi ad profi-
tendum Rhetoricam rogabantur: quod opus
Naziãzenus D.Baſilium è cathedra ad monaſteriũ, vel repugnãtẽ perducit. *magnifice implebat Baſilius, Gregorius verò*
magnificentius contemnebat, quique cum
ſe totum Dei ſeruitio mancipaſſet, tantum de
collegæ amore præſumpſit, vt ſedentẽ Baſiliũ,
de doctoris cathedra deponeret, ac ſecum ad
monaſterium, manu iniecta, perduceret: ad-
dunt alij, inſuper eum dixiſſe: *Omitte iſta, &*
da ſaluti operam. Ah quot amicorum animæ
pernicioſa noſtra verecundia depereunt.
Quot ſunt, qui dum nolunt Nazianzenum
imitari, nec ſaluum habent amicum; Eia
quæſo macta, macta, & manduca, macta,
ſi Dei habes charitatem cum ſanctis, imma-
nem piſcem, deuora carnes, occide in
peccatoribus quod ſunt, fac eos quod es:
deuora myſticam carnem diaboli, & con-
uerte in myſticam carnem Chriſti, vt iam
omiſſionis hanc grauem culpam effugere
poſſis, & præmium conſequi laboris.

VERS VII.

Tunc interrogauit Tobias Angelũ, & dixit ei: Obſecro te, Azaria fratur, vt dicas mihi quod remedium habent iſta, quæ de piſce ſeruare iuſſiſti.

VERS. VIII.

Et reſpondens Angelus dixit ei. Cordis eius particulam, ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, ſiue à viro, ſiue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos.

1 *Azariam cur Tobias appellet fratrem.*
2 *Cor, & iecur neceſſaria ad ſuffumigium.*
3 *Quomodo corporalia quædam dæmones expellant.*
4 *Recenſentur aliorum ſententiæ.*
5 *Refelluntur.*
6 *Orationis, fumo ſignificatæ, peculiaris vis ad fugandos dæmones.*

T*VNC interrogauit*. Dixe- VERS. VII.
rat Angelus, cor, iecur, &
fel, quæ de piſce ſeruare fe-
cerat, valere ad vtilia me-
dicamenta. rogat modo eun
dem Angelũ Tobias, vt quæ
nam ſint hæc vtilia medica-
menta ediſſerat, & quidem meritò: nam, vt
ſapiens ait: *Sapientia abſconſa, & theſaurus* Eccl. 20.
inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? 32.
1 *Azarias frater*. Fratrem Tobias An-
gelum vocat, vel quia tanquam fratrem eum
diligebat, vel quia eum ex filijs Iſraël vnum
exiſtimabat, quo modo & Chriſtus fratrem
generaliter vocauit omnem Chriſtianum, di-
cens: *Si autem peccauerit in te frater tuus,* Matt. 18.
Ethnicum, & publicanum fratri opponens, 15.
quia Eccleſia, vt B. Paulus ait, *de ijs non* 1.Cor. 5.
iudicat, qui foris ſunt. 12.
2 *Et reſpondens Angelus dixit ei: cor dis*
eius particulam. LXX. *Cor, & iecur, ſi quẽ* LXX.
turbauerit dæmonum, vel ſpiritus malignus,
hæc oportet ſuffire coram homine, vel mulie-
re, & non vltra turbabitur. Syrus: *Cor &* Syrus.
iecur, ſi quis damnum paſſus eſt à dæmone,
aut à ſpiritu malo, hæc afferantur ante ho-
minem, aut mulierem, & non amplius dam-
num patitur. Ex quibus apparet non ſolũ Inf. c.8. v.2.
cor; ſed etiam iecur carbonibus ad ſuffumi-
gium ſuperponendum, quod etiam factum
fuiſſe inferius apparebit.

3 *Si ſuper carbones ponas*. Ad ſuffumigium.

Extricat omne genus dæmoniorum. Ideſt extricandi vim habet. Arabs: *fumus eius expellit ab homine, & à muliere omne genus dæmonum*. Etenim licet corporalia, quęcunq; illa ſint, dæmonem naturaliter directè expellere nequeanr: quia in omnibus rebus naturaliter virtus agēdi ipſa eſt qualitas, ſiue prima, vt calor, & humiditas: ſiue ſecunda, vt odor, & ſapor, quæ cum ſint accidentia corporum elementarium, nequeunt agere niſi in elemēta corporea, nec corporalis ſubſtātiæ vlla ſit virtus, quæ ſpiritualium, & à materia ſecretarū robur poſſit æquare; indirecte tamen, non ſolum hic in litera ea poſſe conſtat: ſed etiam in libris regum, vbi: *Quandocunque*, ait ſacra hiſtoria, *Spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat cytharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo Spiritus malus*. Salomon etiam radicis ſpeciem indicauit, ad cuius olfactum expellebatur arreptitiorum dæmonium: quod ſe vidiſſe fieri, præſentibus Veſpaſiano eiuſque filijs, ſcribit Ioſephus, licèt talem præſcribat modum eam euellendi, vt ſuperſtitioſam magis, quam naturalem in ea expulſione dæmonum fuiſſe cenſeam: quin & rura, carnibus, ſtercoreque caprino, flagellationibus, & ſimilibus etiam expelli poſſe dæmones alij cenſent. Quod ſanè ex eo contingere poteſt, vel quia ea eſt demonis ſuperbia, vt huiuſmodi rebus corporeis ſe contemni exiſtimans, talem ferre nequeat confuſionem: vel quia horum virtus pro diuerſitate complexionū hominem iuuans, ita virtutem quarumcunque rerum à demone corpori applicatarum ſuperet, vt illud amplius alterare nequeant. Etenim cum dæmon per cauſas naturales inuicem ritè compoſitas, & apte tempeſtiueq. applicatas, in corporibus ſuos effectus noxios, & peſtilentes operetur, conſequens eſt, vt ſi illis aliæ opponantur valentiores, & efficaciores, vel priorum impediantur effectus producendi, vel diſſipentur producti: vt enim teſtatur Auguſtinus, cum hæc viſibilium rerum materia ſoli Deo, in quo ſolo naturales omnium rerum formæ eminenter exiſtunt, ad nutum inſeruiat; nullus dæmon, nec vllus Angelus, vt Sanctus Thomas, & Doctores communiter docent, poteſt ex ſe immediate qualitatem naturalem producere, aut corpus alterare, niſi applicando actiua paſſiuis. Sic *Dæmones*, ait idem S. Thomas, *virtute propria nullam formam in materiam influere poſſunt, nec accidentalem, nec ſubſtantialem, nec reducere eam in actu, niſi adminiculo proprij agentis naturalis; ſicut etiā artifex nō propria virtute, ſed virtute ignis appoſiti calefacit; ita & dæmones ad determinata paſſiua poſſūt cōiūgere actiua, vt ſequatur effectus ex cauſis quidem naturalibus*. Ex quo videmus dæmonium frequentius eos inuadere, quibus atræ bilis apta eius malitiæ, & dolis diſpoſitio maior eſt copia, quæ cum his herbis, medicamentis, & ſuffitibus temperetur, ipſe indirectè expellitur, ceſſante ſcilicet conditione ſine qua non.

Arabs.

Fumus cordis, & iecoris naturaliter quidem, ſed non directè dęmones extricabant.

1. *Reg*. 16. 23.

Ioſeph. lib. 8 *antiq. c* 2.

Dæmonum actiones in corpora impediri poſſunt.

Aug lib. 3. *de Trinit. c* 8.

S. Tho. 1. *p. q*. 110. *art*. 2.

Id. 2. *ſent. diſt* 7. *ar*. 1.

Dæmones nequeunt immutare corporalia, niſi applicādo actiua paſſiuis

Frequentius eos dæmon inuadit, quibus maior atræ bilis eſt copia.

Quare licèr, vt diximus, res corporeæ directe vim habere nequeant aduerſus ipſum dæmonem; poſſunt tamen indirecte, nimirum aduerſus eius operationes, & effectus naturales, quibus, vel impeditis, vel deſtructis, & ipſe quodammodo expellitur.

Expellunt indirectè dæmones res corporeæ, vbi per eas impediuntur eorum effectus.

4 Non inficior aliquos eſſe, qui dixerint ex opere operantis tantum, vt ſignum precum Tobiæ, & Saræ, hoc ex piſcis corde ſuffumigio, dæmones fugari, Angelum docuiſſe: & alios, qui hæc Raphaëlis verba ita exponunt, vt cenſeant, non docere vi fumi dæmonem expelli poſſe; ſed tantum fugandum, quando fuiſſet excitatus: ſicut exeunt deuicti milites ad ſignum tubæ. Quocirca, *quemadmadum*, inquiunt, *Si quis lauaret ſe, lotionem ſuam non diceremus cauſam ecclypſis, quod dum lauit hæc accidit; ita neceſſe non eſt dicere, fumum cauſam eſſe, quæ diabolos expellat, quamuis dum fumus fit, diaboli pellantur*. Ex quibus concludere ſibi videntur, docere hic Angelum, quid fiat, non cauſam cur hoc fiat. Sed male, cum ad tale ſignum præſtandum, haud opus fuiſſet ſuffumigium, ex hoc piſce potius, quam ex alio, vel ex hac potius parte piſcis, quàm ex alia: ſuffeciſſetq. vt magis aptè, illud efficere ex thure, vel alia qualibet odorifera materia. Sicuti, nec etiam benè percipitur, quod alijs placuiſſe videtur, huius nimirum ſuffumigij virtutem ſupernaturalē ex mera quadam ſignificatione fuiſſe, cum fumus ex piſce ſignum fuerit ſacrum paſſionis Chriſti qui ἰχθὺς, ſeu piſcis dicitur, ex celeberrimo illo, & aoriſtico carmine Sibillæ, de quo Auguſtinus, & nos ſupra, cum nulla poſſit aſſignari ratio, cur magis ſpecificè huius piſcis virtute, quàm alterius cuiuſcunque ſpeciei dixiſſet Angelus extricari à viro, & à muliere dæmones, quod, & alijs piſcium ſpeciebus Chriſtus Dominus aoriſtico illo carmine ſignificetur.

Aliorum variæ expoſitiones.

Lyranus.

Nauſea.

Tyreus de dæmoniacis. p. 3. *c*. 48. *in fine*.

Reiiciuntur.

S. Proſper de promiſſ. par. 1 *c*. 39.

Aug. l. 18. *de ciuit. c*. 23.

Sup. hoc eod. c. v 2. *doc*. 3.

Ex quibus etiam liquet, nec illorum eſſe ſententiam probabilē, qui ſupernaturaliter, & ex ſola Dei voluntate, ſicut ignis inferni cruciat, à cordis huius piſcis ſuffumigio extricari dæmones ab obſeſſis dicunt: cum hic Raphaël non niſi de naturali eiuſdem cordis, & iecoris virtute videatur loqui, dum rem prius naturalem receuſens: *cordis*, ait, *particulam*: pręparationem deinde etiam naturalem, ſubdit *ſi ſuper carbones ponas*, quibus etiam verbum *extricat* addidit, quod agendi vim naturalem refert. Et certè ipſemet Tobias non niſi de harum rerum na-

Valeſius de ſac. phil. c. 38.

turali vi expcrierat, dum ait: *Quod remedium habent iſta, quæ de piſce ſeruare iuſſiſti?* Et ipſemet Raphael naturalem vim indicauerat, dicens: *Sunt hæc neceſſaria ad medicamenta vtiliter*. Et in Græco clarius: Si *vexet aliquem dæmonium, vel malus ſpiritus, oportet hæc*, nimirum cor, & hepar, *ſuffumigare coram homine, vel fœmina, & non vexabitur amplius*. Et certè, vt benè Serarius: *Quis Dioſcorides, Plinius, aut Matthiolus inſitam herbæ naturalem vim aliter enuntiet? Quibus alijs verbis quæ natura ſuggerit medicamenta eloquantur Theophraſtus, Hippocrates, & Galenus?*

Græcus.

Serar. in c. 8. q. 3.

Admittunt alij per naturales aliquas medicinas eiuſmodi diſpoſitionem poſſe in hominum membra induci, vt liberentur, ſiue omni, ſiue aliqua ſaltem ex parte ab oppreſſione dæmonum: negant tamen exuſtionem hanc cordis, & iecoris piſcis, dæmoninm à Sara expuliſſe, quam nullo morbo affectam fuiſſe cenſent: nec à dæmone obſeſſam.

A ſeſſar. in Apoc. c. 8. v. 1 not. 2.

Tamen, quia Vulgatus noſter, LXX. Syrus, & Arabs virtutem cordis, & iecoris huius piſcis, vt vidimus, ita recenſent, vt fumus ipſorum à viro, & à muliere expellendi dæmonia vim habere naturalem doceant: & infra dicitur Raphael dæmonium compeſcuiſſe, ne Saram arriperet: ſatis conſtat, Saram à dæmonio, aliquo modo, tunc maximè fuiſſe correptam, quando prima nuptiarum nocte ad illam viri accedebant idololatræ, quòd mœrore tunc maximo afficeretur, & ipſius non modicè perturbaretur ſanguis; licèt, Deo ſic diſponente; non eam dæmones torquerent; ſed viros idololatras, & ſceleſtos, qui nimis laſciue ad illam accedentes ipſius erant cauſa triſtitiæ. Quam etiam ſanguinis perturbationem, & fortè ſolito maiorem credendum eſt illam habituram fuiſſe, vbi ad illam Tobias prima nocte nuptiarum introductus eſt: quippe quæ valdè timeret, ne & ipſi ſimiliter contingeret, quod ſeptem alijs viris, ni hac ſuffumigij virtute, à perturbatione, & alteratione humorum præſeruata, à dæmonis etiam arreptione liberata eſſet.

Vulgatus. LXX. Syrus. Arabs.

Non defuerunt, qui ſuffumigij huius virtutem omnino naturalem ſunt arbitrati, ita nimirum, vt à principio in corde, & iecore huius piſcis, & aliorum eiuſdem ſpeciei, vel etiam alijs multis rebus, ea vis indita ſit, qua per antipathiam obſiſtere dæmonibus valeant, pendentes non è quatuor elementorum compoſitione, ſed ex tota, vt dicitur ſubſtantia, & ex proprietate eius à Deo indita; ſed non ſatis benè, quia, ſicut Iob loquitur, *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur diabolo, qui factus eſt, vt nullum timeret.* quæ poteſtas ſuper terram reperiretur, ſi dæmones ſola vi ſuffumigij naturalis radicum, & ſimilium expelli violenter poſſent.

Bartolomeus Faius in Energumenco.

P. G. Toleſanus: Syntagm. Iuris lib. 24. c. 22.

Iob 41. 23

5 Quare licèt directè Raphael à Sara dæmonium compeſcuerit, vt infra ipſemet Tobias docet, dum de eo verba faciens: *dæmonium*, ait, *ab ea*, nimirum Sara, *ipſe compeſcuit*. Illudq. ſit certiſſimum, nullam rem naturalem, vt diximus, naturali virtute dæmonium directè expellere poſſe: textui tamen magis congruere videtur dicere, naturaliter quidem, ſed indirectè, modo, quo explicuimus, fumum cordis, & iecoris dæmonium expuliſſe, Saram à malencholiæ, ſeu alia mala humorum affectione, vel etiã animi perturbatione præſeruando; effectuſque à dæmonibus quidem, ſed per cauſas naturales productos, vl ſua maiore pellendo. Quo etiam pacto Dauid ſono cytharæ ſpiritum malum à Saule diſcedere faciebat, & herbis, & ſuffitibus alij ab alijs, quos diximus dæmones expulere.

Inf. c. 12. v. 3.

6 *Extricat* etiam myſticè is fumus omne genus dæmoniorum, quod vna oratio per fumum ſignificata omne genus dæmonum eijciat, quorum eſt tanta naturæ, vitiorũq. diuerſitas, vt vnus ad ſuperbiam, alius ad irã, alius ad impudicitiam, & alij ad alia vitia prouocare non deſinant. Quoniam fumus is cordis piſcis, nempè oratio, non vnius tantum boni odoris eſt; ſed tot habet odores, quot ſunt virtutes, quas poſtulat: vnde non deeſt illi vis ad pellendos dæmones vniuerſos, licèt eorum quilibet ad capiendam fugã proprium odorem ſibi infeſtum requirat: cui veritati manifeſtè adſtipulatur B. Ioannes in Apocalypſi, vbi de viginti quatuor ſenioribus, ſedentibus iuxta thronum, verba faciens ait: *Habebant ſinguli cytharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.* neq; enim ſeniores iſti alij ſunt, quàm iuſti vera ſapientia, ac veritate pleniſſimi, quorum corda phialis aſſimilãtur, quippe quę, ſicut illa, ſuperius ſunt lata, inferius verò anguſta: Sancta nimirum conuerſatione cælum verſus ad capienda diuina dona latius ſe expandentia; verſus terrã verò vix admittentia neceſſaria, ſe prudenter adſtringentia: *odoramenta* verò, vt Ioannes ait, *ſunt orationes* eorum, odoramenta quidem, quia ſicut illa ſurſum aſcendunt, &, vt Sapiens ait, *nubes penetrant*, vel quia orationes graueolentiam peccatorum noſtrorum expellunt, & Dei miſericordiam nobis conciliant: Quare petebat Dauid. *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* cuius ſcilicet bonus odor te ad benignitatem inflectat.

Myſtica expoſitio.

Orationis vi dæmones fugantur.

Orationi peculiaris ineſt vis ad effugãdos dæmones.

Apoc. 5. 8.

Eccli. 35. 21.

Pſ. 140. 2.

Sunt etiam orationes odoramenta, ex ſuffumigio cordis procedentia, quia ex corde bono, & optimo eſſe debent, vt audiantur à Domino.

Quòd

Quòd dæmones rebus ſacris, & præcipuè inuocatione ſanctiſſimi nominis Ieſu, & Crucis ſigno expellantur.

DOCVMENTVM.

LICET, ſicut ex dictis patet, non modicè decipiantur, qui dæmones alligare ſe poſſe putant incantationibus, & varijs ſuperſtitionib. implicatis, ſpeculis, anuliſue, quod ſuperiorum tantùm dæmonũ ſit poteſtate, vel ex pacto cum ipſo dæmone: nam *ſimulat dæmon*, ſicut ait Henricus de Haſſia, *ſe captum, vt te capiat, ſe vinctum, vt te vinciat, ſe tuo imperio ſubditum, vt te ſibi ſubdat, a te incluſum, vt contra te finaliter includat. fingit ſe tua arte, vel imagini, vel lapidi alligatum, vt funibus peccatorũ religatum ad infernum te perducat*; Sunt tamen multa antidota ſupernaturalia in Eccleſia vtiliſsima ad illum extricandum, ſiue a viro, ſiue à muliere, nimirum, fides magna in Deum, de qua B B. Petrus, & Paulus Athanaſius, & Epiphanius. Preces ad Deum, vt eſt videre in Geneſi, & BB. Paulum, & Matthæum, & infra. Meditatio paſſionis Chriſti, de qua Niderus. Peccatorum confeſſio, & vera pœnitentia, ſine qua nullum eſt aliud antidotum vtile, vt probat Delrius. Reliqua Sacramenta, & præſertim Euchariſtia, & Miſſæ Sacrificium, vt eſt apud Caſſianum. Exorciſmi Eccleſiæ, vt oſtendit Cyprianus, Hieronymus, Malachias. Reliquiæ Sanctorum, vt habetur in Actis. Ieiunium, de quo B. Matthęus, vel eleemoſina largior, ſeu aſperſio aquæ benedictæ, vt oſtendit Epiphanius, & tripartita hiſtoria. Agni cerei à Pontifice benedicti geſtatio, vt ex forma benedictionis eiuſdem patet. Pia ſcripta, amuleta ſacra, & roſaria ad collum appenſa, ſeruatis tamen conditionibus quas requirit S. Thomas, quæ omnia dæmones ad diſcedendum cogere antiqua Eccleſiæ monumenta, & quotidianus horum apud catholicos vſus ſatis indicant. quod fuſiori tractatione probat Delrius, & Tyreus. Cæterum frequentior, & facilior eſt apud eoſdem vſus inuocationis Sanctiſsimi nominis Ieſu, & ſigni ſanctæ Crucis. Et quidem nomine Ieſu piè, ac reuerenter prolato, vel pro ſigno ſumpto ad virtutem Chriſti ſignificandam. Vnde Iuſtinus: *Per nomen*, inquit, *ipſius filij Dei, & primogeniti creaturæ omnis, dæmonium omne adiuratum vincitur, & in ditione redigitur*. Et Nazianzenus: *Ipſe*, inquit, *qui Chriſto nomen dedi, auguſtum illud nomen vix plerumque pronuntiaui, cum ſtatim dæmon non ſine ſtridore longiſſimè ſe proripuit, Dei immortalis vim, atque potentiam clamans*. Et Chryſoſtomus. *Hoc Ieſu nomen tuum inferis, tum morbis, & vitijs terrori eſt*. Sic Sanctiſsimo hoc Ieſu nomine Abramius, vt refert S. Ephrem pro muro vtebatur contra inſultus dæmonis. Vnde aliquando ab illo aggreſſus, hæc ad illum habuit. *In nullo ego te, tuaſque inſidias pertimeſco, neque plurima tua fantaſmata, ac ſpectra terrorẽ mihi incutiunt: pro muro ſiquidem munitiſſimo, atque tutiſſimo, eſt mihi nomen Domini mei, & Saluatoris Chriſti, quem dilexi, & diligo, in quo te nomine increpo immundiſſime canis, ac miſerabiliſſime*. De ſigno autem Crucis, etiam pietatis ſtudio aſſumpto, vel formato, ad Chriſti merita exprimenda, hæc Lactantius: *Sicut ipſe Chriſtus cùm inter homines ageret, vniuerſos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emolliebat, & malis incurſibus feriatas in ſenſus priſtinos reponebat; ita nunc ſectatores eius, eiuſdem ſpiritus inquinatos de hominibus, & nomine magiſtri ſui, & ſigno paſſionis excludunt*. Et S. Ephrem: *Scuti vice*, inquit, *Crucis ſigno te muni, validiſſima enim armatura eſt*. Vnde B. Antonius, qui teſte Hieronymo, eo armatus omnib. nequam ſpiritibus fuit terribilis, contra omnes tentationes, vt Athanaſius docet, ſolo Crucis ſigno iubebat eſſe ſecuros Monachos, vt enim canis baculum, quo percuſſus eſt; ita diabolus Crucem deteſtatur, in qua vires omnes ſuas nouit fractas, & regnum diſſolutum: *Chriſtus enim*, ait Apoſtolus, *chirographũ decreti, quod erat contrariũ nobis, tulit de medio affigens illud Cruci, expolians principatus & poteſtates, traduxit confidẽter palã triũphans illos in ſemetipſo*. Quare ſigno Crucis non ſolũ ab energumenis; ſed etiam aliunde dæmones pelluntur.

Quòd ſi horum pium vſum, ſicuti nec exorciſmorum, aut rerum ſacrarum, non ſemper ſuam habere efficaciam conſpicimus, mirum videri minimè debet, cum nec medicina, quę ſuum naturalem habet effectum, indebitè pręparata, vel non debitè ſuſcepta proſit: neq; rarò cõtingit harum ſacrarum rerum vſus effectum impediri ab vtentium conditione, & obſeſſorum, vel aliorum præſentib. ſeù præteritis delictis, & tandem Sacramentis tantũ modo ex diuina inſtitutione datum eſt infallibilem ſemper effectum ſuum habere, quantũ tamen debitè eis vtentibus prodeſſe ſoleant contra dæmones, ex dictis, & ex ſequenti apparet narratione Bartholomęi Spinęi Sacri Palatij Apoſtolici magiſtri. *Quandam*, dicentis, *puellam, quæ cum matre Bergomi morabatur, inuentam fuiſſe Venetijs in thalamo ſui affinis. Quam mane repertam nudam, recognitamque; quia conſobrina erat, cùm interrogaſſent, quomodo illuc veniſſet, aut ibi eſſet & quare, plorans illa, poſtquã veſtita ab eis fuit, hæc quæ ſubdo enarrauit dicens: hac nocte cũ in lecto vigilarẽ vidi matrẽ meã, quæ me dormire putabat. ſurgentẽ de lecto, & exutã camiſia ſe quodã vnguento, quod ex vaſculo aſſumpſit de ſublateribus extracto perungentem corpus: & ſtatim in aſſumpto baculo quodam, ibi præparato in modum equitantis aſcen-*

Henricus de Haſſia citatus à Sylla in ſpecul peregr. queſt. decad. 3. cap. 8. q. 1.

Rebus conſecratis & exorciſmis dæmones expelli.

Pet. 5.
Ephef. 6.
Athan. in vit S. Antonij.
Gen. 2.
2. Cor. 12.
Matth. 15
Infra c. 8.
Niderius in formicario c. 4
Delrius lib. 6. c. 1. ſect. 3. q. 3.
Caſſian. coll. 22. c. 6.
Cypr. lib. de Idolorũ vanitate.
Hier. in vit. S. Hilarionis.
Malachias in vit. S. Bernardi.
Act. 19.
Matth. 17.
Epiph. vbi s.
Trip. hiſt. cap. 34. lib 9
S. Tho. 2. 2. q. 96. ar. 4.
Delrius vbi s.
Tyreus libello de dæmoniac. par. 3. c. 40. & deinceps.
Iuſtin. in diſp. cum Triphone

Expelluntur dæmones inuocatione nominis Ieſu.

Cur ſacramẽtalia & res benedictę nõ ſemper expellant dæmones.

Spineus de ſtrigib. c. 17. & ſeqq.

dens extra feneſtram deportata eſt, & à me
G *nequaquam ex tunc ibi viſa., cumque ipſa quoque de lecto ſurgens, meum, vt mater f:cerat, perunxiſſem corpus, extra feneſtram educta, ſtatim in hunc locum deportata ſum, vbi matrem, puero huic, lecto decumbenti inſidiantem vidi, ex quo ego territa, cum matrem quoque ob meum aduentum conturbatam vidiſſem, & comminantem, nomen Domini Ieſu, & Beatæ Virginis inuocaui, & ex tunc matrem non vidi, & ego hic nuda, ſolaque remanſi. His auditis à puella, ſcripſit omnia hæc affinis ille narrantis, Patri Inquiſitori Bergomenſi, à quo capta mulier, & tormentis expoſita, cuncta confeſſa eſt, & addidit ſe à dæmone pluſquam quinquagies deportatam, vt puerum illum prædicti affinis occideret; ſed tamen præualuiſſe nunquam, eo quod ſemper illum inuenerit ſigno crucis, & ſanctis orationibus à paren-*
H *tibus benè munitum.* En quantum iuuet contra dæmonis machinamenta, ſigno crucis, & ſacris alijs rebus muniri. En quomodo eis omne genus extricetur dæmoniorum multo melius, quam ſuffumigijs, & alijs medicamentis.

V E R S. I X.

Fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.

V E R S. X.

Et dixit ei Tobias: vbi vis vt maneamus.

1 *Fel piſcis albugini oculorum proficuum.*
2 *Rages pro Ecbatana.*

VERS. IX. 1 FEL *valet*, docuit Angelus ſuperiori verſiculo Tobiam, cor, & iecur, quæ de piſce ſeruari fecerat, valere ad expellendos dæmones: docet modo fel, quod etiam in caſſidili fuerat repoſitum, optimum eſſe collyrium ad medendum oculis.

In quibus fuerit albugo. Oculorum nimirum maculationi illi, quæ colore, & conſiſtentia albumen oui in oculo referens, viſum, vel impedit, vel in totum aufert, & quidem, vt infra dicemus, naturaliter: nam, vt docuit Plinius, multorum piſcium fel cicatrices ſanat, & carnes oculorum ſupernacuas conſumit.

Inf. c. 11. v. 15.
Plin. li. 32. c. 7.

VERS. X. *Et dixit ei Tobias.* Poſt iter multorum dierum, cùm iam Ecbatana appropinquarent.

LXX. LXX. *Cum autem appropinquauerunt Rage*, vbi Rage pro Ecbatana ponitur, vt etiam ſupra in noſtra vulgata, de qua re ibi.

Sup. c. 3. v. 7.
Arabs.

Vbi vis, vt maneamus? Nimirum, hac nocte. Arabs: *Vbi pernoctemus nos?*

Quòd menti, albugine ſuperbiæ excæcatæ, fel medeatur tribulationum.

D O C V M E N T V M I.

HABENT myſticè in oculis albugines, nec vident lumen veritatis, qui, vt Gregorius docet, *arrogantia ſapientiæ, vel iuſtitiæ excæcatur; pupilla nanque oculi nigra videt, albuginem tolerans nihil videt, quia videlicet ſenſus humanæ cogitationis, ſi peccatorẽ ſe intelligit, cogitationem intimæ charitatis apprehendit; ſi autem candorem ſibi iuſtitiæ, vel ſapientiæ tribuit, à luce ſuperioris cogitationis ſe excludit, iuxta illud ad Rom. 1. Dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt.* Quod etiã Dominus apud Ieremiam docuit, dũ contra Idumeam loquens, ait: *Arrogantia tua decepit te.* hoc eſt, excæcauit te: nam vnuſquiſque in eo, in quo decipitur, cùm non videat, excæcatur, vel, vt vertũt alij apud Abdiam: *Superbia cordis tui extulit te.* Idem enim verbum apud Hebræos vtriuſq; ſignificationis, patiẽs eſt, quibus exaltationem, excæcationẽ, errorẽ, & deceptionem quandam eſſe ſignificatur in eo, qui plus ſe effert, quàm in ſe ſit: & ideo Chaldæus, vt etiam ſuperbiã inſipiẽtiam eſſe ſignificaret, tranſtulit: *Inſipientia tua ſeduxit te.* Quin Vatablus, & Pagninus nec incongruè legerũt. *Simulacrum tuum decepit te.* Accidit enim ſuperbo, & arroganti, in cogitatione, & opinione ſui, quod Nabuchodonoſori, qui ſtatuam ſui auream in campo, dum omnibus adorandam propoſuit, non quinque, aut ſex cubitorum, ſed altitudinis ſexaginta, & ſex latitudinis, quinquaginta, & pluribus ſuperans veram ſtaturam hominis, ad quem modum ſuperbus ab idea ſimulacri ſui, quod in ſuo corde erexit, ita excæcatur, adeoque à veritate aberrat, vt tantum eius merita ſuperet, quantum veram Nabuchodonoſoris ſtaturam ſtatua aurea, quã ipſe erexerat. Vnde Chryſoſ. *Nihil certè arrogãtia, atq; ſuperbia peius, quæ mentis quoq; vires natura hominibus cõceſſas, ita deijciat, vt amẽtes ex prudentia, ac animo ſtolidos efficere videatur: nã ſi quis cũ ſtatura cubitũ nõ ſuperet, inſtar montiũ, immo altiorẽ ſe putet, ac ideo ſe, quaſi mõtes exceſſurus, erigat, nullum aliud argumentum ſuæ inſaniæ quærimus. Sic cum inflatum videris hominem, qui meliorem ſe cæteris arbitretur, contemnique opinetur, ſi cæteris hominibus conferatur, nullum iam aliud ſignum vecordiæ hominis exquiras.*

A
Greg. 1. p. paſtoral c. 11.
Albugine impedientẽ viſum habent in oculis ſuperbi.
Rom. 1. 22.
Ierem. 49. 16.
Abdiæ 1. 3
Caldæa paraph.
B
Vatablus.
Pagninus.
Dan. 1. 3.
Chryſ. in Matth. hom. 59.
Superbia amentẽ hominem facit.

Et ſanè tanto peior hæc cæcitas eſt, quò minus cognoſcitur: etenim qui ſe ægrum neſcit, medicinam reſpuit; vt ille Antiſtes Laodiceę, de quo in Apocalypſi, qui cũ miſerrimus eſſet,

Cæcitas animi, & peior, quo ignotior.

Apoc. 3. 17

nullius ſe egere dicebat, & cum eſſet cæcus, optimè ſe putabat videre, Vnde ei Angelus: *Dicis, quia diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis; & pauper, & cæcus; & nudus*. Et quot, bone Deus, nullos in diſcendo progreſſus faciunt, quia ſe doctos putãt! quot vitijs irretiti manent, auari, tumidi, impatientes, quia ſe putãt parcos, graues, & zelantes! quibus ſanè nulla remedij ſpes alia ſupereſt, niſi hãc, qua excæcantur, albuginẽ ſuperbiæ tollere: quod ipſe Chriſtus docuit, vbi à Phariſæis albugine ſuperbiæ cæcatis interrogatus, num cæci eſſent, reſpondit: *ſi cæci eſſetis, non haberetis peccatum*. hoc eſt, vt explicãt Aug. Beda, Proſper, & Eucherius, ſi cæcos vos interna cæcitate, ideſt ſuperbos peccatores eſſe dignoſceretis, *non haberetis peccatum*: quia peccati remediũ quæreretis: *nunc verò dicitis, quia videmus, peccatum veſtrum manet*, quia ſcilicet ab illo mundari non quæritis, dum non agnoſcitis.

Io. 9. 41. Aug. & Beda in Ioannem. Eucherius in qq. Io. Vide etiã ſup. in c. 2. v. 11. doc. 2.

Sed quomodo hæc albugo tollatur, quodque proſit cæcitati remedium, docet Angelus, dicens: *Fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur*. Fel ſic dicitur, teſte Iſidoro, quod ſit folliculus, amariſſimum geſtans humorem. Vnde per fel, ait Paſchaſius, *amaritudo paſſionis deſignatur*. Et Nicetas auctor Græcus. *Fel*, inquit, *dici poteſt, tentationum præter animi voluntatem incurrentium, abſynthium*. Quare Auguſtinus: *moleſtia, & tribulationes temporales plerunque proſunt ad ſanandum tumorem ſuperbiæ*. Fel, ſcilicet tribulationum, valet ad ſanandos oculos, in quibus fuerit ſuperbiæ albugo. Et patet apud Iſaiã, vbi dicitur: *Vexatio dabit intellectum*; & apud Ieremiam, vbi ait: *Caſtigaſti me Domine, & eruditus ſum quaſi iuuenculus indomitus*. Sic legimus in libris Paralipomenon, Manaſſem, regem ſuperbiſſimum, tunc ſolummodo à cæcitate ſuperbiæ fuiſſe humiliatum, quando regno ſpoliatus in miſeram Aſſyriorum ſeruitutem redactus fuit: *Tunc enim*, ait ſacra hiſtoria, *cognouit Manaſſes, quia Dominus ipſe eſt Deus*. Et Antiochus, licèt diuerſo exitu, qui ab hac ſuperbiæ albugine adeo captus erat, vt nec ipſum Deum cognoſcere vellet, ab ipſo tandem Deo felle turpiſſimæ infirmitatis percũſſus. *Nun*, ait, *reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem; vnde & abſtuli omnia ſpolia aurea, & argentea, quæ erant in ea, & miſi auferre habitantes Iudæam ſine cauſa: cognoui ergo, quia proptereà inuenerunt me mala iſta*. En quàm efficax tribulationum collyrium; Non nouerat albugine obcæcatus filius ille prodigus, quàm bonum eſſet in domo patris ſui manere, vnde abire voluit in regionem longinquam, in qua tandiu in ſua cæcitate permanſit, quandiu à Deo tribulationum collyrio non eſt inunctus. Verùm vbi fame laborare cœpit, adeò illuminatus eſt, vt è regione illa longinqua, in qua degebat, ea in domo patris ſui adeſſe viderit, quæ in ea dum manebat, videre non potuit. Vnde, ſicut ſacra narrat hiſtoria, in ſe reuerſus (extra ſe enim ierat, dum lumine intellectus excæcatus, vitam belluinam viuebat) *quanti mercenarij*, ait, *in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo*. Viden. quale collyrium tribulationes? Viden. quantopere mentem, albugine ſuperbiæ excæcatam, illuminet? *Animus*, ait Gregorius, *qui extra ſe in elationem ducitur, cui ſit conditioni ſubditus, ex percuſſa, quam ſuſtinet, carne memoratur*. & infra poſt allatum exemplum Balaam, qui à muto iumento, quo carnem noſtram docet ſignificari, percuſſo eſt admonitus, ait, *Inſanus quippe homo à ſubiugali muto corripitur. quando elata mens humilitatis bonum, quod tenere debeat ab afflicta carne memoratur*.

Iſid. li. 11. Orig. c. 1.

Fel cur ſit dictum.

Paſchaſ. in lam. Iere. li. 3 lit. Beth. ibi venuſtã, &c. Nicetas in ſ. commēt. or. 38 Greg. Naz. Aug. ep. 121. c. 13. quæ eſt ad Probã de orando Deũ.

Iſaia 28.

Ierem. 31. 18.

2. Paral. 33.

Tribulationes humiliant, & illuminant.

1. Mach. 6 12. 13.

Peccator extra ſe quomodo peccãdo exit.

Greg. 3. par. paſtor. admo. 3.

Non itaque conqueri debet homo, quando à Deo collyrio hoc mirabili tribulationum inungitur; ſed magis gaudere; & gratias agere, quòd eo inungi cum electis dignetur. *Corripit enim Deus*, vt B. Paulus ait, *omnem filium quem recipit*.

Quòd Ducis noſtri ſpiritualis voluntas in omnibus, & ſine diſcuſſione ſit exequenda.

DOCVMENTVM II.

LICET Angelus, quem ſui itineris ducem Tobias ſumpſerat, mercenarij ſpeciem præſeferret; tantæ tamen auctoritatis apud eum fuit, vt nihil omnino ſibi faciendum exiſtimauerit, quod eius non congrueret voluntati. Quare, dimenſo multorum dierum itinere, cum Ecbatana perueniſſent (ibi enim, vt ſupra vidimus, morabatur Sara, filia Raguelis) ab eo more ſuo quæſiuit: *vbi vis vt maneamus*? Sic ſanè docens, ei, qui viam ſalutis obambulat, nihil niſi ſecundum voluntatem eius, cui ſe regendum in ſpiritualibus commiſit, eſſe faciendum: nam, qui benè agunt, ſed pro ſuo arbitratu, ſuaque ſponte tantum meriti apud Deum acquirũt, quantum eſt per ſe illorum rectè factorum pretium, & dignitas: obedientia verò hunc inſuper quæſtum affert, vt quæ bona ſunt, eius meritò euadant meliora, quæque per ſe nihil eſſent, eius ornamento adiuncto, mirum in modum illuſtrentur, Deoque gratiſſima fiant: nam & quod opus vulgarius, & leuius eſt, quàm cibum ſumere, curare corpus, ambulare, etiam animi gratia; &

A

Sup. c. 3. v. 7.

Obedientiæ mira virtus.

B

Digitized by Google

reliqua huiuſmodi vel naturalia, vel etiam neceſſaria? hæc tamen, ſi eius iuſſu fiant, cui vel ipſi noſtri curam commiſimus, magnam acquirunt apud Deum gratiam. Quare eam aliqui fabuloſę virgulæ regis Midæ merito comparant, ea vi prædítæ, vt quicquid contingat in aurum conuertat. Vnde ſicuti Tobias ad hoc obedientiæ meritum conſequendum, nulla habita ratione perſonæ ſui ducis, ſolum quod illi foret placitum in omnibus ſine diſcuſſione exequi curabat; ſic nos ſpiritualis animi noſtri ducis, nec perſonam conſiderare debemus, nec examinare præceptum; ſed in omnibus ſimplici, quinimmo etiam cæca, vt aiunt obedientia, quod illi placitum fuerit exequi.

Vera obediẽtia, nec perſonã præcipientem, nec præceptũ diſcutit.

Sanè Amaſius, teſte Herodoto; ex plebeio rex Aegyptiorum, quibuſdam ex antiqua nobilitate obſequium detrectantibus, eamque ſubiectionem ægrè ferentibus, curauit ex pelui quadam, in qua ipſe, & domeſtici eius lauare conſueuerant, certum idolum illi ſimile fieri, quod ab Aegyptijs præcipuè adorabatur, moxque ſolemniter in templo collocatum ab omnibus adorari: quo facto poſtquam oſtendiſſet ex qua materia factum fuiſſet idolum, quæ quantumcunque eſſet viliſſima, honore tamen ab eis digna exiſtimata eſt, propter ſublimem honoris locum, in quem euecta fuerat, idem de ſe iudicandum oſtendit, qui obſcuro licèt loco natus eſſet; tamen, Deo ita diſponente; regiam dignitatem conſecutus fuerat. Sapienti cõmento id, quod res erat oſtendens, in omni ſcilicet præpoſitura diuinitus ordinata, non materiam, ſed formam; non perſonam, ſed vocationem ſpectandam eſſe.

C

Herod. lib. 2. hiſt. circa fin

Sed nec aliam rationem exigere debemus præcepti, quàm ipſam præcipientis voluntatem, cum ſuperiorum noſtrorum (ſiue electione noſtra tales ſint, ſiue alia quacunque ratione) non ipſi nos ſimus iudices, ſed illi noſtri: & quidem, ſicuti dum ſuaſione dæmonis Eua diuinum voluit examinare præceptum (dixerat enim ei vafer ille: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis?*) inde originem ſumpſit omnis perditio: ita dum eiuſdem dæmonis ſuaſione inueſtigamus ſuperiorum noſtrorum iuſſa, iam inde cum Eua deficere à bono incipimus, vel ad minimum obedientiæ bonum omittimus. In tantum enim obedientiæ meritum in præcipientis auctoritate fundatur, vt ſi præcepto ideo pareamus, quia vel ratio, vel aliquid aliud ſic dictat faciendum; licèt ex alio capite in illa actione mereri poſſimus; meritum tamen obedientiæ amittimus. Etenim, ſancto Thoma teſte, ille ſolum obedientiæ nomine dignandus eſt, qui ea tantum ratione opus exequitur, quia præcipitur à ſuperiore. Quare ſicut ſufficiens eſt ratio credendi myſteria fidei diuinum præceptum; ita hoc idem ſufficiens debet eſſe

D

Gen. 3. 1.

Obedientia tota in præcipientis inniti debet auctoritate.

S. Tho. 2. 2. q. [illegible]

E

ratio, quare ſuperioribus noſtris ſine præcepti diſcuſſione pareamus. Sic, *Quæcunque dixerint vobis ſeruate, & facite,* & *Qui vos audit, me audit,* ait Chriſtus de ſuperioribus loquens. Hinc ſacra referente hiſtoria, dum præcepiſſet Dominus Abraham, vt in monte filium Iſaac ſacrificaret, ſtatim ille in ſpem contra ſpem, ſine aliqua præcepti diſcuſſione, *de nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum,* & vt diuinum preceptum exequeretur, aſcendit in montem, quem monſtrauerat illi Dominus. Quin & miniſtri menſæ in nuptijs Canæ Galileæ, deficiente vino, iuſſum Domini non diſcutientes, hydrias aqua impleuerunt, licèt, quorſum illud præciperetur, neſcirent, cum vino, non aqua illis opus eſſet. De Columbano etiam illud fertur memorabile. Cum in Luxonien. cœnobio, quod ille fundauerat, omnes ferè ægrotarent, eo acceſſiſſe, nec alio vſum eſſe medicamento, niſi quod omnes ad aream vocauit, ad fruges in Solis æſtu triturandas. Res dura profectò, præſertim tam grauiter decumbentibus, qui ne conſiſtere quidem poſſent: Itaque nonnulli prudentiores videlicet, & cautiores, lectulo ſe ſe tenuerunt; alij obedientiæ ſtudio ad opus ſtatim accurrerunt. Atque hi quidem, ita ſtatim ab omni morbo liberati ſunt, vt ne reliquiæ quidem, aut veſtigium vllum permaneret. Illi verò longas tarditatis, ac diffidentiæ ſuæ pœnas dederunt, toto anno cum febribus conflictati, vt quidem eos reprehendens, atque obiurgans apertè prædixerat Columbanus. *Quemadmodum* igitur, vt Baſilius ait, *paſtori ſuo oues obtemperant, & viam quamcunque ille vult, ingrediuntur; ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debent, nihil omnino illorum iuſſa curioſius percunctantes, quando libera ſunt à peccato.* Et, vt inferius docet, ita nos gerere debemus erga eos, ſicuti inſtrumentum in manu artificis, quod ſine repugnantia ſeruit ei ad omnia, quæ ille voluerit, neque enim ſcire ex ſe poteſt homo, quod ſibi in particulari expediat ad ſalutem: nam quæ exercitia maximè ſibi ſalutaria videntur, ſæpè non modicam occaſionem præbere lapſus, quotidie videmus; vnde cum quiſque, cui propria ſalus ſit cordi, eo modo dirigi velit, quo ſuæ magis ſaluti congruit, nec dirigat Deus niſi per eos, quibus ſalutis noſtræ cura eſt demandata, eorum ſemper voluntas, ac ſi Dei eſſet, à nobis eſt inueſtiganda, & exequenda. Quòd ſi in Deo fidentes, nos illis totos propter Deum committamus: non videtur dubitandum, quin ita nos directuri ſint, quomodo nouit ille noſtræ expedire ſaluti, cum non minus valeat nos per ſuos miniſtros, quàm per ſe ipſum regere. Quod ſi dicas, eos & falli poſſe, & aliquando etiam fallere; *Quid hoc refert,* ait Bernardus, *tua, qui conſcius*

Matt. 23. 1.

Gen. 22. 3.

Io. 2. 7.

F

Diſcipulorũ S. Columbani mira obedientia.

Baſil. conſt. monaſt. c. 23.

O

Infra ibid.

Viam ſalutis docet dux ſpiritualis.

Confeſſariũ, ſiue ducem ſpiritualem, cui propter ipſum Deum nos ipſos regendos committimus, errare non permittit Deus.

non

Ber. li. de præcep. & diſpẽſ. H

n. n es? præſertim cum teneas de ſcripturis, quia labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore eius requirent; quia Angelus Domini exercituum eſt. à quo denique diuina potius conſilia requiruntur, ait infra, quam ab illo, cui credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei? ipſum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ apertè non ſunt contra Deum, audire debemus. Nihil itaque faciamus, niſi interrogemus prius cum Tobia ducem noſtrũ dicentes: *vbi vis vt maneamus?*

VERS. XI.

Reſpondensque Angelus ait: Eſt hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, ſed neque maſculum, neque fœminam vllam habet aliam præter eam.

VERS. XII.

Tibi debetur omnis ſubſtantia eius, & oportet te eam accipere.

VERS. XIII.

Pete ergo eam à patre eius, & dabit tibi in vxorem.

1 *Nuptiæ in veteri teſtamento optatæ: contempta virginitas.*
2 *Qui conſanguinitatis gradus in illo prohibiti.*
3 *In lege Euangelij, qui gradus matrimonium contrahendum impediant, & dirimant contractum.*

VERS. XI. RESPONDENSQVE. Vt voluntatem ſuam oſtenderet Angelus, & vbi in ea ciuitate, ad quam propinquauerant, nimirum Ecbatana, manendum eſſet, Tobiam doceret: quendam affirmat inſignem virum ei propinquum, & cognatum in ea commorari, qui Raguel dicebatur, apud quem diuertendum illi omnino erat: Sic Septuaginta. *Dixit Angelus puero: Frater hodie manebimus apud Raguel,* cui cum nullus alius eſſet hæres præter Saram, quam vni eam habebat filiam, ſubdit.

VERS. XII *Tibi debetur omnis ſubſtantia eius.* Arabs: *Omnia bona ſua dabit tibi.* LXX. *Loquar de ea, vt ipſa detur tibi in vxorem, quoniam ad te pertinet hæreditas eius, & tu ſolus es de genere eius.* & infra: *Quoniam hæreditatem Raguelis tibi conuenit accipere, quàm omnem hominem.* Seu, vt vertit Vatablus: *potius quàm vlli alij.* Quia ſcilicet poſt Saram nullus alius Rragueli magis eſt te affinitate coniunctus. *Tibi debetur omnis ſubſtantia eius.* Et quia tu ſolus es de genere eius, tribu ſcilicet Nephtali, cui nubere poſſit Sara.

(margin: Arabs. LXX. Vatablus.)

Oportet eam te accipere coniugem, ſeu neceſſe habet te in virum accipere. Cogebat enim lex Moyſis filias ſaltem hæredes, vt iã vidimus, accipere coniugem de tribu ſua: *Cuncta fœmina,* inquiens, *de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familia.* LXX. *Et omnis filia hæreditatem accipiens hæreditatem de tribu filiorum Iſraël, alicui de familia tribus patris ſui erit in vxorem, vt hæreditatem accipiant filij Iſraël, vnuſquiſque hæreditatum patrum eius.* Quin etiam feliciſſimum, Iſraëlitæ præcipuè mulieres, ducebant ſobolem ſuam propagare (vt ſupra vidimus) & virginitatem ſeruare, careteq. filijs probroſiſſimum: dixerat enim Dominus in Deuteronomio: *Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus.* quod licet non eſſet præceptum, ſed liberorum promiſſio; tamen, vt obſeruat Hieronymus, beatum dicebant, qui haberet ſementem in Sion, & domeſticos in Ieruſalem, & maledictam ſterilem, quæ non pareret, & iuxta illud Pſalmi: *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Non defuerunt tamen, etiam apud eos, Sanctiſſimi viri, qui virginitatem coluerunt, vt teſtatur Ambroſius de Elia, & de Ieremia; & de Eliſeo Hieronymus: & de alijs, alij. Verum nullam conſtat mulierem virginitatem coluiſſe ante Beatam Virginem, quam etiam primam omnium votum virginitatis emiſiſſe grauiſſimi ſcriptores indicant. Vnde Sanctus Auguſtinus, quem etiam refert Sanctus Antoninus: *Maria,* inquit, *per virginitatis votum, quod prima emiſit, opprobrium virginatis abſtulit.* Mariam autem ſororem Moyſis, licèt virginitatem coluiſſe aſſerant Gregorius Nyſſenus, & Ambroſius; negant tamen alij, & Ioſephus, quod etiam probat Abulenſis, qui eam Hur Iudicem populi habuiſſe maritum volunt.

(margin: Sup. c. 1. v. 9. n. 1. — Num. 36. 8. — Felicitatem maximã exiſtimabant Iudæi ſobolis propagationem. — Sup c. 3. v. 11 n. 2. — Deut. 7. 14 — Hier. ep. 22. ad Euſtochiũ par. ant. med. — Iſaiæ 40. 21. — Pſ. 127. 3. — Virginitas culta etiã in vet. teſtam. — Amb. lib. 1. de virgin. — Hier. li. 1. aduerſ. Iouin. — Aug. li. 27. q. 2. — S. Antonin. 4. par. ſum. tit. 15. c. 20. — Greg. Nyſſ. li. de virgin. c. 19. — Amb. li. 1. de virgin.)

Non itaq; mirum, ſi ſtantibus his de Sara, quæ iuxta communem opinionem ſterilitatem maledictum putabat, vt ſupra vidimus, dicat Angelus, neceſſe habere Tobiam accipere coniugem, cùm ſolus (in illis ſaltem regionibus) de genere eius tribu Nephtalim eſſet.

(margin: Sup. loco indicato.)

VERS. XIII. *Pete ergo eam à patre eius.* Nam duos tantum gradus cõſanguinitatis præfixerat Moyſes in Leuitico, quibus coniugia vetuerat, videlicet, in recta linea coniugium patris cum filia, & cum nepte, & ſimiliter matris cum filio, & cum nepote: in tranſuerſa coniugium fratris cum ſorore, ſiue ex vno, ſiue ex vtroq; parente, & neptis cum amita, vel

(margin: Leuit. 18. In duobus tãtũ gradib. cõſanguinitatis à Moyſe coniugiũ vetitum.)

ma-

materteræ: patrui tamen, vel auunculi cum filia fratris, vel ſororis, & aliorum omnium conſanguineorum inter ſe coniugia permiſerat: vnde licèt conſanguinitate coniuncti eſſent Tobias, & Sara, vtpotè ex fratribus

Sup. c. 7. v. 2.

conſobrinis filij (vt infra apparebit) benè in lege Moyſis contrahere ſimul poterant, & in matrimonio copulari; quod in lege euangelij haud potuiſſent, in qua matrimonium contrahendum impediunt, & dirimunt contractum, propinquitatis quatuor genera: nimirũ affinitas, & conſanguinitas ad quartum vſque gradum, excepta affinitate ex fornicatione, quam Concilium Tridentinum

Seſſ. 24. c. 3. & 4.

vltra ſecundum gradum extendi noluit: ſicuti nec publicæ honeſtatis iuſtitiam ex validis ſponſalibus contractum, vltra primum. De legali cognatione ſcribit Nicolaus I: *Si qua per adoptionem mihi ſoror eſſe cœperit, quandiu durat adoptio, inter me, & ipſam nuptiæ conſiſtere non poſſunt.*

Seſſ. 24. c. 2.

De cognatione verò ſpirituali à Tridentina Synodo decretum eſt; *Inter ſuſcipientes, & baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatiq. patrem, & matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur: Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem, non egrediatur.* Omnibus, inter alias perſonas, huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.

Quæ in lege noua matrimonium impediant contrahendũ, & dirimant cõtractum.

Idcirco Tobiæ Angelus, *pete*, ait, *ergo eam à patre eius*, vtq. magis illum ad hanc petitionem animaret, non contentus dixiſſe, Saram vnicam eſſe patris hæredem, iuxta LXX. inſuper addidit: *Puella enim pulchra eſt, & prudens*, &, vt ait Vulgatus: *Dabit tibi eam in vxorem*: nimirum Raguel, hoc eſt non patieris repulſam. Nam addunt LXX. *Raguelem ego noui, & qui ſecundum legem Moyſis eam vxorem alteri viro daturus non ſit, aut certè culpam mortis contracturus.* Iungit hic Raphael pulchritudini prudentiam, quia pulchritudinem imprudenti mulieri nouerat eſſe, vt Sapiens loquitur, idem quod *circulus aureus in naribus ſuis.* ſeu, vt habet LXX. *inauris aurea in naribus porcæ, Sic mulieri malè prudenti pulchritudo.* ſeu, vt habent Cõplutenſia: *mulieri ſtultæ pulchritudo*: quia ſicut ſus maximè naribus lutum verrit; ſic mulier fatua, ſua potiſſimum pulchritudine ad ſordes, obſcœnamque Venerẽ abutitur Vel etiam ſicut Suem inıecto naribus circulo trahere facilè eſt; ſic mulierem pulchram, ſed fatuã, oblato monili aureo, ad libidinem allicere. Sanè, vt ille cecinit:

LXX.
Vulgatus.

LXX. Pulchritudo mulieri fatuæ eſt circulus aureus in naribus ſuis.
Prou. 11. 22.
LXX. ibi.

Ouidius.

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

Cui ſatyrographus ſubſcribens, & ille ait:

Perſius.

Rara eſt adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ.

Quòd poſſint, parentibus inuitis, non tamen inſcijs filij matrimonium contrahere.

DOCVMENTVM I.

SANE dum Angelus, non cum Sara de nuptijs agendum eſſe Tobiam docet, ſed cum patre ipſius, manifeſtè innuit, non cum puellis agendum in ducenda vxore; ſed cum ipſarum parentibus; quia cum parentum ſit filijs proſpicere, eoſque dirigere, & maxime in rebus grauioribus; peccant ſine dubio filij, & filiæ, qui ſine iuſta cauſa, & rationabili, parentibus, vt in pluribus, illis prudentioribus, inſcijs, matrimonia contrahũt. Exigit enim filiorum erga parentes reuerentia, & patria poteſtas, vt eos in re tam graui conſulant. quin etiam cum filij parentum ſint hæredes, & auorum nepotes, æquum etiam eſt, vt patribus ſatisfaciant; ne habeant deinde illi inuiſos, ingratoſq. ſuarum facultatum poſſeſſores.

Filii conſulere debent parentes, antequam matrimoniũ ineāt.

Quia tamen in matrimonio eſt quaſi ſeruitus quædam, adeoq. ſollicita & miſera, vt omnem ſeruorum miſerrimam conditionem ſuperare videatur, ſitque homo liberæ conditionis, nequeunt, vt benè S. Thomas docet, parentes filios ad hanc ſeruitutem compellere, nec filij tenentur illis parere: nam *tenetur*, ait ille, *homo homini obedire in ijs, quæ exterius per corpus ſunt agenda, in quibus tamen ſecundum ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur; ſed ſolum Deo, quia omnes homines natura ſunt pares; puta in ijs, quæ pertinent ad ſuſtentationem corporis, & prolis generationem. Vnde non tenetur nec ſerui hominis, nec filij parentibus obedire in matrimonio contrahendo, vel virginitate ſeruanda; aut aliqua alia huiuſmodi: ſed in ijs quæ pertinent ad diſpoſitionem actuũ, & rerum humanarum, tenetur quiſque ſuo ſuperiori obedire ſecundum rationem ſuperioritatis illius: ſicut miles Ducis exercitus in ijs; quæ pertinent ad bellum: ſeruus Domino in ijs, quæ pertinent ad ſeruilia opera exequenda; filius patri in ijs, quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam.* Ita S. Thomas.

Status matrimonialis ſeruitus eſt duriſſima.
S. Tho. 2. 2. q. 104. ar. 5. B

Sanè matrimonij ſeruitutẽ, omnem aliam ſuperare, ex eo patet, quod reliqui ſerui omnes libertatem, vel aliquam redemptionem, vel heri ſui munificentia, vbi diù fideliterq. ſeruierint, ſperare poſſunt: quin, & licebat olim ijs, qui acerbiore ſeruitute premerentur, ad ſtatuam confugere, & venditionem poſtulare, & vel ſic immutare, aliquo ſaltem pacto, truculentiam Dominorum: at ſeruitutem cõiugij ſola mors ſoluit.

Quid?

Quid? quod ſunt vxores quædam adeò improbæ, ſeruitutemq. maritorum adeò immaniter affectantes, vt eos etiam veneficijs, & magicis præcantationibus dementare ſtudeant, quatenus illis pro arbitrio, tanquã iumentis, & brutis animalibus vtantur.

Tenetur tamen filius, vt diximus, antequàm ſponſam ducat, patrem conſulere, ob multa commoda, quæ illi ex ea conſultatione poſſunt cõtiugere; illud enim fortè à prudenti patre addiſcet, quod nunquam putarat. Sed de hac re Scriptores, qui agunt de matrimonio, inter quos cæteris copioſius Sanchez, quem, ſi placet, conſulere poteris.

Sanchez. de matrim. tit. 1 li. 4. diſp. 22. & 23.

Quòd ſuper diuitias, & pulchritudinem, prudentia in vxore quærenda ſit, & de vitæ matrimonialis incommodis.

DOCVMENTVM II.

A *S. Hier. in li. 1. aduerſ. Iouin. circa fin.*

VT Tobiam ad Saræ coniugium animaret, illam dicit Angelus vnicam patris filiam, hæredẽ; pulchram, & prudentem: quia, vt refert S. Hieron. ex Theophraſto, nulla res magis mouere poteſt ſapientem virum ad coniugem ducendam, quã eam ſcire diuitẽ, pulchram, & prudentem; nam, qui diuitem tantum quærunt coniugem, non coniugem, vel ſociam, ſed dominam, & imperatricem ſibi quærunt. Hinc Satyricus ille:

Iuuenal. Satyr.

veniunt à dote ſagittæ

Intolerabilius nihil eſt, quam fœmina diues,

quod etiam expertus Plautinus ille Demenetus, ait:

Plautin. in Aſinar.

Argentum accepi dote, imperium vendidi.

Lycurgi lex præcipiebat, vt virgines ſine dote nuberent.

Plutarch. in Caren. apoph. teg.

Vnde lex fuit à Lycurgo lata, quæ præcipiebat, vt virgines ſine dote nuberent; & ſicut refert Plutarchus, cùm ab eodem quidam percunctatus eſſet: quam ob cauſam talem legem vulgaſſet, reſpondit, *vt neque propter inopiã vllæ mulieres relinquerẽtur innuptæ, neque ob diuitias expeterentur; ſed vt iuuenum quiſque ad puellæ mores reſpiciens ex virtute faceret electionem.* Qui verò pulchrã tantum quærunt coniugem, tandiù amant, quandiù durat coniugis decor, qui ſtatim deficit: nam Et

B

Florem decoris ſinguli carpunt dies.

Et difficile ſine dubio habebunt cuſtodire, quam multi appetent. At qui prudentem ſimul, (vt erat Sara) coniugem ſibi quærunt, vel ſaltem prudentem ſolum, optimè ſibi ipſis, & familiæ conſulunt. Quare ſi talem inuenerint, omni pretioſiſſimæ rei, vt Salomon docet, illam præferre debent: nam, ait ille: *Mulierem fortem*, hoc eſt prudentem, Sapientem, animo conſtantem, *quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretiũ eius, confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs nõ indigebit.* Significans, raram eſſe talem mulierem, quæ ſi inueniatur, pluris æſtimandam eſſe, quam margaritã quamlibet, licèt maximi pretij: legunt enim LXX. *Pretioſior eſt lapidibus pretioſis.* pretiumq. eius tale dicit eſſe debere, quale eſt rei prætioſiſſimæ, quæ de longè affertur: Sic: *Non quæramus*, ait Chryſoſtomus, *in vxore pecunias, neque nobilitatem iſtam externam, ſed nobilitatem, ac generoſitatem animæ. Nemo expectet ab vxore diuitias; turpes enim ac probroſa ſunt illæ diuitiæ: Neq; omnino quærat quiſquam hinc diteſcere, nam qui hoc pacto diteſcere volunt, incidunt in tentationem, & deſideria inutilia, & nociua, & in laqueos, & in perniciem, ac perditionẽ.* Sic Booz, vt in ſacra Ruth hiſtoria legitur, ducturus vxorem, non diuitias in illa quæſiuit: ſed vitæ probitatem, & bonam famam, ideoq. illi dixit: *Scit omnis populus, qui habitat intra portes vrbis meæ, mulierem te eſſe virtutis.* cuius indicium hoc habuit, quòd, vt nuberet, non quæſierit illa iuuenes pauperes, aut diuites ſecundum ætatem ſuam; ſed propinquum prioris ſui mariti, qui iuxta legem, eius, qui ſine filijs deceſſit, nomen fratris ſuſcitaret.

Prou. 31. 10. & 11.

Mulier prudens inæſtimabilis eſt valoris.

C LXX.

Chryſ. in ep. ad Eph. c. 5. hom. 20. non longe à princ.

Ruth. 3. 11

D

Verùm, vt liberè ſententiam meam pronuntiam, melius multo ſibi ipſis, & ſuis rebus ſine dubio conſulunt, qui nec talem accipiunt coniugem: *Volo enim omnes vos eſſe*, ait B. Paulus, *ſicut me ipſum.* vt ſcilicet quiſque veſtrum à coniugio, ſicut ego, abſtineat: quod quidem volebat de ſingulis, non de omnibus ſimul: vel, & melius, vt Sanctus Thomas docet, volebat voluntate antecedente, quod eſt de eo, quod abſolute conſideratum eſt melius: qua etiam voluntate Deus, vt Beatus Paulus ait, *vult omnes homines ſaluos fieri*, non autem voluntate conſequente, quæ eſt de eo, quod eſt melius, conſideratis circumſtantijs, qua vult Deus reprobos damnare, iuxta illud Malachiæ, *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, ſecundum quam, omni dubitatione ſemota, quoſdam, etiam inter homines, volebat matrimonio iungi. Cognouerunt hanc veritatẽ, non modò infiniti propemodum Sancti viri, alijq. religioſi, & eccleſiaſtici, qui coluerunt, & colunt, cœlibatum: ſed & ipſi Ethnici. Vnde Metellum interroganti Mario, cur filiam ſuam dote diuitem, forma præſtantem, genere claram, fama felicem, vxorem ducere recuſaret? ita reſpondiſſe ferunt: *Probo equidem hæc omnia, ſed malo meus eſſe, quã ſuus.* Cui rurſum Marius. *Immo ipſa tua erit.* At ille iterum: *Mos alius eſt, virum vxoris eſſe oportet, ſi diu cum vxore vult eſſe:* Etenim non ſolum vita cælebs, Dei amore tolerata, ex Domini ſententia, Angelicæ eſt vitæ imitatio, in qua nullæ ſunt carnales voluptates,

1. Cor. 7. 7.

Vita cælebs laudatur.

1. Tim. 2. 4

Malach. 1 3.

Vitæ matrimonialis incõmoda recenſentur,

ne-

neque connubia; & quoddam ſpirituale connubium, in quo Chriſtus animæ ſponſus efficitur; ſed etiam multis abundat commodis, & multis caret ſollicitudinibus, & malis, quibus vel ratione coniugis, vel ratione prolis vita matrimonialis abundat, quas
G eruditiſſimè Hieronymus ex Theophraſto Philoſopho, & elegantiſſimè proſequens, eiuſdem ipſiſſima verba, vtpotè ſignificantiſſima, hic tranſcribenda duxi. Sic: *Fertur*, inquit, *aureolus Theophraſti liber de nuptijs, in quo quærit. An vir Sapiens ducat uxorem, & cùm definiſſet, ſi pulchra eſſet, ſi benè morata, ſi honeſtis parentibus, ſi ipſe ſanus, ac diues; ſic ſapientem aliquando inire matrimonium, ſtatim intulit: hæc autem in nuptijs rarò vniuerſa concordant, non eſt ergo ducenda vxor Sapienti. Sequuntur nunc variæ rationes, quas idem Philoſophus adfert.*

Vxor an ducenda à viro Sapiente.

A viro ſapiēte non ducēdam eſſe vxorem oſteditur ſexdecim validiſſimis rationib. ex Theophraſto.

1 *Primùm enim impediri ſtudia philoſophiæ, nec poſſe quemquam libris, & vxori pariter ſeruire.*

2 *Multa eſſe, quæ matronarum vſibus neceſſaria ſint: pretioſæ veſtes, aurum, gemmæ, ſumptus, ancillæ, ſuppellex varia, lecticæ, & eſſeda deaurata.*

H

Querimoniæ quotidianæ vxorum apud viros.

3 *Deinde per noctes totas garrulæ conqueſtiones: Illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratior ab omnibus, ego in conuentu fœminarum miſella deſpicior. Cur adſpiciebas vicinam? Quid cum ancilla loquebaris? De foro veniens quid attuliſti?*

4 *Non amicum habere poſſumus, non ſodalem: alterius amorem ſuum odium ſuſpicatur. Si doctiſſimus præceptor in qualibet vrbium fuerit, nec vxorem relinquere, nec eum ſarcina ire poſſumus.*

5 *Pauperem alere difficile eſt, diuitem ferre tormentum.*

6 *Adde, quod nulla eſt vxoris electio, ſed qualiſcunque aduenerit habenda, ſi iracunda, ſi fatua, ſi deformis, ſi ſuperba, ſi fœtida, quodcunque vitij eſt, poſt nuptias diſcimus. Equus, aſinus, bos, canis, & viliſſima mancipia, veſtes quoque, & lebetes, ſedile ligneum, calix, & vrceolus fictilis, probantur prius, & ſic emuntur: ſola vxor non oſtenditur, ne antea diſpliceat, quā ducatur.*

7 *Attendenda ſemper eius eſt facies, & pulchritudo laudanda, ne, ſi alteram aſpexeris, ſe exiſtimet diſplicere.*

8 *Vocanda Domina, celebrandus natalis eius, iurandum per ſalutem eius: vt ſit ſuperſtes optandum, honoranda nutrix eius, & gerula, ſeruus, patrinus, & alumnus. & formoſus aſſecla, & procurator calamiſtratus, & in longam, ſecuramque libidinē exectus ſpado: ſub quibus nominibus adulteri deliteſcunt: quoſcunque illa dilexit ingrati amandi.*

9 *Si totam domum ei regendam commiſeris, ſeruiendum eſt, ſi aliquid tuo arbitrio reſeruaueris, fidem ſibi haberi non putat; ſed in odium vertetur, ac iurgia, & niſi citò conſulueris parabit venena.*

10 *Anus, & aruſpices, & ariolos, & inſtitores gemmarum, ſericarumque veſtium ſi intromiſeris, periculum pudicitiæ eſt, ſi prohibueris ſuſpicionis iniuria.*

11 *Verum quid prodeſt, etiam diligens cuſtodia, cum vxor ſeruari impudica non poſſit, pudica non debeatur? Infida enim cuſtos eſt caſtitatis neceſſitas, & illa verè pudica dicenda eſt, cui licuit peccare, ſi voluit.*

12 *Pulchra citò adamatur: fœda facilè concupiſcit. Difficile cuſtoditur quod plures amant: moleſtum eſt poſſidere, quod nemo habere dignetur. Minore tamen miſeria deformis habetur, quam formoſa ſeruatur. Nihil tutum eſt, in quod totius populi vota ſuſpirant. Alius forma, alius ingenio, alius facetijs, alius liberalitate ſollicitat. Aliquo modo, vel aliquando expugnatur. quod vndique inceſſitur.*

13 *Quod ſi propter diſpenſationem domus, vel languoris ſolatia, & fugam ſolitudinis, ducuntur vxores, multo melius ſeruus fidelis diſpenſat auctoritati domini, & diſpenſationi eius obtemperans, quam vxor, quæ in eo ſe exiſtimat dominam, ſi aduerſum viri faciat voluntatem, id eſt quod placet. Aſſidere autem ægrotanti magis poſſunt amici, & vernulæ beneficijs obligati, quam illa, quæ nobis imputat lacrymas ſuas, & hæreditatis ſpe vendit illuuiem: & ſollicitudinem iactans, languentis animum deſperatione conturbat.*

14 *Quòd ſi ipſa languerit, coægrotandum eſt, & numquam ab eius lectulo recedendū, aut ſi bona fuerit (quæ tamen rara auis eſt) cum parturiente gemimus, cùm periclitante torquemur.*

15 *Quod ad ſolitudinis fugam attinet:* Sapiens *nunquam ſolus eſſe poteſt: habet ſecum omnes, qui ſunt, quique vnquam fuerunt boni, & animum liberum quocunque vult transfert. Quod corpore non poteſt, cogitatione complectitur, & ſi hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo. Nunquam minus ſolus erit, quam cum ſolus fuerit.*

16 *Porrò liberorum cauſa vxorem ducere, vt vel nomen noſtrum non intereat, vel habeamus ſenectutis præſidia, & certis vtamur hæredibus, ſtolidiſſimum eſt.*

Quid enim ad nos pertinet recedentes à mūdo, ſi nomine noſtro alius nominetur, cum & filius non ſtatim patris vocabulum referat, & innumerabiles ſint, qui eodem appellentur nomine? Aut quæ ſenectutis auxilia ſunt enutrire domi, qui aut prior te fortè moriatur, aut peruerſiſſimis ſit moribus, aut certè, cum ad maturam ætatem venerit. tardè ei videaris mori? Hæredes autem meliores, aut certiores amici ſunt, & propinqui, quos iu-

dicio

dicio deligas; quam quos velis nolis habere cogaris, licèt certior hæreditas ſit, dum adhuc viuis, benè vti ſubſtantia tua, quàm tuo labore quæſita in incertos vſus relinquere. Hæc & huiuſmodi Theophraſtus diſſerens, quem non ſuffundat Chriſtianorum, quorum conuerſatio in cælis eſt; qui quotidie dicunt: cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto? hæredem nimirum deſiderabit hominem cohæres Chriſti? & optabit liberos, nepotumque ſerie delectabitur, quos forſitan ſit occupaturus Antichriſtus, cùm legamus Moyſen, & Samuelem filijs ſuis alios prætuliſſe, nec putaſſe liberos, quos videbat Domino diſplicere? Hactenus Hieronymus, qui deinde hanc rem pluribus exemplis ex hiſtoria veteri confirmat.

Hier. vbi ſup.

Hinc ſanè edico ego, & cum eodem ſancto Hieronymo quanta poſſum voce proclamo: Non damno nuptias: non damno coniugiũ. Volo quoslibet, aut propter incontinentiæ periculum, aut ad prolem ſuſcitandam, aut ex leuiſſima quaque cauſa ducere vxorem, & oblectari nuptijs, ſi libet; ſed volo vos cum Beato Paulo *ſine ſolicitudine eſſe: qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Qui tamen non ſe continent,* vt idem ait, *nubant: melius eſt enim nubere, quam vri.*

1. Cor. 7. 32. 33.

Idem vbi ſupra 7. 9.

VERS. XIV.

Tunc reſpondit Tobias, & dixit: Audio quia tradita eſt ſeptem viris, & mortui ſunt: ſed & hoc audiui, quia dæmonium occidit illos.

VERS XV.

Timeo ergo, ne forte & mihi hæc eueniant, & cùm ſim vnicus parentibus meis, deponam ſenectutem illorum cum triſtitia ad inferos.

1 *Sara quomodo, iuxta LXX. à dæmone amari poſſet.*
2 *Mortem, & ſepulchrum cur Hebræi inferni nomine ſæpiſſimè exprimerit.*
3 *Expenditur locus Geneſ. 37. Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.*

AVDIO *quia tradita eſt.* Tradita enim fuerat Sara à patre ſucceſſiuè, *ſeptem viris, qui omnes,* iuxta LXX. *in thalamo nuptiali perierant,* à dæmonio nomine Aſmodæo, vt ſupra vidimus, ſuffocati.

LXX.

Sup. c. 3. v. 9.

1 *Quoniam.* Subdit Tobias apud LXX. & Syrum, *dæmonium diligit eam, quòd non noceat cuiquam, niſi accedentibus ad eam.* Sed quo amore eam dæmonium diligeret, non facile eſt intelligere: nam, vt fusè Serarius hic ratiocinatur, certè non eam diligebat amore ſupernaturali, quia dæmon hoſtis eſt Dei, & omnis, qui eo amore diligit, vt B. Ioannes ait, *ex Deo natus eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Non amore naturali, propenſione ſcilicet illa naturæ, qua vnaquæque res id, quod ſibi bonum eſt, diligit, quæ nulla in dæmone erga Saram eſſe poterat: cum nullum in ea eſſet bonum, ad quod natura ſua ille propenderet: Non amore liberali, ſiue gratuito: quia conſueuit, qui tali amore diligit, rei amatæ aliquod velle bonum, illudque pro viribus ei procurare, vel aliquid in ea ſui amorem alliciens conſpicere: at dæmonium nullum volebat Saræ bonum, vtpotè generis humani hoſtis plus quam capitalis, nec vllam in ea cauſam ſe ad amorem allicientem poterat cernere; quia naturam in ea peſſimè oderat, ex quo nouit futuram ſuæ ſuperiorem per verbi vnionem hypoſtaticam, voluiſſetque totam è rerum vniuerſitate ſublatam: oderat ipſius mores, quia ſanctiſſima erat illa, & ipſe ſceleſtiſſimus; oderat animi ipſius bonitatem, ſiue eam conſideres in virtute, ſiue in cognitione: nam licèt ea ſit virtutis pulchritudo, ſicut ipſe Cicero docuit, vt amari etiam ſoleat ab inimiciſſimis, & barbariſſimis; dæmon tamen adeò nefario iam erga Deum, & homines odio, tamque immani, & obſtinato ſcelere eſt imbutus, vt, ſicut ſanctus Thomas explicat, rectæ, ſinceræque voluntatis actum vllum agere, nec velit, nec poſſit: ſicut enim quandoque fit, vt, perturbatiore motu impellente, odio habeatur ipſa vita, ipſumque eſſe, alioqui chariſſimum; ita prauitas tanta eſt in dæmonis voluntate, tantaque pertinacia, vt virtutẽ, cæteroqui amabiliſſimã deſpiciat, & aſpernetur. Cognitionem deinde animi magis homini inuidet, animoque intuetur nequiſſimo, quàm diligat: diligeret enim ſanctos viros: dilexiſſet ſummopere Chriſtum: Sapientiam Patris, ſi ea ad hominum dilectionem poſſet allici.

LXX. *Syrus.*

Serarius hic.

1. Io. 4. 16.

Dæmonium nec ſupernaturali, nec naturali, nec liberali amore Saram diligere poterat.

Nulla in Sara erat cauſa, quæ dæmonium ad eã adamandã alliceret.

Cicero ad Piſonem.

S. Tho. 1. p. q. 63. ar. 2.

Dæmon rectæ voluntatis nullum actum poteſt elicere.

Demum nec moueri poterat dæmonium ad Saræ dilectionem, à raris eius corporis dotibus: quia, vt ſupra vidimus, dæmones, vtpotè ſpirituales, nequeunt à rebus corporalibus moueri, & auctores, qui illos à pulchritudine corporali allici potuiſſe, ad purè, vel impurè amandos homines, docuerunt, eo ſunt errore decepti, vt eos corporeos exiſtimarint, quales haud eſſe poſſe ex ipſa perfectione mundi Sanctus Thomas probat,

Sup. hoc eod. c. v. 8.

Dæmones haud corporalibus reb. allici poſsũt

S. Tho. 1. p. q. 50. ar. 1.

qui,

Angelos corporeos aſſerere non caret temeritate.

qui, vt aſſimiletur eo modo quo poteſt ad ſuam cauſam, ſecundum intellectum, per quem fuit productus, creaturas purè intellectuales in ſe requirit: & communiter noſtri temporis Theologi aliud aſſerere temerarium iudicant.

Aug li. 18. de ciu. c. 23. S. Hieron. in Paul. vit. & in Iſai. 13. Iſid. li 8. Orig. c. vlt. Serarius hic. Delrius diſquiſit magic. lib 2. Cæſar. dialog. li. 3. c. 8. & 9. Cantipr. li. 2. apum c. 57.

Et licèt aliqui dæmones, incubi, & ſuccubi nuncupati, reperiantur, qui (teſte Auguſtino, Hieronymo, Iſidoro, Authore vitæ Sancti Bernardi, & ex modernis ſuſius Serario, & Martino Delrio) in corpore aſſumpto cum hominibus turpiter congrediantur; læthifero tamen hi potius odio, quã amore eos perſequuntur, dum ex turpi illo congreſſu magis, ac magis eos contaminare intendunt: neque enim, teſte Cæſario, & Cantipratano, eorum inſidiari valent, aut vim inſerre pudicitiæ, quibus mens, & corpus cum Sara eſt caſtum.

Nequeũt dæmones incubi, vel ſuccubi caſtis viris ſeu mulieribus, nec eorũ pudicitiæ damnum inferre.

Io. 8. 44.

Vnde cum nec vlla eſſet in Saræ corpore, vel animo, actio, ſeu res, in qua oblectari dæmonium poſſet, nec amore, vt aiunt, vtili, vel delectabili potuit à dæmone diligi: Vtilitatem enim aliquam dæmoni important, qui, vt B. Ionnnes ait, *ex patre diabolo*, impiè diaboli deſiderijs ſatisfaciunt, dum ſcelera conſectantur, & ad ea conſectanda alios quoquo modo pertrahunt: vnde quemadmodum venator canes, & accipitres, piſcator retia, & hamos, dominus mãcipia, & iumenta ſua diligit; ita amat hoc modo dæmon improbos, qui ad improbè viuendum alios inducunt, qualis non erat Sara, quæ & ſe ipſam, & quoſcunque poſſet à dæmonis laqueis abſtrahebat.

Amat dęmoniũ quos ſui ſceleris miniſtros habet.

Dicendum itaque nullo amore Saram à dæmone fuiſſe dilectam, nec affirmaſſe Tobiam, niſi ex ſententia vulgi: *audiui enim*, apud LXX. ait, *quoniam dæmonium diligit eam*. Quod ſi ex propria ſententia eum aſſeueraſſe velimus, *nunquid neceſſe eſt*, ait Serarius, *Sanctorum virorum opiniones omnes veras eſſe? neque ſcriptura quid ea quidem in re veri eſſet, oſtenait; ſed quid ille putarit*.

Sara à dæmone dilecta, vt aliqui volũt, ex ſententia vulgi, ſeu Tobiæ.

At dicere etiam poſſumus, & fortè melius, non abſolutè hic docuiſſe Tobiam, Saram à dæmone dilectam, ſed ſecundum quid, nimirum ab effectu, in eo videlicet, quòd eius quodãmodo eſſet pudicitiæ propugnator, eos occidendo, qui impuro exciti amore ad illam accedebant, quod ipſemet Tobias innuere videtur, dum ait: *dæmonium diligit eam, quod non nocet cuiquã, niſi accedentibus ad eam*. Vel tandem, quod magis probo, dæmonium amabat eam, quia ad modum impurè amantium ſe erga eam oſtendebat, curabatque laſciuis ſpectris, & ſuperſtitionibus puriſſimum, caſtiſſimumq́. eius animum contaminare: quin etiam ſe eius amore adeò captum ſimulabat, vt viros eius, ac ſi ſui forent riuales amoris, necarit: quo pacto licet nullus dolor, & conturbatio ſit, vel eſſe poſſit in ſpiritibus; tamen Iſaias Angelos ſe vidiſſe ait ſuper peccatores flentes: *Angeli*, inquit, *pacis amarè flebant*, hoc eſt, ad modum flentium ſe habebant. Sic Antonium, teſte Athanaſio; impurus iſte Aſmodæus ad laſciuiã prouocabat. *Ille*, inquit, *titillabat ſenſus naturali carnis ardore: hic fide, vigilijs, & ieiunijs corpus omne vallabat: Ille per noctes in pulchræ mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta laſciuiæ*. Et de Hiliarone Hieronymus: *Quoties*, ait, *illi nudæ mulieres cubanti, quoties eſurienti largiſſimæ apparuere dapes?* Quomodo etiam caſtiſſimas, ac ſanctiſſimas aliquas mulieres, & præcipuè S. Catharinam Senenſem, vt refert Raymundus, ad turpes amores prouocabat, oſtendebatq́. ſe amare, quas verè æterno oderat odio.

Placet aliis fuiſſe dilectã à dæmone, nõ in rei veritate, ſed ſecundũ quid, vel quia dæmon erga illã ſe habuit admodũ laſciuè ſe amantium. Apud LXX. Vera ſententia.

Iſa. 33. 7.

Athanaſ. in vit. S. Anton.

S. Hier. in vita S. Hilarionis.

Raym. in vit. S. Cathar. Senen.

VERS. XV

Timeo ergo ne forte & mihi hæc eueniant. Nimirum, vt, ſicut illi, à dæmonio ſuffocatus moriar. Sic. LXX. *Timeo ne ingreſſus ad eam moriar, ſicut & priores*.

Et cum ſim vnicus parentibus meis. Hoc eſt ſingulariter dilectus, neque enim eſt dilectio maior vnici filij dilectione.

Deponam ſenectutem illorum cum triſtitia. Hoc eſt efficiam, vt qui alioqui ad limbũ SS. PP. læti proficiſcerentur, mœrentes ex hac vita diſcedant:

Ad inferos. Ad limbum, vel ad Patres, qui limbum incolunt: etenim licèt habeat hic Græcus εἰς τὸν τάφον in ſepulchrum magis tamen noſtræ verſioni, quàm contextui Græco credendum eſt: nam vt credam noſtrum legiſſe εἰς τὸν ᾅδην, facit quod noſter τάφον, nunquàm ſoleat vertere, *in infernum*. Arabs legit cum noſtro, *ad inferos*, vide quæ diximus ſupra. Quia tamen omnes in veteri lege morientes ad aliquem inferni locum deſcendebant: improbi nimirum ad infernum damnatorum, probi ad limbum, ſeu ſinum Abrahæ: pueri, vel qui in ſolo peccato originali decedebãt, in limbum puerorum; idcirco conſueuerunt Hebræi mortem inferni nomine ſignificare. Vnde Pſaltes: *Quia*, inquit, *repleta eſt malis anima mea, vita mea in inferno appropinquauit*.

Sup. c. 3. v. 10

Hebræi mortem ſæpè vocabant infernum.

Pſ. 87. 4.

Eſt infernus damnatorũ locus è cælo maximè diſtans, de quo in libris numerorum: *Deſcenderũt viui in infernum operti humo*, Datan ſcilicet, & Abiron, & in libris pſalmorum: *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes*. Quibus teſtimonijs infernum intelligi damnatorum docet S. Hieronymus: & in libris Iob, *In puncto ad inferna deſcendunt*.

Inferna loca animarũ receptacula quæ ſint.

Num. 16. 33.

Pſ. 54. 16.

Hier. in c. 4. epiſt. ad Eph.

Iob 12.

Limbus verò, quo probi, non dum paradiſo per crucẽ Chrſti reſerato, deſcendebant, ſeu ſinus Abrahæ, infernus etiam eſt locus, vt omnes Sancti præter Alcuinum probant in illud Geneſis: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*.

Lucæ 16. 22.

Patres in Gen. 37. Alcuin. ibi.

3 Et certe dum dicit Iacob deſcendam,

olten-

Morientes omnes olim ad inferna loca deſcendebant.

oſtendit infernum fuiſſe locum, in quo ſuum eſſe putabat filium, nec potuit ſepulchrum, aut aliam rem à ſinu Abrahæ, vel limbo intelligere, cùm nullo alio loco crederet (vt à reliquis audierat filijs) Ioſeph filium ſuum ſepulturæ mandatum, quã in ventre peſſimæ feræ, à qua illum deuoratum acceperat. Limbum verò, in quem deſcendunt pueri, qui in ſolo peccato originali decedunt, in inferioribus etiam terræ partibus eſſe probant doctores, ſicut etiam purgatorium, ſeu locum illum, vbi ſecundum diuinæ iuſtitiæ rationem fidelium animæ, quæ vel obſtrictæ adhuc reatu alicuius temporalis pœnæ, vel etiam aliquibus peccatis venialibus ex hac vita migrarunt, excruciantur, poſt expiationem olim transferendæ in limbum patrum, modo ad cæleſtem beatitudinem, de quo in libris Machabæorum, vbi vir fortiſſimus Iuda, collatione facta, duodecim millia drachmas argenti miſiſſe Ieroſolymã *offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium* dicitur.

Loca inferi animarũ receptacula, quomodo inter ſe diſpoſita.

Suar. in 3. p. S. Tho. tom. 4. diſp. 45. ſect. 2

Purgatorii locus prope infernum eſt damnatorũ.

Qui tres loci quomodo ſint in inferioribus terræ partibus inter ſe diſpoſiti, nulla poteſt certa ratione demonſtrari, cùm res occulta ſit, nec reuelata. Satis tamen illud eſt veriſimile quod grauiſſimi docent ſcriptores, & probat Suarez; purgatorium eſſe inferno damnatorum proximum: tum propter conuenientiam cum eo in pœna ſenſus, & ignis; tum quia hoc ſpectat ad maiorem quandam humiliationem, & afflictionem purgandorum: tum præterea, quia, vt aliqui cenſent, veriſimile eſt, poſt iudicium infernum damnatorum dilatandum eſſe, & occupaturum totum purgatorij locum: immo fortaſſe etiam limbum puerorum immediatè illi ſuperiorem, & antiquorum patrum, qui ipſi etiam puerorum limbo ſuperior eſt. Sed de his fuſius ſcriptores in 4. ſent. nobis hic docuiſſe ſufficiat, idcirco mortem, & ſepulturam inferni nomine in ſacris literis nominari, quia inferni tres ſunt loci, ad quos mortui tunc deſcendebant.

Infernũ damnatorũ poſt iudicii diem dilatandum.

Quòd parentes in maximo honore habendi ſint.

DOCVMENTVM.

A

De qua & ſupra c. 3. v. 2.

Morte nil acerbius.

Ariſt. li. 3. Ethic. c. 6.

OBSERVANDA eſt in hoc verſiculo mira noſtri Tobię erga parentes pietas: nam licet omnium rerum, vt ait Philoſophus, *nihil morte terribilius, nihil acerbius, tum omnium rerum ſit extremum, & vltimum.* ille tamen non tam eam timere oſtendit, quã parentum dolorem, & triſtitiam, quam de morte ſua habere potuiſſent: *timeo*, dicens, *ne fortè & mihi eueniat*, quod reliquis Saræ viris, & morte mea tanto parentes meos, quibus ſum vnicus, afficiam moerore, vt ex hac vita migrent. Nouerat enim ſanctiſſimus iuuenis, quantum vellet Deus nos honorem exhibere parentibus, quippe qui non contentus natura ipſa ad eum præſtandum nos incitaſſe, & effeciſſe, vt ſicut prima ſcientiarum principia, nullo ductore, ſed ſolo naturali lumine cognoſcimus; ita eos honorandos cognoſceremus, cum omnis effectus naturalem quendam cultum, & honorem exhibeat ſuæ cauſæ, à qua ſcilicet, eſſendi principium accipit; voluit etiam illud per ſe ipſum præcipere; quod quanta res ſit, põderauit ipſe Chriſtus, dum phariſæos alloquens, ait: *Deus dixit; honora patrem tuũ, & matrem tuam. Deus*, inquiens, *dixit*, vt nullum hoc præcepto maiori poſſe auctoritate fulciri oſtenderet.

Ad honorandos parentes nos, & natura, & diuinũ præceptum impellit.

B

Matt. 15. 4.

Auctoritas præceptorũ quanta apud veteres fuerit.

Et certè ſi tãtæ fuerunt auctoritatis apud Socratis diſcipulos magiſtri dicta, vt audientes ab his, qui præceptoris nomine aliquid ſibi præcipiebant, hæc verba: *Socrates dixit*; omnia imperata facerent, nefasque putarent, vel in minimo tranſgredi, quod à magiſtro per alium præcipereiur; quomodo dum ab ipſomet Chriſto audimus Dei eſſe præceptum: *Honora parentes*, eos non honorabimus? Tanta fuit patris auctoritas apud Recabitas, vt nulla Ieremiæ ratione moueri potuerint ad bibendum vinum: quia dicebant: (vt eſt apud eundem Ieremiam) *pater noſter præcepit nobis, dicens, non bibetis vinum vos, & filij veſtri, vſque in ſempiternum*; & nos illud non promptè exequemur, quod prius inſitum eſt à natura, quàm præceperit ipſe Deus?

Iere. 35. 6.

C

At non contentus Deus hoc naturæ documentum ſe præcepiſſe, digito inſuper ſuo in primo ſecundæ tabulæ loco illud deſcriptum voluit, & ſicuti in eccleſiarum capitulis Epiſcopi primam dextri cornu ſedem: decanus verò primam ſiniſtri occupat; ita planè in ordine præceptorum voluit vt pietas in Deum primum prioris tabulæ locum, & pietas in parentes primum ſecundæ occuparent: vt poſt primam in Deum pietatem, proximam adeſſe pietatem erga parentes cognoſceremus. Vnde & tantam eam eſſe debere doctores docent, vt ſi caſus eueniret, in quo quis hinc quidem ſuum patrem, inde verò filium ſuum fame pereuntes intueretur, nec ſuppeteret vtrique cibus, licet filius magis, quàm pater naturaliter diligatur, ex eo quod amor magis deſcendat, quã aſcendat; patri tamen magis quam filio ſuccurrendum affirment: quia ſicuti debita tempore antiquiora recentioribus decernũt leges eſſe præferenda; ita cum, ſuperueniente filio, à debito cum patre contracto, non ſimus liberati, prius patri, quam alij cuiquam debemus ſatisfacere. Quinimmo, ſicut ait Philoſophus, *rationabiliter facit filius*

Poſt pietatẽ erga Deum eſt pietas quæ debetur parentibus.

D

S. Tho. 2. 2. q. 26. ar. 9. & cõmuniter Theologi.

Patri magis quã filio in neceſſitatib. eſt ſuccurrẽdum.

Ariſt. 2. Ethic. c. 2.

Digitized by Google

lius, ſi fame moriatur, vt vitam parentum conſeruet, quia illis ſuum eſſe, & vitam debet.

Ita tamen pietatis erga parentes habenda nobis eſt ratio, vt pietati erga Deum, nec in minimo officiat: quod ſignificauit nobis Chriſtus, quando dixit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* & alio loco: *Veni ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam.* Eſt enim tale odium, ſeu ſeparatio ſancta affectum odij internum non habens, ſed tantùm externum, qualem habet ille, qui corruptam ſibi manum abſcindit à corpore, ne totum illud corrumpat: ſic odio habendi parentes, eorumque conſuetudo, & familiaritas vitanda, quatenus fidem & pietatem erga Deum poſſunt corrumpere. Etenim cum ſeruandus in charitate nobis ſit ordo: nam ait Sponſa in Canticis: *Ordinauit in me charitatem*, ſupremum in corde locum amor Dei obtinere debet: Et quemadmodum oleum nullius aquæ copia demergitur; ſed ſupernatat; ſic ille nullius creaturæ dilectione debet opprimi; ſed omnibus ſupernatare: ſic ſpiritus Domini, qui amor eſt, in Geneſi ferri ſuper aquas dicitur.

E
Lucæ 14. 26.
Matt. 10. 35.
F
Cantic. 2. 4
Amor Dei amori præponi debet parentum, & aliarum rerũ creaturarũ.
Gen. 1. 2.

Primus itaque dilectionis gradus ita in Deum eſt ordinandus, vt cùm eius diuinus honor periclitatur, parentes carnis, nec agnoſcendi ſint: ad quod ſignificandum, vt in Exodo habetur, eos laudauit Moyſes, qui in adoratione vituli conflatilis pro Domino exercituum tanto ſunt zelo ſuccenſi, vt nec ipſis parentibus pepercerint; ſed reos quoſque, & facinoris auctores citra perſonarum delectum interfecerint; vnde ait: *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro vos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquiũ tuum, & pactum tuum ſeruauerunt.* Et quidem merito: nam ſi officium parentibus exhibendum eſt, quanto magis auctori parentum, cui pro ipſis etiam parentibus eſt debita gratia? *Natura pignora*, ait Ambroſius, *Dei beneficium ſunt, nec quiſquam debet plus amare beneficium, quam benefactorem.*

Exod. 32.
Nec parentibus ipſis parcendum pro Dei gloria.
Deut. 33. 9
G
Ambroſ. in Luc. c. 7.

Dimitte, itaque, vt Chriſtus ait, *mortuos ſepelire mortuos ſuos*, quibus verbis *non negat*, ait Petrus Chryſologus, *pietatis obſequium; ſed diuinam præponit humanis affectibus ſeruitutem.* Iuxta quod Hieronymus: *licet*, ait, *ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus vbera, quibus te nutrierat mater oſtendat, licèt in limine pater iaceat, percalcatum perge patrem, percalcatam perge matrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis euola: ſolum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem.* Cauendum ne ſicut Barbari, teſte Clemente Alexandrino, dicuntur cadaueribus alligare captiuos, donec cum ipſis putreſcant; ita barbarus dæmon mortuis nos alliget amicis, vel conſanguineis, donec cum illis putreſcamus: *dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Huius verè heroicæ pietatis inſigne exemplum dedit Sanctus Thomas de Aquino, qui habitu Dominicanorum ſumpto in via, inter proficiſcendum ad ſtudia, à duobus germanis fratribus armata manu, captus, & ad caſtrum matris nobiliſſimæ fœminæ ductus; nec à matre, nec à ſororibus, nec à fratribus, nec ab vlla humana arte, aut induſtria auocari à ſancto propoſito potuit; ſed per feneſtram conniuente matre dimiſſus, patribus ordinis ſui reſtituitur. Sanctus Bernardus etiam à ſuis fratribus vehementer pulſatus, vt religionis propoſitum mutaret, eloquentior ipſis, atque felicior, eos ipſos, alioſque multos in ſuam ſententiam pertraxit. Sed quid? præſtiterunt huius rei exemplum, quot boni ſacerdotes, & monachi mundanos habuere parentes.

Matt. 8. 22
Petr. Chryſol. ſer. 19.
Hier. ad Heliod. ep. 1.
Clem. Alex. in exortat. ad Græcos.
H
Mira S. Thomæ de Aquino conſtantia in bono propoſito religionis.
I

VERS. XVI.

Tunc Angelus Raphael dixit ei: Audi me, & oſtendam tibi: qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium

VERS. XVII.

Hi namque, qui coniugium, ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.

1 *Audire pro attendere.*
2 *Saræ viri cur à dæmone interempti.*
3 *Libidinoſi & ſalaces, cur comparati equis.*
4 *Equi cur dicuntur ſine intellectu.*
5 *Dæmones quam poteſtatem habeant ſuper libidinoſos.*

VER. XVI.

1 TVNC *Angelus.* Altiorem iam, & veram volens aſſignare cauſam interfectionis priorum Saræ virorum, quorum morte perterritus, non audebat Tobias eam in coniugem petere, vt ſe magna, ac vera locuturum oſtendat, attentas prius aures in hoc verſiculo captans ait:

Audi me. Videlicet, non ea, ò Tobias, conſideres, quæ ignari cauſæ de nece virorum Saræ vulgares proferunt homines; ſed
Andire, pro attendere. Hier. in illis verbis Ioelis c. 1. Audite hæc ſenes. cauſas, quas ego veriſſimas aſſignabo, ac curata mente reuolue. *Auditus*, ait Hieronymus, *in ſcripturis ſacris non eſt iſte, qui in auribus reſonat, ſed qui corde percipitur, iuxta illud quod Dominus loquitur iu Euangelio: Qui habet aures audiendi audiat*.

Saræ viri cur a dæmone perempti. 2 *Et oſtendam tibi*. Quibus dæmonium nocere poſſit, & ſuper quos habeat poteſtatem, nimirum ſupet illos.

VERS. XVII.

Qui coniugium ita ſuſcipiunt. Vt in eo contrahendo.

Deum à ſe, & à ſua mente excludant. Prauo aliquo fine contrahentes: vel expreſſa voluntate per propagationem prolis, matrimonij proprium, ſeu primarium finem excludentes; de quo ore prophetico locu-
Gen. 2. 24. tus Adamus ait: *Erunt duo in carne vna*. nimirum per copulam ad generandum: vel etiam excludentes matrimonij finem ſecundarium, qui eſt remedium concupiſcentiæ, & vitatio fornicationis, de quo Bea-
1. Cor. 7. 2 tus Paulus ait: *Propter fornicationem autẽ vnuſquiſque vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat*: nam qui hos fines in matrimonio excludunt.

Dum à ſe excludunt. Quia faciunt Deũ ſibi inimicum: *Adulteri*, ait Beatus Iaco-
Iacob 4. 4. bus, *neſcitis, quia amicitia huius mundi*
Chryſoſt. de prouidentia Dei lib. 3. *inimica eſt Dei*. Et Chryſoſtomus: *Peccata*, inquit, *ſeparant à nobis Deum, conſtituuntque nobis illum inimicum*.

Et à ſua mente. Quia ſcientes, volenteſque nolunt attendere, vel aduertere, cur Deus naturalem carnis ſtimulum dederit, & quem matrimonio finem præſcripſerit: & quidem, vt liberius, & ſine conſcientiæ ſtimulo ſuis concupiſcentijs ſatisfaciant.

Ex quibus patet, non ex eo Saræ viros à dæmone præfocatos, quòd infideles, aut idolatræ fuerint, vt quidam apud Lyranum interpretantur: vel quia alienæ tribus à Sara, vt placet Carthuſiano: nam, vt optimè aduertit Serarius, non minori in culpa Raguel, & Sara fuiſſent, quàm ipſi, ideo-
Serar. hic q. 12. que & non minus plecti debuiſſent. *An enim*, ait ille, *qui praua ſuperſtitionis homini, aut ei certe, quem quoquo modo leges vetant, filiam dat, leuius, quàm qui hanc ducunt delinquere putandi? An & ipſa, quæ hiſce talibus nubere non recuſat, magis, quàm ſponſi excuſanda?* Sed quia erant ſine timore Dei, ſalaces, impuri, & tanta virgine indigni. *Deum à ſe, & à ſua mente excludentes, & ſua libidini tantum vacantes*.

3 *Sicut equus*. Confert Angelus occiſos hoc Saræ maritos, qui nulla ſpe, ac deſiderio prolis Veneri vacabant, cum equo, & mulo: quia equus, vt ait Philoſophus, *eſt animal ſalaciſſimum omnium fœminarum, tum marium*. Vnde, & ſacræ Aegyptiorum ſculpturæ, vt narrat Pierius, equi charactere libidinoſos notabant, & [illegible], & [illegible] tales vocabant.
Ariſt. li. de hiſtor. anim. c. 22.
Pier. li. 4. hieroglyf. c. meretricia procacitas.

Et mulus. Stolidum animal ex aſino, & equa, ſeu ex equo, & aſina originem trahens (vnde illud Græci ἡμίονον, hoc eſt, ſemiaſinum vocant, cuius ſpeciem videtur Auguſtinus negare fuiſſe in arca, quia ſuffi- Aug. li. 15. de ciuit. Dei c. vlt.
ciebat ſuos in ea adeſſe parentes) ad libidinẽ, & ipſum intemperans: ſed natura adeò ſterile, vt Plinio teſte, haberetur olim in oſtẽtis, Plin. l. 8. c. 44
& prodigijs, mulæ partus, ex quo factum eſt, vt idem Pierius docet, eum fuiſſe ſymbolum, Pier. lib. 1.
non modo ſterilitatis, ſed etiam laſciui, ac ſporci hominis. Mulus olim ſymboli fuit laſciui, & ſpurci hominis.

4 *Quibus non eſt intellectus*. Nam licèt nullum animal præter hominem intelligendi vim habeat, vnde Auguſtinus, vel potius Fulgentius: *Firmiſſime*, inquit, *tene, & nullatenus dubites, in omni creatura, quam ſpiritualem, atque corpoream, Summa Trinitas fecit, ſolos Spiritus Angelicos, & humanos intelligendi facultatem diuinitus accepiſſe, cæteros verò ſpiritus, ſeu animas brutorum animalium rationalem intelligentiam non accepiſſe, & etiam hoc omnino habere non poſſe*: nam Iob dum datam gallo, intelligentiam dicit, metaphoricè loquitur, inſtinctumque eius naturalem notat, quo certis horis edit ille cantum ſuum, perinde ac ſi ratione vteretur: equi tamen, & muli, vt diximus; omnium ſtolidiſſimi ſunt, quia in libidine, quæ inter omnes voluptates, & ipſum hominem maximè excæcat, ſunt ſalaciſſimi.
Aug. in li. de fid. ad Petr. diac.
Iob 38. 36.

5 *Habet poteſtatem dæmonium ſuper eos*. Eam ſcilicet, quam permittit illi Deus, nam *tantum poſſunt dæmones*, vt ait Aug. *quantũ ſecreto Dei arbitrio permittuntur*. Vnde *ſciendum eſt*, ait Gregorius, *quia Satanæ voluntas ſemper iniqua eſt; ſed nunquam poteſtas iniuſta, quia à ſemetipſo voluntatem habet, ſed à Domino poteſtatem, quod enim ipſe facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non niſi iuſtè permittit*. Et infra. *Formidari ergo non debet, nec honorari*. Addit Cyprianus: *Qui nihil niſi permiſſus valet*. Sicuti enim nulli mortalium nocere valet; ita nec eorum fauere poteſt deſiderijs, niſi quantum ei permittit Deus: nam nullum eſſet malum, quod non perpetrarent magi, ſagæ, & impij alij, ſi quod ijs libet concederet dæmon: ſic, licèt incredibili arderet ſtudio Nero Imperator addiſcẽdi magicas prę-ſtigias, nunquam tamen permiſit Deus, licet magos haberet vndique ad hoc conquiſitos, vt Plinius teſtatur, ne tanti nimirum tyrãni ſæuitia ſæuiſſimorum etiam ſpirituum adminiculo iuuaretur.
Aug. de ciuit. 2. c. 23.
Greg. li. 2. moral. c. 6. alias 10.
Cyp. ſer. 16. de ora. Dominic.
Nulla eſt dæmonis poteſtas in homine, niſi ex permiſſione Dei.
Plin. l. 30. c. 2

Eam itaq; poteſtatem habet dęmoniũ ſuper eos, qui Deum à ſe, & à ſua mente exclu-

In quos maximè ſæuiat dæmon.

Serar. hic q. 20.

Luther. lib de Miſſa Auguſt.

dentes, ſuæ libidini, alijſque peccatis vacant, quam ei Dominus concedit. Sic ob infidelitatem, vt hic obſeruat Serarins, Oecolampadium olim à dæmone interfectum, ſcribit ex Luthero. Caroloſtadinm verò ab eodem interemptum narrant Baſilienſes miniſtri, & ex ijs Lutheranis, Albertus in libro contra illum. ipſummet Lutherum ſubitanea, & improuiſa morte à ſuo Cacodemone ſublatum, peremptumque plurimi cenſent, quòd vocati ad eum medici, morbum, vel iguorare ſe faterentur, vel apoplexiam fingerent. Ob execrationem inſuper, ſeu impreeationem malam, qua quis ſub conditione ſe dæmoni adiungit, traditos à Deo in poteſtate dæmonis multos, multa apud hiſtoricos exempla memorantur.

Caſſ. coll. 7. c. 27.

Greg. li. 1. dialog. c. 4.

Auct. vit. S. Bern. lib. 2.

Sicut etiam ob parentum contemptum, ob blaſphemiam, ob irriſionem ſacrorum myſteriotum, ob templorum, & ſacrarum rerum direptionem, & expoliationem, ob cædem iniuſtam virorum iuſtorum, & ſimilium. Quin etiam & ob culpas veniales, quod contigiſſe Abbati Moyſi propter leniſſimam iram refert Caſſianus. & cuidam religioſæ, Sanctus Gregorius, ob præcipitem, leuemque gulam, & alij religioſo, auctor vitæ ſancti Beruardi, ob tepiditatem, & diſtractionem in oratione. Atque adeò ob iſta, licet minutiora, poteſtatem tantam dæmoni, aliquando à Deo conceſſam legimns, vt ea nono, exquiſitoque ſupplicio animaduerſa dum conſideramus, ab eis, & à maioribus multò magis abhorreamus. Super eos tamen, qui *ſua libidini vacant*, eandem poteſtatem frequentiſſimè dæmoni delegatam à Deo fuiſſe, non modò hic in litera docet Angelus; ſed frequentiora etiam maleficia, quæ quotidie in libidinoſos magis, quàm in reliquos peecatores fieri videmus. Quare propter libidin m, vt hic in littera patet, Saræ ſponſi perierunt. Septem dæmonia Mariam Magdalenam oceuparunt: Beatus Paulus Corinthium inceſtuoſum Satanæ tradidit: Simphorianus, vt ait Ambroſius, Vrbis Romæ præfecti filius, à dæmone ſuffocatus eſt: ſicut etiam Cornelius Gallus, de quo Valerius: Titus Aetherius Eques Romanus, de quo Plinius: Giachetus Salucianus, de quo Fulgoſius, & alij, de quibus hic Serarius: Sed illud ſingulare eſt exemplum, quod ſua notitia contigiſſe Delrius his verbis oſtendit.

Dæmonis in libidinoſos poteſtas maxima.

Sup. verſ. anteced.

Marc. vlt. 9.

2. Cor. 5. 5.

S. Ambr. ſer. 90.

Val. li 9 c. 12

Plin. l. 7. c 53

Fulgoſ. li. 9. c. 12.

Serar. hic q. 20.

Delrius diſq. Magic. lib. 3 p. 1. q. 7. Sect 2. S Quando.

Exemplum dabo, quod & ſi recenti ferè memoria multis notiſſimum; ſine horrore tamen nequit memorari. Loci nomen taceo. In Flandria comitatu prioratus eſt. Tres ibi nomine tenus monachi degebant, re ganeones, & concubinarÿ; ſua cuique erat, nec pudor vllus aderat, ſimul helluari, & libidinari. Quadam die, in ſeram noctem compotatione protracta, vnus, qui minus ſcelerosus: ſat, ait, Baccho, Venerique datum: Deo gratias ſaltem. Ego verò ſubinfert alius procacior, cacodæmoni gratias ago, & agendas cenſeo, cui operamur. Et cum riſu menſa relicta, ruitur in cubilia, ſinguli cum ſcorto; Vix decubuerant, ecce tibi in triclinium, vi ianua reſerata, dæmon magni, atri, & trucis viri ſpecie, habitu venatorio, & cum eo coci duo paruuli; obambulat, & lectos circumſpicit toruo vultu, deinde horrenda voce: vbi qui mihi gratias egit? adſum, referam, lecto abſtrahit pauitantem, & ferme præ metu animam efflantem traditum cocis iubet infigi veru, & luculento igne probè aſſari. parent promptè. aſſatur infelix. emoritur planiſſimè, cateri ferè præ formidine. Aſſi corporis nidore cubiculum impletur. demum venator ad ſuperſtites ſub ſtragulis trepidantes vix viuos: digni vos etiam, ait, pari ſupplicio: nec deeſt voluntas mihi. Vetor vi maiore. Inuitus abeo, & moneo: reſipiſcite, aut manent terribiliora. Diſparent laruæ: nec tamen his alÿs animus redÿt, vel vox, niſi clara iam luce. Vbi ſurrexere, collegam inueniunt mortuum, & ne viſum inane putes, planè aſſum. Haud ſcio, an ab aliquot ſæculis quicquam ad exemplum vtilius acciderit. Scio locum & ordinem; ſed vtrumque ſilentio inuoluo.

Tremenda alia nonnulla exempla, de poteſtate dæmonis in peccatores, à Deo conceſſa, narrat Alexander ab Alexandro, quæ, ſi placet, apud illum videre potetis.

Alex. ab Alex. Genial. dier. li. 4. c. 19.

Quòd libido lumen rationis obnubilet.

DOCVMENTVM.

A

COMPARANT Sapientes virorum laſciuorum cupiditates atro fumo, nebulæque denſiſſimæ, quia ſicut aër huiuſmodi nebula oppletus, ita etiam meridiani ſolis aſpectum adimit, vt qua cæli parte vagetur, caligine impediente, videri nequeat; ita mentis laſciuornm acies vehemenrioris cupiditatis nebula obſcurata in rerum expetendarum iudicio vehementer caligat. Quod ſi interdum, naturæ bonitate victa, id aſſequatur, quod optat; vi tamen cupiditatis impulſa in ſuam ipſius peſtem, & exitium poſtmodum ſæpiſſimè ruit: nam, vt Pſaltes ait: *Superccidit ignis, & non viderunt Solem.* Hoc eſt ignis concupiſcentiæ

Pſ. 57. 9.

ita exæcauit ipſorum mentem, vt ſolem illũ illuminantem, nimirum ſapientiã, quam ſole ſignificari docet Greg. haud videre valuerint. Idcirco ſeniores illi, populi iudices apud Danielẽ, concupiſcentia exardeſcentes, tanta eiuſdem concupiſcentię fumo ſunt oculorum mentis cæcitate percuſſi, vt nec cælum ipſum poſſent conſpicere: nam, vt ſacra habet

Greg. in c. 42. Iob l. 34. c. 12.

Dan. 13.

B historia: *cum exarſiſſent concupiſcentia, euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent cælum, nec recordarentur iudiciorum iuſtorum.* Vnde & poeta de Didone ait:

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.

Virg. Aeneid. lib. 4.

Impedit enim, vt ait Philoſophus, voluptas prudentiam, eoque magis, quo maior exiſtit, *qualis eſt ea*, inquit, *quæ ex rebus venereis percipitur:* nam ſimplex conſideratio boni ſpiritualis, per quam, exempli cauſa, homo benè apprehendere dicitur, & intelligere quàm bonum ſit rectè viuere, ſeruire Deo, relinquere ſeculum, & ſimilia; per talem voluptatem turbatur, valdeque impeditur: tum quia eſt vehementiſſima, & conſequenter impediens conſiderationem, & attentionem circa ſpiritualia, vtpotè totam animam, & omnes eius vires ad ſe violenter arripiens: tum quia eſt infima, & ſecundum infimum

Ariſt. 7. Ethi. c. 15.

C ſenſum, & communis cum brutis, vnde etiam mentem maximè deprimit, inque brutalem indolem formans, ad conſiderationem rerum ſpiritualium, earumque dignitatem apprehendendam quodammodo reddit ineptam. Vnde Salomon ob effrænem ſuam luxuriam hac mentis cæcitate percuſſus ex ſummo honoris faſtigio ad ſummam, vt ita dicam, deuenit ignominiam, & ignorantiam. *Ex luxuria*, ait ſanctus Thomas, *ex idolatria factus eſt Salomon abominabilis populo ſuo in tantum, vt ſerui eius rebellarent ei, diripientes ſpolia ſuæ regionis, & vaſtantes terram abſque reſiſtentia aliqua, cum tamen prius omnes obedirent ad nutum, ſicut teſtatur regina Saba.* Hæc ſanctus Thomas. Et Auguſtinus: *Salomonis*, inquit, *vitia deſiderio ſapientiæ flagrauerant, quam cum amore ſpirituali adeptus eſſet, amore carnali amiſit.* Non quod habitum amiſerit ſapientiæ, ſed quia ſenſibilium ſpecierum, vitæ,

S. Tho. ſeu auct. lib. de regimin. principum li. 3. c. 8.

Salomon ob luxuria etiã ſuis abominabilis.

Aug. li. 3. de doctr. Chriſt. c. 21.

D morumque corruptione, illum adeò impeditum habuit, vt actiones ſapientiæ, & veriſſimas rerum cognitiones, atque ratiocinationes vix elicere valeret: corpus enim corruptiſſimum aggrauabat animam, & impuriſſimarum voluptatum cœnum, ac ſi mentis oculis eſſet illitum, illam exæcabat: etenim teſte Incognito, ſicut duas habet homo naturas animalem, & ſpiritualem; ita duplices habet oculos carnis, & ſpiritus, quorum vnus ſiniſter, alter vero dexter dicitur; & ſicut in corporalibus aliquando vnus percutitur, & alter excæcatur: quia, vt dicit Albertus,

Incognitus in pſalmos.

Albert. lib. de ſenſu, & ſenſato.

dextri oculi neruus ad ſiniſtram vſque partem protenditur, & è contra ſiniſtri, ad partem vſque dextram; cum dexter mentis oculus ad partem ſiniſtram regendam ordinetur, illique ſubditę deorat ſiniſter, dum iſte ſenſualitate percutitur, dexter mentis tollitur, eique deordinatio ſenſualitatis imputatur.

E Ex quo finxit antiquitas, vt teſtis eſt Laertius, Muſas, & Mineruam, minas Veneris haud pertimeſcere, quòd virgines cum eſſent, iſta etiam inſuper venationi perpetuò, nunquam otio vacans, haud ab illa vinci aliquando poſſent. Et Phidias ſtatuam Veneris, quam ipſe, teſte Pauſania, ex ebore, & auro confecerat, ita efformauit, vt altero pede teſtudinem, (ſola inter animantia ſine corde) prementem exprimeret, indicans, vt multis placet. Venerem illos excordes, ac ſine intellectu efficere, quos igne ſuo incendit, & vrit. Quod etiam, vt quidam notant, ab ipſa nominis ethymologia deducitur: nam licet nomen Veneris dictum velit Cicero à veniendo; aſſerit tamen & ipſe componi ex οὐαὶ, quod & væ, & νοῦς, ideſt intellectus, quod væ intellectui venus afferat. Homerus etiam, & Plutarchus, libidine homines in bruta quodammodo transformari docent, vbi Vlyſſem à

Laert. in vit. Plat.

Lucian. in dialog.

Pauſan. in Eliacis poſter.

Did. Vega in pſ. 2. pœnit. concluſ. 6.

Lorin. in pſ. 31. verſ. 9.

Mazarin. in pſ. 50. diſc. 56.

Cic. 2. de or.

Homer. odyſſ. 4.

Plutarch. in Grill.

F Circe nullo veneficio, aut poculo à propria hominis figura dimoueri potuiſſe narrant, quæ tamen eiuſdem ſocios, in porcos, aſinos, grillos apparere fecerat: tabellæ intellectum ad meretricium amorem transferentes, ex quo non ſecus, ac veneficiis homines infatuantur, moreſque brutorum induunt; fuit enim Circe aſtutiſſima meretrix, à qua ſocij Vlyſſis adeò ſunt decepti, vt ratione quodammodo viderentur exuti; quam Vlyſſes, inſigni rerum cognitione valens, ſtrenuè deluſam aſpernatus eſt, vt fusè Palladas explicat, cui conſenſiſſe ſe oſtendit Poeta ille, qui cecinit:

Palladi. li. 1. Anthol. g. Epig.

Horatius.

Sirenum voces, & Circe pocula noſti,
Quæ ſi cum ſocijs ſtultus, cupiduſque bibiſſet
Sub Domina meretrice fuiſſet turpis, & excors,
Vixiſſet canis immundus, vel amica lutoſus.

G Grauiſſima ſanè pœna, quæ tanto formidabilior eſſe nobis debet, quanto minus cognoſcitur. *Nam ſi quis furtum faciens*, ait Auguſtinus, *ſtatim oculum perdidiſſet, omnes dicerent Deum præſentem vindicaſſe; oculum cordis amiſit, & ei pepercíſſe putatur Deus:* Occidit ſol talibus, vt ait Ieremias, *cum adhuc eſt in meridie*, &, vt ait Iob: *per diem incurrunt tenebras:* &, vt Iſaias, *impingunt meridie, quaſi in tenebris.*

Cæcitas mẽtis grauiſſima eſt pœna.

Aug. in pſ. 57. 10.

Ier. 15. 8.

Iob 5. 14.

Iſa. 59. 10.

Quòd alieno periculo cautos nòs eſſe deceat ad euitanda peccata.

DOCVMENTVM II.

A DOCET etiam litera quàm cæci ſint, qui tot vltionis diuinæ exemplis inſpectis, aliorum pœnis moniti, ſibi cauere non diſcunt: cum tamen, dum paucis ſeuera irrogātur punitionis ſupplicia, vniuerſis idonea præbeantur emendationis documenta. Vnde Dominus in Euangelio: *An putatis*, inquit, *quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis, ſicut illi decem, & octo, ſupra quos cecidit Turris in Siloë, & occidit eos.* Hi ergo iuxta verbum Saluatoris, non tam ex eo puniti ſunt, quòd peccatores fuerint, & ſi vel ex hoc vno capite puniendi eſſent, quàm vt cæteris eſſent exemplum; atque adeo paucorum interitus, ſalus, & incolumitas fieret plurimorum. Etenim, cùm ad vnum perdere Deus improbos vniuerſos nolit, aliquos propter ſuam iuſtitiam ſtatim punit, aliquos diſſimulanter diu ſuſtinet, miſericorditerque expectat, vt vel punitorum pœnis deterriti reſipiſcant. Multi ſiquidem his temporibus eadem peccata committunt, propter quæ olim aquis diluuij totus demerſus eſt orbis, qui tamen haud demerguntur. Multi perpetrant qualia Sodomitæ ciues, qui tamen nec comburuntur. Multi Pharaonis duritiam imitantur, nec fluctibus abſorbentur. At, qui hæc euadunt ſupplicia, licet nullus certò ſe illa euaſurum cognoſcat; tamen non multò poſt in abyſſum præcipites dantur, vbi illa ipſa, multoque grauiora ſine fine pati coguntur: & qui temporalia in hoc mundo euaſerunt, æterna apud inferos ſuſtinent: vt enim Valerius docuit: *lento gradu ad vindictam ira diuina procedit; tarditatem tamen ſupplicij grauitate compenſat.* Et *conſueſſe*, aiebat Cæſar, *immortales Deos, quos pro ſceleribus vlciſci nolint, interdum eis res ſecundiores, & diuturniorem impunitatem concedere, quo grauius poſtea ex commutatione rerum doleat.* Sed hæc, intelligere volenti, ſatis.

Lucæ 13. 2. 3. 4.

B

C

Valer. Max.

Deus tardus eſt ad vindictam.

Cæſar in ſuis cōmentarijs.

VERS. XVIII.

Tu autem cùm acceperis eam, ingreſſus cubiculum per tres dies cõtinens eſto ab ea, & nihil aliud, niſi orationibus vacabis cum ea.

1 *Tobiæ quid faciendum fuerit ad feliciter ineundum matrimonium cum vxore.*

2 *Sponſis laudatur continẽtia aliquot dierum poſt contractas nuptias ante matrimonij conſummationem.*

3 *Quomodo nulli alij rei, niſi orationi Tobiæ triduo illo vacandum eſſet.*

1 POST explicatam cauſam internecionis virorum Saræ, iam docet Angelus Tobiam, quid illi facto opus ſit ad cõiugium, cum ea feliciter ineundum, dicens:

Tu autem. Qui nimirum brutorum mores reſpnis.

Cum acceperis eam. Addit Arabs: *In matrimonium.* LXX. *Quoniam tibi erit in vxorem, & dæmonis nullam rationem habe,* nec ipſum quaſi magnum, & formidabile quidpiam formides, quin potius contemne, atque deſpice. *Quoniam*, ſubdunt illi, *nocte hac dabitur tibi hæc ipſa in vxorem.* Vt tamen quas proci illi Saræ habuere, lęthales nuptias, felices habeas, hæc præſtare debes.

Arabs. LXX.

Ingreſſus cubiculum, ſeu penitiſſimam illam partem domus, in qua eſt cubile, ſeu thalamus nuptialis communis ſponſis.

2 *Per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud, niſi orationibus vacabis cum ea.* Arabs: *Ingreſſus ad eam, ne cognoſcas eam vſque ad tertiam diem: & ne occupaueris propter eam alia in re, niſi in oratione.* LXX. *Quando autem accedes ad eam, ſurgite vtrique, & clamate ad miſericordem Deum, & ſaluabit vos, & miſerebitur.* Sic Euariſtus Papa, vt habeant matrimonia debitã coniugij honeſtatem, nec ſint ſicut adulteria, & contubernia, omnibus conſulit ſponſis hanc trium dierum continentiam, & orationem. Canones tamen ſolius diei continentiam exigunt, & quidem, vt Canoniſtæ explicant, de conſilio honeſtatis, ad nullam ligantes, vel leuem culpam: nam cum noſtris hiſce temporibus, pauciſſimi reperiantur Tobiæ; & pauciſſimi eſſent illi, qui cum Tobia per tridnum abſtinerent. Vnde Concilium Tridentinum, hæc ſolum habet: *Sancta Synodus coniuges hortatur, vt antequã contrahant, vel ſaltem triduo ante conſummationem matrimonij, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum piè accedant.*

Arabs.

LXX.

Vt per tres priores dies nuptiarũ contineant ſpõſi. Conſulunt Euariſtus PP. in c. aliter. 30. q. 5. Textus in c. ſpõſus, & ſponſa. 2[?]. diſt. Canoniſtæ in c. 1. de conſ.

Conc. Triden. ſeſſ. 24. de refor. matrim.

2 *Et nihil aliud, niſi orationibus vacabis cum ea.* Non quod toto eo trium dierũ tempore ab omni cibo, & ſomno illos vacare vellet: nam, vt infra textus docet, reperit eos ancilla in ipſa prima nocte: *ſecũ pariter dormientes*, ſed indicans frequentiore, & diuturniore oratione ab ipſis ſanitatem, & incolumitatem à Domino expoſcendam eſſe.

Inf. c. 8. v. 11.

Quòd

Quòd oratio ſit neceſſaria ad diuinæ prouidentiæ circa aliquos peculiares effectus aſſecutionem, ſtante etiam diuina prædeſtinatione.

DOCVMENTVM I.

A Proſper auctor libri de vocat. gentiũ

AVCTOR libri de vocatione gentium, non Ambroſius, vt aliqui volunt, ſed Proſper, elicit ex hoc verſiculo, quem iuxta vulgatam Greçã illius tẽporis lectionem citat, orationis neceſſitatem ad hoc, vt ordo diuinæ prouidentiæ circa aliquos peculiares effectus executioni mandetur, ſtante etiam præordinatione diuina: *Orationum*, inquiẽs, *ſolicitudinem diuinæ electionis propoſito nõ reſolui, vno teſtimonio euidenter probabo, vt cætera ſtudio breuitatis omittam. In libro igitur Tobiæ ad filium eius Tobiam Angelus dicit: Memor eſto mandatorum patris tui; quoniam præcepit tibi accipere debere vxorem de genere patris tui. Et nunc, audi me frater, noli computare dæmonium illud; ſed poſtula eam, & ſcito, quoniam dabitur tibi hac nocte vxor, & cũ cœperis velle eſſe cum illa, ſurgite primum ambo, & deprecamini Dominum cæli, vt detur vobis miſericordia, & ſanitas. Et nolite timere: tibi enim deſtinata eſt ante ſæcula, & tu eam ſanabis. Quamuis ergo*

In li. de voc. gent. qui circumfertur inter opera Ambroſ. to. 2. c. 36

B *quod ſtatuit Deus nulla poſſit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propoſitum liberi arbitrij deuotio relaxatur: cum implenda voluntatis Dei, ita ſit prædeſtinatus effectus, vt per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum, & qui bona geſſerit non ſolum ſecundum propoſitum Dei; ſed ſecundum ſua merita coronetur.* Hæc ille: quibus oſtendit neceſſariam quidem orationem non ad immutandam prouidentiam Dei, vt quidam hæreticè docuerunt; ſed potius ad eam implendam, nimirum vt illud fiat, quod ipſe Deus ab æterno non aliter ſtatuit ſe facturum, niſi propter orationes noſtras, quas ab æterno præuidit. Hinc & Gregorius ait: *Obtineri nequaquam poſſunt, quæ prædeſtinata non fuerunt; ſed ea, quæ ſancti viri orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt, vt precibus obtineantur: nam ip-*

Greg. li. 1. dialog. c. 8.

C *ſa quoque perennis regni prædeſtinatio, ita eſt ab omnipotenti Deo diſpoſita, vt ad hoc electi pro labore perueniant: quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante ſæcula diſpoſuit donare.* quod etiam probat exemplo Iſaac, qui precibus à Deo obtinuit, vt Rebecca conciperet. *Ad Abraham*, inquiens, *Dominus di-*

Gen. 21. Gen. 27. Gen. 22. & 26.

xit: In Iſaac vocabitur tibi ſemen, & patrem multarum gentium conſtitui te. & rurſum promiſit, dicens: Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam maris. Ex qua re apertè conſtat, quia omnipotens Deus ſemen Abrahæ multiplicare per Iſaac prædeſtinauerat, & tamen ſcriptum eſt. Deprecatus eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eo quod eſſet ſterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ, Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Iſaac prædeſtinata fuerat, cur coniugem ſterilem accepit? Sed D *nimirum conſtat, quia prædeſtinatio precibus impletur, quando is, in quo Deus multiplicare ſemen Abrahæ prædeſtinauerat, oratione obtinuit, vt filios habere potuiſſet.* Quare, vt ſanctus Thomas docet, dicere non eſſe orandum, vt aliquid à Deo conſequamur, ob diuinæ prouidentiæ immutabilitatem, idem eſt ac dicere non eſſe ambulandum, ut ad locum, quo tendimus perueniamus, & non eſſe comedendum, ut nutriamur, quod quàm ſit abſurdum non eſt qui non uideat; ex quo infertur ueram rationem, quare orationes, & opera alia meritoria ſint neceſſaria ad conſequendum prædeſtinationis effectum, non aliunde ſumi, quàm ex ordine diuinæ prouidentiæ, quæ ſicut diſpoſuit effectus, & naturales, & artificiales, à medijs naturalibus, & artificialibus cauſis prouenire; ita diſpoſuit ſalutem multorum, & mirabiles quoſdam effectus medijs orationibus, alijſque bonis operibus prouenire, ac fieri. E

S. Tho. 3. cõt. gent. c. 96.

Quòd oratio noſtra pura à peccato eſſe debeat.

DOCVMENTVM II.

DOCET Angelus pura oratione, & nulla peccati labe commaculata, gratias à Deo efflagitandas eſſe, de qua re ſupra etiam diximus. Pura, inquam, à peccato: nam licèt uerum ſit ſtatum gratiæ non eſſe ſimpliciter neceſſarium ad eorum, quę in oratione poſcuntur, impetrationem, cum impetratio, non meritis orantis; ſed diuinę bonitati, & munificentiæ innitatur. Vnde Auguſtinus agens de cæco illo, qui apud Ioannem dixerat: *Scimus quia peccatores Deus non audit. Adhuc*, inquit, *inunctus loquitur: nam & peccatores exaudit Deus.* Raro tamen contingit, vt peccatores (ob defectum fiduciæ, Impetrationi, vt ſupra diximus, neceſſariæ, quam vix habere poſſunt) exaudiantur. *Diffidit* enim, vt ſanctus Gregorius ait, *ſe poſſe accipere quod*

A

Sup. c. 5. v. 16 docum. 2.

Impetrant etiã peccatores apud Deũ quod poſcũt

Aug Tr. 44. in Ioan.

Io. 9. 31.

Greg. 10. mor. c. 11. alias 17

ap-

Digitized by Google

appetit, qui profectò reminiſcitur nolle ſe adhuc facere, quod diuinitus audiuit; & cor nos in petitione reprehendit, cùm reſiſtere ſe præceptis eius, quem poſtulat, meminit. B Vnde Dauid. *Dirigatur*, inquit, *oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo*. nam ſicut incenſum tunc ſolummodo benè olet, quando ſuper ardentes prunas imponitur, ita oratio tunc Deo ſolummodo placet, quando igni charitatis ſuperpoſita confidenter effunditur. Quare Sophar apud Iob: *Si iniquitatem*, ait, *quæ eſt in manu tua abſtuleris à te, & non remanſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia: Tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis*. hoc eſt, ſi iniquitatem tuam, quæ in manibus hærens velut turpis macula illas inficit, atque cruentat, abſtuleris, longèque à te proieceris, ita vt omnino non remaneat in tabernaculo cordis tui iniuſtitia: *Tunc leuare poteris faciem tuam*, hoc eſt ad Deum accedere audebis, & fidenter orare: C nihil enim tunc in animo tuo diliteſcet, propter quod pudore ſuffundi poſſis, vel debeas: *eriſque ſtabilis*, & in oratione perſeuerans, donec poſtulata accipias. Hinc B. Paulus. *Volo*, inquit, *viros orare in omni loco leuantes puras manus. Ideſt mundas*, ait Chryſoſtomus, *non aqua lotas, verùm cupiditate, rapina, & cædibus*. Et Ambroſius: *Sancta enim manus ſunt*, ait, *quando cor mundum eſt*. Et quidem ſi adoleſcentulus Ioſeph in conſpectu Pharaonis ingreſſurus primò attonſus eſt, & veſtibus pulchris indutus, & pueri Hebræorum, qui in palatio regis Babylonis ad obſequia illius eligebatur, vt apud Danielem legimus, non ſolum indumentis ſplendidis amicti; ſed etiam multo tempore cibis delicatiſſimis referti ſunt, vt regi barbaro aſtarent, & aſpectum aula dignum cunctis, à quibus viderentur, offerrent: ſi inquam, hæc ab illis exigebantur, qui ad conſpectum regum D terrenorum intraturi erant, quid illi facere debent, qui regi regum in oratione volunt aſſiſtere, vt ei ſua deſideria pandant? Certè non ſolum ab omni culpa ſaltem graui vacare debent; ſed omnibus etiam ſplendere virtutibus, velut optimis veſtimentis, & cibos pagi pro alimentis aulæ regiæ, ideſt, affectus terrenos, & curas ſeculares pro affectibus cæleſtibus, & curis ſpiritualibus commutaſſe. Quod adeò etiam in ipſo naturæ lumine patet, vt nec ipſi ethnici ſacra vnquam adirent, ſine vndæ puræ luſtratione: quod nos Ariſtides docuit, qui laudans humanitatem imperatoris Antonini, facilem dicit ad illum fuiſſe aditum [illegible], quaſi iam luſtrati eſſent, qui illum adirent. Inde Morſus ille lycurgi oratoris contra Alexandrum apud Plutarchum, qui Athenienſibus deliberantibus, vt Alexandrum Deū facerent, dixit [illegible] ἂν ὁ θεὸς, οὗ τοῦ ἱεροῦ ἐξιόντας δεῖ περιῤῥαίνεσθαι: *Qualis hic erit Deus, cuius à templo exeuntes debent luſtrari*, ſic ſanè exiſtimantes nullo pacto libera ipſis ad orationem, & ſacrificium accedere, niſi prius ab omni ſorde mundatis. Hinc & ſancta Eccleſia aquā miræ virtutis, quam benedictam vocamus, inſtituit, qua ante orationem in ipſo templi ingreſſu abluti, venialibus etiam culpis mundaremur.

Pſ. 140. 2.

Oratio cum charitate coniuncta Deo accepta bilis.

Iob 11. 14 & 15.

2. Tim. 2. 8

Chryſ. in locū B. Pauli. Am r. ibid.

Gen. 41. 14.

Dan. 1. 5.

Quanta cum cordis munditia ad orationem accedere debeamus.

Lycurg. in Alex. apud Plutarch.

VERS XIX.

Ipſa autem nocte, incenſo iecore piſcis, fugabitur dæmonium.

1 *Quid prima nocte coniugij faciendū eſſet Tobiæ ad fugandum dæmonium.*

2 *Dæmonium fugatum an iterum redeat.*

1 TRIDVANAE orationis quis futurus eſſet effectus docere volens Tobiam Angelus inquit:

Ipſa nocte, nimirum, prima coniugij. Addunt LXX. *Sumes cinerem thymiamatum*. Syrus; *Suauitatem*: ſeu, vt explicat Vatablus. *Sumes prunas ſuffimento*. non illas ſcilicet, quæ voraces nimis ſuperpoſitam ſtatim abſumūt materiam, ſed eas, quæ ardentes quidem; ſed cinere aſperſas Thymiamatibus magis congruunt, quippè quæ lentè & ſuauiter euaporare ea faciunt.

Et ſuperpones de corde, & iecore piſcis, & facies fumigare, & olfaciet dæmonium. Hoc eſt, cognoſcet, eo modo, quo ſupra expoſuimus, ſuffimenti virtutem, *& fugiet, nec redibit iterum in ſeculum ſeculi*: non quòd dæmon ad locum, à quo eiectus eſt, iterum, ſi Deus permittit, non poſſit redire, vt potuit immundus ille, de quo apud B. Matthæum, qui cùm per loca arida non inueniſſet requiem; *reuertar*, ait, *in domum meam, vnde exiui*; Sed quia ab Angelo, vt infra habebimus, in deſerto ſuperioris Aegypti, ita fuit religatus, vt redire amplius non ſit permiſſus. Noni de ſpirituali eiectione ab animis aliquos à ſancto Thoma relatos dixiſſe: nunquam ſemel eiectos redire dæmones; at eos idem ſanctus confutat, ad tempus tantùm eos recedere docens, & colligit ex illo B. Lucæ: *Et conſumata omni tentatione diabolus receſſit ab eo*, ſcilicet à Chriſto, *vſque ad tempus*: vbi data opera dicit: *vſque ad tempus, ne putemus*, ait, *dæmones nunquam iterum redire ad oppugnandum eum, à quo ſemel ſuperati ſunt*. Et quidem ſi mœnibus, vel acie in campis, ſemel iterumque repulſi hoſtes, cæſi, fugatique belli conſilia deinceps non modò non deſerunt; ſed maiori ſemper in-

LXX. Syrus. Vatablus.

Sup. hoc cod. c. v. 8.

Matt. 1. 2. 44.

Inf. c. 8. v. 3.

S. Tho. 1. p. q. 114 ar. 3.

Luca 4. 13

du-

duſtria inueſtigant, tam prudentes, vel ad nocendum adeò ignauos dæmones exiſtimabimus, vt ſemel repulſam paſſi à bello deſiſtant? redeunt canes crebrò etiam repulſi, & iterum latrant; redeunt muſcæ, licet frequentiſſime abactæ, & iterum pungunt: & ſemel victi dæmones nouis armis inſtructi non redibunt ad pugnam?

Quod cautè nos ipſos cuſtodire debeamus ab inſultibus dæmonum, licèt eos vicerimus.

DOCVMEMTVM.

A ITAQVE licèt hoſtem noſtrũ fugauerimus, arma illico minimè ſunt manibus deponenda; ſed magis, ac magis ſemper nobis eſt vigilandum, ne dũ ille maiori contra nos rabie victus ſurgit, incautos reperíat, & debellet, ne dum luſor aſtutus fingit ſe perdere incautos nos in fine reddat, & decipiat: Noua, & nobis ſemper arma parãda, ad reſiſtendum, nec fidendũ de apparenti pace. Sic Salomon: *Eo tempore, quo*, ſicut ſacræ habent literæ, *nullus erat Satan, neque occurſus malus*, ſed
3. Reg. 5. 4 maxima vbiq; pax, ducenta ſcorta ex auro probato in templo repoſuit, armiſque bellicis ita illud muniuit, ac ſi iam iam hoſtes illud aggrederentur: vt enim Annibal, Magnus ille Carthaginenſium dux, pede puluere excitato, nunquã futuram dixit Carthaginenſibus cum Romanis pacem, niſi quando Romani, vel Car
B thaginenſes in habitum pulueris irent: ſic ſanè, licet aliquando pacem oſtentet diabolus, nunquam tamen cum eo nobis eſt pax futura, niſi quando ipſi in habitum pulueris erimus redacti: immo cum tranquillos nos derelinquere ſimulant, tunc vel maximè, moliuntur inſidias. Quare ne digitum quidem, vt dicitur, tranſuerſum ab armis diſcedere nobis eſt neceſſarium; ſed omnia ſemper ſuſpecta habere debemus, ſemperque pro caſtris ſtare, & nunquam non excubias agere:

VERS XX.

Secunda verò nocte in copulatione Sanctorum patriarcharum admitteris.

VERS. XXI.

Tertia autem nocte benedictionem conſequeris, vt filij ex vobis procreentur incolumes.

VERS. XXII.

Tranſacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, vt in Semine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris.

1 *Veterum patriarcharum, & Sanctorum poſt nuptias quanta eſſet continentia.*
2 *Liberorum procreatio ſtatus eſt matrimonialis felicitas.*
3 *Filiorũ nomine quid intelligat Raphael.*
4 *Matrimonium propter liberorum procreationem ineundum.*
5 *In pro inter. Semen pro, ſucceſſione.*
6 *Benedictionem in filijs conſequi, quid.*
7 *Anima Tobiæ cum anima Saræ quomodo colligata.*

ADMITTERIS, Merebe- VERS. XX
ris, nimirum, in numero Sanctorum patriarcharum adſcribi, & eorum particeps fieri meritorum. Arabs; *Copulaberis* Arabs.
cum vxore tua, vti patres ſancti, hoc eſt, more ſanctorum patrum poſt præmiſſas ad Dominum preces. Conſueuerant enim illi, vt explicat Auguſtinus, poſt nup- Aug. li. 22. con. Fauſtum c. 50.
tias, vxorum cognitionem per aliquot ſaltem dies differre, & in orationes incumbere; immò de patriarcha Iacob ſacræ ferunt literæ, quod licet perditè Rachelem amaret, eamque ſeptem annorum ſeruitio ex conuentione iure ſibi vxorem habere meruiſſet. nunquam tamen, neque amoris intemperantia. neque conſuetudinis occaſione per ſeptem alios annos, quibus iterum eſt pro ea ſeruire coactus, imprudentius quicquam tentauit, quamquam cum illa ijſdem in ædibus, & communibus paſcuis verſaretur. Vnde ex tam auſpicato, tamque ſancto connubio exorta eſt poſtmodum ſoboles illa generoſa duodecim patriarcharũ, quæ totam ferè Syriam atque Aegyptum repleuit. Fuerunt tamen in nouo teſtamento, vt obſeruat Serarius, qui non triduanam tan- Serar. c. 8. q. 19.
tum in connubio continentiam ſeruarunt: ſed Continentiã
etiam vel perpetuam, vt ſanctus Henricus im- perpetuã cõ
perator, & ſancta Kuntgundis, ſanctus Eduar- iuges multi
dus Angliæ rex, ſanctus Iulianus & Baſilia, in nouo teſta
ſanctus Antigonus, & Eufraſia, ſanctus Ape- mento ſerua
lianus, & Melana; vel certe diuturnam, vt runt.
ſancta Eduigis, alij, & aliæ.

Benedictionem conſequeris. Eam nimirum. VER. XXI
quam Deus iuſtis in veteri teſtamento promiſerat. Arabs. *Tertia autem nocte ſuſcipies be-* Arabs.
nedictionem in filijs, hoc eſt gratiam fœcunditatis: conſtat enim apud omnes liberorum multitudinem, ſeu prolis fœcunditatem in coniugio partem eſſe humanæ felicitatis non exi

Ariſt. li. 1. Rhetor. c. 5. Plat. de legib. dial. 4.

guam, vt plane fatentur, & docent philoſophi. Vnde Plato, *Genus*, inquit, *hominum immortale, hoc modo in ſempiternum perdurat, quod filiorum filios relinquendo, tunc, & idem ſemper per generationem immortalitatem adipiſcatur*.

Arabs.

Vt filij ex vobis. Arabs *Et fient à vobis filij cum ſanitate*, hoc eſt filij veſtri præterea naſcentur incolumes, ac ſani.

Filij Non maſculi tantum, vt placuit Carthuſiano; ſed maſculi, & fœminæ: nam licèt non conſtet, an filias Tobias genuerit; tamen cum appellatione filiorũ ſtatuant iuriſconſulti, & filias contineri, nõ eſt cur ad maſculos tantum hanc Tobiæ futuram fœcunditatem coarceamus.

Vide ſi placet Sueton. in Calig. c. 58.

VERS. XXII.

Tranſacta tertia nocte. Hoc eſt, expletis tribus diebus, quibus orationi tibi vacandum dixi, in quarta nimirum nocte coniugij ab impuris Aſmodæi inſultibus tutus.

Cum timore Domini Sarã ſponſam *accipies Virginem*, ad eamque accedas non praua aliqua excitus libidine.

4 *Sed amore filiorum* nimirũ prolis, nam, vt Baſilius ait: *matrimonium propter liberos, non propter voluptatem eſſe debet*: Et Auguſtinus. *Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam. Adulterium verò, ſiue fornicatio lethalem habet culpã, ac per hoc melius eſt quidẽ ab omni cõcubitu cõtineri, quàm vel ipſe matrimonialis concubitus, qui fit cauſa gignendi*. Ex quo merito Philo valdè eos vituperat, qui ſcientes, & volentes, hoc eſt data opera, fœminas ducunt, ex quibus liberos nec ſuſcipere, nec ſperare poſſunt. Cuiuſmodi etiã homines malis agricolis comparat, qui arua fœcunda inculta ſinunt ſqualeſcere, ſterilitatemq. contrahere; arua verò, ex quibus, nullus fructus expectari poteſt, colunt interdiu noctuque.

Baſil. de virginit.
Aug. de bono coniug. c. 6.
Philo Iud. to. 2. l. de ſpe leg.
Vxor fœcunda deſideranda non ſterilis.

5 *Vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris*, Vt nimirum tali intentione matrimonium ineundo, inter filios Abrahæ ſis fœcundiſſimus. Valet enim hoc loco in idem ac *inter*, vt etiam in pſalmis vbi dicitur: *in gentibus diſperſiſti nos*, hoc eſt inter gentes. & in libro Sapientiæ, vbi Sapiens: *in ſe*, ait, *elementa dum conuertuntur*, hoc eſt dum inter ſe elementa. Semen vero idem valet, ac poſteritas, & filiorum ſucceſſio: vnde Pſaltes: *& ſemen eius*, ideſt poſteritas, *hæreditabit terram*. Et alibi: *nec ſemen eius*, ideſt poſteritatem, *quærens panem*, & ſæpè alibi.

Pſ. 43. 112
Sap. 19. 17
Pſ. 24. 13. & 36. 25.

Vel *vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris*, hoc eſt vt benedictionem habeas ſemini Abrahę promiſſam, multiplicationem, videlicet, filiorum, non ſolum carnalem, ſed etiam ſpiritualem; qualis in Geneſi data fuiſſe Abrahæ dicitur, vbi Dominus. *ſuſpice*, ait illi, *cælum, & numera ſtellas, ſi potes; ſic erit ſemen tuum*, quem locum de vtraque fœcunditate intelligendum expoſitores efferunt. & alibi benedicentur, *In ſemine tuo oẽs gẽtes*.

Gen. 15. 5.
Gen. 22. 18.

In ſemine tuo, ait B. Paulus, *qui eſt Chriſtus*: nam per Chriſti merita omnes adoptionem filiorũ Dei recipimus, & ſaluamur. Hanc *in ſemine Abrahæ*, hoc eſt, ſemini Abrahæ promiſſam benedictionem in filios aſſecutum fuiſſe Tobiam infra patebit, vbi dicitur, ſeptem filios illum habuiſſe, qui (ſicut etiam tota ipſius cognatio) *in bona vita, & ſancta conuerſatione* permanſerunt, *ita ut accepti eſſent tam Deo, quam hominibus, & cunctis habitantibus in terra*.

Gal. 3. 16. Fœcunditas ſpiritualis noui teſtam.
Inf. c. vlt. in fin.

Ex quibus patet & iuniorum Tobiam principem patrum dici potuiſſe, nimirum patriarcham, non quomodocunque, ſed Sanctorum, & quidem merito, quia iuxta illud, quod prædixerat Dauid, benedictus eſt in generatione ſua, ſic ille; *Generatio rectorum benedicetur*, hoc eſt, omni benedictione replebitur. Addunt LXX.

Pſ. 111. 2.
LXX.

Et vt audiuit Tobias hæc, dilexit eum, & anima ipſius adhæſit valde ei. Et venit in Ecbatana. Hebræus: *factum eſt, cum audiſſet Tobias omnia verba iſta, colligata eſt anima Saræ, ingreſſiq. Ecbatanas in domum Raguelis, inuenerunt eũ iuxta portam domus eius, & cum ſalutaſſent eum pacificè, ille pacificè reſpondit eis*. Colligatio hæc animæ Tobiæ cum anima Saræ maximum ſignificat amorẽ, quem erga illam conceperat; etenim animus magis eſt vbi amat, quam vbi animat. Sic volentes ſacræ literæ explicare maximam Ionathæ filij Saulis erga Dauid propenſionem, inquiunt, *Ionathã dilexiſſe Dauidem quaſi animam ſuam*.

Hebræus.
1. Reg. 20. 17.

Quòd in nouo teſtamento benedictio carnalis fœcunditatis, in ſpiritualem mutata ſit.

DOCVMENTVM.

A

QVANTI felicitatem, ſeu diuinam benedictionem fœcunditatis facerent Iudæi, iam ſemel, & iterum expoſuimus: eam tamen vt etiam alias omnes veteris teſtamenti terrenas benedictiones, quas obſeruatoribus diuinæ legis Deus promiſerat, Chriſtus in nouo teſtamento in celeſtes permutauit, iuxta illud, quod olim à Iacob in benedictionibus filiorum Ioſeph fuerat præſignatum, qui morem ſolitum in benedicendo omittens mutatas manus, dexteram, qua res ſpirituales ſignificantur, ſuper minorem filium noui teſtamẽti typum poſuit; & ſiniſtram, qua ſignificãtur res temporales ſuper maiorẽ typum veteris teſtamenti. Sic, *multi*, inquit Baſilius, *timentes Deum ſine liberis mortui ſunt, celebritas enim iſta non eſt in præſentibus nobis ſita; ſed in eo ſi Deo probemur, deinde, & in ſpe futurorum bo-*

Gen.
Baſil. in pſal. 127. ibi: Ecce ſic benedicetur homo.

B

no-

norum. In veteri quidem teſtamento hæc erãt
præmia: iam vero cælum, & quæ in cælo
ſunt. Et quidem Hebræi pueris conſimiles;
Gal. 3. 24. & lex, vt beatus Paulus ait, pædagogo, ter-
renis munuſculis, vt pueri à pędagogo ſolent,
inuitari debuerant ad diuinæ legis ſtudium:
at in lege euangelica iam fideles adulti non
amplius terrenis muneribus, quæ puerorum
ſunt, ſed cæleſtibus allici debebant. Sic Bea-
Gal. 4. 3. tus Paulus: *Cum eſſemus paruuli*, inquit,
ſub elementis mundi eramus ſeruientes, ideſt
S. Tho. ibi. ſub lege, ait ſanctus Thomas, quæ tempo
ralia promittebat, vnde ſicut paruuli ſolent,
terrena tantum ſapiebamus. *Paruulis nan*
Seneca lib. quòd in Sapi. ne non cadit iniur. c. 12. *que*, ait Seneca, *talorum, nucumque, & auis*
minuta auaritia eſt, inter ipſos magiſtratus
gerunt, & prætextam, faſcemque, ac tribu-
C *nal imitantur: in littoribus, arena congeſta,*
ſimulacra domuum excitant. Iſthuc eſt ſa-
pere omne puerorum, quæ minima ſunt ma
gnificare, quæ poſt iuuentam, & canos fa
cilè omnia contemnuntur: niſi quis, poſita
pueritia, puerilitatem retineat, & ſenum æta- Ad Gal.
tem, puerorum, aut infantium vitam habeat. vbi ſup.
At, ſubdit idem Beatus Paulus, *vbi venit ple*
nitudo temporis, miſit Deus filium ſuum,
factum ex muliere, factum ſub lege eos, qui
ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem fi-
liorum reciperemus, & conſequenter cæleſtem Rom. 8. 17
hæreditatem, & regnum æternum: *nam ſi fi-*
lij, ait idem Beatus Paulus, *& hæredes, hære-*
des quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. 1. Pet. 1. 3.
Regenerauit enim nos Deus, vt B. Petrus ait, 4.
in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chri-
ſti ex mortuis in hæreditatem incorruptibilẽ,
& incontaminatam, & immarceſcibilem.

SYNOPSIS CAPITIS VII.

Raguel petitam à Tobia Saram filiam in vxorem tradit conſilio Raphaelis, & ſcriptis coniugij litteris, nuptiæ celebrantur.

CAPVT SEPTIMVM.

1 INGRESSI ſunt autem
ad Raguelem, & ſuſcepit
eos Raguel cum gaudio.
2 Intuituſque Tobiam Ra-
guel, dixit Annæ vxori ſuæ:
quàm ſimilis eſt iuuenis iſte conſobri-
no meo.
3 Et cùm hæc dixiſſet, ait: vnde eſtis
iuuenes fratres noſtri? At illi dixerunt: ex
tribu Nephtali ſumus ex captiuitate Ni-
niue.
4 Dixitque illis Raguel: noſtis Tobiam
fratrem meum? qui dixerunt: nouimus.
5 Cùmque multa bona loqueretur de
eo: dixit Angelus ad Raguelem: Tobias,
de quo interrogas pater iſtius eſt.
6 Et miſit ſe Raguel, & cum lacrymis
oſculatus eſt eum, & plorans ſuper collum
eius dixit.
7 Benedictio ſit tibi, fili mi, quia boni,
& optimi viri filius es.
8 Et Anna vxor eius, & Sara ipſorum
filia lacrymatæ ſunt.
9 Poſtquàm autem locuti ſunt, præ-
cepit Raguel occidi arietẽ, & parari con-
uiuium. Cumque hortaretur eos diſcum-
bere ad prandium Tobias dixit:
10 Hic ego hodie non manducabo,
neque bibam, niſi priùs petitionem meam
confirmes, & promittas mihi dare Saram
filiam tuam.
11 Quo audito verbo Raguel expauit
ſciens quid euenerit illis ſeptem viris, qui
ingreſſi ſunt ad eam, & timère cœpit, ne
forte, & huic ſimiliter contingeret, & cum
nutaret, & non daret ei vllum reſponſum,
dixit ei Angelus.
12 Noli timere dare eam iſti: quo-
niam huic timenti Deum debetur con-
iux filia tua: propterea alius non potuit
habere illam.
13 Tunc dixit Raguel: Non dubito,
quòd Deus preces, & lacrymas meas in
conſpectu ſuo admiſerit.
14 Et credo, quoniam ideo fecit vos
venire ad me, vt iſta coniugaretur cogna-
tioni ſuæ ſecundum legem Moyſi, & nunc
noli dubium gerere, quod tibi eam tradã.
15 Et appræhendens dexteram filiæ
ſuæ dextræ Tobiæ tradidit dicens: Deus
Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob
vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos, im-
pleatque benedictionem ſuam in vobis.
16 Et accepta charta fecerunt con-

ſcri-

ſcriptionem coniugij.

17 Et poſt hæc epulati ſunt benedicentes Deum.

18 Vocauitque Raguel ad ſe Annam vxorem ſuam, & præcepit ei, vt præpararet alterum cubiculum.

19 Et introduxit illuc Saram filiam ſuam, & lacrymata eſt.

20 Dixitque ei: forti animo eſto filia mea: Dominus cæli det tibi gaudium pro tædio, quod perpeſſa es.

VERS. I.

Ingreſſi ſunt autem ad Raguelem, & ſuſcepit eos Raguel cum gaudio.

VERS. II.

Intuenſque Tobiam Raguel, dixit Annæ vxori ſuæ, quam ſimilis eſt iuuenis iſte conſobrino meo.

VERS. III.

Et cùm hæc dixiſſe ait: vnde eſtis iuuenes fratres noſtri? At illi dixerunt: Ex tribu Nephtali ſumus ex captiuitate Niniue.

1 *Hilaritas in bono opere laudatur.*
2 *Filij cur parentũ formã referre ſoleant.*
3 *Fratres qui in ſacris literis dicantur.*
4 *Angelus cur ſe dicat ex tribu Nephtali.*

VERS. I. INGRESSI *ſunt autem ad*
Raguelem. Domum nimirum
ipſius, in quam illos Sara, quã
LXX. obuiam habuerant, introduxit;
Sic LXX. *& Sara occurrit*
ei, & ſalutauit eum, & ipſe
eos, & introduxit eos in domum.
1 *Et ſuſcepit eos Raguel cum gaudio.* Ni-
Eccle. 3. 22. mirum læto animo, vultu alacri, & verbis
affabilibus; nouerat enim cũ Sapiente, *nihil*
eſſe melius, quam lætari hominem in opere
ſuo. quod quaſi flos ornet, & quaſi mel dul-
Proſper. ſent 112. coret ac perficiat opus: vnde Proſper: *Cum*
bonum, inquit, *facis, hilariter fac; ſi enim*
triſtis facis, magis de ſe fit, quam facis. Ex
Aug. li. de perfect. Iuſtit. quo Diuus Auguſtinus docet, peccare iuſtũ,
ſi in beneficentia ſurrepat tædium, quo fu-
ſcetur hilaritas, in qua datorẽ diligit Deus.
Eccli. 35. 11. Hinc Sapiens: *In omni*, inquit, *dato hilarem*
fac vultum tuum.
VERS. II. 2 *Intuenſq. Tobiam Raguel,* quod ſcilicet
ſatis referret patris, non ſolum corporis for-
Ariſt. lib. 4. de gen. animal. c. 3. mam, vt ſolent filij parentum: nam *mores*,
ait Philoſophus, *magna ex parte ſimiles pa-*
tri exiſtunt, vt fœmina matri; ſed etiã mode-
ſtiam, & optimos mores, quem cum primum
Raguel conſiderare cœpit, ait:

Quàm ſimilis eſt iuuenis iſte conſobrino meo! Tobiæ nimirum ſeniori, ex patris, ſiue matris fratre, vel ſorore nato, tales enim, & ſacræ literæ appellare conſobrinos conſueuiſſe apparet ex libro Geneſis. Sanè Philo- ¶ Gen. 29.
ſophus naturaliſſimum eſſe docet omnibus ¶ Ariſt. lib. 2. de anima c. 4. tx. 34.
viuentibus, natura non errante, generare ſibi
ſimile, non ſolum ſecundum eſſentiam; ſed
etiam ſecundum accidentia corporalia: ex ¶ Tiraquel. in l. 7. cõnub quo alios citat.
quo videmus Aethiopem generare Aethiopem, leproſum leproſum, pulchrũ pulchrum.
Vnde etiam iuriſconſulti ſtatuunt ſimilitudine cõijci poſſe quem patrem quis habeat, quando de eius patre dubitatur.

Et cum hæc dixiſſet. Addunt LXX. *Interrogauit eos Raguel.* VERS. III.

Vnde eſtis iuuenes? Arabs, *Adoleſcentes.*
Quærit hoc loco Raguel vnde ſint, non vt ingenium; moreſque eorum cognoſceret, (ad quos dignoſcendos non parum prodeſſe communiter cenſemus patriam aduentantium
ſcire: quare Dauid, vt in lib. Reg. habetur, ¶ 2. Reg. 1. 15.
dum ambigeret, vera ne eſſent, quæ Amalecites de morte Saulis nuntiabat euias eſſet ab eo interrogauit), ſed magis, vt certior fieret de eo, quod fuerat ſuſpicatus, eſſet ne ſcilicet, iunior ille ſeniori conſobrino ſuo filius, an conſanguineus.

3 *Fratris noſtri.* Fratres, teſte S. Hierony- ¶ S. Hier. tom. 2 de perp. virg. Mariæ aduer. Heluidium.
mo, quatuor modis in ſcripturis ſacris dicuntur, nimirum natura, cognatione, affectu, & gente. Natura qui ex eodem patre, vel matre ſunt oriundi, vt Eſau, & Iacob, duodecim Patriarchæ, Andreas, & Petrus. Cognatione, qui aliqua ſunt conſanguinitate coniuncti; vt Abrahã, & Loth, qui licet ex diuerſis eſſent patribus, & matribus nati (erat enim Loth ex Aaram fratre Abrahæ) fratres tamen ſe inuicem nominabant: quare Abra-
hã Loth allocutus. *ne quæſo*, ait, *ſit iurgium,* ¶ Gen. 13. 8.
inter me, & te, inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim ſumus. *Affectu vocan-*
tur fratres, ait Hieronymus. *vel in ſpirituali, vt Chriſtiani omnes, vel in commune,* ¶ Hier.
quomodo omnes homines fratres cenſentur.
Gente tandem fratres nominantur, qui ex eadem ſunt gente, ſiue natione, quomodo
Iudæi inter ſe fratres dicebantur. Sic Moy- ¶ Deut. 15. 2.
ſes, *Cum tibi, ait, venditus fuerit frater tuus Hebræus.* Hoc vltimo modo Raguel Tobiam, & Angelũ fratres agnoſcens, fratres eos appellauit. Cognouit quidem vel ex habitu, vel ex ſermone; nam Iudæi fimbrias in quatuor palliorum angulis geſtabant, vittaſque
hyacinthinas, vt præcipitur in libris Nume- ¶ Num. 15. 38.
rorum. Talem etiam habebant in ſermone

pro-

pronuntiationem, vt Iudæi ipſos Galilæos, licèt eiuſdem eſſent gentis, ac religionis, ea ſolum facilè dignoſcerent, vt apud Matthæum patet.

Matt. 26. 73.

4 *At illi dixerunt*. Nam cum eſſent Iudæi per diuerſas ciuitates in captiuitate diſperſi, ex illi, qui captiui ducti fuerunt in Niniue, ex tribu Nephtali, Tobias qualis erat, Angelus qualis apparebat ſe eſſe Ragueli reſpondent.

Sup. c. 1. v. 1. & 2.

De tribu Nephtali, eiusque captiuitate ſupra egimus.

Quòd hoſpitalitas maximè deceat virum Chriſtianum.

DOCVMENTVM I.

A

MIRANDVM ſanè præbet hic nobis Raguel hoſpitalitatis exemplum, hoſpites adhuc ſibi ignotos, non modo in ædes ſuas recipiens; ſed etiam *cum gaudio*, ſeque adeò erga peregrinos propenſum, prolixumque oſtentans, vt ſedulo pro ædium ſuarum finibus, quaſi alter Abraham, ſicuti ex Hebræo vidimus, ſedens, eos captaret, & detrectantes precibus in ſua vota reduceret: vnde dici de illo poſſit, quod dicit Ambroſius de Abrahã: *Quando alij requieſcebant, ipſe ante oſtium ſedebat tabernaculi, & hoſpitum explorabat aduentus in feruore diei*. Meridiano ſcilicet tempore, quo maximè, vt item veſpertino, viatores ac peregrini, propter laſſitudinem, eſuriem, ſitim, æſtumque hoſpitium amicum deſiderant: *dumque*, ſicut de eodẽ Abraham dicit Chryſoſtomus. *præ foribus ſedens introducebat prætereuntes omnes, & quemadmodum piſcator, iacto in mare rete, piſcem quidem attrahit, attrahit autem frequenter, & aurum, & margaritas; itidem, & hic rete captans homines, piſcatus eſt tandem & Angelos; quodque mireris, etiam inſciens*. At ſanè maius quidpiam contigit duobus illis diſcipulis euntibus Emaus, qui dum hominem peregrinum ſe putarent cogere ad hoſpitium, ipſum coegerũt Deum; quo etiam modo illi, qui pauperes nunc recipiunt, dum fouere ſe putant, & alere homines, Deum recipiunt, extremo die ab eodem audituri. *Hoſpes eram, & collegiſtis me. & quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Sup. c. 6. v. 32 n. 7.

Amb. lib. 1. de Abraham. c. 5

Chryſ. conc. 2. de Lazaro.

B

Ex quo factum eſt, vt hanc virtutẽ hoſpitalitatis, in primis tanquam verè heroicam tantopere ſint vetuſtiſſimi illi Chriſtiani amplexati, vt eam appellarit Tertullianus *veræ communionis conteſſerationem*. ad teſſeram ſine dubio alludens apud Gentiles, vt Plautus indicat, hoſpitibus dari ſolitam, quam nolle recipere, nec coniungere oblatam, idem erat, atque à communione ſeiũgi: vnde cõſtringere teſſeram, vt idem docet, erat amicitiam diſſoluere: hoſpitalitatem tamen appellauit Tertullianus Chriſtianorum conteſſeram, vt fidelium coniunctionem familiariorem eſſe, quam per ſignum fiat, oſtenderet, neque enim illi ſuos tantummodo hoſpitio recipiebant, vt Gentiles faciebant; ſed etiam omnes alios aduentantes. Quod cum peregrinus quidam philoſophus, de quo Baronius ex Luciano, animaduertiſſet, vt maioribus beneuolentiæ officijs à Chriſtianis reciperetur, Chriſtianum ſe eſſe ſimulauit. Et Pachomius tanta Chriſtianorum pietate permotus, gentilitatem relinquens nomen Chriſto dedit. Hinc Iulianus ſceleſtus ille imperator apoſtata, vt in hiſtoria tripartita refertur, omni ſtudio curauit Xenodochia ciuitatum inſtrui, quibus prolixè peregrini acciperentur, ne in hac parte à Chriſtianis vinceretur: ſic ad Aphraſiũ ſcribens hæc habet. *Turpe eſt, vt nec Iudæos quidem abijciant; ſed nutriant impij Galilæi*, ſic enim per contemptum Chriſtianos appellabat, *atque etiam ſuos, noſtroſque pari officio proſequantur, noſtri autem noſtrorum ſolatio deſtituantur*. Ipſi verò ethnici, quam impensè hoſpitalitati ſtuduerint, ex eo manifeſtum relinquitur, quod quemadmodum omnibus ferè rebus Deum quempiam præfecerant; ita hoſpitalitatis Deum habuerunt, qui Iupiter dicebatur; vnde Iouis cognomen erat apud Græcos ξένιος, ideſt, hoſpitalis, ad quem ſcilicet pertinebat religio hoſpitij. Sic Cicero: *Iouis*, inquit, *illius hoſpitalis numen, nunquam celare potuiſſet*. Vnde & hoſpitales homines aram Iouis hoſpitalis antè fores habere dicebantur. Sic Ouidius:

Tertull. lib. præſcript. aduer. hæret. c. 20.

Plaut. in Pœnulo.

Veteres chriſtiani hoſpitalitatis amãtiſſimi.

Idem in Ciſtella.

Tertull. vbi ſupra.

Baron. tom. 1. ann 75. n. 9. §. quoniam.

Hiſt. tripart. li. 6. c. 29.

Iulian. in ep. ad Aphraſ.

Cic. pro Deiot.

Ante fores horum ſtabat Iouis, hoſpitis ara

Ouid. 10. met.

E

Hominis enim natura hanc erga homines habendam beneficentiam docet, quæ adeò eſt imbecillis, vt ſine aliorum ſocietate ſuis nequeat prouidere neceſſitatibus. Docent, & ipſa animantia: nam Cornices, vt teſtis eſt Baſilius, ciconias ad ſuas regreſſuras regiones, amicè excipiunt, easque itineris ignaras deducunt, comitantur, defenſantq.: ſic ille: *mores verò ciconiarum haud longè dixeris à prudentia, rationeque diſtare, ita vno tempore omnes in noſtras prouincias, ſiue regiones veniunt: ita & ſub vno ſigno, quaſi militari quapiam teſſera hinc à nobis auolant. Cornices autem noſtrates, velut lictores ipſas, ſatellitesq. comitantur, atque deducunt. Quin vt mihi videtur, & ſocias ſeſe offerunt, auxiliantesque aduerſus aues ipſis aduerſarias, atque hoſtes, vti rei argumento ſunt illa. Primò, quod noſtris in prouincijs, illo tempore, nulla prorſus cornix conſpiciatur: deinde cum vulneribus redeuntes aperta præſtitæ tutelæ, & ſuppetiarum indicia nobis afferunt: quis apud*

Natura nos ad hoſpitalitatẽ inclinat

Baſ. Hexamhem. 8.

F

ipſos hoſpitalitatis quæſo, iura præſcripſit? quis ipſis deſerti exercitus pœnam minatus eſt, vt nulla prorſus deducendis ſeſe ſubtrahat copys? Hæc Baſilius. Quæ audire maximè illi homines debent, qui neminem vnquam hoſpitio recipiunt, ianuaſque ſuas ita ſemper occludunt, vt neque hyeme, neque noctu, vel ſolo tegmine peregrinos, aduenaſque ſuſcipiant, & valdè confundi, dum non ſolum ethnicos, ſed etiã belluas plus ipſis in humanitate præſtanda valere cognoſcunt. Benè itaque Beatus Paulus docet, vt ſimus *hoſpitalitatem ſectantes*: quibus in verbis Origenes: *hoſpitalitatis*, inquit, *magnificentiam vno ſermone comprehendit, dicens enim hoſpitalitatem ſectantes, non illud ſolum oſtendit, quòd venientem ad nos hoſpitē ſuſcipiamus; ſed requiramus, & ſolliciti ſimus, & ſectemur, & perquiramus vbique hoſpites, necubi fortè in plateis ſedeant; aut extra tectum iaceant.* Et inuentos docet Gregorius cogendos eſſe, & penè inuitos ad hoſpitium deducendos. Et Hieronymus: *Hoſpitalitatem*, inquit, *perſequentes, & non leui, vſitatoque ſermone, & vt ita loquar, ſummis labys hoſpites inuitemus; ſed toto mentis ardore teneamus, quaſi offerentes ſe in lucro noſtro, atque ſtipendio*. Et quidem, ſicut faciebat Raguel *cum gaudio*. Sic Oxirinchij ciues in Thebaide ſtudioſè, vt teſtis de viſu eſt Euagrius, per ſingulas partes ciuitatis obſeruabant, ſicubi apparuiſſet peregrinus, aut pauper, vt ad hoſpitium ducerent, & ſi quem inueniſſent, certatim ad eum currebant, & qui præoccupaſſet abducebat, & neceſſaria miniſtrabat. Et in hac Inſula Corſica, in mea præſertim Adiacenſi diœceſi, quam vltra montes dictitant, tanta etiam hoc tempore eſt incolarum hoſpitalitas, vt nullæ ſint extra ciuitatem in ea cauponæ; ſed in oppidis, & villis viatores, & aduenæ, hilari ſemper, ac læto vultu ab illis, certatimq. excipiuntur; lautiori etiam conuiuio, quam credi poſſit, dimittunturque cum gratiarum actione, nullo ſoluto pretio: quòd ſciant maximis à Deo cumulari bonis, qui huic virtuti ſtudioſè operam nauant: nam Abraham Angelos ſub peregrini ſpecie excipiens de futura exoptata prole certior eſt factus: Loth, exceptis etiam Angelis ſub ſpecie viatorum, ab excidio igneo, ſulphureoq. incolumis euaſit. Rebecca, quia ſeruo Abraham potum propinauit, Iſaac copulari meruit. Raab meretrix, quoniã hoſpitio exploratores, non abſque vitæ ſuæ diſcrimine ſuſcepit, domus eius, capta, direptaque vrbe, ab hoſte tuta remanſit. Martha Chriſtũ hoſpitem habuit, & innumeris ab illo gratijs eſt inſignita: Zachæus gaudens Chriſtum excepit, & ſalus domui illius facta eſt: *Talibus* enim *hoſtys*, vt B. Paulus ait, *promeretur Deus*.

Rom. 12. 13.
Orig. lib. 9.
Hoſpites etiã repugnantes excipiendi.
G
Greg. hom. 23 *in Euang.*
Hier. ad Ruff. fin.
Euag. in vit. SS. Pat. c. 5.
Magna incolarum Adiacenſis diœc. hoſpitalitas.
Deus hoſpitalitatē ſummis beneficiis compenſat.
I
Heb. 13. 16

Quòd exterior modeſtia, & corporis compoſitio interiores animi mores oſtendat.

DOCVMENTVM.

SICVT ex ſolo proſpectu cognouit Raguel optimos Tobiæ, & Angeli mores; ita & cuiuſcunque mores ex viſu cognoſci poſſe nõ obſcurè docuit Sapiens, vbi ait: *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus; amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo*. Etenim ſicuti ex vario aſſeclarum puerorum veſtimento ferè cognoſcimus, cui domino, aut principi ijdem inſeruiant; ita ab externa hominis facie, qua velut pallio anima cooperitur, cui domino, virtuti ſcilicet, an vitio, & ipſe inſeruiat non difficile cognoſcere poſſumus. Nam, & quis iuuenes nimium ornatos conſpicatus, peſtes à Hieronymo, & venena dictos pudicitiæ, non cos ſeruos impudicitiæ dicat? quis cincinnatos, & calamiſtratos capillos gerentem videret, & non illum animo mollem, & effœminatum, cinædumque, cum Syneſio nõ ſuſpicetur? Sic ille: *nullus comatus, qui idem non ſit cinædus*. Quis veſtibus pretioſis veſtitum non dicat vanæ gloriæ ſeruire? Sanè nunquam ſine inani gloria veſtes delicatas eſſe docuit Gregorius. Quis oculis inſolentem, & vagum, furioſeque intuentem non dicat ſeruire rixæ? Quis naſum contumeliam, contemptumue ſpirantem non dicat ſeruire ſuperbiæ? *Habitus enim mentis*, ait Ambroſius, *in corporis ſtatu cernitur: hinc homo cordis noſtri abſconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut contra grauior, & conſtantior, & purior, & maturior æſtimatur. Itaque vox quædam eſt animi corporis motus*. Videt enim homo in facie, Deus autem in corde. hoc eſt quales ſimus, hominibus apparemus, non per cordis aſpectum ſoli Deo conuenientem; ſed per externam faciei compoſitionem, atque modeſtiam. Certè, vt refert Baronius, cum Beatus Tiburtinus quendam Torquatũ nomine ſe Chriſtianum profitentem cerneret, & capillos geſtantem ſuper apicem frontis, tonſoris arte compoſitos, Fabiano præfecto, ante quem ſiſtebatur, hæc de eo habuit. *Credis ne, illuſtriſſime vir, hunc eſſe Chriſtianum, qui in ſui lenocinio molliendo, capitis fimbrias admittit, qui tonſorem diligit, qui ſcapulis molliter geſtit, qui fluxum greſſum improbo nixu diſtendit, qui, neglectis viris, fœminas curioſius intuetur? nunquid tales peſtes Chriſtus dignatus eſt habere ſeruos ſuos?* Et Gregorius Nazianzenus ex vultu, habituque ſe latentem in Iuliano apo-

A
Eccli. 19. 16.
Hier. ad Demetriad. ep.
B
Syneſ. apud Cæliũ li. 15. *antiq. c.* 8.
Exterioris hominis ſpecies interiorem prodit.
Greg. hom. 4?
Ambr. lib. 1. *offic. c.* 18.
1. *Reg.* 6. 7.
C
Baron. ann. 286. *n.* 16. 5. *Interea.*
B. Tiburtinus Fabiano præfecto.

ſta-

Nat. orat. 1. in Iulian. D ſtata Cæſare improbitatem deprehendiſſe, ita ſcribit, vt eum ante opera talem cognouerit, qualem eum poſtea in ipſis operibus vidit: *Me*, inquit, *morum ipſins inconſtantia, atque incredibilis quadam mentis emotio, vatem efficiebat, ſiquidem vates ille optimus eſt, qui rectè conijcere nouit: neque enim mihi quicquam boni ominari videbatur ceruix non ſtata.* Et Ambroſius, ab inceſſu indecoro duorum adoleſcentulorum, eorum animi futuram leuitatem coniecit: ex quo vnum ſibi commendatiſſimum in clerum recipere recuſauit, ac alterum, quem in clero receperat, ne vnquam præiret ſibi imperauit: ſic enim ille: *Meminiſtis*, inquit, *filij quendam amicum, cum ſedulis ſe videretur commendare officijs, hoc ſolo tamen in clerum à me non receptum, quòd geſtus eius plurimum dedeceret. Alterum quoque cum in clero reperiſſem iuſſiſſe, ne vnquam preiret mihi, quia velut quodam inſolentis inceſſus verbere oculos feriret meos. Idque dixi, cum redderetur poſt offenſam muneri. Hoc ſolum excepi: nec fefellit ſententia. vterque enim ab Eccleſia receſſit; vt qualis inceſſu prodebatur, talis perfidia animi demonſtraretur: namque alter, Arianæ infeſtationis tempore, fidem deſeruit: alter pecuniæ ſtudio, ne iudicium ſubiret, ſacerdotem ſe noſtrum negauit: lucebat in illorum inceſſu imago leuitatis, ſpecies quadam ſcurrarum percurſantium.* Et quamuis homines fingere ſæpe externam compoſitionem queant, itaque ſe gerere, vt multa diſſimulent, tanta tamen eſt vis ipſius naturæ, vt non obſcura indicia ſua aliquando præſeferat, ex quibus attentus, ac prudens obſeruator, facilè animaduertere poſſit qualis quiſque ſit, prudensne, an fatuus, integer an fictus: neque enim dubium eſt compoſitionem exteriorem fine interiori, non modo perpetuitatem; ſed nec diuturnitatem quidem habere poſſe. Quare, qui ea ſola eſt præditus, ſpeciem refert quorundam animantium, quæ vel timore ſeuticæ, vel cupiditate cibi, in motu, geſtuque, externam quandam modeſtiam condiſcunt, quam vbi remoueris, id, quod metuunt, ſtatim naturali impetu acta relinquunt. Debet itaque exterior hæc compoſitio, non ex vana cura placendi, originem habere; ſed ex animæ adepta pulchritudine: non ex cura ſe componendi; ſed ex ipſa interna compoſitione, ac ſanctitate, tanquam à fonte manare. *Porrò*, ait Bernardus, *effulgens, & veluti quibuſdam ſuis radijs erumpens mentis ſimulacrum corpus excipit, & diffundit per membra, & ſenſus, quatenus omnis inde reluceat actio, ſermo, aſpectus, inceſſus, riſus (ſi tamen riſus) mixtus grauitate, & plenus honeſti.* Hanc igitur compoſitionem exteriorem

Amb. li. 1. off. c. 18.

Vates ille eſt qui rectè nouit coiicere.

E

Exterior modeſtia, ſeu corporis cōpoſitio interiori iugēda. F

Bern. ſer. 85. in Cant.

G

rem ira teneamus, vt non tam ex ſtudio, atque induſtria nos componendi, quàm ex virtutis perfectione naſcatur; nec tamen, ſi ſponte ex adepta virtute non oritur, eam cum ipſa virtute ſollicita diligentia comparare ceſſemus: *nam*, vt Baſilius ait, *ſtudijs, & exercitijs aſſimilatur anima, & qualia facit, talis formatur, & figuratur.* Seruit enim corpori nullo negotio animus, & ſeſe ad illius mores facillimè conformat, ac fingit. Sic videmus omnes religioſorum familias ab exteriori compoſitione, (quod ferè poſtremum diximus) ſuos erudire tyrones, & illos quaſi coactè, ante moderationem animæ, eam non ſine grani moleſtia procurare, & exinde multa virtutum merita acquirere, ab innumeriſque etiam imperfectionibus liberari: ſed hæc de exteriori corporis compoſitione dicta ſufficiant. H

Baſil. in reg. ſuſ. diſp.

VERS. IV.

Dixitque illis Raguel: noſtis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt, Nouimus,

VERS. V.

Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater iſtius eſt.

1 *Raguel quomodo Tobiam fratrem ſuum dixerit.*

2 *Multa bona loquitur de eodem.*

1 FRATREM hic appellat Raguel Seniorem Tobiam, non gente tantùm, vt ſuos appellauerat hoſpites; ſed etiam cognatione: quia non ſolùm erat ipſe, & Tobias ſenior de eadem gente; ſed etiam de eadem tribu, & cognatione, ex fratribus, vt diximus, vel ſororibus filij. Quare non illum, vt ſuperius fecerat, fratrem noſtrum dicit; ſed meum. Docent LXX. quæſiuiſſe etiam ab eis de bona Tobiæ valetudine, quare addunt: *Et dixit eis: Valet? At illi dixerunt: Et viuit, & valet.* VERS. IV. LXX.

2 *Cumque multa bona loqueretur de eo.* præ nimio exultans gaudio ex recordatione ſanctitatis ſui conſobrini, opportunè illi Angelus. VERS. V.

Tobias de quo interrogas. LXX. *Et dixit Tobias Pater meus eſt:* vt ſanè amborum teſtimonio certior de ea re factus Raguel, maiori, ad improuiſam nepotis ſui præſentiam, ſolatio frueretur. LXX.

Quòd virtus proximi laudanda ſit.

DOCVMENTVM.

A

MVLTA bona loquitur Raguel, maximiſque laudibus abſentis conſobrini ſui virtutes celebrat, vt diſcas optimi viri, & eius, qui proximum diligit munus eſſe, virtutes, laudeſq. proximi celebrare, vt enim B. Paulus ait: *Charitas congaudet veritati, ijs*, ſcilicet, *delectatur*, vt exponit Theodoretus, *quæ bona, honeſtaq. ſunt.* Et ſicut, qui aliqua re delectatur, non poteſt non de illa loqui; ſic non poteſt non congaudere veritati, & multa bona de virtute abſentis proximi dicere, qui illũ diligit: abſentis, inquam, proximi, cum præſentis vel nunquam, vel raró, ſi Chryſoſtomo credimus, virtus ſit celebranda: nam *propter duas cauſas*, inquit ille, *hominem in facie laudare non debes, primam: ſi ſapientem illum putas, grauiter ſuſcepturus eſt; & quare illi laudibus tuis moleſtiam facis? ſi inſipientem illum exiſtimas, extollendus nō eſt: quare inſipientiam eius laudibus tuis nutris?* Vnde etiam paulo inferius docet, eum, qui alium coram, & in facie laudat, etſi vera dicat, ſemper tamen eſſe de adulatione ſuſpectum: cum hæc ſit inter verum amicum, & adulatorem differentia, quòd amicus abſentem, adulator veró præſentem commendet. licèt non negem puſillanimem poſſe, & debere etiam in facie laudari: quia *plerunque*, ait Gregorius, *vtilius apud eos proficimus, ſi & eorum benè geſta memoramus, & ſi qua ab eis inordinatè geſta ſunt, non iam tanquam perpetrata corripimus; ſed quaſi adhuc ne perpetrari debeant prohibemus, vt & illa quæ approbamus illatus fauor augeat, & contra ea, quæ reprehendimus, magis apud puſillanimes exhortatio verecunda conualeſcat.* Faciunt ſanè & hoc non raró peritiores medici, dum animaduertunt ſalutares cibos ægrotis creare faſtidium, nocuos veró, & pernicioſos appetitum, ſalutaribus ſcilicet nocuos adiungunt, vt vel ſic, dum auidè quod appetunt, ſumunt, ſumant etiam quod illis eſt ſalutare. Securè etiam iuxta ſententiam Bernardi eos coram laudamus, qui non ſua iam vita viuũt, ſed Chriſti. Sic ille ad Attonem Treuerẽſem Epiſcopũ ſcribens, poſt multas eius laudes commemoratas: *Prædicanda*, inquit, *& multum commendanda eſt illius vita, qui dicere poteſt: viuo ego iam non ego: viuit veró in me Chriſtus; quia*, ſubdit, *cùm laudatur homo, in quo iam viuit non ipſe, ſed Chriſtus, non in ſua laudatur, ſed in Chriſti vita.* Sic Beatus Paulus non ſolùm in genere Romanos, Corinthios, Philippenſes, & Coloſſenſes laudat; ſed etiam in particulari Timotheum: *Nocte*, inquiens, *ac die deſiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, vt gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei, quæ eſt in te non ficta.* Quinimmo, & ipſe Chriſtus laudauit Nathanaelem, Petrum, Magdalenam, Chananæam, & Centurionem: ſicut enim ignis aura flante fit grandior; ita bonæ mentis cõmendatione ſolent ſtudia proficere; nec mirum: nam ſi equorum curſus hominum clamoribus incitantur; quanto magis inde ſtimulari poſſe credendum eſt, quos ad laudis auiditatẽ natos ſingulariter nouimus. Hinc Hieronymus: *nemo*, inquit, *reprehendat, quod in epiſtolis aliquem laudamus, vel carpimus, cum in arguendis malis ſit correctio cæterorum, et in optimis prædicandis boni ad virtutis ſtudia incitentur.* Sed quia nobis viros perfectos, & ab omni vana gloria ſecuros, non facile eſt cognoſcere, cum, ſicut Seneca ait, *vix tam grandis virtus reperiatur, quæ aliqua dulcedine gloriæ non tangatur*, niſi, vt diximus, proximum animantes, vel defendentes, vix tuto, & abſq; noſtro, ſeu proximi periculo, coram quemquam laudamus: tutò abſentem, dum cum Raguele multa de eo bona prædicamus.

1. Cor. 13. 6.
Theodoret. ibi
Laudandus nemo coram
Chryſoſt. ſeu auct. imperfecti in Matth hom. 27.
B
Puſillanimis vir coram laudari debeat.
Greg. in paſt. p. 3. admon. 9.
C
Bern. ep. 23.
Viri ſanctitate conſpicui coram laudari poſſunt.
Rom. 1. 16
2. Tim. 1. 3. 4. 5.
Virtus laudata creſcit.
Hieronymus.
Seneca ad Lucillum.
E

Multa, inquam, *bona*, nam exiguè, aut frigidè, vt multi faciunt laudare, turpius eſt, vti dicebat apud Gellium Fauorinus, quam inſectanter, & grauiter vituperare, quoniam qui malè dicit, & vituperat, quanto id acerbius facit, tanto magis pro iniquo, & inimico ducitur, & plerumque præterea fidem non capit. At qui infœcundè, atque ieiunè laudat, deſtitui à cauſa videtur, & amicus quidem creditur eius quem laudare vult; ſed nihil reperire, quod iure laudet. Sed multa bona de proximo loqui audienti non parum prodeſſe, docet Gregorius: *Ad exercenda*, inquiens, *bona opera, aliena nos vtiliter exempla perſuadent: & cum mente humili opinionis alienæ bona ſuſcepimus, noſtra vel ad melius bona producimus, vel ad bonum mala permutamus. Cumque nos de vita proximi fama ſplendor irradiat, mens noſtra, vt prædiximus, quæ ad obtinendum virtutis iter ſe dirigit, quaſi in lunæ lumine greſſus ponit.* Sicut enim Lunæ lumen à Sole mutuatum, hæc inferiora, & ſi obſcurins, quadamtenus tamen illuminat; ſic proximorum laudabiliter facta, ex diuinæ gratiæ lumine profecta, & ſi tenuius, aliquatenus tamen ad virtutem excitant, etenim illud natura comparatum videmns, vt qualia in alijs laudata percipimus, talia ferè imitari, & facere ſtudeamus.

Gell. noct. Att. li. 19. c. 3.
Laudandæ proximi virtutes multis laudibus.
Greg. lib. 22. moral. c. 7.
F

Nec nobis ſcrupulum inijcere debet illud Sapientis: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam*: nam ibi Sapiens intel-

Eccli. 11. 30.

Perfecta laus nulli danda eſt ante mortem, nec beatus homo dicendus. Ianſenius.

telligit de laude perfecta perſeuerantiæ finali debita, & eſt ſenſus, vt Ianſenius interpretatur: ne laudes hominem ante mortem, tanquam felicem, & beatum: eſt enim Græcè pro laudes μακαρίζε, hoc eſt, beatifices, cùm re vera homo tantum ſit beatus cenſendus, quando bona verè beatifica, & à quibus excidere amplius non poteſt, aſſequitur: vnde celebris eſt Gnome, ſeu memorabilis ſententia Solonis, quam carmine elegantiſſimè Ouidius ſic expreſſit.

Solonis dictum. Ouid. 3. Metam.

ſcilicet vltima ſemper
Expectanda dies hominis eſt, dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Iuuen. in Satyr.

Et Iuuenalis eius quoque rei meminit, dicens:

Et Crœſum, ſubintellige transeo, *quem vos iuſti facunda Solonis*
Reſpicere ad longæ iuſſit ſpatia vltima vitæ.

Herodot. hiſt. lib. 1. Plutarch. in vit. Solon.

nam interrogatus aliquando Solon à Crœſo, an quem ſe beatiorē vidiſſet, Telum nominauit Athenienſem priuatum hominem; ſed qui relictis filijs, ac nepotibus benè
H inſtitutis feliciter obijſſet; interrogatus deinde, cui poſt illum tribueret elogiū felicitatis, Cleontem, & Birum Argiuos fratres nominauit, qui cum ſumma pietatis laude defuncti fuerant. Indignatus rex, nullo, igitur, inquit loco me reponis? Tum ille; Ego facilè confiteor, te regem opibus, & imperio florentem, beatum autem non appellauerim priuſquam hanc vitam feliciter abſolueris; nec eum fefellit euentus: nam à Cyro rege deinde Crœſus captus ingenti pyræ eſt impoſitus, vt viuus cremaretur; quare cum ter alta voce, vt dicitur, Solonē inclamaſſet, Cyri iuſſu interrogatus, quid ea vox ter repetita ſibi vellet; expoſuit, quæ illi olim de
I fortunæ varietate, veraque felicitate à Solone ſæpiſſimè audiuiſſet. Per quæ humanæ imbecillitatis Cyrus admonitus, illū ab igne liberans in ſummo honore deinceps habuit.

Maxim. Taurinen. hom. 2. in natal. S. Euſebij.

In vita itaque ſua inſtabili, & inconſtanti nulli ſanè hominū beatitudinis laus eſt danda; ſed ille beatus tantum dicendus, qui ad portum perueniens triumphauit. *Sic lauda poſt mortem,* hac ſcilicet laude, ait Maximus, *magnifica poſt conſummationem, lauda nauigantis felicitatem; ſed cum peruenerit ad portum; lauda Ducis virtutem; ſed cum perductus eſt ad triumphum.* Verùm abſentis proximi virtus ſemper laudanda, & mul-
L ta cum Raguele de eo bona dicenda; ita tamen, vt in laudibus, ſicut in cæteris rebus, medium ſemper teneamus, illud philoſophicū, ne quid nimis, ſeruantes: habendaque ſemper eſt ratio perſonæ, & cauſæ, ſeu materiæ, & loci, & temporis, & aliarum huiuſmodi circunſtantiarum, vt officium laudandi ſit perfectum, & ne in alteram par-

Laus nemini danda ſupra veritatem.

tem declinare videamur: *nam,* vt inquit Philoſophus; *res ita ſupra tollere, quam fieri poſſit, adoleſcentioris eſt; ſed ſeniores dedecet.*

Philoſophi dictum.

VERS. VI.

Et miſit ſe Raguel, & cum lacrymis oſculatus eſt eum, & plorans ſuper collum eius, dixit.

VERS. VII.

Benedictio ſit tibi, fili mi, quia boni, & optimi viri filius es.

VERS. VIII.

Et Anna vxor eius, & Sara filia ipſius lacrymatæ ſunt.

1 *Raguel ad quid ſe miſerit.*
2 *Lacrymæ aliquando lætæ.*
3 *Oſcula cur dentur.*
4 *Merita parentum filijs aliquando proficua.*

1 CVM primum audiuit Raguel, illum, quē ſibi ignotum hoſpitio receperat, dilectiſſimi eſſe ſui conſobrini filium, ſibique nepotem præ gaudio exultans,

VERS. VI.

Miſit ſe, Ad eum ſcilicet amplexandum, oſculandumque. *LXX. Et proſilijt Raguel.* Arabs: *Et proiecit ſpiritum ſuum in eum.* Syrus: *Et ſaltauit Raguel.* hoc eſt, non ſe continuit lætitia Raguelis intra latibulum voluntatis; ſed ſe vltra effudit in appetitum ſenſitiuum, qui etiam ſub nomine ſpiritus, iuxta communē naturalium ſententiam ſignificatur, quibus trita ſatis eſt, & familiaris diuiſio ſpiritus, in vitalem, ſenſibilem, & motiuum, & quidem.

LXX. Arabs. Syrus.

2 *Cum lacrymis,* nimirum lætitiæ: nam, vt Tragicus ait:

Senec. in Tyeſte.

ſubitos fundunt
Oculi fletus, nec cauſa ſubeſt?
Dolor an metus eſt? An habet lacrymas
Magna voluptas?

In Clem. ſi Dominum, de reliq. & ven. Sanct.

Vnde & Clemens ait: *Et lætas aliquando habemus lacrymas, & lætitiam lacrymantem: nam & cor ingenti perfuſum gaudio dulces per oculos ſtillat guttas: ſic enim, & mœrentes, & gaudentes aliquando lacrymas fundimus:* dolentes ſpiſſitudine meatuum; qui poſiti ſunt in oculis, dum dolor meatus refrigerat, atque aſtringit, lætantes verò eorundem meatuum laxitudine.

3 *Oſculatus eſt eum.* Oſcula ſcilicet ſingularis beneuolentiæ, indicia charitatis, &

Vid. inf. in c. 9 ver 8. Gen. 46. 29 inf. c. 9. v. 8.

amoris pignus fróti eius infigit. Sic Ioſeph, vt in Geneſ. habetur, *irruit ſuper collum* patris ſui, *& inter amplexus fleuit.* De oſculo, & amplexibus inter amicos, eorumque varia ſignificatione nonnulla dicemus infra.

Et plorans ſuper collum eius dixit: Benedictio ſit tibi, fili mi. hoc eſt, ob patris tui merita, ſis fili mi, à Deo benedictus, & omnibus bonis cumulatus; eſt enim Dei benedicere, vt etiam alibi notauimus, bene facere; nam ſicuti dum dixit Deus, omnia facta ſunt; ita dum benedicit, benefacit.

4 *Quia boni, & optimi.* Sic dum ob patris merita benedicitur, apparet præcedentia bonorum parentum facta, ſæpe meritis filiorum ita prodeſſe, vt quæ bonis operibus illi à Deo promeruerunt, redundent in filios. Sic Iſraelitæ ſæpe de anguſtijs ob merita patrum meruerunt liberari, & in lib. Paralip. ſcriptum eſt, Dominum Salomoni; precanti dixiſſe: *Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo; verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum; de manu filij tui ſcindam illud, nec totum regnum auferam; ſed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid ſeruum meum, & Ieruſalem, quam elegi.* Et in Exodo: Ego, inquit, *Deus faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* hoc eſt, in milleſimam vſque generationem, & poſteritatem illius parentis, qui me dilexerit faciam miſericordiam: vnde quicquid Salomoni fuit gloriæ, opulentiæ, pacis, ſapientiæ, quicquid fuit poſterioribus regibus, id totum fuit Dauidis patris meritum, vel beneficium, vel eximiæ illius ſanctitatis præmium, vt ex ſacris literis obſeruat Pineda in ſuo Salomone prævio. Vide locum conſimilem infra, & expoſitiones ibidem traditas.

3. Reg. 11. 1.

Exod. 20. 6.

Pined. in Salom. præu. li. 1. c. 2. n. 10. inf. c 9. v. 9. n. 6.

VERS. VIII.

Et Anna, vxor eius, & Sara ipſorum filia lacrymatæ ſunt. Primum quidem cum Raguele lætitiæ lacrymis, deinde doloris: etenim lacrymæ lætitiæ, quas fuderant, ſtatim in mœroris, & condolentiæ ſunt commutatæ, vbi eos ipſemet Tobias de patris miſeranda cæcitate reddidit certiores, docent Septuaginta hæc ſuperiori adijcientes verſiculo. *Et audiens*, intellige Raguel, *quia Tobias amiſit oculos, triſtatus eſt, & plorauit.* Vatablus. *Cum autem audiſſet oculorum vſum amiſiſſe Tobiam, contriſtatus vna cum Edna vxore ſua, Saraque filia conlacrymauit.*

LXX.

Vatablus.

Quòd dolenti proximo condolendum ſit.

A

DOCVMENTVM.

SAne dum conſobrini ſui dolet Raguel cæcitatem, amantium proprium eſſe docet amicorum lacrymis collacrymari, eorumque commiſereri miſerijs, & ſicut Beatus Paulus ait, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, infirmari cum infirmis, vri cum ſcandalizatis: Etenim vſque adò condolentiæ, & commiſerationis affectus humanus eſt, vt parum abſit humanitate eos carere, qui nullum habent. *Animantibus enim*, ait Lactantius, *Sapientiam Deus ſuam dedit, naturalibus etiam munimentis ab incurſu, & periculo liberauit. Homini verò, quia nudum, & fragilem formauit, dedit præter cætera hunc pietatis affectum, vt homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraque pericula, & accipiat, & præſtet auxilium.* Quare, qui eo caret, non iam homo, ſed bellua dici poteſt, immo belluis, licet ſæuiſſimis ſæuior: nam *lamiæ*, ait Ieremias, *nudaue runt mammam, lactauerunt catulos ſuos, filia populi mei crudelis quaſi ſtruthio in deſerto.* Lamia autem, vt Hebræus ait תנים Thanim dracones, vt etiam LXX. vertꝫerunt, quantumuis crudelitate efferati, *nudauerunt mammas*, ad lactandum ſcilicet catulos: ſed filia populi mei Ieruſalem, anima fidelis, facta eſt crudelis quaſi ſtruthio, qui, vt ſcripſit B. Iob, oua ponit, & relinquit, nec excludit, non curans de aliorum miſerijs, vel doloribus. Tales fuerunt fratres Ioſeph: vnde Amos, *væ* eis pronuntiat, qui non compatiuntur ſicut illi miſerijs proximorum, *nihil*, inquit, *patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Hebraicè eſt ילאכבלו, videlicet, *Et non infirmabantur*: conſueuerunt enim Hebræi infirmari ponere pro dolere, vt apud Michæā: *Dole, & ſatage filia Sion. Infirmare, & ſatage*, legit Hebræus pro *Ioſeph* intelligit Nazianzenus, quemlibet proximum in aliqua miſeria poſitum, & proinde commiſeratione dignum. *ſic enim*, inquit, *in ſacris literis apud prophetam figuratè, ideſt per ſindochen vocabulum Ioſeph pro quolibet fratre afflicto, & miſero, ſeu miſerabili vſurpatur.* Quemadmodum, verbi gratia, & vocabulum Achillis pro viro forti, & vocabulum Paridis pro adultero, vulgo à profanis auctoribus frequenter accipitur: per figuratam dictionem multa, quæ parti conueniunt, transferentes in totum. *Contritio* verò per metonymiam in ſacris literis ſatis vſitatam magnum hic dolorem ſignificat, qualis eorum eſſe ſolet, quos magna ſequitur calamitas. Væ itaque eis, qui Ioſeph miſero non compatiuntur, ſicut non compatiebantur ſuper dolotibus Ioſeph eius fratres: non talis Beatus Paulus, ſed *Omnia*, inquit, *omnibus factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Quis infirmatur, & egò non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Sed quid? inquies, num Chamaleonte Beatus Paulus mutabilior, qui ad omnes colores, vt ferunt, quos videt conuerſione facillima variatur? num aſſentatorum aſſecla varias, & multi

Lactant. diu. inſtit. c. 14. & 15. & li. 6. c. 10.

Belluæ potius ſunt, quá homines, qui aliorum malis non compatiuntur.

Thren. 4. 3

Hebræus. LXX.

Iob 39. 17 18.

Amos 6. 6.

Michea 4. 10.

C

Naz. orat. de amor. paup. & orat. de grat. dic. vaſ.

1. Cor. 9. 22.

D

2. Cor. 11. 29.

pli-

Ambr. ibi.

plices formas iuxta hominum placita induens? *Videtur quidem Paulus*, inquit Ambroſius, *quaſi ſimulaſſe, vt omnibus omnia fieret, quòd ſolent adulatores facere; ſed non eſt ita; vir enim diuinus, & medicus ſpiritualis, ſciens omnium cauſas, & vulnera, magna induſtria confouet illos, & cõpatitur*. Et Auguſtinus compatiendo, inquit, id fecit, non mentiendo: fit enim quiſque tanquam ille, cui vult ſubuenire, quando tanta miſericordia ſubuenit, quanta ſibi ſubueniri vellet, ſi eſſet ipſe in eadem miſeria conſtitutus. Itaque fit tanquam ille, non quia fallit illum; ſed quia ſe cogitat ſicut illum: etenim cum mutet amor amantem in rem amatam, neceſſe habet eius induere conditiones: vide, quæ diximus ſupra.

Aug. lib. cont. mend. ad Conſentium c. 12. tom. 4.

E

Sup. c. 5. v. 13 docum. 2.

VERS. IX.

Poſtquam autem locuti ſunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari conuiuium. Cumque hortaretur eos diſcumbere ad prandiũ.

VERS. X.

Tobias dixit: Hic ego hodie nõ manducabo, neque bibam niſi priùs petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam.

1 *Occiditur aries ad conuiuium.*
2 *Conuiuium quid, & qualia antiquorũ.*
3 *Additiones ex varijs interpretationibus.*

VERS. IX. POSTQVAM *autem*, vt iam ab itinere laſſatos ſuos hoſpites recrearet Raguel, à lacrymis commiſerationis, & à mutuis ceſſans confabulationibus, vtq. omni, quo poſſet humanitatis, benignitatis, beneuolẽtiæq. genere ſe velle eos proſequi ſignificaret.

1 *Præcepit occidi arietem*, qui larga ſuppeditare poſſet obſonia. Sic LXX. *Et ſuſceperunt*, Raguel ſcilicet, & Anna coniux, & Sara filia, *eos*, Tobiam nimirum, & Angelum, *promptè, & immolauerunt arietem ouium, & appoſuerunt obſonia plura*. Syrus: *Et poſuit cibaria ampla*. Quæ obſonia ex eodem parata fuiſſe ariete planius Vatabli docet explanatio, quæ ſic ſe habet. *Etenim propenſo animo tractarunt illos* &, mactato de grege ariete, obſonia largè appoſuerunt.

LXX.

Syrus.

Vatablus.

2 *Et parari conuiuium*. Epularem ſcilicet amicorum accubationem, conuiuium ex eo dictam, quod, ſicut Cicero docet, vitæ coniunctionem habeat. ex quo diſcere potes cuius eſſent generis larga, & lauta tunc temporis parari ſolita conuiuia, de qua re ſupra. itaque conuiuio parato,

Cic. de ſenect.

Sup. c. 2. v. 1.

Cum hortaretur Raguel, *eos diſcumbere ad prandium*.

3 *Tobias dixit*, poſtquam nimirum, vt habent LXX. Raphaëli dixiſſet: *Azaria frater, loquere de quibus dicebas in itinere, & perficiatur negotium, & communicauit verbum ipſi Ragueli*: Syrus: *& extendit verbum ſuum ad Raguelem*. Vatablus: *tum Tobias Ragueli: Iniice mentionem inquit, Azaria frater, eorum, de quibus egiſti in itinere, vt res conficiatur, ita ille Raguèli rem aperuit*, Nouerat enim Tobias ex lætitiæ, & doloris fuſis lacrymis, ex amicabilibus oſculis, & amplexibus, ex parato conuiuio, alijſque beneuolentiæ ſignis, non modicè optare Raguelem rem ſibi gratam perficere, ex quo conſiderans in occaſione rerum deſidiam, ac tarditatem omnem quamdiligentiſſime eſſe fugiendam: inutili cunctatione haud morãdum cenſuit; ſed ante omnia Saram ab eo coniugem expoſcendam, & obtinendam.

LXX.

Syrus.

Vatablus.

Occaſio arripienda.

Quòd ſollicite cauere debeamus, ne vlla nos prætereat occaſio benè agendi.

DOCVMENTVM I.

DOCET nos exemplo ſuo Tobias, dum tempus petitionis ſuæ congruum ſollicitus ne prætereat quærit, temporis opportunitatem, & oblatam occaſionem, quæ in aggrediendo, & conficiendo negotio præcipuum habet momentum, ſtatim arripiendam eſſe: nam vt Heſiodus ait:

A

Tempus maximi momẽti eſt ad res agendas.

καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος

Opportunitas in omni re optima.

Heſiod.

Et Pindarus, in omni re tempus dixit faſtigium obtinere. Et Poëta ille tragicus ait.

Pindarus in Pythijs.
Sophocl.
Pol.

Momentum haud exiguum confert
Rebus agendis opportunitas.
Conſilia omnia ſuperat.

Sanè dum alipes ab antiquis occaſio fingitur, & quæ vertigine quàm citiſſima ſemet in orbem circumagit, oſtenditur, quòd ſemel eam abire permittentes haud poſtea dum volunt, conſequi poſſunt, quippe quæ in priore capitis ſui parte capillis, licèt hirſuta ſit, quibus facilè comprehendi poſſet oblata, glabra tamen eſt in poſteriore, nec fugiens, teneri poteſt. Quare quiſque cum Tobia attendere diligentiſſimè debet, ne elabatur, & præcipuè in rebus ſpiritualibus, in quibus quanti ſit damni eam labi permittere exemplum præbuit in canticis ſpõ-

B

Cant. 5. 6.

ſa, quæ dum pulſanti ſponſo tempeſtiuè nô
aperuit, occaſionem eum admittendi, ita
perdidit, vt illnm declinantem, atque tran
ſeuntem, non niſi multo poſt labore reperi-
re potuerit: ſic illa. *Peſſulum*, ait, *oſtis*
mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat,
atque tranſierat. Quam & nos occaſionem
introducendi ſponſum animæ noſtræ Deum
amittimns, quotieſcunque veniens ille ad
nos, operaque bona licet minima ſuadens
ingreſſum ei negamus: Peſſulum autem tol-
limus, quando recti operis occaſionem no-
C ſtra iniuri a præterijſſe dolemus, quod faci-
mus quotieſcunqne, ſublata occaſio, qnod
amiſimus honum nobis oſtendit, cum nimi-
rum aduertimns elapſum gloriæ præmium,
quod per occaſionem meriti, & gratiæ con-
ſequi poteramus: nam ſi deflent huius ſæcu-
li homines oblatam diuitiæ, voluptatis, vel
honoris occaſionem amiſſam, cur non do-
lebit vir fidelis ſua incuria cæleſtium bono-
rum occaſionem perdidiſſe? Nautæ vbi ſe-
cunda ſpirare aura cœperit, ne occaſionem
nauigandi prætermittant, protinus à litore
ſoluunt, tantaque ſollicitudine vela ventis
permittunt, vt ſi tantillum, qui volunt ve-
hi morentur, deſerant; fugacis pulchritu-
dinis amatores indigniſſimum ducunt ali-
quam prætermittere occaſionem ei placen-
di quâm amant: impij omnes ablatam ſuæ
impietatis occaſionem, licèt æternæ pœ-
D næ coniunctam, tam auidè accipiunt, vt de
Prou. 19. 38. eis dicat Sapiens: *Os impiorum deuorat ini-*
quitatem. Sed quid? nullæ creaturæ obla-
tas occaſiones augmenti propriæ perfectio-
nis reſpunnt; ignis proximam ſtatim, ſi po-
teſt, abſumit materiam: & agunt cætera
elementa ſi poſſunt, nulla poſita mora, in
contraria, vt in propriam ea conuertant na
turam. Animalia inſtinctu naturæ ductæ ap-
ta ad mutationem locorum tempora cogno
ſcentia, ſtatim occaſionem nacta à rigidis
terrarum regionibus, in quibus vita peri-
clitarentur, diſcedunt, ad benigniora ſtatim
accedentia loca, & vir fidelis, cui propriæ
eſt ſalutis cura, in oblatis virtutis, & me-
riti occaſionibus, non tantum mundano, &
peccatore erit negligentior; ſed ipſis etiam
ratione, ſenſuque carentibus creaturis? O
mira hominum vecordia! *Miluus in cælo*,
Ierem. 8. 7 ait Ieremias, *cognoſcit tempus ſuum, tur-*
tur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt
tempus aduentus ſui: populus autem meus
non cognouit iudicium Domini.
Pſal. 94. 8. *Hodie*, itaque, ſic Pſaltes ait, *ſi vocem*
Domini audieritis, nolite obdurare corda
veſtra, hoc eſt, ſi hodie occaſionem acqui-
rendæ, uel exercendæ virtutis, voce ſua in
terna vobis Dominus præbeat, ne illam
contemnatis, licèt minima ſit, dummodo
ſtatui, & vocationi congruat: nam ſicut in-
duſtrius negotiator, nec modica ſpernit
emolumenta, ſciens multa modica facere
vnum ſatis; ita amator virtutis homini ne-
gotiatori à Chriſto aſſimilatns, nec modi-
cas prætermittendas cenſet acquirendæ vir-
tutis occaſiones. Et ſicut honeſtiſſima
Ruth, vt ſacra narrat hiſtoria, ſuam men-
dicitatem cognoſcens, ſpicas à meſſoribus
relictas, atque contemptas, poſt eorum F
terga diligentiſſimè colligebat; ita qui pau-
pertatem ſuam cognoſcens, cum Pſalte di-
cit: *Ego autem mendicus ſum, & pauper*, Pſ. 39. 18.
minutiores quaſcunque occaſiones benefa-
ciendi oblatas diligentiſſimè colligit, ne-
gligentiam ſeruorum ſuſtinet, pulmentum
inſulſum, & male apparatum ſine murmu-
re comedit, contumelias fert patienter, pul-
chra aliqua, quæ delectant, curioſa qnæ au-
dit, iocoſa quæ dicit, prætermittit, aliaq.
huiuſcemodi, quæ à ſapientioribus huius
mundi metitoribus, quaſi nullius momenti
ſpicæ omittuntur libentiſſimè amplectitnr:
& ſicut Ruth à ſpicis ad menſam, ex men- Ruth 2.
ſa ad lectum, immo ad coniugium, & ad
poſſeſſionem omninm bonorum Booz eſt ad-
miſſa; ita ille à ſummo patreſamilias Deo
ab his minutioribus ad perfectionem ope- G
rum, ac virtutum diuinum coniugium, ac
poſſeſſionem tandem cæleſtium admittitur.

Quòd negotia grauiora ante cibi ſum-
ptionem tractanda ſint.

DOCVMENTVM II.

ADVERTIT Nauſea, exem- A Nauſea hic.
plo Tobiæ, negotia alicuius
momenti, ante ſumptionem
cibi, vel potus, maximè co-
pioſi, perficienda, & quidem,
vt prudentius, & melius illa
peragamus: quandoquidem nnnquam me-
lius homo ſibi conſtat ingenio, & ratione,
quam cum ſobrius eſt; cùm, vel Domino te- Luc. 21.
ſte, corda hominum grauentur crapula, &
ebrietate. *Corpus enim quod corrumpitur,*
ait Sapiens, *aggrauat animam, & terrena*
inhabitatio deprimit ſenſum multa cogi-
tantem.

VERS. XI.

Quo audito verbo Raguel, expauit
ſciens quid euenerit illis ſeptem
viris, qui ingreſſi ſunt ad eam, &
timere cœpit ne fortè, & huic ſi-
militer contingeret, & cum nu-
taret, & non daret petenti vllum
reſponſum.

VERS. XII.

Dixit ei Angelus: Noli timere dare eam iſti: quoniam huic timenti Deum, debetur coniux filia tua: propterea alius non potuit habere illam.

VERS. XIII.

Tunc dixit Raguel: Nõ dubito, quod Deus preces, & lacrymas meas in conſpectu ſuo admiſerit.

1 *Raguel cur expauerit.*
2 *Sententia Angeli quomodo acquieuerit.*
3 *Cur ſe exauditum à Deo non dubitauerit.*

VERS. XI. Q*VO audito*. Audita nimirum à Raguele petitione Tobiæ, ex timore periculi

1 *Expauit*. Et in ancipiti cogitatione poſitus, quid deliberandũ ſibi eſſet neſciebat. Hinc efflagitantis iuuenis merita ſe offerebant, illinc ipſiuſmet graue periculum: graue admodum poſtulanti rem iuſtam, denegare ducebat; grauius tamen cum tanto dare periculo, dumque mente ſic varius nullum poſcenti daret reſponſum,

VERS. XII 2 *Dixit ei Angelus*. talibus eum docens, nõ eſſe cur timeret Saram Tobiæ coniugem tradere; felix, fauſtumq. ex eo futurum ipſius promittens connubium, quod Sara, ex diuina præordinatione ei deberetur, non alij. Quod licet dictum nulla ratione fulciuerit; grauitas tamen eius in dicendo, orationis ſuauitas, actionum prudentia, eorum, quæ dicebat, probabilitas, formæ dignitas, & ſuper omnia vis quædam, quæ interiore modo Raguelis mentem afficiebat, tantæ fuerunt efficaciæ, vt ſtatim ille, nulla interpoſita mora, ac ſi iã oculis conſpicatus eſſet vera eſſe, quæ dicebantur futura, liberum poſcenti præbuerit aſſenſum: *vnde tunc dixit Raguel:*

VERS. XIII. 3 *Non dubito*. Ac ſi dixiſſet: neque enim à lacrymis meis tanquã inexorabilẽ, & ſæuum oculos auertiſſe Deum exiſtimo; Sed vt miſericordem ante conſpectum ſuum ea collocaſſe, idcirco non dubito quod eas tandem ſanctiſſimo ſuæ clementiæ ſudario abſtergat.

Quòd orationes noſtræ, & lacrymæ Deo aliquo modo vim faciant

DOCVMENTVM.

A Q VANTA ſit lacrymarum vis, docet hic Raguel, dum ſe haud dubitare dicit illas, quas fuderat, exauditas à Deo fuiſſe. Nouerat enim illud eſſe veriſſimum, quod poſtea Hieronymus docuit, nimirum orationem Deum lenire, lacrymam cogere. ſic ille: *Oratio Deum lenit, lacryma cogit*. Et quidem, vt ait Ambroſius, *Vim facimus Domino, non compellẽdo, ſed flendo, beata ſane violentia, quæ nunquam indignatione percutitur; ſed miſericordia condonatur, quã cæli defenſores, & incolæ nõ repellunt, ſed iuuant*. Sic redeunti Iacob è Meſopotamia apparens Dominus, ſub viri ſpecie, cum eo, vt ſacra narrat hiſtoria, vſque mane luctatus eſt: *magna Dei miſericordia*, ait Chryſoſtomus, *in figura hominis luctari cum iuſto voluit*. Illudque mirabile contigit, vt vſque mane Iacob cum Deo luctari non ſolum potuerit; ſed etiam ita præualuerit, vt dimitti ſe ille ſit rogare coactus: *dimitte*, inquiens, *me aurora eſt*. Et quidem, vt ait Oſeas: *Inualuit Iacob ad Angelum, & confortatus eſt, fleuit, & rogauit eum*, inualuit nimirum prec ibus, ac fletibus, non viribus. Verùm de hac lacrymarum vi plura diximus ſupra.

Hier. in c. 38. Iſaia.
Amb. ſer. 11. de nat. Dom.
Lacrymæ Deũ cogunt.
Chryſoſt. hom. 58. in Gen.
Sup. c. 3. v. 11 docum. 2.

VERS. XIV.

Et credo, quòd ideò fecit vos venire ad me, vt iſta coniungeretur cognationi ſuæ, ſecundum legem Moyſi, & nunc noli dubium gerere quòd tibi eam tradam.

1 *Cur acquieuerit Raguel petitioni Tobiæ.*
2 *Cognatio quid hoc loco.*
3 *Lex Moyſis prohibẽs coniugium inter perſonas diuerſæ tribus exponitur.*
4 *Cur vitia filia aperuerit Raguel.*

1 A CQVIESCIT tandem Raguel petitioni Tobiæ, Saramq. filiam ei promittit in coniugem, talem diuinam eſſe voluntatem ex eo coniectans, quod eo tempore aduentaſſet ille Ecbatana, Saramq. coniugem habere quæſiniſſet, quando iam nullus de cognatione ſua, (vt ſuperius, diximus) ſibi ſupererat, cui iuxtà Moyſis legem eã coniungere poſſet. vnde

Et credo., Arabs: *Et puto*, hoc eſt firmiter coniicio propterea direxiſſe vos Deum ad me, Arabs.

2 *Vt iſta coniungeretur cognationi ſuæ*. Sumitur hic cognatio, non ſecundum quòd ſignificat plures cognationes, vel familias, conſtituentes vnam tribum: vt in lib. Numerorum, Num. 1. 26
Sed in ampliori ſignificatione, vt in eodem libro, ſecundum quod eos ſignificat, qui quodammodo communicant in aliqua conſanguinitatis habitudine, ideſt pro tribu. Ibid. 35. 36.

3 *Secundum legem Moyſi*. Qua, vt etiam in lib. Numerorum habetur, ne commiſce- Ibid. 36. 8.

rentur ſortes, ſed vnaquæq. tribus haberet hæreditatem, vel poſſeſſionem, quæ ſibi in prima terræ diuiſione obtigerat, præcipiebatur, vt quiſque Iſraëlitatum, qui matrimonio copulandus erat, cum perſonis tantũmodo ſuæ tribus, contraheret: ſic illa: *Omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipiant*: ſed plura de hac lege, ſupra.

Sup. c. 1. v. 9. n. 1.

4 *Et nunc noli dubium gerere, quod tibi eã tradam*. reddit rationẽ Sytus, *quia*, inquiens, *ex lege, tibi conuenit, do eam tibi inter mulieres, ſecundum legem faciens*. Noluit tamen Raguel, ne tacendo circumuenire petitionem Tobiæ videretur, vitia filiæ ſilentio præterire, ſed vt habent LXX. *Dixit Raguel ad Tobiam: Comede, & bibe, & iucunde eſto. tibi enim conuenit filiolam meam accipere, veruntamen indicabo tibi veritatem: dedi filiolam meam ſeptem viris, & ſimulatque ingrediebantur ad eam, moriebantur ſub noctem*. Siquidem apud eum vbique honeſtatis præponderabat conſideratio, quæ dolum excludit, & fraudem omnem eijcit.

LXX.

Quòd virum probum omnis dolus dedeceat, deque veritatis laudibus, & mendacij vituperatione.

DOCVMEMTVM.

A

SANE docet nos exemplo ſuo Raguel, non ſolum in contractibus, in quibus etiam vitia eorum, quæ venerunt, ita prodi iubentur, vt niſi ea intimauerit venditor, quamuis in ius emptoris transſcripſerit, doli actione non vacuentur; ſed etiam generaliter in omnibus dolum abeſſe debere, aperiendam ſimplicitatem, intimandam veritatem. Sic reprehendit Ambroſius Gabaonitas, quod, cùm audiuiſſent Hebræis fugientibus iter mare præbuiſſe, ſitientibus aquam è petra fluxiſſe, fameſcentibus cælum manna pluiſſe, & tandem belligerantibus muros Hiericunthinos cecidiſſe, Regem Getharum ſuperaſſe. tanto terrore correpti ſint, vt ad ipſorũ manus euadendas mendacium finxerint, nam licèt, vt teſtatur Abulenſis, nullum peccatum commiſerint in procurando liberari à morte, cum, ſicut Boetius ait, *prima, & maxima mortalium cura ſit vitam propriam tueri, vacetque culpa, quod à natura inſitum eſt*; tamen quia cum mendacio, & dolo eam liberationem procurarunt, leue ſaltem peccatum vituperatione dignum commiſiſſe, omnes ferè illius loci commentatores aſſerunt: cùm, neque pro vita ſeruanda, leui vti poſſimus mendacio, vt Auguſtinus aduerſus Priſcillianiſtas; quorum erat illud dictum; *Iura, periura, ſecretum prodere noli*, ſtatuit, ſic etiam Iuſtinus dicit, Chriſtianos mori malle, quam ſemel mentiri. Et Ambroſius. *os iuſti*, inquit, *neſcit mendacium*.

Amb li. 3. offic. c. 11.

Abul. in Ioſue q. 15.

Boet. de cõſol. li. 16 proſ. 4.

B

Aug. li. ad Cõſentiũ de mẽdacio, & contra mẽdaciũ.

Iuſtin. in apolog. 2.

Amb. li. 2. in Luc. circ. init. lib.

Subſcribunt huic veritati Theologi, qui non ſolum omne mendacium peccatũ eſſe docent; ſed etiam omnem ſiue noxiam, ſiue officioſam ſimulationem, & fraudem veritati contrariam; nam ſiue quocunque facto vel lædendi, vel iuuandi ſtudio quiſpiam mentiatur ſemper mendax eſt, & omne mendacium peccatum eſt, vtpote actus per ſe naturæ, & Dei ordinationi contrarius: naturæ quidem, quia homini verba data ſunt ad animi conceptiones aperiendas, & manifeſtandas, cuius rei contrarium fit in mendacio: vnde & ipſe ethnicus Philoſophus, omne docet mendacium eſſe per ſe prauum, & fugiendum, cùm non minus congruat homini mendacium, quam latrare, mugire, mordere, quod brutis tantum conuenit: ordini etiam Dei contrariatur; quia mendacia, etiam leuia, & per iocum dicta, aduerſantur legi Dei, qui dixit: *Mendacium fugiendum*. *Propter quod*, ait Beatus Paulus, *deponentes mendacium; loquimini veritatem vnuſquiſque in proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra*. Et alibi; *nolite*, inquit, *mentiri inuicem*, quæ non propter ſola grauia dixit mendacia; ſed propter quæcunque, ſiue grauia, ſiue leuia eſſent.

Theol. in 3. ſent. diſt. 37. & 38.

Mendacium omne, ſiue fraus, ſemper peccatũ eſt ſaltẽ veniale, vtpote naturæ, & ordinationi diuinæ cõtraria.

Ariſt. 4. Ethic. c. 7.

Exod. 23. 7.

Epheſ. 4. 25.

Coloſſ. 3. 9

C

Si itaque omni ſunt vituperatione digni, qui, quoquo modo mentientes, dolũ vel fraudem cõmittunt, etiam ad vitæ corporis ſuſtentationem, quid de illis dicendum putemus, qui bibentes ſicut aquam iniquitatem quotidie officioſis, iocoſis, vel etiam damnoſis, vtuntur mendacijs? Bene etiam, quod peius eſt, ſibi actum putantes, quando amicum, & fratrem ſuũ mendacio circumuenerint; quando in rebus ſuis vendendis cum Syracuſano illo hortorum venditore fucum fecerint; nam, ſicut ille, teſte Ambroſio, cum peregrinum hominem hortorum venalium cupidum, vt ad cœnam in hortos ſuos veniret rogauit, ad quã inuitatus, vt promiſerat, poſtridie dum veniſſet, offendit illic magnã piſcatorũ multitudinẽ, & exquiſitis copijs adornatũ conuiuiũ in proſpectu cœnantiũ hortulos mira arte cõpoſitos, piſcatoreſque vbi nunquam ante iacientes retia, & eorum vnuſquiſque deinde quod cœperat certatim offerre epulantibus, vnde ſupra menſam ita piſces augeri videbantur, vt oculos recumbentium reſilientes verberarent: mirari, cœpit hoſpes, dumque de tanta copia piſcium, tantoque numero cymbarum ab inuitatore ſuo quæritaſſet, aquationem illic eſſe, ille reſpondit, vbi dulcis aquæ gratia piſces innumerabiles aduentarent. *Quid multa? Pellexit hoſpitem, vt ſibi extorqueret hortos: vendere nolens, cogitur, pretium grauatim ſuſcipit*. ſequenti die ad hortos emptor cum amicis venit, nauigium nullum inuenit, & percunctanti num aliqua piſcatoribus ea eſſet die feriarũ ſolemnitas? reſpondetur nul-

Simulantes, & ficti vituperantur.

D

laſnce vnquam illic pręter exteruum diem piſeari ſolitos. Sic iſti res venales habentes, dolo malo tegunt, reique malitiam varijs fucis operiunt, vt emptores alliciant, & decipiant, haud conſiderare volentes, nihil eſſe defotmius, quam nullum habere amorem honeſtatis; ſed vſu quodam, & degeneris mercaturæ quæſtu ſollicitari, & ignobili, auaroque corde æſtuare.

Eccli. 20. 27.

Ephr. de virtut. & vitijs.

Homines ſanè, vt mendaces omnes, furibus ipſis abonuinabiliores: nam, teſte Sapiente: *Potior fur, quam aſſiduitas viri mendacis: perditionem autem ambo bæreditabunt.*

Hinc meritò Ephrem: *Qui*, ait, *delectatur mendacijs, hic in verbis ſuis omnem perdit auctoritatem, odibilis enim Deo pariter, & hominibus redditur, & quis hominem mendacem non deploret? hic enim in nullo opere probatur, & in quacunque reſponſione ſuſpectus eſt.* Ita qui res, diuitias, honores, & alia fraudibus, & mendacijs aucupatur, à conuictu humano meritò repellitur, infamis habetur, nec eſt qui illi fidem habeat, quem ſemel nouie eſſe mentitum; omnia enim ficta apud homines contemptui habentur, nec vllus amat decipi. Hinc, ſicut refert Theophraſtes, cùm quidam Chius ſenex Lacedæmonem perueniſſet, cumque ſenectutis ſuæ puderet, canos tinctura obliterate conatus eſt, dumq. progreſſus eſſet in publicum, & de rebus, quarum gratia venerat, verba feciſſet, ſurgens Archidamus dixit: nihil rectum illum dicere poſſe, qui fraudem non in anima ſolum, ſed in capite quoque circumferret. Ecce vel vmbra mendacij, quantum odibilis ſit homini, & ſuſpecta.

F

Mendaces Deo, & hominibus inuiſi.

Theophr.

Prou. 12. 22.

G

Pſ. 30. 6.

Io. 1. 14. 15 26.

Math. 18. 37.

Simplicitas laudatur.

Abominatio eſt etiam Domino, vt Sapiens ait, *labia mendacia*, quippe tam charam veritatem habet, vt Deus veritatis voluerit ab omnibus appellari; *Redemiſti me Domine*, inquie Dauid, *Deus veritatis*. Et de Chriſto Ioannes: *Vidimus*, inquit, *gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis.* Et de Spiritu Sancto, *Spiritus*, inquit, *veritatis, qui à patre procedit*. Filius etiam Dei, *ad hoc*, inquit, *natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.*

Aug. lib. 2. de conſenſ. Euãg. c. 30.

H

Imitanda itaque nobis eſt Raguelis ſimplicitas, & veritas; fraus omnis, & dolus ablegandus. ſic Dominus ſuos docere volens diſcipulos ſimplicitatem veritatis colendã, vnica illis præcepie, vt contenti eſſent tunica. Quare Auguſtinus: *Quod*, inquit, *non portari, vel haberi duas tunicas; ſed expreſſe indui prohibet dicens, & ne induerentur duabus tunicis, quid eos monet, niſi non dupplieiter, ſed ſimpliciter ambulare?* nam qui intus dolis, vel nequitia indutus eſt, foris verò bonitatis, veritatisque ſpecie amictus, duobus induitur tunicis; qui verò tam intus, quam foris veritate, ſinceritateq. veſtitus eſt, is vnicam tantum habet ſanctitatis tunicam, eamque ſplendidiſſimam, quæ fidelem animam cùm primis reddit commendabilem. Vnde in Canticis Dominus ſponſæ ſuæ pulchritudinẽ, non ab oculis glaucis, aut bouinis, vt Homerus & profani poëtæ faciunt; ſed potius ab oculis columbinis, celebratam voluit, dicens; *Oculi tui columbarum*, naturam, & ingenium columbæ potius reſpiciẽs, quam proprium eius oculorum colorem: nam columba (vt alias eius proprietates omittam) animal ſimplex eſt, ſincerum, purum, & candidum, idemq. fortè vulgo felle carere creditur, quod omni careat iracundia, ſeu amarulentia. Vnde Syri, ſeu Palæſtini eam tanquam ſanctum quid, & religioſum colebant, habebantque immunem, vt profanus ille poeta narrat, & inuiolabilẽ. Sic ille:

Cant. 1. 4. & 4. 1.

Columba simplicitatis ſymbolum.

I

Quid referam, vt volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæſtino ſancta columba Syro?

Sic & Chriſtus hanc columbinam ſimplicitatem Apoſtolos, & fideles ſuos imitari volens, ait: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*, ideſt puri, aperti, ſinceri. *Habeto*, ait Hieronymus, *ſimplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos, & ſerpentis aſtutiam, ne aliorum ſupplanteris inſidijs.* Qui enim dolosè, & cum fraude ambulant, non columbinum; ſed fraudolentum polipi ingenium ſapiunt, *ille enim*, vt Ambroſius ait, *vadoſo in littore petram nactus, ei affigitur, atque eius nebuloſo ingenio colorem ſubit, & ſimili ſpecie terga obductus, plurimos piſcium, ſine vlla ſuſpicione fraudis collapſos, dum notam non præcauent, & ſaxum opinantur, caſſibus fortuitæ artis includit, & ſinu quodam ſuæ carnis intercipit:* ſic huiuſmodi homines ingenium ſæpè ſuum commutant, & diuerſas nocendi artes mouent, vt qui eos audiunt, aut vident, eis incautè ſe credant, dum ſicut Pſaltes ait, veluti nouacula acuta, quæ ad hominis ornatum eſt diſpoſita, faciunt dolum, dum ſæpè non ornatum, ſed vulneratum hominem relinquunt. Hos itaq; caueamus homines Raguelem imitantes, qui aperit ſimplicitatem, intimat veritatem. M

Hier. epiſt. ad Paulinum de inſt. monac.

Ambr lib. 5. Hexam. c. 8.

Fraudolenti, & mendaces polipi ſimiles.

VERS. XV.

Et apprehendens dexteram filiæ ſuæ, dexteræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis.

VERS. XVI.

Et accepta charta, fecerunt ſcriptionem coniugij.

1 *Dextera traditione amorem firmum ſignificari.*
2 *Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, cur inuocatus à Raguele.*
3 *Trina Dei inuocatione trinitatem hic adumbrari perſonarum in diuinis.*
4 *Tabulæ matrimoniales ſignari ſolitæ.*

VERS.XV

Græcus.

ET apprehendens dexteram. Nec dum benè petitioni ſuæ ſatisfactum putans Tobias, vt habet Græcus: *Et quidem hic*, ait, *haud quicquam guſtauero, donec* petitione mea confirmata *huc ſtatueritis Saram, mihique eam collocaueritis. Cui Raguel: dehinc iam, vt par eſt, vxorem eam habeas; ſiquidem inter vos intercedit cognatio. Porrò miſericors ille Deus det vobis ſucceſſus proſperrimos. Vocauit ergo Saram filiam ſuam, quam, vt ad ſe venit, apprehenſa manu, vxorem Tobiæ dicauit, dicens: Hanc ecce ſecundum legem Moyſi habeas, & ad patrem tuum adducas: ſimul illi benè precatus eſt.* Sic amborum concurrente conſenſu, dexteram primum filiæ dexteræ Tobiæ tradidit, & quidem non ſolū in ſignum amoris, & beneuolentiæ ex more iam multis obſeruato, iuxta quod à Cedreno inducitur Alexander Magnus Iudæorum, τὸν ἀρχιερέα δεξιωσάμενος.

Eurip. Iphig. in Aul.

Ἄδελφε, δὸς δεξιᾶς σῆς θιγεῖν:

Frater da contingere tuam dexteram. Sed etiam ad pactum coniugij firmandum, fidemque & amicitiam promittendam. Sic Perſæ, vt ait Alexander ab Alexandro, & Aſſyrij accepta inuicem, dataque dextra fœdus matrimonij ineunt: apud Xenophontem item legitur Gobryam Aſſyrium manum dediſſe, & Hyſtas accepiſſe, vt filiam ſponderet. Et Ageſilaum Lacedæmoniorum, & Otym Paphlagonum reges, iunctis dextris, illum vt duceret, alterum, vt puellam daret, ſpopondiſſe. Hinc interpres Ariſtophanis ad ea verba in nubibus τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν, *dexteram manum porrige*, Sic ait: ἔθος ἦν ἐπὶ πίστει, καὶ τῶν ὁμολογιῶν βεβαίωσει, τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις. *moris erat in fide, pactiſque firmis dexteras mutuo dare.* Sic etiam habetur in ſacris literis: *Aegyptijs dedimus manum, & Aſſyrijs*, hoc eſt, iuxta nonnullos fœdus cum illis percuſſimus. Et in libris Regum Iehu interrogat Ionadab, an idem in ipſo ſentiat, & partiarius ipſius ſit, quod affirmanti, inquit, *Si eſt, da manum tuam, qui dedit ei manum ſuam.* Quare & duas manus iunctas, fidei habuit antiquitas hieroglyphicum, quod in pleriſque eius nummis obſerues, *inſcriptionibus etiam additis*, ait Pierius modò *fides exercituum*, modo *fides Romanorum*.

Alex. ab Alex. genial. dier. c.5.

Xenophon. rerum Græcarū lib. 4. init.

Interpres Ariſtophanis.

Thren. 5. 6

4. Reg. 10. 15.

Manus iunctæ fidei ſymbolum.

Pier. Hierogl. lib. 35. verbo fides.

Et quidem dextera potius, quàm ſiniſtra ad hæc ſignificanda vtebantur manu, quia, vt Philoſophus aduertit, eſt dextra ſiniſtra præſtantior, validior, efficacior, atque nobilior; quia dexteram partem dicit ille eſſe maſculam, ſiniſtram verò fœmellam; ſed hæc de dexteræ traditione ſatis. Dicit poſtea Raguel.

Ariſt. probl. li. 31. c. 12. 13. 19. 25. li. 32. c. 7.

2 *Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob.* Quia Abrahæ, Iſaac, & Iacob promiſerat Deus multiplicationem ſeminis, vt Azarias in fornace Babylonica poſitus teſtatus eſt, dicens: *Ne auferas, Domine, miſericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectū tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael Sanctum tuum, quibus locutus es pollicens, quòd multiplicares ſemen eorum ſicut ſtellas cæli.* Ideo in benedictione coniugali præcipuè horum trium patriarcharum Raguel meminit, dum à Deo felicem coniugij filiæ cum Tobia ſucceſſum, & cum fructu prolis impetrare voluit; ad Dei promiſſiones tribus his Patriarchis factas reſpiciens, quarum Deum nouerat, nec obliuiſci poſſe, nec fidei ſuæ deeſſe. Dan. 3. 35

3 Ter etiam nomen Dei Raguel ſponſis benedicendo repetit, nimirum in appellatione illorum trium patriarcharum, vt ea ratione adumbratè myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis indicaret; nam, ſicut Pererius ait, *vnum nomen Dei ter in tribus illis perſonis repetitum inſinuabat, Dei eſſentiam tribus perſonis diuinis communicatam: & Abraham quidem repræſentabat Deum patrem, quòd primus fuerit pater fidei appellatus, & filium ſuum vnigenitum paratus, & promptus fuerit immolare. Iſaac vero ligna geſtans humeris ſuis, quibus immolaretur, typum geſſit Chriſti, qui factus patri obediens vſque ad mortem crucis, ſuis ipſe crucem geſtauit humeris, in qua pro ſalute mundi eſt immolatus; Iacob porrò procedens ab Abraham per Iſaac, ſignificat Spiritum Sanctum ex Patre per Filium, & ex Filio procedentē.*

Perer. in c. 3. Exod. diſp. 8.

XVI.

4 *Et accepta charta fecerunt.* Tabulas nimirum conſcripſere matrimoniales, in quibus reciprocus notabatur coniugum conſenſus, & promiſſiones, quæ cauſa coniugij inter ſponſum, & ſponſæ parentem, tunc temporis fiebant, quas etiam ſigillo, teſtibuſque firmabant, vt hic habet Hebræus, quas quidem nuptiales tabulas hodie apud omnes ferè gentes, & ipſos etiam Turcas, eſſe vſitatiſſimas teſtatur Seratius. Vnde & Sancta Monica apud Auguſtinum vxores monebat, vt per tabulas matrimoniales ſe ancillas factas exiſtimarent.

Serar. inf. in comment. c. 10.

Quòd fœcunditas bonorum operum per imitationem Abrahæ, Iſaac, & Iacob obtineri valeat.

DOCVMENTVM I.

A

DOcet etiam Raguel, dum ad fœcunditatem impetrandam tres hos ſanctos Patriarchas memorat, facilè nos à Deo impe-

tra-

traturos, vt bonorum operum fœcunditate, & ſemine ſancto *impleat benedictionem ſuã in nobis*, ſi Abrahæ, Iſaac, & Iacob, quibus ſeminis eſt multiplicatio à Deo promiſſa, imitatione efficiamur filij. *Filij enim Abrahæ ſumus*, ait Auguſtinus, *dum eius imitamur fidem*. ſic inquam filij Iſaac ſumus, dum eius imitamur fortitudinem: neque enim, vt B. Paulus docet, *qui filij ſunt carnis, ſed qui filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine, nec omnes, qui ex Iſrael ſunt, Iſraelitæ ſunt, neque qui ſemen Abrahæ, omnes filij Abrahæ*; ſed qui opera faciunt Abrahæ. Vnde Chriſtus: *Si Abrahæ*, inquit, *filij eſtis, & opera Abrahæ facite*. Decet enim filios optimorum parentum imitatio, vnde eius filius quiſque in ſcriptura dicitur, qui eius vitam, & mores ſequitur, vt eleganter docet Origenes, dum ait: *Sicut homo generat hominem, ſic Iob generat Iob, & Noe generat Noe*.

Aug. li. 1. retract. c. 22.

Io. 8. 39.
Filii Sanctorum dicũtur, qui eorum vitam imitãtur.

B

Orig. hom. 4. in Exech.

Si itaque optamus à Deo bonorum operũ obtinere fœcunditatem, & diuina bonorum operum benedictione in ſemine Abrahæ repleri; has ſanè trium patriarcharum imitari debemus virtutes: nam ſine fidei firmitate, intentionis ſinceritate, & animi fortitudine, haud vllo vnquam bonorum operum fructu fœcundari poſſumus: etenim qui fide carent, dilectionem inimicorum dicunt puſillanimitatem, ieiunium ſtultitiam, pœnitentiam ſæuitiam, eleemoſynã imprudentiam, orationem temporis amiſſionem, ſacram communionem idolatriam, confeſſionem amentiam, peregrinationes leuitatem. Contra verò qui intellectum lumine fidei illuſtratum habent, hæc omnia ad ſalutem neceſſaria cognoſcunt, eaque laudant, & extollunt. Vnde licet infideles bonum aliquod opus morale efficere valeãt; nunquam tamen boni operis fructu fœcundari poterunt, vtpote Nauclero ſimiles, qui clauum licèt nauis optimè moderari ſciat, diligentiſſimè curare carbaſa, & prudentiſſimè ſæui maris deuitare tempeſtates, & Syrtes, quia tamen, nullo ſibi propoſito ſcopo, per vaſtum nauigat æquor, ad extremum, vt naufragium faciat, neceſſe habet, quando alius, qui certum ſuæ nauigationi præfixit ſcopum, licèt non adeo nauigandi arte peritus facilè ad illum appellit. Hinc Gloſſa in illud Beati Pauli: *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, omnis, inquit, vita infidelium peccatum eſt, ideſt omnis eorum actio mutila eſt, & vitioſa, etiam ſi fuerit de genere bonorum, quia defuit illis verus dux, ideſt fides, quæ omnes bonas actiones ad optatum finem, & ſcopum perducit. Debet tamen hæc fides, gratia, quæ meriti radix eſt, & fundamentum, formata eſſe, vt opus ab ea procedens ſit meritorium. nam: *Si tradidero*, ait Beatus Paulus, *corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*.

Fides imitanda Abrahæ.

C

Gloſ. ordinar. in locum B. Pauli.
Actiones infidelium omnes mutilæ.

D

1. Cor. 13. 3.

Imitanda etiam nobis eſt, ad fructum boni operis aſſequendum, Iſaac animi ſinceritas, & Iacob robur, & firmitas, recta ſcilicet in operando intentio, ex qua omnis etiã noſtri operis fructus dependet: nam qualem nobis in opere, de natura ſua non malo, finẽ propoſuerimus, talem omnino actionis fructum accipiemus; nempe ſi malum, malum, ſi bonum, bonum, ſi optimum, optimum. Et animi firmitas; neque enim ſufficit ad opus aliquod virtutis, illud cognoſcere, æſtimare, deſiderare, poſtulare, eius honeſtatem intendere, niſi etiam animus ad ſuperandas eas difficultates, quæ in virtutis exercitio occurrunt, robur, & fortitudinẽ induat cum res ſoleant præſtantes multis difficultatibus implicari. Sic omnium bonorum operum fructu replebimur, implebitque Deus benedictionem ſuam in nobis iuxta Raguelis deprecationem.

Intentio bona in opere neceſſaria.

E

Quòd futura ſit reſurrectio mortuorum.

DOCVMENTVM I.

CVM ex conſimili huic loco, qui habetur Exodi 3. contra Sadducæos, quinque tantum lib. Moyſis admittentes, Chriſtus Dominus apud Matthæũ corporum reſurrectionẽ manifeſtis rationibus probet: *De reſurrectione mortuorum*, inquiens, *non legiſtis, quod dictum eſt à Deo, dicente vobis: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium*. Eamdem nos hic verſiculus docere ſatis apparet. Et verè ſi nemo eius rei Dominus dicitur, quæ omnino perijt, quæque nullibi exiſtit; *Deus, qui Deus aliquorum dicitur*, vt Sanctus Thomas ait, *in colendo eum, nullo modo dici poteſt ipſorum Deus, qui omnino non viuunt*. Quare cum Deus, ſit Deus Abraham, Iſaac, & aliorum, & Deus viuorum, non mortuorum, etiam eos viuere dicendum eſt, quorum Deus dicitur. Quo ſanè argumentandi modo, licèt animas tantum viuere Chriſtus Dominus probauerit, adeò tamen efficaciter ipſos Sadducæos, corporum reſurrectionem ex eo negantes, quod animam crederẽt mortalem, conuicit, vt eis, teſte Matthæo, ſilentium impoſuerit. Etenim, cum anima noſtra non totus ſit homo, vt Plato ſenſit, ſed ipſius hominis pars præcipua, & quælibet pars, à toto ſeparata imperfecta ſit, ad corpus, vtpote alteram hominis partem, propenſionem quandam naturalem habere neceſſe habet. Quare nec perpetuò ab ea manere ſeiuncta po-

A

Matt. 22. 31. 32.

S. Thom. in Matth.

B
Animæ immortalitate carnis probatur reſurrectio.

Anima naturalẽ propenſionem habet ad corpus.

poteſt, cùm illud, quod naturæ aduerſatur, & eſt violentum, diuturnum eſſe non poſſit. ex quo etiam ſequitur, animam aliquando ſuo corpori iterum adiungendam eſſe. Hinc B. Paulus: *Si ad beſtias pugnaui Epheſi,*
1.Cor. 15. 32. *quid*, inquit. *mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?* videlicet, ſi Epheſi cum eſſem
C chriſtiana ab immaniſſimis ſuſtinui hominibus, contra quos me pugnare oportuit, eo modo, quo ad mortem damnati aduerſus beſtias pugnant, quid talia perpeſſum eſſe pro Chriſti fide mihi proderit, ſi mortui non reſurgunt? Quaſi dicat nihil, ſi mortui non reſurgunt, nec animæ ſunt immortales, & conſequenter nihil penitus eſt homo. Vnde nihil laborare pro virtute prodeſſet. Vt enim ex affirmatione immortalitatis animæ infertur affirmatio reſurrectionis, ita ex negatione immortalitatis animæ, negatio infertur reſurrectionis: & ex negatione reſurrectionis, negatio immortalitatis ani-
2. Machabaeor. 12. 44. mæ. Sic Iudas Machabæus, vt ſacra narrat hiſtoria, *niſi eos, qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis*, cùm reſurrectio
D ſit animorum immortalitati coniuncta: quare ſancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare.

Hæc reſurrectionis viua ſpes, *Omnium*,
Tertull. li. de reſurr. carn in princ. ſicut Tertullianus ait, *eſt Chriſtianorum fiducia*. Hæc pios omnes ad omnem virtutis laborem adeò exſuſcitat, tantumque illis in omni calamitate conſolationis, & patientiæ tribuit, vt nulla oratione poſſit explicari. Cuius rei ſingulare S. Iob nobis præbuit exemplum, qui hac reſurrectionis ſpe adeò corroboratus fuit in grauiſſimis ſuis doloribus, vt nec in minimo peccaue-
Iob 19. 25. rit verbo: *Scio*, inquiens, *quod redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum*
E *Saluatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.*
Chryſoſt in Matth.c.22. Hinc Chryſoſtomus: *In omni*, inquit, *re, aut actu virtutis agendæ, ſpes eſt futuri, qui enim arat, arat vt metat, qui pugnat, pugnat vt vincat*. Et poſt pauca: *Tolle ergo ſpem reſurrectionis, & reſoluta eſt obſeruantia omnis pietatis*. Non itaque nos exigui temporis labor terreat, qui in reſurrectione
Sup.c.1.v.22 & c.2.v.13. dec. 1. æterna debet mercede penſari; vide quæ de hac materia ſupra narrauimus.

VERS. XVII.

Et poſt hæc epulati ſunt, benedicentes Deum.

1 *Iudæi, quibus ritibus menſas ante cibum benedicerent.*

2 *Hebræorum, & primitiuæ Eccleſiæ Chriſtianorum religio in eiuſdem benedictione.*

ET poſt hæc. Facta nimirum coniugij conſcriptione, videns Tobias petitioni ſuæ iam optimè à Raguele factum ſuiſſe
Sup. v.9. & 10. ſatis, ad conuiuium hoſpitale, quod (ſicut ſupra diximus) ex ariete paratum fuerat, vnà cum reliquis acceſſit. De nuptiali conuiuio dicemus Infra.
infra cap.9.

1 *Benedicentes Deum*. Hoc eſt, gratias agentes Deo, cui tanti matrimonij concluſionem acceptam referebant, vel gratias agentes Deo ante epulas, & poſt illas, vt moris erat apud Iudeos, qui ſicut fuſius memorat Stuckius, ante epulas Domino ſem-
Stuck. antiq. conuiual. l.2. c.37. per benedicere conſueuerant, & quidem varijs precationibus, & cæremonijs, nam vt ex quodam Iudæorum libello, qui סדור הברכות והעבריות Siddurhaberach, ideſt, *tractatus, ſiue ordo benedictionis, & canticorum*, inſcribitur, apparet, pater, ſiue dominus familiæ, ſimul ac menſæ cum omnibus ſuis conuiuis, ſiue domeſticis accumbebat, admonitionem ad preces præmittẽdo, cibos appoſitos benedicebat: moxque vna cum reliquis ordiebatur pſalmum, vel rythmum præſcriptum canere; benedicebat deinde poculum vino repletum, dextra illud apprehendens manu, primusque omnium ex eo deguſtando, omnibus mox menſæ accumbentibus porrigebat. Panem demum, quem integra maſſa conſtare oportebat, vtraque manu illum tenendo, de quo etiam primus omnium ſumebat, reliquis deinde miniſtrabat: & hæc quidem in diebus feſtis: nam reliquo tempore panem ſolummodo benedicebant.

2 Et ſanè veteribus Hebræis in vſu fuiſſe non prius epulas deguſtare, quam ſacerdos, aut ſenior aliquis cibos precibus ſuis benedixiſſet, argumento eſt illud libri Reg. vbi
1. Reg. 9. 13. Sauli interroganti de Samuele, reſponſum eſt: *Cum veneritis in ciuitatem, illicò inuenietis eum, priuſquam aſcẽdat ad excelſum, vbi comedet, neque enim populus comedet, donec ille veniat: nam ipſe benedicit hoſtiæ, poſtea comedunt inuitati*: & Ioſephus de Eſſeis,
Ioſeph. de bell. Iud. c.7. ſiue Eſſenis, inter Hebræos ſolitariam vitã degentibus, ſcribens, *nihil eis*, inquit, *guſtare fas eſt, niſi prius Deo celebretur ora-*
Marci 8. *tio*. Sic Chriſtum in Euangelio crebro legimus ante cibi ſumptionem preces ad Deũ
Matth.4. fudiſſe, quod vocibus εὐλογεῖν, & εὐχαριστεῖν, in Euangelio exprimitur apud Marcum Chriſtus, εὐχαριστήσας, & εὐλογήσας, fregit panes, & piſciculos, populoque diſtribuit, & apud Matthæum, acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐλόγησεν, hoc eſt, ſublatis in-

Theophylact. in Matth.

cælum oculis benedixit, vbi Theophylactus: *Conſecrat, ſiue benedicit panes forſan.* & quæ ſequuntur, *vt nos doceret, vt menſam attingentes gratias prius agamus, ac deinceps cibum capiamus.* & alibi: *in cælum*, inquit, *ſuſpicit, vt nos doceat cibum à Deo petere, & non à diabolo, id quod faciunt illi, qui iniuſtis aluntur operibus.*

Tertull. in apolog. c. 39.

Quod Chriſti exemplũ ideo imitati ſunt Chriſtiani, etiam in ipſa primitiua Eccleſia, vt Tertulliano teſte, non niſi facta oratione ſemper auſpicarentur, & clanderent cibum.

Quòd ante epulas menſæ benedictio, & inuocatio Dei præmittenda ſit.

DOCVMENTVM.

A

DOCET nos verſiculus, ante, & poſt cibum Deo agendas eſſe gratias, à quo cibus, fercula que omnia accipimus, & deinceps accepturos ſperamus. Ea benedictione tacitè

Ethnici ad menſam religioſe accedebant.

Plutarch. in Sympoſiaci.

oſtendentes ad Dei honorem velle ijs vti, Deoq. offerre, ne ab ipſis etiam gentilibus ſuperemur, qui, vt Plutarchus teſtatur, cibum ſumpturi Dijs ſacrabant, τὰς ἀπαρχὰς, id eſt primitias, ac deinde non indecorè, neque tumultuanter; ſed religione quadam ad cõuiuium accedebant Et certè ſi conuiuii Domino, & quidem meritò, gratias agimus, quod nobis cibum, potumq. præbuerit, quanto magis Domino Dominorum munificentiſſimo gratias agere, & habere debemus, cuius imméſa, & infinita bonitate ſuſtentamur

Pſal. 144. 16.

& paſcimur? *Qui aperit manum ſuam*, vt Dauid loquitur, *& implet omne animal benedictione*? Abſurdum valde exiſtimamus, ſi, cum famuli noſtri partem aliquam eorũ, quæ nobis appoſita ſunt, acceperint, nobis gratias nou aguut, benèq. nobis non precau-

B

tes abeant; nec abſurdum cenſebimus tot, tantisq. nos à Deo cumulari beneficijs, & ne hoc quidẽ honoris Deo in menſa tribuere? Naucroticæ olim Aegypti incolæ, teſte

Athenæus lib. 4.

Athenæo, ante menſam conſueuerant, etiam poſt diſcubitum, rurſum ſurgere, atque ingenua procidentes, præeunte precone, ſeu ſacrorum adminiſtro, patrias quaſdam preces cernui profundere. Calecutienſium rex, teſte

Ludouicus Romanus.

Ludouico Romano, cibum ſumpturus, prius nõ diſcumbit, quàm ſacerdotes quaterni idolo eſculẽta, quibus veſci debet, offerãt. Quin

Turcarum nos benedicẽdi menſam ante cibum.

& Turcas ipſos, ferunt, non prius cibum ſumere, quàm precationes præmittant: & nos Chriſtiani in vera religione conſtituti, verũ Deum ante menſam non inuocabimus, & quã maximas non agemus gratias pro acceptis beneficijs? Si non facimus, certè non modò infidelibus, ſed brutis ipſis deteriores quodammodo ſumus, quæ vel poſt ſumptum cibum, caput extollere cernuntur, quaſi Deo

C

gratias agentia pro accepto cibo. Solẽt Germani, vt notat Gretſerus, ſi fortè cibum ſumentibus ſuperueniant, dicere: *Deus benedicat vobis.* Reſpondent epulis accumbentes: *Deo gratias.* qui certè mos laudatiſſimus eſt, & retinendus.

Gretſer. li. 1. de benedict. c. 13.

Verùm quam inuiſa Deo ſit, omiſſio hæc gratiarum actionis ante cibum, docet Greg. memorabili cuiuſdam monialis exẽplo, quæ hortulum ingreſſa, dum lactucam comediſſet, oblita ſigno crucis illam benedicere, à diabolo protinus eſt arrepta.

Greg li. 1. dialog. c. 4.

Et in vita S. Dominici narrat Iacobus de Voragine quẽdam religioſum cum vino ſumpſiſſe dæmonium, quòd vinum, non præmiſſa benedictione bibiſſet, qui tamen poſtea B. Patris precibus eſt liberatus.

Iacob. de Vorag.

Et Ioannes Nider puellam refert Colonienſem, quæ cum irata, & coacta importunitate materteræ cibum ſumeret, benedictionem omittens, primo morſello dæmonem in muſcæ effigiem deglutiſſe. Sanè, vt Prudentius cecinit:

Io. Nider li. 5 form. 1. 11.

D

Prudentius in hymno ante cibum.

Te ſine dulce nihil Domine,
Nec iuuat ore quid appetere
Pocula ni prius, atque cibos
Chriſte tuus fauor imbuerit,
Omnia ſanctificante fide

& paulo inferius; curandum nobis eſſe ait: vt

Fercula noſtra Deum ſapiant,
Chriſtus & influat in patinas
Seria, ludicra, verba, iocos,
Denique quod ſumus, atque agimus,
Trina ſemper regat pietas.

His igitur, & ſimilibus orationibus vti debemus, vt conuiuium Deo, cui acceptum referimus, offeramus.

VERS. XVIII.

Vocauitq. Raguel ad ſe Annam vxorem ſuam, & præcepit ei, vt pararet alterum cubiculum.

VERS. XIX.

Et introduxit illuc Saram filiam ſuam, & lacrymata eſt.

VERS. XX.

Dixitque ei: forti animo eſto filia mea. Dominus cæli det tibi gaudium pro tædio, quod perpeſſa es.

1 *Quid ſit forti animo eſſe.*
2 *Quæ addat Græcus.*

CVbiculum. ſeu Thalamum nuptialem in ſecretiore parte domus parari ſolitũ, & vt addit Arabs: *Cum ſtrato alio*, quo pa-

rato,& in illo filia cum Tobia inductis, flens ait filiæ Anna.

VERS. XX. *Forti animo eſto*. Hoc eſt, vt interpretatur Arabs. Arabs: Corrobora cor tuum,& diuinæ miſerationis ſpe, quæ patientem ſuorum tolerantiam in gaudium conuertere ſolet, cõſolare. Ita Syrus. Syrus: *Confide filia mea, faciat tibi Dominus cæli, et terra miſericordiam in nocte iſta, & det tibi lætitiam pro triſtitia, quæ facta eſt tibi ante*. Sic etiã Valablus Vatablus. ex Græco his verbis: *Rurſum Raguel, vocata Edna vxore ſua, para ſoror, inquit, alterũ cubiculum, & hanc introducas, quæ cum feciſſet, vt ille iuſſerat, et introduxiſſet eam illuc lacrymantem, lacrymas filiæ ſolata eſt, et dicit: Bono animo eſto filia, dominus cæli, et terræ hanc tuam triſtitiam in gaudium conuertet, quamobrem ſecura ſis, ò filia*.

Quòd ſpe æternarum, temporaliumque conſolationum, Deus ſuorum mœroribus medeatur.

DOCVMENTVM.

A SOLET enim piiſſimus Deus, vt Anna loquitur, temporaliter pro virtute mœrentes, ſpe diuinæ ſuæ miſericordiæ, & cœleſtium conſolationum lætificare. Vnde Christus Dominus receſſurus ex hoc mundo ad patrem, futura quæ perpeſſuri erant mala, poſtquã diſcipulis ſuis prædixiſſet, hac diuini ſolatij ſpe eos

Io.16.20. lætificans, ait: *Mundus autem gaudebit, vos verò contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*. Etenim, vt B. Paulus ait,

2.Cor.4.17. *momentaneum, & leue tribulationis noſtræ in ſublimitate æternum gloriæ põdus operatur in nobis*: Vbi, ſicut Dauid loquitur, *adimple*

Pſ.20.7. *bit nos Dominus in gaudio cum vultu ſuo*. Et ſanè ſi regina Saba, aulam Salomonis ingreſſa, magnificentiamque eius, & ſeruo-

B rum multitudinem,& ordinem intuita, adeò

2.Paralip.9.7. læta facta eſt, vt exclamarit: *Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui aſſiſtunt omni tempore coram te, & audiunt ſapientiam tuam*; qualem putamus lætitiã eos habituros, qui

Beatorũ gaudia captũ humanũ ſuperant. Deum ipſum omne in ſe habentem bonum, ſoloq. aſpectu in bonis replentem deſideriũ ſuorum, conſpiciunt? Tunc, vt in Apocalypſi legitur, *abſterget Deus omnem lacrymam*

Apoc.7.17 *ab oculis Sanctorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt: ſed gaudium*, vt

Iſai.35.10 Iſaias ait, *obtinebunt*. & quidem tale, vt in eius cõparatione, cætera omnia, quæ à principio mundi ad finem vſque mortales habuere, vel habebunt gaudia, nihil omnino ſint: nam, vt ipſemet Philoſophus ait: *Omne, quod*

Ariſtot. *eſt per eſſentiam maius eſt, & perfectius omni eo, quod eſt per participationem*. Et

C alibi: *Quicquid*, ait, *eſt cauſa aliorum, vt ſint talia, illud eſt maximè tale*. Eſt enim Deus gaudium per eſſentiam, & cæterorum omnium cauſa gaudiorum. *At quæ lingua*, vt Gregorius ait, *dicere, vel quis* Greg.hom.37 in Euang.

intellectus capere ſufficit illa ſupernæ ciuitatis quanta ſint gaudia. Angelorum choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ conditoris aſſiſtere, præſentem Dei vultum cernere? nulla ſanè, quia, ſicut Philoſophus ait: *Finiti ad infinitum*, Ariſt.

qualis eſt obiectiuè, vt aiunt, beatorum gloria, *nulla eſt proportio*. illud tantum dicere cum Beato Paulo poſſumus: *Oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe*.

Verùm nequaquam ſolitudo nobis eſt Deus in hac vita, nec terra, quæ ſerò fructum producat, ſicut ipſemet per Ieremiã teſtatur, dicẽs: *Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraeli* Ierem.2.31.

aſperos tantum, & inſuaues fructus generans, *vel terra ſerotina caliginoſa, aut tene-* D

broſa? vt legit Hebræus, quæ vapore cæli, aut libero ſoli non expoſita, infœcunda, ſentes tantùm, vrticaſq. producit; ſed in hoc etiam ſeculo paſſiones ſuas ſuperantes, farinaque carentes Aegypti, mundanarum nimirum conſolationum, manna paſcit abſcondito. Sic *Vincenti*, ait ille in Apocalypſi, *da-* Tẽporaneis, & cõſolationibus afficit Deus ſuos. Apoc.2.17

bo manna abſconditum, gaudia ſcilicet non externa mundi; ſed abſcondita, & in animo inuiſibili fundata, & quidem tam abundè, vt dicat Sapiens, *Iucunditatem, & exultatio-* Eccli.15.6

nem theſaurizabit ſuper eum, quo theſaurizandi verbo, maximam, & continuam iuſtorum lætitiam non obſcure indicat: nam ſicut ille, qui theſaurizat, auro aurum, & nummis nummos accumulare non ceſſat; ita ſuper iuſtos Dominus tantam iucunditatẽ, E

& exultationem theſaurizat, vt ſemper lætitiam lætitiæ addere videatur. Vnde Da- Vide ſup.c.1. v.15.

uid. *Quam magna*, inquit, *multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te*. Pſ.30.20.

Hanc ne videamus iuſtorum lætitiam curat diabolus, vt nos à via Dei auertat, ſed ea ſolum, quæ prima fronte aſperitatem quandam in virtute præſeferunt: quod fraudolenti oratores faciunt, dum ob oculos ſolummodo ponunt, & amplificant, quæ profutura in cauſa ſua cognoſcunt, nocitura omnia, quamuis veriſſima, ne attingentes quidem. Cuius rei, vt obſeruat L. Granatenſis, pulcherrimum extat in libris Numerorum exemplum in Balaam ariolo, qui à Balac Moabitarum Rege è Meſopotamia euocatus, vt Iſraelitico populo malediceret, in montis verticem conſcendens, cum fuſum in vallibus Iſraelem conſpexiſſet, adeò nihil illi mali imprecatus eſt, vt benedictionibus quoq; illum proſequeretur, di-

Diaboli aſtus, vt nos à virtute auertat.

L. Granat. Dom. 4. poſt Pent. conc.1. n.3.

F

cens:

cẽs: *quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſraël*. Quam rem cum moleſte admodum rex Moabitarum tuliſſet (quod qui ad male precandum hoſtibus ſuis vocatus eſſet, illis è contrario benè precaretur) ad alium locum euocauit, vnde non vniuerſum populum; ſed partem ſolum eius videret, vt ſanè experiretur, num vel ſic partem tantummodo populi conſpicatus, ei toti malediceret: ad quem modum aſtutiſſimus totius generis humani hoſtis, vt noſtrum de

G rebus iudicium pro cauſæ ſuæ ratione inuertatur, nunquam totam rei faciem proponit ſpectandam; ſed eam tantum oculis noſtris objicit partem, quæ nos fallere poteſt, dum è contra ea omnia, quæ cupiditatibus ac ſenſibus noſtris aliqua voluptatis ſpecie blandiri videntur, noſtris ſubijciat oculis, amariſſimos celans fructus, quos producunt. Sic carnes, cucumeres, & pepones Aegypti Iſraëlitico populo contemplandas propoſuit: dum in deſerto cæleſti manna paſti eſſent à

In virtutib. non labores tantum conſiderā li, ſed etiam conſolationes.

Num.11.4 Deo. Vnde dicebant: *quis dabit nobis ad veſcendum carnes? recordamur piſcium, quos comedebamus in Aegypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones. porriq. & cepe, & allia*. Nec recordabantur miſeri duræ ſeruitutis, odij Aegyptiorum, qui operibus duris luti, & lateris ad amaritudinē perducebunt animas eorum: duri Pharaonis imperij, interitus filiorum, quos à complexibus, & vberibus maternis auulſos, miſerabili, & inaudita neceſſitate in flumen proijcere cogebantur. Horum nihil dæmonis arte eis occurrebat; ſed ea tantum, quæ ad murmurandum contra Dominum, & ſeruum eius Moyſem prouocare eos poterant, nam hæc hoſtis noſtri ars affigit oculis mentis quicquid in virtute difficile apparet, & iniucundum; diuini verò ſpiritus auxilia, & ſolatia contegit; aureā calicis Babyloniæ faciem, & ſplendorem oſtendit: amariſſimum autem, quod iu eo latet, venenum ab oculis ſubtrahit. H

I Si igitur; dum equum, domum, aut quoduis aliud empturi ſumus, omnes eius exploramus partes, antequā emamus, pudeat nos non idem in virtutum, & vitiorum cauſa facere, ne fraude decipiamur dæmonis, vt verum ſeligere noſcamus gaudium, & reprobare malum; forti animo ferre tædium virtutis, vt eiuſdem gaudium à Domino cæli ſuſcipere mereamur.

SYNOPSIS CAPITIS VIII.

Tobias thalamum ingreſſus partem iecoris piſcis aſſat, & dæmonio à Raphaele ligato, Tobias, & Sara ſimul orantes noctem tranſigunt incolumes: quapropter repleto, quod paratum erat, ſepulchro; actisque Deo gratijs, à Saræ parentibus, lætum apparatur conuiuium: & pro dote medietas bonorum aſſignatur, cedente & reliqua medietate poſt parentum obitum.

CAPVT OCTAVVM.

1 POSTQVAM verò cœnauerũt, introduxerunt
iuuenem.
2 Recordatus itaque Tobias ſermonum Angeli, protulit de caſſidili ſuo partem iecoris, poſuitque eam ſuper carbones viuos.
3 Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Aegypti.
4 Tunc hortatus eſt virginem Tobias, dixitque ei: Sara exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & ſecundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur, tertia autem tranſacta nocte, in noſtro erimus coniugio.
5 Filij quippe Sanctorum ſumus, & non poſſumus ita coniungi, ſicut gentes, quæ ignorant Deum.
6 Surgentes autem pariter, inſtanter orabant ambo ſimul, vt ſanitas daretur eis.
7 Dixitque Tobias. Domine Deus patrum noſtrorum, benedicant te cæli, & terræ, mareque, & fontes, & flu-

mina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis ſunt.

8 Tu feciſti Adam de limo terræ, dediſtique ei adiutorium Heuam.

9 Et nunc Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem; ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſecula ſeculorum.

10 Dixit quoque Sara: Miſerere nobis, Domine, miſerere nobis, & conſeneſcamus ambo pariter ſani.

11 Et factum eſt circa pullorum cantum accerſiri iuſſit Raguel ſeruos ſuos, & abierunt cum eo pariter, vt foderent ſepulchrum.

12 Dicebant enim ne fortè ſimili modo euenerit ei: quo & cæteris illis ſeptem viris, qui ſunt ingreſſi ad eam.

13 Cumque paraſſent foſſam, reuerſus Raguel ad vxorem ſuam dixit ei.

14 Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat ſi mortuus eſt, vt ſepeliam eum, antequam illuceſcat dies.

15 At illa miſit vnam ex ancillis ſuis, quæ ingreſſa cubiculum reperit eos ſanos, & incolumes ſecum pariter dormientes.

16 Et reuerſa nunciauit bonum nuncium, & benedixerunt Dominum, Raguel ſcilicet, & vxor eius.

17 Et dixerunt: Benedicimus te Domine Deus Iſrael, quia non contigit, quemadmodum putabamus.

18 Feciſti enim nobiſcum miſericordiam tuam, & excluſiſti à nobis inimicum perſequentem nos.

19 Miſertus es autem duobus vnicis. Fac eos Domine, plenius benedicere te, & ſacrificium tibi laudis tuæ, & ſuæ ſanitatis offerre, vt cognoſcat vniuerſitas gentium, quia tu es Deus ſolus in vniuerſa terra.

20 Statimque præcepit ſeruis ſuis Raguel, vt replerent foſſam, quam fecerant, priuſquam eluceſceret.

21 Vxori autem ſuæ dixit, vt inſtrueret conuiuium, & præpararet omnia, quæ in cibos eſſent iter agentibus neceſſaria.

22 Duas quoque pingues vaccas, & quatuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis ſuis, cunctiſque amicis.

23 Et adiurauit Raguel Tobiam, vt duas hebdomadas moraretur apud ſe.

24 De omnibus autem, quæ poſſidebat Raguel dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit ſcripturam, vt pars dimidia, quæ ſupererat, poſt obitum eorum Tobiæ dominio deueniret.

VERS. I.

Poſtquam verò cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam.

VERS. II.

Recordatus itaq; Tobias ſermonum Angeli, protulit de caſſidili ſuo partem iecoris, poſuitque eam ſuper carbones viuos,

VERS. III.

Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Aegypti,

1 *Caſſidilis quid.*
2 *Aſmodæus quomodo à Raphaele apprehenſus, & religatus.*
3 *Quomodo religatus in ſuperioribus Aegypti partibus.*
4 *Quamdiu in illis religatus permanſerit.*

P*OST QVAM.* Introductus poſt cœnam Tobias ad Saram in nuptialem thalamum, VERS. I.

Recordatus Verbi Raphaëlis, qui, vt ſupra vidimus, ei præceperat, vt ingreſſus thalamum per tres dies orationi vacans à coniuge Sara ſe contineret, primaque coniugij nocte, iecoris, & cordis piſcis partem ſuper carbones ſuffumigare faceret. VERS. II.

1. *Protulit de caſſidili ſuo,* quod, ſi Budæo credimus, bulga, vel penicula fuit ad modum retis facta, ſic dicta, vt Lyrano, & Carthuſiano placet, à caſi, ideſt rete, qua piſcatores, & aucupes vti ſolent, ſeu, vt placet Hugoni, à caſſide, vel caſſida, qua vtuntur milites ad capitis munimentum: Arabs: *de crumena ſua.* *Bud. lib. de Aſſe.* *Lyran. Carthuſ. Hugo hic* *Arabs.*

Partem iecoris. Et, vt hic apud LXX. & ſuperius dictum eſt, *partem etiam cordis,* licèt de iecore tantum, & hic, & illic Hæbræus meminerit, quod de piſce ſeruauerat. *LXX.* *Sup. c. 6.* *Hebræus.*

Eamq. ſuper carbones viuos. Ideſt candentes poſuit.

Tunc.

VERS.III.

Vatablus.

Tunc. Ideſt ſtatim ac dęmonium odoratum eſt odorem illum: Vatablus ex Græco; *Cuius odore percepto cacodæmon, aufugit in vltimam,* vel ſupremam, *Aegyptum, vbi Angelus eum conſtrinxit vinculis.* Poſtquam nimirum talis ſuffumigij virtute eo modo, quo ſupra explicatum eſt, dæmonium à Sara fugatum fuit, eoq. egrediente, vt Hebræus textus indicat, thalami oſtium ad certam fortè egreſſionis ſuæ notam edendam, patuiſſet.

Sap.c.6.v.8.

2 *Raphael Angelus apprehendit eum.* Et quidem virtute ſua, quemadmodum in Apocalypſi Angelum habentem clauē abyſſi legimus apprehendiſſe draconem ſerpentem antiquum, & ne amplius Saræ, ipſiusq. ſponſo, & parētibus moleſtus eſſet, imperio item, & virtute ſua.

Apoc. 20. 1.

Religauit illud, Dominantur enim, vt S. Thomas docet, Angeli boni etiam infimi ordinis, omnibus dæmonibus, quia cum totius ordo prælationis primo, & originaliter ſit in Deo, & participetur à creaturis, ſecundū quod magis Deo propinquant; boni Angeli, qui perfectæ charitatis, & gloriæ vinculis Deo adſtricti ſunt, malis, qui per culpam, à Deo defecerunt, in omnibus præeſſe neceſſe eſt. Quare vbi dæmones ex propria malitia alicui nocere volunt, poſſunt boni Angeli, eos prout voluerint, cohibere, quod ſi non faciunt, ordinationi diuinæ, non ipſorum impotentiæ tribuendum eſt.

S.Tho. 1.par. q.109.ar 4.

Angeli boni, licet infimi ordinis, pręſunt dæmonibus.

Religauit illud. Angelus, non quidem manibus, neque enim id in aſcititio corpore fieri poterit, ſed ſicut diximus, imperio, ac virtute ſua ſuperiore. Cæterum ſpiritualiter ligantur dæmones, tum quando non ſinuntur agere, quod illi vellent, tum quādo cuipiam adſtringuntur loco, vt illinc ſe ſe commoueri nō poſſint, quibus vtriſque modis alligatus eſt Aſmodæus à Raphaële, dum illum ab infeſtatione Saræ cohibuit, & certam ei ſolitudinis partem deſignauit.

Superior Aegyptus, quæ, & vbi.

3 *In deſerto ſuperioris Aegypti.* In ea ſcilicet Aegypti deſerta parte, è qua Nilus delabitur, ſuperioris Aegypti dicta, quia in ea Aegypti parte ſituatur, quæ auſtralior eſt, ac montibus magis abundans, de qua Ptolomæus; *Quæ*, inquit, *in ſeptem nomis, ſeu prouincijs auſtraliora ſunt, ea vocantur Thebais, & loca ſupera.* Et hæc pars illa eſt, quæ, teſte Ortellio Thebais olim dicebatur, & hodie à Ioanne Leone dicitur *Sabid*, vel, *Sabit*, vt mauult Aithoous, cuius deſerta loca, quàm vaſta, & horrida eſſent, oſtendunt Ptolomęus, & Diodorus, & Herodotus, qui τάνω. ait τῆς Αἰγύπτου οὐχ ὕεται, *ſuperiora Aegypti non compluunt*, adeò vt τέρας, portentumue cenſeri ſcribat, ſi vel ſemel Thebis pluat. Huiuſmodi videtur Dominus indicare voluiſſe loco, cum eiectū dæmonem ambulare dixit per loca arida, & inaquoſa, & ad quæ etiam noſtri hoc tempore, ſacri exorciſtæ dæmones, quibus egreſſum imperant. vel ad ima inferorum barathri loca relegant, vt ab hominum cœtu abſint quam longiſſimè, minoremque illis perniciem afferant: nam, *quemadmodum Leones,* ait Serarius, *pardos, tygrides, aliaſq. id genus feras procul à nobis in ſaltus, & ſpeluncas amandauit Deus; ſic & dæmonum multitudinem maximam ſalutis noſtræ cauſa in arenas, & damnata quædam loca eiecit:*

Ptolom.lib.4. Geograph.

Ortell. in ſuo Theſ. Geogr. Io.Leo. Aithon.c.54. Ptol. vbi ſup. Diod.li.2.c.1 & 4.

Thebis pars Aegypti ſuperior, vbi nunquā pluit

Loca ſolitaria dæmonibus cōgrua. *Matt. 12. 43.*

Exorciſtæ cur dęmones in locis deſertis religent. *Serar. hic.*

4 Quandiu verò Aſmodæum Aegyptiaco carcere incluſum Raphaël permanere voluerit, textuum nullus effatur; ſed vt idem Serarius ait, *non omnino forte malus conijector eſſet, qui quoad vitam Sara, & Tobias egerunt, illic attentum, & obligatum opinetur: ad eos enim nullo vnquam modo pertentare ipſum decebat, à quibus tantus eum Angelus, tot præceptis, tam inſigni fuga, poſt tot, tantaſq. cædes deiecißet.* Sed quia, vt S. Athanaſius, Palladius, & Caſſianus referunt, cùm primum deſerta hæc Aegyptiaca ab Antonio, Macario, alijsque ſanctiſſimis Eremitis, deinde culta fuere, ex eis tanta dæmonum multitudo fugata eſt, vt conquererentur illi, quod in ſua homines iſti loca inuaderent, in eaque Chriſti Ieſu crucem, & cultum inferrent, fieri etiam potuit, (quod nec eidem diſplicet Serario) ibidem tandiu detentum Aſmodæum; quamdiu ad remotiora fortè loca ab illis ſanctiſſimis viris fuerit inde expulſus. *Alioquin,* inquiens, *à Tobiæ tempore, ad Sancti Antonij, aliorumque præſtantium Anachoretarum ſecula ſunt anni præter propter mille, quibus vinctum ſemper fuiſſe ſi quis diceret, quid vetaret? An quod eo millenario tempore turpiſſimis, impuriſſimiſque libidinibus orbis ferè totus contaminatus fuerit? ſuſpicetur enim fortè quiſpiam, ſi harum princeps vinctus ſit omnes etiam illas ſimul vinctas teneri oportuiſſe. At non ita eſt. Quemadmodum enim iam in Abyſſo Satanas, & Archidæmon ab Angelo, vt ex Apocalypſi paulo ante audiuimus, clauſus tenetur, ſuos tamen veluti emiſſarios canes, vbique habet; ita & libidinum rex etiam ſi Aegyptiacis montibus coerceatur, ſuos tamen, qui interea non ferientur, varias in partes, & loca inquinatiſſimos ganeones, yngas, & cupidines emittit, quemadmodum, & de ebrijs, & laſciuis dæmonibus Andium proficiſcentibus, narrat in Ironibus Philoſtratus.* At de incerta re hæc dicta ſufficiant.

Serar. hic. q. 10.

Athanaſ. in vit.S. Ant. Pallad.c.20. Caſſ.coll.7. c. 23.

Dæmones à deſertis Aegypti excluſi, vbi SS. PP illa incoluerunt.

Quòd Aſmodæus impuræ libidinis dæmonium oratione, fugaque occaſionum maxime vincatur.

DOCVMENTVM.

DOcet nos hæc Aſmodæi à Sara expulſio, & nos ſpiritualiter Aſmodæum A

impurarum libidinum dæmonium repellere poſſe, dum ardentibus ſuis concupiſcentiæ facibus cor noſtrum aggreditur; ſi nimirum iecur, & cor, non cæti cuiuſcunque; ſed noſtræ mentis ad Deum in oratione ſuffumigare faciamus, quo pacto genus hoc dæmoniorum eijciendum eſſe Dominus apud Matthæum docuit. Quare vbi Pſaltes ait. *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo*, legit Pagninus, *ſicut ſuffimentum*. de qua re videri poſſunt ea, quæ ſuperius enarrauimus. Verum ad Aſmodæũ nullo negotio ſuperandum euitãdæ ſunt omnes luxuriæ occaſiones, quibus impurus ille primum ſomitem ad ſua ſumere ſolet incendia, ſiue interiores illæ ſint in corpore, vt cibi, & potiones abundantiores, delicatiores, & feruidiores, quàm naturæ poſtulet neceſſitas, quàm requirat ætas, occupationes, & valetudo: vel in animo, vt primæ impuræ cogitationes, & diſcurſus: ſiue ſint exteriores, vt prauæ conſuetudines, ſermones ſcurriles, libelli amatorij, mulierũ cohabitatio, & aſpectus, de quibus omnibus hic nonnulla Serarius. Et verè. *Numquid*, ait Sapiens, *poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, & non comburantur plantæ eius? A ſcintilla enim*, ait idem alibi, *incenditur, & augetur ignis:* nam ſicut ſcintillæ in ſilice latentes, vbi ſilex ferro ictus fuerit, protinus emicant; ad eundem modum cupiditatum noſtrarum ſcintillæ, quæ in imo pectore velut in ſilice latent, vbi peccandi opportunitas oblata mentem pupugerit, protinus foras exiliunt, & ſicuti cum puero præcipitur caueat, ne in ignem, vel in aquam cadat, non ſatis eſt, ſi id tunc primum efficiat, quando iam eſt caſui proximus; ſed antequam nutet, vel labatur, ab aqua, & igne proſpicere ſibi ipſi debet. Ita ei, qui Aſmodæi vult euitare faces, non ſufficit eas fugere, quando iam accenſas intra ſe habet; ſed liberiores vitare debet intuitus, attactus, oſcula, collocutiones familiariores, quæ, vt Hieronymus ait, ſunt *iam moritura caſtitatis principia*. Stultus enim eſt, qui tunc mortem putat effugere ſe poſſe, quando iam ſtricto gladio hoſtis iugulo ſibi imminet, aut læthale infligit vulnus, vel venenatum influit poculum: Facit enim Aſmodæus ad faces ſuas ſuccendẽdas, & libidinibus ſuis animas noſtras vorandas, quod facit cancer, vt carnes oſtrei voret. *Ille enim*, inquit Ambroſius, *oſtreo delectatur, & carnes eius epulum ſibi quærit, & vt appetens cibi, ita proſpiciens eſt periculi, quoniam propter teſtarum valuas, cum difficilis eſt venatio, tum periculoſa: explorat, captatq. occaſionem, ſi quando oſtreum remotis in locis ab omni vento contra ſolis radios diphtyeum illud ſuũ aperiat, & reſeret clauſtra teſtarum, vt voluptatem à ſole capiat, & tunc clanculum calculum immittens impedit concluſionem oſtrei, ſicque tutò inſerit chelas, viſceraq. interna depaſcitur*; Tali inquã pacto, dum animas impura concupiſcentia vorare tentat Aſmodæus, difficultatemq. eas venandi contemplatur, clanculum & ipſe occaſionem ſurripit peccatorum, eaſque obtutibus noſtris obijcit, vt dum eas intra nos claudimus, faces ipſe ſuas in eas ingerat, viſceraq. deinde animæ noſtræ, robur ſcilicet virtutis abſumat. Hinc B. Paulus: *Nolite*, inquit, *locum dare diabolo*: nam ſerpenti ille etiam ſimilis, vt ait Theophylactus, vbi caput ſuũ ſubintro iecerit, deinceps omnem reliqui corporis tractum ſecum trahit: (ſerpens enim dicitur, vt ait Ambroſius, à ſerpendo) inficitque totum hominis ſanguinem, & mortem affert, ſi vel leuiter calcaneum, extremam licet hominis partem mordeat. Sic Rupertus: *Si nuda*, ait, *mulieris planta dentem ſerpentis praeuenerit, & viuaciſſimum caput eius, vel leuiter preſſerit, ſtatim totum cum capite corpus interit, ita vt nullus omnino motus, nullus ſenſus in aliqua parte reſiduus ſit, quod nec malleis, aut vectibus certe, nec gladijs concidentibus, cito aut leuiter effici poteſt: ſiquidem exciſum caput cum tribus, aut duobus digitulis viuere, & abire perhibetur*. quod verum eſſe ipſorum, qui per induſtriam explorauerunt, fida relatione ſe comperiſſe teſtatur. E contra verò ait: *Si ſerpens quamlibet exiguus, vel extrema planta dentulum infixerit, occidit; morſu nanque infuſa peſtis per venas vegetatione corporis acuta diſcurrit, animamq. eximit*. Sic ſanè ſerpentem Aſmodæum & nos facilè ſuperamus, ſi caput eius, occaſionem ſcilicet, quamuis minimam conteramus; verùm ſi eã admittimus, ita veneno ſuo nos paulatim inficit, vt etiam nos vitam ſpiritualem, cum morte facit commutare.

Nolite itaq;, ait Hieronymus, *locum dare diabolo, qui tanquam leo rugiens aditum quærit per quem poſſit irrumpere: quomodo enim pater, & filius ſtant ad oſtium, & pulſant, vt introeant, & cœnent cum eo, qui ſe recipit; ita & aduerſarius ſemper in nos eſt paratus irrumpere, & cum locũ dederimus, ingreditur. Solet autem antequam veniat quædam iacula præmittere, & præcurſorem aduentus ſui facere cogitationem, hanc, ſi nos in corde noſtro ſuſceptam, nutrierimus intrinſecus, & creſcere fecerimus, cùm in nobis prolem ſuam auctam viderit, & ipſe audebit intrare*. Et poſt pauca: *Huic quod nunc præcipit B. Paulus, neque locum dotis diabolo, illud de Eccleſiaſtico comparatur: ſi ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris. Ille ſuperbus, & temerarius, vult aſcendere, vult ſubire: ſed etiam ſi ſe oppreſſum putauerit, &*

ſe

Marginal notes:

Matt. 17.
Pſ. 140. 2.
Sup. in c. 6. *v.* 8. *n.* 6.
De occaſionibus peccatorũ fugiendis, vide etiã alia in tract. noſtro de ſeruit. & hoſtilit. peccati in fine operis.
B
Prou. 6. 27
Deuitare debet occaſiones laſciuiæ, qui caſtè vult viuere.
C
Hier. in vit. S. Hilarionis.
Amb. li. 5. *Hexam. c.* 8.
D
Eph. 4. 27.
Theophylact. in c. 4. *ep. ad Epheſ.*
E
Amb. li. de Salom. c. 8.
Rup. li. 3. *in Gen. c.* 20.
Tentationi in capite obſiſtendum.
F
Hier. in c. 4. *ep. ad Epheſ.*
Apoc. 3. *d.*
G
Eccl. 10. 4.

ſe extulerit, tu ne dederis locum. Poteſtas namque diaboli non in temeritate ipſius, atque iactantia, ſed in tua eſt voluntate. Intelligit enim Hieronymus, per ſpiritum poteſtatem habentis, ipſum diabolum, qui ſpiritus eſt Dei, quia quamuis ſit malus; miniſter tamen eſt eius, & habet poteſtatem, cui nulla eſt ſuper terram, quæ comparari poſſit: hic Spiritus, ait Sapiens, ſi irruat ſuper te, tibique dominari tentauerit, *locum tuum ne dederis ei:* locus noſter, vt exponit Cyrillus, cor noſtrum eſt: *quare*, ait, *cor tuum non mittas; ſed omni cuſtodia ſerua cor tuum. Claude oſtium cordis tui*, ait Anſelmus, *ne tentator ingrediatur, ſi clauſum inuenerit, tranſit, nec intrare poteſt.* Sic, vt in libris Regum habetur, dum vellet Ioram rex Iſrael Eliſæum occidere, miſiſſetque ante ſe nuntium, cum ille diuina reuelatione factum præſciuiſſet, iis, qui ſecum erant, ait: *numquid ſcitis, quod miſerit filius homicidæ hic* (erat enim Ioram filius Acab, qui occiderat Naboth) *vt præcidatur caput meum? Videte ergo cum venerit nuntius, claudite oſtium, & non ſinatis eum introire, ecce enim ſonitus pedum Domini eius poſt eum eſt.* Tali pacto, dum aduertimus præmittere Aſmodæum primas impuras ſuggeſtiones, quaſi nuntios mortis, claudamus & nos oſtium cordis noſtri, locum non dimittentes noſtrum; nam ſonitus pedum eius, poſt ſuggeſtionem eſt, nunquam de noſtra ipſius fidamus fortitudine, exiſtimantes nos ei poſſe reſiſtere, quando in occaſione peccati ad nos intrauerit, neque enim Iob fortiores ſumus, qui licèt omnes diaboli vicerit incurſus, eſſetque ære ipſo, & ferro durior in aduerſis; Aſmodæum tamen adeò ſemper timuit, vt nec virginem auſus conſpicere, dixerit; *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine:* videbat enim quam difficile eſſet mulierem virginem aſpicere, & illam non deſiderare, nec Ioanne Baptiſta ſumus ſanctiores, qui vt omne fugeret peccatum, adeò etiam occaſionem peccatorum timuit, vt de eo canat Eccleſia:

Antra deſerti teneris ſub annis
Ciuium turmas fugiens, petiſti,
Ne leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſes:

Quin & B. Paulus, qui totum circuiuit orbem, qui raptus eſt vſque ad tertium cælum, qui plus omnibus laborauit, qui dicere potuit: *viuo ego iã nõ ego, viuit verò in me Chriſtus*, poſt tot laborioſa certamina, & glorioſas victorias, adhuc occaſionem timẽs peccatorum, *caſtigo*, inquit, *corpus meum, & in ſeruitutem redigo:* quod ſciret naufragium meritò facere, qui valido ſpirante vento, & toto æquore acerba tempeſtate iactato, ſuæ, vel naucleri peritiæ confiſus, mari ſe dare non dubitat, à Deo nimirũ meritò deſeri, & in peccata demergi, qui ventos, tempeſtateſque tentationum, necnon occaſiones peccatorum vitare cum poſſit, renuit, in ſua conſtantia, vel etiam in diuino auxilio auſu temerario confiſus: nam & *Quis*, ait Sapiens, *miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus, qui appropiant beſtiis?*

H

Cyrill.

Anſelm. in loco B. Pauli de quo ſup.

4. Reg. 6. 32.

1

Iob 31. 1.

Eccleſia in hymno officii ciuſdem S. in Breuia. Rom. 24. Iulii.

Rom. 15. 2. Cor. 10. 1. Cor. 15. Gal. 2. 20.

1. Cor. 9. 27.

M

Eccli. 12. 13.

VERS. IV.

Tunc hortatus eſt virginem Tobias, dixitq. ei: Sara exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & ſecundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur, tertia autẽ tranſacta nocte, in noſtro erimus coniugio.

VERS. V.

Filii quippe ſanctorum ſumus, & non poſſumus iam coniungi, ſicut gentes, quæ ignorant Deum.

1 *Exurgere quid hoc loco ſignificet.*
2 *Oratio maximè nocturna cur iungat animam Deo, & quæ nos ad illam inuitent.*
3 *Matutina laudatur.*

POSITO ſuper carbones de corde, & iecore piſcis, ad orationem triduanam, quam etiã Angelus præceperat, Saram virginem coniugem ſuam hortatus Tobias,

1 *Exurge*, ait illi, hoc eſt, prompto, & alacri animo excire (eo ſenſu, quo latinè ab oratoribus excitare in concionem, ſiue excire dicitur). Sic Dauid poſt iniunctam Salomoni fabricam, & oblatam ei ad id neceſſaria; *ſurge igitur*, inquit, *fac, & erit Dominus tecum*, & B. Petro oranti in viſu, à Domino dictum eſt: *Surge Petre, occide, & manduca*, hoc eſt prompto, & alacri animo excire ad tantum opus.

1. Paralip. 22. 16.

Act. 10. 13

Et deprecemur Deum hodie, & cras. Arabs: *Et oremus ad Deum, hodie, & cras, & poſtridie.*

Arabs.

Quia his tribus noctibus Deo iungimur. Arabs: *iungemur Deo*; nimirum in oratione, quæ, vt Damaſcenus ait, *eſt aſcenſio mentis in Deum*, & tunc maximè, quando in noctis ſilentio funditur: nam licèt omne tempus orationi congruat, matutinum, & veſpertinum, nocturnum, atque diurnum, tamen quia, ſicut Gregorius ait; *quantumlibet virtute mens polleat, quantalibet grauitate vigeat, carnales ſenſus puerile quiddam exterius ſemper perſtrepunt*, hominemque diſtrahunt; non dubium, quin nocturnum tempus, in quo ſilent omnia, ipſumque rerum omnium ſilentium, &

Arabs.

Damaſc. li. 3. orthodoxæ fidei c. 24.

2

Greg. lib. 21. moral. c. 2.

Nocturnum tẽpus orationi aptiſſimũ.

quies

quies quæ animũ à negotijs auocatũ ad colloquendum cum Deo inuitat, aptiſſimum ad eſſe ſit; *purior enim*: ait Chryſoſtomus, *in noctis ſilentio eſt anima, leuior, ſubtiliorq. ſublimia videt, & expedita eſt, tenebræ ipſæ, ſilentiumq. multum in compũctionem inducere ſufficiunt.* Cælum quaſi innumeris interpunctum ſtellis, terra in ſilentio poſita, plateæ denudatæ hominibus. Hinc Pſaltes: *memor*, inquit, *fui nocte nominis tui Domine.* Et iterum: *media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Et ſponſa: *In lectulo*, inquit, *meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea.* Sic, teſte Luca, Chriſtus Dominus, *pernoctabat in oratione Domini*: & quidem *pernoctabat*, ait Ambroſius, *in oratione Dominus Ieſus, non indigens precationis auxilio, ſed ſtatuens tibi imitationis exemplum pro te rogans pernoctat, vt tu diſceres quomodo pro te rogares*, quem poſtea omnes ſancti viri vſque adeò ſunt imitati, vt vetuſtiores ipſos Chriſtianos partem nocturnæ quietis orationi conſecrare ſolitos eſſe legamus, quo diſertis verbis teſtatur Philo Iudæus, & Plinius Secundus, & de Beato Antonio narrat Caſſianus, quòd in oratione cum pernoctaſſet, oriente Sole, ad illum conuerſus: *quid me impedis Sol*, dicebat, *qui ad hoc iam oriris, vt me ab huius veri luminis abſtrahas claritate?*

Chryſ. in act. Ap. hom. 26. poſt med. & homil. 41. 42. 55. & 59. ad popul. & Matth 69. & in epiſt. 1. ad Timot ho 14.
Pſ. 118. 55
Ibid. 62.
Cant. 3. 1.
Luc. 6. 12.
Amb. in pſal. 118 ſer. 19 ſuper verba prænoni in matutitate. &c.
Philo li. de vita contempl. Plin. lib. 10. ep 97. ad Traianũ relata. Tertull. apol. tom 2. 5. Caſſian. coll. 9. c. 31.

Quòd ſi delicatum te eſſe dixeris, nec de nocte ſurgere ad orationem poſſe, nec, inquit Chryſoſtomus, *quantumuis delicatus fueris, es Dauid delicatior, quantumuis diues, es illo ditior, qui tamen dicit media nocte ſurgebam, &c.* & infra. *At dicis laboraui per diẽ multum, & non poſſum: Cauillum eſt, & excuſatio: nam quantumuis laboraueris, non laboraueris quantum faber ferrarius, qui graues folles trahit vſque ad flammam, & fumum toto corpore recipit; attamen ille noctu ſæpè multum negotij inſumit.* Quare, vt idem paulo poſt ait: *ſi nihil aliud erubeſcamus, quod nocturni vigiles, atque cuſtodes, propter hominum leges ambulant in frigore, multum clamantes, & in vicis euntes, ſæpè compluuntur, rigentque propter te, ac tuam ſalutem, pecuniarumque tuarum cuſtodiam. Illi pro tuis pecunijs tantam habent curam, tu autem, neque pro anima tua? Sanè ego non cogo ambulare ſub dio ſicut illi, neque clamore diſrumpi, ſed in ipſo promptuario cubiculique tuo flecte genua, ora Dominum.* Certè ſi iſtud faciamus, non vanæ erunt vigiliæ noſtræ, vt eorum ſunt, qui pro huius mundi rebus vigilant: de quibus Dauid: *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere; ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Vanũ inquam, & prorſus inutile, niſi ea diligentia præueniendi diem commendet oratio: nã quærentibus regnum Dei, & iuſtitiam eius, reliqua tunc adijcientur, nec in vanum erit ſurrexiſſe de nocte.

Chryſ. vbi ſupra.
Pſ. 124. 2.

3 Laudant alij orationem matutinam: nec immeritò, cum nulli dubium eſſe poſſit, illam eſſe aptiſſimam, tum ob internorum viuacitatem ſenſuum, atque inſtrumentorum toti animæ inſeruientium, naturam in illa vegetantium, tum etiam, vt primordia dierum, actionumq. noſtrarum, ſicut decet, altiſſimo conſecrentur, quo pacto legimus Pſaltem facere conſueuiſſe; vnde ait: *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Et de B. Iob ait ſacra hiſtoria: *conſurgens diluculo offerebat holocauſta.* Et in primordijs religionis Chriſtianæ *fiebant*, vt loquitur Tertullianus, *Chriſtianorum antelucani cœtus, ad canendum Chriſto, & Deo*, quos poſtea imitati ſunt ſancti viri, præcipuè religioſi, qui omnes in Eccleſijs ad matutinas horas recitandas manè diluculo conuenire ſolent. Quin & impius ille Apollonius, qui ſimulatione virtutum, & præſtigijs, Chriſti gloriam eſt æmulatus, ſuos diſcipulos docebat, aduentante aurora, cum dijs eſſe verſandum. Et Alexander Seuerus, Mammæa matre non abhorrente à Chriſtiana religione, matutinis horis in horario ſuo, vt Lampridius tradit, rem diuinam faciebat, ſi non vero Deo, ſaltem ei, quem Deum putabat: precabatur opportuno illo tempore. Et quidem, *ſi diluculo conſurrexeris ad Deum*, ait Iob, *& Omnipotentem fueris deprecatus, ſtatim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iuſtitiæ tuæ.* Et Sapiens: *Qui*, ait, *de luce vigilauerit ad ſapientiam, non laborabit; aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet.*

Matutinum tẽpus ad oratione opportunum.
Pſ. 118. 148.
Iob 1. 5.
Tertull. apolog. c. 2.
Philoſtrat. li. 1. de vit. Apollon. c. 2.
Lamprid. in Alex. Seu.
Iob 8. 5. 6.
Sap. 6. 15.

Filij quippe Sanctorum ſumus. hoc eſt, eorum, qui verum Deum colunt, Quomodo in Actis Apoſtolicis ſæpe fideles nominantur Sancti, propter vitæ genus, & ſanctum inſtitutum, licèt non omnes Sancti eſſent moribus, & vitæ integritate. Verum de hac voce Sanctus plura dicemus inferius.

VERS. V.
Inf. c. 1. v. 1.

Et non poſſumus ita coniungi, &c. Antiquos Patres imitandos proponit, qui poſt contractas nuptias, per aliquot dies, vxorum cognitionem differebant, Deoque in oratione vacabant, de qua re ſupra.

Sup. c. 6. v. 18. n. 2. & v. 20. n. 1.

Quòd maximè deceat Chriſtianum virum Sanctorum Patrum imitatio.

DOCVMEMTVM.

ADMONET ſuo exẽplo hoc in loco Tobias, nullum opus grauioris momenti nobis aggrediendum eſſe, antequam conſideremus, quid ſancti viri, tali in occaſione conſtituti fecerint, dixerintue, vt nos conſideratio-

A
Exẽpla SS. ad virtutem nos excitant.

ne noſtra, velut in ſpeculum intuentes, in omnibus eos imitari ſtudeamus. Addunt enim eorum exempla virtuti ſtimulum, faciuntque, vt, quorum res geſtas probamus, æmulamurque; eorum pariter mores amemus, mirificèque complectamur: nam quo

Ezech. 1.

pacto Ezechielis animalia ſe ſe mutua alarum percuſſione ad volandum prouocabāt; ita, ait Gregorius, *ala ſua me percutit, qui exemplo me ad benè viuendum prouocat.*

Greg. 24. moral. c. 6.

Quod exemplo Themiſtoclis Athenienſis apparet, qui, vt Plutarchus docet, laudatas apud omnes Athenienſes Miltiadis res, per virtutem geſtas, adeò imitari ſtuduit, vt dicere conſueuerit Miltiadis trophæa è ſomno me excitant, & quietem capere non ſinunt.

Plutarch. opuſc. de profect. virt. ſeu mor. non longe a fine.

B

Sic duces proponunt ſibi imitandos Camillos, Fabricios, Scipiones: Philoſophi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem; Poëtæ æmulantur Homerum, Virgilium, Menandrum; Hiſtorici Saluſtium, Herodotum, Liuium; Oratores Lyſiam, Demoſthenem, Tullium; Epiſcopi, & presbyteri Apoſtolos, Sanctum Carolum, cæterosque in Epiſcopali dignitate præcellentes viros: nam quemadmodū

Baſil. ep. 1. ad S. Greg. Thaumaturg.

pictores, ait Baſilius, *cum imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem reſpectantes, lineamenta eius transferre conantur magno ſtudio ad ſuum opificium; ita qui ſe ſe meditatur, omnibus numeris virtutis abſolutum reddere, veluti ſimulacra quadam ſpirantia, ac actuoſas Sanctorum vitas aſpicere oportet, probataque opera illorum ſua imitando facere.*

C

Gen. 30. 37.

Sanè quo pacto oues Iacob facilè eius coloris procreabant fœtus, qualis erant populeæ virgæ in canalibus ante eas poſitæ; ita facilè vnuſquiſq; amator virtutis eas virtutes induet, quas ante ſe conſpiciendas propoſuit:

Aug.

Sunt enim, vt Auguſtinus ait, *exempla Sanctorum carbones vaſtatores, vtpote incipit tibi Deus dicere; tu non potes? ille potuit? nunquid tu delicatior es illo Senatore? nunquid tu infirmior es fœminis? fœmina potuerunt, viri non poſſunt? delicati diuites potuerunt; pauperes non poſſunt?* Et quo pacto illi, qui à recta nauigationis via, vi tempeſtatis abrepti, in pelagus feruntur, ſi ad ignē in cacumine montis poſitum reſpexerint, facilè errorem corrigunt, tutiq. ad portum appellunt; ſic quicunque

D

vitæ huius fluctibus oppreſſi à virtute aberrant, exemplis aliorum ad portum reuocantur virtutis.

Greg. Nyſſ. in enarr. vit. Moyſis.

Ideoq. inquit Gregorius Nyſſenus; *credendum eſt præſtantiſſimorum virorū vitas exquiſitiſſime eſſe deſcriptas, vt vita noſtra imitatione ad virtutē rectius deducatur.* Inſigne eſt exemplum ab Auguſtino relatum, de quodam milite, qui dum

Aug. li. 6. confeſſ. c. 6. to. 1.

Treuiri imperator pro meridiano Circenſium ſpectaculo teneretur, exiens cum ſocio deambulatum in hortos, muris contiguos vagabundus irruit in quandam caſam, vbi habitabant nonnulli ſerui Dei ſpiritu pauperes, qualium eſt regnum cælorum, qui cum ibi codicem reperiſſet, in quo geſta continebantur magni Antonij, dum cœpiſſet legere,

E

ſimul etiam ita cœpit mirari, & accendi, vt, relicta militia ſeculari, Dei ſeruituti ſe totū addixerit, & amore ſancto repletus ſocium talibus cōpellare nō dubitauit. *Dic, quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quo ambimus peruenire? Quid quærimus? cuius rei cauſa militamus? maior ne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm vt amici imperatoris ſimus? & ibi quid non fragile plenumq. periculis, & per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? & quandiu iſtud erit? Amicus autem Dei ſi voluero eſſe, Ecce nunc fio*, Dixit hoc, & turbidus parturitione nouæ vitæ, reddit oculos paginis: & mutabatur intus. En quanta efficacia hominem militem imperatoris, militem Chriſti effecerint exempla Sanctorum. Conſideremus itaque in omnibus cum Tobia, nos filios Sanctorum eſſe,

F

vt patrum noſtrorum valeamus ſequi veſtigia: nam, ait Chriſtus Phariſæis, gloriantibus de filiatione Abrahæ, *Si Abraha filij eſtis, opera Abraha facite*, decet enim filium optimi parentis veſtigia imitando ſectari.

VERS. VI.

Surgentes autem pariter, inſtanter orabant ambo ſimul, vt ſanitas daretur eis.

1 *Cur dicatur Tobias ad orandum ſurrexiſſe, & de geſtu corporis in oratione congruenti.*
2 *Orationi perſeueranter inſtandum.*
3 *Sanitatis bono nullum maius.*
4 *Temporalia bona num liceat à Deo abſolutè depoſcere.*

SVRGENTES *autem*. Tobias nimirum, & Sara ad orationem, non corpore; ſed animo, eo modo, quo ſupra explicui, vel etiam corpore è ſella, in qua fortè ſederant, de diuinis vnà confabulantes, deque effecti ſuffumigij virtute, vt ſtantes orarent: nam licèt quoad ſitū corporis, in fundendis precibus, nullum in ſacris literis haberent præceptum, cum liberum eſſet vnicuique hoc vel illo corporis geſtu orare, vt etiam hodie, dummodo animus oret, quod ex eo fit manifeſtum, quod ſicut ſacræ narrant literæ, *Stetit Anna orans*. *Publicanus* etiam, vt ait B. Lucas, *ſtans orabat Dominum*. *Salomon*, vt in in libris regum habetur, *orans, vtrumque genu in terra fixit*. Daniel feneſtris

VERS. VI.

Sup. hoc eod. c. v. 4.

1. Reg. 1.
Luc. 18. 11
3. Reg. 8. et
2. Paral. 6

Dan. 6.

ſtris apertis *in cænaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, vt adoraret.*

Exo. 17.

3. Reg. 18.

Orabant Iudæi aliquã do ſtantes, aliquãdo poſitis genibus, aliquãdo ſedentes.

Hier. in c. 45. Iſaiæ.

Idem in dial. contra Luciferum.

Quin etiam in Exodo Moyſem, & in lib. Regum Eliam ſedentes aliquando oraſſe legimus: frequentius tamen Hebræos ſtantes ad Deum preces conſueuiſſe fundere, ex quampluribus ſacræ ſcripturæ locis manifeſtum relinquitur, vt etiam ex eo, quod eundem morem adeo ſuperſtitioſe etiam hodie ſeruant, vt nefas omnino putent alio corporis ſitu orare: vnde Hieronymus; *Moris*, inquit, *Eccleſiaſtici eſt Chriſto genu flectere, quod Iudæi mentis ſuperbiam demonſtrantes omnino non faciunt.* Conſueuit tamen etiã Eccleſia, vt idem Hieronymus alibi docet, die Dominico, & per omnem Pentecoſtem, nec de geniculis adorare: & Tertullianus: *Die*, inquit, *Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare, eadem immunitate à die Paſcha ad Pentecoſtem gaudemus.* Cuius rei rationem reddens Iuſtinus martyr. *Quod autem*, ait, *die Dominico non flectamus: ſignum eſt reſurrectionis per quam Chriſti beneficio, & à peccatis & à peccatorum morte liberati ſumus.* Et quia modus is orandi in die Dominico fuerat prætermiſſus, Clemens VIII. in ſua reformatione breuiarij, reſtituendum curauit. Verum in priuatis orationibus omni tempore fideles genibus flexis Dei clementiam inuocare, ſuorũq. criminum indulgentiam efflagitare ſolent: quod non ſolũ Dominus exemplo ſuo nos docuit; ſed etiã Stephanus, Paulus, alijq. apoſtoli, & apoſtolici viri. Vnde legimus Iacobum cognomento iuſtum, aſſiduitate geniculationum in oratione, habuiſſe genua in duritie camelorum. Et vere quid ni flectamus illi genua, de quo ait Iſaias *Mihi curuabitur omne genu?*

Cur die Dominico, & per tẽpus paſchale ſtantes oremus.

Tertull. li. de coron. militis.

Iuſtin. mart. q. 115. ad orthodoxos.

Matt. 19

Act. 7. 10.

Iſa. 45.

2 *Inſtanter orabant.* Hoc eſt in oratione aſſidui, perdurabant, vel inſtabant cum aſſiduitate, multiq. in oratione erant, & perſeuerantes: quo pacto oratione inſtantes nos eſſe debere B. Paulus docuit. *Habes*, ait Gregorius, *in hoc perſeuerantiæ documentum, vt ſi primo non exaudiaris, ab oratione non deficias, immo precibus, & clamori inſiſtas, vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci.*

Rom. 12. 12.

Greg. in ſeptẽ pſal. pœnit.

Nullũ bonũ naturale bona valetudine præſtantius.

3 *Vt ſanitas daretur eis.* Sanitas quidem, quia inter naturæ bona nihil vtilius mortalibus. Vnde in epiſtolis nulla alia vti ſolemus conſolatione, quam amicum iubentes benè valere: quod inſtitutum, & Pythagorici ſeruare conſueuerunt, veluti ſi animæ, corporique nihil magis congrueret; quibus autem conſtet ſanitas, & quibus ſeruari poſſit, tradit Cælius; vide plura in documento. Sic petit Tobias, & Sara ſanitatis bonum: & quidem abſolute, dũmodo cum diſcrimine virtutis non deſideretur: nam licèt, vt apud S. Thomam Valerius refert, nihil vltra à dijs immortalibus Socrates petẽdum arbitraretur, quam vt bona tribuerẽt, quia hi demum ſciunt quid cuique ſit vtile, noſque plerumq. id votis expetimus, quod non impetraſſe melius foret; hæc tamen rerum humanarum incertitudo haud prohibet, quin determinatè, & abſolutè, non modo ſpiritualia, & ex ſe ad ſalutem conducentia; ſed etiam corporalia petantur; quia cum aliqua ſint bona humana, & temporalia, quæ licite poſſunt propter ſe deſiderari, propter conuenientiam nimirum, quam habent à recta ratione cum natura rationali, tanquam fines proximi; aliqua etiam eſſe debent, quæ etiam propter ſe peti, tanquam fines proximi poſſint, cuiuſmodi ea ſunt, quæ ad vitam, integritatẽ, & ſanitatem corporis ſeruandam, vel ad perfectionem intellectus aſſequendam ſunt neceſſaria: nam *hoc licet orare*, ait Auguſtinus, *quod licet deſiderare*, quod huiuſmodi per ſe loquendo, vt recta ratio dictat, bona ſunt, & appetibilia.

Cælius li. 11. c. 47. & li. 16 c. 41.

4 S. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 6.

Temporalia abſolutè à Deo efflagitari poſſunt.

Aug. ep. 121. c. 12. tom. 2.

Nec obſtat, quod tẽporalibus hiſce bonis male vti poſſimus, cùm & virtutibus, & peculiaribus Dei auxilijs, & gratijs aliquo modo malè etiam vti poſſimus, ex illis nimirum ſuperbiendo; ſic abſolutè victui ſuo neceſſaria petijt Salomon, dum ait: *mendicitatem & diuitias, ne dederis mihi; ſed tribue tantum victui meo neceſſaria.* Et Iacob: *Si fuerit*; inquit, *Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Quinimmo hæc neceſſaria abſolute petenda ipſe nos Dominus in oratione Dominica docuit, dum ait: *Quando oratis, dicite Pater noſter*, & reliqua, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, qua petitione panem etiam corporalem peti docet Chryſoſtomus, quod etiam confirmat ipſius vſus Eccleſiæ, quæ abſolutè rogat: Da nobis ſalutem mentis & corporis.

Prou. 30. 8.

Gen. 28. 20.

Chryſoſt. in Matt. 16.

Abſoluta vero horum petitio cum exceſſu licet, ſi habeat propoſitum bene vtendi illis, ſine culpa fieri etiam poſſit: vitanda tamen eſt ob maximum periculum, in quo, ſi habeantur, fragilem naturam noſtram ponunt. nam: *Cadent à latere tuo mille*, ait Pſaltes, *& decem millia à dextris tuis.*

Quòd non minimum ſit Dei beneficium proſpera valetudo.

DOCVMENTVM.

A

SANE dum Tobias & Sara in ſua oratione bonam à Deo valetudinem ad ſenectam vſque deprecantur, docent, non minimum eſſe Dei beneficium illã habere, quod

nec

Plutar. lib. de virt. & vit. nec probe nouit, niſi qui in morbis aliquando exerceetur, non ſolum quia, vt docet Plutarchus, corporis volnptates ex eo metimur, ſi rectè valeat, bonaque ſit, ac temperatā noſtra valetudo, vnde Arabes, teſte Crinito, voluptates omnes à valetudine pendere dicebant, non ſecus ac ſublunaria omnia pendeāt in eſſe, & conſeruari ab ipſo Sole: cum nec

Sanitas corporis maximi pendenda.

mollia ſtrata, nec conopæa magnifica; opere licèt phrygio, auroque intexto diffluentia, ſi membra doloribus repleantur, nec menſæ opiparæ, ſi ſuper illas infirmus nauſeā patiatur, nec tandem fragrantia vina; ſi vel vetita à phyſicis, vel etiam pota amareſcant, quicquam prodeſſe valeāt; ſed ex eo maximè, quia

B

Sanitas ad bene agendum, viuendumq. prope neceſſaria.

valetudinis beneficium adeò diuino cultui prodeſt, vt ex eo quodammodo tota vitæ degendæ, rectique agendi ratio pendeat: nam ſi ſolius dentis dolor, aut extremi digiti affecti ſenſus, vel minima in oculis ſtipula, mentem, animumque noſtrum ita rapit, vt nec legere, nec cogitare, nec alij vlli rei intendere iubeat, quid ſperandum nobis eſt, cùm dolorum ſegetes, anguſtiarum torrentes, afflictionum gurgites, & tentationum flumina animū totum occupant? Quare deſiderabiliſſimam, & optimam eſſe viro ſanitatem docet Ariſtoteles, & Sapiens, qui. *Non eſt*, inquit, *cenſus ſuper cenſum corporis.* Sic, ait Iuuenalis: *Orandum eſt, vt ſit mens ſana in corpore ſano.* Et moraliſſimus, & Chriſtianus Dionyſius Cato.

Ariſt. ethic. c. 4. & 31.
Eccli. 1.3.
Iuuen. lib. 1. Sat. 1.
Dionyſ. Cato.

> *Corporis auxilium medico committe ſodali,*
> *Sit tibi præcipua, quod primum eſt, cura ſalutis.*

Cælius antiq. lect. li. 4. c. 14. Sanè, teſte Cælio, Pyrrhus Epirotarum rex, poſt Alexādrum prudentiſſimus rei militaris adiudicatus, vbi immolaturus templa inuiſeret, non regni ampliorem modū, non de hoſte victoriam inſignem, non item gloriā illuſtriorem, aut diuitias, & id genus alia, quibus mortalium plerique attoniti inhiant; ſed ſanitatē duntaxat à dijs comprecari ſolitus erat, tanquam ſi parte hac benè conſtituta proſperius ceſſura viderentur omnia.

Solent ſimplieiores, cum audiunt Prælatū aliquem magni nominis, aut concionatorem excellentem, aliumue opinione ſanctitatis florentem, non adeò firma eſſe valetudine, illum dictitare beatum, exiſtimantes tunc maxime mente in Deum rapi, orare, flammaſque ſanctorum deſideriorum emittere; Verum vt in plurimis falluntur profectò iſti, cum certè

D

valetudinis præſidio deſtituti, aliud nihil pręſtare poſſint, niſi dolores patienter ferre, & vix ad hæc reperiantur idonei: nam rari Iob, paucìſſimi Tobiæ: etenim velle licèt eis adiaceat, quomodo tamen perficere valeant, non inueniunt. Vnde licet illorum curās, & ſolicitudines laudare minime velim, qui toti in valetudinem curandam ita incumbunt, medicinisq. ſtomachi vires eōuellunt, vt omnibus deinde malis ſibi laborare videātur, quibus alios detineri audiunt; nec eos quos exilis doloris ſenſus ab omni illico officio auocat; illos tamen laude dignos cēſeo, qui Deo ſani famulari volētes, ad valetudinem obtinendā, poſtquā opportuna adhibuerint remedia, Deo ſe toti cōmittunt, ipſius cum Sara, & Tobia miſericordiam implorantes pro ſanitate obtinenda.

VERS. VII.

Dixitque Tobias: Domine Deus patrum noſtrorum, benedicant te cæli, & terræ, mareque, & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis ſunt.

VERS. VIII.

Tu feciſti Adam de limo terræ, dediſtique ei adiutorium Eua.

VERS. IX.

Et nunc Domine tu ſcis, quia nō luxuriæ cauſa accipio ſororem meā coniugem; ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſeculum ſeculi.

VERS. X.

Dixit quoque Sara. miſerere nobis Domine, miſerere nobis, vt ſeneſcamus ambo pariter ſani.

1 *Oratio à laudibus incipienda.*
2 *Creaturæ inſenſibiles quomodo Deo benedicere valeant.*
3 *Adam de limo terræ quomodo formatus.*
4 *Eua quomodo data ſit Adam adiutrix.*
5 *Sara cur ſoror dicta, & an licuerit aliquando accipere ſororem in coniugem.*
6 *Coniugium ſola poſteritatis dilectione ineundum.*
7 *Proles deſiderāda coniugibus, quæ Deum benedicat.*

VERS. VII.
Amb. lib. 6. de ſacram. c. 5.

1 D*IXITQVE Tobias*, à laudibus incipiens, quia, teſte Ambroſio, accedentem ad orationem non decet quaſi famelicum ad cibum de cibo incipere; ſed ante à laudibus Dei,
5 vt oratores ſapientes faciunt, qui, vt iudicem fautorem ſibi præſtent, ſibique beneuolum faciant cognitorē, ante quam poſtulationem ſuā depromant, primum laudant eū, deinde etiam rogāt, vt patienter dignetur audire, & ratio eſſe poteſt, quia, cum fiducia, vt alias vidimus, ſit fundamentum impetrationis, maxima repletur homo fiducia, ſi antequā deſideratū po

Fiducia diuinis laudibus acquiritur.

Dan. 6.

ſtris apertis *in cœnaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, vt adoraret.*

Exo. 17.

3. Reg. 18.

Orabant Iudæi aliquãdo ſtantes, aliquãdo poſitas genibus, aliquãdo ſedentes.

Quin etiam in Exodo Moyſem, & in lib. Regum Eliam ſedentes aliquando oraſſe legimus: frequentius tamen Hebręos ſtantes ad Deum preces conſueuiſſe fundere, ex quampluribus ſacræ ſcripturæ locis manifeſtum relinquitur, vt etiam ex eo, quod eundem morem adeo ſuperſtitioſe etiam hodie ſeruant, vt nefas omnino putent alio corporis ſitu orare: vnde Hieronymus; *Moris*, inquit, *Eccleſiaſtici eſt Chriſto genu flectere, quod Iudæi mentis ſuperbiam demonſtrantes omnino non faciunt.* Conſueuit tamen etiã Eccleſia, vt idem Hieronymus alibi docet, die Dominico, & per omnem Pentecoſtem, nec de geniculis adorare: & Tertullianus: *Die*, inquit, *Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare, eadem immunitate à die Paſcha ad Penteeoſtem gaudemus.* Cuius rei rationem reddens Iuſtinus martyr. *Quod autem*, ait, *die Dominico non flectamus: ſignum eſt reſurrectionis per quam Chriſti beneficio, & à peccatis & à peccatorum morte liberati ſumus.* Et quia modus is orandi in die Dominico fuerat prætermiſſus, Clemens VIII. in ſua reformatione breuiarij, reſtituendum curauit. Verum in priuatis orationibus omni tempore fideles genibus flexis Dei clementiam inuocare, ſuorũq. criminum indulgentiam efflagitare ſolent: quod non ſolũ Dominus exemplo ſuo nos docuit; ſed etiã Stephanus, Paulus, alijq. apoſtoli, & apoſtolici viri. Vnde legimus Iacobum cognomento iuſtum, aſſiduitate geniculationum in oratione, habuiſſe genua in duritie camelorum. Et vere quid ni flectamus illi genua, de quo ait Iſaias *Mihi curuabitur omne genu?*

Hier. in c. 45. Iſaiæ.

Idem in dial. contra Luciferum.

Cur die Dominico, & per tẽpus paſchale ſtantes oremus.

Tertull. li. de coron. militis.

Iuſtin. mart. q. 115. ad orthodoxos.

Matt. 19

Act. 7. 10.

Iſa. 45.

2 *Inſtanter orabant.* Hoc eſt in oratione aſſidui, perdurabant, vel inſtabant cum aſſiduitate, multiq. in oratione erant, & perſeuerantes: quo pacto oratione inſtantes nos eſſe debere B. Paulus docuit. *Habes*, ait Gregorius, *in hoc perſeuerantiæ documentum, vt ſi primo non exaudiaris, ab oratione non deficias, immo precibus, & clamori inſiſtas, vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci.*

Rom. 12. 12.

Greg. in ſept. pſal. pœnit.

3 *Vt ſanitas daretur eis.* Sanitas quidem, quia inter naturæ bona nihil vtilius mortalibus. Vnde in epiſtolis nulla alia vti ſolemus conſolatione, quam amicum iubentes benè valere: quod inſtitutum, & Pythagorici ſeruare conſueuerunt, veluti ſi animæ, corporique nihil magis congrueret; quibus autem conſtet ſanitas, & quibus ſeruari poſſit, tradit Cælius; vide plura in documento. Sic petit Tobias, & Sara ſanitatis bonum: & quidem abſolute, dũmodo cum diſcrimine virtutis non deſideretur: nam licèt, vt apud S. Thomam Valerius refert, nihil vltra à dijs immortalibus Socrates petẽdum arbitraretur, quam vt bona tribuerẽt, quia hi demum ſciunt quid cuique ſit vtile, noſque plerumq. id votis expetimus, quod non impetraſſe melius foret; hæc tamen rerum humanarum incertitudo haud prohibet, quin determinatè, & abſolutè, non modo ſpiritualia, & ex ſe ad ſalutem conducentia; ſed etiam corporalia petantur; quia cum aliqua ſint bona humana, & temporalia, quæ licite poſſunt propter ſe deſiderari, propter conuenientiam nimirum, quam habent à recta ratione cum natura rationali, tanquam fines proximi; aliqua etiam eſſe debent, quæ etiam propter ſe peti, tanquam fines proximi poſſint, cuiuſmodi ea ſunt, quæ ad vitam, integritatẽ, & ſanitatem corporis ſeruandam, vel ad perfectionem intellectus aſſequendam ſunt neceſſaria: nam *hoc licet orare*, ait Auguſtinus, *quod licet deſiderare*, quod huiuſmodi per ſe loquendo, vt recta ratio dictat, bona ſunt, & appetibilia.

Nullũ bonũ naturale bona valetudine præſtantius.

Cælius li. 11. c. 47. & li. 16 c. 41.

S. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 5.

Temporalia abſolutè à Deo efflagitari poſſunt.

Aug. ep. 121. c. 12. tom. 2.

Nec obſtat, quod tẽporalibus hiſce bonis male vti poſſimus, cùm & virtutibus, & peculiaribus Dei auxilijs, & gratijs aliquo modo malè etiam vti poſſimus, ex illis nimirum ſuperbiendo; ſic abſolutè victui ſuo neceſſaria petijt Salomon, dum ait: *mendicitatem & diuitias, ne dederis mihi; ſed tribue tantum victus meo neceſſaria.* Et Iacob: *Si fuerit*, inquit, *Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Quinimmo hæc neceſſaria abſolute petenda ipſe nos Dominus in oratione Dominica docuit, dum ait: *Quando oratis, dicite Pater noſter*, & reliqua, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, qua petitione panem etiam corporalem peti docet Chryſoſtomus, quod etiam confirmat ipſius vſus Eccleſiæ, quæ abſolutè rogat: Da nobis ſalutem mentis & corporis.

Prou. 30. 8.

Gen. 28. 20.

Chryſoſt. in Matt. 16.

Abſoluta vero horum petitio cum exceſſu licet, ſi habeat propoſitum bene vtendi illis, ſine culpa fieri etiam poſſit: vitanda tamen eſt ob maximum periculum, in quo, ſi habeantur, fragilem naturam noſtram ponunt. nam: *Cadent à latere tuo mille*, ait Pſaltes, *& decem millia à dextris tuis.*

Quòd non minimum ſit Dei beneficium proſpera valetudo.

DOCVMENTVM.

SANE dum Tobias & Sara in ſua oratione bonam à Deo valetudinem ad ſenectam vſque deprecantur, docent, non minimum eſſe Dei beneficium illã habere, quod A

Plutar. lib. de virt. & vit.

nec probe nouit, niſi qui in morbis aliquando exercetur, non ſolum quia, vt docet Plutarchus, corporis voluptates ex eo metimur, ſi rectè valeat, bonaque ſit, ac temperatâ noſtra valetudo, vnde Arabes, teſte Crinito, voluptates omnes à valetudine pendere dicebant, non ſecus ac ſublunaria omnia pendeāt in eſſe, & conſeruari ab ipſo Sole: cum nec mollia ſtrata, nec conopæa magnifica; opere licèt phrygio, auroque intexto diffluentia, ſi membra doloribus repleantur, nec menſæ opiparæ, ſi ſuper illas infirmus nauſeā patiatur, nec tandem fragrantia vina, ſi vel vetita à phyſicis, vel etiam pota amareſcant, quicquam prodeſſe valeāt; ſed ex eo maximè, quia valetudinis beneficium adeò diuino cultui prodeſt, vt ex eo quodammodo tota vitæ degendæ, rectique agendi ratio pendeat: nam ſi ſolius dentis dolor, aut extremi digiti affecti ſenſus, vel minima in oculis ſtipula, mentem, animumque noſtrum ita rapit, vt nec legere, nec cogitare, nec alij vlli rei intendere lubeat, quid ſperandum nobis eſt, cùm dolorum ſegetes, anguſtiarum torrentes, afflictionum gurgites, & tentationum flumina animū totum occupant? Quare deſiderabiliſſimam, & optimam eſſe viro ſanitatem docet Ariſtoteles, & Sapiens, qui. *Non eſt*, inquit, *cenſus ſuper cenſum corporis.* Sic, ait Iuuenalis: *Orandum eſt, vt ſit mens ſana in corpore ſano.* Et moraliſſimus, & Chriſtianus Dionyſius Cato.

Sanitas corporis maximi pendenda.

B

Sanitas ad bene agendum, viuendumq. prope neceſſaria.

Ariſt. ethic. c. 4. & 31.
Eccli. 1.3.
Iuuen. lib. 1. Sat. 1.
Dionyſ. Cato.

Corporis auxilium medico committe ſodali,
Sit tibi præcipua, quod primum eſt, cura ſalutis.

Cælius antiq. lect. li. 4. c. 14.

Sanè, teſte Cælio, Pyrrhus Epirotarum rex, poſt Alexādrum prudentiſſimus rei militaris adiudicatus, vbi immolaturus templa inuiſeret, non regni ampliorem modū, non de hoſte victoriam inſignem, non item gloriā illuſtriorem, aut diuitias, & id genus alia, quibus mortalium plerique attoniti inhiant; ſed ſanitatē duntaxat à dijs comprecari ſolitus erat, tanquam ſi parte hac benè conſtituta proſperius ceſſura viderentur omnia.

Solent ſimpliciores, cum audiunt Prælatū aliquem magni nominis, aut concionatorem excellentem, aliumue opinione ſanctitatis florentem, non adeò firma eſſe valetudine, illum dictitare beatum, exiſtimantes tunc maxime mente in Deum rapi, orare, flammasque ſanctorum deſideriorum emittere; Verum vt in plurimis falluntur profectò iſti, cum certè valetudinis præſidio deſtituti, aliud nihil præſtare poſſint, niſi dolores patienter ferre, & vix ad hæc reperiantur idonei: nam rari Iob, pauciſſimi Tobiæ: etenim velle licèt eis adiaceat, quomodo tamen perficere valeant, non inueniunt. Vnde licet illorum curās, & ſolicitudines laudare minime velim, qui toti in valetudinem curandam ita incumbunt, medicinisq. ſtomachi vires cōuellunt, vt omnibus deinde malis ſibi laborare videātur, quibus alios detineri audiunt; nec eos quos exilis doloris ſenſus ab omni illico officio auocat; illos tamen laude dignos cēſeo, qui Deo ſani famulari volētes, ad valetudinem obtinendā, poſtquā opportuna adhibuerint remedia, Deo ſe toti cōmittunt, ipſius cum Sara, & Tobia miſericordiam implorantes pro ſanitate obtinenda.

D

VERS. VII.

Dixitque Tobias: Domine Deus patrum noſtrorum, benedicant te cæli, & terræ, mareque, & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis ſunt.

VERS. VIII.

Tu feciſti Adam de limo terræ, dediſtique ei adiutorium Eua.

VERS. IX.

Et nunc Domine tu ſcis, quia nō luxuriæ cauſa accipio ſororem meā coniugem; ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſeculum ſeculi.

VERS. X.

Dixit quoque Sara. miſerere nobis Domine, miſerere nobis, vt ſeneſcamus ambo pariter ſani.

1 *Oratio à laudibus incipienda.*
2 *Creaturæ inſenſibiles quomodo Deo benedicere valeant.*
3 *Adam de limo terræ quomodo formatus.*
4 *Eua quomodo data ſit Adam adiutrix.*
5 *Sara cur ſoror dicta, & an licuerit aliquando accipere ſororem in coniugem.*
6 *Coniugium ſola poſteritatis dilectione ineundum.*
7 *Proles deſiderāda coniugibus, quæ Deum benedicat.*

VERS. VII.

Amb. lib. 6. de ſacram. c. 5.

1 DIXITQVE *Tobias*, à laudibus incipiens, quia, teſte Ambroſio, accedentem ad orationem non decet quaſi famelicum ad cibum de cibo incipere; ſed ante à laudibus Dei, vt oratores ſapientes faciunt, qui, vt iudicem fautorem ſibi præſtent, ſibique beneuolum faciant cognitorē, ante quam poſtulationem ſuā depromant, primum laudant eū, deinde etiam rogāt, vt patienter dignetur audire, & ratio eſſe poteſt, quia, cum fiducia, vt alias vidimus, ſit fundamentum impetrationis, maxima repletur homo fiducia, ſi anteqnā deſideratū po

Fiducia diuinis laudibus acquiritur.

ſtulet ipſas diuinas laudes celebret: Dixit itaque Tobias ad orationem accedens.

Domine Deus patrum noſtrorum. Patrum noſtrorum dicit, quòd ſingularis Dei erga patres ſuos beneuolentia, & beneficentia, & ipſorum erga Deum eximia pietas, obediētia, & religio mirabiliter olim eluxiſſet.

2 *Benedicant te cæli, & terra.* Sic omnes creaturas ad diuinas laudes prouocat vſitata ſcripturæ proſopopæia, qua de rebus inanimatis, mutis, ratione carentibus loquitur, ac ſi ſenſum, & rationem, orationiſq. vſum haberent: laudant enim creaturæ Deū, vt docet Euthimius, dum ſua magnitudine, pulchritudine, perfectione, ſitu, vtilitate, miniſterio ſpectatores ſuos, in admirationē, laudemque factoris inducunt. Sic *cæli*, ait Pſaltes, *enarrant gloriam Dei. Quomodo*, inquit Chriſoſt. *Cæli enarrant gloriam Dei, dic mihi, Vocem non habent, os non poſſident, ipſis non eſt lingua, quomodo igitur narrant? per ipſum aſpectum: cùm enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celſitudinem, ſitum, formam, per tantum temporis permanere, tanquam voce audiens adoras eum, qui tam pulchrum, & admirabile corpus creauit: tacet cælum; ſed ipſius aſpectus vocem tuba clariorem emittit per oculos, non per aurem docens.* Spectatoris enim lingua ipſæ creaturæ quodammodo vtentes ad Dei laudē, laudant Deum, eique benedicunt: laudant tamen ipſum Deum ſpecialiter cæli, quippe, qui præter cætera Dei opera corporea, ſumma ratione, & arte facti, diuinæ intelligētiæ, & ſapientiæ illuſtriora monumenta, & clariora ſunt teſtimonia; quare ſingulariter etiam opera digitorum Dei dicuntur. Sic benedicunt illi Deo admirabili ſua natura, cuiuſcunq; corruptionis experte, immenſa ſua magnitudine, mira rotunditate, & orbium varietate: nā licet de cælorum numero in ſacris literis nihil explicitè tradatur, ſecundum tamen receptam Phyſicorum, & Mathematicorum ſententiam ſunt multiplices. Terra etiā, & mare, fontes, & flumina mirè Deo benedicunt, terra quidem, hoc eſt terrena omnia, montiū arduitate, vallium humilitate, camporū planitie, collium elata mollitie, ſpecuum multifaria cauitate: mare æſtu ſuo effluente, & refluente, dum quaſi ſibi ipſi ſuperfluum, vt aquis exoneretur, terras ingreditur, eaſq. latiſſimè inundat, mox tanquam aquarum ſitiens, eaſdem colligit, atque reſorbet. ſic fontes, & flumina, & omnes creaturæ Dei, quæ in eis ſunt, mira ſua ipſorum qualitate, & natura, omnes Deo benedicunt: meritò itaque Tobias: *Deus patrum noſtrorum benedicant te cæli, & terra.*

VIII.
3 *Tu feciſti Adam.* Vox *Adam* Hebraicè אדם vox eſt apud Hebræos communis, nō ſecus, ac apud Latinos, *homo*, hic tamen primum hominem de limo terræ à Deo formatum ſignificat.

Euthimius in pſ. 148.

Pſ. 18. 2.

Chryſ. in pſ.

De cælorum numero nihil explicitè in ſacris litteris.

De limo terræ. Hebraicè in Geneſi eſt עפר, aphar, qua voce puluis ſignificatur, quia tamen non ex puro puluere, natura ſua tenui, & diſſipabili, nec ſua vi in ſolidū aliquod corpus compingibili; ſed ex puluere, & aqua, ſeu terra limoſa, ac cœnoſa, quali nempè vti ſolent figuli, fuit homo formatus, vt Interpres, & Tobias legunt. *de limo terræ.*

4 *Dediſtique ei adiutorium Euam.* Ad procreandam ſcilicet ſobolem. Vnde addit Syrus. *Et ab inter vtroſque natum eſt ſemen hominum.* nam, vt Auguſtinus ait; *Si quæritur ad quam rem fieri oportuit hoc adiutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos, ſicut adiutorium ſemini terra eſt, vt virgultum ex vtroque naſcatur; hoc enim & in prima rerum conditione dictum eſt: maſculum, & fœminam fecit eos Deus, dicens: creſcite, & multiplicamini, & replete terram: quæ ratio conditionis, & coniunctionis maſculi, & fœminæ, atque benedictio Dei, nec poſt peccatum hominis, pœnamque defecit. Aut ſi ad hoc adiutorium gignendi filios non eſt facta mulier viro, ad quod ergo adiutorium facta eſt?*

VERS. IX.
5 *Non luxuriæ cauſa.* Arabs: *cauſa delectationis.* quia vt Auguſtinus etiam ait: *patres illi veteres, ſicut ſapienter in cibo, & potu, non niſi in ſalutem corporis, ſic in cōcubitu, non niſi procreationē filiorū intuebātur.*

Accipio ſororem meam coniugem. Hæc eſt conſobrinam, vt ſupra vidimus. Cæterū *fratres, ſiue ſorores*, ait Auguſtinus, *generali nomine conſanguineas ſolere apud veteres appellari ſcriptura teſtatur: nam & Tobias dicit, cum Deo oraret antequam miſceretur vxori: Et nunc Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam, cum eſſet illa non ex concubitu eiuſdem patris, nec ex eodem matrimonio; ſed ex eadem ſtirpe cognationis exorta. Et Loth frater Abrahæ dicitur, cum patruus eius eſſet Abraham, ex qua vocabuli cōſuetudine, etiam fratres Domini vocantur in Euangelio, non vtique quos Maria virgo pepererat; ſed ex eius conſanguinitate omnes propinqui*, quod etiā nos ſupra vidimus. Alioquin accipere ſorores carnales in coniugē, nō modo lex vetuit; ſed ipſa natura prohibuit, vt pluribus probat Tertullianus, Minutius, & cōmuniter expoſitores in Leuiticū, vnde ſēper, & vbiq, apud omnes homines recta viuentes ratione iudicata ſunt talia cōiugia illicita, niſi extrema cogēte neceſſitate licitè fierent, vt accidit in filijs Adæ, qui ſorores accipere debuerūt, vt notat Aug. ad generis humani propagationē; præberetur enim anſa maxima inceſtis libidinibus inter eos, qui adeo arctè coniūcti ſimul ab incunabulis nutriuntur, vt vel ſic validè coniungi poſſent matrimonio, cuius quoq; vſus ob immodicum ardorē, nimius, & noxius eſſet. Quare exiſtimauit Ariſtoteles

Gen. 2. 7.

Syrus.

Aug. lib. 9. de Gen.

Aug. lib. 3. de doctr. chriſt.

Sup. in c. 7. v. 2.

Aug. ibid.

Fratres, & ſorores dicuntur in ſacris literis, etiam cōſanguinei.

Sup. c. 3. v. 2. & 8.

Tertull. apolog. c. 9.

Minutius in Octau. apud Arnobium in c. con. gen.

Expoſit. in Leuit. c. 18. 9.

Aug. l. 15 de Ciu. c. 16.

Ariſt. 2. Polit. c. 2.

hæc

hæc matrimonia turpiſſima, ſicut parentum cum filijs.

Syrus. *Arabs.*

6 *Sed ſola poſteritatis dilectione.* Syrus. *ſed ſecundum conuenientiam legis.* Arabs. *Sed in amorem filiorum.* Hoc eſt, propter bonum prolis, quod primum numerant doctores inter matrimonij bona, quo, ſicut S. Thomas docet, compenſatur virginalis integritatis amiſſio, & offuſcatio rationis, quæ actum coniugalem conſequitur: nam ſi coniuges conueniunt ſine intentione generandæ prolis, vel ſibi inuicem coniugalem debitum reddendi, eodem S. Thoma teſte, non excuſantur à peccato; ſi verò vir, & vxor, non aliter coniugem cognoſcent, quàm ac ſi eſſet aliena moli.r, vel vir alienus, ob ſolam carnalem delectationem, peccarent mortaliter. Delectatio tamen, quæ in actu coniugali cum ſua coniuge honeſta quæritur, ex ſe peccatum non habet, aut veniale tantum, cum actus coniugalis ſemper honeſtus, ac bonus ſit, niſi extra limites temperantiæ vagetur, & delectatio in eo immoderatius quæratur.

S. Tho. in ſupplem. q. 49. ar. 5. & 6.

Idem vbi ſupra.

Coniuges quando inter ſe conuenientes peccent.

7 *In qua benedicatur nomen tuum in ſeculum ſeculi.* Talem nimirum ex coniugio prolem deſiderans, quæ Deo in æternitatem benediceret, in vita ſcilicet hac mortali, & poſtea in vita immortali, in qua beati æuo ſempiterno fruentes Deo in ſeculum ſeculi benedicunt. Etenim *in prole*, ait Auguſtinus, *attenditur, vt amanter ſuſcipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur*, docens finem matrimonij eſſe prolem gignere, quæ Deum colat, & veneretur, vt & ipſi liberos procreent, è quibus Chriſti reſpublica exornetur, & regnum cælorum incrementum accipiat. Vnde non malè matrimonium ſeminarium quis dixerit triumphantis, ac militantis Eccleſiæ, eaque de cauſa illud ipſum virginitatis radicem appellauit Nazianzenns.

Aug. li. 9. de Gen. ad lit. c. 7.

Naz. in carm. de virginit.

Quas acceptiones habeat in ſacris literis vox ſeculum ſeculi infra dicemus.

infra.

Quòd in omni opere noſtro ſoli Dei gloria reſpicienda ſit.

DOCVMENTVM.

A

DOCET in hoc poſtremo verſiculo Tobias, dum prolem eo ſolo fine deſiderare ſe dicit, vt nomen Dei benedicatur in ſeculum ſeculi, nihil aliud in noſtro opere, quodcunque illud ſit, à nobis quærendum, niſi Dei gloriam. Vnde & Beatus Paulus: *Omne quodcunque facitis*, ait, *in verbo, aut opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti gratias agentes Deo, & Patri per ipſum.* Et alibi: *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* *Intellige*, inquit Origenes, *Apoſtoli ſermonem, quo ait, ſiue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Quod enim poſt manducare, & bibere dicit, ſiue aliud quid faciatis, inuerecunda coniugij negotia, verecundo ſermone ſignauit. oſtendens etiam ipſa ad Dei gloriam geri, ſi poſteritatis ſolius contemplatione procurentur: nam in gloriam Dei edere, & bibere, & aliquid facere*, ait Ambroſius, *hoc eſt, vt ſub inuocatione Creatoris cum modeſtia conuiuium celebretur; in gloriam enim Dei aliquid fit, cum in actibus, & conuerſatione Chriſtiani Deus laudatur, vel cum filiorum procreatio à Deo ſperatur.* Nil itaque nobis in noſtro opere eſt perſpiciendum, niſi Dei gloria, & honor, quod facimus quotieſcunque in eo, non noſtra quærimus, ſed Dei gloriam. Et certè ſi Ioab conſiderans ſe eſſe Dauidis ſeruum, & ducem, renuit quam accepit victoriam Rabatharum nomini ſuo adſcribi. Vnde Dauidi hæc ſcripſit: *Congrega reliquam partem populi, & obſide ciuitatem, & cape eam, ne cum à me vaſtata fuerit vrbs, nomini meo adſcribatur victoria*; quid nobis faciendum eſt, qui operis noſtri, vt habet Beatus Paulus, velle, ac perficere à Deo habemus, & conſequenter illud totum, quod bonum eſt in eo? ſic ille: *Deus*, ait, *eſt, qui operatur in nobis velle, ac perficere.* Solet enim ſacra ſcriptura, quandocunque totum aliquod vult plenè comprehendere, nihilque illius penitus, omittere, media omnia ſub extremorum explicatione complecti. Sic volens oſtendere Deum omnium rerum creatorem: *In principio*, ait, *creauit Deus cælum, & terram.* Et Chriſtus, vt ſe verè Deum, vti erat, oſtenderet omnium creatutarum: *Data*, inquit, *eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Et idem Beatus Paulus. Omnia bona Romanis, & Corinthiis, fauſtaque exoptans: *Gratia*, inquit, *vobis, & pax à Deo*, gratia quidem quæ vitæ eſt ſpiritualis initium, & perfectio, *& pax*, quæ eiuſdem eſt vitæ finis in gloria. Sic volens totius boni operis noſtri ſtructnram, quæ velle habet principium, & finem perficere à Deo eſſe docere: *Deus*, ait, *operatur in nobis velle, & perficere.* Dixerat quidem Iſaias: *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.* At his verbis Beatus Paulus non ſolum opera; ſed quicquid in illis eſt bonitatis à Deo eſſe docuit: nam licèt habeat homo virtutem, & potentiam ad benè operandum; virtutis tamen noſtræ gloria ipſemet Deus eſt, qui efficaci ſua gratia facit, vt operari velimus, perficiamusque opus, quod facere poſſumus. Sic Pſaltes Deum alloquens, ait: *Quoniam gloria virtutis eorum tu es, & in nomine tuo exaltabitur cornu noſtrum.* Cornu noſtrum, ideſt, vt explicat Theodoretus, fortitudo, & virtus noſtra ad benè operandū.

Coloſſ. 3. 17.

1. Cor. 10. 31.

Orig. hom. 5. in Gen.

B

Amb. in c. 10 ep. ad Cor.

2. Reg. 12. 28.

Quod in opere noſtro bonum eſt, totũ à Deo eſt.

C

Philipp. 2. 13.

Gen. 1. 1.

Matt. 28. 18.

Rom. 1. 7.

1. Cor. 1. 3.

D

Iſaia 26. 12.

Theodoretus in Pſal.

Bern.ſerm.13 in Cant. Vnde: *ſi qua ſanè in ſanctis,* ait Bernardus, *digna laude, vel admiratione intueor, profectò reperio vnum apparere laudabilem, & mirabilem, & alium verè eſſe laudabilem, & mirabilem; homo namque laudabilis, & mirabilis apparet; ſed Deus eſt, qui verè laudabilis eſt, & mirabilis in illo, & ita iuxta Dauidis admonitionem, laudabo Deum in ſanctis eius: ſiue ſit Eliſaus, ſiue ille magnus Elias, mortuorum vtique ſuſcitatores. Deus enim in ipſis manens, ipſe facit opera inuiſibilis, & inacceſſibilis in ſe, in ſuis ſpectabilis, atque mirabilis eſt, ſolus mirabilis, qui facit mirabilia ſolus.*

B Homo apparet laudãdus, vere tamen Deus laudandus eſt.

1. Tim. 1. 17. Iure itaque, vt Beatus Paulus ait, *ſoli Deo honor, & gloria* eſt danda, quærendaque in omni opere noſtro, operis merito contenti, *2.Cor. 4. 17.* quod, vt idem Beatus Paulus ait, *æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* dum, ſicut *Aug.ep. 105.* Auguſtinus docet ſua ipſius dona Deus coronat in nobis.

VERS. XI.

Et factum eſt circa pullorum cantum, accerſiri iuſſit Raguel ſeruos ſuos, & abierunt cum eo pariter, vt foderent ſepulchrum.

VERS. XII.

Dicebat enim, ne forte ſimili modo eueniat ei, quo & cæteris illis ſeptẽ viris, qui ſunt ingreſſi ad eam.

1 *Spes in rebus arduis vacillat.*
2 *Varia lectio.*
3 *Sara quot viros habuerit.*

1 QVIA arduis in rebus cum earum tempus adeſt, vel, vt fieri poſſint, vel certè, vt cognoſci iam, audiriq. debeant, ſpes vacillare ſolet, timẽs Raguel, ne forte ſecus eueniret, quàm ſperauerat, dixerat enim ſupra: *Non dubito, quòd Deus preces, & lacrymas meas in conſpectu ſuo admiſerit.*

VERS.XI. *Arabs.* 2 *Factum eſt circa pullorum cantum.* Hoc eſt, in conticinio. Arabs: *prope galli cantum.* Ea ſcilicet parte noctis, quæ media eſt inter gallicinium, & diluculum, in qua conticeſcunt galli.

Arabs. Syrus. *Accerſiri iuſſit ſeruos ſuos.* Arabs. *Præcepit Raguel pueris ſuis, vt venirent ad ſe.* Syrus. *Et dixit filiis domus ſuæ, ite, facite ſepulchrum in nocte.* qui Domino obſequentes.

Abierunt cum eo pariter, vt foderent ſepulchrum. Et quidem extra domum, quin etiam *Inf.hoc cod.c. v 13.* fortè, vt dicam inferius, extra ciuitatem.

VERS.XII 3 *Dicebat enim.* Arabs. *Quoniam ipſe timuit, ne contingeret Tobiæ, ſicut contigit ſeptẽ viris.* Syrus. *Et ſi mortuus eſt, ſepelite eum in monumento hoc, ita vt nemo ſciat, & non ſit nobis opprobrium.* *Arabs. Syrus.*

Septem viris. Ambroſius ſex tantum Saræ viros mortuos numerat; at ex hoc loco ſeptẽ fuiſſe liquet: & fortè, vt opinatur Serarius, illos ſeptem fratres, de quibus apud B. Matth. vel certè alios propinquos, quibus nuptię iſtę deberentur, neque enim eos tales fuiſſe credendum eſt, quàles putauit Carthuſianus, vt ſupra docui. *Amb.li.3. de offic.c.14. Serar.c.7.q.2 ſup.c.6.v.17. Matt. 22. Carthuſian. hic.*

Quòd propriæ quiſque conſulere debeat exiſtimationi, & ab omni ſpecie mali abſtinere.

DVM Raguel, vt propriæ conſuleret exiſtimationi, proximique deuitaret ſcandalum, tanta ſolicitudine Tobiæ Octaus Saræ viris ſi contigiſſet, mortem occultare curat, nos docet quãta cura propriæ exiſtimationi conſulere debeamus: nam certè inter omnia, quorum cura homini probo ſeriò agenda eſt, famæ, & nomini bono, vel maximè conſulendum, vt enim Hieronymus ait: *Apoſtolici præcepti, & exempli eſt, vt habeamus rationem, non tantum cõſcientiæ; ſed etiam famæ,* iuxta illud B. Pauli: *Prouidentes bona, non tantùm coram Deo; ſed etiam coram hominibus:* quod iuxta Sapientis dictum. *Melius ſit bonum nomen, quam diuitiæ multæ:* nam reſpiciunt diuitiæ bonum vtile, caducum, & cum ipſa vita deficiens, at bona fama bonum honeſtum; quod vtile valdè præcellit, noſque etiam mortuos ſequitur. *A* *Hier. ad Celãciam ep. 14.* *Rom. 12. 17.* *Prou. 22. 1*

Quare meritò Auguſtinus eos redarguit, qui dum immunes à flagitijs, & facinoribus viuant, nihil de eo quod alij de ipſis ſentiant, curant: quia iuxta Ciceronis cẽſuram: *Negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt; ſed etiam omnino diſſoluti.* cum è contra ingenui, & liberalis viri ſit velle de ſe benè audire: nam, quamuis reſpectu bonorum animæ valde exiguum quid ſit bona fama; efficere tamen illa ſolet in homine, quod cortex in pomo, qui licèt tenuis, & leuis ſit; illud tamen ita conſeruat, vt ſi ab illo ſemoueatur, ſtatim corrumpi incipiat, & ſicut qui mundam induit veſtem, cautè eam à ſordibus cuſtodit, quod non facit, qui veterem, & iam ſordeſcẽtem habet; ita qui mundam habet famam, à minima quaque detractione, & calumnia ſibi cauere ſolet, quod non facit, qui famam iam nigreſcentem habet. *Aug.lib.de ben.vid.22. q.3.* *B* *Cic. de offic. lib.1.*

Maxime itaq; laudandus eſt, qui cũ Raguele bonæ ſuæ conſulit exiſtimationi; ſi tamen ſine fuco id faciat: nã, vt quidam optimè dixit: *Miſera eſt foris fama, niſi ſit præſidium domi.* Quinimmo, vt ait Hieron. *Magna eſt le-* *C* *Scalig. ep. ad Silu.* *Hier. vbi ſup.*

uitas

Digitized by Google

uitas animi, magna vanitas, relicta propria conſcientia, alienam opinionem ſequi, & quidem fictam, & ſimulatam. quod facilè aſſequitur quicunque ſollicitè curat, ne aliquid operetur, quod proximo ſuo ſcandalo eſſe poſſit. Vnde Beatus Paulus Theſſalonicenſibus, *ab omni*, inquit, *ſpecie mala abſtinete vos.* Docens, licita etiam, & vtilia aliquando nobis relinquenda eſſe, quæ ſpeciem mali habent, ne ſcandalo ſimus puſillis; vt enim Gregorius ait, *imperfectum eſt, quod ſic agitur, vt ne quid ei ex alio latere malè ſubrepat, non attendatur, niſi forte hoc, quod ſine cuiuſpiam ſcandalo fieri non poteſt, culpa ſit non fecisse*: nam, *væ mundo à ſcandalis*, ait Chriſtus, *Veruntamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Vnde *ſi propter cibum*, ait Beatus Paulus, *frater tuus contriſtatur, iã non ſecundum charitatem ambulas, noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Et ad Corinthios: *Si eſca, inquit, ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Ea propter manuũ labore cibum ſibi quæritabat, ne cuiquam ſcandalo eſſet. immo Saluator ipſe cum dixiſſet Petro: *Ergo liberi ſunt filij*; ſubdit, *vt autem non ſcandalizemus eos. Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem, illum ſumes, da eum pro me, & te. Ex qua re*, ait Gregorius, *nobis conſiderandum eſt, quia in quantum ſine peccato poſſumus vitare proximorum ſcandalum, debemus. Circumſpectemus itaque*, ait Chryſoſtomus, *nullique vel tenuem querimoniæ cauſam præbeamus*: poteſt enim vita hæc noſtra cum ſtadio conferri, & nos ipſi quammultis oculis abundemus neceſſe eſt, neque quoquam id pacto credere, ignorantiam ſcilicet ſatis nobis ad excuſationem valituram.

Famam conſeruat ſuã, qui nemine ſcandalizat.

1. *Theſſal.* 5. 22.

Licita etiam aliquando propter ſcãdalum relinquenda.

Greg. hom. 7. in Ezech.

Matt. 18. 7.

Rom. 14. 15.

1. *Cor.* 8. 13.

Matt. 17. 25. 26.

Greg. ubi ſup.

Chryſ. tom. 5. ſer. de ſcandalo vitando.

E

Ne, Angelo percutiente prætereunte, perirent filij Iſrael cum Aegyptiis, non ſatis habuit Dominus eos in domibus agnum cum lactucis agreſtibus, pedibus calceatis, & habentes baculos in manibus comedere; ſed etiam voluit, vt ſuperliminaria, & vtrumque poſtem ſuæ ipſorum domus, eiuſdem agni ſanguine aſpergerent; vt ſanè nos doceret, non ſolum interiorem animi ſanctitatem, & iuſtitiam; ſed etiam ad vitandum ſcandalum externam eſſe neceſſariam. ad quod etiam ſignificandum arcam teſtamenti, intus & foris auro tectam voluit: & profectò, qui vel hac de cauſa mala, & imperfectiones minimè vitat, non ſolum apud Deum ſuorum erit peccatorum reus; ſed etiam eorum, qui ſuo exemplo ſcandalizantur: nam ſicut ille, qui alios ad furandum inuitat, non tantum quod ipſe ſurripuit; ſed illud quod comites rapuerunt, iure reſtituere debet; ita qui malo exemplo ſuo alios ad aliquod malum allicit, ſe ſuo peccato, & aliorum adſtringit. Quapropter docet Chryſoſtomus, ita eſſe odibile Deo ſcandalum, vt peccata grauiora, in quibus fratris non eſt ruina, diſſimulare videatur: non autem leuia, in quibus frater offenditur, quæ frequenter, præſenti etiam vindicta plecti cernimus. Sic ſororem Sanctæ Catharinæ Senenſis è medio legimus ſublatam, & grauiſſimas purgatorij pœnas pendere coactam fuiſſe, quod multa vi precum, Chriſti virginem ad faciem ornandam impulerit, vt illam ad coniugii ſpem, mundiq. amorem allieeret. Cuius rei aliud etiam formidabilius exemplum, narrat Hieronymus his verbis. *Prætexta nobiliſſima quondam fœmina, iubente viro Himetio, qui patruus Euſtochy virginis fuit, habitum eius, cultumque mutauit, & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens, & virginis propoſitum, & matris deſiderium, & ecce tibi eadem nocte cernit in ſomnis veniſſe ad ſe Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: tu ne auſa es viri imperium præferre Chriſto? Tu caput virginis Dei tuis ſacrilegis attrectare manibus? quæ iam tunc areſcent, vt ſentias excruciata quid feceris, & finito menſe quinto ad inferna duceris: ſin autem perſeueraueris in ſcelere, & marito ſimul orbaberis, & filijs: omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſeræ pœnitentiam velox ſignauit interitus.*

Exod. 12.

Alios ſcandalizans duplicis etiam peccati reus.

F

Chryſ. tom. 5. ſer. cont. concub.

Raymund. in vit. S. Catharinæ Sen. n.

Deus leuia peccata quę ſcandali occaſio sũt, grauiter punit.

Hier epiſt. ad Lætam.

G

Hactenus Hieronymus, quibus ſanè manifeſtum relinquitur, quanto odio proſequatur Deus eos, qui alios ſcandalizant.

VERS. XIII.

Cumque paraſſet foſſam, reuerſus Raguel ad vxorem ſuam, dixit ei.

VERS. XIV.

Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat ſi mortuus eſt, & ſepeliam eum, antequam illuceſcat dies.

1 *Hebræorum ſepultura cur extra vrbes.*
2 *Externarum gentium, num eadem eſſet conſuetudo.*

C*VMQVE paraſſet foſſam.* Arabs. *Cumque præparaſſet ſepulchrum.* ipſe nimirum Raguel cum pueris. Syrus. *Cum autem exiſſent ſibi filij è domo, vt facerent ſecundum id, quod præcepit eis.*

VERS. XIII.

Arabs.

Syrus.

1 *Reuerſus Raguel.* vna cum pueris è loco nimirum, vbi ſepulchrum parauerat,

quod extra domum fuiſſe neceſſe eſt; tum ex eo quod reuerſus domum dicitur; tum quia Hebræorum mos fuerat mortuos, non modò extra domum; ſed etiam extra vrbes ſepelire, vt ex pluribus ſacræ hiſtoriæ locis apparet: nam Lazari ſepulchrum extra Bethaniã fuiſſe, & Ioſephi Arimathei, extra Ieroſolymam Beati Ioannis in Euangelio legimus. Idipſum patet ex hiſtoria viduæ Naimitanæ. Monumenta etiam illa, in quibus domiciliũ habebat dæmoniacus, extra vrbem Gereſenorum fuiſſe teſtatur B. Matthæus. Præterea illuſtre huius rei teſtimonium extat in hiſtoria paſſionis Saluatoris noſtri; poſt cuius reſurrectionem plurimos Sãctos, tumulis ſuis relictis, in ſanctam vrbem ingreſſos eſſe, & multis apparuiſſe, narrat B. Matthæus. *Cuius moris* ratio afferri ea poteſt, quod ex diuinæ legis præſcripto, vetitum illis fuerit tangere, non modo occiſi hominis, vel per ſe mortui cadauer; ſed etiam eius oſſa, vel ſepulchrum, & qui tangebat, ſeptem diebus erat immundus. Hæc ſunt verba legis: *Si quis in agro*, in quo ſcilicet mortui ſoliti erant ſepeliri; *tetigerit cadauer occiſi hominis, aut per ſe mortui, ſiue os illius, aut ſepulchrum, immundus erit ſeptem diebus*, quare conueniens apparebat, vt in locis ab omni humano comercio ſemotis, mortui ſepelirentur. Verum Abulenſis rationem huius moris ſepeliendi mortuos extra vrbes in agris, communem docet eſſe cæterarum omnium gentium conſuetudinem: *Monumenta*, inquiens, *Iudæorum non erant in ciuitate; ſed extra vrbes in montibus, & alijs locis, quia nullius gentis fuit olim conſuetudo ſepelire mortuos in ciuitatib. ſuis; ſed extra in agris.*

Sepulturæ Hebræorum extra Vrbes.
Io. 11. & 19.
Luca 7.
Matt. 5.
Matt. 27.
Num. 19.
Mortuorum cadauera cõtingere Hebræi vetabãtur.
Abulenſis in c. 6. Matth. q. 98.

2 Fuit etiam hic mos apud Romanos iam inde vſque à primis vrbis incunabulis vſitatus, vt exemplo Numæ probari poteſt, quem in Ianiculo humatum Liuius, & alij grauiſſimi ſcriptores tradunt, exemplo etiam Seruij Tullij, & aliorum: qui teſte Dionyſio, renouatus primo fuit legibus duodecim Tabularum, deinde etiam Senatuſconſulto, & conſtitutionibus imperatorijs. Athenienſes etiã, Smyrneos, Sydonios, Corinthios, Syracuſanos, & alios idem facere conſueuiſſe Ioannes Kirckmañus libro ſuo de funeribus Romanorum demonſtrat.

Tit. Liu. lib. 1.
Dionyſ. li. 4.
Io. Kirckmannus li. 2. c. 20

Verum perpetuam hanc conſuetudinem non fuiſſe apud Romanos, docet Iſidorus, qui eos aliquando ſuos domi in laribus ſepelire conſueuiſſe tradit, quod etiam teſtatur de Aegyptijs Diodorus, & de Perſis Herodotus, & Strabo. Apud Lacedæmonas vero lege Licurgi ſancitum fuiſſe, vt propè templa ſepulchra ſtatuerentur, docet Plutarchus: & quidem, vt iuuenes conſueſcerent non timere mortem, neue putarent inquinari homines, qui vel cadauer attingerent, vel per ſepulchra tranſirent: vtque iidem virtutes eorum imitari conarentur, quorum ſepulchra viderent.

Iſid. lib. Euthim. c. 11.
Diod. li. 2.
Herod. li. 13.
Strabo.
Plutarch. in vit. Licurgi.

Ad vxorem ſuam. Græcus: *Domum ſuam.* Addit Syrus: *Vocauit Raguel coniugem ſuam.*

Græcus.
Syrus.

XIV.

Mitte. Græcus: *Mitte quampiam ancillam exploratum.*

Græcus.

Vt videat. Addit Syrus: *cum pace*, nimirum quietè, & abſconditè.

Syrus.

Si mortuus eſt, & ſepeliam, antequam. Græcus: *Vt eum ſine teſte ſepeliam.* Arabs: *Ante lucem.*

Græcus.
Arabs.

Quòd mortuos in Cœmeterijs, vel Eccleſijs ſepeliant Catholici, ad ſui ipſorũ inſtructionem, & mortis memoriã.

DOCVMENTVM.

A

SANE Lacedæmonum morem ſepeliendi mortuos propè tẽpla, de quo in commentario, laudatiſſimum ex eo eſſe conſtat, quòd illum Eccleſia Catholica, hodieque ſeruat, & ad tempora vſque Auguſtini ſeruabat, vt ipſemet Auguſtinus his verbis teſtatur. *Quod ſi prouiſus eſt*, inquit, *in ſepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, bonæ affectionis humanæ eſt erga funera ſuorum, quoniam ſi nonnulla religio eſt, vt ſepeliantur, non poteſt nulla eſſe, quando vbi ſepeliantur attenditur.* Et infra: *Cum ergo fidelis mater fidelis filij defuncti corpus deſiderauit in baſilica martyris poni, ſiquidem credidit eius animam, meritis martyris adiuuari, hoc, quod ita credidit, ſupplicatio quædam fuit.* Ex quo ſepeliendi fidelium more, non ſolùm illæ, quas Plutarchus recenſet, vtilitates eliciuntur; ſed illæ etiam maiores, quas idem Auguſtinus memorat, fidelium ſcilicet preces pro defunctis, & memoria mortis pro viuis: etenim, *dum fideles ſepulchra ſuorum conſpiciunt*, ait ille, *eiſdem ſanctis illos tanquam patronis ſuſceptos apud Dominum adiuuandos orando commendant.* & infra: *Non ob aliud mortuorum ſepulchra memoriæ, vel monumenta dicuntur, niſi quia ea, qui viuentium oculis morte ſubtracti ſunt, ne obliuione etiam cordibus ſubtrahantur, in memoriam reuocant, & admonendo faciunt cogitari.* & paulo poſt. *Dum itaque recolit animus vbi ſepultum ſit cariſſimũ corpus, & occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendet recordantis, & precantis affectus.*

Sup. hoc eod. verſ.
Aug. li. de cura pro mortuis habẽda.
Conſuetudo cœmeteriorũ antiquiſſima.
Idẽ vbi ſup.
B
Sepulchra cur dicãtur monumenta.
Sepulchrorum aſpectus mortis memoriã excitat.
C

Eliciunt etiam fideles ex inſpectione ſepulchrorum memoriam mortis, qua ſanè nihil efficacius experimur ad rebellem voluntatem à peccatis auocandam. nam, & *quis*, ait Iob de peccatore verba faciens, *arguit coram*

Iob 21. 31

eo viam eius, & quæ fecit quis reddet illi? Arguere hic iuxta expoſitionem Sancti Thomæ, idem eſt, atque conuincere, vt etiam apud Beatum Ioannem, vbi Chriſtus ad Phariſæos: *quis*, inquit, *ex vobis arguet me de peccato?* Et apud B. Iudam: *Veniet Dominus arguere impios*. Itaque *quis*, ait Iob, diuitem potentem, & pertinacem in ſuis peccatis, rationibus valebit conuincere, & antefaciem eius, quæ mala fecit proponendo, à malo eum reuocare? Quaſi dicat præter Deum nullus. *Aliquando enim*, ait Gregorius, *in ſacra ſcriptura, cùm interrogando, quis ponitur, omnipotens deſignatur. Ipſe*, ſequitur Iob, *ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* Et qui oculos ſolum in malis apertos habebat, iam mortis memoria in bonum aperiet, & oſcitantiam pellet. Sic, vt in Exodo habetur, *cum percuſſiſſet Aaron*, iuxta Dei præceptum, *puluerem terræ* facti ſunt Sciniphes, quæ cum muſcæ ſint, teſte Auguſtino, minutiſſimæ, inquietiſſimæ, & inordinatè volantes in oculos, nec permittentes homines quieſcere, quia, dum abiguntur, iterum irruunt, dum expulſæ fuerint, iterum redeunt, typum tenent inquietudinis, aut inquietorum, qui nullam in ſe requiem tenent, nec alijs concedunt; ita in mente eius, qui memoria mortis puluerem mortuorum ad ſepulcra percutit, talium cogitationum ſciniphes oriuntur, qui eum euigilare faciunt, *in congerie mortuorum euigilabit.* ò vtinam peccatores puluerem hunc percuterent. Vtinam deſcenderent, vt rogat Dauid *in infernum viuentes*: euigilarent profecto, & quid ſibi hæc mundana ſint profutura conſpicerent. ſic, *Veniat*, ait ille, *mors ſuper eos, & deſcendant in infernum viuentes*, hoc eſt quod orat Dauid: *Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos*. Vatablus, & Pagninus. *Pone Domine timorem ſuper eos*. habeant nimirum timorem mortis pro legiſlatore. ſic B. Paulus: *mors*, ait, *in nobis operatur, timor autem in vobis*. Vbi Anſelmus; *Mors*, inquit, *operatur, idest dominium exercet in nobis, vos ad voluptates vitæ tenditis, ſic exercet quidem mors dominium in iuſtos*. quia de ea dum illi cogitant, facit eos omnia mundana contemnere, vt ſe ipſos valeant ad eam præparare, quo pacto omnibus Chriſtus faciendum præcipit, dum ait: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs*. Sic mors operata eſt indefeſſas in Hieronymo vigilias, & lacrymas, in Paulo eremitarum Principe fugam ſeculi, & in alijs alia, contra vero vitæ longæ ſpes facit mundanos quærere diuitias, voluptates, honores, & ſimilia. Benè itaque rogat Dauid, vt eis dominetur mors, habeâtque eam legiſlatricem, dum ait: *Veniat mors ſuper illos. & deſcendant in infernum viuentes*, ne, vt ait Bernardus, *deſcendant morientes*, cogitent ſcilicet mortem futuram illis principium æternæ damnationis, niſi mores & vitam in melius commutent: *hoc enim modo*, ait idem Bernardus, *cælorum incolæ, viri ſcilicet iuſti, in infernum deſcendunt, ſicut enim aſſiduè contẽplando reuiſere amant gaudia celeſtia, vt ardentius ea appetant; ſic & dolores inferni, vt horreant, & fugiant*. Alia plura de hac materia habentur inferius.

S. Th. in Iob.
Io. 8. 46.
Iuda 1. 15
Mortis memoria nos a peccatis auocat.
Greg. lib. 15. moral. c. 36.
Iob vbi ſup. c. 32.
D
Exodi 8. 17.
Aug. li. de cõmun. decẽ præcepto. c & ſer. 87. de temp.
Pſ. 54. 16.
E
Pſ. 9. 21.
Vatablus.
Pagninus.
Anſelm. in epiſt. Pauli.
Luca 12. 35. 36.
F
Bern. in trac. de vit. ſolit. ad fratres de monte Dei nõ lõge à princ.
G
Inf. c. 4. v. 2.

VERS. XV.

At illa miſit vnâ ex ancillis ſuis, quæ ingreſſa cubiculum reperit eos ſaluos, & incolumes, ſecum pariter dormientes.

VERS. XVI.

Et reuerſa nuntiauit bonum nuntiũ, & benedixerunt Dominum Raguel, & Anna vxor eius, & dixerunt.

VERS. XVII.

Benedicimus te, Domine Deus Iſrael, quia non contigit, quemadmodum putabamus.

VERS. XVIII.

Feciſti enim nobiſcum miſericordiã tuam, & excluſiſti à nobis inimicum perſequentem nos.

1 *Tobias, & Sara prima nocte coniugij quomodo ſecum pariter dormirent.*
2 *Boni nuntij aduentus quam lætus ſit.*
3 *Benedicere, pro gratias agere.*
4 *Deum cur vocent Raguel, & Anna Deum Iſrael.*
5 *Diabolus cur dictus inimicus.*

QVAE *ingreſſa cubiculum*. Arabs: *Quæ cùm ingreſſa eſſet ad eos*, nimirum poſtquam cubiculum clam aperuiſſet, lucernam ardentem in manibus habens, vt quid actum eſſet conſpicere poſſet (erat enim nox, vt ſuperius dictum eſt circa gallicinium) Ita Syrus; *Et miſit Anna puellam, quæ aperuit portam cubiculi, tenens lucernam in manu ſua.*

VERS. XV
Arabs.
Syrus.

1 *Reperit eos ſaluos, & incolumes, ſecum pariter dormientes*. Arabs, & Syrus: *Saluos dormientes ſimul*. Hebræus: *Simul, ſeu vna dormientes in pace, & tranquillitate*. quia poſt diutinam comprecationem, plorationem, vigilationem, & fatigationem, ſe ſe ad pauſandum, ſeu quieſcendum ſimul Tobias, & Sara, vel ſuper lectum, vel alibi reclinauerant,

Arabs.
Syrus.
Hebræus.

Digitized by Google

rant, & quidem, vt exiſtimo, nulla, ex eis,
quæ nuditatem operiunt veſte denudari;
nam *flagity principium, eſt*, vt hic ex En-
Serarius hic. nio Serarius, *nudare inter ciues corpora*.
Quod vt nouit ancilla, viditq. eos in pace
ſimul dormire, gaudens.

XVI. 2 *Reuerſa nuntiauit bonum nuntium*.
Ragueli, & Annæ gratiſſimum: nam, teſte
Prou. 25. 13. Sapiente, *ſicut frigus niuis in die meſſis, ita*
legatus fidelis ei, qui miſit eum, animam
ipſius requieſcere facit. quod ſenſu Bayni, ſi
Baynus in Prouerb. cut meſſoribus procul ab vmbra, procul à
fontibus maximis ardoribus anni ſumma
fatigatione laborantibus nihil amœnius po-
teſt contingere, quam niuium, vel glaciei
frigora, ita nihil optabilius, iucundiuſue
contingere ei' poſſit, qui de rebus magnis
nuntium miſſum, moræ impatiens, magno
deſiderio cum reſponſione attendit, quam
legatum fidelem cum optato reſponſo re-
deuntem videre.

3 *Et benedixerunt Dominũ, Raguel vi-*
delicet, & Anna vxor eius. Benedicere hic
accipitur pro gratias agere, vt etiam apud
Luc. 2. 28. B. Lucam, vbi dicitur. *Benedixit Simeon*
Deum, hoc eſt, gratias egit, quod promiſ-
ſa ſibi facta ſortita eſſent efficaciæ veritatẽ,
dixeruntque.

XVII. *Benedicimus te, Domine Deus Iſrael, quia*
non contingit quemadmodum putabamus.
Futurum ſcilicet, vt nobis contingeret, dum
noſtra conſideraremus demerita: neque
Sup. c. 7. v. 13 enim diffidebant de diuina miſericordia, vt
ſupra vidimus, ſed cum ſanctis reliquis, de
proprijs meritis.

4 *Deus Iſrael*. Peculiariter autem vo-
cant Deum, Deum Iſraël, quia licet Deus
omnium Dominus, & Deus ſit; quia tamen
à ſolo Iſraëlitico populo Iacobi, ſeu Iſraëlis
filio agnoſcebatur, & colebatur, vt Deus;
paſſim à prophetis peculiariter dicebatur
Deus Iſraël, vt tali periphraſi verus Deus
à falſis dijs gentium diſtingueretur.

XVIII. *Fecisti enim nobiſcum miſericordiam*
tuam, fugando nimirum Aſmodæum, qui
viros filiæ noſtræ occumbere faciebat, noſq.
dirè affligebat, contriſtabat, diffamabatq,
Arabs. *Et excluſiſti à nobis*. Arabs; *Expuliſti à*
nobis Aſmodæum.

5 *Inimicum*. Hic, vt etiam apud B. Mat-
Matt. 13. 39. thæum *inimicus*, abſolute diabolus dicitur,
non quod ſolus ſit hominis aduerſarius, &
hoſtis; ſed quia tantas inimicitias inde vſ-
Diabolus hoſtis hominis capitaliſſimus, & perſecutor aſſiduus. Vide quæ diximus cap. 4. v. 16. in doc. que à mundi exordio cum eo exercet, vt nõ
contentus mundũ, & carnem ei rebellantes
effeciſſe, eoſdem inſuper per ſe, alioqui ſatis
noxios ſuis caſtris adhibeat omni ſtudio cõ-
tendens, vt per carnis illecebras, mundiq.
inſidias, miſerum in peccatum, certamque
perniciem, ſenſim trahat, & quidem adeo
pertinaciter, vt hoc tantum ſibi munus in
mundo delegiſſe videatur; tantaque ſolici-
tudine, quanta nullus vnquam hominum
munus ſibi iniunctum exercere valuit; nam
diu, noctuq. ſemper circuit, vt B. Petrus ait,
quærens quem deuoret. *Hoc*, ait Auguſti-
Aug. ſolilog. c. 16. nus: *eſt continuum ſtudium eius, hoc vni-*
cum deſiderium eius, vt animas deuoret,
qui, ſiue dormiamus, ſiue vigilemus, ſiue
comedamus, ſiue quodcunque opus opere-
mur, omnibus modis inſtat die ac nocte, frau-
dibus, & artibus, nunc palam, nunc oc-
culte ſagittas venenatas contra nos diri-
gens, vt interficiat animas noſtras: Quod
Pſ. 37. 13. perpendiſſe videtur Pſaltes, dum ſub Abſa-
lonis, Architophelis, cęterorumq. ſe perſe-
quentium, perſonis, iuxta Gloſſam Caſſiodo-
ri, quam ſequitur Incognitus, de dæmoni-
bus agens: *Vim*, inquit, *faciebant qui quæ-*
rebant animam meam, & qui inquirebant
mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos
Dæmon animas illaqueare curat. *tota die meditabantur*. Vbi dæmones quæ-
rentes animas nominat, quippe qui non au-
rum, diuitias, aut corpus ipſum noſtrum
quærant; ſed animas, vt in Iob patet, cuius
facultates ex eo ſolum deuaſtauit, ipſiuſq.
corpus plagis peſſimis affecit, vt animam
Habacuc. eius perderet: vt enim Habacuc ait: *Eſt ei-*
bus eius electus, exclamatque, da mihi ani-
mas; cætera tolle tibi. Has vt habeant dæ-
Pſal. vbi ſupra. mones, ait Dauid, *vim faciebant*, ſeu, vt
legit Hebræus Vacankian à verbo נקש,
nakas, quod eſt illaqueare, aut laqueos ten-
Pagninus. dere; vnde legit Pagninus: *Et tenderunt la-*
queos, quærentes animam meam. Quod re
Athanaſ. in vit. S. Anton. ipſa verum eſſe oſtenſum fuit Antonio, qui
dum ſeculi voluptatum malignas illectio-
nes ſecum ipſe perpenderet, totum terrarum
Mundus totus laqueis à dæmone circumſeptus. orbem laqueis refertum ſe vidiſſe dixit: Et
quidem, eos tendit dæmon laqueos, quos
vniuſcuiuſque moribus magis conuenire
Greg. lib. 29. moral. c. 14. cognoſcit. Vnde Gregorius; *Intuetur*, ait,
inimicus generis humani vniuſcuiuſque mo
res, cui vitio ſint propinqui, & illis apponit
ante faciem, ad quæ cognoſcit facilius men-
tem inclinari, & ibi decipulam ponit, vbi
Cypr. lib. de zel. & liuor. in princ. *eſſe ſemitam mentis conſpicit*. Et Cyprianus:
Circuit, inquit, *nos ſingulos, & tanquam*
Vt dæmones ad peccandũ inducãt mores, cuiuſque conſiderant. *hoſtis, clauſos obſidens muros, explorat,*
& tentat, an ſit pars aliqua murorum mi-
nus ſtabilis, & minus fida, cuius aditu ad in-
teriora penetretur. Sic laqueo cœpit aua-
ritiæ Iudam auarum: voluptatis, otio va-
cantem Dauidem; & quidem eo tempore,
2. Reg. 11. 1. quo, ſicut ait ſacra hiſtoria, *ſolent reges ad*
bella procedere, homicidij, inuidum Cain,
odio fratrem ſuum perſequentem: inobe-
dientiæ, curioſe vetitum lignum circum
ſpectantem Euam. Sic noſtris affectibus qua-
ſi laqueis ſemper ad noſtram perniciem v-
Pſ. 37. 13. tens. Et *inquirentes mala mihi*, ait Dauid,
locuti ſunt vanitates, vana quidem mundi
huius, tanquam vere bona proponentes, cum
Eccle. 2. 10. vere vanitate tantũmodo ſint referta: *Om-*
nia, quæ deſiderauerunt oculi mei, ait Sa-
lomon, *non negaui eis. & in omnibus re-*

pe-

pers vanitatem, & afflictionem ſpiritus. Sic etiam *dolos tota die meditabantur*, totis mentis ſuæ viribus attendentes, ſiqua ratione poſſint nos decipere, dolis circunuenire, & irretire fraudibus; ita quo pacto auceps ramos virides, & auiculas, caueis quidem incluſas; ſed quæ euolare videantur poſſe, in campo arido ponit, in eoque ſpargit eſcam, canit fiſtula, vt volucres decipiat, viſcoque & laqueis capiat; ita diabolus in campo hoc mundi arido ramos virides voluptatum nobis proponit, peccatores ita eis illaqueatos apparere facit, vt tamen facilè ſe ab illis expedire queant, eſcam diuitiarum, deliciarumque porrigit, canit ſuauiter, dum talibus licitè nos poſſe frui ſuggerit: ſic vana, laqueos, & dolos meditans, incautos decipit, quare à tali inimico nos perſequente liberari, magna Dei eſt miſericordia, qui gratia ſua, & omnipotenti auxilio noſtris ſuccurrit infirmitatibus, efficiens, vt plures ſint pro nobis, quàm contra nos; vnde ſi non cadimus, gratias Deo cum Raguele agere debemus, quòd virtute ſua excludat à nobis inimicum perſequentem nos.

Quòd maxime virum Chriſtianum deceat gratias ſemper agere Deo pro acceptis beneficijs.

DOCVMENTVM.

A

SANE Raguel, qui, accepto nuntio de Tobiæ, & Saræ incolumitate, animo grato Deo Iſraël, vna cum Anna coniuge gratias egit, nos docet, acceptum beneficium, ſaltem gratiarum actionem compenſare debere, & maxime erga Deum, qui ſolus nullum ex debito nobis confert beneficium; ſed omnia gratuito, & quidem adeo abundanter, vt dicat Auguſtinus: *Tanta nobis tribuit, & tanta retribuit Deus, quod deficit anima noſtra, deficit prorſus, in conſideratione tantorum beneficiorum eius, & licet non poſſimus ei tantum, & tantas, vt deceret amorem, & obſequium, & gratiarum actiones; tamen quantas poſſumus rependere debemus*. Vnde extant in ſacris literis multa, & illuſtria loca, ex quibus facile conſtat exigi à nobis, quodam, quaſi debito honeſtatis, dum diuinis augemur beneficijs, celerem, & officioſam hanc gratiarum actionem, ne Deo, liberaliter infundēti in ſinum noſtrum eximij amoris pignora, ingrati videamur. Sic B. Paulus: *cantantes*, inquit, *& pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias ſemper agentes pro omnibus, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo, & Patri*. Et ad Theſſalonicenses, *In omnibus*, inquit, *gratias agite*. Et ſane ſi adeo indignum putant homines gratias benefactori ſuo non rependere, vt, teſte Fulgoſio, populum Romanum non puderet perpetuo gratitudinis honore anſeres proſequi, quod, dormientibus vigilibus, cum Galli, duce Brennio, iam in ſummum Capitolium occulte perrepſiſſent, clangore Romanos milites excitarunt, ſtatuendo vt eo in loco in poſterum magnus anſerum numerus publica impenſa aleretur, quas gratiarū actiones nos Deo noſtro pro innumeris, quibus nos quotidie cumulat, beneficijs perſoluere debemus? Agrippa, Ioſepho teſte, apud Romanos in carcere poſitus, dum præ inopia vini in vehementi æſtu ſiti laboraret, conſpicatus Thaumaſtum, gerentem hydriam aquæ, ab eo popoſcit potum, cumque hauſiſſet oblatum, pro aquæ miniſterio, à vinculis poſtea liberatus, regnumq. adeptus, Thaumaſto etiam libertatem impetrauit, eumq. bonorum ſuorum diſpenſatorem conſtituit, & moriens reliquit, indignum ratus, ingrato animo, ſine gratiarum actione vnum, vel modicum præterire beneficium, & nos omni benedictione à Deo repleti non indignum exiſtimabimus, nec gratiarum actionem tanto benefactori reddere? Merito Sanctus Sabba multorum monaſteriorum celeberrimus pater, conſpicatus quoſdam Agarenos, quibus per cellam eius tranſeuntibus, & fameſcentibus, appoſuerat radices tantum quaſdam melagriorum, & arundinum cortices (neque enim alio cibo ipſe vtebatur) poſtea redeuntes, & afferentes ei caſeos, & dactilos, *hei mihi*, inquit, *barbari iſti parui noſtri beneficij memores referre gratiam munificè ſtuduerunt; nos autem qui quotidie fruimur bonis creatoris, nullam ei viciſſim ſtudemus referre gratiam*: nouerat enim gratiarum actione diuina multiplicari beneficia: nam: *quemadmodum*, aie Ioannes Damaſcenus, *exiguum pharmacum à magnis plerunque morbis hominem eripit: ſic ob res paruas Deo gratias agere ingentia bona conciliat*. Quare ijs qui templū ingrediebantur, præcepit Dominus per Ezechielem, vt per aliam egrederentur portam, ne per eandem reuertentes, terga propiciatorio verterent, ſignificans nunquam terga Deo propitianti nobis per obliuionem vertenda, vt multi faciunt, qui, vt in Deuteronomio dicitur, incraſſati, impinguati, dilatati recalcitrant, & malo diuitiarum, ſanitatis, aliorumque bonorum vſu, ſicut mare, quas è cælo recipiunt, aquas dulces beneficiorum, ingratitudine amareſcere faciunt: & ſicut nubes, virtute ſolis è terræ vaporibus generatæ, eundem, à quo ſublatæ fuerunt, ſolem obnubilant: ſic illi quas, diuina operante gratia, opes ex Aegypto huius mundi accipiunt, in vitulum conuertunt aureum peccatorum; *hi ſunt*, dicentes, *dij tui Iſrael*.

Deus beneficia gratis nobis tribuit.

Aug li. de dilig. Deo c. 2.

B

Ephеſ. 5. 17.

Theſſ. 5. 18

Fulgoſ. lib. 5. c. 2.

Gratitudo populi Rom.

Plutarch. in Furio Camillo.

C

Ioſeph lib. 18. c. 8. v. 53.

Surius in S. Sabba tom. 6.

D

Ingratitudo hominis erga Deum in gratiarū actione non reddenda.

Io. Damaſcenus in vita Barlaam.

E

Be-

Benedicamus itaq; Domino in omni tempore, in proſpero ſcilicet, & aduerſo: *etenim*, vt Baſilius ait, *nihil minus Chriſtianum decet, quam, vt rebus ſuis proſpere cadentibus benedicat Deo; contra triſtiori quapiam calamitate affectum, laudem reticeat Dei; quando tunc etiam gratiæ vberiores agendæ veniunt, vt qui plane nouerit, quia quem diligit, erudit, & caſtigat*. Damna ingratitudinis, quantumque Deo diſpliceat, diximus ſupra.

Baſil. in pſ. 33 v 1.

F

Sup. c. 6. v. 1. in docum.

VERS. XIX.

Miſertus es autem duobus vnicis, fac eos domine plenius benedicere, & ſacrificium tibi laudis tuæ, & ſuæ ſanitatis offerre, vt cognoſcat vniuerſitas gentium, quia tu es Deus ſolus in vniuerſa terra.

1 *Sacrificium quid proprie, & quid in litera,*

2 *Boni exempli quanta vis ad bonum excitandum.*

DVOBVS *vnicis*. Seu vnigenitis, vt etiam apud B. Lucam, vbi pro eo, quod legit interpres vnicus, habetur Græce μονογενὴς, *vnigenitus*; neque enim alios, ſiue Tobias Senior, ſiue Raguel gennere filios, præter iuniorem Tobiam vnus, & Saram alter, vt ſatis ex dictis conſtat. Syrus addit; *Et patribus eorum*. quibus verbis miro modo exaggerat Raguel magnam Dei miſericordiam, cum facile nullus alius luctus, vel dolor maior ſit eo, qui eſt de miſeria, vel morte vnigeniti, vt apud Ieremiam, & Zachariam apparet.

Luca 7. 12

Sup. c. 1. v. 9. & c. 6. v. 11.

Syrus.

Iere. 6. 26.

Zacch. 12. 10.

Rogat deinde Deum, vt eos gratos, & diuino ſuo ſeruitio deditos efficiat dicens.

Fac eos Domine plenius tibi benedicere. Arabs: *Vt* benedicant tibi abundantius.

Arabs.

Arabs.

1 *Et Sacrificium tibi laudis tuæ*. Arabs: *Gratiarum actiones offerre valeant*, & quidem non ſolum ore; ſed etiam opere, in templo nimirum Ieroſolymitano: nam ſumendo vocem ſacrificij in propria ſua ſignificatione oblationem ſignificat externam Deo ſolemni ritu immediate à legitimo miniſtro factam, per immutationem alicuius rei ſenſibilis, in eius ſupremi dominij, noſtræque ſubiectionis profeſſionem, qua, ad differentiam ſimplicis oblationis, quæ nulla rei oblatæ immutatione fiebat, res etiam ſacrificata ſemper vel mactabatur, ſi animal, vel fractione, alioue modo in ipſa ſacratione immutabatur, quam nullus offerre poterat extra templum Ieroſolimytanū: nam ſicuti nulli (conſerato, & vncto tabernaculo) alibi, quam in eodem tabernaculo licebat offerre ſacrificium, vt expreſſis verbis Dominus Moyſi præceperat dicens: *loquere Aaron, & filijs eius, & cunctis filijs Iſraël, dicens ad eos: iſte eſt ſermo, quem mandauit Dominus dicens. Homo quilibet de domo Iſraël, ſi occiderit bouem, aut ouem, ſiue capram in caſtris, vel extra caſtra, & non obtulerit ad oſtium tabernaculi oblationem Domino, ſanguinis erit reus: quaſi ſanguinē fuderit, ſic peribit de medio populi ſui*: ita nec conſtituto templo à Salomone in loco, quē elegerat Dominus, & arca foederis in eodem repoſita, ne ſibi quiſquam *quodāmodo ſacerdos eſſe auderet*, vt Auguſtinus ait, nec priuata offerri poſſent ſacrificia, ſicuti nec primitias, vota, & dona alibi, quam in eodem templo per manum Sacerdotis. Quare cum Tobias, & Sara in captiuitate poſiti ſacrificium iſtud propriè, & realiter minimè offerre poſſent, videtur hic expoſcere Raguel à Domino, vt tanta eos ſanitate donaret, tantaque vitæ longæuitate, vt liberi à captiuitate plenius illi benedicerent, & ſacrificium laudis, & ſanitatis pro gratiarum actione, (quod apud Hebræos eſt . . . *zebac Salomon*, & apud Latinum interpretem: *hoſtia pacifica*, ſeu ſalutaris) in templo poſſent offerre: offerebatur enim in eo, vel ſponte ad animū gratum ſignificandum, vel ex voto pro beneficio accepto, vel accipiendo, vel tandem pro gratiarum actione, & laude Dei, animal, ſeu victima, quæ ſolemni ritu, gladio primùm iugulabatur, deinde tres diuidebatur in partes, quarum vna igne abſumenda, altera ſernanda in cibum Sacerdotis, eodem tamen die conſumenda erat, tertia in cibum offerentis, eodem etiam die, vel ſequenti conſumenda, nec vllo pacto ad tertiam vſque diem ſernanda, qui ritus etiam ſeruandus erat, quandocunque res, quæ in ſacrificium offerebatur, eſui quidem apta erat. at non animata. Licet magis probem vocem ſacrificij non ſumi hìc in litera in ſua propria ſignificatione, ſed in ſignificatione impropria, nimirum quatenus, teſte Auguſtino, ſignificat omne opus, quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum videlicet ad illum finem bonum, quo beati eſſe poſſimus, quo pacto Dauid contritionem internam, & vocalem laudem vocauit ſacrificium, dicens: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, & *Sacrificium laudis honorificabit me*. Et B. Paulus: eleemoſynam, & corporis caſtigationem, & mortificationem, dum de illis verba faciens ait: *talibus enim hoſtijs promeretur Deus*. & alibi loquens pe caſtigatione corporis neceſſaria *obſecro*, ait, *vos, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam Sanctam, Deo placentem*: ſic Raguel hic pro ſacrificio laudis intelligere videtur gratia-

Sacrificium proprie quid

Sacrificium olim extra tēplum offerre non licebat.

Leuit. 17. 2. 3.

Aug. tom. 4. q. 54. in Leuit.

Leuit. 3.

Aug. li. 5. de Ciuit. Dei.

Pſ. 50.

Pſ. 46.

Hebr. 13. 16.

Rom. 12. 1.

Digitized by Google

Raphael Angelus inſ. c. 13

rum actionem, & bonam operationem, vnde ſubdit,

2 *Vt cognoſcat vniuerſitas gentium.* dum nimirum gratum eorum animum, & mores videbit optimos.

Quia tu es ſolus Deus in vniuerſa terra, quod bonum exemplum maxime homines conuertat, & ad diuinas laudes excitet, vt in documento dicemus.

Quòd boni exempli vis ad bonum maxima ſit.

DOCVMEMTVM.

A *Bonum exéplũ maximi valet ad cognitionem Dei, & peccatorũ conuerſionem. Ludouic. Granaten. conc. 2 in feſto S. Dominici n. 1.*

SANE nihil eſſe, quod magis vniuerſitatem gentium ad Dei cognitionem adducat, quam fidelium, & iuſtorum probos, & Sanctos mores docet Ludouicus ille Granatenſis doctrina ſimul, ac pietate conſpicuus, dum ait: *Quemadmodum pretioſa veſtes venuſtatem, & elegantiam ſuam, dum in artificis domo viſuntur oſtendũt; elegãtiores tamen apparent, cum decentiſſimo corpori applicantur (tunc enim finem ſuum quodammodo conſequitur) ideoque duplici nomine delectant, ſuo videlicet, corporiſque decore, quorum alterum, altero augetur, ita plane lex diuina pulchra quidem apparet in libris dũ legitur, pulchrior tamen in hominibus pijs, hoc eſt pulchra quidem cum legitur, pulchrior autem cum opere exercetur.*

Lex diuina dũ exercetur pulchrior apparet.

Initio enim naſcentis Eccleſiæ multos didicimus, ex eo ſolum ad Deum conuerſos, quia mirabilia opera Dei in eiuſdem Dei ſeruis ſunt contemplati. inter quos Iuſtinus inclytus martyr, & inſignis philoſophus fuit, qui, eodem ipſo teſte, cum probatiſſimorum Chriſtianorum vitam, & præcipue martyrum conſtantiam; miraretur, qui alacri, & inuicto animo pro tuenda fide omnia tormentorum genera ſubibant, intellexit vir ſapientiſſimus conſtantiam illam, & alacritatem, non ab hominis natura, quæ vt deliciarum, & voluptatum auida, ita mortis, & cruciatus inimica eſt; ſed aliunde, hoc eſt à Deo totius virtutis, & conſtantiæ auctore prodire. Quare hanc vnam eſſe veram religionem credidit, & ita credidit, vt glorioſiſſimam pro ea mortem oppetierit.

B *Iuſtin. mart. in apolog. ad Adrian. Imp.*

Aliud huius rei memorabile exemplum Rufinus, Theodoretus, aliijq. grauiſſimi ſcriptores referunt, nempe apud Iberos, qui magno ſtudio, idolorum ſuperſtitioni ſeruiebant, fuiſſe captiuam quandam fœminam in paruo tuguriolo habitantem, quæ tamen innocentiſſimam, & ſanctiſſimam vitam duceret. Hoc autem in cauſa fuit, vt qui eius vitam propius contemplabantur, vehementer hanc tantam puritatem admirati, inquirere cœperint, quam hæc mulier religionem profiteretur, aut quem Deum coleret, qui tales faceret cultores ſuos, atque hæc res primum in ea regione abolendæ impiæ ſuperſtitionis, & veræ religionis colendæ initium fuit: nam, vt S. Leo ait, licet *facilis ad exhortandum ſit ratio, & efficax ad ſuadendum, validiora ſunt tamen exempla, quã verba, & plenius eſt opere docere, quàm voce.*

Ruff. hiſt. eccleſiaſt. li. 1. c. 10 Socr. lib. 1. c. 16. Theodoret. lib. 1. c. 24. Sozomen. li. 2 c. 6. Niceph. lib. 8. c. 34.

Mulieris vita cum virtute acta Iberiam traducit ad Chriſtum. S. Leo in ſer. de S. Laur.

Sic dum aliquando Ludouicus Granatenſis circa horam noctis vndecimam in cubiculũ ſeſe abdidiſſet. (Quod ſtudio, & dedita opera vltimum in dormitorio patrum ſibi delegerat, vt tanto quietius, atque ſecretius exercitijs pietatis, deuotioniſque vacaret,) & magno ſingultu, & ſuſpirijs editis, corpus ſuum flagellaret, à nullo ſe exaudiri arbitratus, tum adminiculo noctis, tum etiam temporis intempeſti ſecurum ſe credens: ecce nobiles duo per plateas, quibus cubiculum Ludouici imminebat, ad locum inhoneſtis voluptatibus deſtinatum pergentes. audiunt illi verbera flagellorum, quin & deuotæ animæ orantis querelas, & expoſtulationes, quibus veluti ab ore concionatoris profectis, in corde, & conſcientia perculſi, pedem fixerunt ad illas melius exaudiendas; valdeque tanto exemplo permoti, ſe inuicem alloquentes; ah, dicebant nos miſeros. En quomodo bonus ille religioſus flagellis in membra ſua, & hoc quidem tempore, ſæuiat, qui nunquam forſan mortali aliquo delicto Deum offendit. Et nos peccatores, & miſeri hac eadem hora ad Dei præcepta violanda contendimus. Non dubium ad noſtram confuſionem Deum permiſiſſe hæc à nobis audiri: craſtina die, inquit vnus, quis religioſorum in hoc vltimo cubiculo habitet reſciam, vt eius me precibus, orationibuſque commendem. Sic ambo intrinſecus animo compuncti, & ad meliorem mentem reuocati, à peruerſo reſiliere propoſito, reuerſi domum, vnde venerant.

Vit. Ludouic. Granat. c. 4.

Ludouici Granatenſis mira deuotio, & ſanctitas. D

Eiuſdẽ exemplum duos homines a peccatis ad Chriſtũ conuertit. E

Sed quid mirum tantam ineſſe vim ſpectatis exemplis, ſi non minorem auditis ineſſe legamus? Duo illi milites, de quibus Auguſtinus, & nos ex eodem alias, ex aula Theodoſij Imperatoris, cum in vitam Beati Antonij à Beato Athanaſio deſcriptam incidiſſent: ita ex eius lectione mutati ſunt, vt ex militibus Imperatoris Chriſti milites repente euaſerint.

Milites duo Theodoſii cõuertuntur. Aug. li. 8. confeſſ. c. 6. tom. 1

Ioannes Columbinus, qui clericis Apoſtolicis, & Ignatius, qui ſocietati Ieſu initium dedit, alter Sanctæ Mariæ Aegyptiacæ, alter vitas SS. Patrum legens, in quales ſint viros mutati ſancta nouit Eccleſia. Quod ipſum quot alijs contigerit longum eſſet enarrare: non igitur mirum ſi bona exempla tanquam virtutis ſacrificia adeò ſemper fuerint Deo grata, vt de illis Theodoretus hæc habeat. *Vt verò Deum ſciatis nec ſacrificijs indigere, nec muſicis inſtrumentis, audite quæſo, quæ per prophetas ſuos nobis loquatur. Non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos: mea ſunt enim omnes beſtiæ agri, iumen-*

F

Theodore. Græcarum affect. li. 3. de ſacrif.

ta

Digitized by Google

ta in montibus, & boues. Cognoui omnia
C *volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum*
eſt. His itaque verbis aquè omnia repulit,
quæ lege prius offerri iubebantur, & reli-
qua, *ita quodammodo nos erudiens huiuſ-*
modi rebus Deum non indigere. Et infra.
G Philo lib. 3. de vita Moyſ. *Sufficit enim Deo rationabilis, congruaque*
oratio ſuper omnes greges ouium, & capra-
rum, ſupraque omnia boum armenta, eaque
libenter accipiens rependit offerentibus, quæ
conueniant. Et Philo: ἡ γὰρ ἀληθὴς ἱερουργία
τίς ἂν εἴη πλὴν ψυχῆς θεοφιλοῦς εὐσέβεια. *nul-*
lum eſſe poteſt verius ſacrificium, quàm
animæ Deo caræ pietas: huius enim gratitu-
do immortalis fit relata in Dei tabulas in
ſempiternum cum Sole, & Luna, mundo-
que duratura.

VERS. XX.

Statimque præcepit ſeruis ſuis Raguel, vt replerent foſſam, quam fecerant, priuſquam eluceſceret.

VERS. XXI.

Vxori autem ſuæ dixit, vt inſtrueret conuiuium, & præpararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus neceſſaria.

V 1 *Nuptiæ ſplendidis ſemper conuiuijs cele-brari ſolitæ.*
2 *Priſcis temporibus nullæ, vt hodie cau-ponæ.*

VERS. XX STATIMQVE nimirũ
ab oratione ſua, præcepit
ſeruis ſuis Raguel, vt hic in
litera habetur, repleri foſ-
ſam, quam, ſicut ſuperius
vidimus, extra vrbem in
Syrus. ſepulturam Tobiæ fecerant. Syrus: *& di-*
xit pueris: ite, abſcondite ſepulchrum, ante
Arabs. *quam exeat ſol*. Arabs: *præcepit Raguel pue-*
ris ſuis, vt implerent ſepulchrum, quod fo-
derant terra ante lucem.

XXI. *Vxori autem ſuæ dixit*. Solent enim viri
domeſticarum rerum curam vxoribus de-
mandare, dum ipſi, quæ maioris momenti
ſunt, externa negotia procurant.

Syrus. Arabs. 1 *Vt inſtrueret conuiuium*. Syrus: *Et ait*
vxori ſuæ: præpara panẽ multum. Arabs: *De-*
inde præcepit coniugi ſuæ præparare conui-
uium, & cibum dignum nuptijs: nam ſicu-
ti noſtro ſeculo, ita omnibus fere tempori-
bus, & apud omnes gentes matrimonium
ſplendidiſſimis ſemper conuiuijs ab Hebræis
משתה חתונה, miſthe Hecthoneth dictitatis,
fuit celebratum. & quidem, non modo in
ipſis nuptijs, vt hic apparet, & in conuiuio,
Gen. 29. 22 quod in Geneſi legimus celebratum à Laban
in nuptijs Liæ filiæ ſuæ: & in libris Iudicum
à Sampſone in Thamnata Philiſtinorum vr- Iud. 14. 10
be, poſt contractas nuptias cum quadam
Philiſtea: & apud Ioannem, ab alio quo- Io. 2. 1.
dam, incertum quis, in Chana Galileæ, cui
Chriſtus vna cum ſanctiſſima matre, atque
diſcipulis interfuit; ſed etiam ante, & poſt ip-
ſas nuptias, vt fuſe oſtendit Stuchius.
2 *Et præpararet omnia, quæ in cibos erant* Stuchius antiq. conuiual. lib. 1. c. 24.
iter agentibus neceſſaria. Non quidem eis,
vt Carthuſianus explicat, quos Tobiæ loco Carthuſ.
ad Gabelum mittere intendebat: ſed eidem
Tobiæ, Saræ filiæ, & ſeruis: ſciebat enim,
ait Hugo, quod citò erant receſſuri, vnde Hugo Card.
neceſſarium erat, non ſolum ea præparare
cibaria, quæ in conuiuio apponi debuerant;
ſed etiam ea, quæ iter agentibus ſunt neceſ-
ſaria: nam, vt obſeruat Serarius, priſcis il- Serar. hic in c. 6. q. 8.
lis temporibus non erant, quæ hodie apud
nos habentur cauponæ: ſed ea, in oriente præ-
ſertim, viatorum ratio erat, vt quæ ad cibum,
& potionem opus habebant, vel ipſi ſecum
deferrent, vel ab iſtarum rerum venditori-
bus coëmerent: tectum, ad quietem, aduer-
ſuſque aëris iniurias, & noctis frigora ne-
ceſſarium, gratis, vel exigua pecunia ſubeun-
tes: etenim ſi cauponarum vſus tunc fuiſſet,
tot panis, vinique ſarcinæ minimè ſecum
viatores tuliſſent, quot legimus, magiſque
pecunias in crumena, quam panem in ſar-
cinis habuiſſent, vt hodie. Lege in Geneſi Gen. 24. 10
de ſeruo Abrahæ in Meſopotamiam profe- Ibid. 28.
cturo: de eiuſdem Abrahæ ancilla, & filio 31.
Iſmaële è domo propria diſceſſuris; De Ia- Ibid. 21.
cob in Meſopotamiam ituro, & ex ea ad pa- Gen. 4. 2.
triam reuerſuro: De eiuſdem Iacob filijs in 45.
Aegyptum ad Ioſephum profecturis, & re-
uerſuris: & in libro Ioſue de Gabaonitarum Ioſue 9.
itinere: In libris Iudicum de Leuitis Ephrai- Iud. 19.
mitæ: in libris regum de Saule cum famulo, 1. Reg. 9.
dum amiſſas aſinas quæritaret; & de Dauide 1. Reg. 21.
fugiente à Saule, & hos omnes cibaria, quæ
erant ad iter agendum neceſſaria, ſecum de-
tuliſſe reperies. quod ſane, vt dixi, haud
neceſſe habuiſſent facere; ſi cauponarum v-
ſus tunc fuiſſet. proceſſu vero temporis, cœ-
perunt quædam eſſe veluti amica hoſpitia,
quibus ſe inuicem amici, & amicorum ami-
ci excipiebant, hoſpitali teſſera, ſi alias
ignoti, ab amico exceptore cogniti: de qua
re Tertullianus, & alij. Cœperunt etiam Tertull. li. præſcript. aduerſ. hæres. c. 20. & Pamelius ibi.
deinde, & publica inſtitui hoſpitia, quæ B.
Lucas diuerſoria, ac ſtabula appellat, alij Luc. 2. 7.
tabernas. vel etiam cauponas, à quibuſdam
vero καπηλεῖα, καταγώγια, & καταλύματα,
dicuntur, in quibus, dato pretio, viatoribus
neceſſaria omnia miniſtrabantur, ſicut etiam
hodie, & quidẽ eo modo, vt ducerent ſibi de-
decori, non honeſtarum modo ciuitatem le-
gati; ſed & paulo copioſiores ciues, ſi pa-
nem ſecum, & vinum geſtarent, neque in
cauponis prandia, cœnaſque ſumerent.

Quòd nuptialia conuiuia à luxu, & profanitate remota nullo pacto Chriſtianum virum dedeceant.

DOCVMENTVM

A

LIQVET ex dictis, & ex eo quod præcepit Raguel parari conuiuium, nullo pacto nuptialia conuiuia improbanda, ſicut etiam ex eo, quod in veteri teſtamento ſanctos, religioſoſque viros illis vſos fuiſſe legimus, & in nouo teſtamento ipſemet Chriſtus, vnà cum matre, Apoſtolis, nuptiali conuiuio, non modo interfuit; ſed etiam illud miraculorum ſuorũ primitijs conſecrauit. Symbola enim illa ſunt iuſtæ, debitæque lætitiæ, à qua piorum virorum officium minimè abhorrere Beatus Paulus teſtatum reliquit, dum flendum nobis eſſe cum flentibus, & gaudendum cum gaudentibus dixit: ſunt enim nonnulli, qui vel ſuperſtitione, vel auaritia ducti, ab omni prorſus conuiuali conſuetudine ita abhorrent, vt neque alios ad conuiuia inuitare, neque inuitati aliorum conuiuia adire, ijſque intereſſe fas eſſe exiſtiment,

1. *Cor.*

B

Pericles Athenien.

Pericle Athenienſe ſeueriores, quem ab omni conuiuiorum apparatu, & conſuetudine, ita fuiſſe alienum legimus, vt nũquam apud quemquam, vel amiciſſimum coenarit, niſi ſemel apud Eurytolemum, quum tamen Archilochus poeta Parius, teſte Atheo, ſcriptum reliquit, non vocatum, myconiorum more, in conuiuium irruiſſe. Vitanda tamen, valdèque cauenda inordinata, immoderataque conuiuiorum cupiditas, nõ ex honeſtatis, charitatiſque erga Deum, atque proximum ſtudio; ſed ex ambitione, ſuperbia, inſatiabili quadam, inexplebilique voluptatum cupiditate promanans, & ex deſiderio coenæ magis, quam cæli, & ad ea ſolummodo accedendum, ſi quę huiuſmodi reperiuntur, quę talia ſunt, quale illud à Raguele noſtro celebratum infra apparebit, in quibus ſcilicet viri ſolummodo ſancti inuitati aſſiſtant, & Angeli. Quare, vt rectè inquit Plutarchus: *non ſolùm inuitantium; ſed etiam inuitatorum habenda eſt ratio, antequàm ad conuiuium accedamus.* Vnde Chilon vnus ex ſeptem Græciæ Sapientibus, eodem Plutarcho teſte, pridie vocatus ad conuiuium, non prius ſe venturum promiſit, quàm ſingulos conuiuas cognouiſſet: dicebat enim: *vectorem, & contubernalem eſſe ferendum, etiam ignotum, quibus eum nauigare, aut militare eſſet neceſſe; at vero in conuiuio quibuslibet ſe commiſcere non eſſe hominis prudentis.*

Atheus lib. 1.

Qualis conuiuiorum ſit euitanda cupiditas.

C

Infra cap. 10

Plutarchus in conuiuio 7. Sapientum.

In conuiuiis adeũdis quid ſpectandum

Quamobrem ſapientiſsimi huius viri exemplo licebit nonnunquam ex vocatoribus percontari, qui nam præterea ſint ad futuri conuiuæ, quo facilius, atque commodius, ſi illi inſigniter ſint improbi, intemperanteſque, ſpecioſa, honeſtaque excuſatione conuiuium detrectare poſsis. *Habet enim*, ait Ambroſius; *ſuos ſcopulos verecundia, non quos ipſa inuehit; ſed quos ſæpè incurrit, ſi in intemperantium incidamus conſortia, qui ſub ſpecie iucunditatis venena infundant bonis. Hi ſi aſſidui ſunt, & maximè in conuiuio, ioco, ludoque eneruant grauitatem illam virilem.* Quod verum eſſe, & ipſe Ethnicus Epictetus philoſophus teſtatum reliquit, dum ait: *Conuiuia externa, & profana deuita; ſed ſi quando tulerit occaſio, animaduerſio excitetur; ne fortè in vulgarem conſuetudinem prolabaris: ſcito enim, ſi ſodalis pollutus fuerit, eum etiam, quem is attigerit, neceſſario pollui, & ſi purus ipſe fuerit. Vide quæ ſequuntur in litera.*

D

Ambr. li. 1. off. cap. 10.

Epictetus in Enchirid. c. 45.

E

VERS. XXII.

Duas quoque pingues vaccas, & quatuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis ſuis, cunctiſque amicis.

1 *In conuiuijs, quæ deſideranda.*
2 *Numerus conuiuarum quantus eſſe debeat.*

VT in nuptialibus conuiuijs, quemadmodum & in rebus omnibus mediocritatem, ceu optimam rerum, actionumque omnium normam, atque regulam adhibendam eſſe doceret Raguel, non delicatiores epulas vicinis, & amicis parari iuſsit; ſed

1 *Duas pingues vaccas, & quatuor arietes occidi fecit.* Syrus: *Duos tauros, & quatuor maſculos arietum*: nam ſplendor aliquis, & elegantia ſolito maior in conuiuijs nuptialibus concedenda eſt, ne dum nimis reſtricti eſſe volumus, auaritiæ nobis met ipſis ſuſpicionem pariamus, ac proinde cum in publicum populi vniuerſi, tum in priuatum cognatorum, affinium, familiarium contemptum, odiumque incurramus: ratio tamen ſemper habenda eſt temporis, perſonarum, atque facultatum, vitandaque ſummopere effuſa illa, immoderataque luxuria, quæ vt olim apud Ethnicos; ita hodie quoque apud Chriſtianos in nuptialibus illis feſtiuitatibus dominatur, atque multorum

Solito maior abundantia, & ſplendor in conuiuiis permittitur.

malorum, damnorumque funeſtiſſimorum cauſa exiſtit, dum pecunias, quas ad ſupellectilem, multaque neceſſaria rei familiaris inſtrumenta, & ad ea, quæ ad quotidianum corporis victum, cultumque apparandum pertinent, in veſtium, epularum, aliarumque rerum luxum inutiliter ita conferunt, vt nuptiarum dies in egeſtatem, ſummamq. ignominiam deſinant.

2 *Et parari epulas omnibus vicinis ſuis, atque amicis*. Nam tunc temporis coniugia teſtimonio multorum nectebantur. Vnde & Laban in nuptijs Liæ vocatis, inquit ſacra hiſtoria, multis amicorum turbis fecit conuiuium, vbi Hebraica litera habet. ויאסף לבן את כל־אנשי המקום ויעש משתה Vaiceeoph Laban eth col anſe amakon vaiaah miſte. Et congregauit Laban omnes viros loci, & fecit conuiuium. Cæterum Plato de numero inuitatorum agens, vt è nuptijs luxum penitus tolleret, & conuiuij nuptialis ſumptus minueret. *Amicos quidem*, inquit, *& amicis non plures quinque ex vtraque parte conuocare liceat, conſanguineorum verò, & domeſticorum itidem tot ex vtraque parte accerſere*. nam vt commune fert dictum, ſeptem conuiuium, nouem conuitium faciunt. Ex quo Eraſmus conuitium pro clamore dixit, quaſi conuocium, cum quauis in re turba confuſionem excitet, & moleſtiam: licet conuiuarum numerum haud cenſeam nimis ad viuum reſecandum, ſicuti à veteribus legimus factitatum; nam Chriſtus conuiuas habuit quinque millia virorum, præter mulieres, atque paruulos, quos in deſerto duobus piſcibus, & quinque panibus pro infinita ſua poteſtate ſatiauit, & Raguel quoque, & Laban, & alij, vt vidimus omnes amicos, & vicinos conuiuas habere voluerunt.

Gen. 49. 22.

Plato lib. 5. de legib. Illud recenſet Iulius Capitolinus in vit. Lucij veri

Conuiuium numerus quã tus eſſe debeat.

Eraſmus.

VERS. XXIII.

Et adiurauit Raguel Tobiam, vt duas hebdomadas moraretur apud ſe.

VERS. XXIV.

De omnibus autem, quæ poſſidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit ſcripturam, vt pars dimidia, quæ ſupererat, poſt obitum eorum Tobiæ dominio deueniret.

1 *Adiurare quid.*
2 *Dies nuptiales quot eſſent apud Hebreos, & exteros.*
3 *Poſſidere quid in litera.*
4 *Dominium quid.*

VERS. XXIII.

ADIVRAVIT *Raguel Tobiam*. Hoc eſt. mandauit ei, rogauit eum, diuini nominis auctoritate interpoſita, inuocato Dei nomine, & teſtimonio: nam adiurare nihil aliud eſt, quàm præcipiendo, vel rogando aliquem adigere ad aliquid faciendum, in teſtem inuocato Deo, vt ſcilicet intelligeret ſe coram Deo conſiſtere, & velut à Deo ipſo rogari, nec minus ad parendum teneri, quàm ſi iureiurando adſtrictus foret.

Vt duas hebdomadas moraretur apud ſe. Græcus: *Et nuptias illi quatuordecim diebus celebrauit*. nam Raguel, ante exactos nuptiarum dies illos, iureiurando Tobiam adegerat, vt ſe non diſceſſurum promitteret, donec illi quatuordecim dies nuptiales fuiſſent elapſi, vel, vt alius Græcus codex habet: *iureiurando aſſirmauerat non paſſurum diſcedere Tobiam, donec &c.* LXX. *Et dixit ei Raguel, antequam conſummarentur dies nuptiarum, eum iuramento non exire eum, niſi impleti fuerint quatuordecim dies nuptiarum*. Ex quibus patet nuptiale epulum Raguelem ad decimumquartum vſque diem protraxiſſe, quod factum fuiſſe cenſeo ob duplicatam lætitiam, nuptiarum videlicet, & expulſionis dæmonis: nam alioqui iuxta vſitatum tunc temporis orientalium moré, non niſi ſeptem dies nuptiarum in conuiuijs agitabantur, vt teſtatum reliquit Auguſtinus, dum verba illa, quæ dixit in Geneſi Laban genero ſuo Iacob: *Conſumma ſeptimanam illius*, ad nuptiarum celebrationem pertinere docet, *quæ*, ait, *ſeptem diebus celebrari ſolent*. Et infra. *Septem diebus nuptias ſolere celebrari, etiam liber Iudicum oſtendit in Sampſone, quando fecit potum ſeptem diebus, & addidit ſcriptura, quòd ſic ſolerent facere iuuenes*. Et ſanctus Ephrem in vita Sancti Abramii; *celebratis*, ait, *die ſeptimo, vel dies ſeptem nuptijs, &c.* Protrahuntur autem hodie, vel contrahuntur hi nuptiarum dies pro opibus: Iudæi tamen, vt Serarius docet, conuiualem hebdomadam adhuc retinent, eaq. tota ſponſum vocant חתן chatan, ſponſam vero כלה callach. Græci tres tantum dies nuptiales celebrant, quorum primum Iulius Pollux appellat προαύλια, ſecundum ἐπαύλια, tertium ἀπαύλια.

VERS. XXIII.

Græcus.

LXX.

Aug. q. 89. in Gen.

Gen. 29.

Iud. 14.

S. Ephrem in vit. S. Abramij.

Serar. in lib. Iudic. c. 14. q. 13.

De omnibus autem. Nimirum opibus; ita Syrus: *Dimidium opum nunc ſume, & dimidium poſtquam mortuus fuero*.

3 *Quæ poſſidebat*. Hoc eſt, iure tenebat: nam ſicut tradunt iuriſperiti, poſſidere ad ius refertur, tenere verò ad nudum factum. vnde dicitur tenet ſeruus, poſſidet Dominus.

Syrus.

Tex. in l. ſtipulatione iſta §. hæc quoque ff de verb. ſignif.

Et fecit ſcripturam. Hoc eſt, promiſſionem dotis ſcriptura firmauit, vt ſemper, & vbique de promiſſione facta conſtaret.

Vt pars dimidia, quæ ſupererat. quam etiã in dotem promiſerat, poſt ſuum, & coniugis obitum, reciperet abſque contradictione.

4 *Tobiæ domino.* Vtili nimirum, vt iuriſperitorum more loquamur, & directo, quo facultas traditur de aliqua re pro arbitratu diſponendi. Sic ponitur hic dominiũ, prout contra diſtinguitur à nuda poſſeſſione rei, & ab vſu, & vſufructu eius, vt etiam in libris Machabæorum, vbi dicitur, quod rex Ptolemæus obtinuit dominium ciuitatum, vſque Seleuciam maritimam, hoc eſt, dominium abſolutum. Sic Raguel dimidiam partem bonorum omnium, quæ poſſidebat in pueris, puellis, pecudibus, & alijs, de quibus infra, Tobiæ domino tradidit: alterius verò dimidiæ partis dominium noluit illi tradere, niſi poſt ſuam, & Annæ coniugis mortem.

1. Machabæorũ 11.

Inf. c. 10. v. 10.

Quòd nemini totius hæreditatis dominium ante obitum dandum ſit.

DOCVMENTVM.

A DOcet in litera Raguel, poſſeſſionem hæreditatis, haud vnquam dandam eſſe hæredibus, ante obitum, iuxta Sapientis dictum, qui ait: *Filio, & mulieri,* ſeu vxori, vox enim Græca, γυναικὶ, vtrumque ſignificat, *fratri, & amico non des poteſtatem ſuper te in vita tua, & non dederis alijs poſſeſſionem tuam, ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis, &c. melius eſt enim, vt filij tui te rogent, quam te reſpicere in manibus filiorum tuorum.* quod exemplo cuiuſdam Ioannis Conoxæ ſatis apparet, qui cum totam hæreditatem filijs ſuis, ſe viuente dediſſet, ita ab illis cœptus eſt contemni, vt niſi aſtu quodam ſuæ conſuluiſſet indemnitati, victum coactus eſſet ſibi ipſi mendicans quæritare. Quod etiam quotidiana experientia docet. Quare Sapiens: *In die,* ait, *confirmationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui, diſtribue hæreditatem tuam.* quia, inſtante morte, tunc ſolùm opportuna eſt translatio hæreditatis ad alios, Neque verò doctrina hæc contraria eſt Euangelio monenti, vt quis, omnibus diuenditis: & in pauperes diſtributis, ſequatur nudum Chriſtum: nam communia hoc in loco prudentiæ præcepta tradere intendimus, & quæ non perfectionem ſectantibus; ſed communem vitam agentibus conueniant.

Eccli. 35. 20. 22.

Io. Conxa in ſpec. exempl. diſt. 9. exemp. 154. ſeu verbo Parẽtes.

Eccli. 33. 24.

SYNOPSIS CAPITIS IX.

Raphael, Tobiæ rogatu, ad Gabelum pergit, quem, recepta pecunia, ad Tobiæ nuptias adducit: ille autem Tobiæ, ac Saræ benedicit.

CAPVT NONVM.

1 TVNC vocauit Tobias
Angelum ad ſe, quem
quidem hominem exi-
ſtimabat. dixitque ei:
Azaria frater peto, vt
auſcultes verba mea.
2 Si me ipſum tradam tibi ſeruum, nõ
ero condignus prouidentiæ tuæ.
3 Tamen obſecro te, vt aſſumas tibi
animalia, ſiue ſeruitia, & vadas ad Ga-
belum in Rages ciuitatem Medorum,
reddaſque ei chirographum ſuum, & re-
cipias ab eo pecuniam, & roges eum ve-
nire ad nuptias meas.
4 Scis enim ipſe, quoniam numerat
pater meus dies, & ſi tardauero vna
die plus, contriſtatur anima eius.
5 Et certè vides quomodo adiurauit
me Raguel, cuius adiuramentum ſper-
nere non poſſum.
6 Tunc Raphael, aſſumens quatuor ex
ſeruis Raguelis, & duos camelos, in Ra-
ges ciuitatem Medorum perrexit, & in-
ueniens Gabelum reddidit ei chirogra-
phum ſuum, & recepit ab eo omnem
pecuniam.
7 Indicauitque ei de Tobia filio To-
biæ omnia, quæ geſta ſunt, fecitq. eum
ſecum venire ad nuptias.
8 Cumque ingreſſus eſſet domum Ra
guelis; inuenit Tobiam diſcumbentem;
& exiliens, oſculati ſunt ſe inuicem. &
fleuit Gabelus, benedixitque Deum,
& dixit.

9 Benedicat te Deus Iſrael, quia fi-
lius es optimi viri, & iuſti, & timentis
Deum, & eleemoſynas facientis.
10 Et dicatur benedictio ſuper vxo-
rem tuam, & ſuper parentes veſtros.
11 Et videatis filios veſtros, & filios
filiorum veſtrorum, vſque in tertiam, &
quartam generationem, & ſit ſemen ve-
ſtrum benedictum à Deo Iſrael, qui re-
gnat in ſecula ſeculorum.
12 Cumque omnes dixiſſent, Amen,
acceſſerunt ad conuiuium; ſed, & cum
timore Domini nuptiarum conuiuium
exercebant.

VERS. I.

Tunc vocauit Tobias Angelum ad ſe, quem quidem hominem exiſtimabat, dixitque ei, Azaria frater, peto, vt auſcultes verba mea.

1 *Homo quid, & quis homo dici queat.*
2 *Angelum cur vocet Tobias fratrem, & de fraterno amore, et amicitia nõnulla.*

TVNC, Nimirum poſt contractas nuptias, cum ex promiſſione facta Ragueli neceſſe haberet Tobias duas hebdomadas apud ipſum morari, ne plus æquo reditum ſuum ad propria differret, ſi poſtea ad Gabelum pro repoſcenda pecunia patri ſuo debita (ad quod potiſſimum expediendum negotium iter arripuerat) proficiſceretur.

Homo dicitur à Græcis ανθρωπος, quod furſũ ſpectet.

1 *Vocauit Angelum, quem quidem hominem exiſtimabat.* ſeu, vt dicunt Græci, ανθρωπον, ideſt, ſurſum vergentem, & contemplantem, quòd ſolus homo inter cætera animalia erectus ſit: nam, *parens ille noſter*, ait Lactantius, *vnus, & ſolus cum fingeret hominem, ideſt, animal intelligens. & rationis capax, ex humo ſubleuauit, ad contẽplationemque ſui artificis erexit.* Quod optimè poeta ille ſignauit, vbi cecinit:

Lactan. lib 2 diu. inſt. c. 1.

Ouid. li. 1. Metamorph.

Pronaq. cum ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit, cælumq. tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Et Silius Italicus:

Silius Italic. lib. 13. belli ciuil.

Nonne vides hominum, vt celſos ad ſydera vultus
Suſtulerit Deus, & ſublimia finxerit ora
Cum pecudum, volucrumque genus, formasque ferarum
Segnem & obſcenam paſſim ſtatuiſſet in aluum?

Quare ipſe ſibi homo renuntiat, ſeque hominis nomine abdicat, qui non ſurſum; ſed deorſum cum brutis aſpicit, quæ ſicut ventri obedientia finxit natura, ita etiam vultu ad terram prono: atque adeò illorum primam, ac penè ſolam curam eſſe voluit potu, ciboque ventrem, cui vni ſeruiunt, explere: At hominis, qui non tam à ſenſu, quam à ratione regitur, altioris naturæ pabulum cum eſſet, rectum idcirco vultum eſſe voluit, oculosq. in cælum ſublimes.

Angelum itaque, quem verè hominem exiſtimabat, ſurſumque vergentem vocans ad ſe Tobias, ſecretò talibus illum verbis compellauit.

2 *Azaria frater, peto, vt auſcultes verba mea.* hoc eſt, rogo, vt meis faueas precibus, illud mihi præſtando, quod poſco. Et quidem Angelum, quem non modò, vt hic in litera habetur, *hominem exiſtimabat*; ſed etiam, vt ſupra vidimus hominem à ſe mercede conductum, fratrem vocat, vt fraterno ſe eum amore diligere declararet: nã, vt Pineda obſeruat, fraternus amor omnis eſt amoris, veræque amicitiæ exemplar, vt pote filiorum etiam quodammodo neceſſitudini, & coniugum præferendus. Et quidem licet mutuus coniugum, & parentum in filios amor ſit maximus; aſcititius tamen vnus eſt, & propter inæqualitatem non reciprocus alter. *Fratribus autem*, vt ait Philoſophus, *ſunt communes parentes, vterus, ſanguis, ortus, educatio, domus, generis claritas, res familiares, patrimonium, diſciplina, mores, & alia multa.* Vnde meritò Quintilianus: *Nulla*, inquit, *amicitia poteſt eſſe tam felix, quæ imitetur fraternitatem.* ſic apud Erodotum cum Iutaphernis vxori poteſtas facta eſſet à Dario, fratrem, aut maritum, aut filios morti adiudicatos eximendi, maluit fratrem ſeruare, quam maritum, aut liberos. Cuius rei cauſam requirenti Dario, ſic illa reſpondit. *O rex vir quidem mihi alius contingere poteſt, ſi ita Deo viſum fuerit, & alij filij ſi hos amiſerim: ſed cum mihi pater, & mater iam è vita diſceſſerint, nulla ratione fieri poteſt, vt mihi frater alius naſcatur.* Hæc apud Herodotum, à quo Euripides illud, quod eſt in Prouerbio: *Patre, & matre mortuis, non poteſt mihi frater vllus naſci.* Hinc volens Chriſtus, ſuos ad mutuum amorem accendere, fratres eos eſſe admonuit. *Omnes autem vos*, inquiens, *fratres eſtis, & patrem nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim pater veſter, qui in cælis eſt.*

Sup c. 5. v. 14

Pineda in Iob. c. 1. v. 5. n. 21.

Fraternus amor omnium maximus.

Ariſt. 8. Ethic. c. 11.

Quintil. declam. 131.

Herodotus in Thalia.

Matt. 23. 9

Et quidem fraternitate ſpirituali, quæ quantum carnalem ſuperet, docet Ambroſius, & Auguſtinus.

Amb. ſer. 9. Aug. ſer. 27. de verb. Apoſ.

Quòd

Ecel. 25.1 2.

Quòd ſi raram videtur innuere voluiſſe Sapiens eſſe concordiam fratrum, dum ait: *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo, & hominibus, concordia fratrum, &c.* & clare docuit profanus poeta dicens:

Ouid. 1. met.

Fratrum quoque gratia rara eſt.

Ariſt. 7. polit. c. 2.

ex eo fieri docet philoſophns, vt cum pars appetitiua ſit, quæ iraſcibilem, & concupiſcibilem continet, videatur homo à natura ita conſtitutus, & diſpoſitus, vt cum propter naturæ, & ſanguinis coniunctionem ab aliquo amari tenetur, ſi ab illo ſe lædi, contemniue intelligat, incredibiliter iraſcatur, acerbiſſimumque in eum concipiat odium: nam & omnis res, quæ à ſua ſpecie degenerat, in multo deteriorem abit, quam ſi eam natura ingeneraſſet; ſic ealidiſſima frigidiſſima fiunt, & corruptio optimi ſemper eſt peſſima. Apparuit in Cain, qui fraterno Abelis ſanguine terram aſperſit, & vt poeta ille de fratribus vrbis Romanæ conditoribus cecinit.

Gen. 4.8.

Lucan. lib. 1.

Fraterno primi maduerũt ſanguine muri.

Gen. 27. 13.

2. Reg. 13.

Sabel. Aenea. 1. lib. 7.

Apparet etiam ex Geneſi in Iacob, & Eſau, ex libris Regum in Abſalon, & Ammon, ſed mirabiliter apud Sabellium in Eteocle, & Polynice fratribus, de quibus proditum eſt, quòd cum ſe mutuis vulneribus confeciſſent, & rogo cadauera mandarentur, ex eorum corporibus naſcentes flammæ ſe inuicem diſſociauerunt. Quare vnuſquiſque cauere diligentiſſimè ſibi debet, ne cum ſæuiſſimo hoc odio fraternum immutet amorem, quod crimen eſt apud homines nefariæ turpitudinis, & infamiæ nota inurendum: & apud Deum illud *peſſimum*, de quo amator fratrum ſuorum Ioſeph, vt habetur in Geneſi, *accuſauit fratres ſuos apud patrem:* eſt enim ibi Hebraicè pro crimine רבה, dibbath à radice רבב, dabab, quod ſignificat oblocutionem. Quare, dum ait ſacra hiſtoria: *accuſauit* Ioſeph videlicet, *fratres de crimine peſſimo.* Idem eſt, ac ſi diceret, detulit Ioſeph Patri, quòd, fratres ſui de ſe oblocuti eſſent.

Fraterna amicitia quàti facienda.

Gen. 37.2.

VERS. II.

Si me ipſum tradam tibi ſeruum, nõ ero condignus prouidentiæ tuæ.

VERS. III.

Tamen obſecro te, vt aſſumas tibi animalia, ſiue ſeruitia, & vadas ad Gabelum in Rages ciuitate Medorum, reddaſque ei chirographum ſuum, & recipias ab eo pecuniam, & roges eum venire ad nuptias meas.

VERS. IV.

Scis enim ipſe, quoniam numerat pater meus dies, & ſi tardauero vna die plus, contriſtatur anima eius.

VERS. V.

Et certè vides quomodo adiurauit me Raguel, cuius adiurationem ſpernere non poſſum.

1 *Seruorum dura conditio.*
2 *Prouidere quid.*
3 *Mira Tobiæ comitas, atque modeſtia.*
4 *Siue pro, &*
5 *Cur Tobias Rages cum Angelo non ierit.*
6 *Amicorũ licitis adiurationibus cedendũ.*

VERS. II: Arabs.

SI *me ipſum.* Arabs: *Et ſi poſuero animam meam in facultate tua.* ſi me tibi in perpetuum mancipium deuinxero.

1 Quanta res ſit libertas, quantum pretium ſeruitus, quamque graue, ac miſerum eſſet apud Iudæos creditorum ſeruituti debitores addici, quæ mulier in libris Regum ad Eliſæum clamabat: *Ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad ſeruiendũ ſibi*, non obſcurè demonſtrat. Quin & immanes alioqui tyranni Diocletianus, & Maximianus: *ob æs*, inquiunt, *alienum ſeruire liberos creditoribus iura compelli non patiuntur.* Magnificus tamen acceptorum beneficiorum æſtimator Tobias, nulla compenſatione ſe debitum cum Angelo contractum ſoluere poſſe, nec ſi ſe illi in ſeruum traderet, liberaliter profitetur.

4. Reg. 4. 1

Dioclet. Maxim l. ob æs. C. de oblig.

2 *Prouidentia tua.* Prouidere eſt ante, vel à longe factum aliquod videre, antequam factum ſit: vnde dicta eſt prouidentia, & prudentia. Arabs. *Non ſum dignus tui regiminis, neque tuorum beneficiorum, quæ feciſti mecum.*

Arabs.

II.

3 *Obſecro te.* Admirabilem eiuſdem Tobiæ modeſtiam, & animum humaniſſimæ comitatis, ac ſuauitatis pleniſſimum hæc rogantis verba exaggerant, quibus, non modò ſe debitorem eius, quem hominem exiſtimabat, & hominem à ſe mercede conductum, vt videmus, profitetur; ſed inſuper eum obſecrat, vt Rages, quo ex pacto, vt ſupra dictum eſt, ire debuerat, proficiſci dignetur, ibique à Gabelo depoſitam, ſeu commodatam pecuniam exigere, ſimulque eum ad nuptias inuitare. Vnde ſequitur,

ſup. c. 5. v. 14 & 15.

4 *Vt aſſumas tibi animalia, ſiue ſeruitia. Siue*, vt hic Serarius aduertit, ponitur pro &, quod patet infra ex verſic. 6. vnde hoc etiam in loco ex' onit Hebræus: *Seruo*

rum, & iumentorum numerum. Græcus vero λάβε, ait, μετὰ σεαυτοῦ παῖδα, καὶ δύο καμήλους. *Accipe tecum puerum, & duos Camelos*, ſingularem pro plurali ponens, vel certè παῖδα, non ſeruum; ſed ſeruitium, ſeu ſeruorum multitudinem vocauit, vt etiam interpres noſter, qui vertit, *ſeruitia*. Arabs: *Vt aſſumas iumentum, & duos Camelos*.

Arabs.

Et recipias ab eo pecuniam. Arabs. *Et accipe ab eo pondera*.

5 *Scis enim*. Rationem modo reddens Tobias Raphaeli, quare ſolum eum mittat, nec ipſe cum eo vadat, benè enim tu noſti, ait, valde ſollicitum de meo regreſſu patrem meum eſſe, & ex deſiderio mei numerare abſentiæ meæ dies: quare ſi ad eos dies, quibus apud Raguelem me oportet morali, alios adijciam, *& tardauero*, vltra condictum, ſeu præfinitum itineri meo tempus, vel *vna die plus* contriſtabitur anima eius, maximoque afficietur dolore.

VERS. V. LXX. Syrus. Sup c. 8. v. vlt.

6 *Et certè vides*. LXX. *Quoniam iurauit Raguel non exire me*. Syrus. *Raguel autem iurauit, quòd decem dies remanerem apud illum*. Adiurauerat enim Tobiam Raguel eo modo, quo ſupra vidimus, per diuini nominis reuerentiam eum adigendo, vt duas hebdomadas moraretur apud ſe, & licet nullam potuerit neceſſitatem hac ſua adiuratione Tobiæ imponere, cum ſocer in generum poteſtatem tantam, & in re tali nō habeat; quia tamen religioſi, modeſtique eſt animi adiurationibus licitis cedere, & obſequi, haud cenſuit ille adiurationem Raguelis ſpernere ſe poſſe.

Quòd iuſiurandum obſeruari, vt res ſacra debeat.

DOCVMENTVM.

A

REVERENTIA, quam habuit magnam adiurationi ſibi factæ à Raguele Tobias, eos non parum confundit, qui, non modo diuini nominis reuerētia non mouentur ad aliquid agendum, vel non agendum eiuſdem numinis conteſtatione ab alijs adiurati: ſed nec quando eiuſdem item numinis conteſtatione ſe ipſos in aliquo alteri obſtringunt, vel ordinant, cuiuſmodi eſſe illi ſolent, qui tertio quoque verbo iurant, de quibus Chryſoſtomus, ſiue auctor qui ſit operis imperfecti. *Virum*, inquit, *iurationi aſſuetum affinem eſſe periuro. Quemadmodum enim paterfamilias, qui linguæ, & fuſtium ictibus crebrò famulos ſuos lædit, interdum innocentes cæco percutit impetu; ita qui crebrò nomen Dei vſurpat, Deo ipſi temeritate, aut falſitate plerumque iniuriam facit*. Quare ne peieres, & in contemptum diuini nominis incidas, extra neceſſitatem à iuramentis omnino abſtinere debes: nam *vis longe eſſe à periurio*, ait Auguſtinus, *iurare noli: qui enim iurat, aliquando verum iurare poteſt, qui autem non iurat, mendacium nunquam iurare poteſt*. Sic malorum radices auferendæ, peccati præoccupanda conſummatio, amputandum vitium in ipſo initio. Hinc Dominus noſter, vbi lex vetus dicebat, non adulterabis, non occides, dixit: non concupiſces, ne iraſcaris, & vbi lex erat contenta iuramento, modò quis ſanctè iuraret, ille occaſionem peierandi amputare volens. *Ego*, inquit, *dico vobis, ne iuretis omnino*, & cæt. *ſed erit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*. Non, ſicuti perperam multi ſunt imaginati, licitum his verbis prohibens iuramentum; ſed peruerſam tantum iurandi conſuetudinem, quæ periurijs ſolet eſſe occaſio. Sic Auguſtinus. *Quando*, inquit, *Dominus prohibuit iurare, ſupra ripam noluit ambulari, ne pes tuus in anguſto labatur, & cadas*.

Chryſ. ſer. 12. in c. 5. Matt.

Iuramētum ſæpè vſurpans periurio proximus eſt.

B

Aug. ſer. 28. de ver. Apoſt.

Matth. 5. 27.

C

Iurandi conſuetudo tollenda, vt peierādi tollatur occaſio.

Aug. ſer. 11. in nouis.

Et ſanè, ſi iuramentum omne prohibere Dominus voluiſſet, Beatus Paulus, in quo Chriſtus loquebatur, haud quicquam iureiurando affirmaſſet, vt multis in locis feciſſe legimus. Sicuti nec Angelus in Apocalypſi, quinimmo nec Angelorum Dominus in pſalmis.

2. Cor. 1. & 11. Rom. 1. Vide Chryſ. ſerm. 2. in Epiſt. ad Rom. Apoc. 10. Pſ. 109. & 131. Iſaiæ 14.

Verùm cum rebus humanis iuramentum licitum multa afferat commoda, non ſolum quia grauiſſimas dirimit lites; ſed etiam quia honorem maximum ipſi Deo apud nos defert, dum iurantes ipſum teſtantur omnia noſſe, ibique præſentem eſſe, humanorumque actuum iudicem, & peccatorum occultorum vindicem, haud illud tollere Chriſtus voluit; ſed occaſionem, vt diximus peierandi, noſque ſimul docere, non ſemper licere, quod aliquando licet: *Eſt enim iuramentum*, vt Sanctus Thomas ait, *veluti humanæ incredulitatis medicamentum*.

Iuramentū rebus humanis multa cōmoda affert.

D

Vnde quo pacto in morbo meritò commendatur medicamentum, quod tamen extra illum tanquam ſuperuacaneum reijcitur; ſic, laudetur licet iuramentum, quòd vel ad lites dirimendas, & ad ius ſuum cuique tribuendum, vel ad amicorum animos leniendos, ſi quid falsò de nobis conceperunt, licitè adhibetur; non vacat tamen culpa in rebus ſuperuacaneis, aut leuibus illo abuti. Quare, vt docet Chryſoſtomus, ſicuti indumento pretioſo non niſi rarò vtimur, ita Dei nomine parcè admodum, quando grauis ratio ſuadet, vti debemus. Et Auguſtinus. *Iuramentum*, inquit, *caue in quantum potes, melius quippe nec verum iuratur, quia iurandi conſuetudine, & in periurium ſæpè caditur, & ſemper*

Iuramētum minimè neceſſarium culpabile.

Chryſ. ſer. 6. ad popul. Antioch.

E

Aug. ep. 89. q. 5. & ſerm. 116. in nou.

periu-

periurio propinquatur. Et alibi. *Non eſt peccatum verum iurare; ſed quia grande peccatum eſt falſum iurare, longè eſt à peccato falſo iurandi, qui omnino non iurat: propinquat falſæ iurationi, qui vel verum iurat.* Et certè ſi renuebant Athenienſes, iurare per illuſtres, & claros rebus geſtis viros, vt Cyrillus Alexandrinus meminit, & vapulabat apud Romanos, vt leges tradunt, qui per genium principis iuraret falſum, quin & cauemus nos primarium aliquem virum in rebus popularibus, & futilibus in teſtem adducere; cur non cauebimus Deum in leuioribus afferre teſtem? Deus inquam, qui vt pſaltes ait: *excelſus eſt, & terribilis, rex magnus ſuper omne terram, terribilis & ei qui aufert ſpiritũ principum, terribilis apud reges terræ.*

Cyrill. Alex. l. ſi duo. ff. de iureiur.

F

Pſ. 46. 3.
Pſ. 75. 13.

Quòd ſi diuinus timor, & reuerentia nos non monet, proprius ſaltem amor nos mouere debet, ne, dum nos nulla cogit neceſſitas, quid iuramento confirmemus, vel negemus,

Eſt præterea, vt inquit Baſilius, turpe, & omnino ſtultum ſeſe, vt fide indignum, accuſare, & ad iurandi ſeueritatem confugere. Vnde Cliniam Philoſophum Pythagoricum, idem refert, cum illi per iuramentum mulctam trium talentorum vitare liceret, iniuriam pati maluiſſe, quam iurare, idque cum nec falsò eſſet iuraturus. Et Eſſeni, teſte Ioſepho, à iureiurando non ſecus, atque à periurio ſe abſtinebant, quod mendacij iam illum condemnatum dicerent, qui ſine eo ſibi credendum eſſe non putaret. Vnde ſicuti non parum ſibi ipſi iniurius eſſet, qui non niſi tortus veritatem fateri vellet, ita iuramento vtens, quod, teſte Plutarcho, tormenti quoddam genus eſt homini libero, ad fidem ſuis dictis præſtandam, maximam ſibi ipſi facit iniuriam.

Baſil. in pſal. 14.

G

Ioſeph lib. 2. de bell. c. 7.

Plutarch. in probl. Rom n. 43.

Nec iurandi conſuetudo apud Deum, vel apud homines excuſat, niſi eandem ita deteſtemur, vt toto conatu eam euadere curemus. *Dicitur*, ait Chryſoſtomus, *quòd quidam externorum Oratorum, præ irrationabili conſuetudine, dexterum eundo humerum continuò mouebat; ſed tamen conſuetudinem vicit, & gladios acutos vtrinque humeris impoſuit, vt vulneris timore membrum ineptè ſe mouens corrigeret.* Hoc nobis circa linguam faciendum eſt, & pro gladio timore diuinæ vltionis vti debemus, vt à praua iurandi conſuetudine liberemur. Sic, *iurauimus*, inquit Auguſtinus, *etiam nos paſſim, habuimus iſtam teterrimam conſuetudinem, & mortiferam, ex quo Deo ſeruire cœpimus, & quantum mali ſit in periurio vidimus, timuimus vehementer, & veneno ſiſſimam conſuetudinem timore frænani-*

D

Chryſ. hom. 7 ad pop. Antioch. circ. fin.

Iurandi conſuetudo corrigenda.

Aug. ſer. 30. de verb. Ap.

mus, frænata reſtringitur, reſtricta langueſcit, langueſcens emoritur, & malæ conſuetudini bona ſuccedit. I

Nec facilè ab alijs ſine neceſſitate exigi iuramentum debet, quod fruſtra à viro probo exigitur, cum circumuentio non ab interioris hominis puritate timenda ſit; ſed ab impio, qui ſemel à veritate cum deflexerit, non maiore religione ad periurium, quam ad mendacium perduci conſueuit. Vnde Auguſtinus de quodam ciue Hypponenſe innocente, ſimplice, bonæque fidei pluribus noto refert, quòd *aliquando commotus prouocauit debitorem ſuum ad iuſiurandum: iurauit ille, iſte perdidit; ſed iſto perdente, ille penitus perijt, dicebat ergo ille ciuis, ipſa nocte ſe exhibitum fuiſſe ad iudicem, magnoque impetu, ac terrore perueniſſe ad præſidem quendam admirabilem, & excelſum, dictumque ſibi fuiſſe: quare prouocaſti hominem ad iurationem, quem falſum eſſe iuraturum non ignorabas? Reſpondit ille: negauit mihi rem meam: dictum eſt illi: & non ne melius erat, vt rem tuam, quam exigebas, perderes, quàm animam iſtius falſa iuratione perimeres? Proſtratus iuſſus eſt cædi, caſus eſt tam grauiter, vt in dorſo euigilantis veſtigia plagarum vbicunque apparerent: poſtea dictum eſt illi: parcitur innocentiæ tuæ: de cætero caue, ne facias. qui emendatus eſt.*

A bono viro iuramentum exigi non debet.

Aug ſer. 1. de decoll. S. Io. Baptiſtæ.

Iuramẽtum ab eo minime exigendũ, quẽ certo ſcias peieraturum.

At dico ego, ſi tanta is à Deo perpeſſus eſt, qui ſimpliciter, & bona fide ſuum debitorem ad iuſiurandum induxit, quem peieraturum nouerat, quanta perpeſſuros illos exiſtimamus, qui leuiſſima quaque de cauſa peierant, aliosque ad peierandum inducunt, quæ paſſuros illos putamus, qui cum crucifixoribus, non malum tantummodo pœnæ Chriſto intentant, M ſed etiam culpæ, dum illum in falſitatis teſtem aduocant? Falce ſanè illa diuinæ vltionis, quam vidit, iuxta Septuaginta, Zacharias, feriendi ſunt, & diſſoluendi in medio ab illo, qui ſuffodit lapides, & ligna. Vide Chryſoſtomum homil. 19. & 27. ad populum.

Zachar.

VERS. VI.

Tunc Raphael aſſumens quatuor ex ſeruis Raguelis, & duos camelos, in Rages ciuitatem Medorum perrexit, & inueniens Gabelum, dedit ei chirographum ſuum, & recepit ab eo omnem pecuniam.

VERS. VII.

Indicauitque ei de Tobia filio To-

biæ

biæ omnia, quæ geſta ſunt, fecitque eum ſecum venire ad nuptias.

1 *Camelus quod animal.*
2 *Pecuniam Tobiæ debitam Gabelus in arculis ſignatam, cur teneret.*

VERS. VI TVNC *Raphael.* Audita cauſa à Tobia ſibi propoſita, accipiens pecuniæ cautionem, promptus ad Gabelum, pro recuperandis talentis, iter arripuit, ſecum.

Aſſumens quatuor ex ſeruis Raguelis. vt decenter comitatus ad Gabelum accederet, *magiſque ſibi*, vt ait Chryſoſtomus, *crederetur*.

1 *Et duos camelos.* Animalia magna corpore, & viribus, ad ſarcinas quaſque, & onera ferenda commodiſſima, quæque præterea verberibus obediant, & metu non modicè contineantur: ieiunij patientiſſima, & oneri ſuo quadam diſciplinæ ratione ſuccumbentia, quare itineri, inter cætera animalia vtiliſſima eſſe cenſentur.

Et inueniens Gabelum. Cum primum in Rages perueniſſet ad Gabelum, ab illo hoſpitio eſt vna cum famulis ſuis receptus. LXX. Ita LXX. *Et manſit apud Gabelum.* Et Syrus. *Et habitarunt apud Gabelum.*

Syrus. *Et dedit ei Chirographum ſuum.* Syrus. *Et dedit ei Raphael ſcriptionem manuum.* quam nimirum fecerat, & manu ſua firmauerat, cum Tobias ſenior pecuniam apud ipſum depoſuerat.

2 *Et recepit ab eo omnem pecuniam.* quã quidem in arculis, & ſacculis ſignatis fideliter ſeruauerat, vt promptè illam reddere poſſet. LXX. Sic LXX. *Ille autem prompſit arculas in ſingulis, & dedit ei.* nimirum loculos. Syrus. Syrus. *Et ſurrexit Gabelus, & introduxit, oſtenditque ei ſacculos ſignatos, numerauitq. argentum.* Arabs. Arabs. *Et exegit ab eo totam pecuniam,* nimirum à Gabelo, Tobiæ debitam, *decem talentorum.*

VII. Syrus. *Indicauitque ei.* Syrus. *Et dixit, quod filius Tobiæ accepit vxorem filiam Raguelis, & ibi eſt, teque vocat ad nuptias,* & quidem non cogendo; ſed rogando. Syrus. *Teque vocat ad conuiuium.* hoc eſt, rogat, vt ad conuiuium ſuum accedas.

Quod promptè ſoluendum ſit creditoribus debitum, & diligentiſſimè cauenda litigia.

DOCVMENTVM.

A DOcet Gabelus, qui pecuniam, quàm mutuo, vel in depoſitum acceperat à Seniore Tobia ſecretam à ſua retinebat, & in ſacculis ſignatam (poſtquam illa vſus fuerat, ſuiſque neceſſitatibus fecerat ſatis) vt in promptu eam habere poſſet, quotieſcunque eſſet à Tobia repetita; ære alieno grauatos, ſi poſſint, ad ſimplicem creditoris poſtulationem debitum ſoluere debere. Eſt enim viri Chriſtiani, vt B. Paulus docet, nemini quicquam debere niſi dilectionem: (Rom. 13. 8.) &, vt Seneca: quo genere quis obligatus eſt, eo fidem exoluere, (Senec. li. 5. de benef. 15. & ep. 18.) cum errent valde qui beneficium libentius accipiunt, quam reddant, (Lætiores pecuniã reddere, quam mutuare debemus.) hilariorq. eſſe debeat, qui ſoluit, quam qui dat mutuum, & lætior, qui maximo ære alieno, accepti beneficij exoneratur, quam qui cum eo maximè obligatur. B quin & ipſi tyranni promptè curarunt reddere, quod mutuum acceperunt: nam Gelonem narrat Plutarchus, (Plutarch in apoph.) poſtulantẽ à ciuibus pecuniam, frementibus illis, poſtulare ſe oſtendiſſe vt redditurum, reddiditque perpetrato bello. Et Alexandrum cognomento magnum, narrat Diodorus, vno die de proprio æs alienum exercitus diſſoluiſſe: quod facere haud minus particularem ciuem decet, qui multo magis circa datæ fidei ſuæ conſeruationem ſollicitari debet, ac de ea conſeruanda proſpicere, per accuratam pecuniæ reſtitutionem, ſubducendo ratiunculam, &, vt Plautus ait, (Plaut. in Curc.)

Quantum quis ſui ſibi ſat, quantũ alieni.

Quamobrem, qui Chriſtiani haberi volunt, depoſitam pecuniam promptè debent reddere: ſic poëta ille C

Reddite depoſitũ, pietas ſua fœdera ſeruet. (Ouid. 1. art.)
Fraus abſit vacuas cædis habete manus.

Nec illud, vel denegare, vel ſolutionem, maximo creditorum diſpendio, in dies etiam litigijs protrahere, quod facere manifeſtum eſt furtum, cum ſit rei alienæ, inuito Domino, contrectatio. Et ſanè, ſi præcipiente Domino, vt ſentit Auguſtinus, tenetur quis cum proprio rerum diſpendio (Aug. in Enchirid. c. 78.) lites, quæ non niſi cum iactura charitatis, & pacis fiunt, cuitare; quanto magis ſi etiã cum alieno diſpendio fiunt? *Prohibuit Dominus,* ait ille, *ſuos de ſecularibus rebus cum alijs hominibus habere iudicium,* , *ex qua doctrina, inquit Apoſtolus, eſſe delictum: iam, inquiens, omnino delictum eſt in vobis, quod iudicium habetis inter vos, quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* ac ſi diceret: D melius eſt partem ſubſtantiæ ſurripere geſtienti, quicquid habes relinquere, quàm ad rixas, & contentiones venire. (Pecunia potius negligẽda, quam per lites cũ charitatis, & pacis detrimento, quærenda.) *Ei, qui vult tecum iudicio contendere,* ait Chriſtus, *& tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium:* etenim cum nullum ſit detrimentum maius detrimento pacis, quam lites tollunt, magno cum lucro tunicam vendit, qui, vt pacem conſeruet, pallium furi adiicit, cum amittentes pacem, & ipſum perdant Deum?

Qua-

Cantic. 3. 2.
Ambr.lib. de Iſaac,& anima c.5.

Quare dum ſponſa, vt eſt in canticis, *per vicos, & plateas*: ſeu, vt legunt LXX. *in foro, & in plateis*, vbi, ſicut ait Ambroſius, lites habentur, & nundinæ, dilectum animæ ſuæ quęſijſſet, haud illum reperire potuit. Et Balaam, vt ex Dei permiſſu dira poſſet Iſraëlitico populo imprecari, & maledicta conijcere à Balaac, & populi congregatione prius diſceſſiſſe narrat ſacra hiſtoria, quod facile diabolum comitem habeant, qui vnionem fidelium, pacemque iurgijs, & litigijs perturbare conantur. Proueniunt etiam lites ex concupiſcentijs terrenarum rerum, à quibus Deus abeſſe ſolet, quod animaduertit Ambroſius in eo, quod ager figuli in ſepulturam peregrinorum pretio ſanguinis ipſius Chriſti emptus fuerit; *peregrinis*, inquiens, *qui erant ſine domo, & ſine patria requies Chriſti ſanguine prouidetur, vt quibus non eſt in mundo poſſeſſio, ijs in Chriſto ſit ſepultura*. Chriſtianus enim, qui mundum non poſſidet, totum poſſidet ſaluatorem, at ij, qui lites, bellaque pro terrenis exercent, terræ, quam concupierunt viui miſere traduntur, mortui nihil, vt ait Clemens Alexandrinus, habituri de cæleſtibus, qui pro terrenis totis viribus decertarunt. Demum, ſi bene perſpiciamus, nullum propemodum eſt delictum, quod ex litigio non oriatur: nam in eo, quaſi in officina locupletiſſima habet diabolus omnia peccatorũ genera, videlicet odia, inimicitias, contumelias rixas, fraudes, periuria, teſtes falſos, homicidia, quin & adulteria: vendunt enim aliquando ſe ipſas mulieres, vt litigare poſſint, ne condemnationem habeant. Quare certum licet ſit, poſſe licitas eſſe lites ſeruatis ſeruandis; immo interdum etiam eſſe neceſſarias ad fortunas tuendas, quæ ſunt ad vitam ducendam, & familiam alendam neceſſariæ; quando tamen maius bonum impediunt, vel damna, quæ diximus, inferunt, omnino euitandæ ſunt, eoque magis, quo minus licitæ, vt in noſtro propoſito digno-ſcuntur. O quam beatus, cui à forenſibus procul negotijs, datur.

Num. 24
E

Deus cum litigantibus difficile inuenitur.

De rebus terrenis nimiũ ſollicite litigantes cæleſtibus priuãtur.

Clem. Alex. orat. ad Gẽt.

Lites omniũ malorum ſemen.

G

Seneca in Thyeſte.

Carpere ſecuras dapes. ait Seneca:

Nec illi metuendum à procuratore linguato, atque edocto, vt ait Lactantius, non ad virtutem, ſed ad argutam malitiam, vel, vt ait Plautus:

Lactant. de falſ.relig.c 1.
Plaut.in Perſa.

Qui vt albo rete aliena oppugnat bona.

Quippe

Pecuniæ accipiter, accipiter auidus, atque inuidus:

Non veretur innocenti litem intendere, immerentes vexare, inermes oppugnare. O peritum iuris hominem, quantum infortunium euitat, qui non opus habet tuas

Ante foreis aſperis
Obiectus aquilonibus
Conſilium petere!

Sen.in Thyeſ

Verum non eſt, quod ſibi metuat vir bonus, & iuſtus.

Quem dulcis ſaturat quies
Securo poſitus loco
Leni fungitur otio.

Quòd nos Deus ad bonum non cogendo, ſed alliciendo compellat.

DOCVMENTVM II.

SANE quo pacto Raphael Gabelum ad nuptias Tobiæ fecit venire, non eum cõgendo ſed ſuadendo; ita Chriſtus ſuos aliquando compellit venire ad nuptias, non quidem voluntatem humanam phyſicè, vt dicitur cogendo; ſed inſpirationibus, & varijs miniſtrorum ſuorum concionibus, & argumentis, aliquando etiam rebelles caſtigando, & flagellando, vt Saulo, & alijs quamplurimis factum fuiſſe legimus. *Medicus planè*, ait Petrus Damianus, *ſanguiſugas tumentibus ægroti membris apponit; viruſque ſimul cum ſanguine ab intimis viſceribus ſorbere permittit, diuerſæ tamen intentionis eſt medicus, & hirudo; illa ſiquidem nil aliud geſtit, niſi vt ſanguinem bibat; iſte ad hoc tendit, vt languidus conualeſcat: illa ſatiatur, & moritur, ægrotus autem perdit ſanguinem, recuperat ſanitatem: illa denique ſua ſe morte ſatiat, & exultat; ægrotus dum vulneratur, ad ſtatum ſalutis erigitur. Quid igitur mirum, ſi Deus Omnipotens, qui eſt medicus animarum, ſic nos occulta ſui moderaminis arte diſponit, vt ex alienis vulneribus nobis medicamentum conficiat, quatenus, dum in nobis hoſtile vulnus infligitur, ex eo potiſſimum ſalutis antidotum procuretur. Tyrus planè genus ſerpentis eſt, ex cuius cruore teriaca fit, quæ videlicet graſſantem peſtem in his, quæ venenantur, extinguit. quanto mirabilius præualet Deus, ex alienis contritionibus nobis vtilia prouidere?* Huc vſque Petrus Damianus.

A

2. *Mach.* 3.
Act. 6.

Pet.Damian. tom.1. lib 6. ep.31. nõ longe à princip.

B

VERS. VIII.

Cumq. ingreſſus eſſet domũ Raguelis, inuenit Tobiam diſcumbentẽ, & exiliens oſculati ſunt ſe inuicem, & fleuit Gabelus, benedixitque Deum, & dixit.

VERS. IX.

Benedicat te Deus Iſrael, quia filius es optimi viri, & iuſti, ac

ti-

timentis Deum, & eleemoſynas facientis.

1 *Exponitur litera.*
2 *Sedendi ad mĕſam mos antiquior, quam accumbendi.*
3 *Exilire quid hoc loco.*
4 *Oſcula in ſignum amicitiæ dari ſolita apud omnes ferè gentes.*
5 *Lacryma lætitiæ vnde, & cur mixta dolore.*
6 *Vir pro robore ſanctitatis.*

VERS. VIII. 1 C*VM QVE ingreſſus eſſet domum Raguelis.* Poſt quã nimirum è Rages, vnde, impoſita camelis pecunia, ſatis mane diſceſſerant, confecto itinere, Ecbatana peruenisſent. ita LXX. *Et diluculo ſurrexerunt,*
LXX. Syrus. *& venerunt ad nuptias.* Syrus: *Et impoſuit camelis*, intellige argentum, *& præuenerunt in aurora, & venerunt ad conuiuium Raguelis.*
Arabs. Arabs: *Adduxitq. eum ſecum ad nuptias.*
Syrus. *Inuenit Tobiam diſcumbentem*, Syrus: *Venerunt ad conuiuium Raguelis, & inuenerunt Tobiam accumbentem.*

2 *Diſcumbentem.* Hoc eſt, menſæ accumbentem, in lecto nimirum diſcubitorio, in
Luc. 7. 36. quo ad menſam Iudæorum mos fuit diſcumbere; quem etiam obſeruatum fuiſſe à Chriſto legimus, cum inuitatus à phariſæo *diſcu-*
Io. 21. 20. *buit*, & in cœna, vbi Ioannes dilectus ſupra pectus magiſtri inter cœnandum *recubuit*: licet antiquior mos fuerit ſedendi: vnde in
Geneſ. 43 33. Geneſi fratres Ioſeph ad menſam ſediſſe dicuntur. & poëta Latinus inquit.
Aenead. 7. *Hæ ſacris ſedes epulis, hic ariete caſo*
Mos ad menſam ſedendi antiquior, quam diſcũbendi. *Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.*
Pueros autem, atque fœminas ſedere menſis conſueuiſſe, patet ex Ariſtotele, & Valerio Maximo, quod etiam, vt magis decorum,
Ariſt. 7. de rep. Val. Max. li. 2. c. 1. apud Hebræos obſeruatum fuiſſe ſignificauit Ezechiel dicens: *Sediſti in lecto pulcherrimo.*

Ezech. 23 41. 3 *Et exiliens.* Tobias nimirum ſtatim, ac Raphaëlem, ac Gabelum vidit: nam parti-
Hugo Card. cipium exiliens, ait Hugo, debet reſolui in ſuum verbum, & coniunctionem appoſitam, hoc eſt agiliter, & repente à menſa ſurrexit, occurrens Angelo, & Gabelo.

4 *Et oſculati ſunt ſe inuicem.* Et quidem in ſignum amoris, & amicitiæ: vt enim natura adinuenit riſum, qui in oculis appareat index internæ animi lætitiæ, & in ore ſuſpiria ad indicandam triſtitiam, aliosq. conſimiles motus, ad alias animi affectiones prodendas: ita adinuenit oſcula, quibus amoris, amicitiæ, & reconciliationis affectus ſignificarentur; vnde mos iſte oſculandi ſe inuicem apud omnes nationes ſemper fuit vſitatiſſimus: & quidem apud Hebræos oſten- Gen. 41.
dunt ſacræ literæ in Geneſi, Exodo, Regum, 18. & 29.
Euangelio Matthæi, & alibi ſæpe. 11. 13.

Apud Lacedæmonios vero, non modo con- Exod. 4.
ceſſa erant antiquitus oſcula; ſed ijs etiam, 27. & 18.
qui ſeniores lepidius oſcularentur, propo- 7.
ſita erant præmia. 1. Reg. 10.

Apud Romanos in tantum mos iſte in- 1. & 20. 41.
creuerat, vt Tiberius (teſte Suetonio) illum item
nequidem, ſancita lege, tollere valuerit: vnde 2. Reg. 14
& tempore Martialis, qui paulo poſt à Do- 37.
mitiano floruit, ita inoleuerat, vt dicat, Matt. 26.
ad Baſſum. 49.

Effugere non eſt Baſſe, ſed baſiatores Luca 15.
Inſtant, morantur, noſque ſequuntur, 20.
occurunt: Suet. in Tybe. c 34.

Et ad Linum, Martial. li. 1. Epigr.

Bruma eſt, & riget horridus december, Idem ad Linum.
Audes tu tamen oſculi niuali
Omne obuius hinc, & hinc tenere,
Et totam Line baſiare Romam.

Apud veteres Chriſticolas in primitiua Eccleſia & hunc inoluiſſe morem ſe ſe inuicẽ oſculandi in ſignum amicitiæ non ſemel in ſuis epiſtolis B. Paulus indicat, dum in eis Rom. 16.
frequenter ſcribit: *ſalutate inuicem in o-* 16.
ſculo pacis, in oſculo ſancto &c. vbi Chryſoſto- 1. Cor. 16.
mus: *quid eſt*, inquit, *in oſculo ſancto? non* 20.
ficto, non ſubdolo, quemadmodum Iudas Chryſ. ho. 30. in epiſt. 2. ad Cor.
Chriſtum eſt oſculatus: ob id enim nobis datum eſt oſculum, vt charitatis igniculus, & fomes ſit, vt affectum inflammet, vt hac ratione nos ipſos mutuo amemus, velut fratres inuicem ſe amant, patreſque viciſſim filios, immo etiam multo vehementius, illa enim naturæ ſunt, hæc gratiæ.

5 *Et fleuit Gabelus*, nimirum præ lætitia:
nam & lætitiæ eſſe lacrymas ſupra docui- Sup. c. 7. v. 6. n. 2.
mus, quas etiam, præter rationem ibi aſſignatam, ex aliquo dolore, lætitiæ admixto aliquando naſci poſſe non dubito: etenim cum terrenæ omnes lætitiæ, tam intimam ſuam finitionem habeant, vt in medijs ipſis tripudijs mœſta quædam adſit ipſius repræſentatio: ſæpe contigiſſe videmus, vt inter mutuos ipſos amatorum complexus per futuræ ſeparationis conſiderationem tranſactæ abſentiæ aggrauetur memoria, & futura longe diuturnior timeatur. Quomodo dum ſe mutuo complexantes ſe inuicem læti reciperent Dauid, & Ionathas, oſculantes ſe
alterutrum, ait ſacra hiſtoria: *Fleuerunt* 1. Reg. 20.
pariter eo quod diligeret Ionathas Dauidem 41. 42.
ſicut animam ſuam.

Benedixitque Deum. gratias agens pro
accepto beneficio. Syrus: *laudatus, & be-* Syrus.
nedictus Deus, qui dedit tibi pacem. Vata- Vatablus.
blus: *Deo gratulabundus*; quod ſciret, nihil æque Deum requirere ab homine, atque animam gratiarum actioni ſtudentem.

Benedicat te Deus Iſrael. Vatablus: *Fe-* Vatablus.
licem, ait, reddat te Deus Iſrael. Cur dictus ſit Deus magis Deus Iſraël, quam

cæterorum alibi diximus.

Quia filius es optimi viri. Nimirum propter patris tui Tobiæ Senioris maxima apud

Sup. c.5. v.4.

ipſum merita, & ſanctitatem: nam

6 *Viri* nomine ſignificatur hic robur ſanctitatis, & magnanimitatis potius quam ætatis, aut ſexus; non ſolùm quod magnanimitas, & cordis generoſitas propria ſit pertingentium ætatem virilem, cuius nomen latine ſonat fortem, robuſtum, ſtrenuũ, generoſum: nam *vir à vi,* vnde & virtus: ex quo dum ſacræ, & profanæ literæ rem aliquam arduam, aggrediendam hortantur, *oſtende te virum*, & *viriliter age* dicunt: ita Dauid moriturus ad Salomonem: *Confortare*, ait, *& eſto vir*. Et Curtius, *exurgite aliquando, ſi viri eſtis, & arma capeſſite*, & iterum, *finite arma viris, & cædite ferro*. Sed etiam quia quotquot ſtudioſè viuunt, fortiter vitia ſuperando, vt Senior Tobias: ij merito dicuntur viri: ita de viro Annæ matris Samuelis dicitur. *Fuit vir vnus de Ramathaim Tophim de monte Ephrain, & nomen eius Elcana,* &c. & de B. Iob: *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Et de Chriſto Domino apud Ieremiam: *Fœmina circundabit virum.*

3. Reg. 2. 2.
Q. Curt. de reb. geſt. Alexand.
1. Reg. 1. 1.
Iob 1. 1.
Ierem. 31. 22.

Multa Deum præſtare filijs ob parentum merita ſupra oſtendimus. Sanè, vt rectè Pindarus;

Sup. c. 7. v. 7.
Pindarus.

Non liberis Pulchrius munus datum,
Quam liberos haberi parentis optimi.

Quòd ſola virtus hominem hominibus charum, & honoratum reddat.

DOCVMENTVM.

A

DVM Gabelus Tobiæ ſenioris merita prædicat, & ob ea tanta amoris ſignæ erga iuniorẽ demonſtrat, docet optime ab oratore dictum; nihil eſſe amabilius virtute, quippe cum propter virtutem eos etiam, quos nunquam vidimus, laudemus, & diligamus; cuius rei ratio ea eſſe poteſt, quod virtus (vt teſtis eſt philoſophus) illa ſit, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit, & illud, quod bonum eſt, nemo non diligere poteſt: nam licet potuerint Lyſtrenſes, vt in actis Apoſtolorum habetur, lapidare B. Paulum, & ſemimortuum proijcere extra ciuitatem; virtutes tamen eius non admirari minime potuerunt, vnde paulo poſtea de eo clamauerunt: *Dij ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos*, & pueri adorabant eum. Sic poteſt quidem impius odiſſe iuſtum, ſed eius virtutem cognoſcens, non venerari haud poteſt; Hinc factum eſt vt Ariſtoteles dixerit honorem præmium eſſe virtuti debitum, oſtendens ita de eſſentia honoris eſſe virtutem, vt eſt de eſſentia virtutis honor. Ad quod Marci illius Marcelli mirabilis tetendit inuentio, duo templa, virtutis vnum, honoris alterum ita condendi, vt ad templum honoris nemo poſſet peruenire, qui templum virtutis non eſſet ingreſſus; tametſi reuera virtus ipſo ſit honore præſtantior. Hinc Sapiens; *Accipe ſapientiam, & exaltabit te, glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus, dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.* eleuat enim virtus de ſtercore pauperẽ, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. Hinc B. Dominicum, B. Franciſcum, alioſque ſanctiſſimos viros legimus, eo magis ab omni hominum genere fuiſſe honoratos, quo magis ſe deſpiciebant, & quidem ab ipſis etiam Cardinalibus, & Pontificibus; nam à vulgo ita impenſe colebantur, vt ſe beatos illi putarent, qui cum illis colloqui, vel eorum veſtes manu cõtingere poſſent: *Nõne obſecro*, ait Caſſianus, *etiam in hoc centuplum gratiarum euidẽtiſſime, qui fideliter Chriſto deſeruiunt conſequũtur, dum pro nomine eius à ſummis Pontificibus honorantur? ac licet ipſi humanam gloriam non requirant; venerabiles tamen etiam in perſecutionum anguſtijs iudicibus cunctis, ac poteſtatibus ſiunt, quæ non vtilitas etiam mediocribus forſan deſpicabilis eſſe potuiſſet, vel pro obſcuritate natalium, vel pro conditione ſimili, ſi in ſeculari conuerſatione manſiſſent. Quid euidentius in Abbate Ioanne, qui in illa eremo, quæ Lyco oppido adiacebat, commoratur, poſſumus approbare? qui perobſcuris natus maioribus, ita pro Chriſti nomine, vniuerſo pene humano generi admirabilis factus eſt, vt eum ipſi quoque rerum præſentium Domini, qui mundi huius, atque imperij gubernacula retinentes, etiam potentibus cunctis, regibusq; terrori ſunt, velut dominum venerantur, & oracula eius de tam longinquis regionibus expetentes, imperij ſui apicem, & ſtatum ſalutis, bellorumq. prouentus illius orationibus, meritiſq. committant.* Hæc Caſſianus, quibus illud vnum nos poſſe addere optime aduertit Platus, ex honoribus omnibus, qui in hac vita homini deferuntur, hunc videri veriſſimum, & ampliſſimum: nam cum potentiores huius ſeculi honorantur, non tam ipſi honorari videntur, quam ipſorum opes, vel potentia: & hoc alicuius præmij vel commodi ſpe. Quo in genere mirabile illud refert, quod Ioanni Becano, ex minorum ordine contigiſſe legitur, qui ſui ſeculi eruditiſſimus, cum Romæ in ſacro Palatio publice Dei verbum annuntiaret, tanta erat eius doctrinæ opinio, vt ad eum audiendum, tum alij ex omnibus gradi-

Cic. in Lelio.
Ariſt. 1. Ethic. c. 6.
Act. 3.
Virtutem nemo non amare poteſt.
Act. 14. 10.
Honor virtutis comes.
Ariſt. 4. Rhet.
Cic. 2. de nat. Deor.
Aug. de ciuit. Dei l. b. 5. 23.
Prou. 4. 8. 9.
C
Caſſ. coll 22. cap. vlt.
D
Plat. de bon. ſtat. l. 2. c. 23
Honor virtutis ampliſſimus, & veriſſimus.
E

bus

bus plurimi ventitarent,tum vero Epiſcopi, & Cardinales non panci, qui etiam quoties ille per mediam ſcholam ad ſuggeſtum adiret, omnes honoris cauſa conſurgere, apertoq. capite ſtare conſueuerant. Verum cum eo ipſo tempore ad Cantuarienſem Archiepiſcopatum proueheretur, ac nihilominus docere pergeret, nemo deinceps ex Cardinalibus ſe mouit, quod antea, vt aiebant, honorem illum virtuti tribuerent, cui ſe inferiores agnoſcebant, tum vero dignitati tribuere viſi eſſent, qua erant ſuperiores. Quod ſi interdum virtute præditos, vt de B.
F Panlo retulimus) inhonoratos videmus, id non ſolius dæmonis malitia, vt eos oppugnet, eueuire exiſtimandum eſt; ſed ipſius etiam Dei permiſſu, vt virtutem exerceat, coronã augeat, conformeſq. filio ſuo faciat.

VERS. X.

Et dicatur benedictio ſuper vxorem tuam, & ſuper parentes veſtros

VERS. XI.

Et videatis filios veſtros, & filios filiorum veſtrorum vſque in tertiam, & quartam generationem, & ſit ſemen veſtrum benedictum à Deo Iſraël, qui regnat in ſecula ſeculorum.

1 *Dicere benedictionem ſuper aliquē quid.*
2 *Filius probus quomodo gloria ſit patris.*
3 *Semen pro poſteritate.*
4 *Benedictio Dei poſteritas.*
5 *Seculum ſeculi quid in ſacris literis.*
6 *Longæuitate, & prole benedicebant iuſti in veteri teſtamento.*

VERS. X. 1 ET *dicatur benedictio.* Hoc eſt, ſit vxor tua, parenteſq. tui benedicti. Syrus: *Benedictus es tu, & benedictus pater tuus, & mater tua, & benedicta vxor tua, & pater eius, & mater eius.* Arabs: *Et prouentus gratiæ ſuper filios ueſtros.* Vatablus: *Et felix dicatur vxor tua parenteſq. veſtri.* (Syrus. Arabs. Vatablus.)

Vxorem. nimirum propter foecunditatem prolis & morum honeſtatem?

2 *Parentes veſtros.* propter veſtram probitatem: nam, vt ait Lyranus. *dicitur communiter de bonis filijs, & filiabus, benedicatur pater, qui te gennit, & mater, quæ te portauit.* Sic de Chriſto mulier illa Euangelica: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.* Et certe ſicut præclara parentum probitas, & filijs affert honorem, & quaſi ſplendor inſignis eos illuſtrat; ita præſtantia filij quodammodo aſcribenda eſt patri, vt effectus cauſæ. Quare ob maximam affinitatem naturæ, quam inter ſe habent pater, & filius, pro eadem fere perſona haberi, & pro eadem voce leges ſtatuerunt: & quod filius patris vti poſſit priuilegio, & eadem, quæ pater habere iura. Hinc Salomon: *Corona ſenum,* ait, *filij filiorum, & gloria filiorum patres eorum.* (Lyranus. Luc. 11. 27. — ll. in vulgaris turibus. l. in ſuis. de lib. & poſth. l. ſi. de impub. & alijs ſubſt. C. ca. contradicimus. §. hac auctoritate 25. q. 3. & §. ei vero. de inutil. ſtip. C. l. etiam ſoluto matrimonio. & l. vt inteſtato. C. de ſuis, & legit. hæred. l. ſi quis. C. de inoff. teſtam. Prou. 17.)

Et videatis. Arabs: *Et dignos vos efficiat Deus, vt videatis filios filiornm, &c.* Hanc etiam precati fuerunt benedictionem parentes Rebeccæ filiæ, dum illam ad ſponſum dimitterent: *Soror noſtra es,* dicentes, *creſcas in mille millia.* (Arabs. Gen. 24. 60.)

3 *Et ſit ſemen veſtrum;* hoc eſt, veſtra poſteritas, quo ſenſu etiam ponitur hæc vox ſemen in pſalmis, vbi dicitur: *Et ſemen eius hæreditabit terram.* & alibi. *Nec ſemen eius quærens panem.* Et apud Iſaiam; *ſi poſuerit pro peccato animã ſuam, videbit ſemen longæuũ.* & ſæpe alijs in locis ſacræ ſcripturæ. (Pſal. 24. 13. Pſ. 36. 25. Iſa. 13. 10.)

4 *Benedictum.* Hoc eſt, poſteritate donatum, quo pacto benedicendos eſſe omnes timentes Deum, in veteri lege dixerat Dauid dicens, *Benedicat tibi Dominus, vt videas filios filiorum tuorum, ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.* (Pſal. 127. 4. 5. 6.)

5 *In ſecula ſeculorum.* Vox vero *ſecula,* ſiue *ſecula* ſeculorum, quid in ſacris literis ſignificet, docet Hieronymus; *Quærendum,* inquiens: *quid interſit inter ſeculum, & ſeculum ſeculi, ſiue ſecula, ſeculorum, & vbi pro breui tempore, & vbi pro æternitate ponatur: quia in Hebræo ſeculum ideſt ngbolam, vbi van literam poſitam habuerit, æternitatem ſignificat; vbi vero ſine vau ſcribitur, ſignificat annum quinquageſimum, quẽ illi iubileum vocant, ob hanc cauſam, & ille Hebræus, qui propter vxorem, & liberos amans dominum ſuum, aure pertuſa ſeruitio ſubiugatur, ſeruire iubetur in ſeculum: Hebraice eſt ngbolam, ſine litera vau, ideſt, vſque ad annum quinquageſimnm iubilei, & Moabita, atque Ammonita non ingrediuntur Eccleſiam Domini, vſque ad decimã generationem in æternnm, quia omnis dura conditio, iubilei ſoluitur aduentu.* Hæc Hieronymus, cuius, tamen doctrinam non conuenire cum orthographia, quæ hodie in vniuerſis biblijs Hebraicis habetur, vnicuique, linguæ hebraicæ non neſcio, facile patet; nam in eis ngholam ſemper cum litera vau ſcribitur, etiam quando æternitatem non ſignificat, ſed tempus iubilei, vt facile eſt animaduertere in Deuteronomio, vbi de ſeruo dum agitur, qui vſque ad annũ iubilei ſeruiturus erat, dicitur: *Et ſeruiet tibi vſque in æternum:* pro æterno ponitur ngholam cum litera vau, ex quo nobis incertum remanet, quando æternitatem, vel tempus ſignificet, licet ex adiunctis non obſcure pateat: quo pacto in Geneſi tempus (Hier. in c. 1. epiſt. ad Gal. Deut. 15. 17. Gen. 6. 4.)

præ-

præteritum ſignificare cognoſcitur, vbi dicitur; *iſti ſunt potentes à ſeculo viri famoſi*. & apud Ieremiã: *à ſeculo confregiſti iugum*. *Ierem. 2. 20.* In pſalmis vero, tempus vniuerſæ vitæ, vbi dicitur: *miſericordias Domini in æternum cantabo*. *Pſal. 88.* *Nos qui viuimus benedicimus Dominum ex hoc nunc, & vſque in ſeculum*. *Pſ. 113. 18* In Geneſi iterum, tempus diuturnum, cum dicitur: *ne forte mittat manum ſuam*. Adam ſcilicet, *& comedat, & viuat in æternum*. *Gen. 3. 22.* Quo pacto etiam aliquando ſignificare tempus determinatum probat Auguſtinus: & S. Thomas æuum, vel æternitatem, ſiue cuiuſlibet rei periodum: quin etiam, quotieſcunque de Deo ponitur, veram, & propriam æternitatem ſignificare cognoſcitur, & tunc maxime, quando dicitur: *in ſeculum ſeculi: in æternum, & vltra: in ſecula ſeculorum* viuere, regnare, punire &c. vt hic in litera, & ſæpiſſimè alibi.

S. Aug. lib. 2. locut. in Exo. c. 91.
S. Tho. 1. p. q. 10. a. 2. & 3. ad 1.

6 Benedicens itaq; Gabelus Tobiæ, tam abundam benedictionem ſuper ipsũ, & vxorem deſcendere à Deo precatur, vt longæui poſſent videre multitudinẽ filiorum ſuorum, & nepotum, vſque ad tertiam, & quartam generationem, totamq́. poſteritatem à Deo in æternum regnante omnibus benedictionibus cumulari: nam, vt etiam alibi adnotaui, in veteri teſtamento, diuinæ legis cultoribus, non vita æterna, ſed huius vitæ longæuitas promittebatur: vnde, & maxima cenſebatur Dei benedictio, vt etiam abundans proles, quæ non niſi Deo propitio, & beneuolo viris ſanctiſſimis concedebatur, quos ille charos haberet: vnde Dauid: *Cum dederit*, inquit, *dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris*. *Pſ. 126. 2. 3.* hoc eſt, vt exponit Theodoretus, *Theodoretus.* dabit vtique Deus optimis ſuis dilectis quietam, & felicem vitæ rationem, numeroſæ prolis ſuſceptionem, quæ iuſtis viris mercedis, & præmij loco tribui ſolet.

Quòd vitam æternam, & filios bonorum operum promittat Deus in nouo teſtamento illis, qui arduam virtutis viam aggrediuntur.

DOCVMENTVM.

A CERTE non longæuitas tantum præſentis vitæ, aut multitudo filiorum timentibus Deum in noua lege promittitur, ſed etiam æterna, quæ fœcunditatem bonorũ operum glorioſior promeretur. *Orig. in v. 5. c. 10. epiſt. ad Rom.* vnde Origenes: *Iuſtitia Dei*, inquit, *non tantum vitam præbet; ſed æternam vitam, illam verò, quæ ex lege eſt, iuſtitiam faciens homo, non dixit, quòd viuet in æternum; ſed tantum quòd viuet in ea, vitam ſcilicet corporalem, & temporalem*. Ex quo maxima cẽſeri Dei benedictio debet, filios habere bonorum operum, & filios filiorum, mercedem ſcilicet illis promiſſam.

In ſacris literis filios bona opera ſignificare, & filios filiorum eorundem mercedem, docet Auguſtinus in illis verbis Pſalmi: *Iuſtitia illius in filios filiorum, mercedem operum noſtrorum*. *Aug. in pſal. 102.* Quam quidem vitam, & benedictionẽ conſequimur, vt Chriſtus docuit, B mandatorum Dei obſeruantia. Sic adoleſcẽti illi interroganti: *Quid faciendo vitã æternam poſſidebo? Si vis*, reſpondit Chriſtus, *ad vitam ingredi, ſerua mandata*, *Matt. 19. 17.* vbi vitam æternam, vitã abſolutè vocat, vt nos doceat nullam aliam vitã, ſiue mortalem iſtam, ſiue reproborum immortalem, verè vitam dici poſſe. Et quidem de vita hac tẽporali docet Gregorius, dum ait: *Temporalis vita æternæ vita comparata, mors eſt potius dicenda, quã vita; ipſe enim quotidianus defectus corruptionis, quid eſt aliud, niſi prolixitas mortis?* *Greg. hom. 17 in Euang.* De immortali damnatorum, docent Beda, & Origenes. *Beda in c. 24 Prou.* *Orig. in pſ. 36 hom. 5.* Sancta etiam Eccleſia in Litanijs, dum ab ea liberari filios ſuos poſcit: *à morte*, inquiens, *perpetua, libera nos Domine*. *Eccleſ. in Litanijs.* Ad vitam itaque æternam, quæ vera eſt vita, in Euangelio promiſſam, qui peruenire deſiderat, C ei per viam, vt Chriſtus docet, mandatorum ingrediẽdum eſt, quæ quidem via ex eo, quia hominem virtutis terminis cõſtringit, nec ſinit eos vagari, ſiue à dextris, ſiue à ſiniſtris, quo ſuis ſatisfaciat cupiditatibus, velut ſtricta quædam eſt ſemita, vt idem Chriſtus docet, dum ait. *arcta via eſt, quæ ducit ad vitam*. *Matt. 7. 14.* inter duo præcipitia, hinc inde cõſtituta, è qua, niſi ſe cautè obſeruet homo, facile in præceps ruat: media eſt enim diuina lex, vtpotè virtutis inter extrema, defectum vitij ex vna, exceſſum ex altera tenẽs parte. Verũ non omnibus, vt ait Gregorius; ſed tantum imperfectis. *Greg. hom. 17 in Ezech.* Sic, *Via Dei*, inquit ille, *inchoantibus, anguſta eſt; at perfectè iam viuẽtibus lata fit: ipſa via dura ſpiritualiter currentibus molles, & plana fiunt, dum ſcit animus ſe, pro temporalibus doloribus, gaudia æterna recipere*: nouit hoc etiam Heſiodus: vnde ait.

Via Dei inchoantibus anguſta, perfectis lata. D

Heſiodus in opere, cui titulus opera & dies.

καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται
ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

hoc eſt. *Aſpera via virtutis primum; ſed cũ ad cacumen ventum eſt, facilis deinde eſt, difficilis licet fuerit, &c.* Sic Sanctos per eam quaſi ampliſſimam cucurriſſe ſcimus. *Viam*, inquit Dauid, *mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*. *Pſ. 118. 32* Et Dominus animam, dilectam ſponſam ſuam in canticis alloquens, eam equitatui comparat, dicens. *Equitatui meo, in curribus Pharaonis, aſſimilaui te amica mea*. *Cant. 1. 8.* Quæ quidẽ ſponſę cum turmis equorum comparatio, licet extranea videri poſſit conſideranti tarditatem, & pigri-

Amor Dei ardui virtutis viam facilè reddit.

E

tiam, quam naturaliter, ob defectum caloris mulieres habent, illis tamen maximè cõngruere iudicabit, qui amoris vim in earundem pectore perpendet. Hinc de Magdalena, amoris igne ſuccenſa canit Eccleſia:

Eccleſ. in feſto ſ. Mariæ Magdalenæ ad veſper. in hymn.

Adſtare non timet cruci,
Sepulchro inhæret anxia.
Truces nec horret milites,
Pellit timorem charitas.

Sic ſanè licet ei, qui calore diuini amoris nõ ſuccenditur, ardua ſatis ſit, & difficilis mandatorum via; facillima tamen ſemper exiſtit ei, qui amat: etenim, Auguſtino teſte, *Omnia ſæua, et immania prorſus facilia efficit amor.* Quare Apoſtolus, dum nos ad eam hortatur, ait: *Super omnia autem charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*: nam ſicut ille maximum lignorum faſcem facile fert, qui perfecto vinculo eũ prius alligat, quod ſine eo, vel omnino non facere, vel certe difficillime poteſt; ita facillime fert mandata Dei, qui ea in faſciculum vnum charitate colligat. Merito itaque Pſaltes. *Beatus*, inquit, *vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit.* hoc eſt, verè ille ſpe cenſendus eſt beatus, qui non à terrenis hiſce rebus auxiliũ expectat, *ſed abs te*, à Domino; nam tali pacto *aſcenſiones*, ſeu, vt habet Hebræus, *ſemitas grandes*, mandatorum ſcilicet Dei, dum in hac valle lacrymarũ peregrinatur, *in corde ſuo diſpoſuit, in loco quẽ poſuit*. Græcus: τὸν τόπον, *in locum*, ad locũ, ſiue habitaculum, vt legit Hebręus, non quẽlibet, ſed commodum, ad habitandum, *manſionem*, ſcilicet *cæleſtem*, ait Auguſtinus, vbi vita eſt ſempiterna, & filios filiorum, mercedem ſcilicet bonorum operum aſſequimur.

Col. 3. 14.

F

Amor Dei facit nos in virtute proficere.

Pſ. 83. 6.

Cum Dei auxilio arduã virtutis viã facile aſcendimus.

Aug. enarr. in pſ. pſal. 83.

VERS. XII.

Cumque omnes dixiſſent, Amen, acceſſerunt ad conuiuium; ſed & cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant.

1 *Quid vox*, Amen, *in ſacris literis.*
2 *Conuiuium cum timore Dei exercendũ.*

C*VMQVE omnes*. Qui nimirum Gabeli orationi præſentes aderant, ei applaudentes, dixiſſent, Amen.

1 *Amen.* Vox eſt Hebræa, אמן, Græcè ἀμήν, Latinè, Amen. Nam & à Græcis, & à Latinis iam eſt vſurpata, eſtq. in vtroq; teſtamento frequẽs, vt adnotauit Hieronymus, pro qua ſolent aliqui interpretes transferre *fiat*. Aquila vertit, πεπιστωμένως, ideſt *fideliter*, ſiue *verè*: nam aliquando gerit vocem nominis, & ſignificat verum, & fidelem, & apud Iſaiam, vbi dicitur: *Qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo, Amen*, ideſt in Deo veraci, & fideli: Et in Apocalypſi: *Hæc dicit Amen teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei*, vbi vocem Amen declarauit, addens fidelis, & verus. Et interdum eſt vox vehementer aliquid aſſerentis, pro qua Latinè dicitur verè, vel certè, vt apud B. Marcum, vbi Dominus: *Amen dico vobis*, &c. quæ verba Lucas ſic poſuit: *verè dico vobis.* Et denique vox eſt aliquando optãtis, & precantis vt quod dicitur eueniat, vt hic in litera, vbi omnes dicto Gabeli applaudentes, dixerunt: *Amen*, hoc eſt: faciat Deus, quæ dixiſti. Sic multi terminantur pſalmi, in quorum fine ponitur *Amen, Amen*, pro quo interpres Latinus LXX. ſequutus, expoſuit: *Fiat, fiat*. & in hac ſignificatione ab initio naſcentis Eccleſiæ eſt vſurpata: vnde mos fuit, vt fideles, poſt recitatas preces, reſponderent *Amen*, vt patet ex prima Corinthiorum; qui etiam hodie perſeuerat, reſpondente populo Chriſtiano, vel vno aliquo, nomine illius, dum ſacra peragũtur myſteria *Amen*, ſignificans etiam ſe aſſenſum præbere, & rata habere, quæ in altari à ſacerdote fiunt, atque dicuntur. Nec Chriſtus, quando hac voce in Euangelio eſt vſus, iurauit, vt aliqui putant; ſed affirmatiſſimè eſt loquutus, præſertim cum eam ingeminans, dicebat, *Amen, Amen*, vt ſemper fit in Euangelio B. Ioãnis, vel proprio ſcriptoris ingenio, vel quia res tractantur diuiniores, vt volunt Ambroſius, & Benedictus Vndecimus. Vide etiam Commentarium Sancti Auguſtini ſuper illud: *Amen, amen dico vobis*, & Hieronymum ad Marcellam. Communiter tamen interpretes noſtri, ſicut & ipſi Euangeliſtæ, dũ Græcè ſcripſeruut, hanc vocẽ ſine aliqua poſuerunt interpretatione: *quia*, vt Aug. ait, *ob ſanctiorẽ antiquitatẽ ſeruata eſt antiquitas*. Thalmudici, vt obſeruat Durantes, triplex dicunt eſſe, Amen. *pupillum, ſurreptitium, & ſectile*. *pupillum* Rab. Henna interpretatur, cũ quis precatione tenetur, nec intelligit quod reſpõdeat: *ſurreptitium*, cum ſurripit, & dicit Amen, antequã abſoluatur precatio: *ſectile*, cum ſecat in duas partes, nempe oſcitãter audiens, & alias res agens. *Vtinam*, ait Canninius, *Chriſtiani in Eccleſia Amen, non pupillum, non furtiuum, non ſectile; ſed piũ, ac legitimum reſponderent: ſic enim fieret, vt & attentius ſacras preces audirent.* Plura de hac voce habet Sanctes Pagninus in theſauro, & cæteri, qui dictionaria Hebraica ediderunt, quos omnes indicauimus in noſtro indice vniuerſali, verbis Hebræus, & Iudæus. *Acceſſerunt ad conuiuium.* Arabs: *ad epulas.*

2 *Sed & cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant.* Arabs: *Et perſiſtebant in totis nuptijs cum timore Domini.* Deũ ſcilicet timentes, operã dabant, ne quid

Hier. ad Gal. c. 1.

Iſaiæ 65. 16.

Apoc. 3. 14.

Marc. 12. 43.

Luc. 21. 3.

1. Cor. 14. 16.

Amb. in pſ. 40. Bened. xi. in c. 5. Matth. S. Aug. in Io. tract. 41. S. Hier. ep. 137. ad Marcellã. Aug. de doct. Chriſt. lib. 2. Thalmudici apud Durãt. de ritibus, li. 1. c. 17. n. 1.

Canninius.

Index vniu. verbo Hebræus, & Iudæus.

Arabs.

Arabs.

in conuiuio dicerent, vel facerent, Deo ingratum, ſed in conuiuijs ita lætabantur, vt cum regio vate vnnſquiſque aſtantium di-
Pſ.85.11. cere poſſet; *lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum*; nimirum cum ſale diuini timoris: nam ſicut magnus eſſet inurbanitatis defectus, ſi à principio menſæ ſalinum, prudentiæ ſymbolum, non adeſſet; ita vitu-
B.Iudas 1. 12. perandi ſunt, vt etiam B. Iudas ait: *conuiuantes ſine timore*. Hinc aliquando, cum vir quidam grauis vidiſſet in communi recreatione conuiuam quendã modeſtiæ oblitum, obiurgauit eum, & reſpondenti, ego, cum ad recreationem domo egredior, relinquo ſenſum in veſtibulo, ſubdit: caue ne cum redieris, non inuenias illum.

Nuptiarum conuiuium exercebant. Addit huic verſiculo Græcus, εὐλόγησε τοβίας τὴν γυναῖκα αὐτου, ideſt: *benedixit Tobias vxorem*, non vt perperam interpretatus eſt
Baduellus. Baduellus: *Et Tobias vxorem ſuam fecit grauidam*: & ſi enim, vt benè Scrarius, li-
Scrarius hic in fine commentarij. berorũ ſuſceptio benedictionis genus quoddam ſit; ea tamen potius à Deo eſt, ſuntque verba hæc precatio quædam à Tobia facta, qua optabat, poſtulabatque à Deo Saram ſuam fœcunditate, ac liberorum probitate benedici, ſic in Geneſi deprecatus eſt Iſaac
Gen. 25. 21. Dominum pro vxore ſua.

Quòd conuiuia, præſertim nuptialia, cum timore Domini exercenda ſint.

DOCVMENTVM I.

A CELEBRABATVR, vt eſt in litera, conuiuium hoc nuptiale, cum timore Domini, quia ſpõſus in eo timens Deũ; optimi nimirum patris optimus filius; ſponſa caſtiſſima, & ſpectatæ modeſtiæ puella, Gabelus vir pius, vt etiam Raguel, eiuſque vxor, & demum Raphael Angelus benedicens nuptijs, & nouis nuptis, quales in noſtris nuptijs haud facile reperiuntur conuiuæ, in quibus præter laſciuas cantilenas, commeſſationes, & parum modeſtas choreas, nihil eſt reperire.

Ludouicus Viues libello de Christiana fœmina. Conuiuiorũ nuptialium abuſus. *O rem*, inquit Ludouicus Viues, *abſurdam, & præpoſteram, à votis potius, & à precibus auſpicari decuit nouam vitam, ac ſerio precari, vt nuptijs dignetur adeſſe Ieſus, ac præbere lætos ſucceſſus*.

B Et ſanè ſi illis, quibus longum ineundum eſt iter, non cytharœdos, tibicines, vel ſcurras vocant; ſed potius vt cedat via ex
Deus in nuptiis ornadus ſententia anxiè Deum orant; cur noui coniuges, qui ad iter toto vitæ tempore duraturum ſe accingunt, non inuocant, vt in illo coniugij itinere cum illis adſit? Grauiter queritur Chryſoſtomus, quod ſtatim à nuptiali die tener puellæ animus tot vndique flagitiorum machinis impetatur: ſic ille loquens de nuptijs Iacob Patriarchæ, &
Chryſoſt. hom. 56. in Gen. Liæ. *Num in his*, inquit, *nuptijs Tobiæ, aut cymbala, aut choreæ diabolicæ? Quare dic mihi tantum damnum introducis in domum tuam? quare cum ſumptu intempeſtiuo lædis virginis continentiam? quare iuuenem facis impudentiorem? Satis erat abſque illis ſufflationibus ætatem eam poſſe ferre æquanimiter affectionum tempeſtatem. Cum autem, & hæc accedunt, & quæ audiuntur, & quæ videntur, fornax concupiſcentiarum magis inflammatur.* C *Hinc verò omnia pereunt, & corrumpuntur, quia ab initio caſtitas eorum, qui inter ſe conuenturi ſunt, oppugnatur*. Quæri quidem, & excitari in conuiualibus epulis decet lætitiam; ſed eam, quæ verba intra decoris fines continet, & quam conuiuæ Tobiæ habuerunt cum diuino timore coniunctam.
Pſ.67. 4. *Iuſti*, ait Dauid, *epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia*. hoc eſt, epulentur quidem, exultent, delectenturque in lætitia; ſed in conſpectu Dei, ſicut decet eos, qui Deum adſtare ſibi ſemper conſiderant; non ſicut illi, qui, vt B. Iu- B. Iudas 1. 12.
das ait, ſunt *conuiuantes ſine timore, ſemet ipſos paſcentes*, nullatenus formidantes dãnum, quod illis inde poteſt euenire, qui, vt inquit Auguſtinus: *concupiſcentias malas, & inordinatos carnis affectus, nec ſibi contrarios deputant, nec hoſtium arma intelligunt*; ſed ſicut illi, qui ſapienter conſiderant. Quia, vt ait Gregorius, *cum corpus in refectionis delectatione reſoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur*. Ex quo deinde inani gaudio originem ducunt detractiones, homicidia, ſacrilegia, & ſi quæ ſunt grauiora crimina. Sic diuitem illum, qui,

Timent conuiuia, qui dãna crapulæ norunt. Aug. li. de continentia. D Greg. li. 1. moral. c. 5. Crapulæ damna.

vt ſacræ ferunt literæ, *epulabatur quotidie ſplendidè*, in lingua punitum legimus, ex eo Luc. 16. 19.
præcipuè, ſicut Gregorius ponderat. Quia Greg. vbi ſup.
nimis loquax fuit: *nam*, ait ille, *penè ſemper epulas loquacitas ſequitur*. Hinc de Zenone philoſopho ferũt, quòd Athenis à quodam principe exceptus, vna cum regijs oratoribus, alijſque philoſophis in conuiuio ſolus nihil dicebat, vnde & communiter à legatis compellatus. E *De te vno Zeno*, dixerunt, *quid nam noſtro principi ſumus renuntiaturi? Nihil*, inquit, ille, *quam Athenis eſſe ſenem, qui tacere ſciat inter epulas*. Marci 6. 19. 20.
Herodes, qui, vt Beatus Marcus ait, Ioannem metuebat, ſciens eum eſſe virum iuſtum, & ſanctum, quique eum ab inſidijs Herodiadis cuſtodiebat, vt obſeruat Chryſoſtomus, in conuiuio poſitus, ſacrilegam decollationis ſententiam contra eum tulit, hominemque Angelis ſimilem interfecit. Chryſoſ. hom. 44. in Matth.
Sed quid? Omnia ex crapula in conuiuijs oriri crimina non obſcurè ſacræ literæ do-

cent, dum peccatores helluones vocant: ſic volens Chriſtus Dominus maximas exaggerare iniquitates, quæ tempore Noë committebantur: *Erant*, inquit, *homines comedentes, & bibentes*. Et de Sodomitis, eorum

F

etiam grauiſſima explicare volens crimina: *in diebus Loth*, ait, *edebant, & bibebant*: Genio ſcilicet indulgebant, ſine Dei timore vacantes conuiuijs. De Balthaſſar quoque ſceleſtiſſimo rege verba faciens Daniel, nihil aliud refert ad eius malitiam exaggerandam, niſi conuiuium, quod fecit ſuis optimatibus, & ſacrilegium in eo commiſſum, dum ait: *Præcepit ergo, iam temulentus, vt afferrentur vaſa aurea, & argentea, quæ aſportauerat Nabuchodonoſor pater eius de templo, quod fuit in Ieruſalem, vt biberent in eis rex, & optimates eius, vxoreſque eius, & concubinæ*. Illationem, *ergo*, ponens, antequam tam grande referat ſacrilegium, vt ex conuiuio, de quo immediate ante meminerat, tanquam ex præmiſſis, illud deriuaſſe cognoſcamus. ex quibus ſatis liquet, nihil aliud eſſe ſine

Lucæ 17. 28.

Dan. 5. 2.

G

Crapula omnium malorum cauſa.

Dei timore conuiuijs vacare, quàm omnibus ſe criminibus expouere: vnde ſicuti quando audis aliquem equo inſidentem rebelli, indomito, nullo fræno compreſſo, abundantique hordei copia multis diebus refecto, nil aliud tibi intelligendum reſtat, niſi huiuſmodi virum ab equo deiectum, & conculcatum iri; & ex valido igne, cui ingens ſupponatur lignorum copia, cum adipe, oleo, ſtuppa, & pice, niſi grande ex eo incendium ſuſcitandum; ita, ſi operibus carnis, & quidem manifeſtis: nam *manifeſta ſunt opera carnis*, ait Beatus Paulus, *quæ ſunt fornicatio immunditia, impudicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ*; fomentum audis adiectum, equoque huic infræni pabulum ſuperfluum datum, quid aliud tibi reſtat intelligere, niſi grauia quæque crimina ex ea naſcitura? Nam, *Cui væ*, ait Sapiens, *cui patri væ? cui rixæ? cui fouea? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* Nam *diuerſa*, ait Ambroſius, *ſingulis peccatoribus mala eueniunt, temulentis omnia*.

Gal. 5. 19.

H

Prou. 23. 29.

Ambr. lib. 1. de Iſaac. & anima c. 5.

Merito itaque cum Tobia, cæteriſque eius conuiuis, cum timore Domini ad conuiuia eſt accedendum, diligentiſſimèque in eis cauendum, ne in aliquod impingatur crimen, quod fit quando in eis comeditur quantum ad famem valet depellendam, tantum bibitur quantum ſatis eſt pudicis, & caſtis, quando oratio auſpicatur, & claudit cibum, quod facere conſueuiſſe primos Chriſtianos docet Tertullianus:

Tertull. in apolog. c. 39.

Quòd ad ſacrum Euchariſtiæ conuiuium maximo cum timore à fidelibus accedendum ſit.

DOCVMENTVM II.

SED non minori cum timore ad tremendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ conuiuium accedere vir Chriſtianus debet, *In quo*, ſicut canit Eccleſia, Chriſtus ſumitur, qui panis eſt Angelorum, quippe quod indigne ad ſe accedentibus mortem afferat animi, & aliquando etiam corporis: nam *qui manducat, & bibit indigne*, ait Beatus Paulus, *iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*. hoc eſt, qui ad ſacrum hoc Euchariſtiæ accedit conuiuium, Chriſtique corpus ſacratiſſimum in eo edit, & ſanguinem pretioſiſſimũ bibit indigne, ipſe ſibi, quaſi hauſto veneno, damnationem edit, & bibit, quod corpus Domini à cæteris communibus eſcis, nec diſtinguat, nec illius dignitatis eam, quam oportuit, rationem habeat, quam ob cauſam multi inter vos ægritudine laborant, & viribus ſunt inualidi, & non pauci diem claudunt extremum. Quod multis etiam exemplis oſtẽdi poſſet; ſed illud ſingulare de Lothario rege, qui, teſte Sigiberto, licet pactis cum Nicolao Pontif. nõ ſteterit; ſed adulterã iterum in thalami partem reduxerit, Romã tamen profectus, abſolui à Pontifice Hadriano petijt, dicens ſe promiſſis Nicolao factis ſtetiſſe. *Pontifex pro comprobatione innocentiæ*, ait ille, *ad examinationem corporis, & ſanguinis Domini, tam regem, quam optimates regni inuitauit*. (licitam enim, antequam ſublata eſſet à Pontificibus, hanc probationem fuiſſe oſtendit Delrius, quotieſcunque ab Eccleſiaſtico, & competenti iudice iniuncta eſſet) *illi nihil Deum veriti, corpus Domini noſtri temere, & perperam acceperunt*. ſed non defuit diuina vltio; nam regem ſtatim, in itinere Placentiæ mortuum, cæteri omnes intra annum morientes, ſunt conſequuti. Quare, malus licet fuerit imperatur Henricus, ſimile tamen ſacrilegium committere exhorruit, inuitante illum ad ſimilem ſacramenti venerabilis purgationem Gregorio VII. Pontifice, tam ſancto, quam malis cunctis inuiſo: nam ad ſalutem licet hoc conuiuium inſtitutum ſit, & ad vitam, vt Chriſtus apud B. Ioannem docuit, indigne tamen ſumentibus, pernicies ſemper, & execratio fuit: non inſtitutione, vel inſtituentis voluntate; ſed tantummodo peruerſitate ſumentis, qui quod ſibi datum eſt ad ſalutem, vertit in mortem, dum eo impie abutitur. ſic ſæpe nocentes, & culpæ

A

Eccleſ. In antiph. ad Magnif. in 2. veſper. feſti.

S. Tho. in ſequentia Miſſæ.

1. Cor. 11. 29. 30.

B

Sigibertus anno 870. in Chronic.

Euchariſtiæ ſacramentũ indigne ſũptũ corporis mortẽ affert

Pontif. c. dilecti. de purg. can. & ca. tribus. de conſ. d. 2.

C

Delrius diſq. mag. lib. 4. c. 4. q. 3. ex Lãberto Schafnaburgen. anno 1077.

Io. 6. 56. 57. 58.

D

Cyprian. ſer. de lapſis. Greg. Turon. lib. 1. de glor. martyr. c. 88. Petr. Climacon. lib 1. de miracul. c. 2. 35. 55. Cæſarius lib 9. exempl. c. 38. 60. 64. Sur in vit. S. Godefridi lib. 3. c. 12.

reos indigne ſumentes, vel pœnis corripuit, vel non permiſit ſumere, & tranſmittere. Vide Cyprianum, & alios in margine notatos. Fixum enim eſt axioma apud philoſophos, omnes cauſas operari ſecundum diſpoſitionem, quam inueniunt in ſubiecto; quare ſol, vnus licet ſit, aliter tamen operatur in hac materia, aliter in illa, lutum indurat, ceram liqueſacit; ignis ligno arido ſuppoſitus illud protinus accendit, & inflammat, quod non niſi longo tempore agit in ligno viridi, à quo fumum, & ſtridorem diù elicit. Idipſum eſt cernere in cibo, &

E

potu corporali, qui ſumptus ab homine ſano, & vegeto, ſanus, & ſalubris eſt ſumenti, ſumptus vero ab homine, noxijs humoribus repleto, infirmitates, & dolores cauſat, Eundem in modum ſol, ignis, & cibus ille diuinus, qui in Euchariſtiæ conuiuio comeditur, in homine ſecundum eius diſpoſitionẽ operatur: vnde cecinit S. Thomas.

S. Tho. in ſequentia Miſſe.

Sumunt boni, ſumunt mali.
Sorte tamen inæquali.
Vitæ vel interitus.
Mors eſt malis, vita bonis.
Vide paris ſumptionis.
Quàm ſit diſpar exitus.

Eſther.

Sic in conuiuio, quod fecit Aſſuerus Eſther reginæ, & Aman, illa voti compos effecta eſt, iſte ſuſpendio deſtinatus. Et in conuiuio illo euangelico ſummi regis, omnes læti accumbunt, præter illum, qui ſine veſte nu-

F

ptiali ad illud eſt auſus accedere, quem rex proijci iuſſit in tenebras exteriores. Quare non inepte ſcalæ Iacob ſacrum hoc conuiuium comparari poſſe cenſeo, in quo, ſicut in illa, alij aſcendunt, alij deſcendunt. merito itaq; B. Paulus accedẽtem ad illud hortatur, vt *probet ſe ipſum, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*. probet tremens ſe ipſum, diſponat cor ſuum, hoc eſt vt interpretatur Theodoretus, quaſi ſui ipſius iudex ſedeat, vitam ſuam accurate expendat, conſcientiã item ſcrutetur, luſtret ſuam, non alienam: *nec ante expiata delicta*, (vt ait Cyprianus) *ante examologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis, pacem putet eſſe*, aut ad tantum ſacramentũ accedere audeat.

Gen.

1. Cor. 11. 28.

Vide ſup. in c. 6. v. 2.

Cypr. ſerm. de lapſis.

G

Chryſ. hom. 3. ad Epheſ. Idem ad Antiochenos.

Et certe *ſi*, (vt ait Chryſoſtomus) *accedere ad regem, vel deoſculari ore grauiter olente non audes, regem cælorum anima tua vitijs olente impudens oſculaberis? Si merito contra proditorem indignaris, quod Dominum impuro oſculo contigerit, conſidera, quod tu polluta ſuſcipis anima, poſt tot beneficia, lupus agnum comedis, tanquam ouis paſceris, & tanquam leo diripis*. Vnde Chriſtus apoſtolis ſacra myſteria traditurus, eorum pedes lauit, & ſacerdos poſt miſſam cathecumenorum, aqua manus abluit, in typum, quod ſacra myſteria, non niſi ab omni peccatorum labe puris confici, ſumiq. licet.

Io. 13. 5.

H Euchariſtiæ conuiuium frequentandum.

Probet itaque vnuſquiſque ſe ipſum, antequam ad tantum conuiuium accedat, & ſic probatus, & mundatus de pane illo *edat*, ſic *edat* non abſtineat: nam cibus verus ille cum ſit, viuere faciet, ignis cum ſit, accedentium ad ſe pectora inflammabit, vitiorum, paſſionumque rubiginem præſentia ſua excoquet, caloreſque noxios ſenſim educet. Cumque mundus infinitis occaſionibus peccandi ſcateat, qui à peccatis præſeruari deſiderat, eo frequentius comedat, quo illi grauiora peccãdi in dies pericula imminent. Nam ſi eo tempore, quo aër lue infectus eſt, ſolent homines aduerſus inſtans contagij periculum, vti medicina præſeruatiua, præſertim peregre profecturi, non minor æternæ ſalutis animæ cura habenda eſt, quam temporalis corporis ſanitatis.

SYNOPSIS CAPITIS X.

Parentes Tobiæ longam eius moram anxiè queruntur, ille autem ægrè obtinet, vt à Raguele dimittatur, accepta dote, & vxore: porrò Raguel, ipſi benè precando, admonet filiam de officio matris familias.

CAPVT DECIMVM.

1 CVM verò moras faceret
Tobias cauſa nuptiarum,
ſollicitus erat pater eius
Tobias, dicens: Putas qua
re moratur filius meus,
aut quare detentus eſt ibi?
2 Putaſne Gabelus mortuus eſt, &
nemo reddet illi pecuniam?
3 Cœpit autem contriſtari nimis ipſe, & Anna vxor eius cum eo, & cœpe-
rũt ambo ſimul flere: eò quòd die ſtatuto
minimè reuerteretur filius eorũ ad eos.

4 Flebat igitur mater eius irremedia-
bilibus lacrymis, atque dicebat: heu, heu
me fili mi, vt quid te miſimus peregri-
nari lumen oculorum noſtrorum, bacu-
lum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ no-
ſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ?
5 Omnia ſimul in te vno habentes, te
non debuimus dimittere à nobis.
6 Cui dicebat Tobias: Tace, & noli
turbari, ſanus eſt filius noſter, ſatis fide-
lis eſt vir ille, cum quo miſimus eum.
7 Illa autem nullo modo conſolari po
terat; ſed quotidie exiliens circumſpicie-
bat, & circuibat vias omnes, per quas
ſpes remeandi videbatur, vt procul vi-
deret eum, ſi fieri poſſet, venientem.
8 At verò Raguel dicebat ad generũ
ſuum: mane hic, & ego mittam nuncium
ſalutis de te ad Tobiam patrem tuum.
9 Cui Tobias ait: Ego noui, quia pa-
ter meus, & mater mea modò dies com-
putant, & cruciatur ſpiritus eorũ in ipſis.
10 Cumque verbis multis rogaret Ra
guel Tobiam, & ille eum nulla ratione
vellet audire, tradidit ei Saram, & dimi-
diam partem omnis ſubſtantiæ ſuæ in
pueris, in puellis, in pecudibus, in ca-
melis, & in vaccis, & in pecunia multa,
& ſaluum, atque gaudentem dimiſit eum
à ſe, dicens:
11 Angelus Domini ſanctus ſit in iti-
nere veſtro, perducatque vos incolumes,
& inueniatis omnia recta circa parentes
veſtros, & videant oculi mei filios ve-
ſtros, priuſquam moriar.
12 Et apprehẽdentes parentes filiam
ſuam, oſculati ſunt eam, & dimiſerũt ire.
13 Monentes eam honorare ſoceros,
diligere maritum, regere familiam, gu-
bernare domum, & ſe ipſam irreprehen-
ſibilem exhibere.

VERS. I.

Cum verò moras faceret Tobias cauſa nuptiarum, ſollicitus erat pater eius Tobias, dicens: Putas quare moratur filius meus, & quare detentus eſt ibi?

VERS. II.

Putaſne Gabelus mortuus eſt, & nemo reddet illi pecuniam?

1 *Tobias de regreſſu filij, cur adeo ſollicitus.*
2 *Confundi quid hoc loco.*

VERS. I. 1 CVM ob celebratas nuptias, præter ſpem, & expectationem ſenioris Tobiæ, iunioris regreſſus in longiores moras protraheretur, cunctationis cauſam ignorans,

LXX. *Sollicitus erat pater eius.* LXX. *Et Tobit pater eius computabat vnumquemque diem.* Syrus. Syrus: *Tobit verò numerauit ipſos dies à die qua exiuit Tobias filius eius, & cum completi eſſent dies, contriſtatus eſt ipſe Tobit.* Amor ſemper ſollicitus. Quare ipſe, & vxor Anna cœperunt inter ſe perquirere quid cauſæ eſſet, quod tantas ille moras innecteret? vt enim poëta ille cecinit:

Ouid. *Res eſt ſolliciti plena timoris amor.*

Dumque cogitationes eorum variæ ſibi ſuccederent, mensque in diuerſa raperetur, modo contingere potuiſſe cogitabant, aliquod ei crimen impactum fuiſſe, pro quo detineretur: modo Gabelum fuiſſe mortuum: vnde qui redderet pecuniam non reperiret.

2 *Putas*, inquit coniugi Tobias, *quare moratur filius meus, aut quare detentus eſt ibi? Nunquid fortè*, addunt LXX. *confuſi fuerunt?* ipſe ſcilicet & ſocius. Confunditur enim aliquis, cum erubeſcit, quaſi rubore perfunditur, cum aliquid malè à ſe patratum coram alijs obijcitur.

Et nemo reddet illi pecuniam. LXX. & Syrus: *Argentum.* Arabs: *Pondera.* VERS. II. LXX. Syrus. Arabs.

Quòd ſine ſollicitudine patienter ferat aduerſa, quicunque diuina prouidentia illa euenire conſiderat.

DOCVMENTVM.

QVAM variæ, anxiæ, ſollicitæq. mentis cogitationes ſint, litera ſatis apertè nos docet, quæ ſanè hominem, vt fieri ſolet, tam inutiliter non affligerent, ſi omnia, quæ ſibi contingere poſſunt, ita diuinæ prouidentiæ ſubeſſe conſideraret, vt nihil omnino ſit vel proſperi, vel aduerſi, culpam eximendo, quod ab ea non ſit omnino diſpoſitum. culpam dixi eximendo: nam ſicut naturæ ignis repugnat refrigerare, & aquæ calefacere, & A

Habacuc 1.13.

ſolis obſcurare, ita & in infinitum magis culpa diuinæ repugnat bonitati: nam *mundi*, vt ait Habacuc, *ſunt oculi Dei, ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteſt*. præter peccatum igitur, quod diuinæ naturæ repugnat, vt ait Eccleſiaſtes:

Eccli. 11. 14.

bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honeſtas à Deo ſunt. Sic nihil eſſe, vel minimum in toto hoc vniuerſo, quod dextera

B

Patiéter fert aduerſa, qui à Deo illa eſſe côſiderat.

Dei non faciat, docuit Chriſtus, non eam, quam oſtendit Deus prouidentiam erga ſanctos, & prophetas ſuos, vel quam miram erga magna animalia exercet conſiderãdam proponens; ſed quam erga minutiſſimum, notiſſimum, & viliſſimum paſſerculum. Vnde apud Matthæum ait: *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro.* vbi aſſis Græcè dicitur *ἀσσαρίου*, qui diminutiua voce declarat, nec animalculum, vel minutiſſimum ſuper terram cadere, ſine prouidentia Dei,

Matt. 10 29.

Euthim. in Matt. c. 10.

Cadere ſuper terram, idē quod perire.

eſt enim cadere ſuper terram Hebraica periphraſis pro *non peribit*, quia aues alioqui ſublimia incolentes, ſiue vltro moriantur, ſiue ſagittis percutiantur, in terram cadere ſolent: quod ipſis etiam Ethnicis ſolo naturali lumine manifeſtum cum fuerit, nihil

C

dicebant reſpectu primæ cauſæ caſu contingere poſſe. Exemplum tradunt de Domino, qui ſeruum vnum, & alterum ad eundem locum feriò mittit, vt in eo inuicem ſibi occurrant, quod licèt reſpectu eorum, qui miſſi ſunt, caſu eueniat; reſpectu tamen domini data contingit opera. Sic multa, licèt caſu, hoc eſt ex improuiſo nobis contingant; reſpectu tamen Dei omnia ex propoſito accidunt. Quare non eſt cur de futuris rebus quis anxius, nimisq. ſollicitus viuat, vel de ſua fortuna doleat: *ſed prorſus*, vt Auguſtinus ait, *Ad Deum ſuum referre flagellum ſuum debet, quia nec diabolus ſibi aliquid facit, niſi ille permittat, qui deſuper habet poteſtatem*. Sic Iob, non de ipſa eſt conqueſtus diaboli malitia, dum ab ea tanta ſibi mala eueniſſe non dubitabat; *ſed Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abſtulit*. Et Dauid, dum ab impio Semeo malediceretur, & ad vindictam à Ioab, & Abiſai impelleretur. *Quid mihi, & vobis*, inquit, *filij Saruiæ?* hoc eſt, nihil mihi vobiſcum commune, cur me vobis ſimilem eſſe contenditis, & vindictæ appetentem? *Dimitte eum, vt maledicat mihi*: nam ſcio vnde hoc mihi: *Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid. Nos vero*, ait Dorothæus, *cum verbum vllum in nos dictũ audimus, canes imitamur: hi enim, ſi quis in eos lapidem iecerit, iaciente dimiſſo, lapidem remordent: ita nos, Deo relicto, qui nobis tribulationes huiuſmodi, ad peccatorum noſtrorum purgationem procurat, ad lapidem, hoc eſt, ad proximum currimus.* nec animaduertimus cum Dauid, à communi nobis illas euenire Domino, nec cum Amos,

Nihil reſpectu Dei caſu euenit, ſed tantũ reſpectu noſtri.

Aug. in pſ. 31

D

Iob 1. 21.

2. Reg. 16. 10.

Dorothæus doctr. 7.

E

nullum eſſe malum, intellige pœnæ, *in ciuitate, quod non faciat Dominus*: nec cum Auguſtino, *impietatem impiorum tanquam ſecurim Deo factam eſſe, & quòd facti ſunt inſtrumentum irati, non regnum placati; facit enim Deus, quod plerunque facit, & homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam iacentem in medio, fortaſſe qualecunq; ſarmentum, cædit inde filium ſuum, ac deinde proijcit ſarmentum in ignem, & filio ſeruat hæreditatem. Sic aliquando Deus per malos erudit bonos, & per temporalem pœnitentiam damnandorum exercet diſciplinam liberandorum*. Ita Alaricum Gothorum regem, feſtinantem Romam, vt Socrates, & Sozomenus ſcribunt, cum monachus quidã, valde probus admonuiſſet, vt parceret vrbi, nec ſe tantorum malorum auctorem efficeret, reſpondit: inuito penè animo eo proficiſcor; ſed eſt neſcio quis importunus, & inuiſibilis compulſor, qui talibus me quotidie moleſtè nimis compellit, impellitque: *Iter capeſſito: vrbem Romam vaſtato*. Meritò itaque Beatus Paulus: *nihil*, inquit, *ſolliciti ſitis; ſed in omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum*. Ita enim fiet, vt multa nobis concedat Deus, & à multis liberet malis, in quibus non orantes incurreremus, vt ſupra oſtenſum eſt.

Amos 3. 6.

Aug. pſal. 73. ante med.

Socrat. hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap.

Sozom. hiſt. Eccl. li. 9. c. 5

Philip. 4. 6.

Sup. c. 6. v. 18

VERS. III.

Cœpit autem contriſtari nimis ipſe, & Anna vxor eius cum eo, & cœperunt ambo ſimul flere, eo quod die ſtatuto minimè reuerteretur filius eorum ad eos.

1 *Vox nimis quid hic, & alibi multoties in ſacris literis.*

1 COEPIT *contriſtari nimis.* Hoc eſt valde. ita Arabs: *Et erat triſtis valde.* Hoc enim ſenſu crebro in ſacris literis hæc vox, *nimis*, vſurpatur. Sic Dei teſtimonia credibilia nimis facta dicuntur in pſalmis: & nimis amici Dei honorificati, nimisq. eorum principatus confortatus: Et apud Beatũ Marcũ, Chriſti veſtimenta *ſplendida nimis* facta fuiſſe dicuntur, Græcè *λευκὰ λίαν*, *alba valdè*, & iterum, atque iterum alibi: neque enim repugnat doctrinæ anterioris documenti, vel ſanctitati, vt alibi docuimus pro effortunatis, vt aiunt, euentibus valdè aliquando triſtari: nam licet formali, vt dicitur, Dei voluntati ſtandum ſemper ſit, & in illa quieſcendum; materiali tamen repugnare, non modò poſſumus; ſed aliquan-

Arabs.

Pſ. 9. 2. & 5.

Mar. 9. 2.

Nimis pro valde.

Sup. c. 3. v. doc. 2. & c. 5. v. 12. doc. 1.

do debemus, cum id formaliter ipſemet velit Deus.

Quòd diuinæ prouidentiæ, & voluntatis conſideratione, nimia in rebus aduerſis triſtitia vincatur.

DOCVMENTVM.

2. Cor. 7. 10.

Sup. in anteriori verſ.
Triſtitia immoderata cauenda.

Cypr. in illis verbis Orat. Dominicæ. & ne nos inducas in tentationem.
Sup. in anteriore docum.

LICET, vt in litera vidimus, haud dedeceat virum Chriſtianum triſtari in rebus aduerſis; dedecet tamen eum nimis triſtari, & præter modum à ratione, & lege naturæ præſcriptum: quod, ſicuti B. Paulus ait, *ſeculi triſtitia mortem operatur*, hoc eſt triſtitia exuberans pro rebus ſecularibus, mortem operatur animæ, quare ne in eã incurramus, ſumme nobis ipſis cauere debemus, & quidem ea ratione, qua nimiam de malis futurorum ſollicitudinem vitari poſſe docuimus, conſiderando ſcilicet, nihil nobis accidere poſſe, non ante à diuina voluntate diſpoſitum, nihilque, vt bene notat Cyprianus, contra nos aduerſarium poſſe, niſi Deus ante permiſerit. Quod non modo doctrina ſua, vt vidimus, nos Chriſtus docuit; ſed etiam maxime ſuo exemplo firmauit, cum in ſacratiſſima ſuæ paſſionis nocte, præcipiens Petro, vt gladium in vaginam reponeret: *calicem*, inquit, *quem dedit mihi pater, non vis, vt bibam illum?* Non dixit calicem, quem Iudas proditor, vel Scribæ, & Phariſæi mihi propinandũ quæſiuerunt; Sed *quem dedit mihi pater*: quia eos miniſtros tantũmodo patris agnoſcebat, qui quod malitioſe, & inuidioſe eos perpetraturos præſciuerat, infinita ſua ſapientia, & bonitate ad generis humani remedium ordinabat. Vnde & Iudæis ait: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*. Et Pilato. *Non haberes poteſtatẽ aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper*. Hoc eſt, vt exponunt Chryſoſtomus, Cyrillus, & Irenæus: *Niſi ex diuina patris diſpoſitione, et ordinatione id factũ eſſet*. Quæ quidem conſideratio maius nobis emolumentum afferet, ſi, vt Iudith loquitur, aduerſa omnia, *ad emendationem noſtram, non ad perditionem euenire credamus*, paternalem inſuper Dei voluntatem conſiderantes, adeo erga nos procliuẽ, vt dixerit Dauid: *Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos*. gratia nimirum tua, ac bona voluntate vndique amplexaris, circundas, ac protegis: nam vt Theodoretus exponit, tua bona voluntate, non ſecus ac ſcuto miles, vallati ſumus, vt nullius ſiue proſperæ, ſiue aduerſæ rei acceſſus ad nos patere queat, niſi per illam.

B

Io. 18. 11.
Aduerſa diuinæ prouidentiæ conſideratione leuiora fiunt.

Luc. 22. 53
Io. 19. 11.
Chryſ. homil. 88. in Io.
Cyrill. lib. 12. c. 22. in Io.
Iren. li. 4. cõt. hæreſ. c. 34

Iudith. 8. 27.

C

Pſ. 5. 13.

Theod. in pſ.

O quanta eſſet nobis ſecuritas, ſi hæc efficaciter conſideraremus: nam ſi is, cui pater eſt potens, diues, & amicus regis, quod illum in omnibus ſuis neceſſitatibus propitium habere putet, confidens lætatur, nec animum aliquando deſpondet: quanto magis confideremus nos, eſſemuſque in aduerſis ſecuri, ſi ſub paternali eius protectione nos degere conſideraremus, qui totam cæli, ac terræ potentiam ſuis habet nutibus obſequentem? quique vt B. Paulus ait, *nec proprio filio ſuo pepercit: ſed pro nobis omnibus tradidit illum?* Qui tandem, ſupra omnem paternalem amorem, ita nòs diligit, vt dicat apud Iſaiam: *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper*. Et alibi, populum ſuum alloquens: *portamini*, inquit, *à meo vtero*: nam quo pacto mulier filium, quem concepit, in vtero geſtans, murus illi eſt, domus, cibus, & omne neceſſarium; ita Deus in tantum eſt nobis omnia, vt ſine illo nihil, vel proſperi, vel aduerſi habere valeamus. Quare cum aliquando, ſicut refert Bloſius, B. Geltrudi Ieſus apparuiſſet, in dextera portans ſanitatem, & infirmitatem in ſiniſtra, optionemque ei dediſſet eligendi quod vellet, ab vtraque ſe Domini manu auertens dixit: Domine ego toto corde deſidero, vt non meam voluntatem reſpicias: ſed tuum beneplacitum: certiſſime confidens, tam aduerſa, quam proſpera omnia ſibi in bonum diuina prouidentia ceſſura: ex quo & ei Dominus iterum dixit: *ſecura illa confidentia, quam quis erga me habet, credens me revera poſſe, ſcire, & velle ſibi in omnibus fideliter adeſſe, tranſuulnerat cor meum, tantamque vim facit pietati meæ, vt nullatenus poſſim huiuſmodi non adeſſe, vel deeſſe*.

Confidere debet homo de diuino auxilio.

D

Rom. 8. 32.

Iſa. 46. 3.

E

Bloſius in monili ſpirit. c. 11.

Bloſ. ibid.

Nec ſpeculatiue tantum hæc conſideranda, quatenus ſcilicet ita fides docet, vel ita audiuimus, vel legimus; ſed practicè, ac ſi Chriſtum aduerſa omnia contra nos immittentem oculis aſpiceremus noſtris, audiremuſque dicentem: ſume fili, ſume hunc amarum calicem, bibe illum, quia illo opus tibi eſt pro ſalute tua. & quis, rogo, hæc audiens repugnaret, nec potius à manu patris, & patris, qui nouit quæ ſunt filio neceſſaria, libenter calicem propinatum ſuſciperet? Quis reluctanti ſenſualitati tunc non diceret, quod Chriſtus Petro: *Calicem, quem dedit mihi pater, non vis, vt bibam illum?*

Dei prouidẽtia practicè conſiderãda.

VERS. IV.

Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrymis, atque dicebat: Heu, heu fili mi, vt quid te miſi

mus

mus peregrinari, lumen oculorũ noſtrorum, baculũ ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ?

V E R S. V.

Omnia ſimul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.

1 *Lacrimæ irremediabiles quæ dicantur.*
2 *Lumen oculorum cur filij parentibus.*
3 *Cur baculum ſenectutis.*
4 *Cur vitæ ſolatium.*
5 *Cur demum omnia.*

VERS. IV.

Arabs.

Lacrymæ irremediabiles, hoc eſt copioſæ.

FLEBAT Anna Tobiæ *mater*, & quidem *lacrymis irremediabilibus*, hoc eſt, copioſiſſimis. Arabs: *Et mater eius flebat copioſis lacrymis.* & talibus, quæ nulla ratione ſedari poſſent, dolebatque vehementer, tam arduæ peregrinationi filium commiſiſſe, dicebatque,

Arabs.

Heu heu fili mi. Arabs lamentantis, & dolentis, *heu*, particulam omittens, legit: *O gnate mi, non decebat te mittere à nobis*.

2 *Lumen oculorum noſtrorum.* Obiectum videlicet iucundum, & delectabile: tum quia nuptiæ obſcuræ videntur, quæ liberorum lumine carent; tum quia ſicut lumen luminis, ita filius eſt vera patris imago, & repræſentatio.

3 *Baculum ſenectutis*. A quo nimirum noſtra erat fulcienda ſenectus: nam, vt ipſemet, ait Cicero filij parentum ſenectutem regere, ac tueri debent, ſuntq., vt ait Poeta *ſenecta requies miſera*.

Cic. Oeconom. c. 6. Aus ad. lib. 12.

4 *Solatium vitæ*. Ideſt cauſa, & materia conſolationis, & gaudij totius vitæ noſtræ: nam, vt ait Salomon: *filius ſapiens lætificat patrem*. & alibi: *Exultat gaudio pater iuſti, qui ſapientem genuit, lætabitur in eo*.

Prou. 10. 1. 2. Reg. 14. 7. 3. Reg. 11. 36. & 11. 34.

Spem poſteritatis. In quo demum, cum ſit nobis vnicus, tota ſpes ſupererat noſtræ poſteritatis.

5 *Omnia ſimul in te vno habentes*. Omnia quidem, vt ſcholaſticè, & ſignificanter explicem, appretiatiuè: etenim liberis probis nihil ſenibus parentibus charius eſſe poteſt. Vnde de Gracchorum matre Cornelia refert Valerius, quòd cum quædam Campana matrona, quæ apud illam hoſpitabatur, ornamenta ſua pulcherrima ſeculi illius oſtenderet, traxit eam illa ſermone, quouſque è ſchola redirent liberi. *Et hæc*, inquit, *mea ornamenta ſunt*: oſtendens benè educatos, proboſque filios, magnum eſſe theſaurum, & ornamentum parentibus. Cum itaque maius bonum periculo haud exponẽdum ſit, pro receptione minoris, cuiuſmodi erant nummi à Gabelo debiti, meritò conqueritur Anna, doletque filium à ſe pro pecunia peregrè miſſum fuiſſe.

Parentibus probo filio nil charius. Val. Max. li 4. c. 4.

Quid fatui cenſendi ſint, qui Deum, in quo omnia ſunt bona, à ſe repellunt, vt mundana poſſideant.

DOCVMENTVM.

A

DOCET litera, quanta cenſenda ſit mundanorum fatuitas, qui non filium, ſicut Anna, in quo appretiatiuè tantũmodo omnia habentur: ſed ipſũ Deum, in quo, vt in Exodo dicitur, verè ſunt omnia bona, à ſe varijs peccatis expellunt, vt huius mundi bona poſſideant, quæ nihil animæ prodeſſe poſſunt. Vnde Chriſtus: *Quid*, inquit, *prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*? ſi lucretur videlicet vniuerſa mundi bona, ſuique ipſius iacturam faciat? Quibus verbis ſtultitiam, vecordiamque peccatoris apertiſſimè ſignificauit, quæ tanta eſſe apud Oſeam dicitur, vt aſſimilari poſſit ſtultitiæ columbarum. Sic ibi: *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor.* quia cum cæteræ aues pugnent, vt pullos, ſeque ipſas ab aucupibus tueantur, ſola columba ablatos pullos, nec dolet, nec quærit, ſeque ipſam quodammodo ſponte ſua in aucupis rete intrudit. Sic peccator ob mundi breuem voluptatem, negligit Dei gratiam, & dona, nec dolet amiſſa, nec ſentit, cumque ſciat ſe ex prauorum conſuetudine, voluptatibus, prauis animi cupiditatibus, damna, ac detrimenta accepiſſe plurima; numquam tamen ab his recedit, vel certè tanquã amens, & excors eodem redit, nec denique dæmonis retia vitare contendit; quin etiam, tanquam ſtultus, ſponte ſua in illa incurrere feſtinat, fallaci quadam boni ſpecie captus, & breui, fœdaque voluptate illectus. Diſcamus Deo ſoli adhærere, eoque ſolo contenti eſſe. Verum, quia de fatuitate peccatoris diximus plura in tractatu de ſæuitia, & hoſtilitate peccati, ad alia properemus.

Exod. 33. 19. Matt. 16. 26. Oſea 7. 11.

B

De ſæuitia, & hoſtilitate peccati docum. 12.

V E R S. VI.

Cui dicebat Tobias: tace, & noli turbari, ſanus eſt filius noſter: ſatis fidelis eſt vir ille, cum quo miſimus eum.

1 *Turbato, & irato animo, cur nemo loqui debeat.*

2 *Satis pro multum.*
3 *Filius boni patris bonus cenſendus.*

LXX. Syrus. Arabs.

1 TACE, *& noli turbari*. Septuaginta. *Et ne ſollicita ſis*. Syrus: *Confide ſoror mea*. Arabs: *Et ne contriſteris*. Etenim in ipſa animi perturbatione vix fieri poteſt, vt quis conſideratè loquatur, raruſque ſit, qui, cum vt homo turbetur, non etiam voce querula edat ſignificationem ſuæ turbationis: quare Dauid: *Turbatus ſum*, inquit, *& non ſum loquutus*: nam quo pacto flamma candelæ, emunctorio compreſſa, ſtatim extinguitur, ita interna commotio, ſilentio, & diſſimulatione cohibita, ſenſim paulatimue commori ſolet.

Turbatus vix conſiderate loquitur. *Pſ. 76. 5.*

LXX. Syrus.

Sanus eſt filius noſter. LXX. *Valet*. Syrus: *veniet filius noſter, & collectio facta eſt ei.*

2 *Satis fidelis eſt vir*, hoc eſt multum fidelis, vt etiam apud Danielem, vbi rex ſatis contriſtatus dicitur, & apud Zachariam pro *exulta ſatis*, legit Caldæus: *exulta valde*: qui modus loquendi vſitatiſſimus etiam habetur apud Latinos, Italos, Gallos, Heſperioſque. Syrus: *Fidelis eſt, & ex fratribus noſtris*.

Dan. 5. 9. & 6. 14. Zacc. 9. 9.

Syrus.

3 Ita Annæ quieſcendum à lacrymis, & ab omni perturbatione animi ceſſandum ex eo cenſebat, quod valde fidelis eſſet vir, quem filio comitem itineris adiunxerat, nimirum, vt exiſtimabat Ananiæ filium, cuius fidem optime exploratam habuerat: ſic fidelis patris fidelem autumans filium, quod teſte Ezechiele, *ſicut mater, ita & filia*. non tamen his mota eſt Anna rationibus, ſed ſicut addunt LXX. *dixit ei, tace, ne decipiat me*.

Ezech. 16 44.

Quòd antequam loquimur, tacere debeamus, vt dicenda prius mente percurrere poſſimus.

DOCVMENTVM I.

A

CVM nequeat homo in ipſa animi perturbatione penſiculate, ſicut decet, loqui, quod impediat animi paſſio intellectum, *ne poſſit cernere verum*; merito, dum Annæ perturbatæ Tobias, vt taceat, ſimul docet haud inconſiderate loquendum, quod etiam ipſa nos natura docuit, dum linguam inter dentes, & labra recluſam eſſe voluit, vt tali muro, & antemurali munita, haud facile mentis conceptus, vel animi paſſiones depromeret; ſimulque duas in ea venas reponens, quarum vna cor, altera cerebrum, in quo ſedem ponunt intellectus philoſophi, petit, vt oſtenderet, haud vnquam mouendam ad conceptus promendos, niſi à corde prius recta ratione directo moueatur. Sic Bernardus: *Antequam*, inquit, *verba proferas, bis ad limam veniant, quam ad linguam*. ad limam nimirum cordis, & rationis: nam, quo pacto vir ſobrius, & temperatus minime cibum deglutit, niſi poſt ſufficientẽ maſticationem, ita nec vir ſapiens promit verbum, niſi poſt ſufficientem conſiderationem: & ſicut nunquam prudens iaculator telum mittit, quin prius animo præmeditatus fuerit ſcopum; ſic neque homo, qui ratione vtitur, prius loqui debet, quam tacendo conſiderauerit, in quem finem dicere debeat, & quẽ habitura ſint verba ipſius exitum: cum verba reuocari nequeant, & neſciat vox miſſa reuerti, & multa nocere poſſint dicta, quæ ſilentio compreſſa proſunt.

Iratus nequit recta loqui.

Verba antequam proferantur perpendenda.

Bern. in ſpec. monac.

B

Hinc Sapiens, illam inter virum probum, & fatuum differentiam ponit, vt fatuus inconſiderate loquatur, probus vero non niſi prudenter, & conſiderate. Sic ille: *In ore*, inquit, *fatuorum cor illorum, & in corde Sapientum os illorum*. Quare prudenter dicebat Solon, ſermonem ſilentio obſignandum eſſe, ſilentium temporis occaſione. Et Pythagoras: aut ſilendum, aut melius quid, iam ſilentio afferendum: nam illud probe mente percurritur, quod dicendum putatur, ne mentem lingua præcurrat. Sane quo pacto Anſeres, ob calorem ex oriente diſcedentes, plagamque petentes occiduam, montem Tauium, aquilis abundantẽ, dum penetrare incipiunt, fortiſſimas timentes volucres, roſtra lapillis occludunt, ne vel extrema neceſſitas importunum clangorem eliciat. Sic *teneamus nos*, inquit Ambroſius, *anima conſtantiam noſtra, ne in offenſione labia loquendi feſtiua prorumpant*. Quo pacto etiam Iob plagam ſuam ſilentio vicit, & tolerantiam ſuam taciturnitate ſuperauit. Hinc & ipſe Tyrannus Phalaris Nicandro ſcribens: *Eſt*, inquit, *ſapientum virorum, facientium negotium, illud recte ante conſiderare, & ante verba opera perpendere, & ante opera, etiam fines & perfectionem. atque vt rupes obijcitur flumini, ne ſe effundat; ita ratio linguæ obyciendo, ne temere effluat.*

Eccli. 21. 29.

Sapiens loquenda conſiderat ſecus inſipiens.

Solonis dictum.

Pythagoræ dictum.

Ambr. in pſ. 38. tom. 4.

D

Phalaris Nicandro ep. 96

Quòd opus magnæ conſolationis, & meriti ſit, conſolari mœrentes, idque opportuno tempore.

DOCVMENTVM II.

A

DVM Tobias Annam bono animo eſſe iubet, eamque de filij abſentia mœrentem verbis dulcibus conſolatur, conſolandos eſſe mœrentes docet. Quod facere quam charum ſit Deo, ex eo maxime conijcere licet, quod tale ſit opus ab eo charis ſuis ſpecialiter com-

miſ-

miſſum, eis ſcilicet, qui, mundanorum cum ſint gaudiorũ contemptores, lugentes à mundanis appellantur; vt apud Matthæum con

Matt. 5. 5.

ſtat, vbi Chriſtus; *Beati*, inquit, *qui lugent, quoniam conſolabuntur*. quo in loco, vt ex contextu Græco, & communi expoſitorum ſententia liquet, licet verbum conſolor paſſiue ſumatur, & ſit ſenſus, eos beatos futuros,

Conſolari mœrẽtes opus eſt Dei amicorum.

qui oblectamenta mundi ſubiugantes, de ſuis, & alienis peccatis dolentes, aduerſa æquanimiter tolerantes lugent; tamen quia in noſtra vulgata, quam maximè ſequi debemus, conſolor, licèt ſignificationem paſſiuam non raro

B

habeat, tamen verbum deponens eſt, maximè actiuam retinẽs ſignificationem. Senſus etiam

Matt. 5. 5.

eſſe poteſt: *Beati qui lugent &c.* hoc eſt, beati qui vitam iudicio hominũ triſtem ducunt, & lugentẽ: quoniam ex hoc ſancto luctu, quaſi ſeminio quodam, tantum in eorum animum naſcetur gaudium, & conſolatio, vt licet qua-

2. Cor. 6. 10.

ſi triſtes, appareant, ſemper tamen interius habituri ſint gaudium, vt cæteros mœrentes conſolari valeant: Sic & apud Iſaiam in illis

Iſaiæ 40. 1. 2.

verbis; *Conſolamini, conſolamini popule meus, & loquimini ad cor Ieruſalem, vocate &c.* conſolamini paſſiuè primum, & poſtea actiue ſumitur, vt ex ſequentibus patet. Vnde ver-

Vatablus. Ferrerius, & alij in nou. ex Hebr. transl.

tunt alij. *Conſolamini conſolamini populum meum*, ita vt iuxta noſtram vulgatam ſit ſenſus: popule meus conſolamini, & conſolati

C

conſolamini, & loquimini ad cor Ieruſalem, ita vt, quam ſuſcepiſtis conſolationem, in alios quoq; redundet. Cuius diuini muneris gratias quam maximas Deo agendas eſſe docet

2. Cor. 1. 3. 4.

B. Paulus, dum ait: *Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationẽ, qua exhortamur*

Sup. c. 5. v. 13 docum. 2.

& ipſi a Deo. Sed de hac re plura ſuperius.

Pittacus. Heſiodus.

Conſolatio opportune adhibenda.

Illa tamen in hoc maximopere Pittaci ſententia conſideranda, γνῶθι καιρὸν idest *noris tempus*: nam vt Heſiodus canit καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος, idest, *tempus in omnibus optimum eſt*; Sic Medici ægrotis pharmaca in tempore haurienda præſcribunt, vt proſint, ad

D

quem modum cum his, qui graui afficiuntur triſtitia eſt agendum. Deſcripſit tempus opportunum poëta ille, dum ait.

Temporis officiũ ſolatia dicere certũ eſt.
Dũ dolor in curſu eſt, dũ petit æger opẽ.
Curando fieri quædam maiora videmus.
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.

Ex quo, quanta fuerit doloris vehementia in Anna, non obſcure elicitur, quæ in curſu doloris ſui à tanto, taliq. viro, qualis erat Tobias, nullam valuit conſolationem recipere: vnde ſequitur.

VERS. VII.

Illa autem nullo modo conſolari poterat; ſed quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, vt procul videret eum, ſi fieri poſſet, venientem.

1 *Cur Anna conſolari non poſſet.*
2 *Annæ ſollicitudo de filij aduentu quanta eſſet.*
3 *Animi mœror cur famem pellebat, ac ſomnum.*

I*LLA autem nullo modo conſolari poterat.* Et quidem præ nimia animi triſtitia, quod vehementiſſimè ſuſpicaretur mortuum eſſe filium ſuum: etenim, teſte Galeno, terreus, & craſ-

Gal. 6. Aphoriſm. com. 23.

Triſtes cur aliquando nullã admittere queant cõſolationẽ.

ſus cum ſit humor malencholicus, ſiue à paſſionibus genitus, ſiue à ſpiritibus aſportatus, difficile reſolui poteſt: & fortiora, animoq. Annæ iam impreſſa argumenta, à debilioribus, & aduentitijs rationibus haud vinci poterant, cum animus in aliquo iam firmus, ac ſtabilis, ab extrinſecis difficulter dimoueatur, & eo magis, quo res maioris eſt momen-

Cic. 4. Tuſc.

ti. Vnde Cicero: *animus*, inquit, *conturbatus, & incitatus, nec cohibere ſe poteſt, nec quo loco vult conſiſtere omnino.*

LXX.

2 *Sed quotidie exiliens*. LXX. *Ibat per diem ad vias foras*. Syrus: *Et exilijt, &*

Syrus.

exiuit, & ibat per vias. hoc eſt, ſed per ſingulos dies expeditè extra domum exiens.

LXX.

Circumſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur. LXX. *Ibat per diem ad viam foras, qua abierat*.

Syrus.

Syrus. *Et exilijt, & exiuit, & ibat per vias*.

LXX.

Addunt LXX. *Ac diebus panem non comedebat, & noctibus non intermittebat, flens Tobiam filium ſuum, quoad vſque conſummati ſunt quatuordecim dies nuptiarum, quas iurauerat Raguel facere eum ſibi*. Syrus. *Et*

Syrus.

Animi lætitia corpus impinguat.

abibat per viam, donec occidit Sol, & viuit, & ingreſſa eſt cubiculum, & nihil guſtauit, & non poterat dormire.

Auerr. 2. cãt.

3 Nihil guſtauit, quia ſicut, teſte Auerroe, animi lætitia impinguat, corque ſenſim in-

Galen. 4. de cauſ. pulſ.

ea dilatatur, vt ait Galenus, quo præſenti fruatur bono; ita mœtor, & triſtitia corpus gracile efficit, illudque ita conſtringit, vt ci-

Somnus vnde ſit.

bum omnem reſpuat. *Nec poterat dormire*, præ nimia cerebri exſiccatione: inducitur enim ſomnus à vaporibus blandis, & ſuauibus, à cibo ſero ingeſto eleuatis, qui cerebrũ humectantes, & irrorantes, ac quodammodo obſtruentes, prohibent ſpiritus, ne ad pro-

Ariſt. li. 2. de ſomn. & vig.

pria ſenſoria dimittantur. Vnde Ariſtoteles illum vocat quietem primi ſenſorij, ac ſenſuum ligationem, quibus carere oportebat Annam, quæ cibum non capiebat.

Vt procul videret eum, ſi fieri poſſet

ve-

Digitized by Google

Arabs.

venientem. Arabs. *Vt videret eum de longe venientem.*

Quòd Annæ mœrorem, & ſollicitudinē maternus amor à culpa immunē efficiat, deq. amore parentū erga filios.

DOCVMENTVM.

A

IMPATIENTIAE ſanè, & nimium ſolliciti animi arguenda videretur Anna, niſi mater fuiſſet. Verum, cum in morte, vel vera, vel exiſtimata filiorū, nullus dolor, qui rationis fines non excedat, nullus mœror matrem dedeceat, idcirco nullo pacto videtur eſſe condemnāda. *Matrem conſiderate*, ait Ambroſius, *nam, ſicut nullus eſt amor, qui eum amore parentum erga filios poſſit comparari; ita neque dolor, qui eum eorundem dolore in morte, vel calamitate filiorum concepto.* Vnde à neſcio quo aliquando ſugillatus Demoſthenes, dictumque ei, quod mortem filij ſui vnigeniti, vltra quam deceret philoſophum, defleuiſſet *Fletum*, ait, *meum haud culpares, ſi pater eſſes.* nam & parentes non ſemel legimus propriam vitā ob filiorum ſalutem contempſiſſe. Ex quo ipſe Deus nullum maius habuiſſe experimentum amoris Abraham erga ſe, quam eum parere ſibi voluiſſe in ſacrificando filio, teſtatus eſt, dum poſt attentatum ab eo tam grande facinus illi ait: *Nunc cognoui, quod timeas Deum.* hoc eſt, vt Diodorus Tharſenſis exponit: *nunc omnibus notum feci*, vel, vt Auguſtinus interpretatur, *nunc noſſe te feci*, vel more humano loquens, vt ait Martinus Delrius cuius rei periculum fecerat, id ſe tunc noſſe teſtatus eſt: ſolemus enim dicere, quando inſigne aliquod amicitiæ argumentum in amico cernimus: nunc vere te amicum noui, ideſt, licet aliud tuæ amicitiæ ſignum non dediſſes, hoc tam grande eſt, vt vnū ſufficiat. Non igitur mirū ſi Anna de filij, quam ſuſpicabatur, morte inconſolabiliter fleret, dum mater erat; matres enim natura teneriori affectu, vt docet philoſophus, quam patres filios diligunt: plura de hoc amore parentum erga filios habes ſupra.

Amor parentum in filios omnes amores ſuperat. Amb. lib. 5. de fid. c. 3.

Val. Max. de Octauio Alſano.

B

Diod. Tharſēſis.

Aug. q. 58. in Gen.

Greg. lib. 28. moral. c. 7.

Delrius in Pharo ſapientia.

C

Ariſt. 8. ethic. Sup. c. 5. v. 23

Amor parentum erga filios vnde

Nauſea in Tobia hic.

Quod ſi quæras quare tanto amore parentes filios proſequantur, reſpondeo cum Nauſea primo, quia filij parentū ſunt opus, quod, ſicut artifices ſuum odio habere nequeunt: ſiquidem parentes generant filios, vti artifices ſua opera. Hinc Salomon: *Honora patrem tuū, & gemitus matris tuæ non obliuiſcaris, memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes.* Secundo, quia filiorum caro, eſt caro parentum, *quam*, ſicut B. Paulus ait, *nemo vnquam odit; ſed nutrit, & fouet eam.* Tertio quia filij cum in natura, & in anima ſint parentibus ſimiles. *omne animal diligit ſibi ſimile.* Hinc alteruter parentum magis diligit eum filium, qui ſibi magis natura aducnit, & maribus. Quarto, quia filij parentibus magno conſtant, quos ſūmis educant artibus, arboribusq. ſiquidē, vt liquet, magis amamus, quæ pluris emimus. Hinc plerunque mater plus quam pater amat filios, quoniam ipſa plus patre in filio educando laboris ſuffert, & maxime prægnans adhuc. quandoquidem quaſi omnes fœminæ, à decimo conceptu die ſentiunt capitis dolores, oculorum vertigines, faſtidium in cibis, redundatione ſtomachi, & maxime capillum gemiſtante partu, vt in plenilunio. Hinc paulo ſuperius ad Tobiam iuniorem dixit Tobias ſenior: *honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ: memor enim eſſe debes, quæ, & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero.* Quinto, quia ſicut parentes ſibi per filios vitam, & memoriam fore longam, & immortalem, cum per ſolam ſobolem ſequatur poſteritas, in qua parentes quodammodo viuunt, Vnde Eccleſiaſticus ait: *Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe.*

Eccli. 7. 29. 30.

Epheſ. 5. 29.

Ariſt. lib. de Generat.

D

Cap. 4. 3.

E

Eccli. 30. 4.

VERS. VIII.

At vero Raguel dicebat ad generum ſuum: mane hic, & ego mittam nuntium ſalutis de te ad Tobiam patrem tuum.

VERS. IX.

Cui Tobias ait: Ego noui, quia pater meus, & mater mea modo dies computant, & cruciatur ſpiritus eorum in ipſis.

VERS. X.

Cumque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille eum nulla ratione vellet audire, tradit ei Saram, & dimidiam partem omnis ſubſtantiæ ſuæ in pueris, in puellis, & in pecudibus, in camelis, & in vaccis, & in pecunia multa, & ſaluum, & gaudentem dimiſit eum à ſe, dicens.

VERS. XI.

Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro, perducatque vos incolumes, & inueniatis omnia recta circa parentes veſtros, & videant

oculi mei filios veſtros priuſquam moriar.

1 *Variæ additiones, ex alijs interpretationibus.*
2 *Audire pro exaudire, ſeu uotis obtemperare.*
3 *Pueri, & puellæ pro famuli, & famulæ.*
4 *Quæ dederit Tobiæ Raguel.*

AT *vero Raguel dicebat ad generum ſuum.* Poſtquam nimirum expletis duabus hebdomadis ab eodẽm percepiſſent eum ad propria redire velle. ſic LXX. *Dixit autem Tobias Raguel, dimitte me, quia pater meus, & mater mea non vltra ſperant videre me.* Syrus: *Scio patrem meum, & matrem meam in triſtitia magna eſſe, & exiſtimare non vltra videre faciem meam.*

LXX. — Syrus.

Mane hic, & mittam nuntium ſalutis de te. LXX. *Dixit autem ei ſocer: Mane apud me, & ego mittam ad patrem tuum, & indicabunt ei, quæ circa te.* Syrus. *Et dixit Raguel: Ego mittam nuntios ad patrẽ tuum, & oſtendent ei, quod ita conueniebat, & tu mane apud me, etiam exiguum dierum.*

LXX.

Ego noui. LXX. *Dimitte me ad patrem meum.* Syrus. *Et ait ad eum Tobia: Non poſſum, rogo te mitte me, ne tædeat patrem meum.* Arabs: *Ego ſcio genitores meos numerare dies, & contriſtatur ſpiritus eorum in ſe:* nouerat enim prudentiſſimus iuuenis totam parentum ſuorum vitam, ac reſpirationem à reditu ſuo omnino pendere.

LXX. — Syrus. — Arabs.

Cumque multis verbis rogaſſet Raguel Tobiam. Vt nimirum per aliquot dies adhuc maneret apud ſe: tædebat enim illum, vxoremque vehementer, tam longi, atque diuturni vnicæ filiæ diſceſſus dilectiſſimæ, & iam quidem vix peractis nuptiarum choreis, & gaudijs.

2 *Et ille eum nulla ratione vellet audire.* Hoc eſt, exaudire, vel obtemperare. Arabs. *Et dum Raguel rogabat Tobiam, ipſe nunquam reſpondit ei, neque obediebat ei.* hoc eſt, non acquieſcebat precibus Raguelis. Sic dicebat Rebecca filio, vt eſt in Geneſi: *Audi vocem meam.* hoc eſt, imple quod iubeo, ita cum nullis poſſet precibus, vel argumentis adduci Tobias ad differendum adhuc per aliquot dies ſuum diſceſſum.

Arabs.

3 *Tradidit ei* Raguel, *Saram, & dimidiam partem omnis ſubſtantiæ ſuæ in pueris, in puellis, &c.*

Pueri, & puellæ, pro famuli, & famulæ; etenim paſſim vſurpatur in ſcripturis, vt obſeruat Serarius, vt παῖς, & puer pro famulo accipitur, ſicuti & Hebraicum Naar, &c. atq; ſic etiã apud Ariſtophanẽ, Platonẽ, &c. quin etiã apud Propertium, qui apertè ſic habet.

Serar. ſup. in c. 9. Gen. 14. verſ. 23. Propert. lib. 3. eleg. 22.

I puer, & citus hæc aliqua propone columna
Et Dominũ exquilijs ſcribe habitare tuũ.

Et quidem hoc nomine famuli ſunt inſigniti, quod, ſicut aiunt Hebræi, puerorum ſit natu maioribus obtemperare, & miniſtrare, ipſorumq. ætas obeũdis miniſterijs ſit per accommoda: διά τὸ τῆς παιδικῆς ἡλικίας ὑπηρετεῖν, inquit Euſtachius, qui & alio loco id fieri ſignificat, quod paterno veluti amore ſeruos bonos proſequi debeant domini.

Pueri maioribus miniſtrare debẽt — Euſtachius.

Patet præterea hic ex alijs interpretationibus vberiorem factam fuiſſe bonorum Raguelis partitionem. Sic LXX. *Surgens autẽ Raguel dedit ei Saram vxorem eius, & dimidium ſubſtantiæ, corpora, & pecora, & argentum.* Syrus. *Et ſurrexit Raguel, & adſcripſit filiam ſuam, & tradidit eam Tobiæ, & dedit ei ex omnibus diuitijs ſuis dimidiũ earũ, famulos, & ancillas, & tauros, & oues, & camelos, & aſinos, & aurum, & argentũ, & veſtes multas, & dimiſit eos, & oſculatus eſt eos.* Arabs, *deditq. ei Saram coniugem ſuam, & dimidiam partem ex omnibus, quæ poſſidebat ex famulis, & ex ancillis, & armentis, et ex bobus, et ouibus.* Hebræus: *dedit ei Raguel Saram filiam ſuam, dimidium diuitiarum ſuarum, & ſeruos, & ſeruas, & greges, & boues, et aſinas, et camelos, et veſtes lineas pretioſas, et vaſa argentea, et aurea.*

Arabs. — Hebræus.

Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro. Syrus. *Ite in pace, filij mei incolumes, et Deus cæli, et terræ, ipſe ſtabiliet viam veſtrã.* Dicit Angelus Domini ſanctus, vt etiam Tobias ſupra ad diſtinctionem Angeli mali, cũ, vt ibi diximus, & boni, & mali Angeli ſint Domini ob creationem, dominium, & miniſterium.

VERS. XI — Syrus. — Sup. c. 5. v. 27

Et videant oculi mei filios veſtros priuſquam moriar. LXX. *Proſperabit vos, filij, Deus cæli priuſquam moriar*, nimirum poſteritate, Syrus. *Et videbo filios veſtros antequam moriar.* Arabs. *Et videbunt oculi mei filios veſtros ante mortem meam.*

LXX. — Syrus. — Arabs.

VERS. XII.

Et apprehendentes parentes filiam ſuam oſculati ſunt eam, & dimiſerunt ire.

1 *Iter non accepta benedictione nemo debet arripere.*
2 *Oſcula ardentiſſima dilectionis indicia.*

1 SEptuaginta: *Et benedicẽs eos dimiſit.* ſic enim priſci illi patres cũ benedictione dimittere ſolebant abeũtes, Dominum pro illis deprecantes, vt in viam pacis, & proſperitatis, Angelo ipſorum ſancto comite greſſus eorũ dirigeret, vt cum pace, ſalute, & gaudio ad eum, quem pergebant, locũ

felicit̃er peruenire poſſent,ad quem modum etiam ſancti viri noui teſtamẽti iter acturi, benedictionem, vel à parentibus carnalibus, vel ſpiritualibus efflagitabant. Sic Neſtarius Conſtantinopoli Tarſum in patriam iturus; teſte Nicephoro,venit ad Diodorũ Tarſi Epiſcopum,vt ab eo,ſub cuius ſcilicet Epiſcopatu cenſeretur,cum precatione benedictionẽ acciperet. Berachus Monachus ad Acticam inſulam nauigare inſtituens, vt narrat Adamannus ad S. Columbã Abbatem Scotũ acceſſit,& ab eo benedici poſtulauit,qui accepta à Sancto benedictione receſſit, nauemq. aſcendit. Idem narrat factum ab alio diſcipulo Baithemio,qui eum in curſu nauigationis in maximũ cetũ incidiſſet,perterritis omnibus,ipſe ſolus æquor,& cetũ ambabus manibus benedixit intrepidus, eodemq. momẽto bellua magna ſe fluctibus immergẽs nuſquã deinceps eis apparuit. S. Fintanus,accepta à B. Batheno benedictione,in Scotiã,hoc eſt in Hiberniam nauigauit,vt refert idem Adamãnus. Vraltbertus comes,vt narrat Surius,cũ, quadam neceſſitate vrgente iter acturus à B. Bertino,ſicut conſueuerat, benedictionẽ nõ popoſciſſet, properè abſcedens,in medio itinere ſolito ex equo collabens,in petroſam humum decidit,multisq. quaſſatus mẽbris, & femore penitus contracto,ſe confeſtim putabat moriturũ, niſi benedictionem per nuntium ab eodem ſancto impetraſſet, ſimul, & veniã ſuæ omiſſionis,quibus impetratis ſtatim conualuit. Nec noſtræ valedictiones, quibus iter acturis dicere conſueuimus, *Iddio vi guardi: Iddio ſia con voi.* aliud ſunt, quam benedictiones, quam fauſta apprecatio,quã etiã tranſeuntibus, alijsq. laborantibus impertiri ſolemus morẽ vetuſtiſſimũ in hoc ſequuti, de quo meminit Dauid, dicẽs: *& non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini ſuper vos, benediximus vobis in nomine Domini,* vbi innuit laborãtibus hoc fauſtum carmen accini conſueuiſſe, & illis, qui oderunt Sion,non adcantatum fuiſſe. Vide plura apud Gretſerum.

Iter facturi benedictionẽ poſtulabant.

Niceph li. 12 hiſt. eccl. c. 12

Adamannus li. 2. in vit. S. Columbæ.

Sur in vit S. Bertini Abb.

Pſ. 128. 8.

Gretſer. li. de benedictionibus.

v *Oſculati ſunt eam.* In ſignum ardentiſſimæ dilectionis,& amoris, etenim per oſcula animã quaſi in aliena corpora transfundi, ſeu tranſportari docuit Plato apud Gelliũ,& Macrobius,qui refert græca quædam carmina,quæ luſit adoleſcẽs Plato, in quibus dicit parum abfuiſſe, vt quidam in oſculo moreretur,cum iam anima penè proprium deſerens corpus ad aliud tranſmigraret. Dixit hoc idẽ Ambroſius: *per oſculum*, inquiens, *adhæret anima Deo,per quod ſcilicet transfunditur ſpiritus oſculantis.* ſicut & hi,qui ſe inuicem oſculantur,non ſunt labiorum libatione cõtenti,ſed ſpiritum ſuum ſibi inuicem vidẽtur infundere, quod etiã amici velle videntur,qui antiqua,vel pietate, vel ſuperſtitione oſculo excipiũt morientiũ animas,vt ipſis viuant, qui ſibi moriuntur. Vnde Poeta:

Plato apud Gell. li. 19. c. 11.

Macrob. li. 2. ſaturnal c. 2.

Ambr. lib. de Iſaac c. 3.

Oculis animas morientiũ quomodo excipiantur.

Extremus, ſi quis ſuper halitus errat,
Ore legam.

Et Ouidius

excipiat
Hanc animam ore pio.

Sed omnium elegantiſſimè Ambroſius hanc explicat conſuetudinem. *Nihil mihi*, inquit, *profuit vltimum hauſiſſe anhelitum, niſi flatus meos inſpiraſſem morienti.*

Virg. li. 4. Æneid. in fin.

Ouid. de cõſolat. ad Liuiã.

Amb. in orat. de Satyro fratre.

VERS. XIII.

Monentes eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſe ipſam irreprehenſibilem exhibere.

Probæ vxoris officia à Raguele hic filiæ recenſita ſunt.

1 *Honorare ſoceros.*
2 *Diligere maritum.*
3 *Regere familiam.*
4 *Gubernare domum.*
5 *Se irreprehenſibilem exhibere.*
6 *Explicantur additamenta ad finem huius capitis ex LXX. & Syro.*

1 M*ONENTES eam honorare ſoceros.* LXX. *Et dixit filiæ ſuæ, honora ſoceros tuos; ipſi enim parẽtes tui ſunt.* Syrus. *Filia mea etio honorans ſocerum tuum, & ſocrum tuam, quia ex nunc illi ſunt patres tui, ſicuti nos fuimus.* Sic etiã Græcus: αὐτοὶ νῦν γονεῖς σου εἰσιν: *quia ipſi nunc parentes tui erunt.* Neceſſaria quidem pro bono matrimonij filiabus dãda à parentibus admonitio, quæ ſocrubus infenſiſſimæ eſſe ſolent. Vnde Origenes: *Sæpè*, inquit, *generi, vel nurus filijs ſinceriores reperiuntur, circa ſoceros, vel ſocrus ſuas, quæ Dei timorẽ habuerunt, & pietatẽ præ animabus ſuis. Talis fuit illa B. Ruth, quæ ita dilexit ſocrui ſuæ veterana, vt vſque ad mortem non ſit paſſa, eam relinquere. Idcircò ſanè in ſcriptura perpetuo magnificatur, apud Deum verò in infinita ſecula beatificatur. iudicabit, nihilominus, & condemnabit in reſurrectione omnes malignas nurus, & impuras, quæ ſoceris, vel ſocrubus ſuis contumeliam vel iniuriam ingeſſerint, non reminiſcentes, quod ipſis viros genuerint, atq; nutriuerint, & pro ſubſtantia, & pro victu illorum labores ſuſceperint. Si igitur diligis virum, ò mulier, dilige eos, qui & genuerunt eum, & nutrierunt ſibi filium, tibi verò maritũ, noli ſeparare filiũ à patre, vel matre, etc.*

LXX.

Syrus.

Græcus.

Orig. lib. 1. in Iob.

Nurus ſocrũ diligere debet.

2 *Diligere maritum.* Eſt enim dilectio omnis pacis, & tranquillitatis inter coniuges fundamentũ. Ita Chryſoſt. *præcipuum eſt*, inquiẽs, *illud domeſticæ pacis, et bonorũ omniũ fundamentũ, ſi vxor viro per omnia conſen-*

Chry. ſer. 4. in ep. Pauli ad Tit. 2.

Mutua côiugû dilectio pacis fundamentum eſt.

tiens ſit : nam vbi hoc ſit, nihil triſte contingere poterit, quo pacto enim cum caput corpori connexum, coniunctumque ſit, vlla ibi ſeditio, vlla diſſenſio poſſit exoriri? neceſſario profecto reliqua omnia in pace ſunt, principibus namque pacatis, quis iam pacem diuidere poſſit, atque diſcindere? quemadmodum è contra, his inuicem diſſidentibus, nihil ſalubre eſſe poterit, totaque ſimul nutabit familia. Hanc ſuorum virorum dilectionem ſemper habuiſſe mulieres prudentes in ſacris, & profanis literis legimus. In ſacris dilexit ardentiſſimè Sara ſuum Abraham, Rebecca Iſaac, Suſanna Ioachim: De Sancta Monica Sancti Auguſtini matre, hæc idem Sanctus Auguſtinus.

Aug. li. 9. cõf. c. 9. tom. 1.

Plenis annis nubilis facta eſt, tradita viro ſeruiuit veluti domino, & ſategit eum lucrari ſibi, loquens te illi moribus ſuis, quibus eam pulchram faciebas, & reuerenter amabilem, atque mirabilem viro; ita autem tolerauit cubilis iniurias, vt nullam de hac re cum marito haberet vnquam ſimultatem; expectabat enim miſericordiam tuam ſuper eum, vt in te credens caſtificaretur. Erat verò ille præterea, ſicut beneuolentia præcipuus, ita feruidus; ſed nouerat hæc non reſiſtere irato viro, non tantum facto, ſed ne verbo quidem. Iam vero refracto, & quieto, cum opportunum videret, rationem facti ſui reddebat, ſi forte ille inconſideratius commotus fuerat. Denique cum matronæ multæ, quarum viri manſuetiores erãt plagarum veſtigia, etiam dehoneſtata facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebãt maritorum vitam, hæc earum linguam, veluti per iocum grauiter admonens, ex quo illas tabulas, quæ matrimoniales vocantur, recitari audiſſent, tanquam inſtrumenta, quibus ancillæ factæ eſſent, deputare debuiſſent: proinde memores conditionis, ſuperbire aduerſus dominos non oportere. Hucuſque Auguſtinus.

Theogena vxor Agathoclis.

In profanis vero Theogena vxor Agathoclis regis Siciliæ ab ægro marito nullo modo paſſa eſt diuelli; quod diceret, nubendo ſe non proſperæ tantum; ſed omnis fortunæ iniiſſe ſocietatem; nec inuitam ſui ſpiritus periculo empturam, vt extremos viri ſpiritus exciperet. Fœminæ Lacenarum cum vitæ diſcrimine captiuos viros, mutatis veſtibus, liberarunt. Et Penelopes Poëta ille canit:

Penelopi deſponſa ſequi cupiebat Vlyſſem,
Ni ſecum Icarius mallet habere pater.
Ille Ithacam, hic offert Spartam, manet anxia virgo,
Hinc pater, inde viri mutuus vrget amor.
Ergo ſedens velat vultus, obnubit ocellos:
Iſta verecundi ſigna pudoris erant.
Queis ſibi prælatum Icarius cognouit Vlyſſem
Hocq. pudori aram ſchemate cõſtituit.

Nicerati coniux impatiens iniuriæ marito illatæ, mortem ſibi ipſa conſciuit, ne triginta Tyrannorum, quos Lyſander victis Athenis impoſuerat, libidinem ſuſtineret: quod inter ſummas omnes neceſſitudines, arctiſſimum, & inuiolabile ſit matrimonij vinculum, quibus ſanè exemplis, piæ vxoris officium eſſe conuincitur, viro tanquam domino ſuo morem gerere, nihilque ſine eius bona venia capeſſere.

Omniũ vinculorum arctiſſimũ e matrimoniale.

Damaſc. li. 3 paral. c. 1.

Vxoris erg maritum officia.

Sic Damaſcenus: *Sapientis,* inquit, *mulieris eſt matrimonij legibus cedere, atque obtemperare, marito iraſcenti cedere, laboranti mollibus verbis, ac probis conſilijs opitulari, cum mœrenti marito nouit ſibi ipſa quoque mœrere, quia, marito in mœrorem aliquem prolapſo, commodiſſimus portus eſt vxor, numquamque illi accidere debet, vt detrimentum vllum, iacturamq; (quamuis grauiſſima ira ſit percita) marito exprobret; ſed potius eum reuereri, vt vitæ ſuæ oculum, ac conſilij arbitrum, & moderatorem. Nam decretum Dei omnipotentis ad primam mulierem eſt, ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui Et Apoſtolus orbis doctor ſcribit ad Ephesios: Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino, quoniam vir eſt caput mulieris, ſicut Chriſtus eſt caput Eccleſiæ.* Hæc Damaſcenus.

Gen. 3.

Ephes. 5.

1. Pet. 3. 6.

4. Reg. 4. 22.

Hinc Beatus Petrus plurimum laudat Saram propter ſuam erga ſuum Abraham obedientiam. *Sara,* inquit, *obediebat Abrahæ, dominum eum vocans,* & ſicut ſcribitur in Geneſi, Sunamitis petijt facultatem à marito proficiſcendi ad Eliſæum prophetam, ipſum ſupplicatura pro filio defuncto. Et, iubente Domino, mulier, quæ inſcio marito ſe iuramento conſtringebat, non tenebatur promiſſionis rea. Notanda tamen Plutarchi illa laudata ſententia, dicentis: virum debere vxori dominari, vt anima corpori, & non vt dominus pecori. Quare illicita, & indigna præcipienti marito ſapiens mulier parere non debet.

Plutarchi dictum.

Illicita imperanti marito non tenetur vxor obedire.

Exemplum ſit Sophronia illa Romana, cuius pulchritudine captus, vt refert Euſebius tyrannorum impuriſſimus Maxentius, vt ei mos erat, miſſis ſtuprorum miniſtris, deduci ad ſe fœminam iubet. Illa rem ad maritum præfectum vrbis Romæ detulit, qui multa ſecum voluens, ad vltimum altius ingemiſcens: *Et quid,* inquit, *faciemus, quibus aut hæc toleranda ſunt, aut anima ponenda?* Tum illa, vt maritum vidit metu mortis perterritum prodidiſſe pudicitiam ſuam: *paulatum,* ait his qui miſſi ſunt, *expectate, donec compoſita, vt decet, & adornata procedam,* dehinc cubiculum ingreſſa, cum prius defixis genibus oraſſet, tanquam pudicitiam ſuam Deo immolatura, pectus, ac viſcera, correpto mucrone transfuerberat, extremos huiuſmodi nuntios ad tyrannum per aſsiſtentem tranſmittens: *Tales magis placeant Chriſtianæ fœminæ tyranno.* Refert & aliud Victor Vticenſis egregium de duabus matronis, Victoria,

Euſeb. lib. 8. c. 17. ſuæ hiſt. Niceph. lib. 7. c. 21.

Mira caſtitas Sophroniæ Romanæ

& Dagilla factâ, quæ, cum ſub perſecutione VVandalorũ in Aphrica peſtiferis maritorũ ſuaſionibus ſollicitatentur, varijs tormentorum generibus immaniſſimè excruciatæ fidem Catholicam abnegare, & in errores trãſire Africanorum incredibili conſtantia recuſarunt, fortiſſimoque martyrio miſeræ huius vitæ, vt meliorem adipiſcerentur, finem impoſuerunt.

3 *Regere familiam.* Tertium, hoc eſt magni momenti monitum à parentibus Saræ filiæ datum, quo eam docuerunt eius eſſe muneris familiam, quæ primò liberos, deinde famulos, famulasq. continet, regere, docendo, puniendo, alimenta corpori, animoq. præbẽdo. Docendo quidem filios, maxime in iuuentute, quando adhuc *nouella plantationes*, vel ſicut *nouella oliuarum* ſunt in circuitu menſæ: dum ſcilicet, inſtar teneræ arbuſculæ in eam, quam voles partem, flecti poſſunt, ſine periculo fractionis: nam *adoleſcens*, ait Sapiens, *iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Verecundiam taciturnitatem, obedientiam: *quæ tria*, vt docet Bernardus, *pueris adoleſcentibus magis congruunt*. Et quidem verecundia adeò decet adoleſcentulos, vt ſicut refert Alexander ab Alexandro, Perſæ ſæuiſſimis legibus cauerint, ne adoleſcentiores, vel verbis, vel geſtibus manuum, vel oculorum nutibus, aut alio quopiam modo, quicquam committerent, in quo pudor deſiderari videretur, quodque honeſtati aduerſaretur. Adeò, vt capite plecterent eum, qui hominem nudum conſpexiſſet. Et ſanè Chryſoſtomus ait: *Pudor frænum eſt vitiorum.* Taciturnitatem verò adeo neceſſariam eſſe cenſuit iuuentuti Sapiens, vt dixerit: *Adoleſcens loquere in tua cauſa vix.* Et Pythagoras, teſte Laertio, quinquenni ſilentio diſcipulos ſuos obſtringebat, prius quam in ſchola loqui, vel diſſerere poſſent, quo toto tempore audiendis, auditisque retinendis eos vacare volebat; vt ſapientiam, non præſumptuoſa, & temeraria garrulitate; ſed decenti, & modeſta taciturnitate inciperent. Sic Sanctus Thomas Aquinas, ſtudijs adhuc dans operam, taciturnitatis virtutem, adeo coluit, vt bos mutus à ſodalibus per iocum diceretur. Verum Albertus Magnus eius magiſter, talem, inquit, mox edet bos iſte mugitum, vt ſonum ipſius totus admiraturus ſit mundus. Obedientiam tandem maximè neceſſariam eſſe iuuentuti, ex eo manifeſtum relinquitur, quia cum ipſi inſtructione egeant, vtpote tabulæ raſæ, teſte Philoſopho; conſimiles; fruſtra in eis ſcribere tentas, ſi manui ſcribentis non pareant: nam addiſcentem, vt docet Philoſophus, credere, & obedire oportet. Cuius rei inſigne præbuit Chriſtus Dominus exemplum, qui obediens fuit patri vſque ad mortem, & matri, patrique putatiuo per omnia, quæ ſubditum, ac morigerum filium decent, teſtante id Euangeliſta, *Erat ſubditus illis*, Mariæ ſcilicet, & Ioſeph.

Pſ. 143. 12
Pſ. 127. 3.
Filii a iuuẽtute probis moribus imbuendi.
Bern. de ord. vitæ.
Verecundia bonorum adoleſcẽtum propria.
Alex. ab Alex. li. 2. c. 25
Chryſoſt.
Taciturnitas iuuentuti accommoda.
Eccli. 32. 10.
Laert. lib. 8.
In vit. S. Tho.
Obedientia iuuentuti neceſſaria.
Ariſt.

Puniendi etiam filij, cum res poſtulat: nam vt Sapiens ait: *Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ effugabit eam.* Et alibi: *Noli ſubtrahere à puero diſciplinã; nam rectius aliquando panem, quam virgã à puero ſubtrahes; ſi enim*, ſequitur idem, *percuſſeris eum virga, non morietur, ſi non percuſſeris, morietur, quia, quod ad vitam erat neceſſarium, ſubtraxiſti*: ergo ſi non percuſſeris, odiſti filium; nam, vt idem ait: *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum.* Sic Heli, dum filios ſuos à virga correctionis ſubtraxit, perdidit. Sic pater ille blandus, de quo Gregorius, dum nimis indulgenter cum filio blaſphemo ſe habuit, illum adhuc quinquennem è ſinu ſuo à dæmone raptum vidit.

Filii à parentibus puniẽdi, alendiq.
Prou. 22. 15.
Prou. 13. 24.
1. Reg. 4.
Greg. li. 4. dialog. c. 18.

Tandem alimenta neceſſaria corpori, animoque filiorum parentes ſuppeditare debent, vtpote iure naturæ illis debita, vt in brutis apparet. Vnde nec filij parentibus; ſed parentes filijs debẽt theſaurizare.

Quo etiam pacto prudens materfamilias, erga famulos, & famulas habere ſe debet; eosque primum, non ſecus ac filios de his, quæ ad ſalutem ſpectant, inſtruere, & à vitijs moderata correctione dehortari: non tamen, quod multi faciũt, in eos ſæuire debet, vel tyrannidem exercere, quod faciendo, nõ ſolum grauiter peccat; ſed etiã ſeruos, vt Sapiens ait, ſemper habebit fugaces. Sic ille: *Qui cõturbat domum ſuam, poſſidebit ventos.* Nam herus, ſeu dominus, qui in domeſticos ſuos, ſeruos nimirum, ac famulos crudeliter ſæuit, qui aſſiduas turbas in domo excitat, & omnia permiſcet: ventum poſſidet liquidum, ac fugacem: ſeruos inquam deſertores, qui ventorum in morem, è domo illius, vnus poſt alium labuntur, atque fugiunt. Quare, dominus, vt monet Apoſtolus memor eſſe debet, ſe ac ſeruos habere dominum in cælis: Ex quo, ſicut obſeruat Tertullianus: Heri magis patresfamilias, & matresfamilias vocantur, quam domini: quia erga familiam tanquam patres, non tanquã dominos ſe habere debent. *Ex ijs, quæ à te veniunt*, ait Seneca ad Lucillum, *libenter cognoui familiariter te cum ſeruis tuis viuere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Serui ſunt, immo homines: ſerui ſunt, immo contubernales, immo conſerui, ſi cogitaueris tantundẽ in vtroſque licere fortunæ.* Hinc Beatus Martinus, teſte Seuero Sulpitio adeò humaniter ſe cum ſeruo ſuo habuit, vt ſæpe calceamenta ipſi detraxerit. *Sacramentis*, inquit ille, *militaribus implicatus*, Martinus ſcilicet, *vno tantum ſeruo comite fuit contentus, cui tamen vice verſa Dominus ſeruiebat, adeò vt plerunque ei, & calceamenta ipſe detraheret, & ipſe*

Cũ famulis familiariter viuendum.
Prou. 11. 29.
Domini qui ſæuiunt in famulos illos fugaces habent, ac deſertores.
Tertull. in apolog. c. 34.
Seneca ad Lucillum.
Seuer. Sulp. in vit. S. Martini.

de-

Digitized by Google

Serui blãde nõ contumelioſè accipiẽdi.

detergeret, cibum vna caperet, hic ſæpius miniſtraret. Hæc Sulpitius. Blandè itaque accipiendi ſerui, non contumelioſè, aut furioſè. Danda etiam ſunt eis debita alimenta, & debita merces. Corripiendi errantes, & curandum, vt munus ſuum diligenter exerceant. Etenim, vt Sapiens ait: *Cibaria, & virga, & onus aſino; Panis, & diſciplina, & opus ſeruo*. Indicans, ſenſu Ianſenij, ſeruos inſtar aſinorum regendos eſſe, eaque illis ſubminiſtranda, quæ aſinis tribuuntur, nimirum pro fœnatione, ſeu cibarijs, ponitur enim Græcè χορτάσματα, hoc eſt, fœni pabula, ἄχορτος, quod fœnum ſignificat, panem, hoc eſt cibum, non delicatum, ſed neceſſarium. Pro virga, quæ debetur aſino, diſciplinam, ſeu caſtigationem, & correptionem. Pro onere, quo grauantur aſini, opus, quo premendus eſt, & in officio continendus. Hinc Ariſtoteles ſeruis deberi ſcribit, ἔργα, κόλασιν, καὶ τροφήν.

Eccli. 33. 25.
Ianſenius.

Et ſerui debent fideliter ſuis obedire dominis, vt Beatus Paulus præcipit, dicens. *Serui obedite dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes; ſed à Domino, à quo recipietis mercedẽ: quodcunque facitis ex animo operamini ſicut domino*. Et idem ad Titum. *Doce*, inquit, *ſeruos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes*.

Eph. 6. 5. 6
Tit. 2. 9.

Rei domeſticæ cura mulieri incumbit.
Ariſt. lib. 2. Oeconomic.

4 *Gubernare domum*. Quod rei domeſticæ cura in primis mulieri incumbat, ea nimirum, quæ maritus ſudore, vel induſtria ſua acquirit, debitè, ac vtiliter domi diſpenſandi. Vnde Philoſophus: *probam*, inquit, *mulierem omnibus, quæ ſunt intus, dominari oportet, viro quidem indecens videtur ea ſcire, quæ inter ædes fiunt, turpeque eſt quicquam eorum, quæ ſunt domi, facere*. Et Xenophon: *Mihi videtur*, inquit, *Deus naturam mulieris ad curam domeſticam intus ſuſcipiendam in lucem protuliſſe; mollioremque corpore, vt intra parietes officia obiret: viri cutem, corpus, animumq., ad frigora, æſtus, itinera, expeditiones, facilè tolerandas conſtituiſſe: ideoque res illi foras agendas delegiſſe*. Denique & Columella: *Iure*, inquit, *à natura comparata eſt mulier, ad domeſticam diligentiam; vir autem ad exercitationem forenſium*. Cuius rei ea eſſe poteſt ratio: quia mulier viro eſt timidior, metusque plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi. Quare prudens mulier, vt munus hoc ſuum fideliter exerceat, domi ſe continere ſolet. Vnde narrat Plutarchus Veneris Eleorum picturam, auctore Phidia, teſtudinem (quæ ſymbolum eſt ſilentij, & commorationis in domo) calcauiſſe. Et legem fuiſſe Aegyptiorum, quæ nuptis vetabat Sandalia, ne domo prodirent: vnde & Statuæ C. Ceciliæ poſitæ in fano Sangi, ſandalia, & fuſi adiacebant, vt idem narrat. Sic *Sapiens mulier*, ait Salomon, *ædificat domum ſuam*. Quare veriſſime Clemens Alexandrinus pronuntiauit, quod κάλλιστον ἐργογυλὼν οἰκουρος, *res eſt pulcherrima mulier cuſtos domus*. Et Nazianzenus ὅτρόπος ἐστι γυναιξὶ οἴκαδε μίμνειν πλεῖστα, *mos eſt, mulieribus res pretioſa domi manere plurimum*, ad gubernandam nimirum domum.

Xenophon. in Oeconomic.
Columella in proœm. de re ruſt.
Plutarch. in præcept. coniug. præcept. 31. & 33.
Mulier è domo non debet egredi; ſed illam cuſtodire.
Idẽ in Rom. q. 30.
Prou. 14. 1
Clem. Alex. 3. pedagog. c. 18.
Greg. Niſſ.

5 *Et ſe ipſam irreprehenſibilem exhibere*. Monent tandem filiam Raguel, & coniux, vt vitam talem habere curet, quæ à nemine rectè reprehendi, aut culpari queat: nam facile materfamilias totius familiæ oculis offenſionem affert, ſi culpatè in aliquo viuat: etenim in corporibus lucidis, quales ſunt lapilli, haud libenter vel minima toleratur macula. Quare cùm mater familias, inſtar gemmæ lucere debeat omnibus, qui in domo ſunt, ſi quis ei neuus appareat, detractioni ſemper patebit, & calumniæ: nihil enim æquè attendunt filii, & famuli, ſicut exempla parentum, vel dominorum: nihilque eſt, quod eos benè morigeratos magis reddat, virtuteque præditos, ac parentes tales conſpicere, vt enim teſte Claudiano

Pater, & materfam. irreprehẽſibiles eſſe debent, familiamq. exemplo docere.
Exempli boni vis, & efficacia.

Componitur orbis
Regis ad exemplũ, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quã vita regẽtis;

Claud. paneg. in 4. Honorij conſulatu.

ita domus componitur matris ad exemplũ. Vnde Caſſiodorus: *Non poteſt*, ait, *auctoritatem habere ſermo, qui non iuuatur exemplo; dum iniquum ſit bona præcipere, & talia non feciſſe*. Sanè vitam, & ſermonem, inſtar geminarum manuum eſſe, docet Niceta Epiſcopus, nec licere altera trahere, altera repellere, quod facit mater familias, dum bona docet filios, & mala operatur. Et ſanctus Bonauentura docet Prælatum, ſeu parentes eſſe debere ſimiles Geometriæ magiſtris, qui quas docent demonſtrationes, fingunt in ſabulo, cum in omnibus virtutum exemplis oporteat rectorem præcedere ſubditos. Ex quo Platonis etiam, & Socratis gnoma fuit: principes magis exemplo peccare, quam culpa, & vt Deus in cælo pulcherrimum ſui ſimulacrum conſtituit ſolem, qui tamen perexiguo ſuo defectu plurimum affert orbi toti nocumentum; ita in familia parentes conſtituit, qui prudentia, ſapientia, & moribus ſe filiis repræſentent, quorum defectus magnam confert perniciem domui, in qua caput exiſtunt. Quare ſi Chriſtus de quouis homine dixit: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*; quid de illo fiet, qui auctoritate, & poteſtate in domo ſua pollens, pabulum ſcelerum flammæ adminiſtrat? qui namque mali exemplum re ipſa familiæ præbet, famulis, & filiis quaſi viam ad infernum oſtendit, & quot vicibus, vel etiam vitiis id facit, tot eis quaſi paſſibus ad ignem æternum præit: lucidum in re tam obſcura, & tene-

Caſſiod. li. 11 Var. c. 8.
Niceta trac. 4. Nazianz.
S. Bon. lib. de ſex alij Seraph. c. 6.
Platonis, & Socratis gnoma.
Principes magis exemplo peccant, quam culpa.
Matt. 18. 7.

broſa exemplum, primus Iſraelitarum Rex Saul, quem cum ſuo gladio innixum ſe perfodiſſe famulus conſpexiſſet, confeſtim eodem plane modo ſe percutiens, & ipſe interijt. Vnde recte poëta ille:

Segnius irritant animos immiſſa per aurem.

Quã quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus. Filij familias, & ſerui inſtar Simiæ ad parentum, vel dominorum exemplum imitandum ita ſunt proni, vt nihil bene factum putent, niſi quod ab illis factum conſpiciunt. ſi placet, vide quæ alibi de exempli boni, vel mali vi, & efficacia diſſeruimus.

LXX. 6 Addunt LXX. Annam pluribus alloquutam eſſe Tobiam, antequam dimitteret dicendo: *frater dilecte reſtituat te Dominus cæli, & det mihi videre tuos filios ex Sara filia mea, vt læter in conſpectu Domini, & ecce depono apud te filiam meam in depoſito, & ne contriſtes eam.* Syrus, & *dixit Anna Tobiæ: En ante Dominum trado tibi filium meam, & ne noceas ei omnibus diebus vitæ eius, quia ex nunc mater tua ego ſum, & Sara ſoror tua; & oſculata eſt eos ambos.* Quæ quidem monita, licet Tobiæ viro ſanctiſſimo haud eſſent neceſſaria: alios tamen docent viros amplectendas ſibi eſſe vxores, tanquam vitæ ſocias, & laborum, earumque infirmitates tolerandas: quod etiam docuit Deus mulierem à latere viri educens, eoque, vt probabilior fert ſententia, ſiniſtro, in quod humanum cor vergit. Quia, vt ait Hugo Victorinus: *viro non domina, aut ancilla parabatur; ſed ſocia, nec de capite, nec de pede; ſed de latere erat producenda, vt iuxta ſe ponendam cognoſceret, quam de iuxta ſe ſumptam didiciſſet.* Vnde Epictetus Stoicus. *Deprimere dignitatem vxoris, & in ſeruitutem ancillarum redigere, tyrannidem ſapere dixit.*

Syrus.

Hugo Victorinus lib. 1. de ſacram. p. 6. c. 35.

Epictetus.

SYNOPSIS CAPITIS XI.

Relictis in itinere Sara, reliquaq; familia, Tobias, & Raphael præcedentes, lætè à parentibus Tobiæ excipiuntur, quo patris oculos felle iecoris liniente, ille viſum recipit: qua propter, actis Deo gratijs, poſt aduentum Saræ, ac familiæ, ſeptem diebus læti epulantur.

CAPVT VNDECIMVM.

1 CVMQVE reuerterentur, peruenerũt ad Charan, quæ eſt in medio itinere contra Niniuen, vndecimo die, Dixitq. Angelus.

2 Tobia frater, ſcis quemadmodum reliquiſti patrem tuum.

3 Si placet itaque tibi, præcedamus: & lento gradu ſequantur iter noſtrum familiæ ſimul cum coniuge tua, & cum animalibus.

4 Cumque hoc placuiſſet, vt irent, dixit Raphael ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piſcis: erit enim neceſſarium. tulit itaque Tobias ex felle illo, & abierunt.

5 Anna autem ſedebat ſecus viam, quotidie in ſupercilio montis, vnde reſpicere poterat de longinquo.

6 Et dum ex eodem loco ſpecularetur aduentum eius, vidit à longè, & illicò agnouit venientem filium, currensque nunciauit viro ſuo, dicens; Ecce venit filius tuus.

7 Dixitque Raphael ad Tobiam: At vbi introieris domum tuam, ſtatim adora Dominum Deum tuum, & gratias agens ei: accede ad patrem tuũ, & oſculare eũ.

8 Statimque lini ſuper oculos eius ex felle iſto piſcis, quod portas tecum; ſcias enim, quoniã mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cæli, & in aſpectu tuo gaudebit.

9 Tunc præcucurrit canis, qui ſimul fuerat in via, & quaſi nuntius adueniens, blandimento ſuæ caudæ gaudebat.

10 Et conſurgẽs cęcus pater eius, cœpit offendens pedibus currere, & data manu puero, occurrit obuiam filio ſuo.

11 Et ſuſcipiens oſculatus eſt eum cum vxore ſua, & cœperunt ambo flere præ gaudio.

12 Cumque adoraſſent Deum, & gratias egiſſent conſederunt.

Tunc

13 Tunc ſumens Tobias de felle piſcis, liniuit oculos patris ſui.

14 Et ſuſtinuit quaſi dimidiam ferè horã, & cœpit albugo ex oculis eius quaſi membrana oui egredi.

15 Quam apprehendens Tobias, traxit ab oculis eius, ſtatimq. viſum recepit.

16 Et glorificabant Deum, ipſe videlicet, & eius vxor, & omnes qui ſciebant eum.

17 Dicebatque Tobias, benedico te, Domine Deus Iſrael, quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me: & ecce ego video Tobiam filium meum.

18 Ingreſſa eſt etiam poſt ſeptẽ dies Sara, vxor filij eius, & omnis familia ſana, & pecora, & cameli, & pecunia multa vxoris: ſed & illa pecunia quam receperat à Gabelo.

19 Et narrauit parentibus ſuis omnia beneficia Dei, quæ feciſſet circa eum per hominem, qui eum duxerat.

20 Veneruntque Achior, & Nabath conſobrini Tobiæ gaudentes ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum oſtenderat Deus.

21 Et per ſeptem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gauiſi ſunt.

VERS. I.

Cumque reuerterentur, peruenerunt ad Charan, quæ eſt in medio itinere contra Niniuẽ, vndecimo die.

1 *Additamenta variarum interpretationũ.*
2 *Charan ciuitas quæ.*
3 *Quomodo Charan in medio eſſet itinere inter Ecbatana, & Niniuem.*
4 *Quomodo contra Niniuem.*

1 CVM QVE *reuerterentur, peruenerunt ad Charan.* LXX. *poſt hæc ibat Tobias, benedicens Deum, quia proſperauerat viam ipſius, & ibat quoadusque appropinquauerunt ipſi in Niniue.* Syrus: *Et exierunt, & gaudebat Tobias; & laudabat Dominum cæli, & terræ, Abieruntque per viã, & venerunt ſibi ad Caſrai, quæ eſt à regione Niniue,* Arabs. *Et in reuerſionem eorum peruenerunt Karam, quæ eſt in media via aduerſus Niniue die vndecimo.* Hebræus: *Abijt ergo Tobias læto, & hilari corde, benedixitq. Dominum eo quod lætificaſſet eum, & feciſſet cum eo mirabilia multa, & miſerationes inſignes, & proficiſcẽs peruenit ad Acrim ciuitatem, quæ eſt è regione Niniue.*

LXX. — *Arabs.* — *Hebræus.*

2 *Charan.* Cenſet Hugo, & Carthuſianus vnam, eandemque eſſe ciuitatem cum ea, quæ in Geneſi dicitur Haram. Negat Serarius, & merito, tum quia Charan Hebraice dicitur עכרים Acrim: tum quia Haram ciuitas eſt in Meſopotamia, Charan vero ciuitas inter Aſſyriam, & Mediam, vt ex litera patet.

Gen. 12, Serar. hic in comment.

3 *Quæ eſt in medio itinere.* Putat Serarius, non præciſe medium; ſed interiectum inter Ecbatana, vel Rages, & Niniuem ſpatium intelligendum, quod Charan abeſſet Niniue dierum quatuor itinere, ſi expeditus pede quiſpiam eſſet, vt Græcè idcirco locus iſte prope Niniuẽ fuiſſe dicatur. Verum cum Græcus tantum dicat; *Et ibat quoadusque appropinquauerunt ipſi in Niniue.* Charan nimirum peruenientes; quæ ciuitas erat contra Niniuem, liquet potius fuiſſe Charan in medio itinere, vt ſatis aperte textus docet.

Serar. vbi ſupra. — *Græcus.*

4 *Contra Niniuem.* Hoc eſt è regione, & in conſpectu Niniuis quaſi rectis lineis; adhuc tamen diſtans à Niniue tardis, & implicitis, quales fuerunt Sara cum familia, aliorum vndecim dierum itinere, vt patebit infra, vbi textus habet Saram ingreſſam fuiſſe Niniuem ſeptem poſt Tobiam dies, cum ſimul è Charan diſceſſiſſent: Sic Tigris in Geneſi vadere contra Aſſyrios dicitur, & in profanis Virgilius dicit Italiam eſſe contra Carthaginem: ſic ille:

Inf. hoc eod. c. v. 8. — *Gen. 2. 14.* — *P. Aenead. 1.*

Vrbs antiqua fuit; Tyrij tenuere coloni;
Carthago, Italiam contra

cum tamen Carthago longiſſime ab Italia diſtet.

VERS. II.

Dixitque Angelus, Tobia frater, ſcis quomodo reliquiſti patrem tuum.

VERS. III.

Si placet itaque tibi præcedamus: & lento gradu ſequantur iter noſtrum familiæ ſimul cum coniuge tua, & cum animalibus.

VERS. IV.

Cumque hoc placuiſſet, vt irent, dixit Raphaël ad Tobiam, tolle tecum ex felle piſcis: erit enim neceſſarium: tulit itaque Tobias

ex felle piſcis, & abierunt.

VERS. V.

Anna autem ſedebat ſecus viam quotidie, in ſupercilio montis, vnde reſpicere poterat de longinquo.

VERS. VI.

Et dum ex eodem loco ſpecularetur aduentum eius, vidit à longè, & illicò cognouit venientem filium ſuum, currenſque nuntiauit viro ſuo dicens: Ecce venit filius tuus.

1 *Cur voluerit Raphael, vt Tobias Saram præcederet.*
2 *Cur ſederit Anna filij aduētum expectās.*
3 *Cur quotidiè.*
4 *Cur in ſupercilio montis.*
5 *Cur illicò, viſo filio, è monte deſcenderit.*

VERS. II. 1 D*IXITQVE Angelus.* Pro accelerāda magis expectantium parētum conſolatione, dixit ad Tobiam Azarias. *Tobia frater, tu ſcis quomodo reliquiſti patrem tuum*

Syrus. Arabs. Syrus: *Tu ſcis mentem patris tui.* Arabs: *In quo ſtatu reliquiſti patrem tuum*, hoc eſt intelligis quanta ſit parentum tuorum expectatio, & quomodo de tua ſalute ſolliciti, mœſtiſſimi temporis minuta à die tui diſceſſus numerent.

VERS. III. *Si placet itaque tibi* Quia vxoris moles, & ſarcinarum, celeritatem in gradiendo non patiuntur.

LXX. Syrus. *Præcedamus* LXX. *Præcurramus ante vxorem tuam, & paremus Domum.* Syrus: *præpara domum, & vxor tua te cum quiete ſequatur.* Sic enim decebat ipſam præcurrere, tum vt parentes quam primùm conſolarētur, tum etiam vt domum ſponſæ è familia, & ex domo diuite exactè præpararet, ſimulque honeſtatem ſui ſtatus, & generis, per ea, quæ ſunt ſui ſtatus & generis demonſtraret.

VERS. IV. Syrus. LXX. *Cumque hoc placuiſſet*, auido nimirum Tobiæ animo videndi parentes. Syrus *Et exierunt, & abierunt ambo* LXX. *Et iuerunt, & ſimul venit canis poſt eos.*

VERS. V. *Anna autem, &c.* De filij aduentu ſollicita iugi vndique ſpeculatione circūſpiciebat vias omnes, quod vt meliùs quietiùſque faceret.

In terra ſedere mœrentium eſt. 2 *Sedebat ſecus viam* Et quidem in terra more lugentium. Vt enim qui lætus eſt, geſtiens exultat, tripudiat, quod facit ſtādo; ſic qui ęgro eſt animo quaſi languens, & dolori ſuccumbēs ſedet, & tacet: Vnde in Threnis dicitur: *Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filiæ Sion.* Et *Quomodo ſedet ſola ciuitas.* Hinc Veſpaſianus in Argenteo nummo, quem, capta Hieroſolyma, & domita Iudæa, excudi fecit, Iudęam muliebri habito indutam, ſedentem ad palmæ radices efformari iuſſit cum hac inſcriptione.

Thren. 10. Thren. 1. 1.

Iudæa capta.

3 *Quotidie* Ideſt tam frequenter, vt nullam præteriret diem, in quo ſecus viam, extra domum ſuam non ſederet, expectaretque aduentum filij dilectiſſimi: *Sanè,* vt ait Ambroſius, *quando aliquem deſideramus affore, eò dirigimus oculos, vnde ſperamus eſſe venturum. Sic Dauid Propheta, currente de prælio altero poſt alterum, qui nuntiaret, poſitis in turre exploratoribus, interrogare de ſalute filij pater ſedulus geſtiebat; ſic tenera vxor ætatis de ſpecula litorali indefeſſa expectatione cōiugis præſtolaretur aduentum, & quamcumque nauim viderit, illic putet coniugem nauigare, metuatque, ne videndi cauſa dilecti alius anteuertat, nec ipſa primo poſſit dicere, video te venire.*

Ambroſ. in pſal. 118. qui habitat octon. 11. n. 82. 2. Reg. 18.

4 *In ſupercilio montis.* Vt è longinquo videret gnatum ſuum venientem: è montibus enim meliùs, quàm è planitie remotiora cernuntur; tum quia in eis aër eſt purior, minuſq; vaporibus, & exhalationibus offuſus; tum etiam quia quod eſt propius circumferentiæ, ea, quæ ſunt propè centrum, non ſecus ac locus ipſum locatum, amplectitur, & tanquam vndique prædominans longiùs conſpicit.

5 *Et dum ex eodem loco* In quo nimirū quotidie ſedebat, filij aduentum ſpecularetur, vbi illum vidiſſet à longè venientem, vnà cum fido ſocio, deſcendens, ne tantum gaudij differretur, ocyus cucurrit feſtina nuntiare viro ſuo. VERS. VI.

Arabs: *Vidit de longe, & extemplo cognouit filium ſuum venientem, & præ gaudio ſubſiſtere non valens, ſtatim exiſijt, & cucurrit ad virum ſuum*, & vt habent LXX. *Dixit patri eius: Ecce filius tuus venit, & homo, qui iuit cum eo.* Syrus: *Et dixit Tobit: Ecce filius tuus venit.* Arabs: *Et reuerſa eſt nuntiare viro ſuo dicens: Ecce filius noſter venit.*

Arabs. LXX. Syrus. Arabs.

Quòd futurorum temporalium ſollicitudo, qua mundi amatores mundana quærunt, fugienda ſit, & ea amplexanda, quæ virtutis amatores quærunt cæleſtia.

DOCVMENTVM.

A ANNAE nimius animi mœror, & triſtitia præ nimia de filij reditu ſollicitudine, vndè in varijs diſtracta curis, & quieſcere non poterat, nec vllam admittere conſolationē, quanta ſollicitudine ab ipſa rerum terrenarum ſollicitudine, qua animus noſter nimis circa rerum futurarum euentum occupatur, anxiaturque, cauere debeamus, manifeſtè nos docet: nam ſicut hedera ſuo complexu arborem, cu-

ius fulcimento in altum conſcenderat, adeò conſtringit, vt omnem ab ea virorem auferat & vegetationem; ita nimia rerum terrenarum ſollicitudo animum, quem amplectitur adeò anxium reddit, vt vix extollere ſe queat, vel partem aliquam, vt ait Cicero, *diurna, aut nocturna quietis habere*, illumque à Seria cogitatione rerum ad ſalutem pertinētium omnino abſtrahit. Sic *mens noſtra*, inquit Gregorius, *ad contemplanda interna non perducitur, niſi ab his, qua exteriùs implicant, ſubtrahatur*, nulloque pacto ad viam internæ contemplationis rapitur, niſi ſtudioſè priùs à terrenorum deſideriorum tumultu ſopiatur, quo nihil pernicioſius, cùm bonorum ſpiritualium cognoſci dignitas, vel pulchritudo nequeat, niſi attentè, & crebrò cogitentur, nec æſtimari poſſint quæ nō cognoſcuntur, nec amari, vel quæri, quod nō æſtimatur. Sicut nec peccatorū malignitas, damnaque immenſa cognoſci poſſunt, nec odio haberi, vel ſicut par eſt euitari, niſi attentè conſiderentur. Ex quo diligenter conſideranti non difficilè erit deprehendere, omnes ferè lapſus, & peccata hominum ex defectu conſiderationis prouenire; vt meritò dixerit Philoſophus omnem peccantem eſſe quodammodo ignorantem: Nam omnes, vel ferè omnes, ideò peccant, quòd malitiam peccati, & pœnam ipſi debitam, vel non conſiderent, vel non ſatis conſiderent. Hinc videmus peccatores à ſacris literis vocari fatuos, ſtultos, inſenſatos, cùm tamen optimè peccantes ſciant, quòd peccatum committunt. *Ideò dico vobis*, ait Christus, *ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini: ſcit enim pater veſter cæleſtis quia his omnibus indigetis*. Ex quo vult, nos inferre haud eum aliquando noſtris neceſſitatibus defuturum: quia, vt ait Boetius.

Vnus enim rerum pater eſt,
Vnus cuncta miniſtrat.

Quare ſi mundi opifici Deo, & Patri cæleſti, cura ſumma eſt de ijs, quorum pater eſt, quid tu ergo

Frigidas
Noctes non ſine multis
Inſomnes miſer exigis
Curis?

Futurorum itaque temporalium fugienda ſollicitudo, & virtutis amplexanda, qua virtutis amantes quærunt cæleſtia. Sanè B. Virginem in montana ſollicitè perexiſſe legimus, vt cognatæ, & Ioanni Baptiſtæ benefaceret, & iuſti omnes in ſacris illis quatuor animalibus apud Ezechielem præſignati, *ibant & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris corruſcantis*, quippe qui non terreſtria, ſed cæleſtia diligebant, illi enim ſegniter virtutis opera exercēt, qui amore mundanarum rerum implicati, virtutis non tanguntur amore, quod mirificè in duodecim illis fuit delineatum exploratoribus, ad explorandam terram promiſſionis miſſis, qui reuertentes *venimus*, dixerunt ex eis decem, *in terram, ad quam miſiſti nos, quæ re vera fluit lacte, & melle, vt ex his fructibus cognoſci poteſt, ſed cultores fortiſſimos habet*, qui ſcilicet eam propugnent, *& vrbes grandes, atque munitas, & nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt, ibi vidimus monſtra quædam de genere gyganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur.* Quæ ſanè omnia de virtutis operibus mundani profitentur, à quibus, ſi quid de virtute ſentiant quæras, eam fatentur terram quidem bonam, & fœcundam lacte, & melle deliciarum cæleſtium conſolationum manantem, ſed difficultates, quæ in eius aſſecutione obijciunt ſeſe, gygantes eſſe, contra quos nullæ ſufficiunt vires, ſequè ipſos carne debiles inſtar locuſtarum. At verò alij duo exploratores Calab, & Ioſue, qui, vt ſacra habet lectio, *pleni alio ſpiritu ſecuti ſunt Deum*, dixerunt populo: *Terra quam circuiuimus, valdè bona eſt, ne timeatis populum terræ huius, quia ſicut panem, ita poſſumus eos deuorare, receſſit ab eis omne præſidium.* Quo pacto viri iuſti, amore cæleſtium roborati, omnia licèt difficilia virtutis impedimenta contemnunt; & ſolliciti operantur virtutem.

Cicero pro Cluentio.
Rerum temporalium ſollicitudo à ſpiritualibus auocat.
Greg. lib. 5. moral.
B
Cōſiderationis defectus peccatorum omniū cauſa.
Ariſtoteles.
C
Matth. 6. 25.
Boetius lib. 3. metro. 6.
Horat. 3. carm. Od. 7.
D
Lucæ. 1. 38
Ezech. 1. 14.
Num. 13. 24.
B
F
Num. 14. 24.
Num. 14. 8. 9.

V E R S. VII.

Dixitque Raphaël ad Tobiam: At vbi introieris domum tuam, ſtatim adora Dominum Deum tuū, & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & oſculare eum.

1 *Adorare Dominum quid.*

1 ADORA *Dominum Deum tuum*. Adorare hic, ſicut etiam vbicunque in ſacris literis, ad Deum refertur, vt communis eſt Doctorum obſeruatio, ſemper actum latriæ, ſeu cultum, ac ſeruitutem ſoli Deo debitam ſignificat: cæterum quotieſcunque ad Deum non refertur, actum tantummodò notat reuerentiæ interioris, vel exterioris, qui debetur ſuperioribus, alijſque honore dignis, & præcipuè reuerentiam; quæ fit cum genuflexione, quod Græca vox προσκύνησις, ideſt adoratio à verbo προσκυνέω, congenulo, vel ingenua procumbo apertè indicat. Vndè quandocumque in ſacris biblijs iuxta vulgatam editionē legitur *adorauit*; Hebræus interpres vertit, *incuruatus eſt*, quod vox Hebræa השתחוה, ſe incuruare ſignificat à verbo שחה, aliquando per עבד, quod eſt ſeruire. Ex quo factum eſt, vt ſequuti Hebraiſmum, adorationis actū ſæpè exprimant per verba δουλεύειν, & λατρεύειν, idem quod ſeruire ſignificantia. Quando ta-

men

men vni Deo tribuitur, magis ex vſu, quam ex vi ſua huiuſmodi exteriorem venerationem, quæ ex interiori proficiſcatur ſignificat, & maxime interiorẽ, quo colitur Deus, vt rerum omnium auctor, & Dominus: *Deus enim ſpiritus*, ait Chriſtus apud B. Ioannem, *& eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare*. Vt enim, non ſolum anima, ſeu ſpiritus; ſed etiam corpus hominis à Deo creatum eſt, ita vtrumque debet Deo ſeruire. Illud enim certiſſimum nullas actiones exteriores, nullaſque cæremonias, aut circumſtantias corporales per ſe placere Deo, niſi in quantum proficiſcuntur ex interiori ſpiritus pietate, vel ad eam promouendam faciunt, qua ratione fiunt illæ ſpirituales in cauſa, ſeu radice, & cenſetur adoratio ſpiritualis, Deoq. conueniens; qua adoratione præmonet hic Angelus Tobiam, vt domum reuerſus primum omnium Deum veneraretur. Vetus enim mos ſemper fuit, etiam apud genus, vt aliquam vrbem ingreſſi, vel ipſi principes recta primũ templum adirent. ſic Paratus Panegyriſta: *magnas*, inquit, *vrbes ingreſſi, primum ſacras ædes, & dicata ſummo numini delubra viſimus, tum fora, atque gymnaſia*. Et in ſua regula S. Benedictus. *Suſcepti*, ait, *hoſpites, ad orationem ducantur*.

Deus maxime adorandus ſpiritu. *Io. 4. 24.*

Et gratias age. Adora nimirum, gratias agendo pro incolumi tuo per totam viam progreſſu, & proſpero regreſſu ad paternas ædes.

Et oſculare eum: Secundum patriæ morẽ.

Quòd à peregrinatione et itinere quandocunque domum reuerſi, primum omnium Deum adoraturi, templum ingredi debeamus.

DOCVMENTVM.

A

SALVTARE illud, & commendabile documentum præbet nobis hic Angelus, vt à peregrinatione, & via longinqua domum ad amicos, & cognatos reuerſi primum omnium Deum adoremus, gratias ei perſoluentes pro accepto beneficio protectionis, quo per totam viam incolumes nos ſeruauit, domumq. ſoſpites reuerti fecit. Cuius etiam rei exemplum, & Chriſtus Dominus præbuit, qui ſemper aliunde Ieroſolymam veniens, templum ingredi conſueuerat, vt, ſicuti Euangeliſtæ commemorant, Deo patri gratias ageret. Antequam igitur ea, quæ in itinere conſpeximus, enarremus, vel negotia, quæ pertractauimus, referamus, ſecundum illud Chriſti verbum in Euangelio; primum Dei regnum, & iuſtitiam eius quærere debemus; nam, *qui*, ait idem Chriſtus, *amat patrem ſuum, aut matrem ſuam plus quam me, non eſt me dignus*. Siquidem Deus ipſe ſua paternitate, & dominatione præcedat carnales parentes, quoniam ipſe verus ſit pater, & Dominus, qui nos creauit, ſuſtentat, & gubernat: in cuius etiam manu noſtra eſt vita, & mors: Sic ipſe etiam Dominus alibi medius inter doctores in templo poſitus, parentes ſuos alloquens. *neſciebatis*, inquit, *quia in ijs, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?*

Matt. 21. 12. Marc. 12. 13. Luca 19. 21. Matth. 6. 33. Matt. 10. 37. B *Luca 2. 49.*

VERS. VIII.

Statimque lini ſuper oculos eius ex felle iſto piſcis, quod portas tecum; Scias enim, quoniam mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cæli, & in aſpectu tuo gaudebit.

1 *Linire quid.*
2 *Fel an naturaliter aperuerit oculos Tobiæ.*
3 *Quomodo fuerit applicandum pro medicamento.*

STATIM, peracta nimirum Dei adoratione, & gratiarum actione: & poſt amicum oſculum patri datum.

1 *Lini*. Hoc eſt manu tua vnge, vel frica tenuiter *fel*, quod tecum aſportare feci ſuper oculos patris tui. LXX. *Tu vnge fel in oculos eius, & eroſus deterget, & abyciet albugines, & videbit te*. Arabs: *Et Lini oculos eius felle, quod habes ex piſce*.

LXX. Arabs.

Scias enim, quoniam mox. Hoc eſt poſt horæ fere dimidiæ ſpatium, vt inferius docent LXX.

Inf. hoc eod. c. v. 14. LXX.

2 *Aperientur oculi eius*. LXX: *Scio ego, quia aperiet oculos pater tuus*. Et quidem, vt ego exiſtimo, & ex infra dicendis, non obſcure apparebit, naturali virtute fellis, quod multum valere ad albugines oculorum ſanandas paſſim medici cum Galeno docent, qui libro de medicamentis inter cætera fel viperæ laudat, & alibi fel Callyonini piſcis, cuius hoc Tobiæ fuiſſe multos male eſſe arbitratos ſupra docui. Hoc tempore nonnulli familiariter vtuntur felle perdicis, & gallinæ, quæ etiam eiuſdem Galeni teſtimonio ad medicinæ vſum cæteris habentur probatiora: licet alijs maxime probetur fel Lucij piſcis, cum ſucco feniculi, & melle deſpumato, ſed hæc medicis relinquamus,

Inf. hoc eod. c. v. 15. Fel prodeſt oculorum morbis. *Gal. n. 4. de medicam. l. 5. Alibi de ſimpl. medicam. facul. c. 14. Sup. c. 6. v. Galen 4. de medicam. vbi ſup.*

3 At quomodo eo vti Tobias deberet al-

Syrus.

albugines ab oculis patris tollendas, Syrus hic pluribus docet. *Sume*, inquiens, *illud fel piſcis manu tua, & quando appropinquaueris ad faciem patris tui, & accedere feceris oculos eius ad te, & dum illi aperti ſunt exprime hoc fel in oculis eius, & dolebit ei, & cum doluerit ei, emundabitur illa albugo ab oculis eius, & videbit lumen pater tuus.*

Gal. li. de ſimpl. med. c. de Oximel.

Et quidem cum dolore, qui, teſte Galeno, vix reperitur medicamentum, quod citra aliquam noxam magnopere proſit, eſt enim fel igneum, calidum, & ſiccum, & conſequenter exſiccatiuum, corrodens, ac mordens.

Hipp. lib. de nat. mul. nu. 29. 90. 105.

Ex quo Hippocrates illo vtebatur ad menſtruas purgationes in mulieribus educendas, & ad fœcunditatem.

Quòd miracula haud requirenda à Deo ſint, vbi naturæ adiumenta haberi poſſunt.

DOCVMENTVM.

A QVAMVIS potuiſſet Angelus propria virtute abſq; naturali illo medicamento albuginẽ ab oculis Tobiæ tollere, eoſque miraculoſe illuminare: voluit tamen ad gloriam Creatoris, creaturæ vires oſtendere, ſimulq. nos edocere, ſupernaturalia haud quærenda eſſe miracula, vbi naturalia haberi poſſunt medicamenta; nam implicite, vt aiunt, tentat Deum, nec ſatis reuerenter cum illo ſe habet, qui ſine iuſta cauſa extraordinariam ab illo expectat, ſeu depoſcit opem, vt faceret, qui eſuriens, quaſi per Angelorum manus vellet cibum obtinere, dum labore manuum ſuarũ victum ſibi cõparare poſſet; Eſt enim à Deo homini dictũ *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Qui occaſiones peccati vitare valẽs, nõ vitat; ſed miraculoſe liberari depoſceret à Deo ſe: qui finem vellet, & media contẽneret ad finem illum aſſequẽdum neceſſaria, vt ſunt ſtudium ad aſſequendã ſcientiam, medicina ad aſſequendã ſanitatem. Cui tamen iuſta ſuppetit cauſa à Deo ſupernaturalis auxilij, vel poſcendi, vel expectandi, haud proprie Deum tentare dici poteſt. Sic Abraham petijt à Deo ſignum, vnde ſcire poſſet ſemen ſuum poſſeſſurum terram Chanaam, quam illi promittebat, & Gedeon petijt bis ſignum in area, & vellere, vnde magis cognoſceret, an re vera per ipſos vellet Deus populum, ſicut præmonuerat, liberare, ſicut enim Apoſtolis dicere licuit: *Domine, adauge nobis fidem*; ſic & Abraham, & Gedeoni, alijſque pluribus licuit à Domino eiuſdem fidei, aliarumque virtutum augmentum, etiam in aliquo ſigno depoſcere, Ad quod facit hiſtoria quam Paulus Diaconus apud Surium ex Caroli magni ore his verbis narrat. *S. Arnulphus, cum pœnitentiam pro aliquibus exceſſibus ageret, contigit, vt per Moſellæ fluminis pontem tranſiret, cumque ſubterfluentium aquarum profundos, nec viſu penetrabiles gurgites cerneret, non dubiam ſpei fiduciam mente gerens, extractum digito anulum in illam aquarum profunditatẽ proiecit. Tunc inquiens me putabo culparum nexibus abſolutum, quando iſtum, quem proijcio, anulum recepero. Poſt aliquot vero annos, cum ad Epiſcopatus aſcendiſſet officiũ, ei die quadam piſcator quidam piſcem attulit, quem ille ſibi, quia carnibus abſtinebat, ad refectionem veſpertinam iuſſit præparari. Cumque eius miniſter officij, more ſolito eum exenteraſſet, eundem anulum intra ipſius piſcis inteſtinum reperit. Ille factum admirans; ſed rem neſciens B. Arnulpho detulit, quem ille, vt vidit, ſtatim recognouit, ac Deo omnipotẽti iam de remiſſione peccatorum fidus, gratias detulit, ac deinceps, non remiſſius vitam duxit, ſed maiori ſe potius abſtinentia coarctauit. Nec diſſimiliter pater hic venerabilis, quam olim Gedeon ille, ſignum à Domino popoſcit: ille enim indicium per vellus in area poſitũ capere voluit, vtrũ in bello victoriam de inimicis habere potuiſſet; iſte anulum in profundiſſimum fluminis gurgitem proijciens experiri cupit, vtrum de inimicis iam victoriam cepiſſet, fortes enim erant, quos ille deuicerat; ſed quos iſte ſuperauerat, fortiores.* Hæc ille.

Deũ tentat, qui à Deo miracula requirit abſq; neceſſitate.

Gen. 3. 19.

B

Supernaturalia ſigna à Deo poſcere & expectare cum cauſa poſſumus.

Gen. 22. 7.

Iudit. 6. 37.

Luca 17. 5

C

Paul. Diac apud Sur. to. 4. in vit. S. Arnulphi.

D

E

VERS IX.

Tunc præcucurrit canis, qui ſimul venerat in via, & quaſi nuntius aduentus, blandimento ſuæ caudæ gaudebat.

1 *Quid canis myſticè ex Beda.*
2 *Quot dies in itinere fuerit Tobias.*

TVNC. Dum nimirum Angelus Tobiam edocebat quid ei eſſet faciendum, cum primum domum ſuã intraret, in adorando Deo, & curando patre. *Canis.* Qui cum illo fuerat, præcurrens, domumque conſcendens, quaſi nuntium Seniori Tobiæ, & Annæ ſe præbuit, ipſorum filij regreſſum ſignificans.

1 *Blandimento ſuæ caudæ*, vt eiuſmodi animalium mos eſt. Arabs. *Tunc præceſſit canis, qui iter faciebat cum eo in via, & veluti nuntius veniens annuntiabat, mouebat caudam ſuam lætabundus cum gaudio.* De cane plura diximus ſupra. *Non eſt*, inquit

Arabs.

Sup. c. 6. v. 1.

Beda in hūc locū Tobiæ. Canis Tobiæ quid miſticè ſignificet.

Beda, *contemnenda figura canis huius, quia viator, & comes angeli eſt: Doctores enim exprimit Eccleſiæ, qui confligendo cum hæreticis, lupos graues à paſtoris ſummi fugant ouili, & pulchre dixit*, quaſi nuntius aduenniens, *quia nimirum doctor quiſpiam fidelis nun ineſt veritatis, pulchre* blandimento ſuæ caudæ gaudebat. *Cauda quippe quaſi finis eſt corporis, finem bonæ operationis, ideſt perfectionem, vel certe mercedem, quæ ſine fine tribuitur inſinuat*. Hæc ille.

Serar. hic.

2 Sex hebdomadas in itinere Tobiā fuiſſe conijcit hic Serarius, & quidem ex eo, quod ex cap. 8. verſ. 23. & cap. 9. verſic. 5. ſatis liqueat ab illo conſumptos fuiſſe dies quatuordecim Ecbatanis. Illinc vero vſque Charan dies vndecim ex cap. ij. verſ. I. Ex Charan vero vſque Niniuem dies tres, quot fere eundo dies conſumpſiſſe videtur: nam licet ad parentum curam leuandam magna in reditu celeritate ſit vſus; ob coniugem tamen, pecora, & alia impedimemta, quando peruenit Charan, minus celeriter quam volebat progrediebatur, & vero etiam minus quam dum Ecbatana tenderet.

VERS. X.

Et conſurgens cæcus pater eius cœpit offendens pedibus currere, & data manu puero, occurrit filio ſuo.

VERS. XI.

Et ſuſcipiens oſculatus eſt eum, & cœperunt ambo flere præ gaudio.

1 *Quomodo Tobias, & Anna filio aduentanti occurrerint.*
2 *Lætitia ipſorū cur pluribus nō explicata.*
3 *Inopinata lætitia periculoſa.*

Arabs. *LXX.* *Vatablus.* *Syrus.*

1 ET *conſurgens*. Arabs: *Et Surrexit cæcus genitor, & cœpit currere*, ſe ipſum præ lætitia continere nō valens; præcucurrerat enim Anna, & iam filiū erat complexata. Ita LXX. *Occurrens mater irruit ſuper collum filij, & dixit ei: vidi te, fili, ex nūc moriar.* vel vt legit Vatabli noua tranſlatio: *Dehinc emori contenta ſum*. Ita etiam Syrus: *Et conuerſa*, nimirum Anna poſtquam coniugem de filij reditu præmonuiſſet, *exiuit in occurſum filij ſui, & complexata eſt, & cecidit ſuper collum eius, & dicebat: quia video, te, fili mi, non tædet me, ſi moriar.*

Gen. 46. 30.

Simili modo Iacob, vt eſt in Geneſi, viſo filio ſuo Ioſeph, quem crediderat eſſe mortuum, exclamauit: *iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et ſuperſtitem te relinquo.*

Cœpit offendens pedibus currere. moræ impatiens, at ne caderet, occurrenti puero.

Arabs.

Data manu. Arabs: *extenditq. manum ſuam puero, vt traheret eum*. tanta nihilominus cum feſtinatione.

Arabs. *LXX.* *Syrus.*

Occurrit filio ſuo. Arabs: *Exiuit occurrere filio ſuo*. (nimirum ad Ianuam domus, cum vocem ipſius aduentantis audiſſet) vt offendens pedibus ceciderit. LXX. *Et Tobit exibat ad ianuā, & prolapſus eſt*. Syrus. *Et venit*, nimirum Tobias, *ad Tobiā patrem ſuum, & ipſe ſtabat ad ianuam, & cum audiuiſſet vocem filij ſui, voluerat occurrere ei, & offendit, ceciditq.*

VERS. XI. *LXX.* *Syrus.*

Et ſuſcipiens. Pater nimirum filium, poſtquam à terra ab eodem ſubleuatus eſt: Ita LXX. *filius autem eius occurrens ei, & apprehendit patrem ſuum*. Syrus. *Et cucurrit Tobias, tenuit, & erexit Tobit patrem ſuum, qui etiam, & cum ſurgeret, aſpiciebant oculi eius ſurſum, quærebat oſculari ipſummet filium, & ambo oculi eius aperti erant.*

Arabs.

Oſculatus eſt eum cum vxore ſua, Arabs: *ipſe, & vxor eius.*

Homerus. *Saluſtius.* *Horatius.*

1 *Et cœperunt flere*. Is fletus parentum Tobiæ ex ipſorum cum filio congreſſu exortus ſatis quantum eorumdem eſſet internum gaudium indicat; nec pluribus ſacra hiſtoria illud explicat, quia melius cogitari poteſt, quam exprimi. Sic Telemachi, & Vlyſſis patris congreſſum dum caneret Homerus, vtrumque alternm præ gaudio ſe inuicem complexum fuiſſe narrat, cætera ſilentio obuoluens: nam in multis, vt Saluſtius docet, ſatius eſt ſilere, quam parum dicere: eſt enim ineffabile gaudium, quod inter amicos oriri ſolet, cum inter ſeſe poſt longum temporis interuallum congrediuntur. Quare Horatium congreſſum referens inter Plotium Varium, & Virg. chariſſimos amicos apud Sinueſſam habitum; nihil aliud dicit, niſi:

O qui complexus, ò gaudia quanta fuerūt

Apud Titum Liuium. Lætitia nimia mortem vndoque affert. *Aul. Gell. 3. noct. Attic.* *Metaphraſt. apud Surium n vit. S. Spiridionis.* *Plutarch. in problemato.*

3 Cæterum quis neſciat inopinatum illud, & inſperatum gaudium, quod ex amicorum occurſu recipimus, nonnunquam æque homini peſtiferum eſſe ſolere, atque triſtitiam? Extant huius rei exempla in Romanorum Annalibus: vt de muliere illa, quæ filium ſanum, & incolumem conſpicata, de cuius morte, qua tempeſtate apud Cannas exercitus populi Romani cæſus fuerat, nuntium acceperat, ſtatim copia inopinati gaudij oppreſſa exanimata eſt. Ferunt etiam alteram in ipſa porta, ſoſpite filio repente oblato, in conſpectu eius expiraſſe. Nec deſunt huius rei ſacra etiam exempla. Refert Metaphraſtes, matrē quandam obijſſe, licet iterum diuina virtute reuixerit, quòd filium ſuum iam mortuum precibus Sancti Spiridionis ad vitam reuocatum eſſet conſpicata. Ex quo factum eſt, vt Romani, teſte Plutarcho, redeuntes ad propria, ne tali inopinato gaudio vxores, & filij opprime-

rentur, nuntios præmitterent, qui ſuum ipſorum regreſſum conſanguineis referrent: quòd ſcirent, mortalem non tam eſſe doloris exuberantiam, quàm inopinati gaudij immoderationem.

VERS. XII.

Cumque adoraſſent Deum, & gratias egiſſent, conſederunt.

VERS. XIII.

Tunc ſumens Tobias de felle piſcis, liniuit oculos patris ſui.

VERS. XIV.

Et ſuſtinuit quaſi dimidiam ferè horã, & cœpit albugo ex oculis eius, quaſi membrana oui egredi.

VERS. XV.

Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, ſtatimq. viſũ recepit.

1 *Modus curationis Tobiæ quis fuerit, ex varijs interpretationibus.*

2 *Conualuerit ne ex naturali fellis virtute, an miraculosè.*

3 *Miraculum, & mirum, ſeu mirabile, quid propriè.*

VERS.XII CVMQVE *adoraſſent Deum*. Iuxta præceptum Angeli, de quo ſupra, domum nimirum ſuam ingreſſus.

Sup.hoc eod. c.v.7. 1 *Conſederunt*. Quod iam parentes in ipſo domus limine exoſculatus eſſet: docuerat enim illum Angelus, vt ingrediens domum ſuam, ſtatim Deum adoraret, referretq. deinde gratias eidem pro incolumi ſuo progreſſu, regreſſuque ad propria. Demum parentes oſcularetur. At in ipſa domus ianua à parentibus præuẽtus præſcriptum hunc ordinem ſeruare minimè potuit: ita peracta adoratione Dei, & gratiarum actione, *conſederunt*, ipſe nimirũ Tobias, & parentes eius, ad conferendnm de peractis in via, & negotij expeditione.

XIII. *Tunc*. Statim ac vna ſediſſent, vt præceptum impleret Angeli, ad curandam patris cæcitatem ante omnia.

LXX. *Sumens Tobias de felle piſcis, liniuit oculos patris ſui*. LXX. *Et inſperſit fel ſuper oculos patris ſui, dicens*: Confide *pater*. Syrus. Syrus: *Et expreſſit fel Tobia in oculis Tobit patris ſui, & clauſit oculos ſuos, & ait: Quid feciſti mihi, fili mi? & ait Tobia; Confide pater mi, & ſuffer, medicamen hoc eſt*.

XIV. *Et ſuſtinuit quaſi dimidiam ferè horam*.

LXX. LXX. *Vt autem eroſi ſunt, detriuit oculos ſuos, & diſquãmata ſunt ab angulis oculorũ eius albugines*. Vatablus: *Cumq. oculi compungi ſibi cœpiſſent, confricauit eos, donec ab hirquis albugines*, ſiue oculorum maculę, *inſtar ſpumarum, & membranarum oui receſſerunt*. Vatablus. Syrus. *Et dum tenebat, emũdauit illud medicamentũ albugines*. Syrus. Arabs. *Et ſuſtinuit menſuram dimidiæ horæ, & cœpit exire ex oculis eius cortex tenuis, veluti ea, quæ eſt in ouo*. Arabs.

Quam apprehendens Tobias. manu ſua, traxit ab oculis eius.

2 *Statimq. viſum recepit*. LXX. *Et videns filium ſuum procidit ſuper collum eius, & plorauit*. LXX. Syrus. *Et vidit Tobit lumen*. Syrus. Arabs. *Et ſubito Tobias vidit*. Arabs. Et quidem poſtquam dimidiam ferè horam acrimoniam collyrij ſuſtinuiſſet, eductis naturali fellis vi albuginibus, quod ſatis apparet ex Græco, & Syro, qui vim illius corroſiuam fuiſſe, vt vidimus, exprimunt, & ex noſtro etiam interprete, qui non momento, vt fieri conſueuere miracula, curationem hanc contigiſſe docet: ſed intra horæ ferè dimidiæ ſpatium liquet etiam ex modo, quo Angelus fel applicari voluit haud diſſimili ei, quo chirurgi in morborum curationibus vtuntur. Demum ex ipſa fellis virtute, quam miram eſſe ad albuginis, ſeu maculas oculotum tollendas, ſuperius oſtendi. Sup.hoc eod. c.v.7.

3 Aduertas tamen, me non accipere hoc loco miraculũ, pro quouis mirando effectu, vt capiũt profani ſcriptores; ſed ſtrictius eũ Theologis pro eo, quod Græcè τέρας, effectu tantum producto præter, & ſupra naturę creatæ vires, vt eſt cœco nato viſum reddere, mortuos ſuſcitare. Etenim quandocũq; reſpondet effectus viribus creaturæ, vt ciere pluuias, & ventos, à febri ſanare, & ſimilia, non ſimpliciter miraculum vocant; ſed eum addito, miraculũ *ſecundum quid*, ſeu reſpectu noſtri, vel mirum, aut mirabile. Quæ etiã mira diuidunt in abſolutè mira, quæ ſimpliciter, & ſecundum ſe digna forent admiratione, etiam ſi cauſas, & modum ſciremus, quibus fiunt, & mira *ſecundum* quid, ſeu reſpectu noſtri, qui ea admiramur, quia cauſas neſcimus, nõ vbiq; admiraturi, ſi cauſas cognoſceremus. De qua re videndus S. Thomas: nã hoc pacto, ſecundum quid ſupernaturalẽ, & miraculoſam dixerim fuiſſe oſtenſionem virtutis fellis, & ipſam curationem. Miraculum quid ſit. Mirum, ſeu mirabile. S.Tho.1.p.q. 110.ar.4. ad 2.

Quandiu verò cæcus fuerit Tobias, dicemus infra. inf.c.14.v.3.

Quòd fel tentationum oculis mentis ſuppoſitum lumen propriæ cognitionis efficiat.

DOCVMENTVM.

OStendimus ſupra felle iſto, quo Tobiæ oculi ſunt illuminati, myſticè tentationes figuratas fuiſſe, quibus mẽtis oculos A Sup.c.6. v.9.

Iſa.28.19 illuminari Iſaias non obſcurè docuit,dũ ait: *Vexatio dat intellectum.* Et quidem non rerum cæleſtium,aut terreſtrium, aut eorum, *Tribulationes Propriã cognitionẽ pariunt.* quæ extra hominem ſunt;ſed intellectũ,quo homo ſe ipſum cognoſcere,ſuamq.videre miſeriam,& paupertatem queat; qualem ſe aſſecutum fuiſſe Ieremias docet, dum ait: *Thren.3.1* *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.* vbi obſeruare licet,non ſimpliciter prophetam dixiſſe: ego vir pauper, quia omnes filij Iſrael,qui tunc erant in captiuitate,pauperes erant; ſed *ego vir videns paupertatem meam,*quod ſanè paucorũ eſt, ac ſapientium tantum;ſed vnde tam grande lumen habuerit explicans, ſubdit: *in virga indignationis eius:* ex felle ſcilicet amariſſimo flagellorum Domini. B Etenim cum nullis flagellis à Deo homo percutitur,nullisq. impetitur tentationibus,in pace degit, nec vlli ſuccumbit vitio,& quia à nullo laceſſitur,talem ſe eſſe credit,qualem experitur; cũ tamen non ex pace,& otio; ſed ex bellorum conflictu,& victoria vires ſuas iudicare debuiſſet: *Greg.13.moral.c.16.* *Sæpè enim anima,*ait Gregorius,*alicuius boni ſibi conſcia, cum virtutes ſuas ſibi ad memoriam reuocat, quadam delectatione paſcitur, & quaſi gratulatione propria pulchritudinis impinguatur. Idcirco bene dicitur,* *Iob 33.23* *apud Iob, quod tentatione pulſante, marceſcunt oſſa, quia dum propria infirmitas,tentatione interrogante cognoſcitur, omnis illa noſtrarum virium,veluti pinguiſſima, viridisque gratulatio ſubito anxietatis mœrore* C *ſiccatur;& qui nos alicuius eſſe momenti, bona noſtra penſando,credidimus, pulſati paulo amplius,perituros nos iam,iamque formidamus. Sic Salomon:* *Eccli.27.6* *Vaſa,*inquit,*figuli probat fornax,& homines iuſtos tentatio tribulationis.* nam dum Soli,ſuauiq. auræ tantum exponimur,omnibus nobis arridentibus,valde patiẽtes videmur,& eſſe etiam putamus; ſed quando futile noſtrum vas fornaci tentationis imponitur, tunc quid ſit in rei veritate apparet,tunc teſta noſtra diſſilit, dũq. in verba impotentis animi crepitu erumpitur, quam ſit fragile in ſua infirmitate cognoſcitur. Hoc myſticè in B. Petro, in carcere poſito, & catenis vincto, fuit figuratũ, qui in ipſa nocte,qua eum producturus erat *Act.12.4.* Herodes, eum dormiret, percuſſus in latere ab Angelo excitatus eſt, & à carcere eductus. Sic inquam,dum multoties homo in D nocte ignorantiæ ſui ipſius dormit. à Dei nuntia tribulatione in corde percuſſus, excitatus ſurgit, & de carcere peccatorum egreditur, ſuamq. ignorantiam deteſtatur.

VERS. XVI.

Et glorificabant Deum, ipſe videlicet, & vxor eius, & omnes qui ſciebant eum.

VERS. XVII.

Dicebat Tobias: Benedico te Domine Deus Iſrael, quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me, & ecce ego video Tobiam filium meum.

1 *Glorificare Deum quid.*
2 *Culpa leuis grauiſſimè aliquãdo punita.*

1 ET *glorificabant.* laudantes omnes, qui Tobiam nouerant, diuinam miſericordiam, & ipſa eius coniux, quæ olim in rebus aduerſis parum rectè ipſi Tobiæ, minuſque de Deo religioſè loquuta fuerat. VERS. XVI.

Glorificabant, quidem Deum,hoc eſt,eius diuinam gloriam, & claritatem præconizabant, ſeu laudatum,honoratum, magnificatum,& plenum gloria omnes publicè, & palam profitebãtur.Præterea,vt docet Ambroſius,glorificare idem eſt, quod clarificare, *Amb. 1. Cor. 6.* quare exponens locum B. Pauli 1. Corint.6. *Clarificare,& portare Deum in corpore debemus, vt ſecundum legem eius ambulemus: per legem enim ſuam ipſe videtur in nobis. Portare tamen Deum eſt imaginem Dei in rebus bene geſtis oſtendere.* Hæc ille:quæ eadem ferè verba repetendo Anſelmus ait: *Anſel.1.Cor.6.* *Glorificare Deum eſt imaginem eius in rebus bene geſtis oſtendere.* Illud tamen intereſt inter claritatem, & gloriam, quòd ſicut Seneca docet,gloria multorum indicijs con- *Senec li.3.ep.* ſtat,claritas bonorum.

LXX. *Et dixit Tobit: Benedictus es Deus, & benedictum nomen tuum in ſecula,& benedicti omnes Angeli tui,quoniam flagellaſti, & miſertus es mei.* XVII. LXX. Syrus. *Benedictus* *Syrus.* *Deus,& ego vidi filiũ meũ,& laudabile nomen Domini,qui fecit mirabilia.* Arabs. *Glo-* *Arabs.* *rifico te Deus Iſrael.* Gratias nimirũ quã poſſũ maximas tibi pro tãto beneficio reddẽdo

2 *Caſtigaſti me.* Hoc eſt,ſicut inferius ip- *Inf c.3.* ſemet Tobias docebit,mihi mearum culparũ pœnas demeritas tribuiſti: nam licet hanc cæcitatẽ illi permiſerit Deus,vt poſteris daretur exẽplum patiẽtiæ,vt ſup.vidimus,ipſe *Sup.c.2.v.18* tamen humillimus illã meritũ ſuæ culpę exiſtimabat ſuppliciũ.Et certè nõ rarò legimus, Dominum aliquos iuſtos,& amicos ſuos in hac vita ſatis acerbè ob leuiſſimam culpam puniuiſſe. Moyſem noluit terram promiſſio- *Num.20.12.* nis intrare,quòd aquas contradictionis è petra educturus,aliquantulũ de futuro miracu- *Abulenſis n.20.q.5.* lo hæſitaſſet,in quo venialiter tantũ peccaſſe,grauiſſimorum doctorũ ſententia confirmat. Morte etiam Propheta quidam Dei punitus eſt, & à leone diſcerpi à Deo permiſ- *3.Reg.13.* ſus, quòd miſſus ad Ieroboam, à falſo quodã propheta illuſus,cõtra Dei iuſſum in via *Abulen. vbi ſup q.31.* comederit,leuiterq.peccauerit.Cõmemorat

Caſſian. coll. 7.c.25.27. etiā ad hoc duo memorabilia exēpla Caſſianus. Abbatis Pauli vnum, qui ob indiſcretū zelum paralyſi percuſſus eſt. Abbatis Moyſis alterum, qui ob duram reſponſionem, qua Macharium contriſtauit, diriſsimo dæmoni traditus eſt. Quod facit, ni fallor, aliquando Deus tum, vt quanto żelo animarum ſanctarum cuſtodiat puritatem oſtēdat, tum etiam vt his acerbiſsimis punitionibus ad vltionem leuium peccatorum inflictis, non adeo leuem, vt aliqui putant, purgationis pœnam eſſe declaret.

VERS. XVIII.

Ingreſſa eſt etiam poſt ſeptem dies Sara vxor eius, & omnis familia, & pecora ſana, & cameli, & pecunia múlta vxoris, ſed & illa pecunia, quam receperat à Gabelo.

VERS. XIX.

Et narrauit parentibus ſuis omnia beneficia Dei, quæ feciſſet circa eum per hominem, qui eum duxerat.

1 *Tobias ſenior illuminatus obuius factus eſt Saræ vna cum Anna coniuge.*

VERS. XVIII. INGRESSA *eſt.* Vt omnia ſuſcepti à Tobia itineris acta felici, ac læto clauderentur exitu, poſtremum *Poſt ſeptem dies.* regreſſionis, ac reditus Tobiæ in domum paternam.

1 *Sara.* vxor filij eius, quæ ſuadente Angelo Domini lento fuerat gradu ſubſequuta cum tota familia, copioſa pecunia, &c. peruenit ſana, & incolumis in domum ſoceri ſui, quem etiam non amplius cæcum, ſed à Deo mirabiliter illuminatum, vt habent

LXX. LXX. obuium ad portam Niniuis, gaudentem, & benedicentem Dominum habuit. Sic illi: *Et exiuit Tobit obuius nurui ſuæ gaudens, & benedicens Deum ad portam Niniue, & mirabantur ſpectantes eum euntem, quia vidit. Et Tobit confitebatur coram eo, quia miſertus eſt ipſorum Deus. Et, vt appropinquauit Tobit nurui ſuæ, benedixit eam, dicens: Venias Sara filia mea: Benedictus Deus, qui adduxit te ad nos, & pater tuus, & mater tua ſint nimium benedicti, et factum eſt gaudium omnibus, qui in Niniue, fratribus eius.*

Vatablus. Vatablus in ſua noua ex Græco verſione *Tobias ergo*, inquit, *obuiam nurui ſuæ Deo gratulatus ad portam Niniues egreſſus eſt, mirantibus qui viderant ipſum euntem, quòd viſum recepiſſet. Ipſe verò palam teſtabatur omnibus, Deum ſui miſertum eſſe. Cumq. nurui ſuæ appropinquaſſet, ſalutauit eam bis verbis: ſaluus ſit aduentus tuus, ò filia, Deum primum gratulor, qui te perduxit ad nos, tū etiam tuis parētibus.* Annam quoq; coniugē cum Tobia fuiſſe obuiam Saræ, addit Hebræus, dicens; *Egreſſi* Hebræus. *Tobias, & Anna vxor eius in occurſum Saræ filiæ Raguelis nurus ſuæ, lætati ſunt cū ea gaudio magno*, &c. qui omnes, cum domū perueniſſent, Tobias narrare cœpit parentibus beneficia, quæ in ſuo itinere à Deo receperat. Narrauerat enim Tobias Tobiæ patri, omnia, quæ ſibi contigerunt: ita Syrus: *Et* Syrus. *reuelauit Tobias patri ſuo, quòd optima facta ſit via ſua, & quòd attulerat argentum, & quod aſſumpſerit vxorem ſuā filiam Raguelis, & dixerunt, dum hæc fortè narraret parentibus: ecce proxima eſt ad portam mœnium, & egreſſi ſunt Tobit, & vxor eius obuiam ei omnes, & gauiſi ſunt vicini eorum, & omnes qui ibant cum eis, & admirabātur Tobit, qui ibat ſanus, & nemo tenebat eum manu, & voce magna laudabat Tobit Dominum Deum, qui aperuit ſibi oculos ſuos, & cum acceſsiſſet Tobit ad Saram nurum ſuā, ait illi; veniſti cum pace, filia mea: benedictus pater tuus, & benedicta mater tua, & ille, qui attulit te ad me, & benedictus filius meus Tobias, et benedicta tu filia mea, et gaudium magnum factum eſt Iudæis omnibus, qui habitant in Niniue.*

Et narrauit. Narrauerat, vt vidimus ex Syro, quæ ſibi à Deo beneficia contigerunt: XIX.
narrat modò qualiter ea omnia Angeli beneficio acceperat à Deo.

Per hominem. Nam vt alibi ſæpe diximus, cum homo appareret, hominem illum exiſtimabat.

Quòd peracto itinere Dei beneficia in eo ſuſcepta omnibus prædicanda ſint.

DOCVMENTVM.

DOCET hic ſuo exemplo, vt obſeruat Serarius, Tobias quæ, peracto itinere, domeſticis ſint enarrāda; ſunt enim nonnulli, qui poſt peregrinationē aliquā, vbi domum redierint, nihil niſi mala, vel certè vana, quæ acciderint, & viderint, immo etiam interdum falſa narrare norunt. Narrat ille Dei beneficia, perinde ac Sancti Paulus, & Barnabas, qui cum Antiochiam perueniſſent, Eccleſiamque congregaſſent, retulerunt quanta feciſſet Deus cum illis, & quia *aperuiſſet Gentibus oſtium fidei.* Et ijdem Phœnicem, & Samariam pertranſeuntes: narrabant conuerſionem gentium, & faciebant

A Serar. hic. Act. 14.

gaudium magnum omnibus fratribus. Et
Act. 21. 19 B Beatus Paulus Ieroſolymis: *narrabat per ſingula, quæ Deus feciſſet in gentibus per miniſterium ipſius*. Sed quid huiuſmodi narrationes efficiant ſacra hiſtoria ibidem declarat, dicens: *illi cum audiſſent magni-*
Inf. c. 22. v. 20. *ficabant Deum*. Verum de hac re infra.

VERS. XX.

Veneruntque Achior, & Nabath conſobrini Tobiæ gaudentes ad Tobiam, & gratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum oſtenderat Deus.

VERS. XXI.

Et ſeptem dies epulãtes omnes cum gaudio magno gauiſi ſunt.

3 *Conſobrini Tobiæ, qui.*
2 *Congratulandum amicis in proſperis, & condolendum eiſdem in aduerſis.*
3 *Repotitia, cur fieri ſolita.*
4 *Gaudium conuiuantium cum canticis.*

VERS. XX LXX. VENERVNTQVE. LXX. *Et aduenerunt Achiacharus, & Nasbas filius fratris eius.*
Græcus. *Græcus*, παρεγένετο Ἀχιάχαρος, καὶ Νασβὰς ὁ ἐξάδελφος αὐτοῦ, *ideſt, adfuit Achiacharus, & Nasbas patruelis eius*, ſcilicet Tobiæ. Ideo-
Serarius. que, vt docet Serarius, conſobrinorum, in
Congaudendum gaudẽtibus, ſicut condolendũ dolentibus. Latino, vocabulum pro patruelibus accipiendum. ſæpè ſiquidem ita fieri ſolet, ſicut neque ſemper à cognatis diſtinguuntur agnati.
Syrus. Syrus: *Aduenerunt illuc Axixor, & Lebian filius ſororis eius cum eo ad Tobit.*
Arabs. Arabs: *Et venerunt Achior, & Nabat conſanguinei Tobiæ ad eum, & gauiſi ſunt cum eo de omnibus bonis, quæ reuelauit Deus cauſa illius.*

2 Habent enim Sancti omnes, vt docet
Ruper. Abb. li. 4 in Cant. Rupertus Abbas, qui in veritate ſanctum habent charitatis ſpiritum, hoc proprium, vt ita gratulentur de beneficiis, quæ alijs impenſa perceperunt, quomodo de illis, quæ ſibimet collata ſunt. Tunc properant mutuos ſibi præbere conſpectus, tunc dulcia miſcere colloquia, certatimque opportuna importuna impendere inuicem deuotæ
Gen. 29. charitatis obſequia. Sic in Geneſi Rachel, viſo Iacob, feſtinans nunciauit patri ſuo.
Exod. 18. In Exodo Iethro Moyſem generum ſuum viſitauit in deſerto, cum audiſſet magnalia, quæ per eum operatus eſſet Dominus: In libro Iudith. Ioachim ſummus Sacerdos de
Iudith 15 Ieruſalem venit Bethuliam; vt videret
Iob 42. Iudith inſignem viduam, & de victoria ex Holopherne habita congratularetur ei. Ad Iob, ex magna illa calamitate, & tentatione reſtitutum ad maximas diuitias, & honores, fratres, & ſorores conuenerunt, vt congauderent ei. Quod ſanè officium noſtra in Deum, & proximi charitas requiritat ne dum in rebus proſperis; ſed etiam in aduerſis, vt in documento dicemus.

3 *Et ſeptem dies epulantes*. En iterum *XXI.*
lætitia nuptialis conuiuij repetita, cui non
diſſimilia iuxta Acronis interpretationem *Acron.*
antiquorum erant repotitia. Cauſa horum repotitiorum, tum etiam conuiuiorum nu-
ptialium, dat Athenæus, *moribus*, dicens, *Athen. lib. 5.*
& legibus ſcitum eſt, vt in nuptijs epulum fiat, tum nuptiales Deo vt veneremur, tum vt pro teſtimonio id ſit, conuiuis ſcilicet,
quod nuptis placeant ſuæ nuptiæ. vide quæ *Sup. c. 10.*
diximus ſupra.

4 *Omnes gaudio magno gauiſi ſunt*. Tali verborum accumulatione magnitudo indicatur gaudij earum nuptiarum, quibus in vno conuiuio acceptorum beneficiorum vna fiebat ab omnibus commemoratio, & quidem, vt puto, non ſolum conuenientibus epulis; ſed etiam ſonis, & canticis ſpiritualibus, Deoque gratulabundis. Etenim Hebræorum mos antiquiſſimus fuit in con-
uiuijs, ad communem recreationem muſicam *Muſica in conuiuiis olim adhibita*
adhibere, quod inter reliquos docet Iſaias, *Iſa. 5. 12.*
qui abuſum etiam eius corrigens, ait: *Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et*
vinum in conuiuijs veſtris. Et Lucas, qui *Luca 15. 25.*
in conuiuio filij prodigi chorum, & ſymphoniam adfuiſſe narrat. Sic ille: *Cum veniret*, filius videlicet ſenior ex agro, *& appropinquaret domum*, in qua habebatur conuiuium lætitiæ pro reditu fratris eius, *audiuit ſymphoniam, & chorum*, multitudinem nimirum conuiuantium, & lætantium conuiuarum, vel etiam tripudia, adhibito ſuaui vocum concentu inſtituta, & alijs menſæ accumbentibus, alijs tripudiantibus.

Quem canendi morem primitus, & Chriſtianos in ſuis agapis, & coniugijs ſeruare
conſueuiſſe docet Cyprianus, dum ait: *Cypr. epiſt. ad Donat.*
Sonet pſalmos conuiuium ſobrium: vox rauca aggredere hoc munus ex more, magis chariſſimos paſces, ſi ſit nobis ſpiritualis auditio: prolectet aures religioſa mulcedo. Qui-
bus ſimilia narrat Philo; idemque apertiſ- *Philo de Eſſeis.*
ſimè docet Tertullianus. *Tertull. c. 39. Apolog.*

Quòd bonus amicus non fortunas, ſed amicum diligat.

DOCVMENTVM.

HOS Tobiæ conſobrinos, qui eo ſolum *A*
tempore ad eũ acceſſiſſe legũtur, vt ei

con-

congratularentur, quando iam illuminatus à Deo, multa fortunæ bona, vt vocant, acceperat, conuiuiumque celebrabatur nuptiarum, appellat Hugo Cardinalis amicos fortunæ, de quibus Sapiens: *eſt*, inquit, *amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die neceſſitatis*. Et alibi: *Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſsitatis*. cum tamen fides magis debeatur amico afflicto. Sic Seneca ſuccinctè quidem, ſed ſapientiſſimè.

Hugo Card. hic.
Eccli. 6. 10.
Amici in calamitate rari.
Sen. in Agamemnone.
Idem in Herc. Oeteo.

Poſcunt, inquit, *fidem ſecunda; at aduerſa exigunt*. *nam*, vt idem ait: *Rara fides vbi tam*

Melior fortuna ruit.

B
Ariſt. 7. ethic.

Hoc enim diſcrimine veri amici à falſis diſtinguuntur, quod verus amicus, teſte Philoſopho, non fortunas, ſed perſonam amici diligit; falſus verò non perſonam, ſed fortunæ bona. Quare ille, vt Sapiens ait, *omni tempore diligit*. hoc eſt, in proſperis, & in aduerſis amico ſemper opitulatur. Sic Ionathas filius Saul, cuius anima, vt in libris Regum habetur, veræ amicitiæ fœdere conglutinata erat animæ Dauid, nunquam in aduerſis amicum ſuum deſeruit; ſed amico fauens, impietati paternæ quantum poterat, reſtitit. Iſte verò, quia amicum tantummodo diligit *ſecundum tempus ſuum*, ſecundũ ſcilicet illud tempus, quo ſibi amicitiam vtilem eſſe cognoſcit, *non permanet in tempore neceſsitatis*, in quo ſpes omnis commodi ceſſat. Quare hunc amicum pediculis ſimilem docet eſſe Plutarchus: nam, ſicut illi exanima corpora, nempè defecta ſanguine, quo alebantur, deſerunt; ita deſerit ille amicum in neceſſitate: *Pediculi*, inquit ille, *diſcedunt à morientibus, & corpora relinquunt, ſimulatque ſanguis extinctus fuerit, quo nutriri ſolent: aſſentatores autem videas, nec attingere prorſus res aridas, ac frigidas: nobilibus, ac potentibus imminent, hiſque aluntur; ſed ijdem, rebus commutatis, ſtatim auolant.* Cicero vero talem amicum aſſimilat hirundinibus: *quia*, ait ille, *vt hirundines æſtiuo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ recedunt; ita falſi amici ſereno vitæ tempore præſto ſunt, frigore pulſi recedunt, ſimul atque fortuna hyemem viderint, deuolãt omnes.* Iob tamen patientiſſimus, illum torrenti aſſimilat: vnde de eo ſub perſona fratrum ſuorum loquutus. *Fratres mei*, inquit, *prætericrunt me ſicut torrens, qui raptim tranſit in conuallibus*, ſeu, vt legit Hebræus: *Amici mei feſellerunt me inſtar torrentis, qui raptim decurrit in conuallibus.* nam, ſicut torrens tunc abundat aquis, quando minimè ſunt neceſſariæ, videlicet in hyeme; & in æſtate, quãdo aquis abundare oporteret, areſcit; ita falſus amicus tunc ſuam miniſtrat opem, quando illa non egemus, & nos deſerit, quando illam magis optamus.

Amicus verus perſonã, falſus bona perſonæ diligit.
Prou. 17. 17.
1. Reg. 2.
C
Plutarch. opuſc. de diſcret. ad Etur.
Cic. ad Heren. lib. 4.
D
Iob 6. 15.
Hebræus.

SYNOPSIS CAPITIS XII.

Tobias cum filio de mercede Raphaelis conſultans, auditis, quæ ſibi ac filio præſtiterat, beneficijs, medietatem offert omnium, quæ attulerant. At ille ſe Dei Angelum declarat, & poſt reuelata alia myſteria, in cælum ſubleuatur, quo facto illi in terram proni ruentes Deũ benedicunt.

CAPVT DVODECIMVM.

1 TVNC vocauit ad ſe Tobias filium ſuum, dixitq. ei, quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecum?
2 Reſpondens Tobias dixit patri ſuo: Pater quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius?
3 Me duxit, & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, vxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudiũ parentibus eius fecit, me ipſum à deuoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus: quid illi ad hæc poterimus dignum dare?
4 Sed peto te, pater mi, vt roges eum, ſi forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata ſunt, ſibi aſſumere.
5 Et vocantes eum, pater ſcilicet, & filius, tulerunt eum in partem, & rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.
6 Tunc dixit eis occulte; benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam.

7 Etenim Sacramentum regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt.

8 Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleēmoſyna magis, quàm theſauros auri recondere.

9 Quoniā eleēmoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternā.

10 Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem hoſtes ſunt animæ ſuæ.

11 Manifeſto ergo vobis veritatem, & non abſcondam à vobis occultum ſermonem.

12 Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

13 Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.

14 Et nunc miſit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.

15 Ego enim ſum Raphaël Angelus, vnus ex ſeptem, qui adſtamus ante Dominum.

16 Cumque hæc audiſſent, turbati ſunt, & trementes ceciderunt ſuper terram in faciem ſuam.

17 Dixitque ei Angelus: Pax vobis, nolite timere.

18 Etenim cùm eſſem vobiſcum, per voluntatem Dei eram, ipſum benedicite, & cantate illi.

19 Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere; ſed ego cibo, & potu inuiſibili, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.

20 Tempus eſt ergo, vt reuertar ad eum, qui me miſit, vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.

21 Et cum hæc dixiſſet, ab aſpectu eorum ablatus eſt, & vltra eum videre non potuerunt.

22 Tunc proſtrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum, & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.

VERS. I.

Tunc vocauit ad ſe Tobias filium ſuum, dixitque ei, quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecū?

1 *Exponitur litera.*
2 *Sanctus quis Raphael cur ſic dictus, & qui olim Sancti dicerentur.*

1 T*VNC*; Hoc eſt ſtatim ac fuerunt expleta conuiuia. Ita Syrus: *Et cum dimiſſum eſſet conuiuium.* (Syrus.)

Vocauit ad ſe Tobias filium ſuum. Vt de retributione debita Azariæ, tanquam de re potiſſima, vnà deliberarent, dicēs.

Quid poſſumus dare viro iſti Sancto? LXX. (LXX.) *Vide fili mercedem homini, qui venit vna tecum, & adijcere ei oportet.* Syrus: (Syrus.) *Dixit Tobit filio ſuo: vide, fili mi, quam demus mercedem viro iſti, qui profectus eſt tecum, & adde ei ſupra mercedem ſuam.*

2 Vox *Sanctus*, vt S. Thomas explicat, apud Latinos idem ſonat, ac Sancitus, ſeù firmatus, ſeù etiam ſanguine tinctus: quo ſenſu illa de ſolis beatis æterna felicitate fruentibus, tanquam in ea firmatis, vſurpari ſolet, vel etiam de eiſdem, tanquam ſpecialiter Deo dicatis: quòd qui olim Deo dicabantur tingerentur, ſeù aſpergerentur ſanguine ſacrificiorum, vt teſtis eſt B. Paulus, & manifeſtè (Ad Hebr. 9.) apparet ex libro Exodi, & Leuitici: (Exod. 24. Leuit. 16.) Quia & Gentiles fœdera, quæ nulli vnquam fas erat violare, vel ſoluere, ſanguine etiam hoſtiæ confirmabant, atque adeo frequentiſſimè hāc vſurpabant vocem in appellatione ſuorum Deorum, vt eſt videre de Hercule apud Propertium, qui ait:

Sancte pater ſalue, cui iam fauet aſpera Iuno. (Propert. lib. 4. eleg. 10.)

Sancte velis libro dexter ineſſe meo. (Idem epigr. 37.)

Huiuſque nomenclaturæ rationē aſſignās, ait:

Hunc quoniam manibus purgatum ſanxerat orbem.
Sic ſanctum Tatiæ compoſuere vites.

Et de Venere, Cupidineque Catullus:

Nam ſancta Veneri, Cupidiniq; vouit.

Sabinorum etiam Deum *Sanctum* appellatū abſolutè reperimus, & Iouem in inſcriptionibus Grutherianis. Vide, ſi placet, plura de his, & alijs gentilium varijs Dijs teſtimonia apud Achillem Statium in Catullum. (Achilles Statius in Catullum.)

Vſurpabant etiam olim hanc vocem ad ſignificandos fideles omnes, quos B. Petrus appellat *gentem ſanctam*, & B. Paulus vocat ſe ſanctorum minimum; & quidem ex eo, quia fideles per baptiſmum Deo ſacrantur, illaque deponunt, per quæ quis profanus dici poteſt: in quem ſenſum habuimus etiam ſupra, Tobiam dixiſſe Saræ vxori ſuæ, abſtinendum (Supra cap. 8. verſ. 4.)

primis noctibus ſibi, & illi eſſe à concubitu, ne more gentium non ſauctarum aliquid profanum admitterent. Vel etiam, quia non à carnis affectu, ſed ab auctore ſanctitatis ſpiritu docebantur: qua ſignificatione illam vſurpauit Cicero, vbi docet: Ab Ennio Sanctos dici poëtas, quòd quaſi Deorum aliquo dono, & munere. commendati nobis eſſe videantur. Vel tandem quia baptiſmo luſtrati, ſanctiſque legibus inſtituti, ſanctos eſſe oportet quo ſenſu ij, qui Eccleſię Sanctæ prȩſunt, vt bene Lorinus, peculiari quodam iure ſancti dicuntur, quippe qui peculiari ratione ſanctè ſancta tractare debent, vt quondam honoris cauſa, teſte Plutarcho, profani Sacerdotes ὅσιοι appellabantur. Hinc ſanctiſſimi epithetum cuius primùm ſanctiſſimo ſacrorũ Antiſtiti, ſeu Epiſcopo tribuebatur, vt etiam in iure tribuitur, meminitque. Curopalata ita vocatum Metropolitam Andrianopoleos, immò, & alios Metropolitanos, & Archiepiſcopos nẽpe ἱερωτάτους καὶ παναγιωτάτους. Verùm hodie ſummo dũtaxat Epiſcoporum Epiſcopo, Romano Pontifici tribuitur, & multò quidem meliùs, quam idolatris imperatoribus; licèt, vt conſuetudini inſeruiret Sanctus Dionyſius Alexandrinus, apud Euſebium, ſanctiſſimi titulo Gallienum, ac Valerium ornandos cenſuerit.

Cicero pro Archia.
Lorin. in act. c.9.13.
Epiſcopi olim Sanctiſſimi dicebantur.
Plutarch. de orac. defectu in fin.
Auth. interdicimus. C. de epiſc. & Cler. ex nou. 123. c.10. & alibi ſæpius.
Euſeb. hiſt. li. 7. c. 10.

Sancti tamen ſingulariter appellandi, qui, vt Græci vocabuli etymon docet, ſine omni terrenæ fæcis, aut immunditiæ contagione viuunt ab α priuatiuo, & γῆ, quod eſt terra, nam ſanctos Græci ἅγιοι dicunt: & vt Dionyſius ait eſt ἁγιότης ἡ πάντος ἄγους ἐλευθέρα, καὶ παντελὴς, καὶ πάντῃ ἄχραντος καθαρότης: *Sanctitas omni piaculo libera, & perfecta, & omnino impermixta puritas*, qui nimirum purificati à mundi huius illecebris omnem ſpurcitiam expellentes, in terris degentes ſola cæleſtia appetunt, diuinaque obſeruant mandata: Vndè Origenes: *Vnuſquiſque*, inquit, *noſtrum ex quo accedit ad timorem Dei, & diuinam in ſe recipit doctrinam, ex quo ſe mancipauit, eo Sanctus efficitur.* Et Sanctus Chryſoſtomus: *Quid eſt*, ait, *Sancti eſtote, niſi præcepta mea implete, voluntatem meam facite, in vijs meis ambulate? cum iſta feceritis, ſanctificatur pater noſter, qui eſt in cælis, ſiue nomen eius.* Et hoc ſenſu virum Sanctum Raphaelem appellat Tobias, quippe quem ab omni piaculo immunem cognouerat, & verè ſancta omnia appetentem.

Dion. diu. nom. c.12.
Orig. hom. 11. in leuit. & hom. 11. in Numer.
Chryſ. hom. 9. ex varijs in Matth. locis.

Quòd conſilium, & prudentia magis in virtute, quàm in ſenecta quærenda ſit.

DOCVMENTVM.

A
Auguſt. ſerm. 226. de temp.

ELICIT ex hoc verſiculo Auguſtinus exemplo Tobiæ, ſine mora dandam eſſe mercedem mercenario laboranti: *Beatus*, inquiens, *Tobias, qui panem ſuum nouerat frangere eſurientibus, mercedem celerem mercenario præparat laboranti.* Sed quia de hac re ſupra diximus, illud hic obſeruare libet, Sanctum patrem iunioris filij non modò non dedignari conſilia; ſed ea etiam requirere: vt facto ſuo nos doceat libenter etiam inferiorum noſtrorum, & iuniorum audire excogitata, quia, vt Baſilius ait, *Sæpè iuniori reuelat Dominus, quod melius eſt.* Sanè vt teſtis eſt Dauid: *Dat Dominus intellectum paruulis, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* Vnde in actis Apoſtolorum legitur, nouiſſe Agabum, quod ignorabat B. Paulus, qui tamen longè excellentior illo erat: ſciebat Gad, quod neſciebat Dauid, qui vir Sanctus erat, & ſecundùm cor Dei: nam *plerumque*, vt ait Auguſtinus, *doctoribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiens, & humilis charitas, in qua fructus maior eſt comprobetur.* Et idem Auguſtinus: *Nonne*, ait, *cum Moyſe loquebatur Deus, & tamen conſilium regendi, atque adminiſtrandi tam magni populi à ſocero ſuo, alienigena ſcilicet homine, & maxime prouidus, & minus ſuperbus accepit: nouerat enim ille vir, ex quacunque anima verum conſilium proceſſiſſet, non ei, ſed illi, qui eſt veritas, incommutabili Deo tribuendum eſſe.*

E
Supr. c.4. v.
Baſil. in reg. c. 3.
Pſal. 11[illegible]
Act. 11.2[illegible]
1. *Reg.* 2[illegible]
B
Auguſt. contra Donat. lib.2. c.5.
Idem in prolog. lib. 2. de doctr. Chri[illegible]
Prudentia etiã in adoleſcentibus reperitur.

Sanè conſilia magis in virtute, quàm in ſenectute eſſe quærenda docet Sapiens, dum ait: *Senectus enim venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Nam prudentia in hominibus locum habet caniciei, & vita pura, & ſine labe in quacunque ætate, ætas quædam ſimilis eſt, cui honor ab hominibus exhibetur.

Supra c.4. v. 19. doc. 1.
Sap. 4.8.9[illegible]
C

Quòd ſi obijcias prudentiam, à qua conſilium oritur, in ſolis, vel ipſo teſte Ariſtotele, cadere ſenibus, cùm ea ſit rerum ſingularium, quæ per experientiam, ſiue vſum à nobis cognoſcuntur, quem non niſi longinquitas temporis affert: nam.

Serus venit vſus ad annos.

Virg.

Et teſte Platone, tunc mentis oculis incipit homo cernere, quando corporis oculus defloreſcit; verum eſſe concedo inter iuuenes, & ſenes eiuſdem conditionis, indolis, ſtudij, atq; cõuerſationis: nam alias multos eſſe quotidiana docet experientia iuuenes, qui multo ſtudio, lectione, hominumque prudentium conſuetudine adiuti, etiam naturæ bonitate ſiue ingenio, eadem, & plura ſemper conſequuntur, quàm ſenes, qui ſine illis rebus longos habuere dies: nam & quis non videat illud veriſſimum Senecæ dictum, multis etiam poſt canos eſſe pueritatem, quorum:

Iuuenes aliquando ſenibus prudentiores.
D
Seneca epiſt.

Clauditur ingenium delirat linguaque menſque.

Et illud Menãdri Οὐ γὰρ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν: idest, *nec enim capilli dant albi prudentiam*,

Menander.

dentiam,

Varro. *dentiam*, neque *Vetulus canterius*, vt Varronis vtar verbis, *quam nouellus melior, nec canitudini comes virtus*. *Plautus.* Vſu venit quoq;, quod Plautus ait: *ſi albus capillus hinc videtur, neutiquam ab ingenio eſt ſenex*. Et contra de multis ſapientiſſimis iuuenibus, *Pindari dythirambus.* quod Pindari Dithyrambus canit: Κρέσσονα μὲν ἁλικίας νόον φέρβεται γλῶσσάν τε, *præſtantiorem ætate mentem, & linguam alit*. nam, *Quintilian.* vt ait Quintilianus. Quamquam ſenibus maior auctoritas eſſe ſoleat, quòd plura noſſe, & vidiſſe credantur; non tamen omnes expectandam putant vltimam ætatem, cum ſtudia præſtent, vt quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis ſeculis vixiſſe videantur.

Ad hæc ciuilis cum ſit, & mundana illa prudentia, quam Senes diu viuendo, multaq. cum faciendo. tum præcipiendo conſe- *Ariſt. ſententia* quuntur, ex Ariſtotelis ſententia duo continere debet: vnum vt decipi non poſſit; al- *Ciuilis prudẽtia qualis eſſe debeat.* terum, vt decipere non velit. Chriſtiano tamen viro hoc poſteris ſatis eſſe debet ad prudentiam: cum illud, vt non à callidis, & malitioſis decipiamur, vix ſaluo boni Chriſtiani officio, conſequi poſſimus: Siquidem longo callidorum vſu, atque conſuetudine, quibus eam facultatem acquirimus, fieri vix & ne vix quidem poteſt, quin aliquid duplicitatis, & malitiæ ipſi quoque contrahamus.

Quare ſolus licet ſenex longo rerum vſu, iuxta Peripateticos, prudens tali pacto eſſe poſſit; Chriſtiani tamen, quibus prudentia ſimplex eſt cordi, quique magis bonitatem optant, quam calliditatem (neque enim *Biãtis dictũ.* bonitas, & calliditas, vel ipſo Biante teſte, ſimul eſſe poſſunt, vnde dixit: τοὺς ἀγαθοὺς εὐεξαπατήτους; *bonos viros deceptu faciles eſſe* licèt ſint iuuenes, prudentes tamen eſſe poſſunt: Omnibus enim Chriſtus præcipit: *eſto-* *Matt. 10 16.* *te prudentes, ſicut ſerpentes. & ſimplices ſicut columbæ*. tales videlicet ſitis, vt non tantum ſciatis quomodo à callidis inſidiatorum impoſturis cauendum ſit, cùm eas ipſas ignoretis, quam quomodo bene, & ex virtute viuendum ſit, in qua re prudentia Chriſtiana conſiſtit.

Optimè igitur factum eſt à Seniore Tobia, dum iuuenem filium conſuluit. ſuper mercede Raphaeli danda; optimeque à nobis factum ſemper erit, ſi & nos iuniores morum honeſtate præditos, magis, quam ſeniores immorigeratos conſulamus, illud conſide- *Menandri dictum.* rantes, quod optime Menander: πολιὰ χρόνου μήνυσις, οὐ φρονήσεως, *Canities temporis indicium, non ſapientiæ*. Et quod Philemon χρόνος οὐ διδάσκει φρόνησιν, *tempus non docet ſapientiam*.

VERS. II.

Reſpondenſque Tobias dixit Patri ſuo: Pater quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit eſſe beneficiis eius?

VERS. III.

Me duxit, & reduxit ſanum: pecuniam à Gabelo ipſe recepit: vxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit: gaudiũ parentibus eius fecit; me ipſum à deuoratione piſcis eripuit: te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus. quod illi ad hæc poterimus dignum dare?

VERS. IV.

Sed peto te, pater mi, vt roges eum, ſi forte dignabitur medietatem de omnib. quæ allata ſunt, aſſumere.

VERS. V.

Et vocantes eum pater ſcilicet, & filius, tulerunt eum in partem, & rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.

1 *Tobiæ mira gratitudo.*
2 *Recenſet beneficia à Raphaële ſuſcepta.*
3 *Variæ lectiones.*

1 RESPONDENSQVE *Tobias dixit patri ſuo*. Interroganti patri de danda mercede Raphaëli, reſpondit prudens, filius, accepta ab illo beneficia ea eſſe, quæ nõ ſolum non poſſent ſolutione pactæ mercedis, vnius nimirum dragmæ diurnæ ſupra victũ, de qua ſupra, compenſari, quæ iuxta ſupputationem dierum, quibus fuerat in itinere, de qua ſupra, plus minus fuiſſet quadraginta dierum; ſed nec alio quocunque vel maximo pretio; ex quo ait. VERS. II. *Sup. c. 5. v. 15.* *Sup. cap. anteriore v. 12.*

Quam mercedem dabimus ei? Quæ nimirum vel in aliquo parte digna ſit beneficijs eius. Arabs; *O pater mi, quam mercedem dabimus ei, aut qua re poſſumus æquiparare beneficijs eius?* Breui deinceps epilogo recenſet patri grauiſſimus iuuenis beneficia, quibus maxime Raphaël de ſe meritus eſſet, dicens. *Arabs.*

Me duxit, et reduxit ſanum. Diligentiſſime ab omni malo per totum iter cuſtodiens; ita Syrus. *me cuſtodiuit in via*. *Syrus.*

Pe-

LXX.

2 *Pecuniam à Gabelo ipſe recepit*. LXX. *argentum meum attulit*, aſſumpta cura illud exigendi, ne ſponſus ego à nnptialibus impedirer tripudiis, viam in Rages cum ſeruis Raguelis eſt proſequutus, acceptaque protinus à Gabelo pecunia, ipſum etiam Gabelum ad feſtum duxit nuptiarum:

LXX. Syrus. Arabs.

Vxorem ipſe me habere fecit. LXX. & Syrus: *Vxorem meam curauit*: Arabs. *Ipſe acquirere me fecit hanc vxorem*, nimirum Saram filiam Raguelis, quæ ſeptem nupta viris integra permanſerat, eo quod Aſmodæus, libidinis Tyrannus, cubilis eius poſſeſſor omnes ſeptem ſponſos in ipſa nuptiarum nocte ſucceſſiue iugularit, è cuius manibus me liberauit, orationi cum vxore iubens me triduo inſiſtere, iecoreq. piſcis, quod ſeruauerat, flammis incenſo, in fumumque ſuauem reſoluto dæmonem indirectè pelleus.

Arabs.

Dæmonium ab ea ipſe compeſcuit. Arabs: *Et ipſe repreſſit ab ea dæmonem*. à quo nimirum arripiebatur, vbi ad illam prima nuptiarum nocte ſponſus accedebat, effecitque, ne arriperetur in prima mei coniugij nocte vi ſuffumigij cordis, & iecoris piſcis, humores, quibus agitari à dæmone poterat, Sup.c.8.v.8. comprimendo, vt ſupra explicauimus.

Gaudium parentibus eius fecit. Illam à dæmonis tyrannide liberans.

Me ipſum à deuoratione piſcis eripuit. Qui dum in Tygride flumine deſcendiſſem, vt pedes in eo lauarem, me deuoraturus inuaſerat, imperans, vt eum arriperem, atque extraherem, cor eius cum iecore, ac felle ſeruarem.

LXX.

Te quoque videre fecit lumen cæli. LXX. *Te ſimiliter curauit*, tanquam medicus, medicam dans mihi inſtructionem inueniendi in amaro piſcis felle oculorum tuorum medicinam, cuius modo virtute vides cæli lumen, qnod non videns, nullum habere gaudium te poſſe dicebas.

Et bonis omnibus. Quibus nimirum repleri deſiderabamus.

Per eum repleti ſumus. Vnde cum omnia ab illo habeamus, quæ omnia habemus, illi ſunt debita.

VERS. IV. *Sed peto te pater mi*. Arabs: *Rogo te*.

Arabs. LXX.

3 *Si forte dignabitur medietatem, &c. Quia*, addunt Septuaginta, *pater non lædor dans ei dimidium eorum, quæ attuli*. Syrus: *non enim parco dare ei dimidium eorum, quæ tuli mecum, non enim perdo, quod do ei*.

VERS. V. *Et vocantes eum, pater ſcilicet, & filius, tulerunt eum in partem, & rogare cœperunt*. Septuaginta: *Accipe dimidium omnium, quæ attuliſtis, & abduc ſanus*. Syrus: *Sume dimidium eius, quod attuli, & vade in pace*.

LXX.

Quòd gratitudinem noſtram gratitudinem Tobiæ imitari deceat.

DOCVMENTVM.

CVM, teſte Sancto Thoma, triplex ſit gratitudinis officium, videlicet beneficium dignoſcere, laudare, & tandem loco, & tempore pro facultate retribuere, acceptorum beneficiorum ab Angelo memor, & gratus Sanctus Tobias, illa ſe optimè primum nouiſſe demonſtrat, dum verſ. 2. nullam apud ſe mercedem eſſe fatetur, quam retribuere pro acceptis beneficijs poſſet, ſimulque ſe illorum memorem oſtendit, dum verſ. 3. ea ſingula patri enumerat. Deinde eodem verſ. ea laudat, dum digniſſima fuiſſe commemorat. *Quid*, dicens, *ad hæc poterimus dignum dare?* Demum pro facultate in quantum valet, curat ea retribuere, dum verſ. 4. patrem rogat, vt dimidietatem allatorum bonorum Angelo pro mercede impertiatur. *Sed peto*, inquiens, &c. Sic enim animum gratum decet primum beneficij accepti conſideratio, *non*, vt Seneca ait, *in eo, quod eſt, aut datur; ſed in ipſo dantis, aut facientis animo*. Vnde Cicero: *Acceptorum*, inquit, *beneficiorum ſunt delectus habendi, & in primis quo quiſque ſtudio, vel beneuolentia fecerit ponderandum*. beneficij deinde laudatio, vt Diunyſius Cato poëta Chriſtianus, non Cato Cenſorinus, vt multi perperam ſunt arbitrati, noto illo carmine cecinit, dicens:

A S.Tho.2.2. q. 107.ar.2. Gratitudinis officia tria.

B Benefaciētis animus, magis quam ipſum beneficium attendendus.

Seneca de benef. li.1.c.6.

Cic.lib.de off.

Dionyſ.Cato.

Exiguum munus, quod dat tibi pauper amicus.
Accipito placide, & ſemper laudare memento.

Neque enim quas decet laudis, vel gratias agere pro accepto beneficio, vel etiam quam decet retributionem dare poſſumus, niſi quale, & quantum ſit ex dantis animo beneficium prius conſideremus.

C

Denique retributio: & quidem, ſi occaſio ſe ſe offerat, ſubita eſſe debet: eſt enim ingenui, & egregij animi ſtatim pro ſuſcepto beneficio beneficium rependere. Quare ſeruus ille Abrahæ, vbi aquam cum hydria à Rebecca accepiſſet ad potandos camelos, ſtatim protulit inaures aureas, & armillas, & dedit illi. Sacerdos ille Madian, vbi accepiſſet Moyſem filias ſuas defendiſſe, illis domum reuerſis. *Quare*, inquit, *dimiſiſtis hominem? vocate eum, & comedat panem*: S. Eliſæus à Sunamitide hoſpitio receptus: *diſcedens*, ait illi, *ecce ſedule in omnibus miniſtraſti nobis, quid vis, vt faciam tibi? nunquid habes negotium, & vis vt loquar regi, ſiue principi militiæ?* Indignum ratus

Beneficium beneficio cōpenſandum. Gen.24.22

Exod. 2. 10.

4. Reg. 4. 13.

non

D non ſtatim rependere quod ſuſcepit beneficium. Vt enim flores,& herbæ in ſublimatorium, cui ignis ſubſit, repoſitæ, ſtatim aquam rependunt; ita homines, qui cordis ſublimatorium gratitudine ſuccenſum habent, beneficia ſtatim, ſi occaſio ſe ſe offerat, rependere curant. Dixi, ſi occaſio ſe ſe offerat: nam eſt opportunitas expectanda, quia, vt Seneca ait: *qui feſtinat reddere, non animum habet grati hominis: ſed debitoris, nam reijciendi genus eſt protinus aliud invicem mittere, & munus munere expungere*. quod non caret ingratitudine: nam vt idem ait, *qui nimis cito cupit ſoluere, inuitus debet, & qui inuitus debet ingratus eſt.*

Beneficium opportune retribuendũ

Seneca lib. 4. de benef.

Quando tamen gratias opportuno tempore referimus, ſi poſſumus; plus ſemper rependendum eſt, quam accepimus, imitarique debemus, vt docet Cicero, agros fertiles,qui plus multo afferunt,quam acceperant;nam ſi reddis æquale,cũ tantundẽ acceperis, nõ videtur eſſe redditio gratiæ;ſed potius ſolutio debiti. Quare opus eſt amplius reddere, vt ratione exceſſus, ſit beneficium, & ita beneficium beneficio compenſetur, & affectus affectui reſpondeat. Sic noſter Tobias,licet iuxta pactã alioqui cum Raphaele mercedẽ, nihil amplius illi debuerit, quã drachmas 24. iuxta numerum dierum itineris peracti, de quibus ſupra, cum ex pactione in Græco textu præter expenſas cum Tobia filio communes, Angelo Tobias pater vnam tantum drachmam ſingulis diebus promiſerit; animum tamen Angeli, & magnitudinem beneficiorum potius ille conſiderans, voluit beneficium beneficio compenſare, & omnium bonorum allatorum dimidietatem offerre.

Gratia referri maior debet, quam ſit accepta. *Cic. lib. 1. de offic.*

E

Quod ſi nihil habeas, quod reddas, ſaltem bona precari, vel pias ad Deum pro ſalute benefactoris preces, quæ nemini deſunt effundere debes, cum illis quæcunque poſſint beneficia compenſari, quin etiam vinci. Cuius rei exemplũ in vita S. Antonini Archiepiſcopi Florentini legitur, cui cum aliquando munus eſſet allatum, nec haberet, quid pro eo retribueret: *Dominus*, inquit donanti, *tibi retribuat*. Verum quia ille non ſine ſpe magnæ retributionis illud obtulerat, vt multi auari faciunt: vbi vacuis manibus diſceſſiſſet, ſanctum virum ingratitudinis arguebat: quod cũ vir ſanctus cognouiſſet, illum accerſens,in lance vna munus, quod acceperat, in alia,verba illa,quæ dixerat: *Dominus tibi retribuat* papyro deſcripta poſuit;omnibuſque miraculoſe apparuit maioris ponderis ipſo munere illa fuiſſe. Sed quia huiuſmodi gratitudo magis erga Deum,à quo omne bonum procedit,exerceri debet,quã erga homines ſubdit Raphaël:

F

In vita S. Antonini. Beneficia precibus cõpenſanda cũ aliter nequeunt.

G

VERS. VI.

Tunc dixit ei occultè: Benedicite Deum cæli,& coram omnibus viuentibus confitemini illi, quia fecit vobiſcum miſericordiã ſuam.

1 *Deus cur cæli Deus dicatur.*
2 *Vox Hebræa* שד, *Sciaddai quid propriè ſignificet.*
3 *Varia additamenta interpretum.*
4 *Confiteri pro laudare.*

TVNC. Viſa ab Angelo iunioris & ſenioris Tobiæ gratitudine. VERS. VI

Occultè. remotis arbitris. LXX. *Vocans ambos clam*, Syrus; *Ad latus*. LXX. Syrus.

1 *Benedicite Deum cæli*. Cuius nimirũ ope, & potentia tanta accepiſtis beneficia. Itaque Deum, cæli Deum vocat,ad ſummam Dei potentiam declarandam, quo pacto locum pſalmi: *in protectione Dei cæli* &c. vertit Hieronymus: *Dei omnipotentis*; vtque illam opponat gentilium dijs impotentibus, & dæmonijs: nam ait Pſaltes: *omnes hi dæmonia, Deus autem cælos fecit*.

Hier. in pſ. 90 *Pſ. 95. 5.* *Bellarm. in pſ. 90.*

2 Certe,vt Bellarminus obſeruat,vox Hebræa שדי Sciaddai, non ſolũ omnipotentem; ſed ſibi ſufficientem, ideſt, in ſe,& per ſe omnipotentem ſignificat: nam,& Apoſtolus omnipotentem ſe eſſe dixit: ſed in Deo, non in ſe. *omnia*, inquiens, *poſſum in eo, qui me confortat*, nam nullus in ſe ipſo ſufficiens, & per ſe omnipotens, niſi Deus verus, qui cælum ex nihilo fecit. *Dij gentium dæmonia, Deus autem cælos fecit*. Et quamuis etiam terra, & mare, & aër, ſint opera Dei magna,& mirabilia; tamen nihil eſt in rebus corporalibus maius,& mirabilius cælo,ſiue molem,ſiue pulchritudinem,ſiue efficaciam, ſiue velocitatem, ſiue ſtabilitatem conſideres: vnde idem propheta de cælis ſingulariter dixit:*Cæli enarrant gloriã Dei*. atque adeò quam perpetuam Dei laudationem ab Angelis requirimus, vbi cum regio vate canimus: *Benedicite Domino omnes Angeli eius*, eandem à nobis meritiſſimè depoſcunt. Eſt in commentario illuſtrium virorum Ciſtercienſis Ordinis,quod aliquãdo S. Bernardus,cum hymnus,*Te Deum laudamus*, caneretur, viderit beatos Angelos multa claritate fulgentes, mira vultus alacritate geſtientes,vtrumque chorum præcurrentes, & modò hunc,modo illum ad piè,ardenter, & tardè hunc hymnum ipſis per familiarem decantandum excitauiſſe, & totis viribus elaboraſſe.

Philip. 4. 13. *Pſ. 95. 5.* *Pſ. 18. 2.* *Pſ. 102. 20.* *Commentar. illuſt. virorũ apud Spec. exempl. diſt. 3. c. 18.*

Huius itaque Dei omnipotentis,omnium bonorum largitoris miſericordiam, coram omnibus viuentibus, hoc eſt, ita vt ab omnibus

nibus ſciri poſſit hominibus, prædicandam, & laudandam Raphaël docet, ſubdens,

Et coram omnibus viuentibus confitemini illi. quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam. LXX. LXX. *Benedicite Deum, & ei confitemini, & magnificentiam date ei, & confitemini ei coram omnibus viuentibus pro iis, quæ fecit vobiſcum: Bonum eſt benedicere Deum, & exaltare nomen eius, verba operũ Dei honorificè demonſtrãtes, ne pigri ſitis confiteri ei.* Syrus. Syrus: *Eſtote glorificantes Deum, & gratias agite ei coram omnibus hominibus, de omni re, quæ fecit vobiſcum bona, quoniam bonum eſt laudare Deum, & exultare nomini eius, & verba Dei eſtote dicentes in omni tempore.* Vatablus. Vatablus ex Græco *Deum celebrate, ipſique gratulamini, magnificè prædicate eum, & coram omnibus viuis, quæ vobis præſtiterit, fatemini: præclara res eſt prædicare Deum, & nomen ipſius extollere, quamobrem facta Dei honorifices celebrate ſermonibus, ne dubitetis ei laudes dare.*

Gen. 29. 35. 2. Reg. 22. 50. 3. Reg. 8. 33. & alibi. 4 *Confitemini illi.* Celebrè enim eſt in ſacris ſcripturis confiteri pro laudare accipi, eoſque ad hoc hortatur à diſſimilibus argumentum ducendo ſubdens.

clesiæ: At matrimonium in noua lege inſtitutum eſt, vt ſignificaretur matrimonium Chriſti, & Eccleſiæ, & gratia, qua anima ſanctificatur, ſicut Eccleſia Chriſto adhærens ſanctificata eſt: Atque adeo matrimonium nouæ legis non eſt Sacramentum, eo tantum modo, quo veteris inſtrumenti figuræ dicebantur ſacramenta, & ſicut matrimonium Adam dicitur ſacramentum: ſed multò magis propriè; cum etiam in eo ſub ſenſibilibus rebus Deus gratiam operatur.

Opera autem Dei reuelare honorificum. Arabs. Arabs: *At verò opera Dei quis poteſt ea,* nimirum reuelare, & prædicare, *gloria ipſum eſt.* Hoc eſt, *honorificè*, vt legunt LXX. LXX. *illa prædicat.* *Ad faciendum bonum*, habet Syrus, Syrus. hoc eſt, *& meritoriè.* Quare ſecreta regũ opera, conſiliaque mille imperfectionibus, vel ex eorundem regum malitia, vel prudentiæ defectu, abundare cùm ſoleant, haud vulganda ſunt, ne vel, populis habeantur contemptui, vel ipſi etiam reges deſpectui. Atcùm, ſicuti Moyſes ait: Deut. 32. 4. *Dei perfecta ſint opera, & omnes viæ eius iudicia*, honorificum erit, & meritorium illa, quæcumque ſint prædicare, vide Infra hoc eod. verſ. doc. 2. plura ad literæ explicationem infra.

VERS. VII.

Etenim Sacramentum regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei reuelare honorificum.

1 *Sacramentum & μυστήριον, quid.*
2 *Opera Dei reuelare, quomodo honorificũ.*

LXX. & Syrus. Arabs. ETENIM *Sacramentum* LXX. Syrus: *Myſterium.* Arabs: *Secretum.* Sanè vbicunque Sacramentum ponitur in vulgata, habet Græcus Græcus. μυστήριον, quod Sacramentum ſacrando dicatur μυστήριον, autẽ à verbo μυεῖσθαι quod eſt ſacris initiari, vel inſtrui doctrina ad res ſacras pertinente: inde myſtes, ſacris initiatus, aut ſacrorum paratus, & myſterium arcanum, quod in doctrina ſacrorum traditur, ſiuè arcanum ſacrorum, vel ad ſacra pertinens. Ex quo factum eſt, vt per Antonomaſiam Sacramenta dicantur illa ſacratiſſima myſteria, quæ Chriſtus inſtituit, quoniam in illis ſub tegumento ſenſibilium, diuina virtus ſecretiùs operatur ſalutem. & eadem ratione dicta ſunt ab Apoſtolis myſteria. Ex quo illud B. Pauli intelligimus, Ribera in Apocal. c. 1. v. 20. Epheſ. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*, quod eſt ſenſus. *Hoc* matrimonium, nimirum Adami, & Euæ, aliorumque ante Chriſtum, magnum myſterium, & abſconditam habet intelligentiam, ſi ad Chriſtum deferatur, & Eccleſiam: typus enim fuit coniunctionis ſpiritualis Chriſti, & Ec-

Quòd non modo regum, & aliorum ſecreta ſilentio obuoluenda ſint; ſed etiam ipſius Dei ſpiritualia, quæ accipimus, beneficia.

DOCVMENTVM I.

SANE ſecretum, ſiuè arcanum regum, quod haud reuelandũ Raphaël docet, tanta religione, A & fide ſeruabant Perſæ, vt Diodoro teſte, Diod. Siculus nec metu, nec ſpe, vocem vnquam eijcerent, qua proderentur occulta: quod etiam vetus diſciplina regum, vt Q. Curtius refert, Q. Curt. lib. 4 de reb. geſt. Alex. vitæ periculo ſanxerat faciendum, qua lingua multo ſeueriùs, quàm vllum aliud flagitium puniebatur, nec magnam rẽ ab eo ſuſtineri poſſe credebant, cui tacere graue eſſet, quod homini facillimum voluerit eſſe natura. Ex quo poëta ille:

Fingere qui non facta poteſt, commiſſa tacere. Horat. lib. 4. Sat. 4.
Qui nequit, niger eſt, hunc tu Romane caueto.

Vndè Rex Syriæ pugnans cum Iſraële, in numerum proditorum ponit eum, quem reuelare putabat conſilium ſuum regi Iſraël. Et inter præcipuas laudes Epaminondæ Thebani, B Aemilius Probus in vita Epaminondæ. Aemilius Probus illam ponit, quod in primis eſſet ſecreti commiſſi celans: nam vt poëta illi alludit.

Eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus Ouid.

Iſocrates. *At contra grauis eſt culpa tacenda loqui.*

Diligentiùs enim, vt Iſocrates ait, *tuenda ſunt depoſita verborum, quàm pecuniarum:* nam vt Sapiens dicit: *qui denudat Arcana amici, fidem perdit, & qui ambulat fraudolenter, reuelat arcana, qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum* Anaximander dicebat: *Qui commiſſum ſibi inſtar depoſiti ſermonem euulgat, eum, aut iniuſtum, aut ad modum inconſtantem eſſe* Ideò ad arcana celanda etiam philoſophi antiquiores adhortabantur. Periandri illud eſt; *Sermones arcanos ne efferas:* nam boni viri officium eſt, ita ſe gerere, vt eius mores plus fidei, quàm alio rum iuramenta *merentur*. Nec non quidam alius: *Arcanorum*, inquit, *verborum linguæ ſigillum imponatur; præſtantior enim ſermonum, quàm poſſeſſionum cuſtodia*. Quare Horatius:

Eccl. 27. 17.18. Prou. 11. 13. Anaximander. Periander. C

Horat. ode. 5.

Eſt & fideli tuta ſilentio
Merces.

Seneca. Et Seneca:

Silendo nemo peccat, loquendo ſæpè.

Homerus. Homerus verò Vlyſſi facundiſſimo viro ſummam adſcripſit taciturnitatem, cum ait:

Hæc tacita vt ferrum, vel quercus dura tenebo.

Et quamuis linguam moderari, & arcanum celare habitum ſit ab alijs difficillimum: vndè Socrates carbonem docet ignitum faciliùs in lingua contineri poſſe, quàm ſermonem arcanum, volenti tamen, haud vnquam erit difficilè, vt decantata illa paræmia docet, *nihil difficilè volenti*. Sanè Hiperidem narrat Plutarchus, ne arcana patriæ enunciaret, ſibi linguam dentibus in tormentis amputauiſſe. Quin & Zenonem Cleantem, ne quod animi arcanum impulſus neceſſitate proferret, linguam non ſolùm mordicùs abſcidiſſe; ſed & in tyrannum expuiſſe: vt multa alia præclarè geſta in hanc rem omittam, quæ fuſiùs recenſet Cælius Rhodiginus.

Socrates. D

Plutarch. de vit. Rhet. in vit. Hyperidis & in lib. de garrulit.

Cælius Rodig.

Sic etiam occultanda diuina ſunt beneficia, dum ex eorum manifeſtatione nobis periculum imminet ſuperbiendi: quia teſte Sapiente, *ſicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum*. Etenim quo pacto ab vrbe, quæ muris careat, ſæpè aliqui egrediuntur, qui eam hoſtibus produnt: ita ab eo, qui tacere neſcit, non ſemel ſermones exeunt, qui ſpiritum, & cordis ariditatem, & mentis obſcuritatem inducunt. Contra verò qui tacere nouit, facilè conceptam deuotionem cuſtodit: nam *quemadmodum ignis*, ait Laurentius Iuſtinianus, *quantò magis in vnum colligitur, tantò amplius nutritur, & flammas euaporans ſurſum impetuoſius erumpit, ita & mens, cum diutiùs intra ſe commorata fuerit, & ardentiùs per amoris incendium vrit in ſe, & per deſiderij elenatur in Deum: ſed ſi tunc verba quædam protulerit, tota ignita, ſapientia nectare condita, veritatis ſplendore irradiata, & lauaum ſuauitate plena erunt*. Quare Dauid: *Dixi*, inquit, *cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea* Dixi, hoc eſt, vt explicat Ambroſius, Auguſtinus, Origenes, & alij, ſtabiliui, ac firmo animi decreto firmaui: ſignificat enim *dicere* in ſacris literis non infrequenter animum deliberatum, firmum, ac ſtabilem, Sic in Exodo, cùm Moyſes mirabilem rubi ardentis, & inconſumpti viſionem conſpicatus eſſet: *Dixit, vadam, & videbo viſionem hanc magnam, &c.* Dixit quidem animo ſuo, & ſibi ipſi, cum ſolus eſſet; vbi ad videndum quid eſſet in rubo, ire decreuit. Sic iterum Pſaltes: *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam*: & alibi *Dixit inſipiens in corde ſuo*. Sic inquam nobis feriò, & aſſeueranter ſtabiale decretum faciendum eſt cuſtodiendi vias linguæ noſtræ, & cum eodem dicendum *Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea*. Hoc fecerat decretum Pambus, de quo ſupra: vnde teſte Palladio, cum ex hac vita decederet, aſtantibus affirmauit, ex quo eremum incolere cœpiſſet, nullum ſe vnquam protuliſſe verbum, quod prolatum nollet.

Prouerb. 25.28. E

Simille.

Silentium deuotionem cuſtodit.

Laurentius Iuſtinianus de diſciplin. monaſtic. c. 25

F

Pſal. 38.2. Dicere pro ſtabilire. Ambr. Aug. Orig. &c.

Exod. 3.3.

Pſal. 52.1.

Pſal. 38.2. G

Supr. c. 4. v. 4

Pallad. hiſt. Lauſiac. c. 10. & moral. lib. 4. ſerm. de taciturn.

Sed quàm diligens eſſe debeat hæc oris noſtri cuſtodia docuit Sapiens, dum ait: *Ori tuo facito oſtia:* Non dicit oſtium; ſed oſtia, vt plura eſſe neceſſaria doceat ad diligentem linguæ cuſtodiam: nam ſicut natura duo linguæ oſtia adhibuit, oſſeum nimirum, & carneum, quæ ſunt dentes, & labia, item ratio duo alia adhibenda docuit, meditationis ingentium malorum, quæ ab effræni ore prodeunt vnum, alterum conſiderationis bonorum, quæ ex oris diligenti cuſtodia prouenire ſolent: vt enim Sapiens ait. *Vbi verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas.* Egeſtas ſcilicet virtutum: Nam vt vites, quæ folijs plurimis luxuriant, vini haud multum proferunt; ita nec multum virtutis habere poſſunt, qui multa loquũtur, ſed magis proximum lædunt. Vndè eos omnes fugiunt non ſecus ac, teſte B. Antiocho, ruſticum allijs ſaturum, & graueolentiam inſpirantem, nec læſiſſe pœnitere iuuat,

Eccli. 28. 28.

Linguæ oſtia quæ.

Prou. 14. 23. H

Antiochus Serm. 16.

Cùm ſemel emiſſum volet irreuocabile verbum, Et vt idem Sapiens ait. *Qui cuſtodit os ſuum cuſtodit animam ſuam*. & quidem vt alibi docet *ab anguſtia*, ab omni nimirũ moleſtia, & preſſura: dicit etiam oſtia non murum, ſicut ſanctus Gregorius obſeruat, vt moneat, aliquando, non ſemper loquendum eſſe, ſicuti nec oſtia ſemper debent eſſe clauſa; ſed ſuo tempore aperienda: tamen quia prudentia noſtra valdè exigua eſt ad oris cuſtodiam, cùm teſte B. Iacobo, beatus dicendus ſit ille, qui non peccat in lingua, orãdus enixè Deus, vt officium ipſe ianitoris præſtet, claues ſuæ diuinæ inſpirationis adhibendo, quibus linguam ad ea tegenda, vel detegenda, quæ oportet, moueat: ſic illum orabat Dauid, dicens *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*.

Prou. 13.3 & 21. 23.

Greg. lib. 7. moral. c. 18.

I

Pſ. 50.17.

Quòd

Quòd valde honorificum ſit, Dei magnalia prædicare: litera, &

DOCVMENTVM II.

A

DOCET etiam Raphael, opera Dei reuelare, & confiteri, honorificum eſſe: etenim licet abdita quædam myſteria, ſicuti non ſemel monet Dionyſius, haud paſſim omnibus tradenda ſint, *cum nefas ſit*, ait ille, *inter imperitos eloquia efferre diuina*: vnde ipſe etiam Dominus ante porcos, profanos nimirum, & impuros homines, haud eſſe proijciendas margaritas, ideſt diuina, & cæleſtia myſteria docet, cum ſancta, vt eſt in prouerbijs, ſanctis tantummodo tradenda, & communicanda ſint; tamen quod opera Dei à fidelibus, & ſanctis, ſint reuelanda, non modo Raphael hic docuit: ſed etiam S. Seuerus Epiſcopus Minoricenſis his verbis: *Cum Dei opera reuelare, & confiteri honorificum eſſe Raphael Archangelus doceat, profectò celare, vel ſilere opera Chriſti periculoſum eſt.* Stephanus verò Pontifex apud Rhegionem anno Domini 753. *Sicut*, ait, *nemo ſe debet iactare de ſuis meritis, ſic non debent opera Dei, quæ in illo per ſuos ſanctos fiunt, ſine ſuis meritis ſilere; ſed prædicari, ſicut Angelus admonet Tobiam.* Hinc olim miraculorum libelli apud Enodium, & Auguſtinum, & paſſionum martyrum, eorumque mirabilium operum in Eccleſijs publica recitatio, & notariorum conſtitutio in Conc. Carthaginēſi 4. qui in regiſtris, & ſcrinijs publicis Eccleſiæ ea deſcripta ſeruarēt, & negligentius in ſua diœceſi factum correxit Auguſtinus: Vnde ait: *Apud nos hæc nūc cœpit diligentia, vt libelli eorum, qui beneficia percipiunt, recitentur in populo.* Sanctus Chryſoſt. ſi quid boni, quod ad Dei, & Eccleſiæ gloriam, proximiq. ædificationem faciat, intelligamus, id apud omnes proferamus, magnopere hortatur. *Ideo*, dicens, *moneo, vt illos rumores augeamus, qui res noſtras attollunt, magnasq. videri faciunt, non autem illa fratres exaggeremus, quæ toti ſodalitati dedecus effundunt. Contra ſi quid audierimus boni, apud omnes proferamus, ſi quid vero mali, prauique, apud nos ipſos occultemus, idque vt tollamus nihil non faciamus.* Sic Moyſes narrauit Ietro ſocero ſuo omnia, quæ fecerat Deus populo Iſrael; BB. Paulus, & Barnabas in Concilio Apoſtolorū Seniorum narrabant quanta feciſſet Deus ſigna, & prodigia in gentibus per eos. Et apud S. Lucam, vir à dæmonio liberatus prædicare iuſſus eſt diuinas miſerationes. Vnde illi Chriſtus. *Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus.* quod etiam grato animo ab illo præſtitum eſſe, idem narrat Euangeliſta, ſubdens: *Abijt, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta ſibi feciſſet Ieſus.* Et B. Marcus, non in vniuerſa ciuitate ſolū; ſed etiam in illa regione, quæ à numero decem ciuitatum, Decapolis dicebatur, beneficium acceptum, diuinamque miſericordiam prædicaſſe ſcribit.

Dionyſ. lib. de diu. nom. c. 1. & de cæl. Hier. c. 1.

Diuina myſteria nō omnia omnibus euulganda.

S. Seuerus in ep. de Iud. conuerſ.

B

Steph. Pont.

Conc. Carthagin. 4. can. 41

Aug. de ciuit. Dei li. 27. c. 8

Chryſ. orat. 5. cōn. Iudæos.

C

Dei opera, quæ ad ædificationē faciunt, prædicanda.

Act. 15. 12

Luca 8. 39

Mar. 5. 20

Ad hanc diuinorum beneficiorum celebrationem hortatur intercalaris ille verſus pſalmi ſæpe reſtitutus: *Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum.* Hoc eſt, miſericordiæ Dei, beneficia Dei, in homines, ex miſericordia magna collata, laudent Deum: & ipſa mirabilia eius opera hominibus præſtita illum prędicent. Neque enim muta eſſe in nobis debent diuina beneficia; ſed vocalia, magniſque vocibus clamantia, & Deum confitentia; ita vt, ſicut ſequitur Pſaltes; *Exaltent eum in Eccleſia plebis, & in Cathedra ſeniorum laudent eum*, ipſa ſcilicet Dei miſericordia, acceptaque beneficia in Eccleſia, ſeu magno hominum cœtu, & in conſeſſu ingratorum virorum Deum celebrare debent: nam potiſſimum, & præcipuum, quod cordi noſtro fixum eſſe debet, eſt gloria ipſa Dei, propter quam illuſtrandam omnia, quæ extrinſecus ſunt, operatus eſt Deus: Hoc enim pacto: *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Deus*: & mentes illæ cæleſtes, Angelicæque, ad decantandas Dei laudes creatæ ſunt: vnde in Apocalypſi ſcriptum eſt: *Sedenti in throno, & agno, benedictio, & honor, & gloria.* Homines etiam ob hanc eandem cauſam formati, iuxta illud: *Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum, vt nomen ſanctificationis collaudent.* Et ob eundem finem redempti; *Vt virtutes*, inquit Beatus Petrus, *annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* Ob eundem denique finem beandi, & æternæ gloriæ præmio conſummandi, vt nimirum facie ad faciem Deum intuentes, maiori illum honore, ac gloria proſequantur. Voluit autem, omnes creaturas, ſummo quodam modo gloriam Dei præcinere; vt earum exemplo homines incitati, Dei gloriam illuſtrent. *Cæli*, inquit Diuinus Vates, *enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annunciat firmamentum.* Vnde Daniel, creaturarum contemplatione delectatus, tres pueros in fornacem coniectos introducit, Deum benedicentes, & diuinam gloriam decantantes. Scripturaque diuina ad hoc idem nos frequenter adhortatur, vbi ait: *Soli Deo honor, & gloria.* & Dauid: *Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.* Et Chriſtus: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt.*

Pſ. 106. 15

E

Pſ. 106. 32

Dei gloria præcipue procuranda.

Prou. 16. 4

Apoc. 5. 13

Eccli. 17. 7. 8.

Gloria Dei in omnibus eius operib. elucet.

1. Pet. 2. 9.

F

Pſ. 18. 2.

Dan. 3. 51

1. Tim. 1. 17.

Pſ. 95. 7.

G

Matth. 5. 16.

VERS. VIII.

Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere.

Quòd oratio optima ſit, quæ ieiunio, & eleemoſynæ iungitur litera, &c.

DOCVMENTVM I.

A LXX. BONA *eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna*. Septuaginta: *Bonum oratio cum ieiunio, & eleemoſyna, & iuſtitia, quàm theſaurizare aurum.*

Syrus. Syrus: *Sit vobis perſeuerantia in ieiunio, & oratione, & eleemoſyna, & iuſtitia, quoniam hæc duo bona ſunt operari: eleemoſyna theſaurus eſt magnus.*

Arabs. Arabs: *Optimum eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna melior, quam abſcondat quis theſauros auri.*

Hier. ad filiũ Mauritij. Addunt Septuaginta, & Syrus, Iuſtitiam, quia cum, Sancto Hieronymo teſte, *iuſtitia in diuina lege nihil ſit aliud, quàm non peccare*, & qui facit peccatum, vt dicitur infra, hoſtis ſit animæ ſuæ, nihil proſunt ad vitam æternam, teſte Beato Paulo, quæcunque fiunt bona opera, ſine illa. Vnde: *ſi tradidero*, ait ille, *corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem*, quę cum mortifera culpa eſſe non poteſt, *non habuero, nihil mihi prodeſt*: nam, vt Auguſtinus ait: *Sicut radix omnium malorum eſt cupiditas: ita radix omnium bonorum eſt charitas*: Et infra: *Quapropter fratres ſectamini charitatem, dulce, ac ſalubre vinculum mentium, ſine qua diues pauper eſt, & cum qua pauper diues eſt.*

1. Cor. 13. 1.

Bona opera ſine iuſtitia ad vitã æternam nihil proſunt.

B Aug. ſer. 19. de temp.

Hac itaque charitate, & iuſtitia diuina præſuppoſita, docet Angelus nullum eſſe theſaurum, qui orationi, cui adiuncta ſint ieiunium, & eleemoſyna, comparari queat: nam, licet bona ex ſe ſit oratio ei, qui eſt in diuina charitate poſitus; optima tamen eſt, quando ieiunium, & eleemoſyna habet adiunctam, cum bonum illud abſolutè dicatur, quod completum eſt, & optimum, cui nihil deeſt; ideoque apud Philoſophum bonum, & perfectum idem ſunt. Sic bona eſt, ait Angelus, hoc eſt oratio ſimplex completa; at illa optima eſt, & perfecta, quæ ieiuniũ, & eleemoſynam habet adiuncta; quia, vt Auguſtinus docet, tunc ſuis quaſi alis in cælum ſubuehitur. *Vis*, inquit ille, *orationẽ tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, ieiunium, & eleemoſynam*: nam ſicut alis volucris eleuatur; ita ieiunio, & eleemoſyna eleuatur oratio. Et quidem eleuatur ieiunio, quia hoc conſumit vapores in multitudine ciborum obortos, qui caput opplere ſolent, & obfuſcare mentem, quibus conſumptis, magna menti ſerenitas oboritur, & facilitas ad contemplationem. quod & experientia quotidiana docet, & SS. Patres teſtantur. *Ieiuniũ*, ait Chryſoſtomus, *leues pennas animæ producit, vt in ſublime feratur, & ſumma cõtemplari queat. & ſicut leuiores naues maria facilius tranſeunt; contra multis oneribus grauatæ ſummerguntur; ita ieiunium leuiorem reddens mentem, efficit, vt facilius huius vitæ pelagus transfretet, & in cælum, ac ea, quæ in cælis ſunt, reſpiciat.* Hinc Moyſes volens in altiſſima oratione Deum alloqui, quadraginta dierum ſpatio animam ſuam præparaſſe legimus, poſt quos, cum aſcendiſſet montem Synai, Deum alloquutus eſt, legemque accepit, & facie ita fulgens euaſit, vt non poſſent filij Iſrael, qui crapulis, & ebrietatibus ſeſe ingurgitabant, cùm primũ ad illos deſcendit, illum intueri. etenim *animalis homo*, ait B. Paulus, *nõ percipit quæ ſunt Dei*. Sic Elias, vt ait Baſilius, quadraginta dierum ieiunio animam purgans, in ſpelunca Oreb meruit, quantũ fas eſt homini, Deũ videre. B. Petrus, vt in actis Apoſtolorum legitur, cum eſuriret, cecidit ſuper eũ mentis exceſſus, illudq; grande myſteriũ de baptizandis gentibus, & introducẽdis ad Eccleſiæ vnitatem, intellexit. *Certè, vt oſtenderetur*, inquit Ambroſius, *ipſos ſanctos, cũ ieiunant, aptiores fieri, & magis habiles, & diſpoſitos reddi, vt mentem eleuent ad ſuperna myſteria conſideranda, & intelligenda, vtque animus luce diuina clariori illuſtretur.* Sic volens etiam Deus Beatum Paulum in vas electionis eligere, hoc eſt aptum illum efficere inſtrumentum. (Vas enim apud Hebræos inſtrumentum dicitur,) per quod claritas Euangelij in toto mundo fulgeret, & ipſius mentem eleuare in viſionem cæleſtium in illo triduo, quando in ſuæ conuerſionis exordio introductus Damaſcum in domo Ananiæ. *Erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit*, Euangelij miſteria per reuelationem didicit; teſtatur enim illemet, *ſe non ab homine accepiſſe Euangelium; ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* Et continuo, antequam Damaſco egrederetur, poſt tres illos dies in Synagogis *prædicabat Ieſum, quia hic eſt Chriſtus*. ex quo manifeſtum relinquitur, tunc fidem Chriſti, & Euangelium didiciſſe, illis ſcilicet tribus diebus, quibus fuit non videns, neq; manducans, nec vllis mundi rebus intentus; ſed ieiunijs tantum vacauit, & orationibus. Hoc fermè modo omnes Apoſtoli, & Sancti Dei, qui orationi dediti fuere, ieiunijs etiam vacabant. Etenim ſicut mulierem illam, quam amictam Sole cõſpexit B. Ioannes, legimus habuiſſe Lunã ſub pedibus eius, ita qui Sole diuinæ contemplationis fulgere volũt, & ante thronũ Dei per cõtemplationem ambulare, carnem ſicut Lunam per-

Philoſophus.

Oratio perfecta eſt, cũ ieiunium, & eleemoſynã adiunctã habet.

C Aug. in ſer. in pſ. 42. in fi.

Ieiunium ad orationẽ parationẽ mẽtem efficit.

Patres. Chriſoſt.

D

1. Cor. 2. 14.

Baſil. hom. 1. de ieiun.

Act. 10. 10

Amb. ep. 82. ad Eccl. Vercell. & ſer. 10.

E

Act. 9. 9.

Gal. 1. 12.

F

Apoc. 12. 1

perpetuæ mutationi ſubiectam calcare per ieiunium, & comprimere debent. Sic etiam
Ionæ 3. 7.
orationi ieiunium addiderunt Niniuitæ, vt Dei iram auerterent, & Gentiles, qui cum
Act. 27. 3.
B. Paulo erant in Naui, quatuordecim dierũ adiũcto ieiunio, periculi quæſierũt euaſionẽ.

G

Eleemoſyna orationem adiuuat.

Eleuatur etiam oratio, & altera eleemoſynæ ala; nam quemadmodum ab hominibus eo facilius aliquid impetras, ſi dona præmiſeris, præſertim peregrina, & exotica; ſic & acceptior euadit in cælis oratio tua, ſi illuc peregrina quædam dona ex mundi huius diuitijs per pauperum manus præmiſeris. Vnde Cyprianus: *Orationes*, ait, *non infructuoſis, nec nudis precibus ad Deum veniant. inefficax petitio eſt, cum precatur Deum ſterilis oratio: nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignẽ mittatur, vtique ſermo non habens fructũ promereri Deũ non poteſt, qui nulla eſt operatione fœcũdus.* (Cyprian.)

Exodi 17. 11. 12.
Dum Moyſes extenſis manibus oraret, Iſrael certans cum Amalech, vt ſacra narrat hiſto-
H
ria, vincebat; vincebatur verò, ſi Moyſes paululum extenſas manus remitteret. Quare, cum iam graues illius manus eſſent, hoc eſt laſſarentur labore, Aron, & Hur ſuſtentabãt eas ex vtraque parte. Fuerat enim hæc manuum Moyſis eleuatio externum ſignum intenſiſſimæ Moyſis orationis, qua magna animi contentione à Domino victoriam poſtulabat, & manuum remiſſio eiuſdem orationis adumbrabat remiſſionem. *Et nos*, inquit Auguſtinus, *dilectiſſimi, ſi adiuuante Domino, manus erigimus, inimicum ſuperamus: In manibus opera debemus accipere, ſi talia ſunt opera tua, vt illa poſſis in altum in conſpectu Domini leuare. Poteſt etiam & tu aduerſarios tuos extinguere. Quis benè manus leuat, niſi qui per eleemoſynam in cælo iugiter theſaurizat? quis benè leuat manus, niſi qui aſſiduè victum, & veſtitum pauperibus miniſtrat.* (Aug. tom. 10. ſer. 61.) *Sanè*, ait Chryſoſtomus, *tunc exaudimur, quando & nos audimus pauperes accedentes.* (Chryſ. to. 11. in ep. ad Heb.)
I
Vnde Sapiens: *Qui obturat aures ſuas, vt non audiat pauperum deprecationem eius non exaudiet Deus.* Et Pſaltes: *Beatus*, inquit, *qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Deus.* (Pſ. 40.)

Amb. lib. 5. in Lucam.
Luca 6. 10.
Expendit Ambroſius, quod Chriſtus, cuidam habenti manum contractam dixit: *Extende manum tuam, communis*, inquit, *iſta, generaliſque medicina eſt, & tu, qui putas manum habere ſanam, caue ne auaritia, ne ſacrilegio contrahatur, extende ſæpius eam, extende ad illum pauperem, qui te obſecrat, extende, vt proximum iuues, vt viduæ præſidium feras, eripias iniuriæ, quam vides iniuſta contumelia ſubiacere*, & quæ ſequuntur: quod licet efficere admodum graue ſit diuitibus, vt oſtendit Baſilius, exemploq́. ſuo, nos docuit Iuuenis, qui perfectionẽ appetens, à Chriſto manum extendere iuſſus; ſuaque pauperibus elargiri, triſtis abijt, auxilium tamen efficax præſtare poterunt Aaron, & Hur: etenim Aaron, Sancto Gregorio teſte, mons fortitudinis; Hur autẽ ignis interpretatur. (Baſil. hom. 7. in diuit. auarum.) Eſt mons fortitudinis Chriſtus, de quo Iſaias, & Micheas: *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium*, & ignis euangelica eius doctrina, quam ipſemet ignem appellauit dicens: *ignem veni mittere in terram*; nam & quis euangelica verba hæc audiens: *nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, theſaurizate autem vobis theſauros in cælo*, non ſuccendatur cæleſtiũ amore? quis Chriſtum conſiderans, dicentem, *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, manus ad pauperes non extendet? vt perfecta oratione ſua vincat Amalechitas, & hoſtes animæ. (Iſa. 2. 2. Michæ. 4. 1. Luca 12. 49. verſ. 35. 40. N) Bene itaque Daniel Nabuchodonoſori: *peccata tua eleemoſynis redime*, vt eleuetur non tantum, ſed etiam, vt exaudiatur oratio. (Dan. 4. 24.) Bona itaque oratio cum ieiunio, & eleemoſyna.

Si itaque volumus, ait Petrus Chryſologus, *Moyſis gloria, Heliæ vita, Ioannis virtutibus, omniumque Sanctorum meritis applicari, inſiſtamus orationi, vacemus ieiunio, ſeruiamus miſericordiæ, qui in his vixerit, qui per illa fuerit communitus, iacula peccati, diaboli tela, mundi machinas, vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatum laqueos, arma mortis Chriſtianus armiger non timebit.* (Petr. Chryſol. ſer. 41.) & infra: *Hæc ſunt fratres, quæ tenent cæli arcem, quæ ſecretum Dei iudicii pulſant, quæ ante Chriſti tribunal cauſas humani generis exequuntur, quæ iniuſtorum petunt indulgentiam, reorum veniam promerentur. Hæc cui in cæleſtibus non aſſiſtunt, ipſe non ſubſiſtit in terris.* (O) *Hæc cum in cæleſtibus principatum obtineant, in terris rerum ſummam moderantur. Hæc regunt proſpera, hæc aduerſa propellunt; vitia extinguunt iſta, virtutes iſta ſuccendunt: hæc reddunt caſta corpora, corda pura. hæc pacem membris, mentibus dant quietem, humanos iſta ſenſus ſcholam faciunt diſciplinæ, per hæc in templum Dei humana pectora conſurgunt, hæc hominem præſtant Angelum, homini deitatis deferunt hæc honorem.* Hucuſque Chryſologus. Ad hæc etiam faciunt magni Leonis verba. *Tria ſunt*, inquit ille, *quæ maximè ad religioſas pertinent actiones, oratio videlicet, ieiunium, & eleemoſyna, quibus exercendis, omne quidem tempus acceptum eſt, ſed illud eſt ſtudioſius obſeruandum, quod Apoſtolicis accepimus traditionibus conſecratum: Oratione Dei propitiatio quæritur, ieiunio concupiſcentia carnis extinguitur, eleemoſyna peccata redimuntur. Hæc triplex obſeruantia, dilectiſſimi, omnium virtutum comprehendit effectus. Hæc ad imaginem, & ſimilitudinem* (Leo ferm. 1. de ieiun. mſ. ſept. P)

Dei peruenit, & à Spiritu Sancto, inſeparabiles facit, quia in oratione permanet fides recta, in ieiunio innocens vita: in eleemoſyna mens benigna. & illa Bernardi:

In ſerm. ſect. 22.

Tria ſunt, à quibus abſtinere debent quicunque iuſtificari deſiderant: primo vtique ab operibus prauis; ſecundo à carnalibus deſiderijs: tertio à ſeculi curis: item tria ſunt, quibus debent inſiſtere, quæ etiã

Q

continet ſermo Domini in monte: eleemoſyna, ieiunium, & oratio; ſic enim adimpletur iuſtitia, dum ab interdictis vitijs abſtinent, & bona, quæ praecepta ſunt, exercent: Opponantur ergo *prauis operibus opera miſericordiæ; contra carnalia deſideria adhibeantur ieiunia; & pro curis ſeculi ſuccedat amor Dei, & frequentia orationis.* Hæc Bernardus.

Quòd ieiunio adiungi debeat mortificatio.

DOCVMENTVM II.

A

VERVM quia non raró contingere videmus, vt ieiunijs, & eleemoſynis noſtra adiuncta ſit oratio, nec exaudita, ex eo contingere non dubitare debemus, quia non talia fuerunt ieiunium, & eleemoſyna, qualia ſponſus elegit, nimirum cum mortificatione coniuncta. Vnde impijs illis hippocritis, cum Deo conquerentibus, quod ieiunantes

Iſa. 58. 3.

exauditi non eſſent: *quare*, dicentes, *ieiunauimus, & non aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras, & neſciſti?* Reſpondit: *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra*. Etenim aliud nullum corporale ieiunium Deus eligit, niſi quod mentis ieiunium reſpicit, & paſſionũ mortificationem, ad quam corporale ieiunium, non parum prodeſſe nullus dubitabit. Hoc itaque ieiunium, quod paſſiones animi mortificat, illud eſt, quod in oratione mentem eleuat, vt

Deo iũgi nequit, qui terrenis rebus adhæret.

Deo in altiſſima contemplatione iungi valeat, & audire quid ſibi in illa Deus loquatur: etenim ſicut in membranis, nihil

B

poteſt ſcribi, niſi ab omni prius craſſitie carnis abradantur; ita nec in anima Deus ſua ſcribit colloquia, quæ carnalibus adhuc paſſionibus adhæret. Vnde Iſaias:

Iſa. 28. 9.

Quem, inquit, *docebit Dominus ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus*. Nam, vt Pſaltes

Pſ. 75. 1.

ait: *Factus eſt in pace locus eius, &c.* hoc eſt in anima, quæ ſuas habet domitas paſſiones: nam in corporali, licet bello hoſtes inter ſe pacem habeant per ſimultatum, & inimicitiarum depoſitionem, nec ſemper neceſſe ſit hoſtem debellare, & habere domitum; tamen cum paſſionibus noſtris nullam

Diuina conſolatio non datur alienã admittẽtib.

poſſumus habere pacem, niſi cum illis certemus, & mortificatione domitas habeamus. Quare Dominus filijs Iſrael: *Quando*, inquit, *tranſieritis Iordanem, intrantes terram Chanaam, diſperdite cunctos habitatores terræ illius, &c. quòd ſi nolueritis interficere, habitatores terræ, qui remanſerint, erunt vobis quaſi claui in oculis, & lancea in lateribus*. Sic terreni reges, & principes, dum vrbium ſuarum poſſeſſores pacificos fieri appetunt, haç prudentia, & huiuſmodi ingenij calliditate vtuntur, vt videlicet de ciuitatibus amoueant, & condemnent, quotquot ſui principatus ſuſpectos habent, & ſuæ dominationi aduerſarios effici poſſe formidant, quatenus, ablatis ſeditionis fautoribus, tuto, & abſque metu valeant dominari. Et doctus agricola vomere radicitus ſentes ex agro diuellere conſueuit, ne reuiuiſcentes denuo germinent, & ſeminatæ ſegetis immaturum præfocent fructum: ſic quiſquis animi ſui inordinatis motibus pacificè dominari deſiderat, & ſpiritualem fructum, Deo amabi- D

Num. 33. 51. & 52.

C

lem proferre, ſolerter pernicioſas animi paſſiones ſupprimere curat, & in quantum poteſt eradicare: *nolite* itaque, ait Iſaias, *ieiunare, ſicut vſque ad hanc diẽ, vt audiatur in excelſo clamor veſter*. Et infra: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſq. &c. & tunc vocabis Dominum, & exaudiet, clamabis, & dicet: Ecce adſum.*

Iſa. 58. 4.

Inf. v. 7. 9.

VERS. IX.

Quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam.

1 *Eleemoſyna peccata extinguit.*
2 *Miſericordiam Dei impetrat.*

QVONIAM. Rationem aſſignans Raphael, cur oratio eleemoſynæ, & ieiunio adiũcta quouis auri theſauro lõge ſit pretioſior, *quoniã*, inquit, *eleemoſyna à morte liberat, purgat peccata, & facit inuenire miſericordiã, et vitam æternã*, quæ ſanè efficere nullus auri theſaurus, licet maximus, nullæ mundi pretioſiſſimæ gazæ poſſunt.

Et quidẽ liberare à morte ſupra docuimus. *Sup. c. 4. v. 11*

1 *Purgat peccata.* Non quòd vlla ſit eleemoſyna, quamuis ampla, quæ citra pœnitentiæ ſacramentum, ſaltem in voto, ſi confeſſarius non ſuppetat, in homine mortale peccatum delere valeat: nam Chriſtus pœnitentiæ ſacramentum adeo neceſſarium pec-

Eleemoſyna quomodo peccata extinguat.

catis poſt baptiſmū remittendis inſtituit, vt pro originali baptiſmum; ſed eleemoſyna hac ratione peccata purgare dicitur, quia venialia delere peccata poteſt, & vt Sanctus Thomas docet, præparare peccatorem ad pœnitentiam, grauioribus peccatis neceſſariam ad confitendi voluntatem, & ita tandem ad confeſſionem, plenamque peccatorum abſolutionem. Quo pacto Cornelium Centurionem Gentilem hominem, & ob id peccatorem, præparatum fuiſſe legimus, qui, vt in actis dicitur, cum eſſet *vir religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſua, faciēs eleemoſynas multas plebi Cæſarienſi, vidit Angelum Dei ad ſe introeuntem, dicentemque: Corneli, orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* Hinc meritò Sapiens: *Sicut aqua,* inquit, *extinguit ignem; ita eleemoſyna extinguit peccatum.* Ac ſi dicat, ſicuti cum domus ſuccenditur, aqua abundantiſſimè effuſa deuorantes flammas extinguit; ita peccata omnia extinguit eleemoſyna. Et alibi: *Redemptio,* inquit, *animæ viri, diuitiæ ſuæ.* nam, ſicut diuitiæ collectæ colligentem perdunt, vt in illo patet, qui dicebat: *deſtruā horrea mea, & maiora faciam,* cui dictum eſt: *ſtulte, hac nocte animam tuam repetent à te:* ita in pauperes effuſæ effundentem ſaluant, vt patet in Abraham, Iob, Zachæo, & alijs. *Pecuniam habes?* inquit Ambroſius, *redime peccatum tuum, non venalis eſt Dominus; ſed tu ipſe venalis es, peccatis tuis venundatus es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. In domo tua,* dicit Auguſtinus, *pretiū habes redemptionis tuæ, in cellarijs tuis, & horreis, quibus te ipſum redimas, & à captiuitate, & morte reddas liberum: extrahe igitur, redime te,* & quæ ſequuntur. Docuit Daniel: quare poſt explicatam Nabuchodonoſori viſionem, ait: *Rex conſilium meum placeat tibi: peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.* Sanè viderat Nabuchodonoſor in ſomnis arborem magnam, & fortem, cuius proceritas cælum, & aſpectus terminum vniuerſæ terræ contingere videbatur, eiuſque folia pulcherrima, & fructus nimius apparebat, & virum, & ſanctum de cælo fortiter clamantem audierat: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, &c. in ſententia vigilum; decretum erat, & ſermo ſanctorum, et petitio.* Signabat hæc arbor, eodem Daniele interprete, ipſum Regem, contra quem in cælo ſententia lata fuerat à ſanctiſſima Trinitate, petente, & inſtante Sanctorum parte legitima, ob nimia eius peccata, vt è medio tolleretur; tamen tantam vim eleēmoſynæ Daniel eſſe cognouit ad pœnitentiam inducendam, vt illam eſſe remedium efficax dixerit ad ipſum Deum de ſententia dimouendum. Quare ſi grandis fuit vis ieiunij Niniuitarū, quod ſententiam à Deo per prophetam prolatam permutauit: Et efficaciſſimæ Ezechiæ regis lacrymæ, quæ ſententiam mortis a Deo latam, & à propheta Iſaia intimatam, potuerunt renocare; non minor profectò vis eleēmoſynæ, quæ idipsū operari potuit. Certe *ſi rex Nabuchodonoſor,* ait Chryſoſtomus, *poterat eleēmoſynis peccata redimere, cui non proderunt eleēmoſynæ?* nam, teſte Hieronymo, fecit quidem tunc rex Nabuchodonoſor quod propheta conſuluit, idcirco vſque ad menſem duodecimum dilata eſt ſententia: quia tamen poſtmodum veteribus noua addidit peccata, & ambulans in aula Babylonis, ſuperbe gloriatus eſt in potentia ſua, malo ſuperbiæ, miſericordiæ bonum perdidit. *Magna ergo eſt eleemoſyna,* ait Ambroſius, *quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ ſuæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum, & quamuis offenſus Deus, quamuis criminibus prouocatus, cogatur liberare eleemoſynis, quã diſpoſuerat punire peccatis. Cogitur enim quodammodo à nobis, dum compellitur pro actibus noſtris mutare ſententiam. Sed cum audis,* ait Auguſtinus, *omnia malefecta eleemoſynis redimi, noli ſic intelligere, vt intelligunt quidam peruerſe; eleemoſynæ enim poſſunt tibi prodeſſe ad delenda peccata præterita, ſi mores mutaueris, ſi autem in eiſdem malis perſeueraueris, eleemoſynis tuis non erumpes iudicium Dei.* Sic peccatum, cuius quempiam pœnitet, vt ſupra diximus, purgat eleemoſyna.

S. Tho. 2. 2. q. 154. ad 5.
Act. 10. 2.
Eccl. 3. 33.
Prou. 13. 8.
Luca 12. 18.
Amb. ſer. 12. de tepore.
Aug. lib. 50. hom. hom. 39
Daniel 4. 24.
Chryſ. ſiue auctor. operis imperf. hom. 26. ad fin.
Hier. in c. 4. Daniel.
Ambr. ſer. 15.
Aug. lib. 50. hom. hom. 20
Sup. hoc eod. nu. & fuſius c. 4. v. 11. documẽ. 5.

2 *Et facit inuenire miſericordiam.* Nam, vt Chriſtus ait: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati illi, qui ſubueniunt miſeris,* ait Auguſtinus, *quoniam eis rependitur, vt per miſericordiam Domini de miſeria liberentur.* nam idipſum videtur iuſtum, vt qui à potentiore adiuuari vult, adiuuet inferiorem, in quo ipſe eſt potentior. Quare optima ratio eſt deprecandi Deum, vt noſtri miſereatur, alijs miſereri, vnde Sapiens: *fœneratur Domino,* ait, *qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* fœneratur quidem Domino: nam vt Baſilius ait. *Qui pauperis miſeretur, Deo ad vſuram dat, multo maiorem ab illo recepturus miſericordiam.* nam: *petit Deus,* ait Chryſologus, *humanam miſericordiam, vt largiatur diuinam:* Sane ſicuti ſi aliquis eſſet mercator, qui locupletem ſuam officinam ſericorum, & aureorum pannorum offerret, iuxta quantitatem menſuræ, quæ affertur, liberaliſſimus iudicaretur; ita liberaliſſimus iudicandus eſt Deus, qui iuxta noſtræ menſurā miſericordiæ, maximam ſuam nobis donat, & gratiam, & tandem vitam æternam. Vt enim Sapiens ait. *Qui ſequitur iuſtitiam, & miſericordiam, inueniet vitam, iuſtitiam, & gloriam.*

Matt. 5. 7.
Aug. de ſerm. Domini in monte.
Prou. 19. 17.
Baſil. conc. in pſal. 14.
Petr. Chryſol. ſerm. 8.
Prou. 21. 21.

Matt. 25. 34.35. 40.

Miſericotdibus enim tantummodo dictnrũ Chriſtum legimus in iudicio: *Venite benedicti, poſſidete regnum; eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, ſitiui*, & quæ ſequuntur. Et: *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. vbi Auguſtinus: *quæ*, inquit, *cauſa tantæ mercedis, vel tanti ſupplicij: percipite regnum, & ite in ignem æternum? quare iſtis percepturis regnum eſuriui, & dediſtis mihi manducare? quare illis ituris in ignem æternum, eſuriui, & non dediſtis mihi manducare? Quid eſt hoc rogo? Video de his, qui percepturi ſunt regnum, qui caſti fuerunt, abſtinentes ab operibus malis, veruntamen ipſis non ait, percipite regnum; caſte enim vixiſtis, nulli fraudem feciſtis. non dixit hæc, ſed percipite regnum, quia eſuriui, & dediſtis mihi manducare: quanto hoc excellit, quando cætera tacuit, & hoc ſolum Dominus nominauit. Rurſus ad illos: ite in ignem æternum. Quam multa poſſet in impios dicere: tamen ſolum ait: quia eſuriui*, quia miſericordia extincta peccata vigent. Sic bonis non ite in regnum dixit, quia non peccaſtis, ſed quia eleëmoſynis redemiſtis peccata: & malis, ite in ignem æternum, non ex eo tantum, quia peccaſtis; ſed maxime quia eleëmoſynis peccata veſtra non redemiſtis. Atque adeo per eleëmoſynam pontem nobis ſternimus, per quem ad vitam æternam ingredimur. Quod ſignificatum etiam olim fuit à Salomone, quando in ingreſſu oraculi fecit duo oſtia de lignis oliuarum; nam cum, teſte B. Paulo, oratorium iſtud figura eſſet cæleſtis patriæ portæ, qnibus ad illud ingredimur, opera eſſe miſericordiæ ſignificare voluit: fuit enim oliua apud antiquos miſericordiæ ſymbolum, vt notat Pierius. Qnare Dauid: *Ego autem*; inqnit, *ſicut oliua fructifera in domo Dei*. quod ſicut oleum cæteris ſupernatat liquoribus; ſic illa cæteris Dei, & hominis operibus prævaleat, & nutriat lucem gratiæ in anima, vt oleum lucem in lucerna. Oleo etiam inungebatut Athletæ, ne facile ab hoſte apprehenderentur: ita miſericordiæ oleũ facit, vt alacres inimicorum noſtrorum laqueos euadamns: *Lubricum enim eleemoſynæ oleum*, ait Chryſoſtomus, *corpus hominis conſtituit, ita vt manus diaboli propter lubricitatem facile effugiat*.

Aug. ſer. 15. de temp. & li. 50. hom. hom. 19.

Eleemoſyna cæteris operibus antecellit.

Hebr. 9.

Pier. lib. 53.

Pſ. 51. 10.

Chryſoſt.

VERS X.

Qui autem faciunt iniquitatẽ, & peccatum, hoſtes ſunt animæ ſuæ.

1 *Peccatum ab iniquitate, quomodo differat.*

2 *Peccatores quomodo, & quales ſint hoſtes animæ ſuæ.*

1 QVI *faciunt peccatum, & iniquitatem*. Illam habet iniquitas à peccato, teſte Origene, differentiam, quod iniquitas in his dicatur, quæ contra legem committũtur. vnde & Græcns ſermo ἀνομίαν, appellat iniquitatem: peccatum verò etiam illud dici poteſt, ſi contra quod natura docet, & conſcientia arguit, delinquatur. Orig. lib. 4. ad Rom.

2 *Hoſtes ſunt animæ ſuæ*. Ideſt vitæ temporalis, & æternæ, carnalis, & ſpiritualis. Ita LXX. *peccantes*, legunt, *autem hoſtes ſunt ſuæ ipſorum vitæ*. Quare videantur licet peccatores ſe ipſos diligere, re vera tamen hoſtes ſunt animæ ſuæ: nam ſi hoſtiliter aliqnem perſequi dicimur, quando illum percutimus, vel eidem ſponte alio modo grauiter nocemus, vel mortem intentamus, quanto maior, & execrabilior erit ille animæ ſuæ hoſtis, qni vulneribus illam peccatorum, quæ curari nunquam poſſunt, afficit, & morte, cui nulla, quantum in illo eſt reſurrectio ſupereſt, mactat, æternumque in tartaro ſepelit? *Ergo ſi diligis iniquitatem*, inquit Auguſtinus, *audi veritatem non te palpantem, ſed apertè tibi dicentem, Odis te, quanto magis dicis, quia amas te, odis te: qui enim diligit iniquitatem, odit animam ſuam*. Nam faciane licet homines iniqnitatem ſpecie vtilitatis illecti, aut voluptatis, qua tegitur, ſicut ſumit piſcis hamum propter eſcam illi adiunctam, cum nemo carnem ſuam ita odio habeat, vt ad malnm reſpiciens operetur, vnde illud affectu, & formaliter nolit; tamen, vt Bernatdus loquitur, hoſtis eſt animæ ſuæ effectu, & verè interficiendo animam ſuam illam hoſtiliter perſequitut, oditque. Quod Chriſtus Dominus apud Beatum Ioannem apertiſſimè etiam docuit, dum ait: *Qui amat animam ſuam, perdet eam*. Quicunque nimirum ſemet ipſum immodicè, & pluſquam oporteat in hoc mundo (quod poſtea expreſſit) amat, quoad ea ſcilicet, quæ ita huius ſunt mundi, vt non alterins, qualia ſunt voluptates, diuitiæ, honores, & ſimilia, *perdet eam*, & quidem in æternum.

LXX.

Aug. li. de diſcipl. chriſtiana c. 4. tom. 9

Ber. de perſecut. ſuſtinen. c. 3.

Io. 12. 25.

Quin & per peccatum omnia labefactari; ac perdi, docet Auguſtinus, aſſerens illud eſſe ipſam deordinationem. Sic ille. *Peccatum eſt ipſa deordinatio*. Et Philoſophus: *Peccatum eſt monſtrum naturæ*: quod etiã ipſa Theologia confirmat, vbi omni ſuo parente Sancto Thoma, docet, peccatum non modo eſſe naturæ contrarium; ſed eiuſdem etiam eſſe deſtructionem; ex eo maximè, quia iam acer in eam hoſtis exiſtit, vt in inſidijs iugiter ex aduerſo perſiſtens, nec vno inſtanti inducias peccatori concedat. quod Pſaltes docuit, dum ait: *Et peccatum meum contra me eſt ſemper*. Vnde Anaſtaſius: *Iniquitates*, inquit, *mala nobis con-*

Aug. lib. de var. quæſt. ad Simpl. q. 2.

S. Tho. 1. 2. q. 71. a. 2.

Peccatũ naturę mõſtrũ.

Pſ. 50. 5.

ci-

Anaſtaſ. q. 16. Plutarc. li. 1. de curioſit.

eilsant vniuerſa; Et ipſemet Ethnicus Plutarchus: *Magnus*, inquit, *artifex infelicitatis eſt ipſa peruerſitas*.

Quòd facientes peccatum animam ſuam hoſtiliter perſequantur.

DOCVMENTVM.

A

CVM, ſicut in litera diximus, hoſtiliter aliquẽ perſequi nihil aliud ſit, quam malũ illi velle, ſatis liquet, illos crudeliſſimos eſſe animæ ſuæ hoſtes, qui faciẽtes peccatũ, animam ſuam omnibus malis replent, nimirum paupertate, dolore, ſeruitnte, & ipſa demum morte: & quidem paupertate tanta, vt dicat Chryſoſtomus: *Nihil eſt peccante pauperius*: nã cum alij pauperes vel opibus diuitum ſuſtentẽtur, vel communibus naturæ præſidijs, qualia ſunt feræ, piſces, poma, herbæ, aquæ fluminum, & ſimilia; ipſa tamen ſine Deo, quẽ longe ab illa ablegauit peccatum, nullũ habere poteſt ſuſtentamentum.

Peccatum animã pauperem reddit. Chryſ. hom. 5. de prouid. to. 5.

Talibus deinde doloribus, qui faciunt peccatum, animam ſuã replent, vt cum felle draconis illos Moyſes compararit, dicens: *fel draconum vinum eorum, & venenũ aſpidum inſanabile*: nam licet primus peccati aſpectus, inſipientibus pulcher, & delectabilis appareat inſtar vini, *quando ſplendeſcit in vitro color eius*, dũ tamen bibitur, vt Sapiens ait, *ingrediatur blande, ſed in nouiſſimo mordet vt coluber, & ſicut regulus venena diffundit*, nexum Dei, animæque diſſoluẽs. ex qua diſſolutione, vtpote omnium maxima, vehementiſſime illam cruciari oportet, & quandoque tanto cruciatu, vt nullus maior, aut deterior inueniri poſſit, quod in illis Ieremiæ verbis contemplari licet, vbi ait: *quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari?* quod nulla vis naturæ huius plagæ mitigare queat dolorem, ſed ſola Dei virtus. Vnde, & alibi Sapiens. *Cui væ, cui patri væ, cui rixa, cui fouea, cui ſine cauſa vulnera, cui ſuffuſio oculorum? non ne his, qui commorantur in vino?* in doloſa nimirum peccati voluptate.

Doloribus replet.
Deut. 32. 33.
B
Prou. 23. 31. 32.
Iere. 15. 18
Prou. 23. 29.
C

Tali etiam ſeruitute facientes peccatum, ſæuiſſimo hoſti animam ſubdunt, iuxta illud Chriſti Domini: *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*, vt peccatorẽ ipſius peccati mancipium efficiat, quod expreſſit Elias, quando Regi Achab in faciem exprobans ait illi: *Venundatus es, vt faceres malum*.

Io. 8. 34.
1. Reg. 21. 25.

Et tandem, quod malum omnium malorũ eſt, & vltimum terribilium, tali morte facientes peccatum animam ſuam perdunt, vt ipsũ Deum, qui vita eſt eius, ab ea longiſſime ablegent: nam *duæ ſunt vitæ*, inquit Auguſtinus, *vna corporis, altera animæ, ſicut vita corporis anima, ita vita animæ Deus*. quam vitam in ſe experientia doctus B. Paulus: *mihi*, ait, *viuere Chriſtus eſt*: nam vt S. Thomas docet, cum vita importet motionem quandam, quod viua moueantur à ſe ipſis, illud dicitur vita in homine, à quo habet operandi principiũ, qualis eſt vltimus finis; vnde cum quis operatur propter Denm, Deus, qui eſt illi principium agendi, vita ipſius dicitur, quam vitam tollit, & extinguit peccatum, cuius extinctione non à corpore, ſed à Deo ſeparata, internorum ſenſuum eidem præcluduntur officia, diuina in ea deturpatur imago, mentis adimitur claritas, in ſepulchro tumulatur conſcientiæ, ligatur inſtitis concupiſcentiarum, duritie operitur cordis, & lapide demum iniquitatis intus recluditur. En mortem verè metuendam: nam eſt mors corporis viro iuſto finis miſeriarum, at iſta mors animæ miſeriarum eſt cumulus, aceruus malorum, & æternæ, ac infernalis mortis nota certiſſima.

Peccatũ animã occidit.
Aug. in ſent. apud Proſp. 236.
Phil. 1. 21
S. Tho. in c. 1. ep. ad Philip.
D

Sed plura de hac re dicemus in tractatu de ſæuitia, & hoſtilitate peccati, poſt explanationes.

Tract. de hoſtilitate pecc. ti habetur i. fine horũ explanationum

VERS. XI.

Manifeſto ergo vobis veritatem, & non abſcondam à vobis occultum ſermonem.

VERS. XII.

Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

1 *Opera Tobiæ ſenioris, per quæ meruit exaudiri recenſita ab Angelo.*
2 *Lacrymarum maxima vis ad Deum permouendum.*
3 *Orationes noſtras, & bona opera, quomodo offerant Deo Angeli.*

1 MANIFESTO *ergo vobis veritatem*. Vt nimirum opera Dei, ſicut vobis faciendum eſſe dixi, reuelentur. Ita Septuaginta: *Dixi iam myſterium regis occultare bonum, opera autem Dei reuelare honorificè*. VERS. XI

LXX.

Et non abſcondam à vobis occultum ſermonem. Myſterium, ſacramentum Dei, non regum, quod occultandum eſſe dixerat.

Quando orabas cum lacrymis. Septua- VERS. XII

Digitized by Google

LXX. ginta: *Tu, & nurus tua Sara*, miſerijs vndique vallati, tu ab ipſa tua coniuge, illa ab ipſa famula multis affecti contumelijs, quod illam commoneris de hœdo, quẽ balantem audieras, timens ne cibus ille, ſuæ impar egeſtati, furtiuus eſſet, & iſta famulam pro delicto corripiens, contumelijs ab eadem eſſet affecta.

Sepeliebas mortuos. licèt profugus deliteſceres in antris, & cauernis, ſame, ac ſiti oppreſſus, vbi ſciebas eos inſepultos iacere.

Et derelinquebas prandium tuum. Et quidem religioſum, quod pro leuamine animi eorum, qui ex diuturna afflictione reſurgebant, feceras, quando nimirum in eo accumbẽs, accepto nuntio, quòd Hebræi cadauer iaceret in platea, protinus pro humando defuncto, prandium reliquiſti, & in humeris

LXX. illum baiulans domum introduxiſti. LXX. *Quando ſepeliebas mortuos, ſimiliter aderã tibi, & quando non piger eras ſurgere, & relinquere prandium tuum, vt abſens operires mortuum, non latuiſti me benefaciens; ſed tecum fui*. ſicque

Mortuos abſcondebas per diem in domo tua. Vt deinde

Nocte. Illos tuto ſepelire poſſes. Tunc, inquam, ait Raphael, quando hæc occultè faciebas, de quibus oibus, alijsq. miris Tobi ſenioris geſtis ſuis locis pluribus egimus.

3 *Ego obtuli orationem tuam Domino*. Quòd certo ſcirem eam otationem haud à Deo reijci poſſe, quam vehemens deſideriũ protuliſſet, & lacrymæ abundantiſſimæ irri-

Laur. Iuſti in ligno uit. de orat. c. 9. gaſſent. Vnde Laurentius Iuſtinianus: *Nemo*, inquit, *ad Deum aliquando flens acceſſit, qui non quod poſtulauit acceperit*. Trahunt enim lacrymæ ad nos ſponſum animæ noſtræ Deum, & qui rogabatur, iam fletu emollitus, & captus ad nos venit, quaſi pre-

Cant. 5. 2. cator: *Aperi mihi*, inquiens, *ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*. Quæ ſanè guttæ, & ros, lacrymas ſignificant, quibus ſponſus refrigerium ſentit, æſtumq. deſiderij, quo noſtram ſalutẽ ſitit, vtcunque ſedat, non ſecus ac ros, & guttæ, quæ in ſerena nocte deſcendunt, & quaſi ad ſuſtinendum æſtum Solis terram recreãt: quibus guttis, & rore, cum primum caput eius, hoc eſt diuinam eius perſonam infuderimus, & gemitibus viuificauerimus, ad nos feſtinus accurret, vtque ei aperiamus, poſtulabit, & ingreſſus ad nos, & compedibus amoris captus, quid non animo libenti concedet? Quare oratio, cui adiunctæ ſunt lacrymæ, quaſi ſemen eſſe videtur, quod in terram bonam cadit, quod ſi aquis copioſiſſimis irrigatur, non poteſt non abundare

Pſ. 125. 6. fructu. Ad quod fortè reſpexit Dauid, dum cecinit: *Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*.

3 Illud hic obſeruare debemus, munus eſſe Angelicũ noſtras preces, quas optimè perſpectas habent, ſiue per viſionẽ beatificã, ſiue per nouas extra illam reuelationes, Deo, vt Raphael docet, offerre: quod etiam oſtendit Ioannes in Apocalypſi, dum ait: *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante Thronũ Dei*. Ex quo Nicephorus Conſtantinopolitanus, indicatus ab Anaſtaſio Niceno. *Scimus*, inquit, *& credimus, noſtras in Deum glorificationes per ſanctos afferri Angelos* quod etiã docet Auguſtinus, Rupertus, & alij Patres. *Apoc. 8. 3.* *Anaſtaſ. Nicen. q. 61.* *Aug. ſer. 226*

Hinc Bernardus Angelos alloquens, *Quis dabit mihi*, ait, *per vos, ò benigni principes, petitiones meas innoteſcere apud Deum? non enim Deo, cui etiam cogitatio hominis confitetur: ſed apud Deum, hoc eſt ipſis, qui cum Deo ſunt, tam beatis virtutibus, quam pro carne ſolutis ſpiritibus*. Et quidem illas Deo offerunt, cui omnia antequam fiant, nota ſunt, nuda, & aperta, quia ita Deo ad maiorẽ ſuæ poteſtatis, & bonitatis demonſtrationẽ, & gloriam placet: ſicut etiam eoſdẽ angelos in miniſteriũ mittit, & ſi citra vllam eorum operã poſſet hominem tueri, & gubernare: & tandem, vt ſuas preces noſtris adiungentes, calidiores frigidioribus, efficaciores ignauioribus, puriores impurioribus ipſum Deum conſulant, & ab eo quid propterea ſit erga iuſtos agendum dignoſcant. Sic Auguſtinus: *Dicuntur*, inquit: *Angeli orationes, & vota noſtra offerre Deo, non quia Deum doceant, quia omnia antequam fiant ſicuti, & poſtea quã facta ſunt, nouit, ſed quia eius voluntatẽ ſuper his conſulunt, & quod Deo iubente completum eſſe cognouerint, hoc nobis euidenter, vel latenter reportent*. *Rupert. lib. 9. de uict. ver bi Dei c. 8.* *Bern. ſer. 7 in cant. & ſer. 9 ſup. miſſ eſt. ec aitho.* *Aug. li. de dilig. Deum .. tom. 9. & de ciuit. Dei lib. 8. c. 19.*

Verum non modo piorum orationes, & vota, quæ ſuauitatis odorem coram cæleſti altari fundunt, Deo Angeli offerunt; ſed etiã bonas ipſorum operationes, vt in actis Angelus Cornelium docuit, dum ait: *Orationes tuæ, & eleemoſyna tua aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*. Ac ſi diceret, vt benè aduertit Serarius: *Ego obtuli orationes, & eleemoſynas*. nam quod dicit aſcẽderunt in memoriam, idem valet, quod in Græco, *obtuli memoriam orationis veſtræ*, eſt enim vtrobique τὸ μνημόσυνον. *Act. 10. 4.* *Serar. in Tob. c. 2. q. 9.*

Non tamen eo modo Angeli preces, vel opera noſtra Deo offerunt, quo multi mundo internuntij aliorum preces, & facta referunt, vel quo pacto apud magnates, qui à ſupplicibus ſunt libellis, vel à cubilibus nudiſſimè, ſicciſſimè, cauſas etiam optimas interdum proponunt; vel quia de poſcente, rogante, vel operante parum curant; vel quia principes alijs negotijs occupati, vel feſſi ſunt; vel quia epulo, ſomno, ludo aliquo ſeſe dum recreant, quicquid ad opera- *Angeli noſtras precib. ſuas iungũt, dum illa offerunt.*

tionem vocat, ingratum habent. Sanè Angelorum in homines pios maxima eſt charitas, & Deo nihil, quod illi agant moleſtum. Quare amicè ſemper cum beneuola aliqua commendatione, precumque ſuarum adiunctione, preces, vota, & opera piorum offerunt meliori, qua poſſunt ratione, & ad impetrandam diuinam miſericordiam magis idonea: videlicet, vel excuſando, vel extenuando præteritam culpam, vel præſentem animi deliberationem, & æquitatem laudando, & quantum veritas patitur amplificando. Sicut Sathan accuſator fratrum ſuorum bona opera noſtra extenuat, atque contemnit, peccata verò exaggerat, ſuasque etiam ex malignitate, & odio calumnias nequiſſimas adiungit, vt apparet in concilio illo Angelorum apud Iob, vbi Angeli tacent, quæ loquitur, & accuſat diabolus, quare illa tantum Deo præſentant, quæ ſuauiter olere Deo poſſunt thimiamata orationum, & bonorum operum. Ideo habent thuribula, & phyalas plenas odoramentorum, ſic ſcribentes vidit Angelos Bernardus, monachorum feruentes orationes, vt Deo offerrent, tepidorum verò, & negligentium omittentes. Quo pacto Angelum orauiſſe legimus pro populo Iudaico, his verbis: *Domine exercituum vſquequo tu non miſereberis Ieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? iſte iam ſeptuageſimus annus eſt, &c.* Et tunc maximè quando ab illis inuocantur. Sanè vt ait Serarius

Iob 2.2.

Apoc. 5.8.
Lib. de virt. Ill. Ord. Ciſter. 5.

Specul. exempl. verb. Angelus ex 11. editione.

Serar. vbi ſupra q. 12.

Quid monet, vt facias quod iam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo;
Acer, et ad palma per ſe curſurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Sic amēt licet Angeli nos propenſius, ſi propria tamen aliqua accedat ratio nos magis amandi, & adiuuādi, cur ea non moueri cēſeamus, ſi eos rogemus, & inuocemus, vel etiā ſi diuina id ipſum voluntas ijs imponat?

VERS. XIII.

Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.

VERS. XIV.

Et nunc miſit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.

1 *Tobiam tentari à Deo cur fuerit neceſſe.*
2 *Tentare Dei quid ſit.*
3 *Raphael an tutelaris Tobiæ.*
4 *Angeli homines à malis corporis, & à dæmonibus tuentur, & liberant.*

Sen. li. de diu. Prou. c. 2.

E*T quia acceptus eras Deo.* Nam vt Chriſtianè loquitur Seneca, ipſis Deus conſulit, quos eſſe quam honeſtiſſimos cupit, quoties illis materiam præbet aliquid animosè, fortiterque agendi.

1 *Neceſſe fuit.* Arabs: *conueniens:* quia vt Marcus Anacoreta docet, Deus conſcius infirmitatis noſtræ, non ſolet alicui magni aliquid conferre, niſi præuia calamitate. Sic enim in Exodo velū tabernaculi, quod ante arcam teſtamenti pendebat, ex purpura, coccoque bis tincto, & ex byſſo retorta, atque hyacinto conficitur, quoniam tentatione in purpura, & byſſo, & præmia in hyacinto ſignata, ita debent commiſceri, vt ex pœna ad præmium, & ex tribulatione ad gloriam tranſeamus.

Arabs.
Marcus Anacoreta.
Exod. 26. 31.
Tribulatio præmiū præcedit.

Si quis autem ſcire vult plenius, ait Lactantius, *cur malos, & iniuſtos Deus potentes, beatos, diuites fieri ſinat. Pios contra humiles, miſeros, inopes eſſe patiatur, ſumat eum Senecæ librum, cui titulus eſt. Quare bonis viris multa mala accidant, cum ſit prouidentia, in quo ille multa non plane imperitia ſeculari; ſed ſapienter, ac planè diuinitus eloquutus eſt. Deus, inquit, homines pro liberis habet; ſed corruptos, & vitioſos, luxurioſè, ac delicatè patitur viuere, quia non putat emendatione ſua dignos: bonos autem, quos diligit, caſtigat ſæpius, & aſſiduis laboribus ad vſum virtutis exercet, nec eos caducis, & mortalibus bonis corrumpi, ac deprauari ſinit, vnde nemini mirum videri debet, ſi pro noſtris ſæpè delictis caſtigamur à Deo, immo verò cum iactamur, & premimur, tum maximè gratias agimus indulgentiſſimo patri, quòd corruptelam noſtram non patitur longius procedere; ſed plagis, ac verberibus emendat; ex quo intelligimus eſſe nos Deo curæ, quibus, quoniam peccamus, iraſcitur.*

Lactan. lib. 5. diu. inſt. c. 23

2 *Vt tentatio probaret te.* nam tentare nihil aliud eſt, vt S. Thomas definit, niſi *experimentum ſumere de aliquo, vt ſciatur aliquid circa ipſum.* & quidem, vel ab ipſo tentatore in intentione, veluti cum quis flumen tranſiturus, tentat vadum, vel alij cognitionem quærendo, quomodo Deus tentauit Abraham, imponens immolationem vnigeniti filij, vel etiam noſtrum Tobiam cæcitate, vt poſteris daretur exemplum patientiæ, ſicuti, & S. Iob. & cæteros viros probos varijs tentationibus, eos probando, & arcana eorum, ipſamque veritatem palam eliciendo, non eo fine, quo homines, qui tentant, vt ſciant, quod ignorant: ſed, vt alij, vel ſe, vel alios noſcant, cum ſit ipſe cardiagnaſtes omnium conſcius, immo etiam præſcius.

S. Tho. 1. p. q. 114. ar. 2.

Gen. 22. 1.

Sane, vt ait Seneca. *Gubernatorē in tempeſtate, in acie militē intelligas. vnde quantum aduerſus paupertatem tibi animi ſit, ſi diuitijs diffluis? Vnde poſſum ſcire quantum aduerſus ignominiam, & infamiam, odiumque*

Sen. li. de diu. prouid. c. 4.

que

que populare conſtantia habeas, ſi inter plauſus ſeneſcis, ſi te inexpugnabilis, & inclinatione quadam mentium pronus fauor ſequitur? vnde ſcio quam æquo animo laturus ſis orbitatem filiorum, ſi quoſcunque ſuſtuliſti vides? audiui te cum alios conſolareris, tunc conſpexiſſem, ſi te ipſe conſolatus eſſes, ſi te ipſe dolere vetuiſſes. Hæc Seneca, & optime, ſi de futuris bonis, & malis recte ſenſiſſet.

XIV. *Syrus.* *Et nunc.* Nimirum, vt habet Syrus, *cum ſurrexiſſes clam, & portauiſſes illum mortuum, cum eueniſſet tibi tentatio miſit Deus, vt liberarem te.*

3 Affirmant nonulli, Raphaëlem tutelarē Angelum iunioris Tobiæ fuiſſe, quod falſum eſſe ex eo conſtat, quod miſſus ſit ad Tobiam adoleſcentiæ iam agentem annos, & peculiaris angelus cuſtos ab exordio vitæ, vel ab ipſa natiuitate hominibus aſſignetur; & ex eo, quod Angelus cuſtos nunquam à cuſtodia ceſſat, donec homo peruenerit, vbi æternaliter eſt māſurus ſiue in cælo, ſiue in inferno: *Inf. hoc eod. c. v. 21.* Angelū vero Raphaëlem à Tobia diſceſſiſſe, cælumq. conſcendiſſe, multis ante ipſorum obitum annis infra narratur.

Miſſus itaque Raphael eſt, non tanquam tutelaris Tobiæ: ſed vt curaret Tobiam Seniorem à cæcitate, & Saram à dæmonio liberaret.

4 Sic ſane Deus non infrequenter ſuos Angelos, vt homines à corporis malis liberent, mittit. *S. Iſaacius Metaphraſtes* S. Iſaacius apud Metaphraſtem, medijs in ſpinis ab Angelis conſeruatur. *S. Bonauent.* S. Franciſcus apud S. Bonauenturam muſico concentu è morbo difficillimo liberatur, Georgius, Agata, Martinus, & infiniti propemodū alij ſancti è morbis, & plagis, quibus affecti erant, ſanantur.

Angelorum miniſterio Deus ſāctos homines iuuat.

Sic etiam Angelos frequenter mittit, vt homines à diris inſultibus dæmonum eripiant, vnde in canticis legimus Angelis à Deo fuiſſe impoſitum; *capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Sunt enim, vt ait Gregorius hæc verba cæleſtis ſponſi ad venatores ſuos, aut, vt Origenes dicit, ad cuſtodes vinearum, quos ſtatuit Angelos. Sic vulpis nomine, vt idem Gregorius egregie docet, dæmones nobis inſidiantes explicantur, qui vulpes merito paruulæ dicuntur, quia aſtuti licèt illi ſint, & fortes, reſpectu tamen Angelorū tam debiles ſunt, vt merito vulpes paruulæ vocari poſſint, quod ab Angelis facile ſuperentur, & expellantur. Hinc S. Poſthumius in ſuo ad fratres ſermone, *Si aduerſus nos*, ait, *conueniunt caſtra dæmonum, poteſtis vos multum adiuuari agminibus Angelorum.* Et S. Hilarius: *ijs*, ait, *qui ſtare volunt in Eccleſia catholica, non deſunt ſanctorum cuſtodiæ, & Angelorum munitiones.* Sanè plures nobiſcum eſſe, quam contra nos, diſcipulum ſuum Eliſæus docuit, & B. Abbati Moyſi in vitis Patrum fuiſſe oſtenſum legimus, is enim à dæmone impugnatus, cum quietus in cella ſua nequiret diutius permanere, ad S. Abbatem Iſidorū ſe contulit, à quo poſtquam varijs ſcripturarum ſanctarum teſtimonijs eſt conſolatus, ad ſuæ manſiunculæ ſuperiora perductus eſt, vnde oſtenſa eſt illi ad occidentem innumerabilis dæmonum multitudo, quæ vehementer in furore perturbabatur, & quaſi ad prælium præparata in conflictum turmatim ruebat, & pugnabat. Ad orientem verò innumerabilis Sanctorum Angelorum frequentia, ſplendensque ſuper lumen Solis cæleſtium virtutum exercitus, ex quo, ipſo reuelante cognouit, iuxta Eliſæi dictum plures nobiſcum eſſe, quam cum hoſtibus.

Angelos mittit Deus, vt homines ab inſultibus dęmonū defendant.

Greg. Nyſſ. homil. 5. in Cāt. can.

Orig. hom. 4.

Angelus Dei dæmone multo potētior.

S. Poſthumius

S. Hilar. in Pſ. 124.

4. Reg. 6. 16.

VV. Patrum.

Quòd iuſti in hac vita varijs à Deo tentationibus probentur.

DOCVMENTVM.

A DOCET Raphael, dum neceſſe fuiſſe affirmat Tobiam ſeniorem tētatione à Deo probari, ex eo, quod iuſtus eſſet, oportere, vt poſtea B. Paulus docuit, per multas tribulationes nos intrare in regnum Dei: neq; enim fas eſt, hominem incedere per virtutis viā, & à tentationibus immunem eſſe, nec poſſibile eſt eum, qui vitijs bellum indixerit, carere preſſuris. Nefas eſt pugilem Dei vacare delicijs. Non licet epulari luctantem, ſiquidem ſunt præſentia omnia, certamen, bellum, preſſuræ, anguſtiæ. Neceſſaria eſt iuſtis tentatio, ne extollantur: *ne magnitudo reuelationum*, ait B. Paulus, *extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet*: nam, ſicut nauis ab ipſis ſecundis ventis obruitur, niſi ſaburra fuerit ſuffulta; ita & iuſtorum anima ab ipſa ventorum ſpiritualium felicitate ſubruitur, ſi aliqua tribulationis ſaburra prius nōn fuerit ſuffulta. Sic *piæ conditionis diſpenſatione agitur*, ait Gregorius, *vt de ſe confidens anima diſpenſatoria tentatione pulſetur.* *Quare*, vt Chryſoſtomus ait, *& ſancti homines multa cautionis, ne facile extollantur, indigent: etenim nihil ſic in arrogantiam extollere conſueuit, vt officiorum conſcientia, & anima cum libertate viuens.* Sanè multa habent illi à Deo, multaſque virtutum actiones operantur, quibus ſumma laus, honor ſummus debetur, quod homines peccatores non habēt. Sic, vt Beatus Iob ait, *facit Deus pondus ventis*, quod, teſte Gregorio, eſt *conceſſam electis de virtutibus gloriam permiſſa infirmitate temperare.* Cum Alexander, vt Seneca refert, in obſidione cuiuſdam vrbis cir-

Dei ſerui tribulationib. probantur.

B Tribulatio ſuperbiendi periculū tollit.

Greg. in illud Iob. In tonſo capite.

Chryſ. tom. 5. hom. 1. ad popul. circ. med.

Iob 28. 25

C

Senec. ad Lucill. ep.60.

cuiſſet muros,ictu ſagittæ percuſſus,repreſſo ſanguine,ſicci vulneris dolorem ſentiens, coactus ſubſiſtere, ſtupens dixit. *Omnes iurant me Iouis filium eſſe; ſed certe vulnus hoc me hominē eſſe clamat.* Sicpercutit Deus ſuos, ne dum ab hominibus ſancti, & ſerui Dei prædicantur,ſe ipſos extollāt; Eſt etiam neceſſe,iuſtos tentationibus concuti, vt in ipſa virtute creſcant; nam,ſicuti non eſt arbor ſolida, nec fortis, in quam frequens ventus non incurſat, vt Seneca docet: ipſa enim vexatione conſtringitur,& radices fortius figit,& fragiles ſunt,quæ in aprica valle creuerunt;ita nō eſt fortis in virtute,qui tētationibus non reſiſtit. In quem ſenſum exponit Euthimius verba illa pſalmi. *Qui dat niuem, ſicut lanam:* etenim frigida, vt ille docet,licet nix appareat,terram tamen dum operit, quaſi perfectiſſima veſtis lanea illam caleſacit, & ſuperficialem herbam vi ſua licet vrat,virtutem tamen radicibus confert, vt fructum ferat: ſic vrant licet tentationes ſanctos;non tamen exurunt; ſed fœcundant, nam vt Clemens Alexandrinus ait,*ſicuti ſylueſcit vitis, niſi putetur, ita & homo.* Sane priuilegium eſſe amicorum Dei ſuſtinere aduerſa non obſcure docuit B. Paulus, dum ait: *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum, vt in eum credatis; ſed etiam, vt pro illo patiamini.* Et quidem maius priuilegiū, vt ibi Chryſoſtomus conſiderat,quam ipſos mortuos ſuſcitare, & cætera miracula facere. *nam*,ait,*ibi quidem ego ſum debitor, hic vero debitorem habeo Chriſtum*,& B Petrus. *In hoc*, ait, *vocati ſumus, quia Chriſtus, paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Sed hoc miro modo oſtendit Dominus dum Ananiā ad B. Paulum mittens ait: *ſurge, vade &c.* cui Ananias. *Domine audiui à multis de viro hoc quanta mala fecerit ſanctis tuis in Ieruſalem. Dixit autem ad eum Dominus: vade quoniā vas electionis eſt mihi iſte, &c. ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Ac ſi dicat iam nō amplius me perſequitur, elegi eum vt nomen meum portet,mihique chariſſimus euaſit, vnde cum chariſſimis meis, & multa pro nomine meo portabit. Quare vſque adeo neceſſe eſt pijs hominibus tentari,vt magnopere timendum ſit ne forte ſint Deo accepti, qui tentatione aliqua, vel externa, vel interna à Deo non probatur.Sic Auguſtinus. *Non pateris perſecutionem,non vis pie viuere in Chriſto, vis probare verum eſſe quod dictum eſt, omnes qui pie volunt viuere in Chriſto perſecutionem patientur? incipe pie viuere in Chriſto.* Vnde ſerui Dei extra tribulationes poſiti conturbantur. Sic Dauid, *Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus*, nam ſicuti qui de lectulo,in quo quieſcebat, in terra poſiti conturbātur, nec quieſcere amplius valent, ita de lectulo tribulationum in terra conſolationum ſancti Dei poſiti, nequeunt conſolari; nam *illi*,ait Hilarius,*numquam dulcius requieſcunt,quam dum laboribus fatigantur.* Sic,ſacra referente hiſtoria, cum producturus eſſet Herodes B. Petrum, erat ille dormitans inter duos milites,vinctus catenis duabus,tantaq. pace, & quiete,vt nec rumor aduentantis Angeli illum quiuerit ſuſcitare; *Angelus Domini aſtitit,et lumen refulſit in habitaculo carceris:* ſed opus fuerit latus eius percutere,*percuſſoque latere Petri excitauit eum*, tam dulciter in lecto tribulationum requieſcebat. Hoc idem docuit Patriarcha Iacob, qui poſt ſponſionem acceptam à filio, quod ſcilicet, eius oſſa in terram Chanaam deferret(vt ſacra refert hiſtoria) *adorauit Iſrael Deum, conuerſus ad lectuli caput.* quem locum, vt bene notat Pererius. LXX. Sic legunt: *Adorauit Iſrael ſummitatem virgæ eius*,vel vt Auguſtinus,*in capite virgæ ſuæ*, vbi oſtenditur caput virgæ,qua diuina flagella in ſacris literis ſignificantur,lectulum eſſe ſanctorum,in quo dulcius, quā in re quacunq; alia requieſcunt,

Tribulatio virtutem auget. Senec. in lib. quare bonis viris. Pſ.147.16 Tribulatio Dei amicorum, priuilegium eſt. Clem. Alex. li.1. pedag.c.8. Phil.1.29. Chriſoſt. in epiſt. ad Phil. 1. E 1.Pet.2.21 Act.9.11. & 13. Aug. in pſ. 54 Cauſam timendi habet qui nulla tetatione probatur. F Pſ.56.5. Hilarius. Act.12.7. G Gen.47.31. LXX. Aug. in pſ.45

Hinc Dauid: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*, quare, *ſi dormiatis*, ait idem, *inter medios cleros,penna columbæ deargentata,& poſteriora dorſi eius in pallore auri.* ſi dormiatis, explicat Genebrardus inter media, & præſentiſſima pericula, euadetis feliciter.Si verſemini in medijs periculis, & de veſtro capite iam alea à victoribus iaciatur, vel etiam iacta ſit,luctus veſter conuertetur in gloriam, & ex eis glorioſe euadetis. *Idcirco fortes eſtote*, ait Auguſtinus, *& quando aliqua inopia tentamini,Deo flagellante,& erudiente nos,quibus, & parat, & ſeruat æternam hæreditatem, non vobis ſuggerat diabolus, ſi iuſtus eſſes, non ne per coruum tibi mitteret panem, quomodo miſit Eliæ? vbi eſt quod legiſti,nunquā vidi iuſtum derelictum,nec ſemen eius quærens panem? Tu reſponde diabolo: verum dicit ſcriptura,nunquam vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. audi Dominum: Non in ſolo pane viuit homo,ſed in omni verbo Dei.*

Pſ.67.14. H Aug. in pſ.90 I

VERS. XV.

Ego enim sū Raphaël Angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.

1 *Angelis nomina eſſe propria.*
2 *De ſeptem aſſiſtentium numero.*
3 *De eorundem aſſiſtentia.*
4 *Dignitate.*
5 *Munere generali,& peculiari.*

Sup. c. 3. v. 25

6 *Nominibus.*

7 *Noua angelorum nomina, eſſe vitanda.*

1 EGO *ſum Raphael.* Licet Raphaelis nomen, cuius interpretationem ſupra docuimus, vt etiam nomina Michaëlis, & Gabrielis à ſacris recenſita literis, vt SS. dicunt Grego-

Greg. hom. 24
S. Tho. 1. p. q. 107. ar. 4.

rius, & Thomas Aquinas, ab ipſorum functionibus, officijs, ac miniſterijs dicta ſint: tamen cum functiones illæ, vel officia à proprijs quaſi ipſorum Angelorum principijs, vel gratuitis, probabiliter deducantur: eos his compellari nominibus non in terris tantum; ſed etiam in celis exiſtimo. Etenim licet Abulen-

Abulen. in li. Iudic. 13. q. 34.

ſis doceat Angelis hæc à ſanctiſſimis viris impoſita nomina; tamen cum illa ſolum diuinæ literæ primum aperuerint, nec ipſorum auctorem hominem vllum indicent, ipſis, ſicut & cæteris Angelis nomina à Deo, qui ipſos creauit, intimeq. cognoſcit, impoſita fuiſſe dicendum exiſtimo, vel ſaltem ipſis Angelorum principibus, & ipſi deinde alijs: etenim ſi ſtellas, quotquot eæ ſunt, ſuis vocauit Deus nominibus, quid ni & Angelos? vel certæ ſi ad Adã omnia animalia Deus adduxit, vt videret, quid vocaret ea, quid ni & Angelos nõnullos alijs imponere idẽ Dominus nomina voluit?

Angelis nomina ſunt propria.

Gen. 2. 19.

Sane ſua ſingulis Angelis nomina in cælis eſſe propria, & quoad Deum, & quoad ſe ipſos probabilius ex eo cum Serario exiſtimo, quia cum ſit qualibet res in ſe vna, & ab alijs omnibus per propriam illam qualitatem, quam indiuiduationem, ſeu indiuiduationis principium appellant, diſtincta; qua cognita, & nos facile ſingulas res indiuiduas proprijs compellamus nominibus, bene poſſunt, ſi velint, Deus, & Angeli, hanc qualitatem bene perſpectã habentes, ſingulis nomen imponere, quod ſi poſſunt, cur nolint? nam cum Angeli ſuo modo inter ſe, & vnus de alio loquatur, quo modo id fiat intelligi profecto non poteſt, niſi ille, de quo ſit ſermo, aliquo ſit nomine inſignitus. Ex quo elicio haud eſſe probabilem aſſertionem illam Abulenſis, qua docuit, vnum eundemque Angelum eſſe poſſe, & dici modo Michaelem, modo Gabrielẽ, modo Raphaelẽ, & poſſe Gabrielem alium, & alium eſſe, qui ad Danielem & qui ad B. Virginem venit; item alium, & alium Michaelem, aliũ, & aliũ Raphaelem: nam ſi hoc eſſet, de nullo certo Angelo Eccleſia officium celebraret in die S. Michaelis Archangeli, quod dicere ſatis abſurdum videtur.

Serar. in c. 13 Iudic. q. 14.

Dan. 8. 9. & 10.
Luca 1.

2 *Vnus ex ſeptem, qui aſſiſtunt ante Deum.* Hoc eſt ex illis ſeptem Angelis aſſiſtentibus vnus: de quibus etiam B. Ioannes in Apocalypſi, vbi ait: *gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt*, licet per ſpiritus Ansbertus, Beda, Rupertus, Haymo, & S. Thomas, non ſeptem peculiares aſſiſtentes Angelos ſignificari doceãt; ſed Spiritum Sanctum ſeptuplicẽ, ob ſeptem, quæ communicat hominibus dona. Et Anſelmus ipſiusmet Spiritus Sancti dona; myſticæ tamen potius iſtæ cenſendæ ſunt interpretationes, quam literales, cum alioquin, vt benè Serarius notat, ipſum Angelorum nomen repugnet, neque enim Spiritus Sanctus Angelus eſt, nec ipſius chariſmata Angeli propriæ dici poſſunt, neque Spiritus Sãcti dona ſuppoſita, ſeu perſonæ ſunt, quibus competat aſtare, vt hic in litera aſtare ſeptem Angeli dicuntur, vel diſcurrere, vt apud Zachariam, phialas diuinæ iræ effundere, loqui, vigilare, excubare, dimicare, &c. vt in Apocalypſi, quod bene Angelorum perſonis congruit, qui in conſpectu Dei ſunt, & aſtant, velut eius adminiſtri, & apparitores. Nec cum Lyrano, Carthuſiano, & Hugone, numerum hic ſeptenarium indefinite accipiendum cenſeo, videlicet pro maximo quolibet numero, vt alibi in ſacris literis, teſte Auguſtino, accipitur, & exempla paſſim ſunt obuia in Prou. Pſalm. B. Lucæ Euangelio, & alibi, vbi dicitur: *ſepties in die cadit iuſtus, ſepties in die laudem dixi tibi, ſi ſepties in die peccauerit in te, dimitte illi*; ſed certè, & definitè. nam res hic hiſtoricè agitur, & hiſtoricè ſẽper, vt Baſilius docet, ſacra ſcriptura intelligenda, quando in ea nulla hiſtoria implicat contradictionem. Sic idem numerus ſeptenarius certè, & definitè ſumitur in Geneſi, vbi dicitur. *ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena, & ſeptena.* Et: *Statuit Abraham ſeptẽ agnos gregis ſeorſum.* Et in libris Regum: *Adduxit Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele.* Et alibi multoties, ſic etiam in tabernaculo veteris teſtamenti, ſeptem fuiſſe lucernas, & Iob habuiſſe ſeptem filios, definite, & certe, vt ſcriptura docet, intelligimus.

Angeli ſeptẽ aſſiſtentes.

Apoc. 1. 3. 4.

Ansbertus. Beda. Rupertus.

Haymo. S. Tho. in Apoc. c. 4. Anſelm. ibid.

Serar. hic q. 2

Zachar. 4. 10.
Apoc. 16.

Lyranus. Carthuſ. Hugo Card. in Apoc. 4.

Aug. li. 11. de ciuit. Dei c. 3
Prou. 24.
Pſ. 118.
Luca 17.

Baſil. hom. 9. in Hexam.
Verba in ſacris ſcrip. hiſtoricè intelligẽda, in quibus nulla eſt cõtradictio.

Gen. 7.
Gen. 7. 2.
1. Reg. 16. 10.

3 Nec ſeptenarius is Angelorum numerus, vt aliquibus viſum fuit, ſumi ita debet, vt non plures quam ſeptem Angeli coram Deo aſſiſtant; nam millia millium Deo aſſiſtere diuina teſtantur eloquia; ſed pro numero ſeptem peculiarium ſpirituum, qui præ alijs omnibus ſingularem quandam præſtantiam obtineant; etenim cũ omnes creaturæ ante Dei faciem ſuo modo aſſiſtant, vt ſolent aſſiſtere Dominis ſerui ad iuſſa eorum excipienda, omneſque ad minimũ eius nutum eant, redeantque, & vti apud Iob eſt, dicant; *Adſumus*; pręcipuæ tamen cuiuſdam dignitatis eſſe horum ſeptem Angelorum aſtare ante Deum dicendum eſt; nam quemadmodũ præſtantiori modo ante illum aſtant res animatæ, quam inanimatæ, homines, quam pecudes, boni homines, quam mali, Angeli, quam boni homines, ita & iſti ſeptem, quam Angeli alij. Sic in terreni regis aula, aliter principes, aliter comites, aliter barones aſſiſtere conſpiciuntur, licet regi omnes aſſiſtant. Quare ſeptem iſti Angeli peculiariter ante Deum aſtare di-

Dan. 7. 10
Apoc. 5. & alibi.

Iob c. 38. 35.

cun-

Digitized by Google

Hebræus.

cuntur, vt eos eſſe excellentiores Dei adminiſtros ſciamus. Sic Hebræus pro *aſtare ante Dominum*, legit, *miniſtrare ante ſolium gloriæ*. Et LXX. *Ingredi coram ſancto Dei:*

LXX.
Aſſiſtẽtes Angeli, & miniſtrantes non differunt.

neq; enim Hebraicus idiotiſmus diſtinctionem illam patitur aſſiſtendi, & miniſtrandi, quam ſcholaſtici ſolent afferre, dum aſſerũt, aſſiſtentes Angelos Deo aſſidentes eſſe, & miniſtrantes, qui ad nos mittuntur. Sic etiã Gregorius: *Aliud eſt*, inquiens, *aſſiſtere, aliud miniſtrare; aſſiſtũt enim illi procul dubio poteſtates, quæ ad quædam hominibus nuntianda non exeunt, miniſtrant vero hi, qui ad explenda officia nunciorum veniunt.* Ex Dionyſij enim ſententia exiſtimat Gregorius, non omnes Angelos ad nos mitti, quod licet probabilitate non careat, contrariam tamen ſententiam magis ſacris ſcripturis congruere ſupra docuimns. Sanè Raphael, *vnus ex ſeptem, qui aſtant ante Deum erat, & miſſus eſt*.

Greg. lib. 27. moral. c. 7.

Sup. c. 3.

Angelorũ aſſiſtentium dignitas.

Clem. Alex. lib. 6. ſtrom. ad fin.

Aret. in Apoc.

4 Maximos eſſe in cęlo principes ſeptem hos Angelos, hic ex Hebræo colligitur, vbi Raphael: *Ego enim ſum ex principibus*. Et Clemens Alexãdrinus: *Septem*, ait, *ſunt, quorum eſt maxima potentia, primogeniti Angelorum principes, & per quos Deus omnibus hominibus prouidet.* quod etiam Aretas, & apud eundem Irenæus docnerunt.

Munus generale.

Zacch. 4. 10.

Apoc. 4. 5.

5 Generale eorum miniſterium eſt vigiles eſſe, & intentos ad mundi totius ſalutem. Sic apud Zacchariam, *oculi Domini*, diſcurrentes in vniuerſam terram dicuntur, quippe qui opem hominibns ferant, & à dæmonibns illos ſua fortitudine protegendo, ſua claritate illuſtrando, ſuo ardore inflammando, ex quo *ſeptem* dicnntur *lampades ante thronum Dei ardentes*, & ſeptem *cornua agni, &c.*

Munus peculiare.

Serar. q. 6.

Epiph. hæreſ. 23.

Ioſeph Camius in pſ. 47 3.

Peculiare tamen ipſorum munus non facile liquet: nam alij, teſte Serario, vt ſunt Baſilides, & Satnrnalis apud Epiphanium, mundum ſeptem in partes diuidentes, eorum vnumquemque vni eius parti præeſſe putant, quibus ſubſcribere videtur Ioſeph Camius, vbi ait: *Creator excelſus mundum creans, diuiſit illum in ſeptem partes, quæ vocãtur Arabicè aclimim, Græcè climata, & in lingua Sancta Nopboth, & quodlibet clima proprium habet aerem.* Verum, quia in Apocalypſi in vniuerſam terram mitti dicuntur, & apud Zachariam per illam diſcurrere, non videntur certis limitibus coarctandi. Franciſcus Georgius ſeptẽ eos planetis ita præeſſe exiſtimat, vt eos non modò regant; ſed etiam per illos quaſi per canales cæleſtiũ ad nos fontium influxus deriuent. quam ſententiam tuetur Cornelius Agrippa, & illam antiquorum eſſe Rabbinorum aſſerit. *Hi*, dicens, *ſunt ſpiritus illi ſeptem, qui ſemper aſtant ante faciem Dei, quibus credita eſt diſpoſitio regni cæleſtis, & terreni, quod ſub orbe Lunæ eſt: hi enim, vt dicunt ſecretiores Theologi, omnia regunt viciſſitudine quadã horarum, dierum, et annorũ, quemadmodum de planetis, quibus præſunt, tradunt Aſtrologi, quos Triſmegiſtus Mercurius idcircò vocat ſeptem mũdi gubernatores, qui per cœlos tanquam per inſtrumẽta, coaceruatis omniũ ſtellarum, & ſignorum influentijs, eas in hæc inferiora diſtribuunt.* Quod ſenſiſſe etiam videtur Ioannes Tritemins in lib. de ſeptem Secundeis, ideſt intelligentijs, Maximiliano dicato. ſuſpecta tamen apud me ſemper fuit hæc ſententia, quod à Rabbinis oriatur, & nnlla de ea fiat mentio in ſacris ſcripturis, vel Sanctis Patribus.

Apoc. 5.

Zacch. 4.

Franc. Georg. to. 6. problem. 186.

Cornel. Agrippa de occult. philoſoph. cap. 24.

Tritem. in li. de ſeptem ſecund.

Serar. q. 8.

Verum iuxta generale horum ſeptem Angelorum miniſterium, cum Serario munns ſpeciale ſingulorum eſſe non improbabile exiſtimo, ſeptẽ illas virtutes in primis hominibus neceſſarias, qnæ vitijs capitalibus opponnntur, humilitatem, liberalitatem, caſtitatem, abſtinentiam, &c. hominibns procurare, ita vt ſinguli, licèt ad omnia, quæ Deo grata norunt, homines inuitent, & opem ad omnia ferant; ſingulorum tamen vna cura, & opera veluti princeps ſit, in excitanda, cuſtodienda, & amplificanda earum virtutum vena, ad quod qnamplurimos etiam Angelos alios habeant veluti adminiſtros, qnos huc, illucqne alligent, huic, vel illi adiungãt, prout ipſis expedire viſum fuerit ad ſuũ munus rectè obeundnm: ſanè partim ex ſcripturis, partim ex patribus conſtat, ſeptem eſſe principes dæmonum ſub imperatore Lucifero, qui capitalibus vitijs ſunt præpoſiti, qui ſinguli ad ſingula vitia conantur homines incitare, & pertrahere: nam *hoc*, ait Serenus, *noſſe debemus, non omnes dæmones vniuerſas hominum inurere paſſiones; ſed vnicuique vitio certos ſpiritus incubare, &c.* quod etiam docet Bernardus, ex quo Aſmodæus princeps lnxuriæ dicitur, vt ſupra vidimus Leniathan ſnperbiæ, Mammona auaritiæ, Berit iræ, Beelzebnb inuidiæ, Aſtarot accidiæ.

Septem dæmones ſeptẽ vitiis capitalibus præpoſiti.

Seren. apud Caſſ. coll. 7. c. 17.

Bern. ſer. 13. in pſ. Qui habitat.

Sup. c. 3. v. 8.

Septem aſſiſtentiũ Angelorũ cultus.

Hinc factum eſt, vt horum ſeptem Angelorum Sanctorum cultus iam pridem in Eccleſia receptus ſit, cum, ſicnt fertur, ſeptem Angelorum Miſſa à Pio IV. Pontifice Romano fuerit confirmata, & Deiparæ Virgini templnm ab eodem Romæ dicatum, cui B. Mariæ Angelorum nomen indidit, in quo ſeptem hi Angeli picti viſuntur, & Panormi in Sicilia eiuſdem ſeptem Angelis templum eſt conſecratum, & ab eo numero ſeptem primum diaconi in Eccleſia Ieroſolymitana, tum etiam in Romana inſtituti ſunt, & diu retenti.

Ant. Duce de ſeptẽ Angelorum principibus.

6 Nomina vero horum ſeptem Angelorũ ſic recẽſentur in libro quodam Antonij Duce de ſeptem Angelorum principibus, pluries in Italia recuſo: Michael, Gabriel, Raphael, & perperam Vriel, ex lib. Eſdræ, Schealtiel, ex Geneſis Ieadriel, ex Exodi, Barachiel ex Geneſis quæ interpretãtur: Michael, Quis ſicut Deus; Gabriel, fortitudo Dei;

Raphael medicina Dei: Vriel lumen Dei: Schealtiel petitio Dei: Ieadriel, laus ſeu cõfeſſio Dei; & Batachiel benedictio Dei. De il-

Cornelius Agrippa vbi ſupra.

lis Cornelius Agrippa: *accepimus*, inquit, ab *antiquis Hebræorum patribus nomina Angelorum, præſidentium planetis, atq; ſignis: Saturno Zapkiel: Ious Zadkiel: Marti Camael: Soli Raphael: Veneri Haniel: Mercurio Michael: Lunæ Gabriel*. Verum hæc omnia nomina, & alia multa, quæ apud varios auctores reperiuntur, præter tria priora, Michael, Gabriel, & Raphael, iure optimo reijciuntur

S. Bonif. in li. hiſtor.

à S Bonifatio, qui hæretico Adelberto, ſeſe Apoſtolis æquiparanti, & dicenti epiſtolã ſe, & precationem è cælo accepiſſe, in qua octo Angelorũ nomina recenſebãtur, ſe opponẽs, illa omnia, quæ ab illo recenſebãtur Angelorum nomina, præter nomen S. Michaelis, reiecit, dæmoniorumque eſſe nomina docuit.

Rom. Cõc. ep. 9 Zachar.

Quin etiam & illa Romanũ reiecit Cõciliũ à Pontifice Zacharia cõfirmatũ: in illo enim precatio quædam, vbi multorum Angelorũ recenſebantur nomina, cum allata fuiſſet, Patres concilij illam damnantes dixerunt: *non plus, quàm trium Angelorum nomina agnoſcimus, ideſt Michael, Gabriel, & Raphael*.

Capit. Caroli Magni lib. 1. c. 6. & in cõſtit. c. 24.

Reijciuntur etiam in Caroli Magni capitularibus, & in eiuſdem conſtitutionibus à Lothario nepote collectis, his verbis: *Angelorũ nomina, nec fingãtur, nec nominẽtur, niſi illorum, quos habemus in auctoritate*, ideſt in libris authenticis, *ij ſunt Michael, Gabriel, & Raphael*. Vide etiam Honorium

Honor. Auguſtod. hom. de S. Michaele.

Auguſtodunenſem.

Quare contra Romani Cõcilij ſententiam haud licet alia Angelorũ, præter triũ nominatorũ, approbare nomina, nec ipſius Vrielis,

S. Amb. lib. 3. de fid. ad grãm. c. 2. 5. S. Iſid. lib. 7. Orig. c. 5. Miſſa Aethiopum in bibl. vet. Patr. in 2. edit. tom. 4. Ariſtoteles.

quãuis de eo ſpecialis dubitatio eſſe potuiſſet, quod meminerit de eo S. Ambroſ. S. Iſidorus, & Miſſa Aethiopum in bibliot. vet. Patr.

7 Et licet nomina ex placito ſignificent, & teſte Ariſtotele ex hominum inſtitutione; eſt tamen conſiliũ Apoſtoli, vitandas eſſe vocum nouitates, quod præcipue in rebus ſacris locum habet, vbi & facilis abuſus eſt, & maius ſolet eſſe periculum ſuperſtitionis, ſed hæc de ſeptem aſſiſtẽtibus dicta ſufficiãt.

Serar. Riber. Viega. & Alcaſſar. in Apocal. Becan. opuſc. tom. 1. de off. Angel. c. 3.

Plura de illis habes apud Serarium, Riberã, & Viegam, Ludouicum Aleaſar, Becanum.

Certè in tantum peccatum diſplicet Deo, vt videri mirum non debeat, ſi ad illud profligandum principes ſuos mittere non dedignetur, cum & filium ſuum pro eadem remiſerit, cruciq. addixerit.

VERS. XVI.

Cumque hæc audiſſent, turbati ſunt, & trementes ceciderunt ſuper terram in faciem ſuam.

1 *Tobiæ ſenioris, & iunioris tremor ex conſpectu Angeli, vnde*

2 *Cur caderent in facies ſuas ſuper terrã.*

CVMQVE *hæc audiſſent*. ambo, nimirum pater, & filius, & ex improuiſo intellexiſſent, illum, quem hominẽ fuerant arbitrati, Angelum ex ſupremis eſſe.

1 *Turbati ſunt*. Syrus: *Et timuerunt, & commoti ſunt ambo*, quem animo conceperant timorem tremore etiam corporis exprimentes, *Syrus.*

2 *Et trementes ceciderunt ſuper terram*. Etenim cum affectus actus quidam ſint animæ, qui quadam cum alteratione fiunt, cum timemus, triſtamur, ſimilibusque affectibus agitamur, ſanguis, & bilis, cæteriq. humores cum ſpiritibus commouentur, alterantque cor, parteſq. corporis vitales, non modò interiores, ſed aliquando etiã exteriores occupantur, quod præſertim in diuinis apparitionibus, quibus initio comes timor eſſe ſolet, & horror, contingit, vt non modo hic, ſed etiam apud Iſaiam, Danielem, & Apocalypſim apparet. *Iſa. 2. 1. Dan. 10. 8 Apoc. 1. 17*

Auxit Tobiæ patris, & filij timorem, quod forte ſe, viſo Angelo, morituros putarent: nã ea Iudæorũ erat opinio, nõ vulgaris, & idiotarũ tantũmodo, vt aliquibus viſum fuit; ſed maximorũ virorum, vt non ſolũ qui Deum, ſed etiam qui Angelũ in hac vita viderent, continuo moriturũ putarent, atque adeo, nõ modo Gedeonẽ, viſo Angelo, timuiſſe legimus, & dixiſſe. *Heu mihi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciẽ*, dictũq. illi à Domino: *pax tecum ne timeas*. Itemque parẽtem Sampſonis Manue, qui etiã tremẽs, vbi intellexiſſet Angelum ſibi apparuiſſe, vxori dixit: *morte moriemur, quia vidimus Dominum*; ſed ipſum etiã Patriarchã Iacob, qui poſtquã diu luctatus eſſet cum Angelo, quaſi admirãs, quòd mortuus non eſſet, Deo gratulans, dixit; *vidi Deum facie ad faciem, et ſalua facta eſt anima mea*. hoc eſt, vidi Dominum, nec animam exhalaui. Ex quo nõ obſcurè elicitur, malè eos ſentire, qui timorem hunc mortis ex Angelica viſione originem traxiſſe dicunt ex verbis Dei: *nõ videbit me homo, & viuet*, cum ante illa, & Iacobum Patriarcham hunc eundem timorem habuiſſe conſtet. Quare cum Serario potius cenſeo, hunc exortum timorem ex inſita hominibus opinione de immenſo diuinę maieſtatis ſplendore, luceq. inacceſſibili, & ex ſimili opinione de Angelicorum ſpirituum gloria, & proximo, quantum quidem creaturis fas eſt, ad diuinam maieſtatem acceſſu, ſicut etiam ex nobis inſita opinione de humanæ naturæ noſtræ à diuina, & alia quacunque ſpirituali abſceſſu, & diſiunctione, ex agnato etiam conſcientiæ noſtræ ſenſu, interioreq. veluti accuſatione dictãtis, nos ob peccatũ, tam originale, quàm alia, indignos

Luc. 1. 12. & 29. Iudic. 6. 22. Iudic. 13. 22. Gen. 32. 30. Exod. 33. 20. Serar. in c. 6. Iud. q. 16.

prot ſus eſſe Dei, & Angelotum congreſſu.

Auctum quidem hunc timorem fuiſſe ex illa Dei ad Moyſem ſermonis explicatione non dubito, & è malorum forte quorundam interitu, quos aſpectu, occurſuq. aliquo percuſſerant, vt etiam è vulgaribus ſimplicium ſermonibus, qui huiuſmodi terrores valdè non raro augent, vt videmus hodie, cum de ſpirituum apparitionibus varia ſiue certa, ſiue incerta narrantur.

Certe vanum fuiſſe hunc timorem crebertimæ apparitiones Abrahamo, Iſaac, Iacob, Moyſi, & alijs non obſcurè indicant, nec eorum decet bonitatem corpus, vt videri poſſint aſſumere, mortis hominibus, ijſque vel amicis, vel certe inſontibus inferendæ cauſa. quare ſi aliquando mortem alicui, vel flagra inferre voluerunt, aliquo mortis inſtrumento, vt in Geneſi, & lib. Reg. vel ad minimum cum vultu terribili, & minaci ſeſe videndos præbuerunt.

Gen. 3.
2. Reg. vltim.

Syrus. Arabs.

In faciem ſuam: Syrus: *Ceciderunt ſuper facies ſuas*. Arabs: *Et procubuerunt ſuper facies ſuas ſuper terram*, non ſolum ex timore; ſed etiam ex magna erga Angelicam naturam reuerentia: nam, vt benè notat Gregorius, cadere in terram ſuper faciē coram aliquo reuerentiam denotat. Sic coram Deo cecidit Abraham pronus in faciē ſuam, & Ezechiel coram Angelo ruit ſuper faciem ſuam, Daniel iacuit, & principatum eius inter animalia terræ: quare qui ſe proſternit coram alio, ſe illi inferiorem demonſtrat & ſubditum.

Greg. hom. 8. in Ezech.
Ezech. 9. 8
Dan. 10. 8

VERS. XVII.

Dixitque ei Angelus: Pax vobis, nolite timere.

VERS. XVIII.

Etenim cum eſſem vobiſcum, per voluntatem Dei eram, ipſum benedicite, & cantate illi.

VERS. XIX.

Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere; ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.

1. *Boni Angeli probis hominibus apparentes timorem primum incutiunt, deinde conſolationem.*
2. *Ex Angelorum aſpectu cur boni timeant, & cur mali.*
3. *Angelus an verè comederet.*
4. *Angelorum cibus primarius, & ſecundarius quis.*

1 DIXITQVE *ei Angelus.* XVII.
LXX. *Ne timeatis.* LXX.

Pax vobis. Hoc enim peculiare eſt bonis Angelis, vt quando apparent hominibus initio quidem incutiant timorem, deinde verò conſolationem, & animi tranquillitatem relinquant, vt patet ex illo Beati Lucæ: *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum*. & alibi. *Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum*. Itaque timor præcedit gaudium, ſicut lex euangelium, & crux gloriam: nam, vt teſtatur Beda, ſicut humanæ fragilitatis eſt ſpiritualis creaturæ viſione turbari; ita Angelicæ bonitatis eſt pauentes de aſpectu ſuo mortales, mox blandiendo ſolari. At contra dæmoniacæ ferocitatis eſt, quos ſui præſentia territos ſenſerit, ampliori ſemper horrore concutere, quæ nulla melius ratione, quam fide ſuperatur intrepida. Quod etiam prius docuerunt Athanaſius, Hieronymus, & Theophilactus.

Luc. 1. 30. & 2. 10.
Beda in c. 1. Luca.
Athan. in vit. S. Antonij.
Hier. in c. 28. Matthæi.
Theoph. in Luca 1.

2 Verum aliter mali, aliter boni, ex conſpectu Angelorum timent. ratio eſt, quia mala conſcientia malis auget timorem; timēt enim mali, vt ſerui nequam, ne dent pœnas, exiſtimantq. ad ſe venire Angelos vltores, ſicut venerunt ad Adam, quando eiecerūt illum ex paradiſo: timent boni, vt filij, ne coram Angelis minus reuerentes videantur. Sic apud B. Matthæum, timent Cuſtodes, & mulieres; ſed cuſtodes exanimantur, mulieres conſolantur. Vnde eis dictum fuit: *Nolite timere vos*. Sic & noſtri conſolantur, Tobiæ pater, & filius, dum eis ab Angelo dicitur: *pax vobis, nolite timere.* vobis, inquit, iuſtis, ac Deo timoratis: nam impijs non eſt pax, quippe, qui terrore ſunt cruciandi.

Mat. 28. 5

Etenim cum eſſem vobiſcum per voluntatem Dei eram, ipſum benedicite, & cantate XVIII.
illi. Reddit hic Raphael rationem, non antecedentium, ſed ſubſequentium. Idcirco videlicet diuinas laudes Tobiæ iuniori, & ſeniori eſſe decantandas; quia Dei voluntate factum fuerat, vt in forma humana apparens, tantis illos beneficijs cumulauerit. Quare LXX. ſic LXX.
legunt: *Deum autem benedicite in ſecula, quoniam nō mea ipſius gratia; ſed voluntate Dei noſtri veni*. Vatablus: *Deo gratulamini, quia non veni mea gratia; ſed eiuſdem Dei veſtri voluntate.*

Vatablus.

3 *Videbar quidem vobiſcum manducare,* XIX.
et bibere, ſed ego cibo inuiſibili, et potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor. Arabs: *Videbatur vobis me manducare vobiſcum, et bibere*. Quia licet in corpore aſſumpto comederet; non tamen ipſe in ſe ipſo manducabat; hoc eſt licet cibum in corporis aſſumpti os, & œſophagum immitteret, quod ſufficere exiſtimat Aug. ad veram comeſtionem, vnde & Angelos in corporibus aſſūptis verè comedere, non neceſſitate; ſed poteſtate tra-

Arabs.
Aug. li. 13. de Ciuit. c. 22.

dit;nõ tamen perfectè comedebat; tum quia ad perfectã comeſtionem, vt bene docet Serarius, non ſolum ciborum in os, & œſophagum immiſſio requiritur: ſed etiam concoctio, quæ in ventriculo fit, & conuerſio in verum animalis corpus, quod fieri haud poteſt in corpore aſſumpto;tum etiam quia naturæ erat ſpiritualis,& incorporeæ,quæ cibo corporeo ali nequit: vnde Græcus: *Omnibus diebus*, legit, *vobis videbar,& neque comedebam,neque bibebam;ſed viſionem ipſi videbatis*.hoc eſt,diebus,quibus vobis viſibilis videbar, non modo in me ipſo non viſibilis eram,vtpotè ſpiritualis naturæ; ſed neq; in me ipſo manducabam,aut bibebam; ſed viſionem ipſi videbatis,ſeu, vt explicat Aug. *viſu veſtro videbatis, id eſt neceſſitate reficiendi corporis, ſicut vos facitis, me cibum ſumere putabatis*.

Serar. hic.

Græcus hic.

Aug. vbi ſup.

Angeli natura inuiſibiles & incorporei.

Quod Angeli natura ſint inuiſibili, ex eo patet,quod ſunt ſpiritnales; nam licet illos olim nonnulli aſſeruerint corpore quodã,ipſo aere ſubtiliore natura præditos eſſe;ſacræ tamen literæ illos ſpiritus vocant:quæ haud vnquam ſpiritũ vocare ſolent rẽ intelligentem,niſi dum rem incorporeã ſignificare volunt,vt patet apud B.Ioannem,vbi dicitur: *Spiritus eſt Deus*.& apud B. Matthæum qui ait: *Spiritus promptus eſt,caro autẽ infirma.* & apud B.Paulum:*Caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum*.Et in Conc.Lateranẽſe,vbi dicitur, Deũ in principio triplicẽ condidiſſe naturã, corporalem elementorum,ſpiritnalẽ Angelorum, mixtã ex corpore,& anima hominũ.

Pſ.103. *Matt.8.10.* *Epheſ.6.* *Hebr. 1.* *Io.4.24.* *Matt. 26.41.* *Gal.5.17.* *Conc.Later.c. firmiter.*

Traijciebat ergo Raphael cibũ intra corpus à ſe aſſumptum,ibique eum reſoluebat in aerẽ,perinde ac ſol humorẽ terræ in vaporem reſoluit,& conſumit,nec in ſe cõuertit.

Diuina contẽplatio Angelorũ cibus.

4 *Sed ego cibo inuiſibili vtor*. Iuxta exigentiam meæ naturæ inuiſibilis:diuina nimirum contemplatione, quæ quidẽ Angelorũ omnium primarius eſt cibus,quippe,qui cõtemplatione,& viſione Dei beatè viuunt,recreantur,eaq; omne deſiderium ſuum extinguunt: Hoc enim cibo adeò illi ſemper vtũtur,vt etiam è cælis in terram ad nos deſcẽdentes, eo ſolo paſcantur:etenim,ſicut ille, qui deſertum locum eſt tranſiturus, ſecũ defert cibum neceſſarium,ne pereat; ita & illi, cum in hanc eremum veniunt,ſecum Dei cõtemplationem,& viſionem aduehunt, ne vel ad momentum eius felicitate priuentur, taliq. pacto,vt docet Bernardus,cuſtodiæ paruulorum deputantur;nec vllo modo beatitudine ſua priuantur. Angeli ergo nullo alio paſcuntur cibo, niſi cæleſti, quo viuunt, & ad nos purgandos, illuminandos, & perficiendos robur accipiunt.

Bern.ſer.1 in dedic. Eccleſ.

Angeli cuſtodes ſemper vident faciẽ Dei.

Secundarius Angelorum cibus, quælibet etiam alia res à Deo,diuina tamen maieſtate quodammodo informata, & condita dici poteſt,vt Chriſtus Dominus, qua homo, & quælibet alia res ad Dei gloriam pertinens: etenim illo ſemper frui, & illa fieri, in quibus diuinæ gloriæ vera materies ineſt,cupidiſſimè optant. Quare Bernardus: *Chriſtus*, inquit, *in ſemetipſo in cælis ſanctos Angelos paſcit*. & alibi: *lacrymæ pœnitentium ſunt vinum Angelorum, quod cum lætitia bibũt.* Et Athanaſius: *Ieiunium*, ait, *cibus Angelorum eſt, & qui eo vtitur, ordinis Angelici cenſendus eſt*.

Bern. ſer. 29. ad ſorer. & ſer. 30 in cãt.

Athanaſ. lib. de virginit.

Verùm quod docet Raphael inuiſibilem ſuum eſſe cibum hominibus, de cibo Angelorum primario Deo, vt diximus, intelligi debet, quem eſſe inuiſibilem B. Paulus docuit, dum de Deo loquens, ait: *Rex immortalis, inuiſibilis, &c.* etenim cùm Deus incorporeus ſit, vt modo corporeo ab hominibus videatur repugnat: nam cum potentia ſumat ſpeciem ex obiecto ſuo adæquato, extra illud vt feratur eſt impoſſibile, quod verum non eſſet, ſi Deum incorporeum, & conſequenter extra ſuum obiectum corporea potentia cerneret. Nec quando Iob dixit: *videbo Deum in carne mea, quem oculi mei conſpecturi ſunt*, de carnis oculis; ſed de oculis mentis loquutum fuiſſe doctores aſſerunt: illis enim lumine gloriæ illuſtratus Deũ conſpecturus erat in carne poſitus poſt carnis reſurrectionem,niſi de Chriſto,quem beati omnes corporeis conſpiciũt oculis illum velis loquutum.

1.Timot.1.17.

Quòd virtutis opera perpetrantes, & Chriſtum in Euchariſtia ſumentes cibo paſcantur Angelorum.

DOCVMENTVM.

EX his manifeſtè colligitur, & nos inuiſibili Angelorum cibo paſci, quotieſcunque aliquem virtutis actum perpetramus. Vnde Chriſtus de iuſtitia, quatenus generalis eſt virtus, quæ omnes virtutum actiones complectitur, loquens: *Beati*, inquit, *qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*.ſic docens virtutis famem & ſitim ſedaturos quicumque virtutem eſurire, & ſitire didicerint. A

Matt.5.6.

Saturabuntur etiam quicunque Chriſtum in Euchariſtia manducabunt: *qui factus eſt nobis iuſtitia*. Quare cibum Angelorum manducare ille dicitur, qui hoc manna ſuauiſſimum in Euchariſtię Sacramento eſuriẽtes comedunt, de quo propriè dictũ Bernardus docet: *Panem Angelorum manducauit homo*; nam inquit, *alioqui eſca illa*,manna ſcilicet, *licet de cælo venerit, & potus, quia corporeus erat, Angelis non congruebat; ſed vtique ille panis, & potus, qui per hoc præfigurabatur. O æterna veritas*,ait Auguſtinus,*et vera charitas,et chara æternitas,cõ*

1.Cor.1.30

Bern.ſer. 28. ad ſorores.

Aug.li.7.confeſſ.c.10.

tremui amore, & horrore, tanquam audirem vocem tuam de excelſo. Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me, nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ; ſed tu mutaberis in me.

VERS. XX.

Tempus eſt ergo, vt reuertar ad eum, qui me miſit; vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.

VERS. XXI.

Et cum hæc dixiſſet, ab aſpectu eorum ablatus eſt, & vltra eum videre non potuerunt.

VERS. XXII.

Tunc proſtrati per horas tres in faciem, benedixerũt Deum, & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.

1 *Deus cur dicatur magis eſſe in cælo, quam alibi.*
2 *Quo pacto Angeli ſe viſibiles præbeant, & diſpareant.*
3 *Cadere in faciem quid.*

XX. 1 TEMPVS *eſt*. Expeditaiam ab Angelo Raphaele ſua legatione, tempus adeſſe, ait, in quo ſibi diſcedendum erat, & ad Deum, à quo miſſus fuerat, reuertendum.

Pſ. 113. 11. Matt. 9. Deus in cælo Empyreo ſpecialiter habitat. *Et reuertar ad eum, qui miſit me*. Ad cælum ſcilicet Empyreum, vbi Deus ſpecialiter eſſe, & habitare aſſeritur: nam licet in terris etiam, & vbique Deus ſit; ibi tamen maieſtatem ſuam maximè, & potentiam manifeſtat, cum cælum inter omnia corpora ſpecioſiſſimum, vaſtiſſimum, & ſupremum ſit, ex quo inferiorum omnium vita, atque exiſtentia pendet, vnde qui cælos habitare, illisque præſidere dicitur, cætera omnia cælis inferiora regere, & in manibus habere intelligitur. Ibi Sanctos homines, & Angelos beatificat, ibi thronum, vt Dauid loquitur, regni ſui poſuit, locumque quaſi regiæ curiæ deſignauit. Quare *Bern. in pſ. 90 conc. 2.* Bernardus; *licet*, inquit, *Deus vbique eſſe non dubitetur; ſic tamen in cælo eſt, vt ad eius comparationem, neque eſſe videatur in terris; ſicut anima quæ tota licèt in toto ſit corpore; in capite tamen, vbi ſuas operationes exercet, excellentius, & ſingularius reſidet.*

Hortatur deinde Tobiam patrem, & filium ad mirabilium Dei ipſis exhibitorum, cognitorumque continuam memoriam, & prædicationem.

Vos benedicite Dominum, & narrate omnia mirabilia eius. Mirabilia ſcilicet, quæ vobis exhibita fuere, & cognita, narrate, non fluxo tantum, & fugaci verbo, ſed diuturno, ac etiam ſtabili ſcripto. Sic Græcus: *Scribite omnia, quæ conſummata ſunt in libro.* Syrus: *Scribite hæc in libro, & eſtote laudantes Deum.* Hebræus: *Nunc ergo*, ait, *Scribite vobis omnia verba hæc in libro, & erit teſtimonium inter vos, & Deũ veſtrum omnibus diebus vitæ veſtræ, & hoc verbum ſit in ſignum, & teſtimonium, in omnem generationem, & generationem, & vos benedicite Deum, & confitemini memoria ſanctitatis eius.* Addit Syrus: *Ego autem en aſcendo mihi ad eum, qui miſit me.* *Græcus. Syrus. Hebræus. Syrus.*

2 *Ab aſpectu eorum ablatus eſt.* LXX. *Et ſurrexerunt, & non vltra viderunt eũ.* Syrus: *Et cum ſurrexiſſent, quærebant eũ, & non extabat.* Recentiores quidam, vt Toletus obſeruat, perperam Angelorum diſceſſum in cælum ita interpretantur, vt ſit quædam euaneſcentia ab oculis noſtris, exiſtimantes haud neceſſarium eſſe Angelis locorum ſpatia emetiri, quando è cælo deſcendunt, aut ad illud aſcenduut; ſed illos in terris tunc eſſe dici, qnando iu terris viſibiliter appatent. cuius rei illam eſſe rationem docent, quod vbicunque Deus eſt, cælum ſit, & Deus vbique ſit, & Angeli ſemper faciem patris videaut: quam ſanè doctrinam fidei eſſe contrariam ex eo conſtat, quòd licet Angeli, vbicunque ſint, Deum videant, vt ſupra ſatis diffusè probauimus; non tamen vbique ſunt, & conſequenter nõ ſunt in terra, quando præſentialiter exiſtunt in cælo, nec in cælo, quando ſunt in terra; ſed mutant loca, & ab vno ad alium tranſeunt. Quare malos legimus Angelos in cælo fuiſſe, quando creati ſunt, qui modo infernum, & regionem hanc elementarem incolunt. neque enim poſt peccatum *amplius*, vt in Apocalypſi dicitur, *inuentus eſt locus eorum in cælo*, vnde, nec qui ſunt in inferno in hac exiſtunt regione, vt verè, doctèque probat Damaſcenus. XXI. LXX. Syrus. Tolet. in c. 2. Luca. Sup. c. 5. v. 7. Apoc. 12. 8 Damaſcen. li. 3. de fid. c. 7.

Haud itaque eorum diſceſſus ſola eſt euaneſcentia ab oculis noſtris; ſed etiam mutatio loci quantum ad præſentiam ſubſtantiæ, & eſſentiæ eorum. Quare, vt Carthuſianus docet, dicendum eſt, Raphaelem ita vi ſui ſe ſubtraxiſſe, & repente diſparuiſſe, vt corpus aſſumptum poteſtatiuè, ac ſubito depoſuerit, ac reliquerit, ſicut poteſtatiuè, ac celeriter illud aſſumpſerat: quia materia inferiorum in multis, præſertim quoad motum, obedit Angelis ſauctis, cælumque conſcendiſſe locorum dimetiendo ſpatia. Carthuſianus

3 *Proſtrati in faciem.* In ſignum humilitatis, corde ſimul, & ore Deum *per horas* XXII.

tres laudantes, benedixerunt. Sic Abraham, cum ei diuina reuelarentur myſteria, & B. Petrus, cum ad capturam hominum vocaretur, in faciem cadentes, Deum benedixiſſe legimus.

Gen. 18. 2.
Lucæ 5. 6.

Retrorſum cadere reproborum eſt.

1. Reg. 4. 18.
Io. 18. 6.
Gen. 49. 17

Reproborum enim eſt, & ſuperborum retrorſum in terram cadere, ſicut cecidiſſe retrorſum ſacræ narrant literæ, Heli, cum primum mortem intellexit filiorũ ſuorum, & Iudæos, quando in horto Chriſtum capere voluerunt, & illos, quos Iacob Patriarcha aſcenſores equorum appellat, qui etiam tempore Antichriſti cadent retrorſum: nam cum cadẽs in faciem videat quo cadat, voluntate quodammodo cadere videtur, & cum reuerentia, quod habet ſpecioſiſſimum faciem ſuã offerre. Verum qui retrorſum cadit peccator, non videns quo cadat, ad ruinam impellitur: nam mundi voluptatibus dum inſeruit, improuiſa morte actus in inferna deturbatur.

Et exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius. Surgentes è terra, in qua per tres horas orantes permanſerant, Dei mirabilia narrare cœperunt, & ad rei perpetuam memoriam, vt iuſſi fuerant, ea poſteritati ſcriptione tradere.

Quòd iugem diuinorum beneficiorum memoriam habere debeamus.

DOCVMENTVM.

A

PRAECIPIENS Tobiæ Angelus, vt ſcribat in libro, quæ acceperat à Deo maxima beneficia, indicat optimam eſſe beneficiorum cuſtodiã, vt docet Chryſoſtomus, ipsã memoriam beneficiorum. Quare in canticis, recenſitis à Domino beneficijs, quibus animam ſibi charam cumulauerat: *ſub arbore*, inquiens, *mala ſuſcitaui te, &c.* ſubdit: *Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum*, nihil aliud pro tantis beneficijs ab illa exigere volens, niſi perpetuam beneficij memoriam, alludens ad morem illum quarundam gentium, quæ eorum, quos diligunt, notas, ad perpetuam ipſorum habendam memoriam, igne ſibi imprimendas curant, vel in ſiniſtro brachio, vel in parte item ſiniſtra pectoris, ad quam cor magis protendi aſſerunt, quem morem noſtris temporibus frequentiſſimum apud Mauras, Saracenaſq. fœminas Ghiſlerius aſſerit: etenim cum duo ſint in homine membrorum genera, alia interna, alia verò externa, commemoratione duorum mẽbrorum, in quibus vel internum, vel externum omne ſitum eſt hominis robur, omnia, &

Chryſ. hom. 26. in Matth.
Cant. 8. 5. 6.
Deus memoriam beneficiorum exigit.
Ghiſler. in Cant. 8. 6.
B

ſingula corporis membra complecti videtur, operationes ſcilicet interiores, & exteriores, quæ tales eſſe debent, quales eorum ſunt, qui aſſiduam beneficiorum Dei memoriam referunt. Atque adeo à filijs Iſrael pro maximo, quod illis præſtiterat, beneficio liberationis ex Aegypto, nihil aliud exegit Dominus, niſi diei Phaſe celebrationem; & pro manna cibo mirabili eiſdem in deſerto præſtito, nihil niſi eiuſdem cibi in arca teſtamenti aſſeruationẽ, vt Moyſi præcepit. *Sume vas vnum, & mitte ibi Man, quantum poteſt capere Gomor, & repone coram Domino ad ſeruandum in generationes veſtras.* Et de Iordanis medio duodecim iuſſit lapides tolli, & ſuper humeros totidem principum vſque Galgala portari, & ſeruari: vt haberent inde occaſionem reminiſcẽdi, qualiter, ſiccante Domino aquas, per arentem fluuium tranſmiſiſſet eos. Quod idem docuit, vbi filijs Iſrael hæc habuit. *Quando interrogauerint filij veſtri cras patres ſuos, & dixerint eis, quid ſibi volunt lapides iſti? docebitis eos, atque dicetis: Per arentem Alueum trãſiuit Iſrael Iordanem iſtum, ſiccante Domino Deo veſtro aquas eius in conſpectu veſtro, donec tranſiretis.* Nam cum ſint beneficia, vt dicitur: compedes voluntatis, & quaſi catenæ aureæ, quibus animus ligatur, facile eorum memoria ad Dei amorem, eiuſque obſeruantiam mandatorum vnuſquiſque trahitur. Sic caſtiſſimus ille adoleſcens Ioſeph, dùm ab impura Putipheris Domini ſui coniuge ad obſcœna incitaretur, beneficiorum, quibus ab illo fuerat cumulatus, memor, ab illis ſe teneri dixit, ne malum illud contra eum perpetrare poſſet. Vnde illi ait: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo ſua, nec quicquã eſt, quod in mea non ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es, quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum?* Quod ſi Ioſeph adeò temporalium beneficiorum memoria deuinxit, vt libere fateretur, ab illa ſe omni priuatum facultate aliquid contra Dominum ſuum perpetrandi, quid non faciet in cordegrato memoria non temporalium tantum, ſed etiam æternorum beneficiorum, quæ à Domino quotidie tam liberaliter accipimus? qui creati non modo ſumus, ſed etiam pretioſiſſimo eius redempti ſanguine, quo beneficio maius nullum excogitari poteſt? ſed proh dolor! tanta eſt hominis ingratitudo, vt beneficiorum diuinorum oblitus, contra Dominum ſuum, & benefactorem quotidie inſurgere audeat, malaque pro bonis reddere, ſicut ipſe Dominus per Dauid teſtatũ reliquit dicens: *retribuebant mihi mala pro bonis &c. ſterilitatem animæ meæ*; nam vt etiã alibi pluries ex Bernardo indicauimus. *Ingratitudo eſt ventus vrens, & exiccans fontem diuinæ pietatis.*

Exod. 12. 14.
Exodi 16. 33.
C
Ioſue 4. 21
Beneficia catena aurea.
D
Gen. 39. 9.
Hominis erga Deum ingratitudo.
E
Pſ. 34. 12.
Bern. in Cãt. ſerm. 11.

SYNOPSIS CAPITIS XIII.

Tobias ſenior benedicit, ac confitetur Domino, & vniuerſos in idipſum hortatur. prophetat quoque de reſtauratione, & magna felicitate futura Ieruſalem.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

1 APERIENS autem Tobias ſenior os ſuum, benedixit Dominum, & dixit: Magnus es Domine in æternum, & in omnia ſecula regnum tuum.
2 Quoniam tu flagellas, & ſaluas: deducis ad inferos, & reducis, & non eſt, qui effugiat manum tuam.
3 Confitemini Domino filij Iſrael, & in conſpectu gentium laudate eum.
4 Quoniam ideo diſperſit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis ſcire eos, quia non eſt alius Deus omnipotens præter eum.
5 Ipſe caſtigauit nos propter iniquitates noſtras, & ipſe ſaluabit nos propter miſericordiam ſuam.
6 Aſpicite ergo, quæ fecit nobiſcum, & cum timore, & tremore confitemini illi: regemq. ſeculorum exaltate operibus veſtris.
7 Ego autẽ in terra capitiuitatis meæ confitebor illi: quoniam oſtendit maieſtatem ſuam in gentem peccatricem.
8 Conuertimini itaque peccatores, & facite iuſtitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiſcum miſericordiã ſuã.
9 Ego autem & anima mea in eo lætabimur.
10 Benedicite Dominum omnes electi eius, agite dies lætitiæ, & confitemini illi.
11 Ieruſalem ciuitas Dei caſtigauit te Dominus in operibus manuum tuarum.
12 Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum ſeculorum, vt reædificet in te tabernaculum ſuum, & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia ſecula ſeculorum.
13 Luce ſplendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te.
14 Nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt in te Dominum, & terram tuam in ſanctificationem habebunt.
15 Nomen enim magnum inuocabunt in te.
16 Maledicti erunt qui contempſerint te, & condemnati erunt omnes, qui blaſphemauerint te, benedictique omnes, qui ædificauerint te.
17 Tu autem lætaberis in filijs tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum.
18 Beati omnes, qui diligunt te, & qui gaudent ſuper pace tua.
19 Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ieruſalem ciuitatem ſuam à cunctis tribulationibus eius Dominus Deus noſter.
20 Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndam claritatẽ Ieruſalẽ.
21 Portæ Ieruſalem ex Sapphiro, & ſmaragdo ædificabũtur, & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius.
22 Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius ſternentur, & per vicos eius alleluia cantabitur.
23 Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, & ſit regnum eius in ſecula ſeculorum ſuper eam, Amen.

VERS. I.

Aperiens autem Tobias ſenior os ſuũ benedixit Deum, & dixit: magnus es Domine in æternum, & in omnia ſecula regnum tuum.

VERS. II.

Quoniam tu flagellas, & ſaluas, deducis ad inferos, & reducis, & non eſt qui effugiat manum tuam.

1 *Aperire os ad dicendum quid in ſacris literis.*
2 *Deus cur dicatur magnus in æternum.*
3 *Quomodo dicatur flagellare, & ſaluare.*
4 *Deducat quomodo Deus, & reducat ab inferis.*
5 *Effugere manum Dei quid.*

VERS. I.

Arabs.

Vatablus.

1 APERIENS *autem Tobias Senior os ſuum.* Arabs: *Et aperuit Tobias Senex os ſuum, gratias agens Deo dicens: magnus es tu ò Domine in æternum, & in omnia ſecula rex.* Vatablus ex Græco: *Celebrandus eſt Deus ille viuus in æternum, ſimul & regnum eius.* Antequam ſacræ literæ aliquem introducant ſeria, grandia, prolixaq. dicentem, non raro, vt hic in litera, os illum aperuiſſe dicũt, quod ſoleant, quibus ſeria ſerio tractanda ſunt, non in verba temere proſilire; ſed meditabundi, graueſque, vix tandem ori fræna relaxare. Sapiens: *Aperientur,* inquit, *labia mea vt recta prædicem.* Et Daniel: *aperiens os meum loquutus ſum.* Et ſublimia verba Domino in monte dicturo præmittitur: *Et aperiens os ſuum docebat eos, dicens,* &c. Sic ſeria dicturus ſenior noſter Tobias aperuit os ſuum.

Daniel.

Matt.5.2.

LXX.

Vatablus.
Syrus.

Sanctiſſimi viri nullum prætereunt beneficium ſine gratiarũ actione.

Benedixit Deum. Illum oratione gratulatoria, & voce, & calamo laudans. Sic LXX. *Et Tobit ſcripſit orationem, & exultationẽ:* *Gratulatoriam,* legit Vatablus. Syrus. *Et ſcripſit Tobit hanc laudationem cum gaudio, & dicebat ita: Benedictus es Deus viuens.* laudatiſſimus enim mos antiquorum Patrum fuit, vt beneficio aliquo diuinitus accepto, ſtatim pro gratijs Deo habendis, hymnos de diuinis laudibus concinerent. quod vnum eſt inter euidentiſſima veri iuſti, & Deum rectè colentis animi ſigna, quæ ſolẽt exhiberi.

2 *Et dixit; Magnus es Domine.* Magnus quidem ad intra, quia increatus, incorporeus, immaterialis, infinitus, immenſus, immutabilis, incomprehenſibilis, inuiſibilis, ineffabilis, omniſcius, omnipotens, &c. & quidẽ magnus ad extra: nam, vt ait Tobias.

In æternum. Hoc eſt, in duratione interminabili, indiuiſibili, & independente; interminabili, quia nec principium, nec finem habet; indiuiſibili, quia non eſt ſucceſſiua; ſed tota ſimul; independente, quia ſibi ſufficiens eſt, & nulla perfectione caret: namquemadmodum Deus omnia in ſe ipſo habet, ſic habet æternitas in ſe ipſa omne tempus: ex quo ſit, vt quo modo omnia, quæ ſub aliqua temporis differentia continentur, licet ſint præſentia, præterita, vel futura, dicantur eſſe in tempore, ſicut in propria, & adæquata menſura; ita in æternitate eſſe dicantur tanquam in menſura excedente, & inadæquata, ſicuti etiam aqua contineri dicitur ab aere, vel à cælo, tanquam in loco communi, quæ in vaſe tanquam in loco proprio continetur; &

Et in omnia ſecula regnum tuum. Syrus: *Cuius regnum non præterit;* quia ſcilicet regnum tuum in omnia ſecula duraturum nullum habet finem, quòd in terrenis regnis non contingit, quæ vel morte, vel rerum commutatione finiuntur. Quid vox ſeculi ſignificet, ſupra docuimus.

Syrus

Sup.c.9.v.10 n.5.

VERS. II.

Aug. in pſ. 50 circa mid.

3 *Quoniam tu flagellas, & ſaluas. Cum illa,* vt ait Auguſtinus, *ſit vox Domini: Ego percutiam, & ego ſanabo; percutit putredinem facinoris, ſanat dolorem vulneris. Faciunt hæc medici, ſecant, percutiunt, ſanant: armant ſe, vt feriant, ferrum geſtant, & curare veniunt.* Sic flagellando Deus ſaluat, corripiendo nimirum, vt Beatus Paulus ait: *omnem filium, quem recipit:* etenim ſicut pater flagellat filium, non vt cruciet; ſed vt erudiat, & laſciuos ipſius mores caſtiget; ita pariter flagellat Deus filios ſuos, non vt eorum flagellis delectetur; ſed vt ipſorum corrigat vitam, eoſque ad omnem virtutem erudiat; eſt enim frequens in ſacra ſcriptura enallage, cum verbum pro participio ponitur, vt apud Iſaiam: *non ædificabunt, & alius habitabit; non plantabunt, & alius comedet.* Ideſt ædificantibus illis, alius non habitabit, & comedet, ſed ipſimet. Et in Deuteronomio: *Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis.* Ideſt videns non præteribis; ſimiliter hic *flagellat, & ſaluat.* Hoc eſt, flagellans, ſeu flagellando ſaluat.

Deus flagellando ſanat.

Heb.12.6.

Iſaie 65. 22.

Deut.22.1

Poteſt tamen hæc accipi ſententia ſimpliciter, & abſque aliqua figurata locutione, vt ſit ſenſus, ita Deum flagellare, vt poſt flagella ſaluet, quoſcunque reſipiſcere nouit, quod apud Ieremiam docuit, dum ait: *Bonas facite vias veſtras, & pænitebit Dominum mali, quod locutus eſt aduerſum vos.*

Ierem.26.13.

4 *Deducis ad inferos, & reducis.* Nam ea eſt tua potentia, vt ab inferis, hoc eſt, à ſubterranea illa regione, infra nos poſita, vbi defunctorum animæ degunt, vt ſuperius declarauimus, reuocare homines valeas. Sic Sapiens: *Tu es enim Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis.* Sanè mortem perpetuam eſſe ſepulturam docet Vlpianus. Vnde & Petronij Antigenidis illud habetur epitaphium.

Sup.c.3.v.10 & c.6.v.5.6. 13.

ff. de ſepul. viol. lib.3. S. nõ perpetua.

Petronij Antigenis epitaphium.

Hæc domus æterna eſt, hic ſum ſitus, hic ero ſemper
Nec reuocabit animam.

Alius nimirum præter Deum, qui illam educere poteſt de portis mortis, & ab inferis reuocare. Caue tamen, ne ex conſideratione diuinæ potentiæ elicias aliquam damnatis ſpem poſſe ineſſe egrediendi ab inferis, quia licèt potentiæ abſolutæ Dei non repugnet ex inferno etiam damnatorum animas educere; docent tamen ſacræ literæ æternam eſſe inferni pœnam; vnde dicitur: *Diſcedite*

Damnati ab inferis educi per totã æternitatem non poſſunt.

Mat.25.41

à me maledicti in ignem æternum, & *ibunt*
hi in ſupplicium æternum: cum lex ſit com-
Eccleſ. 11. 3. munis Dei, vt *ſi ceciderit ligni ad Auſtrū,*
ſiue ad Aquilonem, in quocunque loco ceci-
derit ibi erit. quod huius tantummodo vitæ
tempus hominibus conceſſum ſit ad compa-
randam, vel amittendam æternam vitam.
Ex quo etiam perperā multos aſſerere puto,
animā vel Traiani, vel Falconillæ, precibus
S. Gregorij ab inferis á Deo fuiſſe reductas,
Bellar. lib. 2. de purgat. c. 8 & á Io. Damaſceno tale quid narrari: quod
Suarez. to. 2. etiam negat Bellarminius, Suarez, & alij
in 3. par. diſq. probantes doctrinæ ipſiuſmet Damaſceni, &
43. ſect. 3. §. ad alia. Gregorij repugnare.

5. *Et non eſt qui effugiat manum tuam*.
Ideſt potentiam tuam: nam *manus Dei*,
Aug. de ciuit. Dei c. 21. ait Auguſtinus, *potentia Dei eſt*, quod in
Ariſt. lib. de operibus, teſte Philoſopho, manus ſit orga-
part. animal. num organorum; neque enim tanta eſt crea-
turæ poteſtas, neq. adeo abbreuiata eſt ma-
Iſa. 59. 1. nus Domini, vel curta, vt valeat homo il-
Pſ. 138. 8. lam effugere: nam, vt Pſaltes ait: *Si aſcende-*
ro in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in in-
fernum, ades. Et Naſonis ſunt carmina:

Ouid. *Quo fugit Enceladus, ſub Ioue ſēper erit.*
Et
An neſcis longas regibus eſſe manus?

Quòd flagella Dei ſint ad ſalutem, & quod nunquam nobis de diuino ſit auxilio deſperandum.

DOCVMENTVM.

A
2. Reg. 18. 5. SICVT David, vt in libris
regum habetur, exercitum
contra filium ſuum rebellē
dimittens in porta ciuitatis
ducibus præcepit, tota au-
diēte multitudine, vt ſerua-
rent ſibi puerum Abſalonē, quod bellico illo
apparatu nihil aliud prætenderet, niſi filij
reſipiſcentiam; ita flagellat nos Deus, vt ſal-
uet, deducit ad portas vſque mortis, vt ab
illis nos reuocet. quare ſi illum interroga-
res, quid cogitet, dum iuſtos infirmitate,
paupertate, ignominia opprimere videtur,
boniſq. fortunæ omnibus priuat? aliud ni-
hil reſponderet, niſi quod per Ieremiam
Ierem. 29. 11. olim reſpondiſſe legimus, videlicet: *Ego co-*
gito ſuper vos cogitationes pacis, & non
afflictionis. quod cum non capiant ſecu-
li homines, qui bonorum huius mundi poſ-
ſeſſorem beatū exiſtimant. vnde ſicut pſaltes
Pſ. 143. 25 ait. *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt*,
male ſecum agi putant, dum á Deo flagellan-
B tur. Sic Iobi coniux virum ſuum miſerijs
Iob 2. 9. oppreſſum conſpicata: *adhuc* ait illi, *tu*
permanes in ſimplicitate tua? Ac ſi dice-
ret in tantis poſitus miſerijs adhuc credis
quod Deo gratus ſis? adhuc credis te inno-
centiam retinere? ſimplicitas hæc tua eſt:
nam Deus ſuis bona, non mala largitur. Cui
patientiſſimus ille, *quaſi vna*, inquit, *de*
ſtultis mulieribus locuta es. Cum inſipien-
tibus ſentis, teque cum illis inſipientem
oſtendis, dum mundi calamitates ex animo
irato á Deo procedere cenſes, vel illa vt
ſunt, beneficia Dei non exiſtimas, nec pro
illis mecum gratias refers. *Sit nomen Do-* Dei flagella magna beneficia.
mini benedictum. Quanta ſit hæc gratia
docuit B Paulus, dum ait: *Momentaneum*, 2. Cor. 4. 17.
& leue tribulationis noſtræ in ſublimitate
æternum gloriæ pondus operatur in nobis:
Sic: *Cogitauit*, inquit Ieremias, *Domi-* Thren. 2. 8
nus diſſipare murum filiæ Sion, tetendit fu- C
niculum ſuum, & quidem illum, quo ce-
mentarij in ædificando vti ſolent, vt doceat
ſe deſtruendo ædificare, & flagellādo ſaluos
facere ſuos. Quare haud vnquam animum
deſpondere quis debet, ad extremam licèt
vſque miſeriam ſe depreſſum cognoſcens:
nam ſicut flagellat, & ſaluat, ita ad infimā
vſque, & extremam miſeriam adducit, &
reducit: *Deducis ad inferos, & reducis*.
Hinc Habacuc; *Si moram fecerit*, inquit, Habacuc 2. 3.
expecta illum, quia veniens veniet, & non
tardabit: nam tardare licèt poſſit, deeſſe
tamen ſuis opportuno tempore non poteſt.
ſic non tardabit qui opportuno tempore ve-
niet. nam *adiutor ille in opportunitatibus* Pſ. 9. 10.
in tribulatione. In opportunitatibus, inquit,
non in principio, vel medio tribulationis, Deus in tribulatione opportune adeſt.
vel quando homo adminiculum poſcit: ſed
quando illi opportunum videtur. Sic B.
Virgini pro vino deficiente in nuptijs ro- D
ganti: *nondum*, inquit, Chriſtus, *venit ho-* Io. 2. 4.
ra mea, Quare *ſi moram fecerit, expecta*
eum. Sic Abraham in grandi neceſſitate
ſacrificandi proprij filij poſitus, non prius
ab illa ereptus eſt, quam gladium exemerit,
brachiumque ad filij internecionem exten-
derit. Non prius Suſanna ab impuris po-
puli Iudicibus condēnata, liberata eſt, quam
lapidanda duceretur. Non prius Petrus è
carcere eductus eſt, quam morti eſſet addi-
ctus, & iam iam ad illam adducendus; quia
extremum illud tempus opportunum, non
aliud Dominus duxerat ad eorum libera-
tionem, & ſuæ potentiæ oſtenſionem: Sic vi-
dere eſt aliquando hominem in altum pro
ijcientem vas vitreum, quod cadens nemo
non exiſtimat in mille confringendum par-
tes, cui tamen terræ appropinquanti, dum E
ille doctam manum ſupponit, omnino inco-
lumem omnino ſeruat. Sic Deus iuſtum ad
inferna vſque aliquando deiectum, & proie-
ctum ita dextera protectionis ſuæ mire fo-
uet & liberat: vnde Pſaltes: *Iuſtus*, inquit, Pſ. 36. 24.
cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus
ſupponit manum ſuam, talique pacto ad ma-
iorem ſuæ potentiæ admirationem rapit.
Vnde cum Tobia clamare cogimur: *Ma-*
gnus es Domine, &c.

VERS.

VERS. III.

Confitemini Domino filij Iſraël, & in conſpectu gentium laudate eũ.

VERS. IV.

Quoniã ideo diſperſit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis ſcire eos, quia non eſt alius Deus Omnipotens præter eum.

VERS. V.

Ipſe caſtigat nos propter iniquitates noſtras, ipſe ſaluabit nos propter miſericordiam ſuam.

1 *Confiteri Domino pro gratias agere, & laudare Dominum.*
2 *Laudes Dei celebrare iuſto maxime congruere.*
3 *Alios ad illas celebrandas inuitãdos eſſe.*
4 *Flagella Dei diuina eſſe miſericordia indices.*
5 *Cæleſti vindicta nullos innocentes plecti.*

VERS.III. 1 CONFITEMINI *Domino* inuitat hic ſuo cantico Tobias filios Iſraël in captiuitate poſitos ad gratiarum actionem, nam *confiteri Domino* eſt gratias agere, quod diuina optime fateantur beneficia, qui pro illis gratias agunt. vnde Hieronymus: *Confeſſio*, inquit, *non ſemper pœnitentiam: ſed etiam gratiarum actionem ſignificat, vt in pſalmis ſæpiſſime legitur*, & ad laudes Dei, nõ ſecretas tantum; ſed etiam publicas. eſt etiã *Confiteri Domino*. Deum voce laudare, vt patet in Geneſi, & alibi paſſim. Quo ſenſu Chriſtus apud Matthæum dixit: *Confiteor tibi pater*, &c. Et laudare Deum in conſpectu alicuius, eſt ipſum Deum opere celebrare, cum opus, non vox in conſpectu alterius conſpiciendum ponatur. ſic hortatur hic Tobias filios Iſrael ad laudandum Deũ, corde, voce, & opere, nos docens non ſatis eſſe Deum corde, & ore celebrare, niſi etiã opere magnificemus, de qua re infra.

Hier. in Mat. c. 10. — *Pſal.* — *Gen. 29.* — *2. Reg. 22. d* — *3. Reg. 8. d* — *Matt. 11. 25.* — *Inf hoc eod. c. v. 6.*

2 *Et in conſpectu gentium laudate eum.* Sane hic finis, & intentio Dei, in omnibus, quæ operatur; vt videlicet ſibi laus, honor, & gloria, non à paucis, aut paucis in locis, ſed vbique ab omnibus detur. Vnde & in oratione Dominica pro illa nos orare voluit, & dicere: *Sanctificetur nomen tuum.* Verum cũ ad has diuinas laudes celebrandas inuitat Tobias ſingulariter filios Iſraël, & filius apud hebræos confirmationem, ſimilitudinemque ſignificet, vt patet apud B. Matthæum, vbi Chriſtus dicit: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri.* Hoc eſt, ſimiles ſitis patri veſtro, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos*, &c. *Iſrael* vero iuxta Hieronymi interpretationem proprie Sanctus Dei interpretetur: dicendum eſt, Tobiam eos maxime ad diuinas laudes decantandas hic inuitatos voluiſſe, qui Deo virtutibus ſimiles *recti Dei* dici poſſunt: nam, vel teſte Dauid: laudes diuinas prædicare non omnium eſt; ſed rectorum: *rectos decet collaudatio.* Vnde Chryſoſtomus: *Non inuenies*, inquit, *in tota ſerie ſacrarum ſcripturarum viros, aut fœminas, qui laudes aliquando Domino dederint, niſi probata virtutis, & ſanctitatis.* Et quidem, ſicut muſicum Inſtrumentum terra, aut puluere repletum, ſonum ſuauem emittere nullo modo poteſt, niſi à terra ſit ante purgatum, & emundatum à puluere: ita nec anima terrenis deſiderijs coinquinata, niſi prius à terrenis affectibus mundata, ſanctam vitam inſtituat, laudes, quæ Deo gratæ ſint, perſonare valet: Sic: *quomodo cantabimus*, dixerunt filij Iſraël in captiuitate poſiti, *canticum Domini in terra aliena? Quod ſi in terra barbara*, ait Chryſoſtomus, *canere Domino fas non erat, quanto minus id fas erit anima barbara.*

Matt. 6. 9. — *Matt. 5. 44. 45.* — *Hier. in Iſa. c. 43. & 44.* — Diuinas laudes prædicare iuſtorum eſt. — *Pſ. 32. 1.* — *Chryſ. in Pſ.* — *Pſ. 136. 4.* — *Chryſ. hom. 6. in ep. ad Ro.*

Hinc collige quantum diſtet à Deo, qui nec labijs quidem illum laudat: dicit enim Ambroſius: *Populus iſte, nec labijs me honorat. Iudæus vel labijs, tu vero nec labijs, ſi illius, qui vel labijs honorat, cor longe eſt à Deo, quomodo poteſt cor tuum prope eſſe, qui etiam labijs non honoras? Tollite igitur*, dicã cum Oſea, *vobiſcum*, verba, confeſſionis ſcilicet, & laudis, *& conuertimini ad Dominum*, in vera cordis pœnitentia, *& dicite ei omnem aufer iniquitatem, & accipe bonũ.* Nam, vt hic Hieronymus ait; niſi tuleris mala noſtra, bonum, quod offeramus, habere non poſſumus, *& reddemus vitulos labiorum noſtrorum: vituli labiorum*, inquit idem, *laudes in Deum ſunt.*

Ambr. ſer. 19. in pſ. 148. to. 2. — *Oſea 14. 3* — *Hier. in Iſa.*

VERS.IV. *Quoniam.* Rationem hic Tobias reddit, cur Iſraëlem maxime diuinas laudes celebrare opus eſſet, quod ſcilicet cauſa finalis eorum captiuitatis, vel præſentis decem tribuum, vel etiam futuræ filiorum Iuda, vt innuit Arabs, qui ſic legit. *Quoniam diſſipabit nos inter gentes, &c.* hæc fuit, vt Deũ in captiuitate laudantes, eiusque mira geſta celebrantes, & omnipotentiam; gentibus oſtenderent, nullum alium eſſe Deum præter eum, qui eſſet omnipotens.

Arabs.

3 Sanè, vt Aug. docet, velle debemus, vt oẽs nobiſcum cognoſcãt, & diligãt Deũ, & totũ, quod vel alios adiuuamus, vel ab alijs adiuuamur, ad vnum illum finem referendum eſt. ſi enim in nequitiæ theatris, qui aliquẽ diligit hiſtrionem, & tanquam maximo, vel eius ſũmo bono eius arte perfruitur omnes

Aug. lib. 1. de doctr. Chriſt. c. 28.

etiam

etiã diligit, qui cũ ſecũ diligunt, non propter illos; ſed propter eum, quẽ pariter diligunt, & quãto eſt in eius amore feruẽtior, tanto magis quibus poteſt modis quærit, vt à pluribus diligatur, & tanto pluribus quærit illum incendere, & quem frigidiorem videt, eum quantum poteſt illius laudibus excitat, ſi autem contrauenientem inuenerit, odit in illum vehementer odium dilecti ſui, & quibus modis valet inſtat, vt auferat, quid nos in ſocietate, & amore Dei facere conuenit? Si Holofernes militiæ Aſſyriorum Princeps, vt nomen Nabuchodonoſor ſui principis glorioſum redderet, ciuitates vaſtabat, monteſque ſolo æquabat, nec aliquem ferre poterat alium Deum præter ſuum principem celebrari, vt patet in Achior, qui ab illo eiectus eſt, quod verum Deum laudauerit, quid nos pro Dei noſtri laude par eſſet facere?

VERS. IV. Omnipotentia Dei præcipue prædicanda. *Pſ. 134. 6.* *Quoniam non eſt alius Deus Omnipotens.* Hæc enim maxime prædicanda eſt Dei omnipotentia, quæ nullum habet terminum, vt pote ad omnia poſſibilia potens: nam omnia prorſus, *quæcunque voluerit, Dominus, facit, in cælo, & in terra, mare, & in omnibus abyſſis*, vt illius conſideratione homo eum magis timeat, & reuereatur.

VERS. V. 4 *Ipſe caſtigat nos.* Cauſam captiuitatis, vt more ſcholaſtico loquar, *formalem*, aliorumque malorum, quæ patiebantur, vel paſſuri erant filij Iſraël, ſuas ipſorum fuiſſe culpas, hic Tobias memorat, qui anteriore verſiculo eorum cauſam *finalem* Dei fuiſſe gloriam decreuerat; ob quas, dum eos caſtigatos Deus voluit, futurum prædicit, vt propter miſericordiam ſuam eos etiam ſaluet:

Sup. hoc eod. c. v. 2. Tribulationibus percutit Deus, vt ſaluet. nam ſupra dixerat Deum flagellare, vt ſaluet, docens quomodocunque caſtigationẽ, & flagellum Dei experiamur, futuram inde ſaluationem nobis expectandam eſſe, quam quidem optantes, haud ea debemus reſpuere.

Iob 5. 18. *Heb. 12. 11.* nam, *percutit Deus*, ait Iob, *& manus eius ſanabunt*. Et Apoſtolus; *omnis*, inquit, *diſciplina in præſenti videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris; poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eã reddet iuſtitia.*

5 *Propter iniquitates noſtras.* Etenim vt ſenex ille, qui Beato Ephrem in vinculis coniecto apparuit, edixit: *Iuſtum eſt Tribunal numinis, nulluſque cæleſti vindicta, niſi nocens plectitur.* ſed hiſtoriam audiamus, prolixam quidem, ſed plane iucundam, quam

Raderus viridar. 1. part. 1. Febru. Matthæus Raderus ex illius ſancti operibus eleganter conſcripſit his verbis.

Cum puer eſſem, ſane male moratus, et iuſſu parentum ſuburbium peterem, repertam iu ſaltu buculam fœtu grauidã cœpi crebra lapidum inſectatione eouſque perſequi, donec onere ventris, & curſu fatigata concideret. Mortua feris per noctem in prædam ceſſit. Ego cœptum proſequutus iter, obuiam habui iuuencæ dominum, vltima ſortis, & fortunæ hominem, ſollicite pecudem amiſſam veſtigantem, meque peramanter ſalutantem, petentemque an aberrantis alicubi bouis veſtigia in ſylua deprehendiſſem, Ego, vt me extra facti ſuſpicionem ponerem: nullo dignatum reſpouſo, inſuper etiam contumelijs oneratum dimiſi. Altero poſt menſe eandem viam remetiri iuſſum iu nemore me uox oppreſſit. Opiliones, qui gregem iu Sylua paſcebant, occurſantes quærunt, quo ſub imminentem iam noctem tendam? miſſu parentũ, inquam, ad ſuburbium illud tendo. Diuerte, inquiunt, ad nos, occiduum iam ſolem vides, prima luce reliquum via decurres. Victus humanitate paſtorũ mapalibus ſucceſſi, ſed intẽpeſta nocte ouilibus inſidiatæ feræ gregem inuaſere, totaq. ſylua diſtulere. Poſtera die magiſtri pecoris caulas inanes conſpicati, me furibus ducem rati, nequicquã Diuum, hominumq. fidem implorantem prætori vinctum ſiſtunt, qui cuſtodiæ mandatum, duobus reis adiunxit, quorum vterque exors criminis, cuius affinis putabatur, occulta tamen vindicta Numinis vtrumq. proſequente, in ſuſpicionem alter cædis, alter adulterij inciderat. Iam quadrageſimum diem in carcere trahebam, cum ſe dormienti ſpecies ephebi vultu formidabilis offert. Qui me tamen placide affatus: Ephrem, inquit, qui te caſus tulit in vincula? Domine, inquam aſpectu tuo perculſus, totis artibus contremiſco, ſatiſcoque. Pone metum, inquit, & cauſam vinculorum expone. Domine, inquã, miſſu parentum in ſuburbium feſtinabam; ſed tenebris occupatũ cuſtodes pecoris in tugurium inuitaruut, interim de nocte gregem lupi inuadunt, ac tota ſylua diſpergunt. Hinc ego poſtera luce à paſtoribus arbitrantibus ductu meo prædones ad ouilia penetraſſe, ad prætoria vinctus, quamuis inſons, meramq. calumniam paſſus, raptus ſum. Hic ille renidenti vultu: noui, inquit, ego te extra crimen hoc poſitum, impactamque tibi puram puram calumniam: ſed quid ante menſem vnum, aut alterum deſignaris haud ignoro, cum infelicis viri miſerum pecus crebra lapidatione confeciſti. Diſce ergo iuſtũ eſſe tribunal numinis, nullumq. cæleſti vindicta, niſi nocentem plecti. Exemplo ſunt gemini illi iuxta tecum vinculis conſtricti, ambo eius, cuius inſimulantur, noxæ immunes; ſed percontatus intelliges cur illos in cuſtodiã æquitas diuina dari permiſerit. Hæc fatus adoleſcens ex oculis abijſſe viſus eſt. Expergefactus ego ſimul ac diluculauit compello vtrumque. Qui vos, inquam, fratres, in hanc caueam caſus compegit? cædis, inquit alter accuſor, & cædem nullam vnquam feci. Ego alter, inquit, alterius violaſſe thorum dicor, cum fœminam alienam nunquã contrectarim. Enimuero quid alias à vobis iam olim peccatum eſt, aut cuius cauſa in has ærumnas permiſſu Numinis deuoluti eſtis? Ante non multos dies (inquit ille ſal-

ſa

ſæ cædis reus) cum extra mœnia pontem flumini impoſitum tranſirem, ſecuti me alij duo in ipſo ponte altercari cœperunt, glisſcenteque ſenſim rixa, ad manus venere, vbi valentior alterum de ponte in ſubterfluentem vndam præcipitauit, & ſe ſubduxit. Ego propter alueum inambulans illi cum fluctibus luctanti, opemque meam vltimis votis, & lacrymis ſuppliciter imploranti, manum facilem non porrexi, paſſus infelicem diu, multumque fruſtra contra torrentem niti, & me præſente, ſpectanteque verticibus fluminis abripi, & hauriri. Hinc, opinor, ira cœleſtis me iuſtè perſequuta, in hos calumniæ caſſes, & vincula coniecit. Dein alter falſa adulterij ſuſpicione circumuentus. Et ego, inquit, meum vobis facinus exponam. Biennium eſt, cum gemini fratres defunctis parentibus ampliſſimam hæreditatem adierunt, à quibus nondum diuiſa ſorte, ſoror orba, & vidua ſuam partem exigebat, quā infitiaturi ſororem inſtituerunt calumnijs opprimere. Fornices innocenti, vagamque libidinem obijciunt: negare illa, & iureiurando affirmare ſe puram, & omnis culpæ expertem; inſtare illi ſe teſtibus conuicturos, nocentemque patrimonio exturbaturos. Benè ſibi conſcia ſoror conditionem admittit. Conueniunt me fratres, paciſcuntur quinquaginta aureos in calumniam; ſpondeo, præſentibusque fratribus, & ſorore, alijsque teſtibus, iureiurando confirmo ſcortum eſſe, eiuſque rei me conſcium iuro, deieroque. Ita mulier hæreditate paterna penitus exuta per nos, innocens, infamia ſimul notata, & patrimonio ſpoliata eſt. Adulterium, de quo poſtulor, nunquam cogitaui. Et te, inquiunt, quæ cauſa nobis ſocium vinculorum adduxit. Narraui de ouium grege à feris direpto, meque eo nomine inculpatum eſſe: Ecquod tu crimen, inquiunt, olim concepiſti, vt in capitis diſcrimen diuina te prouidentia venire paſſa ſit? Buculam ego pauperis prægnantem lapidibus inſectatus ad geminam mortem adegi, ipſum inſuper ſuam iuuencam veſtigantem indignis conuicijs laceraui. Poſtridie prætor ſontes ad tribunal ſiſti iubet, & quæſtionibus ſubijci. Primus de cædi, & vi appellatus, conſtanter negat factum; torqueri iuſſus, eadem conſtantia perſeuerat in tormentis. Soluto primo, ſecundus pro adulterio habitus ducitur. parique ratione tortus adulterium infitiatur. Ego interim metu propè exanimatus trepidabam, & pauebam; magnamque vim lacrymarum profundebam, vt qui perinde me, ac cæteros ad ſupplicium quæſtionum adductum ſcirem. Quin & lictorum turba me lamentantem petulanter irridere, & dictis inceſſere: Serò ploras, improbe puer, tum plorandum erat, cum ſcelus admiſiſti, iam nunc in medium, & tu proditurus es. Quæ vox adeò vulnerauit animum meum, vti tantum non defectus ante mortem morerer. Tandem pronunciata in duos ſententia, videri innocētes, abſoluti ſunt, ac dimiſſi. Ego imperio prætoris reductus ad cuſtodiam, alteros quadraginta dies ibidem exegi, cum tres alij in eundem mecum carcerem compinguntur, reuerſusque ad me ille adoleſcens, qui mihi per quietem viſus erat, & Ephrem, inquit, percontatus es ex illis duobus quid peccauerint? Ego verò, inquam; & prolixè expoſui omnia, quæ ab ijs didiceram. Intelligis ergo iudicia Dei iuſta. En duo hi gemini fratres illi ſunt, qui ſororem falſa ſtupri criminatione oppreſſam bonis paternis exuerunt, tertius eſt ille, qui de ponte hominem in flumen deiecit, cuius vi, ac impetu abreptus interijt. Ego, mox vt illuxit, adortus ſingulos, de ſingulis quæſiui, qua culpa fuerint comprehenſi, & in neruum dati. Cum alij cædem falſam, alius adulterium nequicquā cauſaretur, & omnes ſe innoxios dictitarent. Regredimini, inquam, in memoriam æui ante acti, & annales vitæ veſtræ recognoſcite, fortè iam olim aliquid peccaſtis, nec dum expiaſtis. Hic illi faſſi calumniam ſorori factam, & ademptam hæreditatem, tertius depontanum illum à ſe in aquas præcipitatum dixit. Extorta à ſingulis confeſſione aperui, quæ cognoueram de alijs, quæ illi narratione attoniti formidare cœperunt vindictam diuinam. Inſequenti die quæſitor omnes ad publicum tribunal adduci præcepit, vbi ſpectante populo rotarum gyris adſtricti, diuque excarnificati facinora ſua omnia ediderunt, cædes, adulteria, calumnias, lataque ſententia, me præſente, in furcam acti animas exhalarunt. Quid mihi tunc animi, quis ſenſus, ac trepidatio fuit? lictores enim, age puer inquiunt, non ita quæſtionem, vt nuper, euades, quibus ego externatus mortuo propior, quam viuo videbar. Dein prætor, puerum, inquit, veſte ſpoliate, ſpoliatum loris à manibus, pedibusque diſtendite, neruisque bubulis mactate. Hic ego mille votis cælum oneraui, Deumque infimis precibus propitiare conatus, religionem profeſſurum ſpopondi, ſi me præſenti ſupplicio eriperet, & vinculis exempto ſalutem expediret. Audire mox viſa Dei clementia lacrymabiles gemitus meos; ex conſilio iudicum primus monet prætorem, vt ſi videretur, in aliud tempus cognitionem reijceret meæ cauſæ, prandij horam eſſe. Reducor ego oneratus ferro in vincula, aliosque dies quinque ſupra viginti in cuſtodia ſolus exigo. Cum ecce tibi rurſus ille iuuenis (haud dubiè tutelaris genius) mihi iam tertium adſtat, & compellans: ſatiſne credis iam, inquit, iuſto Dei iudicio mundum adminiſtrari, nec quicquam contra æquitatem ab eo fieri? plus ſatis, inquam, intellexi, mirabilia opera Domini,

& inueſtigabiles vias eius. Sed obſecro Domine, qui me tam clementi affatu in vltimis his periculis, & ærumnis meis dignatus es, aſſere me ex vinculis in priſtinam libertatem: Ego tibi viciſſim totum vita mea annum deuoueo, deſpondeoque, Monachum profiteor, & in omni vita ſincera fide Deo ſeruiam. Subridens ille: ſemel adhuc duntaxat ad tribunal ſiſteris, & miſſionem accipies. Ah Domine, inquam, minas, & plagas iudicis pertimeſco, & reformido. Rurſum ille placidè: tam grauiter te peccaſſe non oportebat, nunc quoniam ob iniquitatē tuam tu ipſe te his calamitatibus implicaſti, quid agā? Enimuero non multa patieris: ſuccedet huic nouus prætor, qui te miſſum faciet, & cum dicto receſſit. Anxius ego propter euentus incerti expectationem, poſt quartum diem nouus prætor magiſtratum init, parētibus meis familiariter notus, qui octauo, quam inierat præturam die, quærit ex præfecto carceris, quos teneret in vinculis. Neminem præfectus, inquit, præter puerum, productum in quæſtionem agnoſcit, & nihilo ſecius ex legum præſcripto cauſam cognoſcit, & abſolutum dimittit. Ego præter expectationem abſolutus, recta ad montem profectus, ad venerandi ſenis pedes procubui, ſtatuque vitæ, & diſcriminis explicato, in verba religionis, & monachi iuraui. Hæc Raderus.

VERS. VI.

Aſpicite ergo, quæ fecit vobiſcum, & cum timore, & tremore confitemini illi, regemque ſeculorum exaltate in operibus veſtris.

1 *Timor magnus cum tremore.*
2 *Deus cur rex ſeculorum dicatur.*
3 *Operibus bonis quomodo exaltetur.*
4 *Exempli boni vis.*

ASPICITE *ergo.* Conſideratione cōcludit Tobias aſpicienda eſſe à filijs Iſrael, quæ ob peccata paſſi fuerant à Deo flagella.

1 *Cum timore, & tremore.* Hoc eſt, cum timore magno, in quo dum calor cor deſerit, vt teſtis eſt S. Thomas, cor, & membra, quæ aliquā cum pectore connexionem habent, cōtremiſcunt, diuinam iuſtitiā, & miſericordiam verbis celebrandam: diximus enim ſupra, *confiteri Domino*, idem eſſe, ac Deum voce celebrare, ipſumq. Deum.

S. Tho. 1. 2. q. 44. ar. 3. ad 1

2 *Regem ſeculorum.* Hoc eſt, primum ens æternum, & conſequenter regem, auctorem, moderatorem, ac Dominum omnium ſeculorum, æternitatis videlicet ſuę, vitæ æuiternæ Angelorum, & noſtrorum temporum: (nam idcirco, inquit Dionyſius Areopagita, Deus dicitur Rex ſeculorum, vtpote in quo, & circa quem totum eſſe, & ens, ſubſiſtenſque verſetur) gentibus illis, à quibus detinebantur, inuiſum.

Dionyſ. de diuin. nom.

3 *Exaltate.* Et conſequenter Deum à gētibus depreſſum, & contemptum ſuis ipſorū operibus exaltandum docet: nam exaltare, cū reſpectum dicat ad depreſſionē, ſignificat ex depreſſione ſuſtollere, eleuare, & in loco edito conſtituere. Arabs: *Exaltate eum operibus veſtris.*

Arabs.

4 *In operibus veſtris.* Hoc eſt, ſicut B. Petrus ait: *Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detrectant de vobis, tāquam de malefactoribus ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.* Sanè, vt Chryſoſt. ait: *Cōuincunt magis opera virtutis, quam miracula: hæc namque vel fictè fieri poſſunt, vel ſi verè, etiam ab improbis, per gratiam gratis datam.* Nam ſicut, *cæli*, teſte Pſalte, *enarrant gloriam Dei*, ſic uos non dicentes, ſed tacentes etiam, vitæ claritate, & pura cōuerſatione omnes in Dei admirationem adducimus: mirabitur enim velit nolit infidelis, vbi viderit fidelem compoſitum, modeſtum, ornatum virtutibus, & magnum eſſe Deum Chriſtianorum prædicabit: quod ſatis ex eis hiſtorijs conſtat, in quibus non paucos legimus martyrum victos humanitate, atq; conſtantia, mores malos exuiſſe, Chriſtiq fidem accepiſſe. Albanus in Anglia paganus, vt ex Beda narrat Lorinus in locum B. Petri ſupra indicatum, cum clericum ex perſecutione fugientem hoſpitio recepiſſet, eumq. orationibus continuis, ac vigilijs, diu; noctuq. ſtudere cōſpexiſſet, exemplum æmulatus, Chriſtianus euaſit, & clerici veſtibus indutus morti pro illo ſe obtulit, & martyrij collegā ipſummet carnificem retulit. Conſpecta quoque vita pia S. Auguſtini, & ſociorum, gētiles Angli commoti ſunt. Lucrinus Martyr, vt habet Surius, ſola vultus compoſitione, ac modeſtia perſuaſit verum Deum eſſe, quē coleret, & vt idem habet, patientia Abrahami vicum integrum Chriſto lucrifecit, vide documentum ſecundum, & quæ diximus ſupra.

1. Pet. 2. 12.

Chryſ. or. de S. Babyla. & ho. 9. ad pop.

Boni exempli vis.

Beda in locū B. Petri ſupra indicatum.

Beda li. 1. hiſt. Angl. c. 10.

Sur. 7. Ian.

Idē 11. Mart.

Quòd Dei beneficia, & flagella diligenter ſint conſideranda.

DOCVMENTVM I.

A

DOCET primo beneficia Dei, & flagella diligenter eſſe conſideranda. *Aſpicite ergo, &c.* nam, vt Ieremias ait: *Deſolatione deſolata eſt omnis terra: quia nullus eſt, qui recogitet corde, virtutibus ſcilicet idcirco carēt homines, vitijſque replentur, quòd vel non*

Ierem. 12. 11.

Conſiderationis defectu mala propè omnia proueniunt.

cogitant, quæ dc diuina miſericordia,& inſtitia cogitare deberent, vel non rccogitant corde: vndc eorum,quæ ſemel cogitauerant, obliuiſcuntur: nam, & quis læthalem committeret eulpam,ſi corde cogitaret eius tantam eſſe malitiam, ac turpitudinem, vt non niſi ſanguine Dei ablni poſſit? ſi corde reeogitaret æternam pœnam omni carenrem termino culpæ deberi? Sanè Sanctns Thomas Aquinas ſe non benè percipere ſolitus erat dicere qnomodo qnis læthalis enlpæ ſibi cōſeius rideat, qui ſide credat, ſe mortem pro illa æternam demereri. Et qnidem, ſi Demoeles, dc quo Cicero, ex quo enſem filo tenui appenſum capiti ſuo imminere perſenſit, dc menſæ lautiſſimæ, cui aſſidebat epulis, nce minimum quid auſus eſt deguſtare, quo modo qui læthalcm culpam commiſit Chriſtianus incertus de mortis ſuæ hora vacabit delicijs, & ridebit? Hinc benè, ni fallor, quidam Dci ſeruus dicere conſueuerat, præter duos illos carceres, ſanctiſſimi videlieet offieij inquiſitionis,& fatuorum, nullos alios eſſe in Chriſtiana republica neceſſarios, enm infidelibus, pœnasque inferni non credentibus primus, cæteris vero omnibus,qui poenas inferni credentes mortaliter peccant non alius,quàm ſecundus debeatur. Quare,ſicut nō ſapit, nec benè nutrit cibus, qui dentibus non benè confectus deglutitur; ita nihil animæ noſtræ prodeſt multa de Deo nouiſſe,nec recogitaſſe corde. Vnde & Dominus in veteri lege immunda omnia animalia declarauit, quæ comedunt, & non ruminant. Sanè: *concaluit*, inquit Dauid, *cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis*. nam conſideratione ignis dinini amoris in eorde ſuccenditur, non ſecus ae folle ignis materialis in ligno, vel alia combuſtibili materia ſuecendatur. Sic multi, licèt tangerent Chriſtum, immo comprimerent corpore, dum ad ſanandam Archiſynagogi filiam aeeederet; nullus tamen ipſius ſenſit virtutem, niſi mulier emoroiſſa, quæ corde ipſius miras virtutes reeogitauerat: vnde intra ſe dixit: *Si tetigero tantum veſtimentum eius, ſaluus ero*: nam multi lieet ſint, qui, vt ſic dicam, multa oratione,& verborum multitudine Deum comprimunt, nullus tamen eſt, qui virtutem ſentiat orationis, niſi qui corde recogitat. Sic Bernardus: *Mentem*, inquit, *purificat conſideratio: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat, & ordinat, poſtremò diuinarum pariter, & humanarum rerum ſcientiam confert: hæc eſt, quæ confuſa diſterminat, hiantia cogit, ſparſa colligit, ſecreta rimatur, vera veſtigat, veriſimilia examinat, ficta, & fucata explorat: hæc eſt, quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente reſideat, aut incorrectum, aut correctione egens*:

Sur. hiſt. S. Dominici vit. S. Thomæ par. 1 lib. 3. c. 38.

B

Cic. Tuſcul. 5

Peccator ſtultus.

Meditatio diuini amoris ignem accendit.

C

Pſ. 38. 4.

Mat. 9. 21

D

Bern li. 2. de conſid. ad Eugen. c. 7.

hæc eſt, quæ in proſperis aduerſa præſentit, in aduerſis quaſi non ſentit, quorum alterum fortitudinis eſt, alterum prudentiæ. Aſpiciamus ergo quæ fecit nobiſcum Deus, &c.

Quòd Deus cum timore laudandus ſit, & voce, & opere.

DOCVMENTVM II.

A

DOCET ſecundo Deum, quem ipſæ poteſtates laudantes tremunt, eum timore magno laudandum eſſe: nam eum ille omni ſit laude maior, quia, vt Pſaltes ait. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*, & vt Iob, *Deus magnus vincens ſcientiam noſtram*, timendum eſt, ne dum landibus noſtris extollitur, minorem de eo conceptionem auditoribus ingeramus, quàm ipſius infinita dignitas exigat: Sanè Seraphim, teſte Iſaia, exclamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* quaſi erubeſcentes Deum tam modieis landibus extollere, alis facies ſuas velant, & quidem laudandus Dens non ore tantum; ſed etiam opere, vt in litera diximus, exaltandus eſt. Sic Tobias: *Regem ſeculorum*, ait, *exaltate in operibus veſtris*. Sic *non ſolum*, inquit Auguſtinus, *vox tua ſonet laudes Dei; ſed & opera tua concordent cum voce tua*. Quod etiam Dominus apud Matthæum Apoſtolos ſuos docuit, dicens: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt*. Lux ſcilicet doctrinæ Euangelicæ, quam oſtenditis hominibus, & mundo, ſic quaqua verſum luceat, vt qui illam audiunt, ſimul & illam videant in operibus veſtris: tali enim pacto glorificabitur pater veſter Deus. Sic enim ad conſpectum Angeli, habentis Euangelium in manibus, Babylonem cecidiſſe legimus. Sanè quemadmodum ad harmoniam, manus inſtrumenta pulſantium voci concordare debent; ita ad Dei nominis laudem docentis vox manibus debet concordare: *perditur enim*, teſte Gregorio, *loquendi auctoritas, quando vox opere non adiuuatur*. Vnde anima ſancta, vt in Canticis habetur, dulci voci faciem decoram, aſpectum videlicet exteriorem adiungebat. Et Beatus Paulus corpus ſuum ieiunijs, cilicijs, verberibusq. caſtigabat, *ne*, inquiens, *cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar*. Auditores tamen haud multum de doctoris ſanctitate curare debent, dum vera ille prædicat; eſt enim ſemper veritas à Deo: quare ſicut non manum ſcribentem in pariete Balthaſar rex conſiderauit; ſed virtutem ſuperiorē

Pſ. 47. 2.

Iob 36. 26.

Iſaia 6. 3.

in litera n. 3. & 4.

S. Aug. in pſ. 146.

Matt. 5. 16.

B

Laus Dei voce, & opere perficitur.

Apoc. 14.

Vox opere adiuuanda.

Greg. 19. moral. c. 6. ſeu 5.

Cant. 1. 14

C

1. Cor. 9. 27.

Dei,

Digitized by Google

Dei, à qua illam moueri intelligebat; ſic non qualem quiſque habeat monitorem, ad laudem Dei,& virtutem attendere debet; ſed Deum,cuius monitor gerit perſonam: nam *qui vos audit*, dicit Chriſtus ſuis prædicatoribus, *me audit*, & auditoribus: *quæcunque*, inquit, *dixerint vobis, facite, ſecundum autem opera eorum*, ſi mali aliàs ſint, *nolite facere*.

Luca 10. 16. *Matt.* 23. 3.

VERS. VII.

Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi, quoniam oſtendit maieſtatem ſuam in gentem peccatricem.

VERS. VIII.

Conuertimini itaque peccatores, & facite iuſtitiam coram eo, credentes quòd faciat vobiſcum miſericordiam ſuam.

1 *Maieſtatem, & omnipotentiam Dei maximè apparere, ex peccatorũ remiſſione.*
2 *Miſericordiam ſuam Deum nulli verè pœnitenti negare.*
3 *Peccatores cur inuitet hic Tobias ad pœnitentiam.*
4 *Veram pœnitentiam non eſſe ſine bonis operibus.*

VERS.VII

EGO *autem*. Docet ſanctiſſimus Patriarcha Iſraelitis ob captiuitatem à diuinis laudibus minimè eſſe ceſſandum, ſuosq. illos exemplo animans: *Ego autem*, ait, licèt in captiuitate poſitus; haud tamen à diuinis vnquam ceſſabo laudibus; ſed hoſtium barbariem flocci pendens.

Confitebor Domino. Deq. eo ſẽper occinã.

Arabs.

1 *Quoniam oſtendit maieſtatem ſuam*. Arabs: *Magnificentiam ſuam*, quòd ſcilicet omnipotentiam, & magnificentiam ſuam maximè manifeſtauerit.

LXX.

In gentem peccatricem. Miſericorditer ſuas ipſorum condonando culpas. LXX. *Ego*, legunt, *in terra captiuitatis mea confitebor ei, & oſtendo fortitudinẽ, & magnificentiam eius genti peccatorum*. ſeu, vt alia habet lectio, ἁμαρτωλῷ, *peccatrici*. Et Cyprianus: *Tobias*, inquit, *ſub regali licet ſeruitute, & tyrannica; ſenſu tamen, & ſpiritu liber, confeſſionem ſuam Deo ſeruat, & virtutem, maieſtatemque diuinam prædicat, dicens: Ego in terra captiuitatis mea confitebor illi, & oſtendo virtutem eius in gente peccatrice*. Sanè virtutem, & omnipotentiam ſuam Deum maximè oſtendere remittendo culpas, docet Eccleſia, dum ait: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas*. Etenim nemo niſi omnipotens poteſt peccata dimittere, cùm nemo facultatem habeat ignoſcẽdi, niſi qui ſummum ius habet in creaturam. Ideoque rethores deprecationem, qua ſibi reus ignoſci precatur, negant apud iudices locum habere, penes quos poteſtas ſumma non eſt; ſed apud eos, qui nullius imperio ſubiecti, & rerum domini ſunt: quare cum Deus hominum culpas remittit, à nullo ſe pendere; ſed ſummam habere poteſtatem demonſtrat.

Cypr. lib. de exhort. Mart. c. 11.

Eccleſia in orat. officij Domin. 10. poſt Pent.

Dei potẽtia ex peccatorũ remiſſione conſpicitur.

VIII. *Arabs.*

2 *Conuertimini itaque peccatores*. Arabs: *reuertimini*. Ex quo enim Deus maieſtatem ſuam in gentem peccatricẽ maximè oſtẽdit, remittendo ſuas ipſorum culpas; infert Tobias, peccatori cuicunq; licet maximo, nunquam de ſua ſibi eſſe ſalute deſperãdũ, dummodo per veram pœnitentiam ad Dominum reuertatur: neq; enim vult Deus, vt ipſemet per Ezechielem loquitur, *mortem peccatoris; ſed vt conuertatur, & viuat*. Vnde apud eundem Ezechielem: *Reuertere*, ait, *aduerſatrix Iſrael dicit Dominus, & non auertã faciem meam à vobis, quia ſanctus ego ſum, dicit Dominus, & non iraſcor in perpetuũ*. Sic omnibus ad ſe accedẽtibus per verã pœnitentiam, promiſit Chriſtus ſuam gratiam. *Venite*, inquiens, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*.

Ezech. 18. 33. *Iere.* 3. 12. *Matt.* 11 28.

3 Peccatores etiam ad conuerſionem inuitat, vt diſcamus, quòd præueniat licet Deus conuerſionem noſtram gratia ſua; liberè tamen illam acceptamus, ad illumq. conuertimur. Quare Concilium Tridentinum. *Cum*, inquit, *in ſacris literis dicitur: conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis noſtra admonemur: cum reſpondemus, conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei noſtri gratia præueniri confitemur*.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 5.

4 *Et facite iuſtitiam*. Quia ad diuinã miſericordiã conſequendã haud ſufficit peccatorem per verã poenitentiã à malo recedere, niſi etiã bonũ operetur. Sanè iuſtitiæ nomine omnẽ virtutis collectionem ſignificari non modo ſacræ; ſed etiam profanæ literæ nõ infrequenter docent. Quare Chryſoſt. *Iuſtitia*, inquit, *nihil aliud eſt, quam omniũ mandatorum plena cuſtodia*. Etenim ad perfectã iuſtitiam aſſequendam, *prius eſt*, ait Ambroſius, *vt crimine careas, poſtea, vt innocentia fructum deferas*: nec vnum ſine altero ſufficit, ex quo Dauid non illum beatum dixit, *qui non abijt in conſilio impiorum, &c.* nam vt ait Baſilius, *equus: bos, lapis beati hoc pacto poſſent appellari*; ſed qui ſceleribus dum caret, die etiam, ac nocte in lege Domini meditatur, & eſt *tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructũ ſuum dabit in tempore ſuo*. Hinc S. Hieronymus, *Nolo*, inquit, *tale certamen*,

Iuſtitia omniũ virtutũ collectioné ſignificat.

Chryſ. homil. 12. in Matt.

Amb. in pſal. 36. v. 27. poſt med. enarrat.

Pſ. 1. 1. & 2.

Baſil. in pſ. 1.

Ad iuſtitiam non ſufficit a ſceleribus abſtinere; ſed bonum inſuper operandum.

Hier. ad Pammachium.

in quod tantum te protegas, & torpente dextera, ſiniſtra clypeum circumferas, aut feriendum eſt tibi, aut cadendum, non poſſum exiſtimare te victorem, niſi aduerſarium videro trucidatum; ſed de hac ſupra. Addit Tobias, hæc iuſtitiæ opera facienda eſſe.

Sup. c. 4. v. 6. enarr. 5.

Coram eo. Videlicet coram Domino, indicans verè pœnitenti, ad diuinam miſericordiam promerendam, non ſatis eſſe coram hominibus, qui ſecundum vitæ ſpeciem tãtummodo iudicant, quæ foris ſunt, iuſtitiæ opera perpetrare; ſed opus etiã eſſe illa facere corã Deo, qui ſecundum animi puritatem, & virtutis veritatem, quæ intus ſunt examinat.

Quòd bonum opus coram Deo, hoc eſt Deum reſpicientes agere debeamus, & omnem vitare hypocriſim.

DOCVMENTVM.

A

DVM Tobias faciendam eſſe dicit iuſtitiam corã Deo, docet opera noſtra bona Deum reſpicere debere, non homines, vt hypocritæ ſolent, qui *exterminant facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes.* liceтq. in corde mali ſint, palam tamen videri cupiũt, vt ait Cicero, homines frugi omnia rectè facientes. in quos dum Seneca inuehitur, ait:

Matt. 6. 16.

Cic. Tuſc. q.

Sen. in Hippol.

O vita fallax, abditos ſenſus geris,
Animiſq. pulchrã turbidis faciẽ induis:
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum [illegible]

Et quidem *totius iniuſtitiæ*, ait Cicero, *nulla eſt capitalior, quàm eorum qui tum, cum maximè fallunt, id agunt, vt viri boni eſſe videantur.* &, vt ait Plutarchus: *non modo extrema eſt iniuſtitia videri iuſtum, cum non ſit; ſed & ſumma malignitatis, ſimulãdo facilitatem, iniquiſſimum ſe præbere.* Sanè, vt ait Gregorius, *magna ſtultitia, aut vecordia eſt, laborioſa agere, & aura laudis inhiare, forti opere præceptis cæleſtibus inſeruire; & terrenæ retributionis præmium quærere.* vnde meritò Baldad Suhites apud Iob, de eo, qui talia opere præſtat, loquens, ait: *Sicut tela aranearum fiducia eius*: nam ſicut opus araneæ opus eſt ſubtiliſſimum, & ordinatiſſimũ, non ex paleis luto, alijſq. extrinſecis rebus; ſed ex intimis araneæ præcordijs laborioſiſſimè cõtextum, nulla præditũ firmitate; ſed ab aura etiã leui diſſipabile; ita qui corã hominibus tantummodo iuſtitiæ opera faciũt, opus licet ordinatiſſimũ exerceãt, quia opus eſt iuſtitiæ, & laborioſiſſimum; quia, vt Gregorius ait: *Miræ ſe affligunt abſtinentia, & quaſi carnis vitã in carne viuentes extercent*; tam fragile tamen eſt, vt ſicut idem ait Gregorius, *aura humani fauoris illud tol-*

Cic. de offic.

Plutarch. lib. de Herodot. malignit.

Greg. 8. moral. c. 29. 30. & 31.

B

Iob 8. 14. Hypocrita ſine fructu laborat.

Greg. vbi ſup.

Idem ibid.

lat, quia dum in appetitu laudis opus defuit, quaſi in ventre labor euaneſcit. *Vide*, ait Chryſoſt. *hypocritarum miſerandam infelicitatem, laborant, torquentur, ſe ipſos fame cruciant, mortificationibus conficiunt ſine fructu aliquo.* De ſtruthione ferunt ſacræ literæ, quòd licet habeat pennas ſimiles pennis herodij, & accipitris; non tamen illis alta petit; ſed cum beſtijs terræ currit; cumq. fœcundiſſima ſit auis, nullum ouorum ſuorum, quæ magno parit dolore, fouet, nec protegit; ſed, vt Iob ait, *derelinquit in terra, & obliuiſcitur, quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat*, & ad filios ſuos forte fortuna in arena natos *ducatur*, ait idem, *quaſi non ſint ſui.* Hoc agunt & illi, qui coram hominibus tantummodo iuſtitiam ſuam facere ſtudent, dum alis intellectus, quas communes habẽt cum viris iuſtis, non cælum petunt; ſed terrã, nihil niſi terreum intelligentes, & opera iuſtitiæ, quæ abundantiſſima pariunt, & maximo cum dolore, in terram item coram hominibus conculcanda proijciunt, quæ corã Deo præſtita ipſi Deo eſſent acceptiſſima. Vnde meritò de ſimilibus Ieremias. *Filia*, inquit, *populi mei crudelis quaſi ſtruthio in deſerto.* Non ſic mulier illa, quam ſe vidiſſe Ioãnes in Apocalypſi teſtatur ſplendore coruſcam, quæ grauiſſimis cruciata doloribus, cũ maſculum peperiſſet, ne à crudeliſſimo voraretur dracone; quamceleriſſimè illum abſtulit, & ad Dei thronum direxit: *Raptus eſt*, inquit B. Ioannes, *ad Deum, & ad thronũ eius, & mulier fugit in ſolitudinem.* Sciebat quidem mulier hæc ſancta, viri iuſti animam repræſentans, tanti eſſe valoris opus iuſtitiæ, per filium maſculum præſignatæ, vt non niſi coram Deo collocandum eſſet: quia, vt B. Paulus ait: *Momentaneũ quod in præſenti eſt, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modũ in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: opus ſcilicet iuſtitiæ, & virtutis momẽtaneum licet ſit, & leue, ſi coram Deo fiat, tantum eſt, vt mens humana excogitare non poſſit; quantumcunque rem magnam excogitet. Pondus, ſeu, vt explicat Sanctus Thomas, *pretium æternæ gloriæ; quod ſcilicet operatur in nobis.* hoc eſt, tantus eſt, licẽt minimus ſit ipſius valor, vt æternam ſemper promereatur mercedem. Quare ſi fatuus ille diceretur mercator [illegible] pro adamante, vel vnione precioſiſſima, & inæſtimabilis valoris, illud ſolum pretium exigeret, quòd videretur ab aliquo, & laudaretur ab illo; ita multo magis fatuus dicendus eſt, qui pro iuſtitiæ operibus, quæ coram Deo præſtita inæſtimabilis ſunt valoris, tantum ſolam humanam, & oculos exigit: *Væ illis*, ait B. Thadæus, *qui errore Balaam mercede effuſi ſunt.* Effundere eſt ſe toto affectu in aliquid dimittere, quo ſenſu Dauid: *Effundite coram illo corda veſtra*, & mercede cũ Balaã effundũtur, quia ſicut ille mercedi

Chryſ. hom. 2 in Ioan.

C

Iob 39. 13

Iob 39. 15. 16.

D

Thren. 4. 3.

Apoc. 12. 13.

Apoc. 5. 6.

2. Cor. 4. 17.

E

S. Tho. ſup. ep. B. Pauli.

Iudas Thad. verſ. 11.

Pſ. 61. 9.

gra-

gratia populo Iſraelitico maledicere volebat, ita illi iuſtitiæ opera toto exercent affectu, vt ab hominibus celebrentur.

VERS. IX.

Ego autem, & anima mea in eo lætabimur.

VERS. X.

Benedicite Dominum omnes electi eius; agite dies lætitiæ, & confitemini illi.

1 *Anima pro parte hominis ſenſitiua.*
2 *Electi Dei qui.*
3 *Agere dies lætitiæ quid.*

VERS. IX. 1 EGO *autem*. Ego ſcilicet, quicquid vos faciatis, non modo corde meo in Domino gaudebo, ſed etiam exultabo carne mea, internumque, quod in eo concepi, gaudiũ externis ſignificabo laudibus, & virtutum operibus: ſicque *cor meum, & caro mea*, vt regius Pſaltes cecinit, *exultabunt in Deum viuum*. (*Pſ. 83. 3.*) Hunc eſſe huius verſiculi ſenſum indicant LXX. (LXX.) dum ita legunt, *Deum meum exalto, & anima mea regi cæli*, ſeu regem. Vatablus: (*Vatablus.*) *Ego*, legit, *extollo Deum meum, & animus meus regi cæli gratulabitur*. Sane per animam in ſacris literis non infrequenter partem hominis ſenſitiuam ſignificari, manifeſtis verbis docet Gregorius Niſſenus apud Theophilatum, (*Greg. Niſſ. apud Theophilatum.*) dũ B. Pauli locum; *Vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſeruetur*, (*1. Theſſ. 1.*) explicans: *per ſpiritum*, inquit, *Apoſtolus rationalem partem indicauit, per animam vero partem ſenſitiuam*. Et S. Thomas: (*S. Tho. in ep. ad Heb. c. 4.*) *ſpiritus*, inquit, *in nobis dicitur illud, per quod communicamus in ſubſtantijs, anima vero illud per quod communicamus cum brutis*.

VERS. X. *Benedicite Dominum*. Deum nimirum laudate, eique applaudite, qui mirabilia in vobis operatus eſt:

2 *Omnes electi eius*. Vos inquam, qui inter gentes cum ſitis à Deo ſpecialiter electi ad veræ fidei cognitionem, magis præparati, & diſpoſiti eſtis ad eius diuinas laudes celebrandas; & quidem omnes: quia nullus veſtrum ab illis vacare debet, quippe cum melius Deo benedicat, eiuſque laudes celebret, qui eiuſdem maiorem habet notitiam; ſuppetit enim cunctis omnino vobis cauſa benedicendi Deo, non ſolum tanquam creatori, iuſtificatori, & glorificatori; ſed etiam tanquam maximo benefactori.

3 *Agite dies lætitiæ, & confitemini illi*. (Læti dies, qui cenſeantur.) Hoc eſt dies lætos agite, non quales agunt mundi helluones in luxurijs, & ebrietatibus, in cubilibus, & impudicitijs; ſed confitendo, & canendo diuinas laudes. (Deus bene operãdo laudatur.) Et quidem vt ſuperius docuerat, magis vita pia, quam voce, puta charitate, humilitate, puritate, confeſſione propriæ infirmitatis. Sic Auguſtinus, (*Aug. in pſ. 34.*) *Suggero*, ait, *remedium vnde tota die laudes Deum, ſi vis; Quicquid egeris, bene age, & laudaſti Deum*.

Quòd mundi gaudia vana ſint, ac momentanea, Dei autem plena, ac perpetua.

DOCVMENTVM.

DOCET Sanctiſſimus Patriarcha, non eſſe lætandum cum peccatoribus in malefactis, vel in rebus peſſimis, ſed in virtutis operibus, et ipſo Deo. A

Sane virtutis ſemitæ, licèt laboribus refertæ ſint; maiorem tamen lætitiã ſemper habent, quam mundi, cuius extrema, vt eſt in prouerbijs, ſemper luctus occupat: (*Prou. 14. 13.*) nam, vel teſte Ieremia, creaturæ oẽs *ciſternæ ſunt diſſipatæ, quæ continere nequeunt aquas* (*Ierem. 2. 13.*) gaudiorum. vnde, experientia magiſtra, triſtantur ſuperbi poſt adeptæ dignitatis gaudium: poſt adeptas pecuniam auari; poſt adeptas voluptates ſẽſuales, &c. alias ſemper, & alias maiori expoſcentes cupiditate: nam *quicquid eſt in mundo*, vt teſtatur B. Ioannes, (*Io. 2. 16.*) nihil eſt aliud niſi *concupiſcentia carnis, cõcupiſcentia oculorũ, & ſuperbia vitæ*: quare ſicut fumus cibi ſatiare nequit, ita nec rerum concupiſcentia: ex quo vt narrat Cicero, (*Cic. lib. 1. Tuſc. 9.*) Xerſes Perſarum rex, omnibus licet eſſet præmijs, doniſque fortunæ, cumulatus, ijs tamen nunquam erat contentus; ſed præmium proponebat ijs; qui nouam adinuenirent voluptatem, quod priorum faſtidio ſtatim adimpleretur, & vt ille ait, *ſemper eſſet pænitendi cum voluptate vicinitas*. B (Satietas nulla in rebus mundi.) Non ergo delectare nos debent fœdæ libidines, non aliæ corporis voluptates; ſed ad exemplum ſanctiſſimi Patriarchæ, gaudendum eſt nobis in Domino, in eius muneribus, atque promiſſis, in virtutibus, & recte factis, eorumque præmijs: nam vt ſponſa ait Dominum alloquens: *meliora ſunt vbera tua vino*, (*Bern. ſer. 9. in Cant.*) deliciæ ſcilicet ſpirituales, vt Bernardus explicat, quas nobis Domini vbera ſtillant, quacunque carnali delectatione vino ſignificata, quandoquidem, vt idem docet, (*Idem vbi ſup.*) carnalis omnis affectus, ſicut vua ſemel expreſſa, nõ habet iam quod denuo fundat; ſed perpetua ariditate damnatur, ſic caro in preſſura mortis ab omni prorſus ſua delectatione ſiccatur, nec vltra ad libidines reuireſcit, quod non faciunt vbera, quæ licèt C

exhauſta, rurſũ tamẽ de materni pectoris fonte ſumunt, quod propiuẽt ſugẽtibus: ex quo meritò meliora carnis, ſeculiue amore aſſeruntur vbera ſponſi, quæ nullo vnquam lactentiũ numero areſcunt; ſed de viſceribus charitatis eius ſemper vt iterum fluant abundant.

Chryſoſt. hom. 2. ad popul.

Vndè Chryſoſtomus nullo accidente à gaudio illum excidere poſſe docet, qui gaudet in Domino: *nam*, vt ait ille: *Sicut in immenſum mare decidens ſcintilla breui facilè extinguitur, ſic quantaecunque Deum timenti illidantur, velut in vaſtum lætitia pelagus incidentia extinguuntur, atque perduntur.*

D

2. Cor. 6. 10. Iuſtorũ mœror non verè triſtitia. Anſelmus ibi.

Quòd ſi viri iuſti aliquando triſtari videntur, eorum mœror, teſte B. Paulo, non verè triſtitia eſt, cum ſemper gaudeant; ſed quaſi triſtitia. Sic ille de iuſtis: *Quaſi triſtes*, inquit, *ſemper autem gaudentes.* vbi notat Anſelmus, omnem Sanctorum triſtitiam, dum in terris habitant *quaſi* habere, quia breuiter, & quaſi in ſomnis tranſit, videturque eſſe quaſi vmbra, & ſomnium, nec eſt verè triſtitia; ſed *quaſi* triſtitia: gaudium autem ſanctorum non habet *quaſi*, quia ſolidum eſt ob ſpem certam æternæ beatitudinis. Contra verò impiorum gaudium hoc habet *quaſi*, quia breue, & vmbraticum videtur eſſe ſomnium; ſed triſtitia eorum non habet *quaſi*, quia ſolida erit, &

Pſal. 76. 4.

æterna. Hinc meritò Pſaltes: *Renuit*, inquit, *conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum.* nullum ſcilicet gaudium, nullam conſolationem admiſi, quæ Deus nõ eſſet.

VERS. XI.

Ieruſalem Ciuitas Dei caſtigauit te Dominus in operibus manuum tuarum.

1 *Ieruſalem quæ ciuitas.*
2 *Cur Ciuitas Dei dicta.*
3 *Caſtigauit pro flagellabit, præteritum pro futuro.*
4 *Opera manuum hominum ſunt peccata, pro quibus flagellat Deus populos.*

VER. XI.

1 IERVSALEM Diuino afflatus ſpiritu poſt diuinas laudes celebratas ſanctiſſimus Patriarcha multa de terreſtri Ieruſalem, metropoli olim Iudęæ à Melchiſedech fundata, & per Salomonem dilatata, & munita, & Chriſti ſanguine decorata, vaticinans. *Ieruſalem*, ait, per Ieruſalem habitatores eius compellans, vt etiam Dominus apud Matthæum, inquiens: *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt:* vbi Hieronymus: *Ieruſalem*, ait: *non ſaxa, & ædificia ciuitatis, ſed habitatores vocat.*

Matth. 23. 37.

Dei dicuntur

2 *Ciuitas Dei* Ideſt per epitaſin magna valdè, & quidem non mole, ſed dignitate: nam quas res volunt Hebræi valdè magnas ſignificare, apponunt eis nomen Dei, veluti cum dicitur: *Iuſtitia tua ſicut montes Dei*, ideſt ſicut mõtes maximi: ſubdit: *Iudicia tua abyſſus multa*, quod etiam dicere poterat abyſſus Dei: & iterum: *operuit montes vmbra, & arbuſta eius cedros Dei*, ideſt cedros altiſſimas: Et *lampades eius lampades ignis, flamma Dei*, ideſt flammæ maximæ, & apud Ieremiam: *Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraeli, aut terra caliginis Dei?* Ideſt valdè caliginoſa. Vel etiã *ciuitas Dei*, quia in ea veri Dei templum aderat, cultus, ac ſtudium legis: elegerat enim illam Deus tanquam ſedem ſuam, in qua ſolummodo ſacrificia offerrentur. vndè ipſemet ait: *A die, qua eduxi populum meum de terra Aegypti, non elegi ciuitatem de cunctis tribubus Iſraël, &c. Sed elegi Ieruſalem, vt ſit nomen meum in ea.*

quæ magna ſunt.

Pſal. 32. 7.
Pſ. 79. 11.

Cant. 8. 6. iux. Hebraicum.

Ierem. 2. 31. iux. Hebraicum.

3 *Caſtigauit te Deus.* Hoc eſt, LXX. ſunt interpretati, *flagellauit*: eſt enim Græce μαστιγώσει, *caſtigabit*: nam præteritum more prophetico pro futuro poſuit cum Pſalte, qui de hac eadem diuina caſtigatione verba faciens ait: *Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Syon.* Sic & Baruc de Chriſto venturo inquit: *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Quod etiam Regum Iuda Series, quam ſacræ literę in libro Regum ponũt non obſcurè docent: nam ſicut ibidem dicitur, cùm Tobiæ captiuitas anno ſexto Ezechiæ regis Iuda cõtigerit, & regnauerit Ezechias annis viginti nouem, Manaſſes verò poſt eum annis quinquaginta, & poſt Manaſſem Amon duobus, Ioſias poſt Amon trigintannum, poſt Ioſiam Ioachim vndecim, poſt Ioachim Ioacim tribus menſibus, poſt Ioacim, Sedechias tertius Ioſiæ filius, cuius regni anno vndecimo à captiuitate Tobiæ centeſimo vigeſimo, ciuitas Ieruſalem à Chaldæis deſtructa eſt, templum dirutum, & filij Iuda in captiuitatem Babylonicam ducti; manifeſtum relinquitur, hæc prædixiſſe Tobiam ante eorundem filiorum Iuda captiuitatem, circa centeſimum annum: nam trigeſimum, vel circiter agebat, quando captiuus ductus eſt, habebat enim tunc vxorem, & filium, & ſexageſimum, vt capite ſequenti dicitur, quando hæc habuit.

LXX. Præteritum pro futuro.

Pſ. 136. 1.

Baruc. 3. 38.
4. Reg. 18. 21. 22. 23. & 24.

4 *In operibus manuum tuarum.* Per opera manuum intelligit Tobias peccata, quòd illa propriè tantummodo noſtra ſint: ſicut Ieremias hanc diuinam caſtigationem explicans declarat: *Peccatum*, inquiens, *peccauit Ieruſalem; propterea inſtabilis facta eſt*, hoc eſt vaga huc, & illuc captiua diſcurrens. Hebræus לזועה, *in commotionem.*

Peccata ſunt opera manuũ hominum.
Ier. Thren. 1. 8.

At non modò hæc Ieroſolymorum caſtigatio à Deo ob peccata contigit; ſed & cæteræ omnes, quæ vel illam præceſſerunt, vel ſubſecutæ ſunt in Eccleſia Dei: nam vt ſapiens ait: *Regnum à gente in gentem transfertur,*

Hebræus. Ieroſolyma ob peccata punita.

Eccli. 10. 8.

propter

Iudith. 5. 18.

propter iniuſtitias, & contumelias, & diuerſos dolos: vndè Achior neſcio quis dux omnium filiorum Ammon. *Quotieſcunque*, inquit, *Iudæi præter ipſum Deum ſuum, alterum coluerunt, dati ſunt in prædam, in gladium, & in opprobrium.* Atque adeò ob peccata olim gẽtem Iudæam ſæpiùs à Philiſtæis, Madianitis, Aſſyrijs, & Romanis diuina voluntate caſtigatam libri Iudicum, Regnm, Iudith, & Machabæorum oſtendunt; obque peccata olim Nerones, Decios, Diocletianos, & alios multos tyrannos in Eccleſiã Dei ſæuijſſe, probant Cyprianus, & Euſebius. Vaſtatam item propter peccata olim fuiſſe Hiſpaniam, Galliam, & Italiam ab Hunnis, Vuandalis, & Gothis, docent Auguſtinus, & Victor Vticenſis: ob ea peſtes, fames, grandines, terremotus, aquarum alluuiones euenire, demonſtrant Baſilius, & Gregorius: nam licèt malùm pœnæ totum à Deo ſit, cùm non *ſit malum in ciuitate, quòd non faciat Dominus*; cauſa tamen illius peccatum eſt: nam *quemadmodum*, teſte Baſilio, ſectionis, aut vſtionis, non medicus eſt cauſa, ſed morbus; ſic vrbium deuaſtationes ex peccatorum exceſſu immodico initium habentes, Deum ab omni culpa liberant. Vnde Sapiens: *Miſeros*, inquit, *facit populos peccatum*. Et extat prouerbium: *ſua quiſque fortunæ faber.* quod etiam poëta Lyricus expreſſit, dum ait:

Flagellat Deus ob peccata.

Cypr. lib. de lapſis.
Euſeb. lib. de hiſt. Eccleſiaſt
Aug. epiſt. 22.
Vict. Vtic. lib. de perſecut. Vuand.
Baſil. orat. de ſiccitate Greg. Naz. orat. de Grandine.
Prou. 14.
Baſil. quod Deus non eſt auctor mali.
Prou. 14. 34.
Paræmia de peccato.
Horat. lib. 3. *od.* 7.

Dij multa neglecti dederunt
Heſperia mala luctuoſa.
Hoc fonte deriuata clades
In patriam, populumque fluxit.

Et quidem non ſolùm ob totius populi peccatum; ſed etiam ob vnius è populo grauiſſima damna euenire, exemplo Achan nos ſacræ literæ docent: Is enim, cùm ſolus diuinum præceptum eſſet tranſgreſſus, tuliſſetque de anathemate nocens de ſpolis vrbis Ierico, quas cum ipſa ciuitate ſuccendi Dominus præceperat, *iratus eſt Deus*, vt ait ſacra hiſtoria, *contra filios Iſraël*, & qui validiſſima caſtra fugauerant, ab inualida multitudine virorum Hai fugati, & interempti fuere. Sic, vt Saluianus obſeruat, ex furto Achan fugit populus: ex zelo Saulis exorta eſt peſtilentia, ex Dauid numeratione mortalitas: atque adeò Dei Eccleſia oculo aſſimilari poteſt, quem parua ſordes obcæcat: ſic in Eccleſiaſtico corpore, etiam ſi pauci ſordida faciant; Eccleſiaſtici tamen ſplendoris lumen propè totum offuſcatur. vndè Apoſtolus: *neſcitis*, inquit, *quia modicum fermentum totam maſſam corumpit*. aliorum ſimilium exemplorum plenæ ſunt ſacræ literæ, ex quo illud Hebræorum adagium originem duxit: *Væ iniquo, & væ vicino eius*. Nec mirum videri debet: nam ſicut propter membri vnius morbum alia videmus membra langueſcere, ac cruciari, quòd illi iungantur; ita pro peccato vnius puniuntur & alij, quia eiuſdem ſunt reipublicæ, & regni conciues, vel eiuſdem religionis conſortes, atque collegæ: quare non aliorum diſcutere debemus conſcientiam, dum ſuos flagellat Deus populos; ſed noſtram; vt ſi fortè noſtra culpa illa euenire cognoſcamus, noſtra etiam pœnitentia illa ceſſare faciamus.

Ioſue 7. 2.
Saluianus li. 7. *de prouid.*
Galat. 5. 9.
1. *Reg.* 14. 2. *Reg.* 21. & 14.
Hebræum adagium.

VERS. XII.

Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum ſeculorum, vt reædificet in te tabetnaculum ſuum, & reuocet ad ſe omnes captiuos, & gaudeas in omnia ſecula ſeculorum.

1 *Benè Deum confitetur, qui benè facit.*
2 *Deus cur ſeculorum Deus ſit dictus.*
3 *Cur benedicendus.*
4 *Tabernaculum pro templo, & quando.*
5 *Captiui quando Ieroſolymam reuocati.*
6 *Gaudere in ſecula ſeculorum quid.*

1 CONFITERE *Domino in bonis tuis* LXX. *Confitere Domino benè*. Vatablus: *Commemora bonitatem Domini*. Hoc eſt ſicut in operibus manuum tuarum diuinam bonitatem contẽpliſti; *ita in bonis tuis* factis, & præcipuè in vera anteactæ vitæ pœnitentia confitere Domino benè, diuinamque bonitatem commemora: nam, vt Auguſtinus ait: *Eſt confeſſio laudantis, & eſt confeſſio gementis: confeſſio laudantis ad honorem pertinet eius, qui confitetur: confitentur enim homines, cum laudant Deum, confitentur, cum accuſant ſe.* VER. XII LXX. *Vatablus.* S. *Auguſt. in pſal.* 94.

Et benedic Hoc eſt laudibus, & gratiarum actionibus lauda.

Deum ſeculorum LXX. *Et benedic regem*. Vatablus: *regem ſeculorum celebra*. Vocat hic Tobias Deum ſeculorum Deum, quia ipſe ſolus præeſt ſeculis, eaque regit, quippe qui omnia ſecula ſolus præceſſit: nam cum habeant res cæteræ, vel initium, & finem, & nunquam in eodem ſtatu permaneant, vel initium ſine fine, & ſine mutatione ſubſtantię, quę tamen, ſi Creatori placuerit, poſſint eſſe deſinere; ſoli Deo æternitas ita eſt propria, vt nulli rei creatæ conueniat: nec vllum aliquãdo fuiſſe principem tam arrogãtem legimus, qui æternitatis titulum inter plurimos, quos ſibi multi vſurparunt, arrogare ſibi præſumpſerit, niſi eo fortè ſenſu, quo Conſtantius dictus eſt Imperator æternus, hoc eſt non amouibilis. LXX. *Vatablus.* Aeternitas ſolius Dei propria.

3 Hunc itaque æternum Deum benedicendũ Tobias docet filium, quia vt Auguſtinus ait: *tanto maior laus eſt ignoſcentis, quantò maior exaggeratio eſt peccata confitentis. Non ergo* Deus cur benedicendus. S. *Auguſt. loco indicato.*

putemus

Digitized by Google

puſemus nos receſſiſſe à laude cantici, ſi eam hic confeſſionem intelligimus, qua confitemur peccata noſtra, & hoc ad laudem cantici pertinet, quoniam peccata noſtra cognoſcimus,

Ioſue.7.19.

Dei gloriam commendamus. Quamobrem cùm Ioſue hortaretur Achan, qui inuitō Domĩnõ aliqua ſubripuerat de anathemate Ierico, vt furta ſua manifeſtaret, ſic eum admonuit. *Fili mi da gloriam Deo Iſraël, & confitere; atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas, &c.* ſic enim fiet.

4 *Vt readificet in te* Dominus.

Infra ſtz. v. c. 7.

Tabernaculum ſuum Ideſt templum Salomonis, inferiùs domus Dei appellatum. Quod fieri cœptum eſt poſt annos ſeptuaginta captiuitatis, quando, occiſo Balthaſſare, capta eſt Babylon, & Iudæi libertate donati anno ſecundo Cyri, qui tunc primum Iudæorum dominium habere cœpit, vt habetur apud Ieremiam, & docent Ioſephus, Nicephorus, & Euſebius. Tamen, Cyro finitimarum gentium inuidia deſtructo, Cambyſis eius filij prohibitione interruptum eſt opus vſque ad annum ſecundum Darij filij Hiſtaſpis, & anno regni eius ſexto, ex quo fundari cœpit, vigeſimotertio abſolutum, eadem quidem forma, qua primùm, ſed magnificentia, & ornatu eo longè inferius, vt patet in libro primo Eſdræ, vbi dicitur: *Anno primo Cyri regis Cyrus rex decreuit, vt Domus Dei ædificaretur, quæ eſt Ieruſalem in loco, vbi immolent hoſtias, & vt ponant fundamenta ſupportantia altitudinem cubitorum ſexaginta; & latitudinem cubitorum ſexaginta ordines de lapidibus impolitis tres, & ſic ordines de lignis nouis, &c.* Quare qui priùs templum viderant, vt eodem libro legitur, flebant, dum huius fundamenta iacta cernebant. Stetit hoc templum ad annum vſque decimum octauum Herodis regis Iudææ, tametſi Antiochi Epiphanis tempore fuerit vna ex parte dirutum; ſed Iudæ Machabæi victorijs, & induſtria citò reſtauratum eſt, & in priorem dignitatem reſtitutum, vt apparet in libro Machabæorum. Illud tamen cùm multò inferius priore à Salomone fundato tam in altitudine, quam reliquo ornatu conſideraret Herodes, à fundamentis octo annorum ſpatio, teſte Ioſepho magnificentiſſimè iterum reædificauit.

Ierem. 25. 12.
Ioſeph. lib. antiq. c. 11.
Niceph. lib. 1. c. 6.
Euſeb. lib. 10. præpar. Euang.
1. Eſdra. 6.3.
1. Eſdra. 3. 12.13.
1. Machab. 4.
Ioſeph. lib. 15. ant. c. 14.

LXX.

5 *Et reuocet in te omnes captiuos* LXX. *Et lætificet in te captiuos, & diligat in te miſeros*; omnes ſcilicet filios ſuos, qui ex miſera captiuitate ſupererunt, lætificet, illos ad propria reducendo, quod factum eſt, ſicut diximus, poſt annos ſeptuaginta captiuitatis.

6 *Et gaudeas in omnia ſecula ſeculorum.* Hoc eſt, & gaudeas non ſolùm in terris per temporalem tuam liberationem; ſed etiam in cælis per æternam. Nam licèt Origenes dicat: *Quoties ſecula ſeculorum in ſacris literis nominantur fortaſſe licet nobis ignotus, & incertus ſit; tamen à Domino ſtatutus aliquis terminus indicatur*; tamen idem alibi, Auguſtinus, & Damaſcenus, docent his verbis geminatis in ſacris literis ſemper ſignificari id, quod finẽ non habet durationis; hoc eſt æternitatẽ, ad quã poſt culpã lethalem nemo aſcẽdit, qui confeſſione gementium Domino non confitetur, vt docet Tobias, *in operibus ſuis*.

Origenes ad Roman.
Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei c. 31.
Damaſc. lib. 2. fid. c. 1.

Quòd bona Confeſſio tres habere partes debeat: Confeſſionem, contritionem, & ſatisfactionem.

DOCVMENTVM.

A

SI peccator templum animæ ſuæ, quod erat Dei, à Chaldæis, dæmonijs videlicet, per lethalem culpam dirutum, reædificari, ſeque à duriſſima Babylonica captiuitate, in quam peccando incidit, liberari deſiderat, & tandem in cælis in omnia gaudere ſecula; Domino Deo confiteri debet dolens peccata ſua, & vt Auguſtinus ait: *Confeſſione gementium* pro ſuis debet delictis ſatisfacere: nam *beati, qui lugent*, ait Dominus, *quoniam ipſi conſolabuntur*, & operibus ſuis, videlicet confeſſione, contritione, & ſatisfactione, confiteri Domino benè: nam tribus his partibus bona conſtare debet confeſſio: neque enim cõfiteri, ſed benè confiteri cælum hominibus aperit. vnde falluntur, qui ad ſacramentum accedentes pœnitentiæ, à Chriſto Domino in noua lege inſtitutum, grauiſſimam, quam ferunt peccatorum ſarcinam ita ad Confeſſariorum pedes deponunt, vt nulla veri doloris indicia præſeferant: neque enim hæc bona eſt pœnitentia. *Pœnitentes recipio*, ait Nazianzenus, *ſi lacrymis rigatas videro*: nam tanta eſt inter animam corpuſque conuenientiam, vt nequeat animi dolor ita interiùs claudi, quin aliquo pacto exteriùs redundet, ſicut nec rumor, qui in parte fit ſuperiori domus, quin redundet in parte inferiori: Quare propheta Ioël peccatores alloquens: *Conuertimini*, ait, *ad Dominum in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu*, hoc eſt ita conuertimini, vt cordis dolor extrinſecùs appareat, quod facilè is aſſequitur, qui cor intrat ſuum, parietemque propriæ conſciẽtiæ, vt Dominus Ezechieli præcepit, conſideratione fodiens, diligenter animaduertit, quàm deforme ſit monſtrum peccati, quod intus recludit. Fodit hũc parietem Dauid. quare turpitudinem conſpicatus peccati: *lauabo*, inquit, *per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*: Fodit Petrus: quare pauore correptus, *exiuit foras, & fleuit amarè*: Fodit publicanus: quare *non audebat oculos ad cælum leuare*; ſed manus pectori admouens quod corde doleret: nam vbi dolemus, ibi manus admouere ſolemus, *percutiebat pectus ſuum*

Matth. 5.5
Confeſſio qualis eſſe debeat.
Pœnitentia ſine dolore vera eſſe nõ poteſt.
B
Gregor. Naz. tract. 2. de baptiſmo.
Dolor in Cõfeſſione indiciis externis probandus.
Ioël. 2.12.
Ezech. 8.8
Turpitudinis peccati conſideratio dolorẽ gignit.
Pſal. 6.7.
C
Matth. 26. 75.
Luca. 18. 13.

ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Fodit Theodoſius Romanorum potentiſſimus imperator: quare imperialis dignitatis oblitus, non modò multos defleuit menſes, quod perpetrauerat facinus, & ad Eccleſiam accedens Ambroſium publicè corripientem ſuſtulit; ſed etiam planè proſtratus lacrymis terram rigabat, capillos vellebat, pectus feriebat, aliaque interni doloris præbebat indicia. falluntur qui in confeſſione ſacramentali curioſè, & perfunctoriè ſua peccata recitant: nam dum ſine præparatione, & diligenti

D

examine ad illam accedunt, ſuaque negligentia multa lethalia omittunt crimina, numerum neſciunt, circumſtantias ſpeciem mutantes, aut notabiliter aggrauantes non exprimunt, haud benè confitentur, falluntur, qui ita ſua peccata pronunciant, vt tamen nolint pro illis in hoc ſeculo ſatisfacere: nam huiuſmodi homines, nec benè confitentur, nec benè conſiderant quanta ſit ad euitandam futuri ſeculi pœnam neceſſitas ſatisfactionis. Cōſiderabant olim Chriſtiani: quare arbitrio Confeſſarij, pro peccatis libentiſſimè ſeptem, quindecim, viginti, & triginta annorum ieiunijs, oratione, & vigilijs pœnitentiam tolerabant, quandoque etiam perpetuò, vt fusè Tertullianus commemorat. Vndè legimus in Toletano Concilio, Potauium quendā Epiſcopum, quòd ſemel tactu fœmineo ſorduiſſet, non fuiſſe contentum ſe ipſum, nullo cogente, in ergaſtulo quodam concluſiſſe, atque ibi nouem menſes pœnituiſſe; ſed etiam in Concilio, quod tunc Toleti celebrabatur, per literas peccatum ſuum prodidiſſe, pœnitentiamque ab illo perpetuam exercendi ſe in vilibus miniſterijs libentiſſimè acceptaſſe, affirmans mitiùs ſecum actum eſſe, quàm regulæ, & ſeueritas antiquorum paterentur. At noſtri tēporis ea eſt pœnitentium frigiditas, vt vix pro multis ſceleribus, paucorum dierum ieiunia admittant. De cilicijs verò, cineribus, vigilijs, humi cubationibus, flagellis, & alijs carnis afflictionibus, ne mentionem quidem, aut nomen audire ſuſtineant. Verùm, vt ait optimè Iob: *Qui timent pruinam irruet ſuper eos nix*: qui mitiſsimas, ac breuiſsimas pœnitentias reformidant, atrociſsimas, & longiſsimas purgatorij, vel inferni ſine dubio patientur. Memini me aliquando legiſſe de quodam nobili, & delicatulo adoleſcente, qui cum vitam valdè ſeueram arripuiſſet, eoque nomine ab amicis, & affinibus reprehenderetur, eique corpuſculi infirmitas, & teneritudo obijceretur: ſapientiſſimè ad hunc modum reſpondit: *Cum cogitarem tam tenerum corpuſculū non benè ferre poſſe purgatorij, vel gehennæ ſupplicia, ego delicatus hæc minora, & molliora elegi, vt illa maiora, & grauiora vitarem*. Confiteamur itaque in omnibus operibus noſtris Domino benè confeſſione gemētis, illaque benedicamus Deum ſeculorum, vt reædificet in nobis tabernaculum ſuum, reuocet in nos omnes captiuos, memoriam ſcilicet intellectum, & voluntatem in peccati adducta captiuitatem, & gaudeamus in omnia ſecula ſeculorum.

Antiquorum Chriſtianorū feruor in peccatis pœnitentia expiādis.

E

Tertull. lib. de pœnit.
Conc. Toletanum.

F

Iob 6. 16.

Prudentiſſima adoleſcētis reſponſio.

VERS. XIII.

Luce ſplendida fulgebit, omnes fines terræ adorabunt te.

VERS. XIV.

Nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt in te Dominum, & terram tuam in ſanctificationem habebunt.

VERS. XV.

Nomen enim magnum inuocabunt in te.

1 *Qua luce futurum erat, vt ſplenderet Ieruſalem.*
2 *Nationes ad illam ventura, quæ.*
3 *Terra Ieruſalem quomodo habita in ſanctificationem.*
4 *Nomen magnum in ea inuocandum Ieſus, quod ſolum magnum, & excelſum dici poteſt.*

VERS. XIII.

LVCE Prædicat Tobias futurum, vt Ieruſalem luce fulgeat, non qualicunq; ſed. *Splendida* Hoc eſt lucidiſſima, veræ ſcilicet fidei, & veritatis, itemq; famæ, ac gloriæ illuſtriſſimæ, non ſolùm ob viros illuſtres, qui poſtea in ea floruerunt, quales fuerunt Zacharias, Aggæus, Malachias, Eſdras, Zorobabel, &c. ſed maximè propter Chriſtum in eius finibus naſciturum (neque enim diſtabat Bethlem Iudæ in qua natus eſt Chriſtus, ab vrbe Ieruſalem ampliùs quam circiter ſex milliarijs) & in ea myſterium noſtræ redemptionis operaturum, qui ſanè totius eſt orbis lux verè ſplendens. Vndè Iſaias de illa: *Surge*, ait, *illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum*. & ille de ſe ipſo: *Ego*, ait, *ſum lux mundi*: nam Prophetæ, qui præceſſerunt, vt Ioannes Euangeliſta loquitur de Baptiſta: *non erat ille lux*; ſed tantum venerat, *vt teſtimonium perhiberet de lumine*: quare meritò Simeon illum vlnis amplexatus ſuis: *lumen*, dixit, *ad reuelationē gentiū, &c.* *Et omnes fines terræ adorabunt te* Hoc eſt, nec vlla erit regio tam longè ſita, quæ te tanta luce coruſcam non veneretur, Deumque Meſſiam in te non adoret. Arabs: *Et omnes termini terræ adorabunt Deum in te.*

Iſaia 60.1
Io.8.12.
Io. 1. 8.
Syrus.

VERS. XIV.

Nationes: Græcè ἔθνη, quam vocem reddit aliquando Interpres per nomen gentis, quod & ijdem dicantur ethnici, qui gentiles.

LXX. Vnde LXX. Sic legunt: *Gentes multæ de longe venient ad nomen Domini Dei, munera in manibus habentes, & munera regi cæli: generationem, & generationem dabunt tibi exultationem.* alij αἰνέσουσί σε, καὶ δώσουσιν, *laudabunt te, & dabunt, &c.* Arabs. Arabs: *Genera*, ſiue etiam, *magi de longe venient, & afferent oblationes, & adorabunt Deum in te.* Quæ quidem licèt de Cyro, Dario, vel alijs regibus gentium intelligi poſſent, quòd illi gentiles, & exteri donaria, & munera multa pro Ieroſolymitanæ ciuitatis, templique reædificatione præſtiterint, ſicuti etiam de Alexandro Macedonum rege, qui, vt refert Ioſephus, Ieroſolymam veniens, in templo ex Iaddi Summi ſacerdotis præſcripto, Deo immolauit, multaque priuilegia Iudæis eſt impertitus; de illis tamen intelligenda maximè puto, qui in remotiſſimis regionibus, & totius orbis partibus Ieroſolymam, ad inuiſenda Chriſti incunabula, & loca, vbi Redemptor humani generis natus, & paſſus erat, quales fuerunt magi, qui ab vltimo Oriente venerunt Ieroſolymam munera in manibus habentes. Helena Conſtantini marer, quæ Domini crucem loco ſuo reſtituit. S. Hieronymus, qui etiam Bethleem ad Chriſti Domini præſepe in monaſterio, quod à Paula Romana inſtitutum fuerat, cæleſtem quandam vitæ rationem inſtituit. Sic venerunt Ieroſolymam ex toto orbe Chriſtiani, vt teſtis eſt luculentus Euſebius, & tempore Conſtantini ſemel in vita. Vnde Hieronymus: *longum eſt*, inquit, *qui martyrum, qui eloquentium in doctrina eccleſiaſtica virorum veniunt Ieroſolymam, putantes minus ſe religionis, & minus habere ſcientiæ, nec ſummam, vt dicitur, manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primum euangelium de patibulo conſecrauerat.* Et infra. *Quicunque in Gallia fuerit primus huc properat dimiſſus ab orbe noſtro Britannus, ſi in religione proceſſerit, occiduo ſole dimiſſo, quærit loca fama ſibi tantum, & ſcripturarum relatione cognitum. Quid referemus Armenios, quid Perſas, quid Indos, quid Aethyopum populos, cunctique Orientis examina? &c.*

Ioſeph antiquit. lib. 11. c. 8.

Euſeb. lib. 6.

S. Hier. to. 1. epiſt. ad Marcell. 18.

Ieroſolyma quanta religione ab antiquis Chriſtianis culta.

3 *Terram tuam in ſanctificationem habebunt.* Vatablus: *Terram tuam habebunt conſecratam.* Arabs: *Et reputabunt regionem tuam ſanctificatam.* quòd patria fuerit Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & Beatæ Mariæ Deiparæ; & præceptorum mundi Apoſtolorum, & teſtis oculata redemptionis humanî generis: præcipuum Chriſtianiſmi ſacrarium, lectus, in quo vita mundi obdormierit, reſurrexerit, aſcenderit, Spiritu Sancto Apoſtolos impleuerit, & artes, linguaſq. uniuerſas momento perdocuerit. Hinc noſter Baronius Cardinalis: *Terra ipſa*, inquit, *quæ Domini adiacet ſepulchro, diuinam quandã ex Dominico corpore proximè poſito virtutẽ hauſit, vt meritò fideles illuc peregrinantes auidè ſolerent accipere, quæ tum ad morbos curandos, tum etiam ad dæmones perfugandos vti conſueuerint.* Et huius rei locuples teſtis S. Auguſtinus, dum hæc ait de Heſperio viro Tribunitio: *Acceperat autem ab amico ſuo terram ſanctam de Ieroſolymis allatam, vbi ſepultus Chriſtus die tertio reſurrexit, eamq. ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne quid mali etiam ipſe pateretur. At vbi domus ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de illa terra fieret, cogitabat. Fortè accidit, vt ego, & collega meus Epiſcopus Sinicenſis Eccleſiæ Maximinus in proximo eſſemus, vt veniremus rogauit, & venimus, cũq. nobis omnia retuliſſet, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi orationi locus fieret, vbi etiam poſſent Chriſtiani ad celebrãdum, quæ Dei ſunt, congregari.* Hæc Auguſtinus. Ex quibus videre eſt antiquam Chriſtianorũ pietatem, qui non modo loca illa ſancta, in quibus Dominus eſt conuerſatus, & paſſus, ædificiorum molibus illuſtrarint; ſed tenuẽ ex ſepulchri loco ſumptum puluiſculum eodem honore habendum exiſtimarint, adeò vt eiuſdem condendi cauſa etiam Eccleſiam excitarint. Ex eadem terra aqua admixta formari conſueuiſſe tortulas quaſdam, eaſdemque per diuerſas mundi partes tranſmitti ſolitas ad morbos curandos, aliaſq. diuinas gratias impetrandas teſtatur Gregorius Turonenſis.

Vatablus. *Arabs.*

Baron. tom. 1 an. Chriſti 34 n. 140. fo. 242

Aug. li. de ciuit. Dei 22. c. 8.

Greg. Turon. de glor. mart. c. 7.

XV. 4 *Nomen enim magnum inuocabunt in te.* Arabs: *Quia in te inuocant nomen magnum.* Sane licèt *nomen* in ſacris literis nõ raro potentiam, virtutem, ideſt vires ac robur alicuius ſignificet, vt in pſalmis, vbi dicitur: *In nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis*: &; *benedictus qui venit in nomine Domini*, & alibi, hic tamen non potentiam, & fortitudinem; ſed nomen proprium verbi incarnati, *quod impoſitum illi fuit ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur*, Ieſus ſignificari cenſeo. Et quidem ex eo, quod illud ſolum per excellentiam magnum dici queat, cum ſicut docet B. Paulus, nomen ſit ſuper omne nomen. *Humiliauit*, inquit, ille de Chriſto verba faciens, *ſemetipſum &c. propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Vbi nomine Ieſu, non ipſum intellexit Chriſtum, vt aliqui volunt, quia idem eſt, ac ſi dixiſſet, dedit illi Chriſtum: non famam, vt volunt alij, quia oſtendit Apoſtolus ſe de certo nomine loqui, dum ſubdit: *vt in nomine Ieſu omne genu flectatur.* vbi Græcus ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ, ideſt, *vt in hoc nomine Ieſu*, vt audita, perceptaque hac voce Ieſus, flectant omnes genua, non qui in terra tantum ſunt mortales; ſed etiã qui ſunt in cælo immortales, in purgatorio

Arabs.

Pſ. 43. 6.

Pſ. 117. 26

Luc. 2. 21.

Ieſus nomen ſolũ magnũ.

Phil. 2. 9.

Græcus.

ani-

Chriſ. in c. 2. ep. ad Phil. homil. 7. Theophilat. q. 6.

animæ, vel etiam (vt volunt Chriſoſtomus, & Theophilatus) in inferno dæmones, & dãnati, ad illum humanum morem alludens, quo dum viri magni nominibus proprijs nominantur, ſolent ijs honorem habere, caput aperiendo, inclinando, genua flectendo: quo pacto hoc nomen Ieſu inſigni quadam religione, & reuerentia, ac veneratione apud fideles colitur, feſtiua celebritate à Clemēte VII. inſtituta, vel cum auditur pectoris tunſione, capitis aperitione, poplitum flexione, &c. quod Saluatorem notet, & non quemcunque, dum Chriſto Domino attribuitur, ſed eum, qui per ſe ipſum, & ſua ipſius vi, non vni tantum, vel duabus gentibus, & populis, ſed omnibus ſalutem afferat temporariam, & æternam. Et quidem cum magnitudo nominis, eiuſque præſtantia non, niſi ab eiuſdem nominis ſignificatione ſumi debeant, patet, nullum eſſe nomen hoc diuino nomine præſtantius, & in re ſignificata, & in modo ſignificandi: nam ſi rem eo ſignificatam conſideremus, licèt alio, & alio nomine ſignificaretur, vna ſemper, & eadem eſt, nempe Deus, vnde paria ſemper ſunt nomina Dei; ſi vero non rem, ſed ipſius rei proprietates, & effectus conſideremus, alio, & alio nomine ſignificata, nullum eſt Dei nomen, quod anguſtius, aut plenius diuinas omnes proprietates, & effectus explicet, hoc nomine Ieſu: nam eo non ſolum ipſe Deus ſignificatur, cuius ſolius eſt perfecte quoad omnimodam ſalutem, ſalutisque modum ſaluare, ſed etiam tota incarnationis, & redemptionis Chriſti Oeconomia, in qua præ cæteris omnibus à Deo creatis, aut factis relucet, & concurrunt Dei Sapientia, potentia, bonitas, maieſtas, omniaq. Dei attributa: & licet nomen quatuor literarũ יהוה, ipſam ſimplicem Dei eſſentiam forte clarius denotet: illud tamen claritate maiore diuinæ ipſius naturæ attributa, & opera docet. Sic Iehoua, vt bene Cornelius aduertit, ſignificat eum, qui eſt, reque idem eſt cum eo nomine, quo ſe nominat Deus in Exodo; *Ego ſum, qui ſum*, Ieſus ſignificat eum, qui Creator eſt, & perditos ſaluat, viuificat, iuſtificat, ac beatos facit. Iehoua eſt principium entis; Ieſus fons, & principium gratiæ, gloriæ, & ſalutis: Iehoua fuit contritor, & bellator Pharaonis, & Aegypti; Ieſus contritor, & diaboli, & inferni. Iehoua Iudæorum, & veteris teſtamenti; Ieſus Chriſtianorum, & noui teſtamenti legislator. Iehoua Hebræos per mare rubrum duxit in Chanaam; Ieſus per ſanguinem ſuum, quo baptizamur, & abluimur, deducit nos in cælum. Hinc nomen Ieſu in nomine Iehoua repræſentatur, & Iehoua erat quaſi ænigma Ieſu, & viciſſim nomen Ieſu eſt declaratio nominis Iehoua. Hoc itaque Auguſtiſſimũ nomen Ieſus illud eſt per excellentiam nomen Dei magnũ, quod prædicat Tobias ab omnibus nationibus inuocandum in Ieruſalem, quod non ſolum à regibus gentium factum eſt; ſed etiam ab omnibus fere fidelibus, vt ſupra ſatis ſuperque docuimus.

Nominis Ieſu præſtãtia.

Cornel. in ep. B. Pauli ad Philipp. 2. v. 9 n. 91.

Exod. 3. 14.

Sup. hoc eod. c. v. 14.

VERS. XVI.

Maledicti erunt, qui contempſerint te, & condemnati erunt, qui blaſphemauerint tė, benedictiq. erũt, qui ædificauerint te.

VERS. XVII.

Tu autem lætaberis in filijs tuis, quoniã omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum.

1 *Maledicere, ſeu male precari, & ominari quando licet.*

2 *Pœna humiliantium Ieruſalem, & premium illam readificantium.*

3 *Omnes hic pro maiori parte.*

MALEDICTI *erunt, qui contempſerint te.* LXX. *Maledicti omnes, qui odio habent te.* Arabs: *Maledicti erunt, qui humiliauerint te.* verbis, nimirum, & factis. XVI. LXX. Arabs.

1 Eſt maledicere male precari, & male ominari: quare volens Balac, vt Balaam male precaretur populo Dei: *Veni*, ait illi, *& maledic Iacob*. Cui ille; *Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus?* Eius contrarium eſt benedicere, precari, & ominari bona. Sic idem Balac ad Balaam: *Vt maledeceret inimicis meis, vocaui te, & tu è contrario benedicis?* Sane maledictionem aliquando eſſe licitam ex eo patet, quod charitati, proximo debitæ haud repugnet eidem mala, non vt mala precari, ſed vt bona ſunt quædam iuſtitiæ diuinæ, vel humanæ, vel politicæ: cum enim peccatores iuſte à Deo, & à legitimo magiſtratu afficiantur poenis, iure, & Deus, & magiſtratibus, & homo etiã priuatus expetere poteſt ad iuſtitiæ bonum promouendum, vt iſte, vel ille pœnas luat: vel etiam, vt mala ſunt in bonum, vel ipſius, cui imprecantur vergentia, vel cæterorum, qui inde exemplum capiant. *Quo pacto*, ait Gretſerus, *viri etiam ſancti peccatoribus morbos, & flagella à Deo precari ſolent, ut à peccatis deſiſtant, & pænitētiam agant, vtque vita, doctrina, & exemplo, proximis pernicioſi eſſe deſinant. Immo & ſoli intereant, ſi fortè corrigi nolint, melius eſt enim, vt pereat vnus, quàm vt plures in idem exitij barathrum præcipitentur, neque optare, vt talis è medio tollatur,*

Num. 23. 7.

Ibid. 23. 11.

Maledictio aliquando licita.

Gretſerus lib. de maledictionibus.

actus

actus odij eſt, ſed charitatis erga bonum commune. Creaturis tamen rationis expertibus nec ſimpliciter maledicimus; ſed reſpectu ad hominem, quem in earum maledictione. vel puniri (ſeu meritò, ſeù immeritò) vel inſtrui, vel etiam à læſione præſeruari optamus. Sic ſerpentibus, & id alijs genus venenatis animalibus, itemque locuſtis, bruchis, erucis fruges, arboreoſque fœtus diſsipantibus, ac depaſcentibus non rarò maledicimus.

Et condemnati erunt Condemnare, cùm ferè ſemper ad culpam pertineat, eſt reum peragere, & ſontem pronunciare. Itaq; ex amore, & zelo iuſtitiæ maledicit hic Tobias contemptores omnes, oſores, & deuaſtatores Ieruſalem; illoſque ſontes pronunciat. Amatores verò eius, quique pro virili ipſius ædificationem conſeruaturi, & augmento vacaturi eſſent, benedixit. Vel illos prædicit à Deo pœnas demeritas luituros (nam Dei maledicere eſt punire, ſicuti benedicere eſt benefacere) & tanquam ſontes, & reos morti æternæ adiudicandos. Hos verò merita præmia
LXX. recepturos, & quidem vt addunt LXX. *in ſeculum*.

2 Atque adeò ſæuiſſimè à Deo caſtigatum legimus Antiochum, quod Ieruſalem
2.Machab. 4. deleri curauerit, altare aureum, & omnia vaſa templi diripuerit, comminueritque: quod ædificauerit abominandum idolum deſolationis ſuper altare Dei, ideſt in templo, ſtatuamque
2.Macb.9 Ioui poſuerit: Nam apprehendit eum dolor viſcerum, & amara inteſtinorum tormenta, de curru cecidit, & colliſus eſt; pediculariquemorbo percuſſus, vt etiam Hero-
Ioſeph.lib.17. c. 8. Luca act. 12. Sozom. lib. 5. c. 7. Niceph.lib.10 c. 29. Tertull. lib. ad ſcapulam. c. 3. Bolſæus de vita Calu. c.22 des vnus apud Ioſephum, & alter apud B.Lucam; Iulianus apud Sozomenum; Theotenus apud Nicephorum; Claudianus Hermianus, apud Tertullianum; ſed & noſtro ſeculo, Caluinus apud Bolſæum. Sic cum Antiocho maledicti, & condemnati à Deo Coſroas Perſarum rex, à quo magna ex parte eſt diruta Ieruſalem, loca ſancta combuſta, & Chriſtiani Iudęis venditi, à quibus etiam nonaginta eorum millia trucidata. Maledictus Saladinus, & Magnus ille Tamur, vel vt alij illum vocãt Tamburlanus. Maledictus Solinus Turcarum imperator, & alij omnes, qui contempſerunt, & blaſphemauerunt illam. Benedicti vero Zerobabel, & Ieſu filius Ioſedec, Eſdras, & alij eius ædificatores, vt etiam benedicun-
1.Eſdra 6. tur apud Eſdram. Benedictus Conſtantinus, qui nouam illam ad ſepulchrum Saluatoris extruxit. Benedicta Helena mater, quæ illam ampliauit, & ornauit. Benedictus Godofridus Bolionius, qui à Saracenorum ſeruitute illam eripuit. Benedictus Ludouicus I. Rex Galliarum. Benedicti denique omnes, qui illam in priſtinam libertatem aſſerere voluerunt, *Benedicti in ſeculum*.

VERS. XVII. 3 *Tu autem* Nimirum Ieruſalem gaudebis, quia omnes filij tui, ex omnibus videlicet tribubus aliqui: explicat enim hic vox *omnes* non ſingulos omnino Iudæos in captiuitate poſitos; ſed omnes ipſorum tribus, è quibus maior pars reuerſa eſt in Ieruſalem, & ſicuti dialectici loquuntur, explicat genera ſingulorum, non ſingulos generum: ſed plura de hac re infra.

Infra c.14.v. 6. num.5. *Benedicentur, & congregabuntur ad Deum* Hanc ſcilicet à Deo accipient benedictionem, vt in te, in qua lex Domini præcipuè colitur, congregari poſſint ad Dei cultum, & gloriam
LXX. LXX. *Gaude, & exulta ſuper filijs iuſtorum, quoniam congregabuntur, & benedicent Dominum iuſtorum*.

A

VERS. XVIII.

Beati omnes, qui diligunt te, & qui gaudent ſuper pace tua.

1 *Beatus quaſi bene auctus.*
2 *Qui Gauiſus ſit in reædificatione Ieruſalem.*
3 *Quis myſticè ſuper pace Ieruſalem Gaudeat.*

1 BEATI *omnes* Hoc eſt, vt Arabs legit, *Beatitudo ijs, erit, qui diligunt te*. ſeu lætitia, & quies: nam *Beatus*, vt Caſsiodorus explicat, eſt quaſi benè auctus, cui ſcilicet omnia benè deſiderata proueniunt. Vndè ſicut Auguſtinus ait: Tunc dicimur eſſe beati, quãdo pacem habemus, quantacunque haberi poteſt in hac vita. Arabs. Caſsiod.in Pſ. 1. v. 1. Aug. de Ciu. Dei lib. 19. c. 10.

2 *Et qui gaudent*. Hoc eſt, quia gaudebunt & pro *quia* vt etiam alibi expoſuimus, & hic LXX. declarant, dum ita legunt: *O beati qui diligunt te, gaudebunt in pace tua: Beati quicunque triſtati ſunt ſuper omnibus flagellis tuis, quoniam in te gaudebunt, videntes omnem gloriam tuam, & lætabuntur in ſæcula*. LXX. Hoc eſt, qui diligunt te, ò Ieruſalem, tuamque cupiunt reædificationem, pacem, & concordiam ciuium, quique doluerunt de malis tuis, quia proſperabuntur in ſuis deſiderijs, & gaudebunt ſuper pace tua. Arabs: *Et lætabuntur propter ſalutem tuam*, videntes ſcilicet te iterum reædificatam, & in pace poſitam. quod ad literam in Eſdra, & Socijs eius non paucis completum eſt, qui Ieroſolymitanæ interfuerunt deuaſtationi, & ex captiuitate Babylonica liberati Ieruſalem reędificandam curarunt, & lætati ſunt, dum illam, vt in libris Eſdræ apparet reædificatam, & in pace poſitam ſunt conſpicati. Et quidem, vt ciſdem dicitur, lætitia magna. *Et audita eſt lætitia in Ieruſalem procul*. Et in fidelibus, qui poſt Chriſtum floruerunt, qui illam propter Chriſti gloriam à Conſtantino reædificatam, & ampliatam, & in maxima pace poſitam conſpexerunt. Arabs. 2. Eſdra 12. 43 & 43.

In ſecula Hoc eſt, ad longum tẽpus: nam, vt alibi expoſuimus, vox ſeculi non rarò in ſacris literis longam deſignat durationem.

Quòd gaudium noſtrum ſpes eſſe debeat potiundi cæleſti Ieruſalem, & pacis æternæ viſione.

DOCVMENTVM.

A Ambr. in ep. ad Rom. c. 10. in fin.

VERVM quia nomine Ieruſalem cæleſtem patriam, *quæ*, vt ait Ambroſius, *ſola vera eſt pacis viſi*, cùm in illa Deus, qui eſt pax noſtra, ſe ipſum beatis manifeſtet, non infrequenter ſacræ literæ ſignificant; illos etiam beatos hic Tobias futuros prædicat, qui illam diligentes, gaudent ſuper pace illius, ſpe nimirum pacem illius æternam aſſequendi: nam, vt Auguſtinus ait: *ſicut ſpe ſalui, ita ſpe beati facti ſumus*. Sic *delectaberis*, inquit, Iſaias de his, qui cæleſtem colunt Ieruſalem verba faciens, *ſuper Deum, & ſuſtollam te ſuper altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui*. Et apud Palladiũ legimus Abbatem Appollinem hac ſpe ad perenne gaudium ſpiritus, ſuos hortari fuiſſe ſolitum: *triſtentur*, dicens, *mundani, triſtentur Iudæi, triſtentur peccatores, qui aliam ſpem non habent, nos verò, qui tanta ſpe cæleſtis gloriæ digni habiti ſumus, quomodo non perpetuò lætabimur?* Quare tanta ſpe armati, *licebat*, vt idem refert Palladius, *eos videre exultantes in ſolitudine, adeo vt nullam huiuſmodi exultationem in terra videre liceat, nec lætitiam corpoream, neque enim erat inter eos aliquis mœſtus, ſeu triſtis*. Et Athanaſius refert S. Antonium, tam in aduerſis, quàm in proſperis hac ſpe munitum, faciem ſemper hilarem geſtaſſe: *Hilarem*, dicens de illo, *ſemper faciem gerens liquido oſtendebat, ſe de cæleſtibus cogitare*. Et verè, vt dicit Chryſoſtomus: *ſit aliquis bona fretus conſcientia, ad futura anhelans, & expectans illam beatam ſpem, quid hunc quæſo poterit in triſtitiam inducere?* ac ſi diceret nihil: nam ſpe hac diuina fulti, non modò generosè bonorũ temporalium direptionem ſuſtinebunt; ſed etiam contumelias, flagra, & ipſam mortem, illius verbi diuini memores: *Cum vos oderint homines, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis, gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo*. Hac ſpe excitati Iudæi in primitiua Eccleſia ad Chriſtum, licèt nuper conuerſi, cum bonis ſuis temporalibus pro Chriſti nomine expoliarentur, gaudebant, quod licèt in terris ad paupertatem ſe redigi cognoſcerent; per hoc tamen ſcirent, ſe diuites in cælis apud Deum fieri: vnde B. Paulus ad illos: *rapinam*, inquit, *bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis cognoſcentes vos habere meliorem, & manentẽ ſubſtantiã* Hoc eſt dediſtis diuitias, quæ momẽto amitti poſſunt, vt ſuſciperetis cæleſtes ſubſtantias: dediſtis plumbum, vt reciperetis aurum; ſic videmus illum, qui ad ſupremam euectus põtificiam dignitatem cum gaudio rapinam domus propriæ tolerare, & ſi diuiti ornata ſit ſupellectili, quod opulentiora ſuſceperit. Hac ſpe excitati ſancti mortẽ ipſam cũ gaudio ſuſtinuerunt: *Stephanus*, vt teſtis eſt Nazianzenus, *lapidum ictus veluti ſuauem quendã rorem excepit*: Laurentius craticulas, Ignatius Leones. Hinc B. Lucius: vt refert Euſebius, tyranno *gratias tibi ago*, inquit, *quòd me nequiſſimis Dominis abſolutum, ad ſummum cæli terræque regem remittis*. Nouerant enim mortem malorum eſſe præſentium liberationem, & curſum ad coronam. Quare meritò B. Paulus hanc cæleſtem ſpem anchoram dicit animæ tutam, & firmam, ſeu, vt Syrus habet: *anchoram, quæ retinet animam noſtram, ne commoueatur*: nam ſicut firma anchora nauim in mari inter fluctus, & ventos firmã, illæſam, & concuſſam retinet, atq; conſeruat; ita ſpes inter tentationes, omnesq; huius ſeculi agitationes, quibus in hac vita quaſi nauigantes iactamur, animam firmat, & corroborat, vt ſolida, immobilis, conſtans in fide, ſtudioq; virtutis conſiſtat, dum non in profundo iacitur maris; ſed in cæleſti Ieruſalem in Deo ipſo defigitur. Sed quid mirum tantam eſſe vim cæleſtis ſpei, ſi temporalis præmiorũ minaces pelagos nautis, tempeſtates atq; hyemes agricolis, vulnera, & pericula militibus dulcia reddit? lege Tertullianum, & ob ſpem vanæ mũdi huius gloriæ, reperies debiles quosq; adoleſcentes flagellis afflictos, aſtãtibus parẽtibus, & propinquis, & vt perſeuerent adhortãtibus; ornamentum, & gloriam deputantes animam potiùs inter verbera exhalare, quam ob corporis dolorẽ ſuccumbere. lege Auguſtinum, & reperies Donatiſtas ob vanam ſpem gloriæ, hæc eos mortis genera diabolum docuiſſe, vt ſcilicet mori volentes, quando non inueniebãt quem terrerent, vt ab eius gladio ferirentur, per ſaxa ſe mitterẽt, aut ignibus, gurgitibusq; donarent. Vnde meritò indignatus Tertullianus: *Si*, inquit, *tanti vitrum, quanti verum margaritum? quis ergo non libentiſſimè tantũ pro vero margarito, ideſt pro vera gloria habeat erogare, quantum alij pro falſo, ideſt pro falſa gloria?* Illud ſanè mirum, nos adeò debiles eſſe in ſpe fruendæ pacis cæleſtis Ieruſalẽ, vt nec verba, ne dicã verbera tolerare poſſimus, quod ex eo contingere non dubito, quod eam nõ diligamus: nam *beati*, inquit, Tobias, *qui diligunt te, quia gaudebunt ſuper pace tua* ſicut enim pro re, quã diligimus, nullũ nõ mouemus lapidem, vt illam habeamus; ſic ſanè nullũ tam durum certamẽ, nullum tam arduũ eſſet opus, quod libentiſſimè non aggrederemur, ſi illam diligeremus: nam licèt verum ſit,

Marginal notes: Aug. lib. 10. de Ciu. c. 4. — Iſaia 58. 14. — Pall. in lauſiaca c. 52. — Gloriæ cæleſtis ſpes gaudium parit. — B — Athanaſ. in vit. S. Anton. — Chryſ. hom. 18. ad pop — Luca 6. 22 — C — Ad Hebr. 10. 34. — D — Greg. Naz. li. de beatitud. — Euſeb. lib. 4. hiſt. c. 27. — Ad Hebr. 6. 19. — Syrus. — E — Tertull. lib. ad Martyres. — Aug. epiſt. 50. ad Bonif. — F — Tertull. vbi ſupra

G ſpem æternæ vitæ, etiam in iis, qui multa ſibi
bona merita ex Dei gratia cōpararunt, miſe-
Pſ. 126. 1. ricordiæ Dei inniti debere: tùm quia, vt Pſal-
tes ait: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem,*
fruſtra vigilat, qui cuſtodit eā: tu etiā quia
haud certa cognitione exploratū habere poſ-
ſumus, an bona fuerint, & Deo grata; tamen il-
lam non aliunde quàm ex bonis operibus na-
Ad Rom. ſci ſacræ nos literæ docat. Quare B. Paulus: *pa-*
5. 4. *tientia*, inquit, *operatur probationē*, id eſt oſtēdit
nobis, quantùm in bonis operibus perfeceri-
2. Petri 1. mus, *probatio verò ſpem*. Et B. Petrus: *Satagi-*
10. *te*, inquit, *vt per bona opera certam veſtrā vo-*
Bona opera *cationem faciatis*: nam ſicuti cùm florē aſpi-
mercedis æ- cimus, inde ſperamus fructum ſuo tempore
ternæ ſpem ſequuturū, ita ex bono opere ceu flore ſpem
faciunt. fructus æternæ vitæ recipiēdi concipimus: vn-
Ad Hebr. dè & ipſa bona opera B. Paulus confidentiam
10. 35. appellat, dicens: *Nolite amittere confidētiam*
H *veſtram*, quòd ex illis fiduciam habeamus ob-
tinēdę ſalutis, eo tropo, quo effectus cauſę no-
men ſortitur, ſicut peccatum mortis, quod ho-
mini mortem conciliet. Hinc ſanctos viros le-
gimus ad ſpem concipiendam ſua bona opera
Iob 29. 14. ſolitos fuiſſe conſpicere. Sic Iob ad deſpera-
15. tionem ab vxore ſollicitatus de ſe ipſo ait: *iu-*
ſtitia indutus ſum, & veſtiui me, ſicut veſti-
mento, & diademate iudicio meo, oculus fui
4. Reg. 20. *cæco, ſpes claudo, &c.* Ezechias territus ad nū-
3. tium mortis: *memento*, ait Domino, *quomodo*
ambulauerim coram te, in veritate, & in corde
perfecto, & quod placitum eſt corā te, fecerim.
B. Paulus itē morti proximus: *Bonum*, inquit,
certamen certaui, curſum conſummaui, fidem
2. Tim. 4. *ſeruaui*. Et S. Hilario, teſte S. Hieronymo, ti-
7. more mortis correptus, hæc moriens habuit.
Hieron. in vi- *Egredere anima mea quid times? egredere ani-*
ta S. Hilario- *ma mea quid dubitas? ſeptuaginta ferè annis*
nis. 1 *ſeruiſti Chriſto, & mortē times?* quare op-
Pſal. 4. 6. timè monuit Dauid: *Sacrificate ſacrificium*
iuſtitiæ, & ſperate in Domino. hoc eſt, & ſic
Pſal. 36. 3 ſperare in Domino poteritis. Et alibi: *Spera*
in Domino, & fac bonitatem, & inhabita in
ſeculum ſeculi, hoc eſt ita fiet, vt æternā poſ-
ſideas Ieruſalem. nam vt mercenarius ratione
laboris, & miles ratione militiæ ſtipendium, &
mercedem expectant; ſic à Domino ſui laboris
mercedem expectant ſancti, eoq; fidentiùs, &
ſecuriùs, quo ſe ſentiunt magis laboraſſe: itaq;
ſi ſpe aſſequēdæ pacis cæleſtis Ieruſalem gau-
dere cùm ſanctis volumus, diligamus eam, &
bonis operibus ad illam contendamus, ſciētes,
2. Tim. 2. 5 quod *non coronabitur*, vt B. Paulus ait, *niſi*
qui legitimè certauerit: Beati, itaque *qui dili-*
gunt te, cæleſtis Ieruſalem, *quia gaudebunt*
ſuper pace tua.

V E R S. X I X.

Anima mea Benedic Dominum, quoniam liberauit Ieruſalē ciuitatem ſuam à cunctis tribulationibus eius Dominus Deus noſter.

V E R S. X X.

Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndā claritatē Ieruſalē.

1 *Anima rationalis ſe ipſam intelligit.*
2 *Benedicere pro gratias agere.*
3 *Præteritum pro futuro, liberauit pro liberabit.*
4 *Deus cur Dominus Deus noſter dicatur.*
5 *Deſiderium SS. Patrum aduentus Meſſiæ, & incarnationis Verbi explicatur.*

1 ANIMA *mea* Hæc enim eſt rationalis vis animæ, vt reflexè ſe ipſam intelligere queat, ſecumq; ipſa loqui, quod quā-
do fit, vehementiam ſui affe-
ctus demōſtrat, & excitationem ad opus: Sic *Pſal. 102.*
Dauid ſe ipſum ad gratiarū actionē excitans:
Benedic, ait, *anima mea Dominum*. Et ſtultus
ille diues Euangelicus: *Anima*, inquit, *mea* *Luca 12.*
habes multa bona, &c. *19.*

2 *Benedic Deum* Eſt hic Deum benedicere gratias agere, vt ſæpè in ſacris literis alibi: quare vehementi affectu ſe ipſum Tobias hic excitat ad gratiarū actionē ex conſideratione futuræ liberationis Ieruſalem, vndè ſubdit.

3 *Quoniam liberauit Ieruſalē* Præteritū pro *Supr. verſ. 11*
futuro, vt etiā ſupra, hoc eſt liberabit Ieruſalē.

Ciuitatem ſuam Quam ſcilicet ſui cultores incolunt.

A cunctis tribulationibus eius In quas ſcilicet propter eius peccata caſurā prædixerat, captiuitatem gentium, & opprobria, deuaſtationes, &c.

4 *Dominus Deus noſter* Dominus poteſtate, quippe qui ſolus liberè de ſuis poteſt diſponere creaturis, prout ſibi viſum fuerit. *Deus* natura, *noſter*, quia communis eſt omnium creaturarum Dominus & Deus; ſed præcipuè ſuorum fidelium, qui illum, vt talem colunt, & venerantur.

Beatus ero Hoc eſt, ſicuti iam explicauimus, cuncta mihi benè, & proſperè cedent.

5 Si *fuerint reliquiæ ſeminis mei* Hoc eſt ſi poſteritas mea eo vſque perdurauerit, vt videre queat.

Claritatem Ieruſalem Quam infra maximā *Infr. v. ſeq.*
futuram prædicit, & quidem non ſolùm ſplē-
dore, & gloria ipſiuſmet ciuitatis, & lætitia
ciuium; ſed maximè luce Chriſti Domini. Huius claritatis videndæ ſpe exultabat Sanctiſſimus Patriarcha, ſeque beatum prædicat, quòd in ſua poſteritate illam viſurus eſſet.

Sic Arabs: *Beatitudo mihi, quia remanſit* *Arabs.*
de progenie mea qui videbunt lumen Ieruſa-
lem. Hæc fuit exultatio Abrahæ, de qua Chri-
ſtus: *Abraham*, inquit, *exultauit, vt vide-* *Io. 8. in*
ret diem meum, hoc eſt pro flagrantiſſimo de- *fin. 56.*
ſiderio videndi in ſua poſteritate tēpus aduē-

tus

S. Greg. & Beda in Io. — Gen. 22. 18. — Luca 10. 23. — Gen. 49. 26. — Aggai 2.

tus mei geſtiuit, *vidit, & gauiſus eſt*, quando, vt exponunt Sancti Gregorius, & Beda, à Domino ei dictum fuit: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes*. Hoc fuit deſideriũ omnium ferè Sanctorum Patrum: quare Chriſtus Apoſtolis: *Beati*, ait, *oculi qui vident, quæ vos videtis*. Huiuſque beatitudinis magnitudinem ex ſanctorum Patrum deſiderijs exponens, ſubdit: *Dico enim vobis, quod multi prophetæ, & reges voluerunt videre quæ vos videtis*; nam tanto videndæ claritatis aduentus Domini deſiderio veteres ſancti tenebantur, vt ipſum Dominum dixerit Iacob: *deſiderium collium æternorũ*, ideſt ſanctorum omnium, qui veluti editi colles inter alios homines virtutis eminent magnitudine. Et Aggæus: *Deſideratum cunctis gentibus*....

Quòd deſiderium virtutis magnum habeat apud Deum meritum, ſi verum ſit deſiderium.

DOCVMENTVM.

A

TALIA quidem Sanctorum Patrum erant deſideria aduentus Chriſti, vt mundus redimeretur, cæli aperirentur fores, & omnibus facilis pateret aditus ad virtutem: Fuit enim ſine dubio magnum ad ſalutem ſubſidium videre, & audire Chriſtum, eiuſq. miracula, admonitiones, doctrinas, genus vitæ, conuerſationem, poſſe eum interrogare, audire reſponſa, &c. vtque etiam vel deſideriorum merito, & ipſi aſſequerentur, quod optabant in poſteris; nouerant enim à Deo perinde ſancta deſideria præmiari, ac opera:

Matt. 5. 28. — 1. Tim. 6. 9. — Aug. di. 50. homil. hom. 13. — Deſideriũ boni operis ſua mercede nõ fraudatur à Deo. — Gen. 22. 16.

nam ſicut, vel ipſo Domino teſte: *omnis qui videt mulierem ad concupiſcendum eam, iã mœchatus eſt in corde ſuo*. Et ſicuti B. Paulus docet: *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem diaboli; cupiditates*, vt Auguſtinus ait, *non facultates accuſans*; ita qui deſiderio incenduntur virtutis præmiantur à Deo, ac ſi eiuſdem virtutis explerent opera, quod in Abraham ſatis ipſe Dominus oſtendit, quando illi dixit: *Quia feciſti rem hanc, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli*, quibus in

B

verbis eius affectum parendi ſuo diuino pręcepto, & ſacrificandi proprium filium, tanti ſe feciſſe manifeſtè docuit, ac ſi effectus eſſet ſubſequutus: vnde per Pſaltem Dominus,

Pſ. 80. 11. — Aug. ibi.

Dilata, inquit, *os tuum, & implebo illud*, *os cordis*, inquit Auguſtinus, *non eſt aliud, quam deſiderium cordis: quare aperiendum illud eſt, vt vita, ſcilicet virtute, qua ſpiritualiter viuimus, qua ad vitam æternam tendimus, impleatur*: nã ſicuti corporis os magis capax alimenti accipiendi efficitur, quo magis aperitur; ita os cordis, quo magis dilatatur deſiderijs, eo capacius ad virtutem efficitur, & plenius à Domino exauditur. neque enim exaudit Dominus eũ, qui non deſiderat, quod poſcit.

Oratio ſitibunda virtutis Deo accepta. — Io. 7. 37. — C — Sap. 6. 18.

vnde, *ſi quis ſitit*, ait, *veniat ad me, & bibat*, hoc eſt, nemo poſcat virtutem, qui illius ſitim non habeat, qui ſitit, poſcat, veniat ad me, & bibat; nam, vt Sapiens ait; *Initium ſapientiæ eſt veriſſima diſciplinæ concupiſcentia*: veriſſima ait concupiſcentia, quia non quæcunq; ſufficiũt deſideria ad aſſequẽdam virtutẽ; ſed illa, quæ vera ſunt, hoc eſt, quæ homines anxios reddunt, & ſollicitos ad illam aſſequendam: nã ea cum ſit rerum eximiarum natura, vt non niſi per magnos labores haberi poſſint, conſiſtit enim virtus in arduo, fruſtra quis ſe illam deſiderare dicit, qui media, per quæ acquiri debet, contemnit: quare Sapiens: *Vult*, inquit, *& non vult piger*. vult, cum excellentiam virtutis conſiderat, non vult, quando labores, quibus virtus ipſa adiuncta eſt, ſibi ante oculos proponit, quod tali pacto virtutes deſideret, vt nolit pro illis habendis, laborem ſubire:

Prou. 13. 4. — Deſiderium virtutis magnum, & efficax eſſe debet. — D — Auct. Alphabeti Chriſti litera B.

qui quidem morbus iam adeò latè patet, vt vulgo dici ſoleat, cælum quidẽ bonis operibus, gehennam autem hiſce deſiderijs eſſe refertam. Vera autem deſideria nihil negligunt, nihil omittunt, nulli parcunt labori, vel ſtudio, modò quod concupiſcunt, aſſequantur. Exemplum noſtris temporibus inſigne præbuit adoleſcens quidam Aragonius, cuius anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo bona Deo ſeruiendi deſideria, nec flumina contradictionum obruere potuerunt, qui, vt habet Auctor Alphabeti Chriſti, opulentæ matris, eiuſdemque viduæ ex aſſe hæres erat, ac multorum

Auct. Alphabeti Chriſti folio mihi 26. — E

inſuper affinitatibus implicitus. quare maturo conſilio inde ſe tandem euolare decreuit, quod quidem adeo latum à cognatis ægrè eſt, vt auunculus adoleſcentis, qui tunc forte Romæ negociorum cauſa verſabatur, rem ad ſummum magiſtratum deferret, adoleſcentemq. officijs neſcio quibus, & blanditijs circumuentum, & in naſſam religionis pertractum calumniaretur. Placuit itaque magiſtro tyronum pullum hunc ad matrem remittere (nam tyrocinium ingreſſus iam erat) quo tam ipſa, quam vniuerſi propinqui de adoleſcentis conſilio cognoſcerent. Hic arcti complexus, & quaſi receptus poſtliminio eſſet, amplæ gratulationes. Mox tamen, vbi videre antiquum, & in propoſito conſtãtem, verſæ in lamenta ſunt acclamationes illæ, & ſuſpiria, quæ dum fruſtra fiunt, pius adoleſcens amore diuino repente tactus, in ipſa illa propinquorum mœſtiſſima corona humi in genua peruoluitur, omnibusq. corã improuiſo, ſed opportuno ſtratagemate, claraque voce, vt omnes audirent, votum nun-

F

cupat immortali Deo, atque in religione ſe moriturum ſacramento confirmat, quo verbo, ceu fulmine tacti circumſtantes obmutuerunt, ipſeq. adoleſcens, præciſa iam ſpe, vt conſilium aliquando mutaret, & caſtigato parentis fletu ad iuratam Chriſto militiam lætus reuertit; victor ante pugnam. Vnde meritò vera virtutis deſideria floribus comparantur: quia quemadmodum arborũ flores antecedere fructus ſolent; ita vera deſideria virtutem. Vera hæc deſideria illa ſunt, quæ ſponſus animam ſanctam in canticis alloquens, laudat, dum ait: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis*: ſunt enim pedes myſticè in ſacris literis deſideria: quia, vt docet Origenes; ſicut pedibus ad locum, quo tendimus, peruenimus; ita veris deſiderijs ad optatã peruenimus virtutem; hæc ſunt deſideria calceata, quando ad opus exeunt, & quod concupiſcunt aſſequi curant. Ad hæc habenda nos Dominus per Iſaiam hortatur, dum ait: *Si quæritis, quærite*. Hoc eſt, vt exponit Hieronymus, ſi quæritis; ſtudioſius quærite: Lex enim dicit: *Cum quæſieris tibi Dominum Deum tuum: inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ*. Hęc in ſanctiſſimo Patriarcha imitanda, cum illo conſiderantes, eam eſſe virtutis naturam, vt nunquam à ſe deſiderantibus diſcedat: nam: *Quid eſt aliud*, inquit Lactantius, *colere virtutem, niſi eam comprehendere animo, ac tenere? quod vnuſquiſq; ſimul, ac cœpit velle, aſſequitur*.

Cant. 7. 1.

Orig. in Cãt. G

Iſaia 21. 12.

Hier. lib. 7. in Iſaiam.

Lactant. diu. inſt. li. 1. c. 20

H Deſiderium virtutis eſt virtus.

Eſt enim deſiderare veris deſiderijs virtutem, aliqua virtus, quę magis creſcit, quo magis roboratur deſiderium: quare ſicuti nullus eſſet, qui diuitias, honores, temporalem ſalutem, & vitam deſiderijs non emeret; ita cum veris deſideriis virtus acquiri poſſit, nullus eſſe debet, qui illam vel deſideriis non aſſequi curet.

VERS. XXI.

Portæ Ieruſalem ex ſapphiro, & ſmaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius.

VERS. XXII.

Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius ſternuntur; & per vicos eius alleluia cantabitur.

1 *Sapphirus quæ gemma ſit.*
2 *Quæ ſmaragdus.*
3 *Senſus verſiculorum.*
4 *Nouæ Ieruſalem quanta ſit pulchritudo.*
5 *Per Ieruſalem vicos quo modo decantatum ſit alleluia.*
6 *Alleluia quæ vox, & cur non niſi in diebus lætitiæ ab Eccleſia vſurpata.*

PORTÆ AB Ieruſalem. Ciuitatis non myſticæ tãtum, & omnino cæleſtis, quæ beatorum eſt domicilium, & Eccleſia triumphans, vel tãtum mixtæ, & ſpiritualis, quæ eſt Eccleſia militans, in terris commorans; ſed etiam omnino terrenæ, de qua potiſſimum Tobias, quæ ventura erant prophetico actus ſpiritu loquitur. XXI.

1 *Ex ſapphiro.* Sapphirus gemma eſt cerulea, & ſereni cæli colorem referens. Sic Exod. 24. *Quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cælũ, cum ſerenum eſt*, illam Plinius nõ pellucere, vt vulgaris noſter docet; ſed aureis punctis conſperſam operã cenſet, ex quo Alcaſar ſapphirum ſpeciem quandã illius lapidis eſſe docet, quam vulgo lapislazuli appellant, ideſt qui nec venas, nec aureum puluerẽ, ſed ſcintillas, ſeu guttas ex auro in cerulea planicie habeat, atq; adeo, iuxta antiquorũ vſum eum nobiliorẽ cenſeo, qui cæli ſereni colorem, abſq; vlla violacei mixtione magis refert; ſed qualiſcunq; ille ſit, vt docet Pierius, apud veteres magna sẽper in veneratione fuit, ſiquidẽ per illum imperium, & ſummũ ſacerdotiũ ſignificatũ volebant, cui adſtipulatus Rueus: *Supremã, ait, olim ſapphirũ apud homines auctoritatem habuiſſe, & apud diuos gratiam ipſa perhibet antiquitas*. Et Abulenſis *apud gentilium Deos*, inquit, *in magna fuit ſapphirus reuerentia, quòd ſine eo reſponſa non dabantur*. Quin & ipſe Dominus in parte illa ſuperhumerali ſummi ſacerdotis, quam rationale ſacræ literæ appellant, inter gemmarum quatuor ordines, in ſecundo ordine illam haberi iuſſit.

Exod. 24. 10.

Alcaſar in Apoc.

Sapphirus magnę apud antiquos venerationis.

Pierius li. 41.

Rueus de gẽmis.

Abulenſis in Exod. 24.

2 *Et ſmaragdo.* Smaragdus gẽma eſt maximè viridis, adeoq. apud veteres perfulgẽs, vt Athenęus aſſerat, illã melius dici poſſe maragdum, quod ex ſplendore, vt ille docet, nomen adepta ſit. Et Plinius docet, ſmaragdos nimiũ eſſe ſemper radiantes, nulliuſque coloris aſpectum illis iucundiorẽ, quod nihil omnium viridius cõparatum illis micet, eiuſq. coloris ſit aciem recreare laſſam, nec vnquã ſatiare, vt in herbis apparet virentibus; ſed de his, & aliis gemmis ſacris fuſius inter cæteros Rueus, & Alcaſar.

Athen li. 3. c. 2.

Plin. li. 37. c. 5.

3 *Aedificabũtur, & ex lapide pretioſo, etc.* Hæc enim omnia prædicit Tobias de terreſtri Ieruſalẽ, vt oſtendat maximã futuram ipſius claritatẽ, & populorum lętitiã; quare dũ futurũ dicit, vt portæ ipſius ex ſapphiro, & ſmaragdo ædificẽtur, mœnia ex lapillis pretioſis, plateæ ex lapide mũdo, & populi præ lætitia geſtiẽtes omnes per vicos ciuitatis, alleluia proclamẽt, metaphoricè loquutum

Rueus ibid. Alcaſar in Apoc. 21. 2 not. 8. & de neqq.

XXII.

fuiſſe

LXX. fuiſſe nemo inficias ibit.LXX. *Aedificabitur Ieruſalem ſapphiro, & ſmaragdo, & lapide pretioſo muri ſui, & turres, & propugnacula in auro mundo, & platea Ieruſalem ex berillo, & carbunculo, & lapide de ſapphir ſternentur, et dicent omnes viri eius alleluia*. Arabs. Arabs: *Porta Ieruſalem ex ſapphiro, & ſmaragdo omnes muri mœnium eius de lapide pretioſo, & omnes vici eius: de lapide albo ſternent eam, & in plateis eius cantabunt alleluia*. hæc enim lectionum varietas non obſcurè indicat, nihil aliud Tobiam ſub horum pretioſorum lapidum metaphora ſibi voluiſſe, niſi, vt explicauimus, futuram pulchritudinem Ieruſalem, & lætitiam ciuium indicare. Qua etiam metaphorica locutione vſum deinde *Apoc.21.19.* Ioannem legimus in libro Apocalypſis ad cæleſtem Ieruſalem, item pulchritudinem, & beatorum lætitiam indicandam, quicquid *Plato in Phedone.* dicat Plato de lapidibus pretioſis beatæ illius, quam ſibi finxit, ciuitatis.

4 Sanè maximam fuiſſe claritatem Ieruſalem in portis, mœnijs, plateis, & ædificijs poſt ſui reædificationem, non obſcurè indi- *Eſdræ li.1 & 2.* cant libri Eſdræ, & Ioſephus; hand tamen exiſtimo, vt in ſuperiore verſiculo innui- *Ioſeph de bello Iud. lib.6. c.6.* mus, beatum ſe idcirco prædicaſſe Tobiam, quod illam materialem in poſteris ſuis viſurus eſſet claritatem; ſed illam ſpiritualem, quam vrbi Ieroſolymorum ſui præſentia Chriſtus allaturus erat: nam plus, quam ſapphirinæ, ſeu ſmaragdinæ abſque dubio cenſendę ſunt portæ illæ, per quas Chriſtus ingreſſus eſt, & omni gemma pretioſa illi pretioſiores muri, vicus, & plateæ, quæ Chriſtum deambulantem, prædicantem, & redēptionem humani generis operātem receperunt: ob hanc enim præcipue claritatem, clarior ſemper à populo Chriſtiano eſt Ieruſalem habita, reædificata, aucta, & nobilibus ædificijs decorata, & præcipue à Con- *Euſeb. in vit. Conſtant. li.3. c.24.* ſtantino Magno, de quo hæc Euſebius: *Opus maximè memorabile apud Paleſtinorum gentem diuinus hic imperator efficere aggreſſus eſt, & quidnam quæſo? ſanctiſſimum illud ſalutare Chriſti reſurrectionis locum Ieroſolymis exiſtimauit ita à ſe illuſtrari debere, vt omnibus eximius, & veneratione dignus videretur*. & inferius: *rerum nulla interpoſita mora, proſperè ſucceſſit euentus, atque ad illud ſalutare Chriſti monumentum noua Ieruſalem ædificata eſt, etc. quæ fortaſſe recens eſt illa, & noua Ieruſalem prophetarum oraculis prædicata, de qua vaticinationes, pluribus verbis explicatæ, plurima Spiritus S. inſtinctu canere videntur*.

XXII. 5 *Et per vicos eius alleluia cantabitur*. Quod ad literam poſt Chriſti tempora impletum eſſe in hac Conſtantini noua Ieruſalem teſtatur Hieronymus, dum ad Marcel- *Hier ad Marcellam tom.1 ep.17.* lam ſcribens, hæc habet: *Tot in ea*, Ieruſalem ſcilicet, *pſallentium chori, quot gentiū diuerſitas*. & inferius: *procul luxuria, procul voluptas, tanta in ipſa vrbe orationum loca, vt ad ea peragenda dies ſufficere non poſſit*. Et paulo poſt agens de villula Chriſti, & Mariæ diuerſorio, prope Ieruſalem, *In Chriſti*, inquit, *villula tota ruſticitas, & extra pſalmos ſilentium eſt, quocunque te verteris arator ſtiuam tenens alleluia decantat, ſudans meſſor pſalmis ſe auocat, & curua attondens vitem falce vinitor aliquid Dauidicum canit: hæc ſunt in hac prouincia carmina, hæ, vt vulgo dicitur, amatoriæ cantiones, hi paſtorum ſibilus, hæc arma culturæ*.

6 *Alleluia*. Vt teſtis eſt Auguſtinus, & *Theodoret. in pſ.146.* Theodoretus, vox eſt Hebræa, quæ laudare *Aug. tract. 8. ep. Io. & ſer. 151. de temp. Idem ep.258. & li.2. de doctr. Chriſt. c. 20.* Dominum ſignificat, quam, vt etiam docet Auguſtinus, nec Latino, nec Barbaro, licet in ſuam linguam transferre propter ſanctiorem auctoritatem. Vnde illam omnes gentes Hebræo vocabulo decantant: ſignificat enim, non ſimpliciter laudare Deum; ſed cū iubilo, cantu, & ſancta lætitia. Quemadmodum, vt obſeruat Serarius, apud Gentiles *Serar. hic in comment.* vox erat lætantium, ſeu Bacchantium: *Io* *Io Pæan vox lætantium.* *Pæan, Io Pæan*. Quare veteres Hebræi ſæpe *Holal*, per verbum aliud *Sebamach*, quod gaudere ſignificat, explicant, & *billulah*, lætitiam vocant, *bethillulach*, ideſt domum lætitiæ, & gaudij: (nam *Iah*, vt Hieronymus ad Marcellam docet, eſt vnum ex decem nominibus Dei). Ex quo factum eſt, vt Eccleſia illam non vſurpet in ſuis canticis, & publicis orationibus, niſi in diebus lætitiæ, in diebus mœroris, & poenitentiæ illa vtens voce: *laus tibi Domine*.

Quòd cantus, qui vocibus, & muſicis concentibus fit in Eccleſijs, magna laude ſit dignus.

DOCVMENTVM.

HOS primitiuæ Eccleſiæ cantus, de quibus in litera, imitatur Romana Eccleſia, dum alleluia, hoc eſt diuinas laudes cum iubilo, cantu, & ſancta lætitia canit, dicam cum A
Dauid: *In cymbalis beneſonantibus, in tympano, & choro, in chordis, & organo*, licet *Pſ.150. 5.* impie illam vituperent Hilarius Tribunitius apud Auguſtinum, Henniciani, & Pe- *S. Aug. li.2. retract. c.11. Pet. Cluniac. in ep. ad Epiſcopos.* trobruſiani apud Cluuiarenſem, qui illos in epiſtola ad vniuerſos Epiſcopos etiam refellit. Iulianus Apoſtata apud hiſtoriam tri- *Hiſt. trip. li.6 c.36.* partitam. Arriani omnes apud Ambroſiū, *Amb. in tract. de tradendis Baſilicis.* qui tamen, vt refert Socrates, Hymnos cantabant: neque enim iſta ad veteris legis cæ- *Socrat. li.6. c.8.* remonias, ad figurandum res futuras inſtitutas, vt contendit VVelef apud Vualdenſē

Vualdenſis to. 3. tit. 2. c. 18. de ſacramentalib.

pertinent; ſed ad colendum pio cultu Deũ, non minus, quam orando genua flectere, pectus tundere, dies feſtos colere, in laudem Dei canere, & ſimiles ritus ſeruare, qui tam Chriſtianis, quam Iudæis ſunt communes.

B

Matt. 26. 30. *Io. 11.* *Act. 16. 24* *Ephe. 5. 15* *Coloſſ. 3. 16.*

Sic Chriſtus, peracta cœna nouiſſima, cecinit hymnum; Beatus Paulus, & Sylas hymnos media nocte decantabant, & quidem clara, & elata voce, cum ab alijs, qui erant in carcere, audirentur. Hortatur idem Beatus Paulus fideles, vt in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus ſe exerceant. Vnde Philo apud Euſebium teſtatur, Apoſtolorum tempore oratoria fuiſſe, in quibus hymni Deo canerentur. Plinius apud Tertullianũ Chriſtianos docet ante lucem hymnos canere conſueuiſſe, & Baſilius ritum canendi toti orienti communem eſſe teſtatur, quem etiam auxiſſe Chryſoſtomum teſtatur Socrates. Sanè, vt Athanaſius ait: *ſicuti animi conceptus verbis prodimus, ita ſpiritualis animæ concentus ſignum eſſe volens Dominus melodiam verborum, pſalmos, vt modulis canerentur inſtituit, & cum huiuſmodi harmonia recitari voluit. ſicut ſcriptum eſt: ſi quis in mœrore eſt, pſallat, ſiquidem quod in anima turbidum eſt, aſperum, & incompoſitum, complanatur, & triſtitia mitigatur nobis pſallentibus.* Quare licet ex parte Dei nullus ſit oris clamor ad preces noſtras audiendas neceſſarius; nam *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare,* & ſcrutator ille eſt renum, & cordium: tamen cum in oratione obſequij cuiuſdam genus exhibeamus Deo, ex parte noſtra ille orandi modus decentior cenſendus eſt, quo maiorem Deo præſtamus famulatum, qualis eſt ille, qui vocem, & cantum adiunctum habet: etenim cum ille, qui clara voce orat, in ſpiritu primum, vt oret neceſſe ſit, quòd nemo ore quicquam proferat, antequam voluntati fuerit ab intellectu propoſitum, & ab eadem electum, executiuisque potentijs, ſiue ſenſibus imperatum: tria enim ſunt, vt teſtis eſt Philoſophus, dominatiua actus, & electionis; intellectus, appetitus, & ſenſus; ſequitur vocali oratione, qua non tantum internis; ſed etiam externis potentijs debitum Deo tribuimus obſequium, nos Deo maximè famulari. Quin & illa noſtra, & audientium deſideria maiori deuotione inflammari, quòd, ſicut idem Philoſophus docet, ea, quæ ſunt in voce, earum, quæ ſunt in animo, paſſionum ſint notæ. Vnde Auguſtinus Deum alloquens: *Quantum*, inquit, *fleui in hymnis, & canticis tuis ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter? voces illæ fluebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat in eis.* Et alibi: *Cum reminiſcor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ in primordijs recuperatæ fidei meæ, magnam huius inſtituti vtilitatem cognoſco.* Quare & Sanctus Thomas docet, cantum in diuinis laudibus merito fuiſſe inſtitutum ad deuotionem in infirmorum animis excitandam, quæ quidem deuotio excitaretur, ſi compoſitores, & cantores illam in ſe ipſis, & in alijs excitatam vellent, non vanum populi applauſum, & pruritum aurium: nec longis vocum interruptionibus, & flexionibus ſancta Eccleſiæ verba ita corrumperent, vt percipi ab auditoribus nequeant, vt in pluribus faciunt. Vide quæ de hac materia ſupra diximus.

Euſeb. hiſt. li. 2. c. 16. & 17. *Tertull. in apolog. c. 2.* *Baſil. ep. 63.* *Socrates li. 6. c. 8.* *Athanaſ. ep. ad Marcelli nũ de interpret. pſalm.*

C

Iacob. 5. 13. *Io. 4. 24.* *Ierem. 17. 10.*

D

Ariſt. Ethic. li. 6. in princ. *Idem Ethic. lib. 6.* *Aug. li. 9. confeſſ. c. 6.*

E

Id. li. 10. c. 33 *S. Tho. 2. 2. q. 91. ar. 1. ad 2. & art. 2.* *Sup. c. 3. v. 13. & c. 6. v. 12. docum. 2.*

VERS. XXIII.

Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, vt ſit regnum eius in ſecula ſeculorum ſuper eam. Amen.

1 *Ob liberationem Ieruſalem, quæ laudes Deo dandæ.*

2 *Eorum, quæ de terrena Ieruſalem dicta ſunt myſtica Doctorum expoſitio.*

1 BENEDICTVS *Dominus.* Arabs: *Benedictus Deus, qui erexit eam, vt ſit regnum ſuum ſuper eam in ſecula ſeculorum.* Hæc ab illis dicenda fore, qui per vicos Ieruſalem alleluia decantaturi erant, docet in ſua noua translatione ex Græco, Vatablus, ita legens; *Omnes viri eius alleluia concinent, & laudes agentes celebrandus Deus inquient, qui eam per omnia ſecula ſublimem conſtituit, vt regno potiatur per omnia ſecula.* Quibus verbis Deum celebrandum Tobias docet, quod Ieruſalem è tantis miſerijs, in quas propter ſua peccata inciderat, nõ modo miſericorditer erexerit, ſed etiam liberaliter regno perpetuo duraturo illam honeſtauerit. *Arabs.* *Vatablus.*

Vt ſit regnum eius in ſecula ſeculorum ſuper eam. Non temporale: nam *princeps prouinciarum* ſæpiſſimè *facta eſt ſub tributo,* & adhuc Barbaris ſubiecta remanet; ſed ſpirituale cæleſtium gratiarum, non ſolum ob redemptionem humani generis, in ipſa perpetratam, ſed etiam ob ſepulchrum Chriſti, quod illam ſuper omnes ciuitates in æternum reddidit glorioſam. *Thren. 1. 1*

2 Illud pro huius capitis coronide hic adijciam: triplicem ponere Doctores Ieruſalem: vnam omnino terrenam, quæ eſt vrbs; alteram omnino cæleſtem, quæ eſt beatorũ domicilium, & triumphans Eccleſia: tertiã quaſi mixtam, ſpiritualem tamen, quæ eſt Eccleſia militans, in terris ſcilicet commorans. Hæc de Ieruſalem à Tobia hoc dicta *Ieruſalẽ triplex, terrena, cæleſtis, & ſpiritualis.*

hic

Serar. hic q. 1

hic cum Carthuſiano intelligenda putat Serarius, non de terreſtri, ſeu cæleſti, vel militanti tantum, ſed de omnibus ſimul, cum cenſeat ille non ſatis in terrenam congruere, quæ verſ. decimotertio dicuntur: *omnes fines terræ adorabunt te*, & quæ verſiculo decimonono: *Liberauit Ieruſalem ciuitatē ſuam à cunctis tribulationibus*. Nec in cæleſtem illa, quæ de ipſius excidio, & reædificatione verſiculo vndecimo, & duodecimo, quod tamen quam verum ſit ſuo loco docuimus: nec inficior accommodari hæc omnia, proportione quadam ſeruata, ſingulis poſſe Ieroſolymis, vel quædam quibuſdam. Sic de terrena ad literam videri poterunt, ſi placet, noſtra de cæleſti, quæ Clemens Alexandrinus ſub finem quarti ſtromatum ſcripſit: de mixta, quæ eſt Eccleſia, vt bene indicatus Serarius monet, viam præit Beatus Paulus, qui ea, quæ de ſterilis fœcunditate, de tabernaculorum dilatatione, deque alijs ſimilibus Iſaias prædixerat, ad Eccleſiam referr. Vnde cum Hieronymo in Iſaiam tanti præceſſoris veſtigia inſequendo, hæc vtique ad illam aptare licebit.

Sup. hoc eod. c. v. 11. ad 23

Serar. h. c. q. 3.

Gal. 4.

Hier. in Iſai. 56.

Sanè in Eccleſia Catholica lucem eſſe maximam docet Iſaias, ad quam veniunt infideles hæretici, & ſchiſmatici, è longinquo, ſunt eius hoſtes maledicti, benedicti amici, ædificatur lapidibus pretioſis fide, ſpe, & charitate, alijſque virtutibus; per vicos eius alleluia cantatur, quia iuxta illud Malachiæ: *Ab ortu Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen Dei in gentibus, dicit Dominus exercituum*. nam vndique apud Catholicos ſacella Deo dicata: vndiq; Sanctorum imagines: vndique proceſſiones, litaniæ, vexilla ſacra, cruces, faces, cantus; vbique benedicitur Domino, qui ſanguine ſuo pretioſo redemit eam, & exaltauit, vt ſit regnum eius ſuper eam in ſecula ſeculorum. At de his plura apud Serarium.

Iſa. 54.

Idem c. 2. 54. 66.

Malach. 1. 11.

Serar. ſuis locis.

Amen. De hac voce plura ſupra diximus.

Sup. c. 9. v. 12 n. 1.

SYNOPSIS CAPITIS XIV.

Tobias ſenior moriturus, completis 102. ætatis ſuæ annis, filium, ac nepotes ad pietatem hortatur, vtque, ſepultis parentibus, è Niniue migrarent, quam euertendam dicit. Et Ieruſalem inſtaurandam, quod filius obſeruans, tandem ad ſoceros reuertitur, ibique, completis nonagintanouem annis, moritur.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

1 ET conſummati ſunt ſermo
nes Tobiæ. Et poſtquam
illuminatus eſt Tobias,
vixit annis quadraginta
duobus, & vidit filios ne-
potum ſuorum.
2 Completis itaque annis centum-
duobus, ſepultus eſt honorifice in Niniue.
3 Quinquaginta nanque & ſex anno-
rum lumen oculorum amiſit, ſexagena-
rius vero recepit.
4 Reliquum vero vitæ ſuæ in gaudio
fuit, & cum bono profectu timoris Dei
perrexit in pace.
5 In hora autem mortis ſuæ vocauit
ad ſe Tobiam filium ſuum, & ſeptem iu-
uenes filios eius, nepotes ſuos, dixitq. eis.
6 Prope erit interitus Niniue; nō enim
excidit verbum Domini: & fratres noſtri
qui diſperſi ſunt à terra Iſrael, reuerten-
tur ad eam.
7 Omnis autem deſerta terra eius re-
plebitur, & domus Dei, quæ in ea incen-
ſa eſt, iterum reædificabitur: ibiq. reuer-
tentur omnes timentes Deum.
8 Et relinquent gentes idola ſua, &
venient in Ieruſalē, & inhabitabunt in ea.
9 Et gaudebunt in ea omnes reges
terræ, adorantes regem Iſrael.
10 Audite ergo filij mei patrem ve-
ſtrum: ſeruite Domino in veritate, & in-
quirite, vt faciatis quæ placita ſunt illi.
11 Et filijs veſtris mandate, vt fa-
ciant iuſtitias, & eleemoſynas, vt ſint me-
mores Dei, & benedicat eū in omni tem-
pore veritate, & in tota virtute ſua.
12 Nunc ergo filij audite me, & no-
lite manere hic; ſed quacunque die ſepe-
lieritis matrem veſtram circa me, in vno
ſepulchro, ex eo dirigite greſſus veſtros,

vt exeatis hinc.
13 Video enim,quia iniquitas eius fi-
nem dabit ei.
14 Factum eſt autem poſt obitũ ma-
tris ſuæ,Tobias abſceſſit ex Niniue cum
vxore ſua, & filijs, & filiorum filijs,& re-
uerſus eſt ad ſoceros ſuos.
15 Inuenitque eos incolumes in ſe-
nectute bona, & curam eorum geſſit, &
ipſe clauſit oculos eorum, & omnem hæ-
reditatem domus Raguelis ipſe percepit,
viditque quintam generationem filios fi-
liorum ſuorum.
16 Et completis annis nonagintano-
uem in timore Domini,cum gaudio ſepe-
lierunt eum.
17 Omnis autem cognatio eius,& om
nis generatio eius in bona vita, & in ſan-
cta conuerſatione permanſit, ita vt acce-
pti eſſent tam Deo, quam hominibus, &
cunctis habitantibus in terra.

VERS. I.

Et conſũmati ſunt ſermones Tobiæ, & poſtquam illuminatus eſt Tobias,vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum ſuorũ.

VERS. II.

Completis itaq. annis centũduobus, ſepultus eſt honorifice in Niniue.

1 *Videre filios nepotum ſuorum quid.*
2 *Interpreti vulgato adhærendũ in cõputatione annorum,vbi variant codices.*
3 *Sepultura, & funus honorificum eſſe debere, & de iuſtis catholicorum.*

VERS. I. *Hebræus.* ET *conſummati ſunt.* Hebræus: *Et iſto tempore ſcripſit Tobias vltima verba hæc in gaudio.* hoc eſt, vt legunt LXX. (LXX.) *Et ceſſauit confitens Tobit.* (*Arabs.*) Arabs: *Et completus eſt ſermo Tobiæ*, cantici nimirum ſui gratulatorij. Sic Vatablus. (*Vatablus.*) *Atque hic*, legit, *finem fecit Tobias gratulandi.*

(*Iſa.55.8.*) *Et poſtquam illuminatus eſt, &c.* En, vt Iſaias loquitur, quantum diſtent cogitationes Dei à cogitationibus noſtris. Cogitauerat Tobias, quando lumen oculorum amiſit, vt ſuperius vidimus, (*Sup.c.4. v.1.*) propediem ſe moriturum: cogitauerat Dominus, vt hic in litera patet, longitudine illum adimplere dierum, vt videret filios nepotum ſuorũ.

(*Arabs.*) *Vixit annis quadraginta duobus.* Arabs: Et *poſtquam recuperauit viſum vixit annis quadraginta duobus.*

1 *Et vidit filios nepotum ſuorum.* Iucundiſſimo ſcilicet filiorum nepotum ſuorum aſpectu conſolatus eſt: nam ſicuti videre bona in ſacris literis, eſt bonis frui, vt apud Pſaltem: (*Pſ.4.6.*) *Quis oſtendit nobis bona?* vbi Hebræus. *Quis videre faciet bona?* Ideſt quis fruenda dabit bona? Et apud Ieremiã; (*Ierem.17.6.*) *Nõ videbit, cum venerit bonum*,ideſt, vt cõmuniter expoſitores, nõ fruetur bono fertilitatis;ita videre filios eſt illorũ frui præſentia, & aſpectu: nam cum verbum videndi cognitionem oculis, aut animo conceptum ſignificet, certe etiam illam denotat, quæ ſenſu quodam concipitur,& experientia.

2 *Completis itaq; &c.* LXX. *Erat autem annorum centum quinquaginta octo.* (VERS. II. LXX.) Arabs, (*Arabs.*) cui adſtipulatur magiſter hiſtoriæ ſcholaſticæ; *Et completi ſunt anni eius centum, & duodecim.* Verũ,vt fuſe docuimus in noſtro de ſacra ſcriptura commentario, in his variarum lectionum contradictionibus, vulgatæ latinæ ſemper eſt adhærendum, vtpote à ſacro Tridentino Concilio approbatæ: nam ſæpiſſime in cõputatione annorum à noſtra vulgata Græcos codices variare non eſt qui non videat, & quidem eorum vitio, qui eos primo tranſcripſerunt, vt enim obſeruant Auguſtinus, Hieronymus notis numerorũ (*Aug. lib. 15. de ciuit. Dei. c.3. Hier.lib. Hebraic.quæſt.ſuper Gen.*) Græci cum ſcribant, facile peruerti potuerunt, non tamen Hebræi, & Chaldæi codices, ex quibus noſtra vulgata, quod propria ipſorum numerorum nomina in eorum computatione adhibeant. Adſtipulatur tamen noſtro vulgato Syrus, (*Syrus.*) qui ſic habet: *Tobit ſenuerat cum pace,et mortuus eſt filius centum,& duorum annorum.*

3 *Sepultus eſt honorifice.* Hoc eſt, cum illo, quo decebat honore: pompa funeris, & exequiarum frequentia. Et quidẽ à filio, quo pacto in Geneſi legimus Iſaac,& Iſmaël (*Gen. 25. 50.*) patrem ſepelijſſe defunctum: Eſau, & Iacob patrem item Iſaac:Iſaac patrem Iacob. Congruit enim, vt filij, atque ſubditi patrum, ac maiorum ſuorum cadaueribibus, qua decet pompa,iuſta perſoluant.Et primo ad beneuolentiam declarandam, qua illos viuentes fuerũt proſequuti: deinde ad ſpem reſurrectionis profitendam, quam exſuſcitant, & coemeterij nomen ipſum, & piæ viuorum precationes,atque funalia: Tertio vt ex aliena morte fructum, & documentum capiamus, & de noſtra aliquando futura monitionem: Et demum ad rationalem ipſam animam, vt docet Origenes, honorandam, (*Orig.lib.5.& 8.contra Celſum.*) quæ corpori vnita fuerat, eſtque iterum vnienda. Hinc pompæ illæ funebres, cum

Cic. 2. de or. Halicarn. lib 7. & 9. Plut in Fabio.& in Druſo. Polib. lib.6. Suet.inTibur. Hier.li. 1. ep. 25. ad Paulā de obitu Bleſillæ.

quibus per forum Romani inducebant funera indictiua, ſeu publica, &.quæ pro roſtris collocata laudabantur, de quibus Cicero, Halicarnaſſæus, & alij: Et noſtrorum non ſolum frequentes orationes, & ſermones ſāctorum funebres Baſilij, Chryſoſtomi, Ambroſij,& aliorum catholicorum: ſed etiā pompæ aliæ, de quibus Hieronymus ait: *Moyſem, & Aaron, quod eis ex veteri more ſit planctus exhibitus, non mirandum eſt, cum & in actis Apoſtolorum, iam euangelio coruſcāte Stephano fecerint Ieroſolyma fratres planctum magnum, & quidem planctum magnum, non plangentium exanimatione, vt tu putas, ſed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus eſt.* Et poſtea loquens de ſepultura Iacob in illis verbis: *Et planxerunt eum planctu magno, & forti nimis; planctus*, ait, *iste ſolemnis, non longas Aegyptijs imperat lacrymas; ſed funeris monſtrat ornatum*, propter quem,

Euſeb. lib.7. c. 17. Tertull. in apolog. aduer. gen. c. 42. Prudent. in hymn.

vt narrat Euſebius, claudunt item noſtri defunctorum oculos, obturant ora,& vt docet Tertullianus, lauabis corpora, & vt Prudentius.

Aſperſaq. mirrha, ſabao.
Corpus medicamine ſeruant,

illudq. linteo, vt idem docet, inuoluunt.

Candore nitentia claro.
Prætendere lintea mos eſt,

Cypr. ſer. de mort. corp.

quia, vt docet Cyprianus, qui in Domino moriuntur, ſequuntur agnum ſtola gloriæ, & alba innocentiæ cataclista ornati, tumque ad ſignificandum animam viuere, defunctos lucis filios, eorumq. corpora reſurrectura funus cum funalibus deferunt, &

Virg. lib. 11. Aenead.

de more vetuſto
lucet via longo
Ordine flāmarū, et late diſcriminat agros:

Chryſ. hom 4 in c.2. ad Hebr. Orig. in c. 3. Iob.

lampadibus, vt dicit Chryſoſtomus, ſicut Athletas mortuos comitentur, & hymnis Deum glorificant, &, vt ait Origenes: *Fideles cum clero inuitant, ne dum ſacerdotes, & religoſos, ſed & egenos, & pauperes*, quomodo præcipue honorifice ſepeliri defunctos idem docet Chryſoſtomus, vbi ait: *vis mortuum honorare? fac eleemoſynas.*

Chryſ. ho.61. in Io.

Sup. in c.8 v. 13. De Niniue c. 1.v.11. De ſepult. defunct.c.2.v.9

In Niniue. Siue intra, ſiue extra ciuitatem incertum. conſueuiſſe Hebræos, vt etiam aliquando exteros, ſepelire mortuos extra vrbes, iam diximus.

Quòd hora mortis omnibus incerta ſit, deque vtili eius conſideratione.

DOCVMENTVM.

A

ILLVD hic conſiderare placet, quod prudenter à muliere dictum eſt Thecuite, *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur ſuper terram.* En Tobiam, qui centum vixit, & duobus annis, tandem ſepultum in Niniue: morimur ſenes, morimur iuuenes, & morimur ſemper, dum viuimus: *Et tunc tantum*, vt ait Innocentius, *deſinimus mori, cum deſinimus viuere.* Quare & magnus Gregorius; *Temporalis*, inquit, *vita, mors eſt potius dicenda, quam vita: ipſe enim quotidianus defectus corruptionis, quid eſt aliud, quam quædam prolixitas mortis?* Vnde merito alibi vitam noſtram nauiganti comparat, qui ſtet licet, & ſedeat, & dormiat, ſemper tamen ad portum tendit; etenim cum homo mixtum animatum ſit ex contrarijs conſtitutū, vt morti, et corruptioni ſubiaceat neceſſe eſt: nam quemadmodum lampas accenſa, dum contrarijs alitur nutrimētis, ſicco ſcilicet igne, & humido liquore per propriam abſumitur actionem; ſic ille deficit, dum contrariis abſumitur qualitatibus. Hinc optime Græcus ille poëta apud Ficinum cecinit.

Innoc. li. 1. de miſer. cond. hum. Greg. hom. 37 in Euang.

Idem in registro.

B

Ficin. li. 1. ep. ad Hier. Paſchaſium.

Fallimur, & cæci mortem procul eſſe putamus:
Illa tamen medio corpore clauſa iacet.
Quandoquidem ex illa, qua primum naſcimur hora,
In vita iuncto mors comes atra pede.
Partē aliquā vitæ ſemper furatur, & ipſā.
Diminuit vitam qualibet hora tuam.
Et morimur ſenſim, & momento extinguimur vno,
Non ſecus ac lampas deficiente oleo.
Quin nunc ah miſeri, dum loquimur, morimur.

C

Quam ſane continuam mortem ſibi, & toti poſteritatis promeritus Adam fuit, dum præcipienti Deo, & comminanti: *In quacunque hora comedes, ex ea*, arbore ſcilicet vetita, *morte morieris*, parere recuſauit: etenim tunc primum qui gratia incorruptibilis erat, à gratia derelictus mori occœpit: nam, teste Gregorio: *corpus Adæ in eodem ſtatu permanſiſſet, niſi ipſe peccaſſet: non enim paulatim fuiſſet diſſolutum, aut vitiatum, aut ad mortem delapſum: ſed poſt peccatū cœpit paulatim diſſolui, & corrumpi, & ad interitum fluere, & ex eo tempore mors ei cœpit dominari.* At non modo quotidie morimur; ſed etiam, vt mulier Thecuitis dixit, *ſicut aqua labimur*, quia, vt bene obſeruat Procopius, ſicut aqua ſemel profuſa recolligi nullatenus poteſt; ita nec hominis vitæ momenta ſemel dilapſa; nam fugit irreuocabile tēpus. O nos beatos, ſi hæc frequenter animo reuolueremus; nam *nihil*, vt ait Auguſtinus, *ſic reuocat hominem à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio*; nihil ſic homines ad bonum ſollicitat, vt mortis memoria. Habent ſingula peccata ſuum proprium medicamentum: ſuperbia humilitatem: Auaritia liberalitatem: luxuria ieiunium, & orationem, &c. At mortis meditatio omnibus penè medetur mor-

Greg. hom. 37 in Euang.

Procopius in 2. lib. Reg.

D

S. Aug. li. 2. de Gen. con Manichaos.

bis:

bis:vnde dicere de illa quiſque poteſt, quod dixit Dauid de gladio Goliath: *Non eſt ei alter ſimilis,da mihi eum.* Sic negligens quidam monachus, vt refert Climacus, ad tribunal ſupremi iudicis moriens raptus, & inde ad vitam miraculoſe, ſic diuina diſponente prouidentia reuocatus, quid vidiſſet, non verbis, quod nollet, vel nequiret; ſed factis apertiſſime docuit:nam primũ, cellæ ſuæ aditu lapidibus obſtructo, ita ſuo anguſtiſſimo cubiculo deinde incluſus ſemper lacrymans per duodecim annos, quibus poſtea vixit, permanſit, vt vix ſe mouere poſſet, animo ſemper, & mente quæ viderat ita reuoluens, vt quaſi ſtupidus oculos nunquam ab eo loco remouerit, in quem primo illos coniecerat; vnde moriens de ratione mutatæ vitæ reddenda rogatus: *indulgete mihi,* ait, *nemo memoriã mortis habens poterit peccare.* Quod & Sapiens docet, dum ait: *in omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* In omnibus, ait, operibus tuis, nõ in aliquibus tantũ, vt multi faciunt, qui de morte licet aliquando cogitent; tamen peccant, quod nõ in omnibus operibus ſuis de illa cogitant. Sic fertur Alexander Papa neſcioquis, flagitoſum quempiam militem, qui omnem peccati multam, quæ illi catholico ritu in confeſſione proponebatur, reſpuebat, ad veram poenitẽtiam adduxiſſe, multæ loco annlum ſuum digito geſtandum tradens, ea lege, vt quoties eum ille intueretur, toties de morte cogitaret, quod cum ille datum accepiſſet, & legem; tali cogitatione cõpunctus, non poſt multos dies ad Papam reuerſus, quiduis ſe perferre, & pati velle pro ſuis criminibus dixit. Et certe ſi leuis ſuſpicio iacturæ alicuius, vel facultatum, vel honoris tantum apud nos valet, vt ſomnũ ſæpenumero præ ſollicitudine auferat, quid mortis certiſſimæ conſideratio non faceret? ſed plura de hac materia ſupra.

1.Reg. 21. 9.
Climacus in ſcala grad. ſen.c. 6.
E
Eccli.7. 4.
F
Alexandri Papæ factũ.
G
Sup.c.8.v.14

VERS. III.

Quinquaginta nanque, & ſex annorum lumen oculorum amiſit; ſexagenarius vero recepit.

VERS. IV.

Reliquum vero vitæ ſuæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.

1 *Quot annis vixerit cæcus Tobias.*
2 *In pace procedere quid, & qui mori dicantur in pace.*
3 *De Tobiæ imagine.*

VERS.III.

1 QVINQVAGINTA *nanque, & ſex annorum.* Variant in hoc, ſicut in ſuperiore verſiculo alij codices in annorũ cõputatione: nam LXX. ſic legunt: *Et erat annorum quinquaginta octo, quando amiſit viſũ, & poſt annos octo recuperauit viſum.* Syrus: *Cum eſſet filius octuaginta annorum, obcæcatus eſt, & ſeptem annis vixit in cæcitate ſua, & cum reuerſus eſſet, & dediſſet ei Deus lumen, & aperti ſunt oculi eius, vixit etiam annos triginta ſeptem.*

Verum, vt ſupra diximus, vulgatæ noſtræ ſemper adhærendum, cui etiam hic adſtipulatur Arabs, his verbis: *Quando priuatus eſt lumine amborum oculorum, ipſe erat filius quinquaginta ſex annorum.* Ex quo patet Tobiam quatuor tantũ in cæcitate fuiſſe annos.

Reliquum vero vita ſua. Hoc eſt à ſexageſimo anno ſuæ ætatis, quo viſum recepit, vſque ad centeſimum ſecundum, quo diem extremum clauſit, proſpera illi cuncta ceſſerunt, ſemperque in gaudio fuit, nam vult Deus bonos aliquando florere, & in pace viuere.

Et cum bono profectu timoris Dei. Arabs: *Cum felicitate optima, & timore Dei,* hoc eſt cautiori ſemper, & ſollicitiori ſollicitudine, non modo curando, ne quem diligebat, Dominum offenderet; ſed quomodo ſemper in eius via proficeret.

2 *Perrexit in pace.* Morte nimirum placida, & quieta plenus dierum bonorum; nam certe pax epilogus quidam eſt omnium bonorum, totius felicitatis, ac proſperitatis origo: vnde in Exodo, vbi noſtra vulgata legit: Abſque *me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni,* legit Hebræus: *abſque me reſpondebit pacem.* Et vbi ſacræ literæ narrant, quæ ſuiſſe Dauid ab Vria, quam recte ageret Ioab, & populus, & quomodo adminiſtraret bellũ, Hebræus itẽ legit: *rogauit de pace Ioab, & de pace populi, & de pace belli:* nũ ſcilicet hæc omnia ceſſiſſent proſpere. Hoc ſenſu *in pace mortui* dicuntur Abraham, Iſaac, & alij quãplurimi perfecti viri, qui bene cum vixerint, lucrũ maximum cum B. Paulo computabant, iam ſeculi laqueis moriẽtes non teneri, iam nullis peccatis, ac vitijs carnis obnoxios eſſe: non ſic impij, non ſic; ſed morientes triſtantur, nec in pace decedere queunt, quod facinoroſam cũ duxerint vitã, grauibuſque inquinatã ſceleribus, in morte æternis ſe ſupplicijs adiudicandos norint, perinde ac latrocinii reus, qui horrendo clauſus ergaſtulo, ac vinculis conſtrictus, dum capitis ſui cauſam agi cognoſcit, tremit, & maiore adhuc premitur angore animi, cum carcere educitur, vt iudicum ſiſtatur conſpectui, audiatque coram proferri in caput ſuũ ſententiam, quod furcæ debeat appendi, aut obtruncari gladio: Sed plura de hac re ſupra.

3 Mortuus vero eſt Tobias in Niniue, *Vbi,* ait Iſidorus *iacet ſepultus in pace.* Eius imago ante annos mille & ducentos, vt ob-

LXX.
Syrus.
Sup.v.præced.
Arabs.
IV.
Arabs.
Gen.41.16
2.Reg.11.7.
Gen.15.15
4.Reg.22.
Mors peccatoribus terribilis.
Sup.in c.3.v.2.doc.1.& v.15.docum.2. & ſid.li.de vit. & mor. Sanctorum.

ſer-

Serar. hic 9 5

ſeruat Serarius, in Eccleſiis cū Sancto Iob, vt duo exempla patientiæ præclariſſima eſſent, depingi conſueuit quemadmodum hiſce verſibus Natali Decimo Sanctus Paulinus ſcribit: Porticus enim,

Quæ ſunt dextra læuaque patentes,
Binis hiſtorijs ornat pictura fidelis.
Vna Sanctorū cōplet ſacra geſta uirorū,
Iob, qui vulneribus tētatus, lumineTobit.
Aſt aliam ſexus minor obtinet inclita Iudith,
Qua Simul & regina potens depingitur Eſther.

Quòd progrediendum ſemper ſit de virtute in virtutem.

DOCVMENTVM.

A

DISCE cum bono profectu timoris Dei viuere, ſi moriens pergere cum Tobia in pace deſideras: etenim, vt teſtis eſt Hieronymus: *tandiu non relabitur retro, quandiu ad priora contendimus: at vbi cœperimus ſtare, deſcendimus, noſtrumque non progredi reuerti eſt, ſi volumus non redire, currendum eſt.* Quare Bernardus: *Non vis ergo proficere? non. vis ergo deficere? nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, viuere volo, & manere in quo perueni, nec peior fieri patior, nec melior curo. Hoc ergo vis, quod eſſe non poteſt. Quid enim ſtat in hoc ſeculo?*

Hier. ep. 123. ad Demetr. Virg.

Bern. ep. 251.

Nihil in mūdo ſtabile præter Deū.

Sanè nihil in mundo ſtabile reperitur, præter ipſum Deum, apud quem, vt B. Iacobus ait, *non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*: nam *Omnes*, ait Pſaltes, *ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Quin & ipſe Chriſtus in terras veniēs: *Exultauit*, ait idem, *vt gigas ad currendam viā.* Quare ſi, Chriſto currente, tu gradum ſiſtis, neceſſe eſt, vt elongeris ab illo: nullus in ſcala Iacob reſidens, nullus ſubſiſtens apparuit; ſed vel aſcendentes, vel deſcendentes Angeli, vt intelligas inter profectum, & defectum in hoc ſtatu mortalis vitę, nihil inueniri medium; ſed quomodo corpore homo ſemper aut creſcit, aut decreſcit; ita & in ſpiritu proficiendum ſemper illi eſt aut deficiendum. Quare Chryſoſtomus: *hoc ipſum non feciſſe bonum*, ait, *nihil eſt aliud, quam feciſſe malum.* Exemplum dat ſerui, & agricolæ, quos ſi habueris non fures, non ebrios, non contumaces; ſed ſobrios, modeſtos, & omni flagitio vacuos; manus tamen ſub pallio tenentes, & quotidie ſedentes otioſos domi, nihilque eorum efficientes, quæ ſuo ipſorum muneri incumbunt, flagellas, tormentiſque afficis, ac ſi contumaces eſſent, quòd ipſum hoc nihil boni feciſſe malum iudices: & quidem meritò, quod ille vere deficiat, qui ſuo muneri non facit ſatis. Quam veritatem optimis etiam rationibus Sanctus Thomas oſtendit: nam, vt ille docet, omnis virtus ſiue acquiſita, ſiue infuſa ſit, operum ceſſatione decreſcit. Et quidem acquiſita, vel quòd ipſa corruptibilis ſit, & ipſa ſua infirmitate deficiens, vnde ſi non excolitur, temporis lapſu veteraſcit, deleturque, ſicut ſcientia obliuione, & ſicut amicitia defectu communicationis: vel quia ceſſante eius exercitatione, contrariæ inſurgunt paſſiones, & oppoſiti actus, & deſideria pullulaſcunt, qui dum in virtutem, præſidio actuum deſtitutam irruunt, illam minuunt, & funditus aliquando deſtruunt. Hinc Gregorius: *Admonendi, ait, ſunt, qui inchoata bona minimè conſeruant, vt cauta circumſpectione conſiderent, quia dum propoſita non perficiunt, etiam quod fuerint cœpta conuellunt; ſi enim quod videtur gerendum ſollicita intentione non creſcit, etiam quod fuerat bene geſtum decreſcit. In hoc quippe mundo humana anima, quaſi more nauis eſt contra ictum fluminis condeſcendentis, quæ vno in loco nequaquam ſtare permittitur, quia ad ima relabitur, niſi ad ſumma conetur.* Infuſam etiam virtutem operum ceſſatione deficere patet, non ſolum ex eo, quod peccata leuia ad charitatis, ſpei, ac fidei interitum, corruptionemque diſponunt; ſed etiam ex eo, quod otioſa dum manet, contra illam etiam inordinati renaſcuntur affectus, & vitia, quæ licet eam non tollant; ſui tamen augmento infirmiorem illam efficiunt. Sic exercitus ſine vlla ſuorum militum imminutione ſolo augmento contrarij euadit infirmior, & dux captiuus, hoſtili carcere, & catenis alligatus, licet fortiſſimus in ſe ipſo ſit, nec vires ſuas amiſerit; quia tamen nequit ſe liberare, exteriorum impedimentorum comparatione infirmior eſt cenſendus, ita gradus licet ſuæ perfectionis per venialia charitas, aliæque infuſæ virtutes non amittant; affectibus tamen & paſſionibus alligatę, haud facile ſicut antea ſtudijs perfectionis incumbunt, vel hoſtes ſuperant.

Iacob. 1. 17.

Pſ. 101. 27 28. & pſ. 18. 6

B

Chryſ. to. 5 homil. de virt. & vit. circ. fin.

C

Virtutis habitus actuū ceſſatione minuitur. S. Tho. 1. 2. q. 53. art. 3. & 2. 2. q. 2. art. 10.

D

Greg. 3 p. cur. paſt. ad. 11.

E

F

Quare curandum eſt, vt quotidie cum Dei timore cum Tobia proficiamus, ſi deficere nolumus, & ſine pace mori. *Qui iuſtus eſt*, ait Beatus Ioannes, *iuſtificetur adhuc.* Et Beatus Paulus: *Fratres*, ait, *ego me non arbitror comprehendiſſe, ſed quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea, quæ ſunt priora, extendens me ipſum, perſequor ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* vbi Stadrionomo ſe aſſimilat, qui dum in ſtadio currit, non quantum ſtadij tranſ-

Apoc. 22. 11.

Philipp. 3. 13. & 14.

mi-

miſerit reſpectat; ſed quantum ſuperſit ad metam, eoque toto conatu, & impetu, & curſu recto fertur: ita ego, inquit, præteriti curſus mei oblitus, totus in metam feror, & quid egerim non aſpicio; ſed quid agendum ſuperſit, talibus ſe ipſum ad profectum in Dei timore prouocans. Primo ſibi perſuadendo, non dum perfectionem ſe adeptum eſſe: nam qui ſe putat perfectum, quaſi de meta ſecurus, nec progredi, nec
G
Aug. ſer. 10. de temp.
proficere quærit. Quare, vt Auguſtinus: *Iſta eſt perfectio hominis inueniſſe ſe non eſſe perfectum*. Deinde etiam obliuione præteritorum, & conſideratione eorum, quæ ſibi deerant: nam *quicunque ſanctus*,
Hier. in pſ. 81
ait Hieronimus, *quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliuiſcitur*. & infra. *Felix eſt qui quotidie proficit, qui non conſiderat, quid heri fecerit; ſed quid hodie faciat, vt proficiat*.

Gre. li. 22. moral. c. 5.
Sunt enim nonnulli, vt optimè Sanctus Gregorius docet, qui, cum bona aliqua faciunt iniquitatum ſuarum protinus obliuiſcuntur, cordiſque oculum in conſideratione bonorum operum, quæ exhibent, figunt, quos ægroto ſimiles dicit, qui vbi molliter iaceat, ſeque ipſum à calore febris refrigeret, ſemper quæritat: nam dum in conſideratione ſuorum malorum laborare metuũt;
H
quaſi quędam ſtrata delectationis in anima, vbi molliter iaceant, requirunt, atque idcirco, quæ de peractis bonis commoda ſint aſſecuti intelligunt; ſed quæ damna de neglectis patiantur neſciunt. Hi ſanè prius de malis ſuis mœrerent, quam de imperfectis bonis exultarent, ſi iudicis diſtrictionem vigilanter attenderent, neque abſolutum eſſe debitorem, qui multa; ſed qui omnia reddit; nec ad brauium victoriæ peruenire, qui in magna parte ſpectaculi velociter currit; ſed qui etiam attingit.
Idẽ vbi ſup.
Quare, ait ille, *more viatorum nequaquam debemus aſpicere, quantum iam iter egimus; ſed quantum ſupereſt, vt peragamus, vt pauliſper fiat præteritum, quod indeſinenter, ac timidè adhuc attendimus futurum. Amplius igitur debemus inſpicere, quæ bona, nec dũ fecimus, quàm ea, quæ iam nos feciſſe gaudemus.*
I
VV. PP.
Sic ſenior ille in vitis Sanctorum Patrum, rogatus quid perfectionis ſtudioſo agendũ eſſet: reſpondit: eum imitari canes venaticos, qui leporem velociſſimè tanto conatu perſequũtur, vt nec vepres, nec ſaxa obuia ſentiant, donec leporem habeant. Sic requiſitus S.
Theodoret. in Philotheo.
Marcianus Anachoreta, vt narrat Theodoretus, a quodam venatore, in quem forte inciderat, quid rerum in Eremo ſolus, & otioſus ageret; vice verſa quæſiuit; quid verò tu agis. cui ille: ego ceruos, & lepores venor.
Marciani mirabile de ſolitudine reſponſum.
Tunc Marcianus: *Et ego*, inquit, *Deum meum hic venor, nec ceſſabo ab hac pulchra venatione, donec eum apprehendero.*

VERS. V.

In hora autem mortis ſuæ vocauit ad ſe Tobiam filium ſuum, & ſeptem iuuenes filios eius, nepotes ſuos, dixitque eis.

1 *Hora mortis pro tempore.*
2 *Patrum monita filijs mortis tẽpore data.*

Syrus. Arabs.
1 I*N hora autem mortis ſuæ.* Syrus: *Cum moreretur*. Arabs: *Et in tempore mortis ſuæ*. Appropinquante ſcilicet hora mortis, dum adhuc vegetus eſſet ſenſibus.

2 *Vocauit ad ſe Tobiam, &c.* Vt eos de futuris præmoneret, ſimulque de optima viuendi ratione moneret. Etenim cum monita in hora mortis filijs, ac nepotibus data altius in cordibus ipſorum impreſſa remaneant; illa conſueuere, vt ſupra docuimus, pij parentes tunc maximè pia, ac ſancta tradere; illis bene precari, & interdum, vt nunc Tobias, futura prædicere, vt Moyſes, Ioſue, Dauid in veteri teſtamento. Antonius item apud Athanaſiũ diſceſſurus in cælum ſuis diſcipulis vitæ monita dedit. Dominicus apud Gonzalez ſui Ordinis fratres ad innocentiam, integritatem, & charitatem incitauit. Franciſcus apud Bonauenturam ſpiritum Deo reddens, ſalutis admonitiones ſuis filijs ingeſſit, & ſanctæ fidei Romanæ cuſtodiam, ac reuerentiam præcepit. Quid? Ethnicus ipſe Cyrus apud Xenophontem, moriens filio iuſtitiam, & ęquitatem voluit commendatam. Sed mira, & æternæ memoriæ digna illa ſunt monita, quæ moriens Sanctus Ludouicus rex, Philippo primogenito filio propoſuit, de quibus Robertus Gaguinus, & refert ex manuſcriptis codicibus Buſæus, quæ huc transferre opere pretium duxi. Sunt enim hæc.

Sap. c. 4. v. 21 in docum.
Moyſes in Deut. c. 31 & ſeq.
Ioſue hiſt. c. vlt.
Dauid 3. Reg. 2.
Athanaſ. in vit. S. Ant.
Gonzalez. in hiſt. Prædicat.
Bonau. in vita S. Frãciſci.
Cyrus apud Xenophontẽ.
Robert. Gaguinus lib. 7. de geſt. Francor.
Buſæus lib. de ſtatib. verbo 1 morientium ſtatus.

Inſtitutiones ſanctiſſimæ Philippo primogenito à Sancto Ludouico Rege ſub mortem propoſitæ.

Fili mi, ante omnia in eam curam incumbe, vt diligas Deum; nemo enim poteſt eſſe ſaluus, niſi Deum amet.

Caue ne vnquam admittas peccatum mortiferum; ſed omnia potius ferre velis genera tormentorum, quam aliquam talem perpetrare culpam.

Cum aduerſa accidunt, feras æquo animo, & cogites te commeruiſſe, atque ita lucrum tibi inde accidet.

Cum rebus proſperis frueris, humiliter agas gratias Deo, ne inde elatus efficiaris deterior, vnde te oportuit fieri meliorem.

Crebro confitearis peccata tua, deligaſq.

tibi ſapientes confeſſarios, qui te poſſint inſtituere, & docere, quid agere, quid vitare te oporteat, & coram illis ita te compares, vt audeant ſincere te reprehendere, & vitia tua indicare tibi.

Officium diuinum deuotè auſcultes; fac eſſent ibi fabulæ, & nugæ, nec oculi huc, atque illuc circunferantur; ſed oret Deum ore, & etiam meditando corde, idque præcipuè ſub ſacrificio poſt peractam conſecrationem.

Animo ſis pio, & humano erga pauperes, & calamitoſos homines, illisque pro viribus opituleris.

Si quid angat animum, id mox explices confeſſario tuo, aut alicui viro bono, ita fiet, vt facilius id feras.

Da operam, vt quorum vteris conſuetudine, & familiaritate, ij ſint homines probi, & integri, ſiue religioſi illi ſint, ſiue ſeculares, & cum illis libenter miſce colloquia: porro nequam, & improborum virorum commercia deuita.

Sermones, qui fiunt de Deo publicè, & priuatim libenter audias, preces quoque, & condonationes, ſiue indulgentias ſtudioſe expetas.

Amato bonum, odito malum omne.

Vbicunque fueris, nemo auſus ſit quicquam eiuſmodi te præſente loqui, quod alliciat ad mortiferum peccatum, aut alterius famæ deroget, nec vnquam tu de vllo male loquaris obtrectandi animo.

Non patiaris quemquam, te audiente, peruerſè de Deo, aut Sanctis eius loqui, nec id ſinas impune abire.

Crebro gratias agas Deo pro bonis omnibus ab illo collatis, vt dignus fias potioribus eius beneficijs affici, & augeri.

In adminiſtranda iuſtitia ſis rectus, & ſeuerus, & ita vt leges præſcribunt eam exerceas erga ſubditos, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram deflectens, pauperumque querimonias non reijcias, donec veritas innoteſcat.

Si quis habeat aduerſum te querelam, aut controuerſiam, ſemper ab illo ſtes contra te ipſum, donec rem certam comperias: ita enim fiet, vt conſiliarij tui fidentius iuſtam ferant ſententiam.

Si quid poſſideas rei alienæ, etiam ſi id acceperis à maioribus tuis, incunctanter reſtituas iuſto poſſeſſori, vbi certo id tibi conſtiterit. Sin autem dubia res eſt, cura, vt viri ſapientes accuratè, & ſine mora inquirant: id enim uel maximè ſtudere debes, vt qui ſunt in ditione tua, pace, & iuſtitia fruantur, in primis homines religioſi, & qui in clero ſunt.

Parentibus tuis debes amorem, reuerentiam, & obedientiam. Beneficia Eccleſiaſtica non conferas niſi benè dignis, & qui nulla beneficia eiuſmodi habeant, idque in conſilio bonorum virorum.

Bellum, præſertim aduerſus quemlibet Chriſtianum, ſine multo conſilio vide ne ſuſcipias; ſi neceſſitas cogat ſuſcipere, Eccleſias, & inſontes nullo patiaris damno affici.

Si qua exiſtat, vel tibi, vel ſubditis tuis contentio, vel bellum, quoad poteris ſedare coneris.

Vide, vt bonos habeas prætores, & magiſtratus, & de illis ſolerter inquiras vti ſe gerant.

Semper ſis addictus, & deuotus Romanæ Eccleſiæ, & eius Pontifici haud ſecus, atque ſpirituali Patri morigerū te præbeas.

Da operam, vt impenſæ tuæ moderatæ ſint, & rationi conſentaneæ.

Sub finem hortor, & adiuro te fili mi, ſi me contigerit ante te migrare ex hac vita, vt toto regno Franciæ pro anima mea cures offerri Deo preces, & Miſſæ ſacrificia.

Ad extremum, fili chariſſime, quicquid poteſt boni bonus, & pius pater precari filio ſuo, id ego precor tibi. Sacroſancta Trinitas, & Sancti omnes ſeruent te ab omni malo, præſtetque tibi Deus gratiam rectè ſemper agendi, & ipſius voluntatem faciendi, ita vt ille per te honoretur, & nos poſſimus poſt hanc vitam pariter eſſe cum illo, eumque contemplari, & laudare per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Sic Tobias noſter prophetico actus ſpiritu, non quidem naturali, à quo agi morientes, aliquando ſolitos eſſe docet Gregorius, qualisque ſit Sanctus Thomas declarat; ſed diuino, & ſupernaturali, quos ad ſe venire fecerat filios, & nepotes, de Niniuis primum propediem futura deuaſtatione, poſt annos ſcilicet quadraginta ſex illos admonuit, vt ex illa recederent.

Greg. li. 4. dialog. c. 25. S. Tho. 2. 2. q. 172. ar. 1.

VERS. VI.

Propè eſt interitus Niniue, non enim excidit verbum Domini, & fratres noſtri, qui diſperſi ſunt à terra Iſrael, reuertentur ad eam.

VERS. VII.

Omnis autem deſerta terra eius replebitur, & domus Dei, quæ in ea incenſa eſt, reædificabitur, ibique reuertentur omnes timentes Deum.

VERS. VIII.

Et relinquent gentes idola ſua, & venient in Ieruſalem, & inhabitabunt in ea.

VERS. IX.

Et gaudebunt in ea omnes reges terræ adorantes regem Iſrael.

1 *Interitus Niniue à Iona prædictus conditione appoſita.*
2 *Incertum quo tempore contigerit.*
3 *E captiuitate quæ tribus redierint.*
4 *Prophetia Tobiæ de reſtauranda Ieroſolyma.*

VERS.VI. PROPE *eſt interitus Niniue*. Quem ſcilicet iam olim ante cẽtum annos Ionas prædixerat tempore Oziæ regis. LXX. Sic LXX. *Abi*, legunt, *in Media, fili mi, quoniam credidi quæcunq; locutus eſt Ionas propheta de Niniue, quia ſubuertetur*. Et inferius: *Et nunc exeede fili mi è Niniue, quia omnino erunt, quæ locutus eſt propheta Ionas*. Prædixerat hanc eandem Niniuis ſubnerſionem Nahnm; ſed poſt adductum in captiuitatem Tobiam.

Non enim exeidet verbum Domini. Fuerat, vt hic Serarius, Ionæ prophetia non abſolnta: ſed cum conditione, *niſi pœnitentiã agerent*. & per veniam à Deo propter pœnitentiam vrbi data eſt ſalus, etiam cum conditione, *ſi in pœnitentia, & emendatione ſcelerum perſtitiſſent*. Idcirco cum in priſtina relapſi eſſent ſcelera, benè dicit Tobias iuxta Ionæ prophetiam, illos eſſe delendos. Hinc Hieronymus: *Ad Ionæ*, inquit, *prædicationem acta pœnitentia veniã conſequuti erant Niniuitæ, poſtea vero in priſtinis vitijs perſeuerantes Dei in ſe prouocauerunt ſententiam*.

Serar. hic q. 2
Hier. prologo in Ionam.

2 A quo verò euerſa poſtea Niniues, & quãdo apud ſcriptores incertum. Nam Ioſephus à Medis, & Chaldęis illã enerſam fuiſſe docet: Beda, & Oroſius ab Arbace Medo, & Beleſo Satrapa Babyloniæ: Cedrenus à Perſeo Iouis, & Danaes filio. Reinecius à Merodoab, Herodotus à Cyaxare Medo; ſed Græcus textus in huius capitis fine, manifeſtè à Nabuchodonoſore, & Aſſuero euerſam docet. *Niniuem*, inquiens, *cœpit, ſub iugumque miſit Nabuchodonoſor, & Aſſuerus*. Illi adſtipulatur Hieronymns, Rupertus, Theodoretus, Genebrardus, & alij. Et quidem non anno primo regni ipſius, vt Bedæ placuit, ſed vigeſimoquarto, vt probet Ribera, ſexto poſt euerſam ab eodem Ieruſalem,

Aſſuerum, de quo Græcus, regem illum eſſe, quẽ alij Cyaxarẽ appellãt, docet Ribera.

Ioſeph. li. 10. c. 3.
Beda de tẽp. c. 2.
Oroſ. lib. 2. c. 19. & li. 2. c. 2.
Reinecius to 2.
Herodot. li. 1.
Græcus.
Hier. in Nahũ c. 2.
Rupert. ibid.
Theodoret. in prolog.
Genebrard. in Chron.
Beda vbi ſup.
Ribera in Nahum c. 2.
Serar. hic q. 4
Sup. v. 17. n. 3

3 *Fratres noſtri reuertentur, &c.* Ex ſingulis videlicet tribubus aliqui, eo modo, quo ſupra explicuimus. Neque enim, vt aliqui volunt, ex eo, quod inſtaurãda dicitur domus Dei, quæ adhuc euerſa non fuerat: ſumitur hic præteritũ pro futuro, ita vt agat Tobias de duabus tantum tribubus Iudæ, quas à captiuitate ſolas redijſſe aſſerũt, cum ex modo ipſo loquendi ſatis cõſtet, vel eũ loqui de ipſis decẽ tribubus, quæ tunc erant in captiuitate, vel etiã de aliis Inda, quæ adhuc captiuæ non erant. Sanè numerum eorum, qui ex captiuitate aſcenderunt, conſtat ex lib. Eſdræ fuiſſe quadraginta duo millia, nimirum ex Tribu Iuda, & Beniamin trigintaduo, & reliqua decem millia, vt doctores Hebræorũ aſſerunt, ex decem reliquis tribubus, quæ licet nunqnã à captinitate redierint, vt tradunt Ioſephus, & Hier. qui ſuis tẽporibus in regione Medorũ illas adhuc captiuas fuiſſe dicunt; rediere tamen ex eis qnãplurimi, vt hic noſter Tobias prophetat, licet confuſim, & ſine duce cum duabus tribubus, & earũ ducibus Zerobabel, & Neemia, vbi Cyrus, qui tã Aſſirijs, quã Babilonijs dominabatur facultatem Iudæis omuibus fecit redeundi.

1. Eſd. 2.
Ioſeph. li. 11. antiq. c. 1.
Hier. in c. 28. Ezech.

VII. *Omnis autem*. Græcus: *Et ſuaſa babeo, quæ Ionas propheta de Niniue vaticinatus eſt, vt euertenda ſit, quin etiam fratres noſtros in Vrbem ex optima terra eſſe deijciendos, deſolandamque Ieroſolymam, & in ea concremandam Aedem Dei ad tempus deſerendam*.

Græcus.

4 *Rurſum autem Deum miſeratum illos reducturum in patriam, vbi templum extruant, priori tamen diſſimile, cum impletum fuerit tempus æui illius, quo exacto paſſim redeant à captiuitate, qui magnifice Ieroſolymam ædificent, cum ædes illa præclara ad omnes ætates ſeculorum ſtructura conderetur in ea, quemadmodum de ipſa vaticinati ſunt prophetæ*. Hæc omnia quatenus cõpleta ſint ſuperiore capite diximus, vbi Tobiam hæc eadem propheticè loquentem explicuimus.

Sup. c. 13.

Replebitur. Hoc eſt ciuitas Ieroſolymorum à Chaldæis diruta, & depopulata, ædificijs iterum replebitur, & popnlis.

Et domus Dei, quæ incenſa eſt. Et templũ ſcilicet in ea incenſnm, iterum ab Eſdra, Zerobabel, & ſociis reædificabitur. Loquitur hic Tobias, vt etiam ſuperiore capite diximus, propheticè de futuro per modnm præteriti.

Ibique reuertentur omnes timentes Deũ. Ideſt pij omnes religioſi, verique Dei cultores, qno ſenſu Iob dicitur, *rectus, ac timens Deum*: nam frequenrer in ſacris literis, timor eſt Dei adoratio, & cultns. Quare, vbi dicitur Matthæi 4. *Deum tuum adorabis*, iu libro Deuteronomij, vnde ſumptum eſt, dicitur, *Deum tuum timebis*. Vide Pinedam in Iob.

Iob 1. 1.
Matt. 4. 10.

VIII. *Et relinquent, &c.* Hæc licet ad literam intelligi queant de mnltitudine maxima gentilium, quæ ad circnmciſionem poſt Ieroſolymorum reædificationem conuerſa eſt, vt patet in libris Eſdræ, & Eſther: deque Regibus Cyro, Aſſuero, Dario,

1. Eſdræ 1. 2.
Eſther 8. 17.

Ale-

Digitized by Google

Alexandro Magno inter reges potentiſſimis, & alijs, qui Ieroſolymam Deus Iſraël in templo adorare venerunt; vel magnis illam donarija locupletarunt: intelligi tamen pracipuè debere de fidelibus, & gentibus ad Chriſtum conuerſis, regibuſque omnibus Chriſtianis, qui ex toto ferè orbe ad illam, Chriſtum adorare venerunt, probabilius cenſeo. Vide quę capite ſuperiori diximus.

VERS. X.

Auditę ergo filij mei patrem veſtrum: ſeruite Domino in veritate, & inquirite vt faciatis quæ placita ſunt illi.

1 *Deo in veritate, non ſimulatè hypocritarum more ſeruiendum.*

2 *Dei voluntas ſollicitè inueſtiganda, & facienda.*

A*VDITE filij* Iam monita ſalutis daturus Sanctiſſimus Patriarcha, vt filios attentos, & dociles redderet, indicaretque maximi eſſe momenti, plurimique eorum intereſſe, quæ dicturus erat: *Audite*, ait, *filij mei patrem veſtrum*: hoc eſt mente percipite, & conſiderate, quæ ego pater vobis filijs moriturus, ex quo nulla mentibus veſtris praui conſilij ſuſpicio irrepere poteſt, ſalutis monita trado.

1 *Seruite Domino in veritate* Hoc eſt non apparenter tantùm Domini præcepta monita, & caſtigationes admittite; ſed verè, & ex corde. Etenim ſimulatam virtutē, quæ directè, vt aiunt, & per ſe veritati opponitur, non ſolùm Deus, ſed etiam homines valdè abominantur: homines quidem, quòd facilè ab illa decipiantur: nam vt docet Gregorius, vitia ſæpe ita ſe eſſe virtutes mentiuntur, vt tenacitas parſimonia, effuſio largitas, crudelitas zelus iuſtitiæ, remiſſio pietas velit videri. Vndè & vitia obſcurare virtutes affinitate quadam, niſi ab acutè videntibus diſtinguantur, docet, & exemplis illuſtrat Sidonius Appollinaris. Quare caueant licèt ſibi, ſi velint, à malis manifeſtis; à latentibus tamen, prætextu apparentis boni, ſæpe decipiuntur, vt piſces eſca: nam nemo à venenato poculo melle, vel ſaccaro illito facilè ſibi præcauet, cum haud toxicum in illo præſumat ineſſe, donec, & aliquando ſerò, in viſcera admiſſum, ſeque deceptum dignoſcit. Sic ficta ſanctitas, dum habetur pro vera, pietatis prætextu facilè decipit; quod exemplo etiam illius Prophetæ liquet, quem cùm nunquam Rex Ieroboam cogere potuerit, vt maneret ſecum, & cibum ſumeret, quod ne faceret in terra illa Deus præceperat, coëgit ficta alterius Prophetæ ſanctitas, & reuelatio: vndè tanquam tranſgreſſor diuini mandati in via poſtea à leone occiſus fuit. Hinc Auguſtinus: *Nemo*, inquit, *nocet in Eccleſia Dei ampliùs, quàm qui peruersè agens, nomen, & ordinem ſanctitatis, & ſacerdotij habet delinquentem: nanque hunc arguere nullus præſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.*

Greg. lib. 1. regiſtr. epiſt. 24

Hypocriſis Deo, & hominibus inuiſa.

Sidonius Apollinaris lib. 7. epiſt. 9.

3. *Reg.* 13.

Aug. relatus in cap. nemo quippe 24. diſt.

Abominatur etiam Deus ſimulatam virtutem, quod gloriam, honorem, & laudem veræ, & diuinæ virtuti debitam, ſibi vſurpare contendit; quod execrandum eſſe facinus, furtum, & ſacrilegium docet Auguſtinus; vbi Deum alloquens dicit: *Qui de bono ſuo gloriam ſibi quærit, & non tibi quærit, hic fur eſt, & latro, & ſimilis eſt diabolo, qui voluit furari gloriam tuam:* etenim, ſicut Bernardus obſeruat, quemadmodum Putiphar omnia ſua tradidit, & poſuit in manibus Ioſeph, præter vxorem ſuam; ita Deus omnia homini conceſſit, præter gloriam ſuam: quare qui virtutis opus ſimulant ad gloriam veræ virtuti debitam aucupandam hypocritę, iram Dei non tantùm ſicut alij peccatores promerentur; ſed illam etiam prouocant contra ſe ipſos. Sic Eliu apud Iob: *Simulatores*, ait, *& callidi prouocant iram Dei*. nimirum quòd cum illo agant tanquam cum mortuo, & omni ſenſu expertè idolo, externis tantùm culto officijs. LXX: *Hypocritæ corde ordinabunt furorē.* hoc eſt diſponent, & velut aciem hoſtium illum in ordinem redigent, & aduerſùm ſe ſtatuent, atque opportunè: *vt ſignificetur Deus inſtar ducis fortiſſimi*, ait Pineda, *aciem dirigere, & ordinare exercitum aduerſum hypocritas, & vt fictam illam ſpeciē ſanctitatis deſtruat, & ſcelera cordis ſupplicijs grauiſſimis afficiat.*

Aug. ſoliloq. c. 15.

Bernard. ſer. 13. in Cantic.

Hypocrita gloriam Deo debitam furatur.

Iob 36. 13.

LXX.

Pineda in Iob

2 *Et inquirite, vt faciatis, quæ placita ſunt illi*. Neque enim decet Deo ignauorum more ſeruorum famulari, nihilque perpetrare, niſi quod diuina lex imperat; ſed magno feruore, magnoque ſtudio inquirendum etiam quid nam ſit, quod Deo placeat, ſcrutanda diuina lex, audiendum Dei verbum, omnique ſollicitudine diuina perquirenda voluntas, vt illam faciamus. Sic B. Paulus ex eo tempore, quo vocatus à Domino reſpondit: *Domine, quid me vis facere?* ſemper diligentiſſimè illam exquiſiuit, & ad illam exquirendā ſuos hortatus eſt: Vndè ſicut ipſemet ad Coloſſenſes ſcribit, non ceſſabat orare, & poſtulare, *vt implerentur agnitione diuinæ voluntatis in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali, vt ambularent digne Deo per omnia placentes*: quaſi fideles, & morigeri ſerui, qui Domini placitum, & voluntatem in omnibus explere curant. Sic & Romanos hortatus eſt, vt diligentiſſimè *probarent quæ eſſet voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta*, hoc eſt, exquirerent, & conſiderarent exactè,

Act. 9. 6.

Ad Coloſſ. 1. 9. 10.

Ad Rom. 12. 2.

Origenes. Baſil. in c. 5. epiſt. ad Epheſ.

vt interpretatur Origenes, diuinam voluntatem: etenim, vt docet Baſilius, maximi res eſt momenti ad omnem peccati fomitem præcidendum flagrans deſiderium explendi Dei voluntatem, quæ etiam regula eſt, menſura, *Sup. c. 3. verſ. 6. Deum.* fons, & origo omnis virtutis. Vide plura de hac materia ſupra.

VERS. XI.

Et filijs veſtris mandate, vt faciant iuſtitias, & eleēmoſynas, vt ſint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & tota virtute ſua.

1 *Facere iuſtitias h°c eſt virtutis opera.*
2 *Memoria Dei quantum iuuet.*
3 *Benedicendum Deo, hoc eſt bene operandum omni tempore.*
4 *Virtutis variæ acceptiones in ſacris literis.*
5 *Quæ hic addant LXX.*

ET *filijs veſtris mandate* Mandatum hic latè ſumitur pro omni paterna admonitione; vnde Arabs: *Et admonete genitos.*

1 *Vt faciant iuſtitias* Facere iuſtitias eſt exercere actus virtutis, & obſeruare diuina mandata: nam iuſtitia hic, vt etiam *Arabs.* ſæpe alibi in ſacris literis, virtus eſt generalis, illud omne ſignificans, quod virtuti, æquitatique eſt conſonum: nam iuſtum illud omne dicitur, quod adæquatum eſt, & regulæ, cui debet commenſurari, commenſum; vnde iuſtitia illa affectio dicitur, quæ hanc efficit adæquationem, & commenſionem.

Et eleēmoſynas Pauperibus ex proprijs ſubueniendo ſubſtantijs, vt ipſemet illos ſupra docuerat.

2 *Vt ſint memores Dei* Quòd recordatio præſentiæ Dei non ſolùm iuuet ad diuinorum *Supra cap. 4.* mandatorum obſeruantiam, vt ſupra dictum eſt, vnde Dauid, *ſeruaui mandata tua, & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo*; ſed etiam ab omni peccato abſterreat: *Supr. c. 1. v. 13 Pſal. 118.* Vnde Baſilius: *Quis*, inquit, *otioſus, piger, vagus, animo iracundus, ſuperbus?* reſpondet: *qui non ſemper cogitat Deum cogitationum, & actionum noſtrarum inſpectorem eſſe. hæc enim noſtra recordatio, ſi aſſidua eſt, contra omnia vitia ſufficiens remedium eſſe poſſet.* *Baſil. in reg. bre. reg. 20, 21. 34. 37.* Et idem alibi. *Quis in oculis ſuis audeat, quod diſpliceat principi ipſi?* Quod ſi terreni principis præſentia tam potenter homines à malo abſterret; quid faciet Dei ipſius *Idem interrog. 29.* præſentia, ſi memoria retineatur? Vndè meritò ille cecinit:

Si quid fortè facis, quod me ſpectante ruberes,
Cur ſpectante Deo non magis ipſe rubes?

Sup. c. 1. v. 13 doc. 2. & c. 14. Sed plura de hac re ſupra.

3 *Vt benedicant Deum in tempore* Sic etiā ſupra filium ſuum docuerat: *Omni tempore benedic Deum*, indicans maximam tot us tēporis huius vitæ nobis rationem habendam eſſe, nec vnquam ceſſandum à laude Dei, dum viuimus. Sic enim, & B. Paulus admonet di- *Ad Galat. 6. 11.* cens: *Dum tempus habemus, operemur bonum*: etenim *nihil eſt*, vt Bernardus ait, *pre-* *Bernard. ſer. ad ſchol.* *tioſius tempore*; ſed heu nihil hodie vilius inuenitur! tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat, nemo ſibi perire diem, & nunquam redituram cenſet. Sanè Plinius omne illud tem- *Plinius.* pus perire arbitrabatur, quod ſtudijs non impenderat Titus filius Veſpaſiani, qui in vltione Dominici Sanguinis ſubuerſis Ieroſo- *Hier. in c. 6. ad Galat.* lymis Romam victor ingreſſus eſt, tantæ dicitur fuiſſe bonitatis, vt cum quadam nocte ſerò recordaretur in cœna quòd nihil boni in illa die feciſſet, amicis diceret: *diem* perdidi. Sic nos ſanè totū illud tempus, in quo Deum nō benedicimus, amiſſum arbitrari debemus.

In veritate. Hoc eſt non ſolùm exteriori *Supra hoc eodem c. v. 10.* ſpecie, vt ſupra diximus; ſed etiam ex toto corde: vnde ſubdit.

4 *Et tota virtute ſua* Ideſt pro virili, & *Marci 12. 30.* quantùm illis erit poſsibile: quod explicuit Chriſtus, dum ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.* Sanè virtus, vt teſtis eſt Philoſophus, illud *Ariſt. 1. cæli tex. 1. c. 16.* ſummum, ac præſtantiſſimum eſt, ad quod vis, & potentia alicuius valet pertingere: nam ſi quis poſſet centum talenta portare, vis eius ad portandum eſt quinquaginta, aut octoginta, virtus verò ad portandum centum. Hanc autem huius eſſe nominis notionem cōfirmat *Cic. 2. Tuſcul.* nomen vir, à quo, teſte Cicerone, dicta eſt virtus. *Vir enim*, vt ait Lactantius, *nomina-* *Lactant. de opif. Dei c. 12* *tus eſt, quòd in eo maior vis eſt, quam in fœmina, & hinc virtus nomen accepit* Nec abhorrent, vt benè notauit Aluarez, ab hac ſi- *Aluar. de vit. ſpir. tom. 1. li. 5. par. 2. c. 21* gnificatione ſacræ paginæ, dum virtutem pro robore, & poteſtate non ſemel ponunt. Sic *Pſal. 139. 8. & 17. 33* *Domine, Domine virtus ſalutis meæ*, & alibi: *Deus, qui præcinxit me virtute.* Ex quo etiam virtutes, & morales, & intellectuales, & Theologicæ nomen acceperunt, quòd potentias, aut vires noſtras operibus bonis, & malis expoſitas, ad opus optimum inclinent, & ad præſtantiſſimas functiones diſponant. Quare ſi primæuam notionem inſpiciamus virtutis, eſt niſus, & conatus. & impetus rei totum, quod poteſt facientis, & ad ſummum, ac ſibi præſtantiſſimum anhelantis; vndè illi Deum tota virtute benedicunt, qui totas vires, & potentias ſuas, ſiue quæ ad partem ſuperiorem, ſeu rationalem; ſiue quæ ad partem inferiorem, & vegetabilem pertinent, in diuinum famulatum impendere curant, ita vt totus homo in omni ſua operatione, nihil aliud finaliter velit, niſi Domino famulari, eiuſque diuinæ voluntati obſequi.

5 Ad perſuadendum etiam filijs eleēmoſy-

Digitized by Google

nam, & iuſtitiam exemplum hic adhibuiſſe Tobiam cuiuſdam Achiachari, & Manaſſis ab impio Ammone ex luce temporalis felicitatis, & proſperitatis, in tenebras vitæ abiectionis, miſeræ, & ærumnoſæ adducti, qui poſtea pietate, & eleemoſynis ab ea ſunt liberati, docent LXX. his verbis: *Fili, vide quid fecit Ammon Achiacharo; qui nutrierat eum, quomodo è luce eduxit eum in tenebras, & quacunque retribuit ei. Et Achiacharum quidem ſaluauit, illi autem retributio retributa eſt, & ipſe deſcendit in tenebras. Manaſſes fecit miſericordiam, & ſaluatus eſt de laqueo mortis, quem fixerat ei. Aman autem incidit in laqueum, & perijt, & nunc fili vide quid eleemoſyna facit, & iuſtitia liberat.* Vatablus: *Cogita fili quomodo eum ex luce deduxerit in tenebras, & quam ei gratiam retulerit: cæterum Achiacharum eſſe ſeruatum, vitam vero relatam illis, vt in tenebras ipſe deſcenderet. Manaſſes exercuit miſericordiam, & euaſit è laqueo mortifero, quem ipſi defixerunt, Aman autem incidit in laqueum, ac perijt; quare nunc vide fili quid faciat miſericordia, & qualem ſe liberatricem iuſtitia præbeat.*

LXX. — *Vatablus.*

Sanè à luce in tenebras adducere illud ſignificari, quod ſupra expoſuimus docent Gregorius, S. Thomas, & communis Latinorũ cum Nicetæ interpretatione in illis verbis Iob: *Expellet eum de luce in tenebras*, & hic ipſamet Græca vox, quam correcta LXX interpretatio ponit σκοτος, quæ nõ tenebras ſimpliciter ſignificat; ſed tenebras carceris, egeſtatis, & vitæ abiectionis.

Greg. S. Tho. Niceta. — *Iob 18.18.*

VERS. XII.

Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hic; ſed quacunque die ſepelieritis matrem veſtram circa me in vno ſepulchro, ex eo dirigite greſſus veſtros, vt exeatis hinc.

VERS. XIII.

Video enim, quia iniquitas eius finem dabit.

NVNC ergo. Vt iterum filios ſuos attentos reddat ſanctiſſimus Patriarcha:

Audite me. Ait, diſceſſumq. è Niniue poſt ſuum obitum illis præcipiens addit:

Et nolite manere hic. Arabs. *Et ne ſedeatis hic.* Ideſt, nolite in hac ciuitate ſedem veſtram ponere.

Arabs.

Sed quacunq; die ſepelieritis matrem veſtram. Hoc eſt, ſtatim ac mater veſtra, & cõiux mea, ex hac luce diſceſſerit, voſq., vt moris eſt, illam circa me in vno ſepulchro ſepelieritis. Arabs: *Sepelieritis genitricem veſtram in ſepulchro meo.* Cauebat enim vetus conſuetudo, ne coniuges, & amici, qui fide, & amore inter ſe mutuo inſigni tenebantur, alibi, quam in vno, eodemque ſepelirentur ſepulchro. Sic Sara mortua petenti Abrahæ ius ſepulchri cum filijs Heth; reſponſum eſt ab ijſdem: *in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum.* Vbi electa ſepulchra illa cenſentur, quæ Caio vocantur *familiaria*, familiæ vni conſtructa. Verum noluit Abraham Saram ſuam in conceſſo gratis ſepulchro reponi: ſed in empto ab Ephron filio Seor, vt ibidem habetur; *quadringentis ſiclis argenti probatæ monetæ publicæ.* Abraham etiam in ſpelunca duplici cũ Sara vxore ſepulturæ mandatus eſt: Iſaac cum Rebecca. Iacob cum Lia: Filij etiam, & nepotes cũ maioribus ſepeliebantur. vnde hæc, & ſimilia frequentiſſima in ſacris literis: *mortuus eſt, & poſitus ad patres ſuos*, aut *ad populum ſuum*, aut, *ſepultus eſt in ſepulchro patrum ſuorum.* Iuxta quem ritum Hieronymus: *Coniugati*, ait, *in vno ſepulchro ponendi eſſe videntur.* Sane apud gentes hanc fuiſſe conſuetudinem plures teſtantur ſcriptores. Apuleius: *tunc*, ait, *proprie familiares miſeri charitates accuratiſſime corpus ablutum vnita ſepultura ibidem marito perpetuam coniugem dedere.* Et Valerius Maximus de Marco Plautio, qui, vxore Oreſtilla funerata, in gladium incubuit, *quem*, ait, *amici, ſicut erat togatum, & calceatum corpori coniugis vinxerunt.* De Catone, & Polemone Laërtius: *Ita vero*, ait, *ſe mutuo iuuerunt, vt non modo viuentes eadem ſtudia ſint ſecuti, verum & morientes eodem ſunt conditi tumulo.* Verũ de hac re fuſius Ioannes Kirchmannus, & nos etiam ſupra.

Arabs. — *Gen. 23.6.* — *Hier. in decret. p. 2. can. 13. q. 11. S. 1.* — *Apuleius.* — *Valer. Max. lib. 4. c. 6.* — *Laert. in vit. Cratetis.* — *Sup. c. 1. v. 5.*

Ex eo. Hoc eſt, ſtatim à ſepultura ipſius. Arabs: *Ex eo ipſo die dirigite greſſus veſtros,*

Vt exeatis hinc. Arabs. *Dirigite ambulationem veſtram, vt exeatis ab hac ciuitate.*

Arabs. — *Arabs.*

XIII. *Video.* Et quidem prophetico ſpiritu: nam queãt, licèt aliquãdo homines futura aliqua cõiectare, vel diuinare; nequeũt tamen illa videre, niſi per ſpiritũ prophetarũ, quo futura quaſi præſentia cernuntur: poteſt tamen ipſa animarũ vis, vt docet Gregorius, ſua ſubtilitate aliquid præuidere, & eo melius, quo magis à ſenſibus abſtrahitur, vt docet Auguſtinus, quia, vt explicat S. Thomas, anima quando abſtrahitur à corporalibus aptior redditur ad percipiendum influxũ ſpiritualium ſubſtantiarum, & etiam ad percipiendum ſubtiles motus, qui ex impreſſionibus naturalium cauſarum in imaginatione humana relinquuntur. Ex quo dicit Gregorius, animã, quando appropinquat homo ad mortem ſubtilitate ſuæ naturæ futura præcognoſcere. Et Arnobius: *Morti enim vicini,*

Greg. li. 4. dialog. c. 26. — *Aug. li. 12. ſuper Gen. ad literam tom. 3* — *S. Tho. 2. 2. q. 172. ar. 1.* — *Greg. vbi ſup.* — *Arnob. lib. 2. con. gen.*

Plato in Apologia Socratis — ait, *maxime videmus ſcientia, ita vt de futuris vaticinentur, vt proditum eſt à Platone in Apologia Socratis dixiſſe Socratē*. Verum cum Tobias noſter, non modo deuaſtationē Niniues ſe videre prædixerit; ſed etiam felicem Iſraëlitarū è captiuitate reditum, quæ haud naturaliter præuideri poterāt, conſtat prophetice illum omnino locutum, vt etiā probat Serarius.

Serar. hic q.5 — Arabs. — *Quia iniquitas eius finem dabit*. Arabs: *Quoniam ego video, quod peccatum illius adducet ſibi finem*, quod ſcilicet propter ſuas iniquitates, iuſto Dei iudicio peſſum ibit: etenim vt poëta ille cecinit,

Horatius. —
Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Gen.4.7. — Vnde Dominus Cain: *Non ne ſi bene egeris, recipies; ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit?* Quo loco peccatum pro peccati punitione ſumitur: nam quod ibi nos legimus: *In foribus peccatum tuum aderit*. legunt Hebræi: *Ad oſtium peccatum tuum robes*. ideſt *cubans*, à radice *Rabas*, ideſt *cubare*, ſiue iacere, quod proprium eſt leonum cubantium, de quibus

Gen.49.9. — in Geneſi: *Requieſcens accubuiſti, vt Leo*. Itaque ſic locus accipiendus eſt: ſtatim peccatum in foribus, tanquā Leo, vel moloſſus cubabit ad te ipſum terrendum, & deuorandū; hoc eſt ſupplicium, & pœna mox peccatum, & culpam conſequentur.

Syrus. — Addit Syrus: *Cumque expliciuiſſet Tobit hæc verba ſua, cecidit ſibi in lectulo ſuo, & volauit ſpiritus eius, & ſepultus eſt cum laudibus*.

VERS. XIV.

Factum eſt autem poſt obitum matris ſuæ Tobias abſceſſit ex Niniue cum vxore ſua, & reuerſus eſt ad ſoceros ſuos.

VERS. XV.

Inuenitque eos incolumes in ſenectute bona, & curam eorum geſſit, & ipſe clauſit oculos eorum, & omnem hæreditatem domus Raguelis ipſe percepit, viditque quintam generationem filios filiorum ſuorum.

1 *Vltima parentū voluntas à ſucceſſoribus adimplenda.*
2 *In ſenectute bona quomodo mortuus dicatur Tobias.*
3 *Oculi cur claudantur mortuis, & cur à charioribus.*

XIV. — F*ACTVM eſt autem*. Iuxta illud ſcilicet, quod pater moriens illi mandauerat: Et cū mortua eſſet Anna, ſepeliuit eam Tobias prope Tobit patrem ſuum, & aſſumpſit vxorem ſuam, & filios ſuos, & abijt ad Medos, & habitauit in Ecbatana apud Raguelem, ſocerum ſuum; docens voluntatem vltimā defuncti patris ſollicite adimplendam eſſe, vt etiam poſtea Gregorius IX. expreſſis verbis, docuit, dum ad Ianuarium Calaritanū ſcribens hæc habuit: *Vltima voluntas defuncti modis omnibus curari debet*. immo filius hæres non implens defuncti patris voluntatem priuari ſucceſſione ex iure ciuili probat Gratianus. Quare elaborare debent filij, vt ſi quid parentes in extremo vitæ termino conſtituti faciendum illis mandauerint, aut teſtamento iniunxerint, id ocius, & fideliter exemplo iunioris Tobiæ exequantur, vltimæque parentum voluntati incunctanter, & integrè ſatisfaciant, ſibi perſuadentes, ſe non minus poſt obitum ſuorum parentum, quam ſuperſtite eorum vita, conſtringi diuino præcepto, & ad honorem, & ad obedientiam ipſis conuenienti modo præſtandam.

Greg.IX. lib.3 ep.c.20. — Gratian. 11. q. 1. c. 13. ex C. de fid. com. l. vlt.

XV. — *Inuenitque eos*. Cum perueniſſet nimirum Ecbatana, Raguelem, & Annam ſoceros ſuos, & incolumes, & in

Arabs. — 2 *Senectute bona*. Arabs: *in ſenectute optima*, qui ſcilicet ad magnam ſatis ſenectutem annos quietos, bonæ famæ, & in Dei amicitia propagauerant: nam bona ſenectus non ex multitudine tantummodo annorum dicitur; ſed quæ vltimos habet annos quietos, placidos, & tranquillos, reuerentia, opinioneque bonæ famæ, bona conſcientia, ac Dei amicitia præditos, quo pacto in ſenectute bona mortui dicuntur Abraham, Dauid, Gedeon,

Gen. 15. 15. & 35. 8. — 1.Paral. 29. 28. — Iudic. 8. 32.

Syrus. — Arabs. — *Et curam eorum geſſit*. Syrus: *Et ipſe ſuſtentauit ſenectutem ſoceri ſui cum honore magno, & ſepeliuit eos in Ecbatana*. Arabs: *Et ſuſcepit negotia eorum*, quod, teſte Stobæo, virili conueniat ætati actionibus, publicisque muneribus incumbere, ſenibus autem meditationibus, iudicijs, & concilijs.

Stob. ſer. 41. S. omnino non lõge à princip.

3 *Et ipſe clauſit oculos eorum*. Mos enim is vbique ferè locorum inualuit, vt decedentis oculi mox clauderentur, quod etiam ſuperſtitiosè nimis à prophanis ſeruari conſueuiſſe teſtatur Plinius. Et quidem cum terribile pleriſque videatur apertis oculis à mortuo velut conſpici, ne vllus viuentibus horror inijciatur, & ad ipſos gratificandos morientes, quibus maximæ curæ eſſe ſolet, vt membris decenter compoſitis è vita migrent. Sic enim, vt narrat Suetonius, Auguſtus Cæſar eo die, qui ipſi ſupremus illuxit, petito ſpeculo capillum

Plin. lib. 11. c.37. — Sueton. c. 89.

ſibi

ſibi comi, & malas labentes corrigi præcepit: quòd ſanè officium illum, qui defuncto proximior, & charior eſſet, præſtare conſueuiſſe, non ſolum ex hoc loco; ſed etiã ex profanis ſcriptoribus, quorum dicta in vnum collecta habes apud Ioannem Kirchmannum, ſatis liquet.

Kirchman. de fun. Rom. li. 1 c. 6.

Et omnem hereditatem domus Raguelis ipſe percepit. Quod ipſi deberetur, vt conſtat ex iam dictis.

Sup. c. 6. v. 12 & c. 8. v. 14.

Viditque quintam generationem filios filiorum ſuorum. Fuit ſcilicet longæuus dierum, & filiorum fœcundus, quæ duo tanti fiebant in veteri teſtamento, vt benedictionem maximam Dei illa exiſtimarent. Quomodo quintam generationem videre potuerit, dicetur verſiculo ſequenti.

VERS. XVI.

Et expletis annis nonagintanouem in timore Domini, ſepelierunt eum cum gaudio.

VERS. XVII.

Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius in bona vita, & in ſancta conuerſatione permanſit, ita vt accepti eſſent, tam Deo, quam hominibus, & cunctis habitantibus in terra.

1 *Funera amicorum lacrymis honeſtanda.*
2 *Quomodo Deo, & hominibus placeamus.*

XVI. ET *completis annis nonagintanouem in timore Domini.* Arabs: *Et compleuit nonagintanouem annos cum timore Domini, & lætitia.* Syrus: *Mortuus eſt autem Tobias filius centum, & ſeptem annorum.* Verum de his codicum variationibus in annorum computatione diximus ſupra, nonaginta nouem hos annos cenſent aliqui, non à die natiuitatis iunioris Tobiæ numerandos eſſe; ſed à morte ſenioris, quòd dicat textus, vt vidimus anteriori verſ. *quintam illum generationem vidiſſe filios filiorum ſuorum*, quod haud fieri potuiſſe cenſent nonagintanouem annorum ſpatio; quare præter eos ſexaginta tres alios cum Tobia Patre in captiuitate, & duos ante captiuitatem illum vixiſſe dicunt. Verum, ni fallor, nimis extortè, cum haud neceſſe videatur ſingulis generationibus plus quam annos quindecim aſſignare, quo tempore iuxta DD. placita communiter viri habiles ad contrahendum matrimonium exiſtimantur. Atque adeo ſi, vt ſupra vidimus, Tobias iunior anno ætatis ſuæ vigeſimotertio, vxorem Saram duxit (quæ, licet ſucceſſiue prima nuptiarum nocte aliis ſex viris orbata fuerit, illo tamen adhuc iunior eſſe poterat, cum haud neceſſe ſit plus quàm annum ab vnius, ad alterius necem interceſſiſſe, & illa anno ætatis ſuæ duodecimo nuptui dari potuerit) & aliæ quinque generationes ſingulæ ſucceſſiuè fieri potuerint ſpatio quindecim, ſexdecim, decem, & ſeptem, ac decem, & octo annorum (cum quintam illum generationem attigiſſe ſufficiat) patet euidenter ſpatio nonaginta nouem annorum, quibus completis illum interiiſſe ſacra docet hiſtoria, illas omnes generationes videre potuiſſe.

Sup. hoc eod. c. v. 2. aliqui. Serar. hic q. 8 Tena in Iſagog. li. 2. ſec. 4

DD. apud Sãchez. de matrim. to. 2. diſput. 104.

Sup. c. 6. v. 1.

Sepelierunt eum cum gaudio. Illud cum gaudio referendum eſſe, non ad ſepulturam; ſed ad vitam Tobiæ Arabs relatus non obſcurè demonſtrat, ita vt ſenſus ſit, *& completis*, &c. in timore Domini cum gaudio, ſepelierunt eum, quod etiam dictum eſt ſupra de patre Tobia ſeniore.

Arabs.

Sup. hoc eod. c. v.

1 Et quidem nulla peculiaris ſuccurrit ratio, quare iunior Tobias moriens à filijs ſiccis oculis ſepulturæ mandandus eſſet, vt multis placet: nam licèt viros ſanctitate conſpicuos, non lacrymis in morte; ſed hymnis decorandos eſſe cenſeat Gregorius Niſſenus, quod ſancto fine quieuerint; ſapientumq. opinio ſit laudibus potius, quã fletibus in eorum virorum exequijs eſſe vacandum, vnde Ennius:

Greg. Nyſſ. in funer. Pulcher. Auguſtæ

Ennius.

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. cur? volito viuu per ora virum;

cum tamen lacrymæ amoris ſint indicia, & naturæ effectus; fieri vix poſſe cenſeo, vt adeo quis ſenſum præcludere naturæ valeat, vt nullæ in funere amici piæ lacrymæ ex oculis fluant. quod exemplo Chriſti manifeſtum relinquitur, qui lacrymas in morte Lazari fundens: *Ecce*, dixerunt Iudæi, *quomodo amabat eum.* Nec eſt qui eat inficias amicorum lacrymas multum virorum decorare funera. Vnde in poſtremis, & maximis ærumnis, poſuit Dauid aliquorum mortem non deploratam. Sic: *Iuuenes*, inquit, *eorum comedit ignis, & virgines eorum non ſunt lamentatæ*, vel, vt habet Hebræus, *non ſunt laudatæ*, quod ſpectet ad laudem defuncti illum mortuum flere. Hinc Solon vnus ex ſeptem Sapientibus, vt refert Cicero, cecinit:

Io. 11. 36

Pſ. 77. 63.

Cic. Tuſc. li. 1

Mors mea non careat lacrymis, linquamus amicis
Mærorẽ, vt celebrent funera cũ gemitu.

Et Herodes ille infantium Bethleẽmitarum trucidator crudeliſſimus, ſibi conſcius quanta immanitate, ac cæde viuens debaccatus fuiſſet in domeſticos, & exteros, quod futurum

turum

Digitized by Google

turum erat facile coniectans, raros nimirum
futuros, aut nullos, qui cum mortuum flerēt,
ne ſua funera luctu carerent, vt narrat Ioſe-
Ioſeph li. 1. de bell. Iudaic. phus, ſorori Annæ præcepit, vt ex omni Iu-
dæa nobiliſſimos quoſque in hyppodramo à
ſe concludi iuſſos, poſtquam expiraſſet, in-
terfici curaret, vt inquiens, *omnis Iudæa, vel
inuita, mihi, & funeri meo lacrymas imper-
tiatur*. quod ſcelus execrata Anna, duplex,
poſt ipſius mortem, populo attulit gaudium,
Quare nec ſuam mortem, licet probroſiſſimā
lamentis Chriſtus carere voluit. Vnde re-
Lucæ 23. 27. fert B. Lucas, multam turbam populi, & mu-
lieres ſedentes ad monumentum illū lamen-
tatas fuiſſe; ex quibus patet nullo pacto fe-
rendos illos eſſe, qui in funere amicorum,
ſeu conſanguineorum à pijs lacrymis omni-
no temperandum eſſe docent, meritoq. vitu-
perandos, qui, ſuperiorum ſuorum caſum,
ſiccis oculis prætereuntes, ipſis apibus dete-
Plin. li. 11. c. 8 riores fiunt, quæ, teſte Plinio ita mortem re-
gis ſui dolent, quaſique deplorant; vt niſi
aliunde eis prouideretur, & ipſæ morerentur.
Virg. 4. Geor. tur. Quare teſte Poëta:

Corpora luce carentum.

Exportant tectis, & triſtia funera ducūt;
Ariſt. 9. hiſt. animal. c. 4. quod etiā Ariſtoteles, & Columella docent.
Addunt hic LXX. non prius diem vltimū
Columella de re ruſt. c. 14. Tobiam clauſiſſe, quam viderit iuxta patris
LXX. prædictionem euerſam Niniuem. Syrus:

Syrus. *Et antequam moreretur vidit perditionem
Niniue, & captiuitatem eius, quam adduce-
bant ad Medos, & laudauit Dominū in om-
nibus, quæ geſſit, & viderat antequam mo-
reretur.*

2 *Omnis cognatio eius, &c.* Maxima qui- XVII.
dem hæc eſt Sancti Tobiæ commendatio,
qua ſanctus ipſe, & omnis ipſius poſteritas
fuiſſe dicitur vſque ad illud tempus, in quo
ignotus horum verborum ſcriptor hęc de il-
lo poſteritati mandauit: ſed ſuæ illa, & pa-
tris miſericordiæ in pauperes fructus, qui
cum fuerint viri miſericordiæ dediti, quorū
pietates non defuerunt, ſancta hæreditate
iuxta ſapientis dictum donandi erant. Di- Eccleſ. 44. 10. 11.
ſce cum illis miſericors in pauperes eſſe, de
qua re ſupra ſatis ſuperq. dictum, ſimulque
cura, vt acceptus ſis primum Deo, deinde Sap. c. 4.
etiam omnibus propter ipſum Deum homi-
nibus, neque enim, & teſtis eſt Auguſtinus. Aug.
*vtiliter his placere homo poteſt, niſi cum pro-
pter ipſum Deum placet, ideſt vt Deus pla-
ceat, & glorificetur, cū dona eius attendūtur
in homine, aut per miniſterium hominis ac-
cipiuntur*. Sic faxit Deus, vt nos, & noſtra
omnia ipſi primum placeant, deinde etiam,
propter ipſum, hominibus, quibus ſalus, &
ipſi gloria in omnia ſeculorum ſecula.
Amen.

F I N I S.

Google

Aetatis Tobiæ ſenioris Synopſis ex Hebræo, Latino, Græco, Syro, & Arabe.

Tobias ſenior ſecundũ textũ.

- I. Hebræum.
  - I. Vixit à data Gabelo pecunia annos — 20
  - II. Cæcus annos — 4
- II. Latinum.
  - I. Expreſſe
    - I. Vixit annos — 102
    - II. Poſt recuperatum viſum annos — 42
    - III. Cœcatus anno ætatis — 56
    - IV. Cœcus annos — 4
    - V. Recuperauit viſum anno ætatis — 60
  - II. Per ratiocinationem adiuncto Hebræo textu.
    - I. Venit in captiuitatem anno ætat. — 39
    - II. Vixit in captiuitate annos — 63
- III. Græcum.
  - I. Expreſſe
    - I. Vixit annos — 158
    - II. Cœcus fuit anno ætatis — 58
    - III. Cœcus manſit annos — 8
  - II. Per ratiocinationem adiſicto Hebræo textu
    - I. Recuperauit viſũ an ętat. — 66
    - II. Vixit poſt recuperatum viſum an. — 92
    - III. Vixit in captiuitate an. — 121
    - IV. Venit in captiu. an. ætat. — 37
- IV. Syrum.
  - I. Expreſſe
    - I. Vixit annos — 132
    - II. Poſt recuperatum viſum annos — 37
    - III. Cœcatus anno ætatis — 88
    - IV. Cœcus annos — 7
  - II. Per ratiocinationem
    - I. Recuperauit viſum ann. ætat. — 95
- V. Arabum.
  - I. Expreſſe
    - I. Vixit annos — 112
    - II. Poſt recuperatum viſum — 42
    - III. Cœcatus anno ætatis — 60
  - I. Per ratiocinationem
    - I. Recuperauit viſum ann. ætat. — 64

Aetatis Tobiæ iunioris Synopſis.

Tobias iunior.

- I. Expreſſe vixit annos
  - Secundum pleroſque Latinos, & Arabum — 99
  - Secundum Græcum textum — 127
  - Secundum Syrum textum — 99
- II. Per ratiocinationem ex eod. Latino textu, Græco, & Hebræo.
  - I. Fuit in Mediam poſt ætat. ann. — 23
  - II. Eodem ann. 23. & 24. duxit vxorem.
  - III. Venit in captiuitatem ann. ætat. ad minimum — 2
- III. Secundum oppoſitã aliquorũ ſententiã, quã reiecimus ſup. c. vlt. v. 16.
  - I. Vixit cum viuo patre ann. — 65. vel 66
  - II. Vixit poſt eius mortem ann. — 99
  - III. Vixit vniuersè ann. — 164. vel 165

Parænecticæ Sancti Tobiæ, Sanctique Raphaelis ad bene viuendum præceptiones ab Auguſtino libro, quem Speculum inſcripſit collectæ, ſimulque iuxta veterem è Græco verſionem propoſitæ.

HONOREM habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius; memor enim eſſe debes, quæ, & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo. & *poſt duos verſus*.

Omnibus autem diebus vitæ tuæ Deũ in mente habe, & caue, ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Dei tui.

Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere; ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.

Quomodo potueris, ita eſto miſericors: ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impertire ſtude.

Præmium enim tibi bonum theſaurizas in die neceſſitatis; quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.

Fiducia magna erit corã ſummo Deo eleemoſyna omnibus, qui faciunt eam.

Attende tibi fili ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire.

Superbiam autem nunquam in tuo ſenſu, aut in verbo dominari permittas: in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.

Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim mercedem ei reſtitue, & merces mercenarij apud te omnino non maneat.

Quod ab alio odis fieri, vide ne alteri tu aliquando facias.

Panem tuum cum eſurientibus egenis cõmede, & de veſtimentis tuis nudos tege: *& poſt duos verſus*.

Conſilium ſemper à Sapiente perquire: omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant. *& poſt ſeptem verſus*.

Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus; ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene. *& poſt multa*.

Tunc Raphael dixit ei occultè: Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi, quoniam fecit vobiſcum miſericordiam ſuam: etenim ſacramentum regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt.

Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna magis, quam theſauros auri condere: quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam.

Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ, *& paulo poſt*.

Audite ergo me filij patrem veſtrum: ſeruite in veritate, & æquitate, vt faciatis quæ ſunt placita illi, & filijs veſtris mandate, vt faciant iuſtitias, & eleemoſynas, vt ſint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute ſua.

Digitized by Google

FABIANI IVSTINIANI
GENVENSIS
E CONGREGAT. ORAT. ROM.
EPISCOPI ADIACENSIS.

TRACTATVS

In ſacrorum Bibliorum librum Tobiæ.

De { *Sæuitia, & Hoſtilitate peccati.*
Superbia, eiuſque gradibus, ac remedijs.

Index Documentorum, & Capitum his tractatibus de peccato, & ſuperbia explicatorum.

QVod omnia bona temporalia, diuitias, proles, & imperia peccatum amittere faciat. Docum. 1.
Quòd peccatum, famam, & gloriam amittere faciat, & infamiam inurat. docum. 2.
Quòd per peccatum bona corporalia, valetudo, & robur corporis amittantur. doc. 3.
Quòd propter peccatum nos Deus mala morte percutiat. doc. 4.
Quòd fugiendum à peccato ſit, tanquam à facie colubri: ex quo ſicut morſus ſerpentis externas vires corporis; ita illud internas etiam animæ diſſipat. doc. 5.
Quòd peccati vulnus aliorum peccatorum ſaniem emittat. doc. 6.
Quòd peccata, ſeu mundi res, ſitim noſtram augeant, noſque verba facere de rebus ad ſalutem ſpectantibus impediant. doc. 7.
Quòd peccatum oculos mentis excæcat. doc. 8.
Quòd peccatum homines ſurdos ad diuinas voces efficiat. doc. 9.
Quòd peccatum grauiſſimos conſcientiæ remorſus inducat. doc. 10.
Quòd peccati pondus maximum ſit, & importabile. docum. 11.
Quòd peccatũ hominẽ reddat fatuum. doc. 12
Quod peccatũ omnibus tandem animæ bonis peccatorem denudatum relinquat. doc. 13
Quòd peccatum animas hominum interficiat. doc. 14.
Quòd turpitudo, et fœditas peccati, omnẽ aliã fœditatem, & turpitudinẽ ſuperet. doc. 15
Quòd ſolus Deus animam à peccato liberare poſſit. docum. 16.

Ex Tractatu de Superbia.

DE primo ſuperbiæ gradu curioſitate. Caput 1.
De leuitate animi, ſecundo, & inepta lætitia tertio ſuperbiæ gradu. cap. 2.
De iactantia, quarto ſuperbiæ gradu. cap. 3.
De ſingularitate, quinto ſuperbiæ gradu. cap. 4.
De arrogantia, & præſumptione, ſexto, & ſeptimo ſuperbiæ gradu. cap. 5.
De peccatorum defenſione, octauo ſuperbiæ gradu. cap. 6.
De ſimulata confeſſione, nono ſuperbiæ gradu. cap. 7.
De rebellione, decimo ſuperbiæ gradu. cap. 8.
De libertate, & conſuetudine peccandi, vndecimo, & duodecimo ſuperbiæ gradu. cap. 9.
Quam vehemens ſit ſuperbiæ affectus, deque diuinæ maieſtatis conſideratione, primo eius remedio. cap. 10.
De cognitione propriæ infirmitatis, & vilitatis, ſecundo ſuperbiæ remedio. cap. 11.
De cognitione imperfectionis, & vanitatis bonorum, de quibus homo ſuperbit, tertio ſuperbiæ remedio. cap. 12.
Quòd hæc remedia humilitati omnium virtutum fundamento valde conducãt. cap. 13.
Quòd ſuperbos Deus deprimat, & exaltet humiles. cap. 14.
Humilium ſtatus, & locus quam tutus ſit, quamque ab omni perditione alienus. cap. 15.

DE SAEVITIA, ET HOSTILITATE PECCATI TRACTATVS.

Ad verba Angeli Raphaelis: *Qui faciunt iniquitatem, & peccata, hoſtes ſunt animæ ſuæ.* Tobiæ 12. Verſ. 10.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

MIRVM, Chriſtiane lector, adeò excœcari malitia ſua hominem, adeoque in obſcuris ſicut mortuos ſeculi collocari; vt non videat, quàm hoſtiliter ſecum ipſe agat, dum peccatum læthale committit: quamque indignè ſuam ipſius animam, vnam, atque vnicè dilectam Dei ſponſam, accipiat, dum eidem peccato conſentiendo, plus mali ſibi ipſi infert, quàm vniuerſa creaturarum congregatio inferre poſſit. Etenim ab Angelis, dæmonibus, & efferis quibusque animantibus contra ſe inſurgentibus, malum licet pœnæ ſuſtineat; peccatis tamen ſuccumbendo, in culpæ malum incidit, omni alio, vt Sanctus Thomas docet, ſiue pœnæ, ſiue ſenſus, cunctis ſuis partibus maius, infinitum idcirco dictum, quòd bono priuet infinito, ipſumque efficiat hominem ſimpliciter, vt aiunt, & abſolute malum, quod pœna facere nequit, ſecundum illud Dionyſij: *Puniri non eſt malum, ſed fieri pœna dignum.*

Peccatum malorū omnium maximum. *S.Tho. 1.par. q.48.ar.6.*

Dionyſ.c.4.de diu.nom.

Quare operæpretium me facturum duxi, ſi fuſiori tractatione ea proſequar, quæ explanationibus hiſtoricis, & documentis moralibus in propoſita Raphaelis verba indicare cœpi, vt vel ſæuitiæ, & hoſtilitatis peccati conſideratione, diuina cooperante miſericordia, peccator oculos tandem mentis aperiat, *& in ſe*, ad inſtar prodigi illius euangelici *reuerſus*, ſibi ipſi parcendo, in poſterum ſibi etiam à peccatis diligentiſſimè caueat. Quam quidem ſæuitiam, & hoſtilitatem eam eſſe demonſtrabo, vt bona omnia, quæcunque illa ſint, ſiue temporalia, vulgo bona fortunæ, ſiue externa; & corporalia, ſiue interna, & ſpiritualia, ad quæ cætera omnia bona, quæ quoquo modo homini contingere poſſunt, reducuntur, planè hoſtiliter diſſipet, atque diſperdat.

Tob.12.v.10. *Luca 15.17.*

Quòd bona omnia temporalia diuitias, proles, & imperia peccatum amittere faciat.

DOCVMENTVM I.

A LICET maximi ſemper fecerint homines ſeculi huius amantes, bona omnia temporalia, & accidentalia; diuitiæ tamen, & gloria eum ſemper locum apud ipſos habuerunt, vt non ſolum magnos; ſed etiam maximos, & omnino beatos illos dixerint, qui talibus bonis abundant: vnde Pſaltes: *Beatū*, inquit, *dixerunt populum, cui hæc ſunt.* Quæ tamen à peccato in primis peſſundari, & ſacræ literæ, & experientia docent: Et quidem ab eo terræ ſterilitatem oriri, probat indicatus Pſaltes, vbi ait; *Terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantiū in ea.* Hoc eſt habitantium malitia terram fructiferam in ſalinas, & ſterile ſolum vertit; Et Dominus per Ieremiam. *Polluiſti*, inquiens, *terram in fornicationibus tuis.* hoc eſt terram infœcundam tuo peccato reddidiſti: nā tunc fornicatur anima, quando Deo, & Creatore ſuo relicto, pellici creaturæ adhæret: eſt enim peccare idem, ac pellicare, ſeu cum pellice coire, quo ſenſu; *Fornicata es*, inquit idem Ieremias, *cum amatoribus multis.* Tali itaque fornicatione, peccato nimirum tuo, inquit Deus, *polluiſti terram: Interfeciſti terrā*, vertit Hieronymus, & Chaldæus: *Condemnaſti terram*, terrena ſcilicet omnia tua fortunæ bona diſſipaſti.

Pſ.143.15

Peccatum ſterilitatis cauſa.

Pſ.106.34

Ierem.3.2

Terræ ſterilitas à peccato. B

Ier.ibid. v.1.

Hier. Chaldæus.

Docet etiam experientia, nullas ſufficere

ſu-

Peccatū diuitias exhaurit ſuperbo veſtes,nullam pretioſam ſuppellectilem, nullam, quęcunque ea ſit, ſeruorum nnmeroſitatem, & mnltitudinem equorum, quæ cum haberi nequeant niſi maximo ſumptu; omnes abſumunt diuitias. Guloſo pretioſa pocula, lanta, & exquiſita obſonia, mare, cælū, & terra nulla ſufficiunt, nulla quantitas piſcium, auium, & animalium ad eius ſedandam ingluuiem. ex qua etiam mille C infirmitates, & diuitiarum effuſiones. Sed Virtus diuitias auget. in luxuria quæ non conſumuntur opes? Quæ non diſſipantur in auaritia? nam eum auaro, ſicut Hieronymus docet, Hier. in prol. bibliorum ad Paulam. *tam deſit quod habet, quam quod non habet*. cæterorum omnium pauperrimus eſt iudicandus. Cum è contra augeant virtutes diuitias: nam humilitati ſufficit ſuppellex vulgaris, atque cōmunis: abſtinētiæ cibi parcitas; patientia etiam, caſtitas, & reliquæ virtutes illas conſeruant: quin & ab ipſa liberalitate, & eleēmoſyna, quæ illas videntur conſumere, non modice augeri, Booz manifeſte nos docuit, Ruth. 3. 10 vbi miſericordiam, quam Ruth Moabitidi fecerat, ſibi ipſi factam fuiſſe docens, eidem ait. *Benedicta es à Domino filia, & priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti*. (& pro quia) priorem miſericordiam, nimirum illam, quam ipſemet illi fecerat, quando egen- D ti, vt ſpicas poſt ſuos meſſores colligeret Ruth. 2. 16 permiſit; &, vt ſacra narrat hiſtoria, *Præcepit Booz pueris ſuis dicens, etiamſi vobiſcum metere voluerit, ne prohibeatis eam, & de veſtris quoque manipulis proijcite de induſtria, & remanere permittite, vt abſque rubore colligat, & colligentē nemo corripiat*. Poſteriore, quam ipſe etiam in eum exercuit, quando pallio operiens, in vxorem illam pauperrimam ſe accepturum promiſit. Quo etiam pacto legimus puerum 1. Reg. 25 14. vnum Nabal dixiſſe Abigail: *Ecce Dauid miſit nuntios de deſerto, vt benedicerent Domino noſtro, & aduerſatus eſt eos*. vbi benedicere pro accipere miſericordiam ponens, ad quam ſuſcipiendam miſerat Dauid Marci 10 30. nuntios ad Nabal, augeri magis, quam minui eorum bona, qni liberaliter eleēmoſynas faciunt, & ipſe declarauit; quod etiam Lucæ 18. 30. centuplum, in hoc, & in futuro ſeculo à Domino promiſſum, non obſcure demonſtrat. E

Ex quibus liquet, nihil æque, ac peccatū diuitijs auerſari, per quod non ſolum illæ diſſipatæ ſunt; ſed etiam mundus totus diluuio abſorptus eſt, auro, & argento ſpoliata Aegyptus: Iebuſæi, & Chananæi regionibus ſuis exuti: Ieroſolyma ſolo æquata, & infiniti propemodum populi, & ciuitates conſumptæ.

Prole orbat. Conceptum etiam filiorum, & ortū ſæpiſſime impedire peccatum neceſſarij nos docuerunt Pharaonis, quos ex eo ſteriles effe- 2. Reg. 12. 18. ctos fuiſſe ſacræ literæ docent, quod Saram Ibid. 4. 18. viro ſuo auferre ſint auſi. Hinc prole Dauid ob peccatum à ſe commiſſum orbatum legimus, & liberis priuatum Heli, quod illos non correxerit.

Imperia tandē, & regna ob peccata amiſſa Imperia euertit. ſacræ, & profanæ literæ docent. Et quidem defeciſſe in Sardanapalo Aſſyriorum imperium ob eius effœminatam laſciuiam: in F Aſtyage regnum Medorum, ob eiuſdem feritatem ac parricidium: In Dario Perſarum propter eius intolerabilem faſtum: in Perſeo Macedonum propter crebras eius rebelliones. In Tarquinio Romanorum ob effrænē eius libidinem: Iudæorum in Herode propter impias idolatrias, & mortem Chriſto ſalutis noſtræ vindici illatam: poſtnlat enim lex æqnitaris, vt temporalibus bonis illi priuentur, qui eis abutuntur, & vt non æſtimetur in terris, nulloque ſingulari honore pręfulgeat, qui ſummo cæli, ac terræ Monarchæ ſubditum ſe eſſe recuſat. *Quod ſi aliquando*, ait Hieronymus, Hier. in Oſeā c. 4. *videris peccatorem affluentem diuitijs, iactare ſe potentia, ſanitate, gaudere, delectari coniuge, & corona circundari liberorū*, hoc ex eo contingit, quod ſicut Gregorius ait, G *in hoc mundo* Greg. lib. 26. mor. c. 17. al. 18. *Deus nonnulla percutit, & nonnulla inulta relinquit, quia ſi nulla reſecaret, quis Deum res humanas curare crederet? & rurſus, ſi hic cuncta percuteret, extremum iudicium vnde reſtaret? quædam igitur feriuntur, vt rectoris noſtri ſuper nos ſollicitudinem formidemus: quædam vero inulta ſeruantur, vt adhuc iudicium reſtare ſentiamus*.

Agite nunc diuites, ait Iacobus, Iacob 5. 1 2. 3. *plorate vlulantes in miſerijs veſtris, diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt, aurum, & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit*.

Quòd peccatum famam, & gloriam amittere faciat, & infamiam inurat.

DOCVMENTVM II.

NOMINIS deinde, famæque A ſplendorem inter fortunæ, bona non immerito poſitum, quod recte, laudabiliterque à bonis omnibus expetatur, nō ſolum peccatum obſcnrare; ſed maximam inſuper peccatori infamiam inurere, ex eo liquet, quod adeo ſemper lucem quærat, & ab hominibus videri, vt vix contingere poſſit aliqnem grauem peccatorem eſſe, qui illud occultare valeat, eiuſque infamiam deuitare. Quod non obſcure Do- Peccatū ſeipſum prodit. minus innnit, dum Cain fratris parricidium, quod fecerat occnltare volentem, ſic arguit; *Nō ne ſi male egeris, ſtatim in foribus pecca-* Gen. 4. 7. *tum aderit?* Nam quo pacto quis prę foribus

manēs à tranſeuntibus quibuſcunque facile conſpicitur, & è domo facile poteſt exire; ita peccatum, licet ſecreto commiſſum, in foribus tamen tam ſubito apparet, vt nulla difficultate omnibus ſe præbeat luce vel ſaltem tenebricoſa, fumigantique conſpiciendum: propter quod à ſapiēte *lucerna impiorum* dicitur, & a Gregorio ignis, in quem ſola vox Domini graſſatur. Quare ſicut lucerna accenſa non lucere non poteſt, & ignis nequit incluſus abſcondi; nam vt poeta ille cecinit;

B

Prou. 21. *Greg. in mor. c.*27. *& lib.*2. *c.*7. *&* 33. *c.* 41. *circa illud pſal.* 38. *Vox Domini intercidentis flammā ignis* *Ouid.*

quis celauerit ignem
lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?

ita nec peccatum, quin ſe ipſum luce ſua prodat. Quod ſi aliquando præ foribus non adſtare contingat, Deus tamen ipſe illud tunc manifeſtat: nam *multiplicaſti*, ait idem, *fornicationem tuam; ecce ego extendam manum meam ſuper te, & auferam iuſtificationem tuam, & dabo te in animas odientium te filiarum Palaſtinarum, quæ erubeſcunt in via tua ſcelerata.* Quia ſcilicet peccaſti (nam fornicari, ſicut vidimus, idem eſt ac peccare) ſeu quia peccata multiplicaſti, grauiſſima pœna te punire ſtatui (eſt enim extendere manum ſuper aliquem, idem quod punire, & apud Iſaiam, vbi dicitur: *adhuc manus Domini extenta*, hoc eſt, non dum manus eius à cædendo, & puniendo contracta,) *auferam iuſtificationes tuas*, hoc eſt efficiam, vt ſcelera tua omnibus nota fiant, nec amplius pro iuſta habearis: honoreque iuſtorum priuatam *dabo te in animas*, hoc eſt in deſideria *filiarū Palaſtinarū*, quæ licèt ſceleratæ, & infames ſint: infamiā tamen erubeſcunt tuam. nam ea eſt infamiæ peccati deformitas, vt eius ipſos etiam peccatores pudeat, dum illam vident in alijs; cū nullus adeo impudēs reperiatur, qui aliquo modo non erubeſcat turpis alicuius culpæ reus haberi; vnde nec fur nomen admittit furis, nec adulter, vel auarus, adulteri, vel auari. Quare turpibus huiuſmodi hominibus ſua ipſorum ſcelera in altero, quaſi in ſpeculo proponēda eſſent, vt vel ſic pudore ſuffunderentur. quo pacto ſacra hiſtoria narrat Dauidem peccati pœnituiſſe, vbi adulterij ſui turpitudinem in alio conſiderauit.

Ezech. 16. 26. 27.

Sup. doc. 1.

C

Iſai. 9. 18.

Non eſt quē non pudeat peccaſſe, ſi peccati turpitudinē in alio videat.

D

2. *Reg.* 12.

Verum ſi grauiſſimam hanc infamiam deuitare volumus, bona opera peccatis ſuperimponere debemus, grauiterque de illis dolere, quia, vt Gregorius ait, *hoc quod tegimus inferius ponimus, atque hoc, vnde tegimus nimirum ſuperinducimus, vt quod eſt ſubterpoſitum tegamus: tegere peccata dicimur, quæ quaſi ſubterponimus, dum abdicamus, eiſque aliud ſuperinducimus, dum bonæ actionis opus ad hoc poſt eligimus, vt præferamus: qui ergo priora mala deſerit, & bona poſterius facit, per hoc, quod addit, tranſactam nequitiam tegit, cui boni operis merita ſuperinducit.* Et in pſalmos: *Peccata tegimus, ſi bona facta malis actibus ſuperponamus.* Sic tegunt leones, vt Iſidorus docet, cauda ſuorum pedum veſtigia, ne à venatoribus reperiantur. Et lupus, teſte Aeliano, non prius ad ſolitum cubile ſecedit, quam, modo ingrediens, modo egrediens ſua conturbarit veſtigia, ne ea ſtruentibus ſibi inſidias appareāt. Quare cum, teſte Gregorio, veſtigia pedum noſtrorum male acta ſint, quæ ſi detegantur, infames euadimus, vt in tuto famam noſtram reponamus, cauda pœnitentiæ, & bonis operibus illa operire debemus: cumque peccatum auerſio ſit à Deo, & conuerſio ad creaturas, redeundum nobis eſt à creaturis ad Deum, ſi priora veſtigia operire cupimus. Salomon, qui redire noluit, licet adeo glorioſus eſſet, vt in exemplū honoris, & gloriꝫ ab ipſo Chriſto ſit datus: *Nec Salomon*, dicens, *in omni gloria ſua*: infamis tamen fuit, vt in libris Eccleſiaſtici habetur, vbi de eo dicitur, *inclinaſti femora tua mulieribus, dediſti maculam in gloria tua, et profanaſti ſemen tuū.*

Greg. lib. 32. *mor. c.*2.

Peccati infamia bonis operibus tollitur.

E

Idem in pſ. 2. *pœnit.*

Iſid. lib. 12. *Orig. c.* 2.

Aelian. de animal. li. 6. *c.* 47

Greg. lib. 22. *mor. c.* 25.

F

Matt. 6. 29.

Eccli. 47. 21. 22.

Sed iam quomodo etiam bona omnia corporis externa, & naturalia peccatū conſumat videamus.

Quòd per peccatum bona corporalia, valetudo, & robur corporis amittantur.

DOCVMENTVM III.

VIDIMVS per peccatum omnia temporalia bona, ſeu fortunæ conſumi. videndum modo quomodo ab eodem omnia etiam corporis bona conſumantur. Et primum quidem de robore, bonaque valetudine dicēdum, quæ tanti ſemper fecerunt homines, vt non modo diuitias; ſed etiam cætera omnia corporalia, ac temporalia pro ea vel conſeruanda, vel adipiſcenda flocci pendere viſi ſint: quod non ſolum rerum magiſtra experientia in corporeis infirmitatibus docet, in quibus nulli vel ſumptui, vel dolori parcimus; ſed etiam ipſe Euangeliſta Beatus Lucas, vbi de muliere illa, quæ fluxum ſanguinis patiebatur, loquens, ait: *Et mulier quadam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicis erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari*; nam vt dicit Eccleſiaſticus: *Non eſt cenſus ſalutis corporis.* Vnde, referente Cælio, Pirrhus, qui Epirotis imperauit, vbi immolaturus templum inuiſeret, non regni ampliorem modum, non de hoſte victoriam præſignem, neque item gloriā illuſtriorem, aut diuitias, & id genus alia, ad quæ mortalium plerique inhiant; ſed ſanitatem tantummodo à dijs deprecabatur: ceu parte

A

Bona valetudo quantum bonum.

Luc. 8. 43.

Eccli. 30. 16.

B

Cælius Rodig. lib. 7. *c.* 14.

Proſpera valetudo ſuper omnia corporis bona.

hac

hac bene conſtituta, proſperius ceſſura viderentur omnia. nam ſi toto ſinu ſe ſe effundat fortunæ, vt aiunt afflatus, & abſit recta valetudo, nullum illinc, quod iuuet profluit emolumentum; quare nec Pythagoras in epiſtolis alia eſt vſus conſolatione, quam vt iuberet *ὑγιαίνειν*, ideſt bene valere, quod inſtitutum, & Pythagorici mox ſeruarunt, veluti animo, corporique nil magis congrueret: hocque vno hominis bona vniuerſa compræhenderentur. Quare & ſymbolum, quo inter compares vtebantur erat *ὑγίεια*, ideſt *ſanitas*. Hanc igitur tantæ æſtimationis corporis dotem tollit aliquando peccatum. Et quemadmodum multę ſunt regiones, in quibus homines, vel multis cruciantur infirmitatibus, vel cito extremum obeunt diem, vt fuit inſula Pontus, in quam olim Romani imperatores delinquentes in exilium relegabant. Et quemadmodum in ſterquilinio ſua ſponte enaſcuntur, & enutriuntur vermes, ad eundem modum regio, in qua omnes fere contrahuntur ægritudines, peccatum eſt. Vnde & à Zacharia Io: Baptiſtæ patre *vmbra mortis* appellatur: quia ſicut vmbra ſequitur corpus, ita peccata ſuum ſecum afferunt ſtipendium infirmitatem, quæ ad interitum, & mortem nos trahunt: quod ex eo liquet, quia nullum eſt peccatum, quod corpus aliqua ſui ratione non lædat, ſimulque à recto ſtatu dimoueat: nam *ſuperbia*, vt ait Gregorius, *clamorem habet, amaritudinem in ſilentio, diſſolutionem in hilaritate, furorem in triſtitia, inhoneſtatem in actione, inhoneſtatem in imagine, erectionem in inceſſu, rancorem in reſponſione*. Auaritia corpus extenuat, & ne marſupium euacuet, neceſſaria alimenta, & indumenta ſubtrahit. Luxuria corpus exedit, atque conficit. Inuidia tabe conſumit. Gula grauat, morbos generat, vitam contrahit, dies dimidiat. Ira accendit, & quaſi furijs exagitat. Accedia oſſa ipſa conſumit; & tandem peccatū corpus morbis innumeris debilitat, vires illius extenuat, ſpeciem, & formam deſtruit: laborum logitudine, ærumnarum latitudine, dolorum profunditate conficit; amaritudinibus, vt propheta ait, replet: & abſynthio inebriat, *mittit*, vt ait Ezechiel, *beſtias peſſimas, vſque ad internecionem*, peſtilentia, & ſanguine per illud tranſeunte, vt & gladio. Quare cum grauiſſimis etiam vndequaque anxietatibus, & curis admiſſum peccatum conſcientiam exagitet, vt inferius patebit, nunquam ſerenus, nunquam lætus, nunquam vero quietus eſſe poteſt, qui ſarcinam illam peccati Etna grauiorem deportat; vnde à curis, vigilijs, & animi affectionibus, & paſſionibus mutari, infirmarique corpus docet Galenus; atque adeo primum eſt præceptum regiminis ſanitatis.

C

Lucæ 1. 79.

Peccata ſingula corpus aliqua ratione lædunt.

D

Greg. 24. moral. c. 20.

E

Thren. 3. 15.

Ezech. 5. 17.

inf. in docum.

Gal. li. de cor. per. val. & in Iſag. ar med.

Sanitas vix contingit cū peccato.

Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanū,
Curas tolle graues, iraſci crede profanū.

F

quod curæ corpus vehementer extenuent, & exiccent, ſomnum impediant, perpetuis vigilijs mentem exagitent, vires deſtruant, febres accendant, grauiſſimarum ægritudinū ſint initia: malancoliam generent, innatum calorem reſoluant, & extinguant, infeliciſſimæ tandem, iuxta ac citiſſimæ aliquando mortis cauſa exiſtant.

Sed grauiſſimis etiam morbis, & ipſa morte puniri a Deo peccatores, ſacræ teſtantur literæ, vbi narrant, filios Iſrael ignitis ſerpentibus percuſſos, quod auſi ſint contra Moyſem, & Aaron obmurmurare. Roboam manum exaruiſſe, quod illam in prophetam Dei extendere tentauerat. Giezi lepra percuſſum eſſe, quod aurum, & veſtes Eliſæi nomine à Naaman Syro ſuſcipere nō ſit veritus. Oziam lepra percuſſum, quod temere Dei templum ingreſſus ſit, vt incenſum ſuper altare tymiamatis (quod ſacerdotum tantum munus fuerat) adoleret. Antiochum graui dolore viſcerum, & amaris internorum tormentis afflictum, vermibusque viuum corroſum, quod in tantam deueniſſet ſuperbiam, vt ſe venturum Ieroſolymam diceret ad eam deuaſtandam. Tandem narrant, Herodem Agrippam ſtatuto die percelebri, in quo ludi pro Cæſaris ſalute fiebant, veſte regia tota ex argento, & auro contexta, quę radijs oriētis ſolis percuſſa diuinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum honore incutiebat, vbi ſedens pro tribunali concionem habuiſſet ad populum, ab Angelo Dei percuſſum, quia vt docet Ioſephus eiuſdem populi adulatorias acclamationes, quibus Dei eius eſſe voces dicebant, non hominis, minime repulit, nec dedit honorem Deo, atque adeo *ſuſpiciens*, ait idem Ioſephus, *vidit ſupra caput bubonem funi extentum inſidentem, moxque vt ſenſit, hunc eſſe calamitatis nuntium: in intimis præcordijs indoluit, ſequuta ſunt ventris tormenta, ſtatim in principio vehementia. Conuerſis igitur ad amicos oculis. En inquit ego ille veſtra appellatione Deus vitam relinquere iubeor fatali neceſſitate coarguente veſtrum mendacium.*

Peccata morte puniūtur.

1. *Reg.* 13. 4.

4. *Reg.* 4.

G

2. *Paralip.* 26. 16.

Machab. 9.

Act. 12. 23

Ioſeph. libr. 9. antiq. c. vlt.

H

Sed hunc eſſe peccati ſingularem effectum nos ipſe Dominus docuit, quando infirmos curaturus more periti medici, causâ morbi, vt morbum ſolueret, remouens, à peccatis illos prius ſoluebat. *ſic curaturus Dominus*, inquit Haymo, *hominem à Paralyſi primum dimiſit ei peccata dicens: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et Nilus Abbas: *In morbis*, inquit, *ad preces prius, quam ad medicos confugito, quia*, ait Baſilius: *morbi ſæpenumero, veluti quædam peccatorum flagella ſunt.* quare causâ remouere debemus, ſi effectum tollere nobis curæ eſt; ſed plura de hac re diximus ſupra.

Infirmitates, & aduerſa à peccatis.

Matt. 9. 2.

Haymo in Euang. de Paralytico.

Nilus pluribus locis.

Baſil. q. 55. fuſius diſp.

Sup. c. 3. v. 22

Quòd propter peccatum nos Deus mala morte percutiat.

DOCVMENTVM IV.

A QVATVOR eſſe cauſas re-
rum, à quibus omnia creata
fluunt, & ſine quibus nihil fit,
docent philoſophi, efficientem
nimirum, formalem, finalem,
& materialem. Verum cum
ex eis nulla ante peccatũ fuerit homini cau-
ſa mortis, ſatis apparet, non niſi à ſuperue-
niente peccato originẽ habuiſſe. Et quidem,
Sap. 1. 13. teſte Sapiente, *Deus*, qui hominis eſt cauſa
efficiens, *mortem non fecit*: quia vita eſt per
Mors à peccato illata in mundum. eſſentiam. *Viuo ego dicit Dominus*, rerum-
que omnium vita: *regi, cui omnia viuunt*.
Nec illam fecit anima, quæ eiuſdem eſt cau-
ſa formalis, vtpote naturæ ſpiritualis, & im-
mortalis. Nec illam fecit Beatitudo, quæ
ipſius eſt cauſa finalis: quia cum terra ſit vi-
uentium, mortem afferre nequit. Nec illam
tandem corpus fecit humanum, quod, homi-
B nis materialis eſt cauſa: quia licet ex con-
trarijs, atque inuicem perpetuo pugnanti-
bus conſtitutum à principio fuerit, exteritq.
ſecundum nudam ſuæ naturæ conditionem,
vt cętera animalia à principio mortale; ex
S. Tho. in ep. ad Rom. c. 5. lect. 3. ſupernaturali tamen dono Dei omnino in-
corruptibile, & immortale fuit. nam vt S.
Thomas ait: *ſuppleuit potentia diuina quod
deerat naturæ humanæ, dans animæ virtu-
tem cõtinendi corpus incorruptibiliter, ſicut
Sap. 2. 23. faber, ſi poſſet dare ferro, ex quo cultellum
fabricat virtutem, vt nullam contraheret
Budæus in Pãdect. rubiginem*. Vnde & Sapiens, *Deus*, inquit,
*creauit hominem inexterminabilem, ad na-
turam non interituram*, vertit Budæus. Ex
C quibus liquet, mortis hominis, nullam aliam
Eccli. 25. 33. ſupereſſe cauſam, niſi peccatum. quod licet
mediatam mulierem fuiſſe dicat auctor Ec-
Sap. 2. 24. cleſiaſtici; *A muliere*, inquiens, *initium fa-
ctum eſt peccati, & per illam omnes mori-
mur*, & Sapiens, diabolum, dicens, *Inuidia
diaboli, mors introiuit in orbem terrarum*,
1. Rom. 5. 12. verſ. quod Euæ ſuaſionibus à dæmone ſeductæ
Adam peccauerit; immediatam tamen pec-
Aug. ſer. 141 de temp. tom. 10. catũ fuiſſe, docet B. Paulus, vbi ait: *Per vnũ
hominem peccatũ in hunc mundum intra-
uit, & per peccatum mors*. Vnde Auguſti-
Pſ. 48. 13. 21. nus; *Pater mortis peccatum eſt: ſi enim nun
quam peccaretur, nemo moreretur*, quod etiã
innuere Pſaltes voluit vbi ait: *Homo cum
in honore eſſet, non intellexit, comparatus
eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus
D eſt illis*. Hoc eſt non conſiderans miſer ho-
mo fore vt moreretur, ſi mandatum Dei nõ
cuſtodiret, *cum in honore eſſet*. Deo quo-
Eccl. 3. 19. dammodo ſimilis, & immortalis per pecca-
Mors hominis pœna, nõ natura. tum effectus eſt, & in mortalitate beſtijs ter-
ræ ita comparatus, vt dicat Sapiens, *Vnus
interitus eſt hominis, & iumentorum, &
vtriuſque conditio*, nimirum poſt peccatum,
in morte corporis.

Cum igitur mors poſt aſſecutum immor-
talitatis donum homini à peccato contige-
rit, non natura, ſed pœna fuit, quomodo
nec regi Saul, antequam rex fieret, pœna
fuit carere regno; ſed illo iam rex effectus
priuari, ita homini mors potius natura,
quam pœna fuiſſet, niſi donum immortalita-
tis conſecutus eſſet: at poſt illius aſſecutio-
ne, mors illi, vt diximus, non natura fuit,
ſed pœna: quod ſi omnium mortem, illa pri-
morum parentum tranſgreſſio pœnam pro-
meruit, haud mirum videri debet. ſi actua- E
le etiam cuiuſcunque lęthale peccatũ mor- 1. Cor. 15.
tem ipſam in vnoquoque acceleret, & dies 56.
vitæ dimidiet. vnde B. Paulus: *Stimulus*, in-
quit, *mortis peccatũ eſt*: quia ſicut dum cuſpi-
de acuti fuſtis, quæ ſtimulus dicitur, à ru-
ſticis ſuppuncti bones feſtinant ita quiſque Pſ. 77. 33.
ad mortem velocius currit, vbi à proprij
peccati ſtimulo ſuppungitur: *Defecerunt*, ait
Dauid de peccatoribus loquens, *in vanita-* Prou. 10.
te dies eorum, & anni eorum cum feſtina- 27.
tione. Et Sapiens: *Timor Domini*, inquit, Ianſen. ibi.
*apponit dies, et anni impiorum breuiabun-
tur*, quæ verba, vt obſeruat Ianſenius, licet
veteri maxime fœderi terrenas promiſſio-
nes continenti congruant, non tamen à no-
uo teſtamento abhorrent, quod promiſſionẽ
habet vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ: quod F
perſpiciens Cain, vbi fratrem occidiſſet: *Om-
nis*, ait, *qui inuenerit me, occidet me*. quod
haud dixiſſet, cum nullus tunc eſſet, à quo
occidi poſſet, niſi pater, & mater eius, à
quibus haud ſibi timendum erat, niſi mor-
tem à peccato accelerari nouiſſet, in ſuique
peccati poenam cæteras creaturas omnes in
ſe inſurrecturas, mortemq. ſibi allaturas ti-
muiſſet: nec fruſtra; nam à pronepote ſuo
Lamech deinde occiſus eſt, qui dum aliquan-
do feris inſidiaretur, & quemdam foliorum,
ramorumq. motũ, ab armigero monitus, in-
ter Syluas conſpicatus eſſet, ferã inibi con-
iectans, iaculum in eum locum intorſit, mi-
ſerumque Cain inibi manentem, captandi, vt
aiunt, frigoris cauſa, transfixit: quod vbi co-
gnouiſſet, armigero indignans, & illum in- G
teremiſſe multi probabiliter narrant, adeo- Gen. 4. 23.
que verba illa pronuntiaſſe: *occidi virum
in vulnus meum*, Cain ſcilicet, *& adoleſcen-
tulum* nimirum armigerum, *in liuorẽ meũ*.
Obſerua dixiſſe Lamech vulnus meum, non
vulnus eius, vt ſignificaret non minus mor-
tem ſuam, quam tritaui ſui Cain, & armi-
geri, ſuo peccato acceleraſſe.

Sed mortem per peccatum accelerari, & Dan. 13.
Suſanna nos docuit, vbi à Senioribus iudi- 22.
cibus populi ad peccandum illecta ait: *Si
enim hoc egero, mors mihi eſt, ſi autem non
egero, non effugiam manus veſtras*. ac ſi di-
xiſſet; mihi, o ſeniores, in peccato veſtro

con-

conſentiam, mortem minitamini; at cum
ſciam, certiorem, ſi hoc egero, ab eodem
peccato mihi imminere mortem, idcirco,
*melius eſt mihi abſque opere incidere in ma
nus veſtras, quam peccare in conſpectu Do-
mini*. Sic enim, & Pſaltes docuerat, dicẽs:
Pſ. 54. 24. *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt
dies ſuos*: quia licet vitæ periodus cuique
H à Deo ita conſtituta ſit, numeruſque dierũ
præfixus, vt præteriri non poſſit; in pluri-
bus tamen peccatoribus (viri ſanguinum
idcirco dicti, quia quod appellamus mor-
tale peccatum, ſi fieri poſſet, Deo ipſi vitã
eriperet) in peccatorum pœnam ita dimi-
diatur, vt ante tempus intereant. Sic *ſub-
Iob 22. 16 lati ſunt ante tempus ſuum*, inquit Iob, *&
fluuius ſubuertit fundamentum eorum*.
pro *ſublati ſunt*, vertunt alij, *rugas con-
traxerunt*, ex verbo Hebræo קמט kamat,
Tigurina apud Pinedam in Iob. quod eſt rugare, aut corrugare. Tigurina:
*Cum potuiſſent diutius perſiſtere, ſublati
ſunt*: hoc eſt, antequam compleuiſſent im-
pij vitæ annos, quos ſecundum communem
naturæ legem viuere potuiſſent, ſenectam in
tempore non ſuo contraxerunt, & mortem
ab ira Dei: eorumq. fundamẽtum, vitæ nimi-
rum ſtabilitas, ſubuerſum fuit, non ſecus ac
I ſoleat muros ſubuertere fluuius impetuosè
fluens. Eſt enim homini duplex vitæ perio-
dus: vna ſecundum naturam, quam ſcilicet
ſua cuique natura non impedita implere
poteſt: altera ſecundum præſcientiam, & di
ſpoſitionem Dei, qui non raro, tam viris
iuſtis, magno ipſorum bono, quàm ſcelera-
tis, & impijs in exemplum iuſtitiæ ſuæ an-
te tempus concludit. Quemadmodum igi-
tur vua, nec dum benè decocta; ſed etiam
num acerba, ſi decerpatur, dicitur ante tem
pus ſuum decerpi, quòd non dum ſuam ha-
beat maturitatem; ita qui periodum vitæ
ſuæ ſecundum naturam non compleuit, an-
te tempus ſuum ſublatus dicitur. quod, vt
L plurimum peccatoribus contingit. Eadem
Eccli. 19. 3 iuxta LXX. prorſus ratione Sapiens: *tollentur*, ait, *im-
matura anima impiorum*. *Obſerua*, inquit
Orig. c. 15. Ioſue. hom. 16. Origenes, *in omni ſcriptura, ſicubi inue-
nies nomen hoc ſenex, & plenus dierum
ſuper aliquo peccatore poſitum*. Et Augu-
Aug. li. de vita Chriſti. c. 3 & 4. tom. 9. Exempla. ſtinus: *dicat mihi quis, ſi quis ſacrilegum,
ſanguinarium, homicidam, furem, &c. vel
in præſenti tempore poterit videre longæuũ*.
Gen. 38. 7. Et benè quidem, nam viri ſanguinum, & do-
loſi non dimidiabunt dies ſuos. *Fuit Her*,
inquit ſacra ſcriptura, *primogenitus Iuda
nequam in conſpectu Domini, & ab eo oc-
ciſus eſt*. Heli ſummus ſacerdos, ex eo, quia
filios ſuos non reprehenderat, dum ſuis ini
quitatibus filios Iſrael à ſacrificijs auerte-
rent, hanc idcirco meruit in ſui peccati pœ
1. Reg. 2. 31 nam audire ſententiam: *Ecce dies venient,
dicit Dominus, & præcidam brachiũ tuum,
& brachium domum patris tui, vt non ſit
ſenex in domo tua, & non erit ſenex in
domo tua omnibus diebus, & pars magna
domus tua morietur cum ad virilem æta-
tem peruenerit*. Vidit ſacrilegus Balthaſar
manum in ſuperficie aulæ regiæ Chaldaicè
ſcribentem, *Mane, Thecel, Phares*: quæ
verba à Daniele eidem hoc pacto fuerunt
explanata. *Mane*, hoc eſt, *numerauit* Dan. 5. 25
Deus regnum tuum, & compleuit illud. M
Thecel. *Appenſus es in ſtatera, & inuen-
tus es minus habens*, hoc eſt, vt interpre- Hier. in Danielem.
tatur Hieronymus, inuentus es minus die-
rum habere, quam ætas, & natura tua po-
ſtularet. *Phares*: *Diuiſum eſt regnum
tuum, & datum eſt Medis, & Perſis*.
Sic ob peccatum, & vita, & regno fuit ex-
poliatus. Anaſtaſio ſceleſtiſſimo impera-
tori, narrant Sigonius, & alij grauiſſimi
hiſtorici, non diſſimilem accidiſſe interi- Carol. Sigon. li. 7. de occid. imp.
tum: nam cum aliquando imperator in
ſomnis virum terribilem librum manu ge-
ſtantem vidiſſet, audiſſetque dicentem:
*Ecce ob peruerſitatem fidei tua annos qua-
tuordecim vitæ deleo*, mortem ſibi immi-
nere, Proclo quodam, cui ſomnium retule-
rat, interprete, coniectans, perterritus, vt
illam euaderet, quod ab oraculo igne ſi-
bi pereundum fore audiſſet, ciſternam in N
palatio frigida dictam, multis meatibus
aperuit, quorum cuique cadum appoſuit;
ſed fruſtra: nam in regio quodam cubicu-
lo diuinitus fulmine percuſſus interijt,
dum aliquando tonitrua horrendum in mo-
dum reſonantia, & fulgura multa eliden-
tia è cœnaculo in cœnaculum fugeret, &
alios, atque alios thalamos ſubiret. Ec-
ce quomodo verum ſit noſtros dimidiare
dies peccatum, mortemque diuina vltione
accelerare. Vide, ſi placet, è ſcriptoribus
meæ congregationis Thomam Bozzium, Bozzius de ſignis Eccleſiæ Dei.
qui non obſcure demonſtrat nullum regem
hæreticum vixiſſe in regno vltra quadra-
ginta annos, vno excepto Andronico ſe-
cundo ſeniore paleologo, qui annis qua-
draginta tres imperauit: catholicis verò
multis longiorem fuiſſe vitam, vtpotè qui-
bus propter honorem, & obedientiam pa-
tri, & matri exhibitam, hoc eſt Deo, & O
Eccleſiæ prælatis, longæuitas iuxta diuinum
promiſſum deberetur. Quare, vt optimè Senec. lib. de breu. vit.
Seneca docuit, non eſt cur de natura que-
ramur: nam, ait, *illa quidem ſemper be-
nignè nobiſcum agit, illa vitam ſatis lon-
gam conceſſit, & nos ea in perniciem no-
ſtram abutimur, eandemque nobis perbre-
uem facimus, alij quidem auaritiæ dediti,
alij luxuria, alij crapula, & ebrietate
detenti*. atque adeò, vel ipſo teſte Sene-
ca, ſuo ſe gladio peccatores, vt Saul in-
terimunt, & capillis ſuorum affectuum
vt Abſalon ſe ſuſpendunt: nam, vt Sapiens Eccli. 30. 26.
ait: *Zelus, & iracundia minuunt dies, &* Item 37.
*multi propter crapulam, & epulationem
obierunt, & multos occidit triſtitia*. Et Hier. in c. 38 Iſaia.

quidem *Sancti*, ait Hieronymus, *implent dies ſuos, quocunque moriantur tempore, quamuis breui viuant ſpatio, qualis fuit Abraham, qui mortuus eſt plenus dierum in ſenectute bona: peccatores verò, & impij in dimidio dierum ſuorum moriuntur*: non enim ſubdit, *implent opera virtutum, nec ſtudent pœnitentia emendare delicta, vnde in medio vitæ curſu, & in errorum tenebris ducuntur ad tartarum*.

P

Quòd fugiendum à peccato ſit tanquam à facie colubri, ex quo, ſicut morſus ſerpentis externas vires corporis; ita illud internas etiam animæ diſſipat.

DOCVMENTVM V.

A

CVM ſæuiſſimus hoſtis peccatum ad animam perdendam ipſius pedibus, hoc eſt affectibus, non ſecus ac ſerpens inſidietur, & non ſecus ac fortiſſimus omniū beſtiarum leo in eam irruat, externa ſemper, ac interna ipſius bona plaga inſanabili perdens; *quaſi à facie colubri*, ait Sapiens, *fuge peccata, & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te. Dentes leonis dentes illius; interficientes animas hominum, quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non eſt ſanitas*. tribus his comparationibus ſerpentis, leonis, & romphææ nullum animæ internum bonum intactum à peccato relinqui manifeſtè declarans; nam bona licet artificialia, & externa intacta aliquando, vt fulmina ſolent, relinquat; interna tamen peſſundat bona, exterminatque ſic *quaſi à facie colubri* peccata fugienda dicit, & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te, &, pro quia, vt etiam ponitur in libro Eccleſiaſtici, vbi dicitur: *Fili, ne in multis ſint actus tui, & ſi diues fueris, non eris immunis à delicto*. Et ſi diues; quia ſi diues. Et in pſalmis. *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis, Et vana* habet Græcus. Pro *ſuſcipient te*, habent Græci, vt aduertit Ianſenius δήξεται, hoc eſt, *mordebit te*, à verbo δάκνω, quod eſt, mordeo; nam illis eſt ſingulariter peccatum: & interpres declarat ſe legiſſe δέξεται, quod eſt ſuſcepit, & mutauit nomen ſingulare in plurale; quare quod nos habemus, ſuſcipiēt te, ita accipiendū eſt, vt ſit ſenſus inuadent, & mordebunt te, eo modo, quo inuadit, & mordet ſerpens incautos; ſicut igitur, vt ex Dioſcoride, & Nicandro habemus, *ſi ſerpens mordebit, ſaniem vulnus emittit, ori ſiccitas vehemens ineſt, oculi vertigine mœrent, auditus corrumpitur, accedunt tormina, capitis grauitas, & tandem febris phrenetica*; ita quem ſæuiſſimus hoſtis, & aſtutiſſimus ſerpens peccatum mortale momordit, vulnus ſaniem aliorum peccatorum emittit: ori ſiccitas vehemens ineſt, ne bona loquatur; oculi caligine mœrent, ne turpitudinem peccati videant; auditus corrumpitur, ne verbum Dei audiat: torminibus interni conſcientiæ remorſus, & timoris diuinæ vltionis affligitur: grauitate, & pondere peccatorum oppreſſus diabolo ſuccumbit; & tandem quaſi phreneticus in omnibus operatur. O quam hoſtiliter! heu miſerandam peccatoris conditionem! ſed ſingula diſcutiamus.

Eccli. 21. 2. 3. 4.

B

Eccli. 11. 10.

Pſ 59. 13. & alibi.

Ianſenius.

C

Dioſcorid. & Nicand. apud Matthiolū li. 6. c. 47. & 51

D

Quòd peccati vulnus aliorum peccatorum ſaniem emittat.

DOCVMENTVM VI.

A

SI *ſerpens mordebit, vulnus ſaniem emittit*. Peccatū ſanè ſignificari teſtatur Chryſoſtomus, qui ait: *Peccatum ſanies eſt*. Et Gregorius in illis verbis Iob: *teſta ſaniem radebat, quid ergo*, inquit, *pro ſanie intelligimus, niſi peccatum? Chriſtus Ieſus manibus perſequentium corpus ſuum tradens; ſaniem teſta raſit, quia peccatum carne deleuit; venit enim in ſimilitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum*. Sicut ergo, vbi ſerpens momordit, niſi vulnus ſtatim medicamine foueatur, ſaniem emittit; ita quem ſemel mortalis culpa momordit, niſi ſtatim pœnitentiæ medicamine curetur, multorum emittet ſaniem peccatorum: nam, vt idem Gregorius ait: *Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit*. Et Pſaltes: *Abyſſus Abyſſum inuocat. Maledictum*, inquit Oſæas, *& mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt. Et ſanguis ſanguinem tetigit*, &, pro quia, vt ſupra oſtenſum eſt, ſanguis, hoc eſt peccatum peccato addidit. Sic Gregorius, *ſanguis*, inquit, *ſanguinem tetigit, quando peccatum peccato additur*. Chaldæus: *Et aggrauat peccata peccatis*. quia igitur, inquit Oſæas, ſtatim à peccatis non ceſſaſtis; ſed peccatum peccato addidiſtis, & ſanguis ſanguinem tetigit, ideò maledictum, & mendacium, & quæ ſequuntur inundauerunt: ſæpè enim fit, vt homo, dum ardenti ſuæ concupiſcentiæ refrigerium quærit, tentationi manum imponat, putans ſe non ma-

Chryſ. hom. 5 ad pop. tom. 5. Greg. li. 9. moral. c. 11.

Idem lib. 25. mor. c. 12.

Pſ. 41. 8.

B

Sup. docum. 5

gnum

gnum in ea ſubiturum periculum, dumque
peccatum quaſi fluuium quendam, qui in
principio talos non tranſcendat, ad refrige-
rium captandum ingreditur, paulatim ma-
ioris refrigerij cupidus, ab eodem etiam im-
C pulſus in profundum rapiatur. Hinc Beatus
Iac. 2. 10. Iacobus: *Quicunque*, inquit, *totam legem*
ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt
omnium reus: quia ſcilicet vnum peccatũ cõ
miſſum ſuo pondere ad alia, immo ad omnia
peccata committẽda trahere, & mouere ſolet:
nam ſicut pergrandis lapis è montis culmine
ruens ſuo ipſius pondere grauatus, non niſi in
imo ipſius montis valet ſubſiſtere, ita pecca-
tor dum peccare incipit, adeouſq; vt Sapiens
Eccli. 3. 29. ait, *in doloribus grauatur*, vt peccatum pec-
cato adijciens, ipſo peccati pondere ductus à
peccatis non ceſſet, donec in profundum ma-
lorum deſcendat: vnde quo pacto lapis pro-
iectus in aquas fluctum excitat, qui deinde
alterum primo maiorem producit, tertius
vero alterum, & alterum quartus, quouſque
D in magnum, & pene infinitum numerum
excreſcunt; ſic primo graui peccato grauius
ſemper ſuccedit, & illi ſemper aliud alio
deterius, quod, ni ſcopulo diuinæ miſericor-
diæ detineatur, in infinitum vſque protendi-
Iſaiæ 14. 29. tur, & vt Iſaias loquitur: de *radice colubri*
egredietur regulus: ex paruo nimirum maxi-
mum malum.

Quod etiam exemplis manifeſtum relinqui-
Gen. 2. tur: nam Cain fratri primum ſuo inuidere cœ
pit, deinde illum odio proſequi, tertio illum
interfecit, demum ipſum Deum corripien-
tem contemneus in baratrum deſperationis ſe
2. Reg. 11. præcipitem dedit. Dauid vxorem primũ Vriæ
concupiuit, cum ea poſtea adulteratus eſt,
tertio fidelitatem Vriæ contempſit, demum
Matt. 26. 74. illum interfici iuſſit. Iudas primum fuit fur, &
loculos habens, deinde detrahere cœpit Do
E mino ſuo, triginta poſtea argentis illum pro-
didit, demum laqueo ſe deſperans ſuſpendit.
Petrus primo negauit Chriſtũ ſine iuramen-
to, addidit ſecundo iuramentum, tertio pe-
ierare, & anathematizare cœpit, *quia non*
noui hominem. At quid hæc antiquiora com-
memoro? Non eſt, qui neſciat Henrici infeli-
ſſimi Anglorum regis hiſtoriam, & quomodo
ex Coriphæo, qui erat Chriſtianorum, & ſtre-
nuo Eccleſiæ contra Lutherum propugna-
tore, turpi captus libidine intuiſus, blaſphe-
mus, & pernicioſiſſimus Eccleſiæ hoſtis eua-
ſit. Ecce quantam peccatorum ſaniem vul-
nus peccati emittat; ecce quam formidabi-
le ſit primo aſſenſum præbere peccato, cui
F deinde talia, & tanta ſubſequuntur mala.

Peccatum peccati pęna In quæ peccatorem cadere in primi pec-
cati pœnam Deus permittere ſolet: nam,
Iſid. lib. 2. de ſum. bon. c. 19 vt Iſidorus ait: *Præcedentia peccata ſe-*
quentium criminum ſunt cauſa, & illa
quæ ſequuntur ſunt præcedentium pœna.
S. Tho. 1. 2. q. 87. ar. 2. At pœna per accidens, vt Sanctus Thomas
loquitur; ſiquidem pœna omnis inuolunta-
ria eſt, dicente Anſelmo: *Nihil eſt alicui* *Anſelm. li. de concept. Virg. c. 4.*
pœna, niſi quod eſt contra voluntatem. & *Sap. c. 4. v. 6.*
peccatum ſecundum ſuam formam, & natu-
ram, vt ſupra diximus, ex voluntario con-
ſenſu oritur: eſt itaque peccatum pœna pec-
cati, quia cum pœna propriè ſit quodcun-
que incommodum, quod pro culpa tribui-
tur; maximum animæ noſtræ eſt incommo-
dum ſubtractio gratiæ iuſtificantis, & auxi-
liorum ſpecialium, quæ ſubtrahuntur à Deo G
poſt commiſſam culpam, ex quorum ſubtra-
ctione præcipites in noſtra deſideria imus.
Nam cum triplex à Theologis Dei auxilium
numeretur, nimirum generale, quod omni-
bus creatis rebus, iuxta exigentiam naturæ
tribuitur: ſpeciale, quod hominibus datur,
vt vitam æternam conſequi valeant, & ele-
ctorum peculiare, per quod præſeruantur à
culpis, bonas exequuntur operationes, & vi-
tam conſequuntur æternam, licet primum
nulli creaturæ Deus deneget; alia tamen duo
in pœnam præcedentium criminũ ſubtrahit.

Sed quanta in ijs ſubtrahendis vtatur lon-
ganimitate, Ieremias oſtendit, dum ait: *Co-*
gitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, *Thren. 2. 8*
tetendit funiculum ſuum, & non auertit
manum ſuam à perditione, luxitque, ante-
murale, & murus pariter diſſipatus eſt.
Quæ verba licet ad literam de Vrbe Ieroſo- H
lymitana dicantur; optimè tamen animæ de-
uaſtationi quadrant, quam cum Dominus
in pœnam præcedentium criminum eo mo-
do, quo diximus, deſtruere per auxilij ſub-
tractionem cogitauerit, *tetendit funiculum,*
hoc eſt regulam, filum, ſeu normam, &
quod cementarius, dum parietes, muroſque
conſtruit, conſueuit facere, ipſe in deuaſta-
tione exequitur, nam in conſtructione nulla
illi regula, niſi infinita bonitas ſua, quæ nul-
lum permittit modum; tunc enim *pro men-*
ſura facit plagarum modus.

Solue, itaque, *vincula colli tui captiua* *Iſaia 52. 2*
filia Sion: aperi oſtium cordis tui, & in
oſtio inuenies Deum auxiliatorem tui, qui I
ſemper ad præbendum tibi manum, vt ſur-
gas, promptus eſt, quique te ſemper ad re-
ſurgendum inuitat, dicens, *Surge qui dor-* *Ephes. 5. 14*
mis, & exurge à mortuis. Ita vt, ſicut per
eum, qui ad oſtium pulſat, non ſtat quin
aperiatur; ſed per eum, qui intus manet: ſic
tua ſit culpa, ſi pulſanti non aperis. *Vo-*
caui, & renuiſti, inquit ille, *extendi ma-* *Prou. 1. 24*
num meam, & non erat qui aſpiceret. Si
vis Solem intrare, aperias feneſtras: ne tar- *Pœnitentia cunctatione difficilior efficitur.*
des de die in diem: nam quo plus tardaue
ris, plura te inuenient peccata, & minus a-
ptus eris ad recipiendum gratiæ beneficium,
& maiorem ſemper peccatorum ſaniem e-
mittes. Et quemadmodum ſolitarios faci-
le tranſis fluuios, quos in vnum fluentes
haud tranſire potes, & ſimplices dilaceras
funiculos, quos nequis triplices; ſic non
difficile eſt, diuina fauente gratia; primos L

pec-

peccatorum torrentes tranſire, & ſimplices funiculos rumpere, quos triplicatos non niſi maxima Dei miſericordia poteris: nam *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Caue igitur ne te, vel ſemel hoſtis ſæuiſſimus peccatum feriat, & *quaſi à facie colubri fuge peccata*, ne ſi ab illis mordearis, ſaniem grauiſſimorum peccatorum emittas. Eccle. 4. 12

Quòd peccata, ſeu mundi res ſitim noſtram augeant, noſque verba facere de rebus ad ſalutem ſpectantibus impediant.

DOCVMENTVM VII.

A ORI *ſiccitas vehemens inest*. Peccati vulnere ſaucia anima, vt ſolet corpus à ſerpente morſum, ſaniem multorum, grauiſſimorumque peccatorum emittere vidimus. Videamus modo oportet iuxta præſcriptum ordinem, quomodo eiuſdem ori ſiccitas vehemens inſit. Sanè omnes in hac vita degentes homines perpetua ſiti ſpirituali laborare non dubium, cum omnes beatitudinem, quæ ſtatus quidam eſt bonorum omnium aggregatione perfectus, toto mentis affectu appetant, quam licet viri iuſti Deo, qui fons aquarum eſt viuentium inhærendo, aliquo modo extinguant; peccatores tamen, qui putridas, turbidaſque creaturarum lacunas expetunt, ipſum Deum relinquentes, illam ſemper magis ac magis augent: nam & quis ambitioſus, auarus, voluptuoſus, adipiſcatur licèt quos ambit honores, quas quærit diuitias, quibus delectatur voluptatibus, ſuam ſitim extinguere aliquando valuit? immo quis, hiſce rebus adeptis, maiori ſiti, & cupiditate non ſemper flagrauit? Quare ſi quis in ſublimi aliqua ſpecula conſtitutus, ex qua totam mundi faciem colluſtrare poſſet oculis, peccatorum hominum ſtudia contemplaretur, eos ſanè ingenti cuidam exercitui in arido, & deſerto loco erranti, in quo nullæ dulces aquæ; ſed lacunæ aliquot lutulentæ ſalſis aquis refertæ eſſent, quam ſimillimos iudicaret. Inde enim cerneret aliquos per vaſtam illam ſolitudinem ad quærendas aquas errantes, alios terram fodientes, ſicubi fortè venam dulcioris aquæ reperirent, alios ſiti enectos lacunis illis incubantes, ſeque inuicem alios comprimentes, atque rixantes, vt aquis illis ſitim ſedare poſſent; eos verò, qui iam bibiſſent, partim putore aquæ grauiter offendi, partim eius ſalſedine æſtuare, & maiori ſiti cruciari. In hoc ergo errore, atque miſeria peccatores homines verſari non dubium, dum ſitim, & flagrans bonorum omnium deſiderium, in falſis hiſce terrenarum opum lacunis ſedare, & ſatiare quærunt: multi enim illarum putore varijs aggrauantur morbis, multi maiori ſemper oris ſiccitate detinentur hydropicis ſimiles, quorum ſitis nunquam expletur; ſed potius per potationem augetur, ob quam tandem ſitim ſedandam ad inferos omnes peccatores ſe damnant, in cuius ianua quidam hanc inſcriptionem haberi dixit: *Impoſsibile eſt introitus eius*: quia dum quærunt peccatores ſitim peccatis ſedare, quod eſt impoſſibile, ad infernum damnari promerentur. Cuius rei Amanus ille apud regem Aſſuerum gratioſiſſimus exemplum non obſcurum præbuit, qui affatim ex his mundanarum rerum voluptatibus cum bibiſſet; ſitim tamen ſuam haud vnquam extinguere valuit: quare, vt in libro Eſther habemus, cum aliquando amicos, & Zares vxorem ſuam ad ſe conuocaſſet, illiſque magnitudinem diuitiarum ſuarum, filiorum turbam, gloriam, quam ſuper omnes habebat, regis fauorem, principatum, & ſeruos propoſuiſſet; poſt hæc ait: *Regina quoque Eſther nullum alium vocat ad conuiuium cum rege præter me, apud quam etiam cras cum rege pranſurus ſum. Vide quantam huius mundi aquam biberit*; ſubdit tamen. *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regis, &c.* O hominum inexhauſta deſideria! ò miſerabilem humanam cordis cupiditatem! erras inſane homo, & vehementer erras, ſi caducis, & perituris bonis tui cordis cupiditatem ſaturandam cenſes: nam haberes licèt Salomonis ſapientiam, Sampſonis fortitudinem, pulchritudinem Abſalonis, felicitatem Alexandri, Cræſi diuitias, Sardanapali voluptates, Mathuſalem valetudinem, atque annos ad hæc omnia fruenda; adhuc tamen ardentiſſima plurium bonorum ſiti laborares; neque enim, vt Sapiens ait, *Saturatur oculus viſu, nec auris auditu*. Sic videat peccator, audiat quantum velit, ſemper tamen cor ſuum vt dolium Danaidum erit, nec his caducis rebus aliquando replebitur. Bene itaque Sapiens: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Quod ſint hæc omnia mundi bona, qualia Sodomitica fuerunt poma poſt Sodomæ deflagrationem, externa quidem facie pulchra, & ſuauia; at carioſa intus, & cinere tantum plena, & vt præſtigia, quæ à laruis exiſtunt, & denique, vt ſomniantium ſomnia, quæ per ſpecies ipſas rerum non per res ipſas exſatiant. Hinc Auguſtinus: *Cum anima creaturam deſiderat, cõtinuam famem habet, quia licet quod deſiderat de creaturis adipiſcatur; vacua tamen remanet, quia nihil eſt quod eam impleat, niſi tu Domine, ad cuius imaginem eſt creata.* Quare, vt Bernardus ait:

Margin notes (left column): Animæ ſitis rebus mortalibus expleri non poteſt. B — C
Margin notes (right column): Inſcriptio inferni ianuæ. D — Eſther 5. — E — Eccle. 1. 8. — Eccle. 1. 2. F — Aug. in ſoliloq. c. 30.

Bern. in decl. ſuper verba B. Petri, Ecce nos reliquimus omnia.

cæteris omnibus occupari poteſt; repleri tamen haud poteſt. Sicut igitur terra non niſi in infimo loco, & ignis non niſi in ſupremo, & ſicut piſcis non niſi in aqua, &
G
arbor non niſi ex radicibus ſitim ſuam ſedare poteſt; ſic peccator oris ſemper vehementi ſiccitate laborabit, dum alibi, quam in Deo, qui centrum hominis eſt, ſitim ſuam ſedare curabit, quippe qui ſolus ſitim noſtram extinguere valet. Hinc fit, peccatorũ linguam ob tantam rerum terrenarum ſitim palato quodammodo hærere, nec loqui poſſe, quæ ad æternam ſalutem, aut Dei gloriam iuuant. ſic *adhæſit*, inquit Ieremias, *lingua lactentis ad palatum eius in ſiti*: lactentes enim peccatores ſunt, qui alijs peccatoribus acquieſcunt: quod perhibuit Sapiens, vbi ait: *fili mi ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis*: etenim licet eorum lingua ad terrena, & ea, quæ mundi ſunt, libera admodum ſit, & ſoluta; in his tamen,
H
quæ Dei ſunt, adeo palato hæret, vt omnem amiſiſſe motum videatur. Quod legimus in libris Iudicum de filijs Ephraim, qui cũ à filiis Galaad, partem Iephte Iudicis populi Dei ſequentibus, interrogarentur, vt *ſcibboleth* dicerent, quod ſpicas, & fructus interpretatur, illud ipſi haud proferre valentes, *ſcibboleth* dicerent, quod pondus, & grauitatem ſignificat. ſic peccatores, qui terrena ſitiunt, ſpicas fructiferas, & verba, quæ cæleſte alimentum tribuunt, effari neſciunt, qui tamen grauia, & onerosa peccati verba diſertiſſime pronuntiant.

Loqui de rebus ad ſalutem ſpectantibus neſciũt peccatores.

Thren. 4. 4.

Prou. 1. 10

Iudic. 12. 6.

Quòd peccatum oculos mentis excæcat.

DOCVMENTVM VIII.

A
OCVLI *vertigine mærent.* Inter multa, & grauia damna, quæ nobis ſæuiſſimus hoſtis peccatum infert, illud non minimum eſſe videtur, quod mentis noſtræ oculos prauis affectibus à concupiſcentia excœcatis obnubilat, & effuſis tenebris excæcat, non ſecus ac contingere ſoleat iis, quos venenatus ſerpens momordit, à denſiſſimis, & frigidis humoribus ſurſum ex vi veneni aſcendẽtibus, ipſorumque oculos denſiſſima caligine ſuffundentibus: cum non ſolum in nobis, dum, prauis affectibus conſentimus, gratiam, quæ lucerna eſt Domini, extinguat; ſed etiã, quod maximè rationi aduerſetur, ipſum quodammodo rationis lumen. Quare ſicut ſacrilegus, & impijſſimus ille rex Antiochus, cum primum Ieroſolymitanum templum eſt ingreſſus, lampadem ex illo abſtulit, quæ ſẽper ſuccenſa templum illuſtrabat; ſic pecca-
B
tum, cùm primum animam noſtram intrat, gratiam, quæ ſola illam illuſtrare poteſt, tollit, eamque obtenebratam relinquit, & quidem ex conuentione, quam cum ipſa habuit; nam ſicut Naas Ammonites nulla alia conditione fœdus inire volebat cum viris Iabes, niſi ab eorum ſingulis oculi dextri eruerentur. *In hoc*, inquiens, *feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrum oculos dextros.* Sic peccatum nullo alio pacto peccatori voluptates ſuas concedit, niſi prius oculum eius dextrum eruat, oculum ſcilicet, illum, quo cæleſtia, & diuina contemplari ſolet; quod etiam dæmones facere conтendunt, vt nos per peccatum cæleſtibus priuare poſſint diuitijs: vnde Climacus: *Omnes dæmones*, inquit, *primum intellectum noſtrum obnubilare contendunt, atque ita demum ea; quæ ſibi ſunt amica, ſuggerunt: niſi enim mentis noſtræ claudantur oculi, theſaurum noſtrum furari non poterunt.*
C
Vt enim latrones ad tutius furandum in noctis tenebris latent, lucemque extinguunt, cum videant impoſſibile eſſe res in luce cuſtoditas furari; ſic dæmones, vt animi noſtri diuitias ſubripiant, (gratiam ſcilicet, & virtutes) internum mentis lumen conantur opprimere: norunt enim ſceleratiſſimi, quod ſicut omnium beſtiarum fortiſſimus Leo pallij iniectu oculorum erepto lumine torpeſcit, facileque vincitur; ſic homo etiã ſi robuſtiſſimus, intellectus, & conſiderationis luce extincta, non magno negotio langueſcit, & ſuperatur: & quo modo non in lucem feræ ſyluarum exeunt; ſed in nocte: *Poſuiſti tenebras*, inquit Dauid, *& facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ, catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi*; ita quærunt
D
ipſi eſcam ſibi in nocte caliginis, & obcœcationis, quod ſciant haud fieri poſſe, vt homo peccet, qui mentis oculis conſideret, in quæ peccando mala incurrat: ex quo merito omnem peccantem dixit Philoſophus ignorantem: *Omnis*, inquiens, *peccans eſt ignorans.* Omnis ſcilicet, qui peccato cõſentit, oculo prius dextero intellectus excœcatur, ne cognoſcenda cognoſcat. Verum cum remaneat peccatori ſiniſter oculus, quo terrena, & humana optimè diſcernit, & diiudicat, illum cœcum, & videntem Iſaias appellat. *Quis*, inquiens, *cæcus, niſi qui venundatus eſt, & quis cæcus, niſi ſeruus Domini, qui vides multa non ne cuſtodies?* En cæcum, & videntem, qui videt multa, & non cuſtodit ea. Hinc optimè Diogenes, teſte Laertio, conſiderans præſides ciuitatum,
B
medicos, philoſophoſque, nullum eſſe animal dicebat homine ſapientius: qui tamen ſomniorum interpretes Coniectores, Diuinatores, Aſtrologos, & huius farinæ homines contemplatus, aliud nullum eo eſſe ſtolidius aſſerebat. Et quidem, ſi & nos peccatores conſideramus oculo ſiniſtro, ſiue quæ ad vſum vitæ, ſiue quæ ad voluptates,

1. Reg. 11. 2.

Climac. de humilit. grad. 26.

Pſ. 103. 20. 21.

Ariſt.

Iſaia 42. 19. 20.

Laert. de vit. Phil. in Diog.

& de-

& delicias pertinent conſpicantes; nullum videbimus animal eo oculatius: quem planè eçcutire dicemus, ſi oculo dextro cæleſtia meditemur contemplantem, vtpote ad malum, vt erant animalia Ezechielis, plenũ oculis ante, & retro; ad bonum vero bubonem, noctuam, veſpertilionem, & ſi quod aliud eſt animal in tenebris volans. Sic impuri, & miſeri illi Sodomitæ, de quibus in
Gen. 19. 11. Geneſi, iuſti viri oſtium, cui prope erant, conſpicere nequibant: qui tamen, Ioſepho,
Sap. 19. 26 Ambroſio, & Auguſtino teſtibus, cætera
F omnia optimè vndequaque videbant. Sic,
Aug. q. 47. in Gen. inquam oculatiſſimi ad mundi res peccatores; oſtium tamen inſtitiæ, & lucem fulgentem ſacramentorum, cui prope adſunt, videre nequeunt. Quare videant licèt oculo
Policro. in catena Græca c. 32 in fin. ſiniſtro; tamen, vt Policronius ait: *inter bos, atque eos, qui omni luce orbati iacent in tenebris, nihil prorſus intereſt in rebus*
Apoc. 9. 2 *gerendis*, quod *aſcendat* vt in Apocalypſi habetur, *fumus putei, ſicut fumus fornacis magna, & obſcuratur Sol. rerum nimirum temporalium cupiditate*, vt ait Au-
Aug. li. 2. de ſerm. Dom. in monte c. 7. guſtinus; *eorum mentis oculi obtenebrantur.* Nam quomodo in cælo duo ſunt luminaria, Sol, & Luna; ſic in homine duo ſunt luminaria, intellectus, & oculi corporis, & ſicut Luna Solem tenebroſum per ecclipſim red-
G dere ſolet; ſic oculi corporis Solem intellectus, dum caducarum rerum pulchritudinẽ conſpicientes, cupiditatem in voluntate excitant, iuxta quam in peccatorum tenebris
Pſ. 39. 13. ambulant. Quo ſenſu: *comprehenderunt me iniquitates mea*, inquit Pſaltes, *& non potui vt viderem*, hoc eſt, & non potui vi-
Pſ. 37. 11. dere quomodo ambularem: *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum*, ipſoque quodammodo rationis lumine priuatus, quaſi equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, in volutabro mearum voluptatum ambulabam. Etenim, vt ait Au-
Aug. in Io. tract. 4. guſtinus; Intellectum habere, & intellectum non adhibere, neque ſecundum eum viuere, beſtialis eſt vita.

Quòd peccatum homines ſurdos ad diuinas voces efficiat.

DOCVMENTVM IX.

A AVDITVS *corrumpitur*. Quomodo potens aliquis tyrannus, vbi arcem aliquam expugnauit, omnes murorum aditus diligenter in primis occludere, atque munire curat, ne clandeſtinus alicui patere poſſit ingreſſus, ita planè ſæuiſſimus tyrannus peccatum, vbi peccatoris dominium habuit, mirabili quadam arte, ipſius mentis oculos, non ſolum, vt vidimus, vertigine moerentes reddit; ſed & auditum in eo verbi Dei corrumpit, illumque aſpidi ſurdæ obturanti aures ſuas aſſimilari contendit, ne ſicut Pſaltes ait:
Exaudiat vocem incantantium, venefici incantatis ſapienter, concionatorum nimi- *Pſ. 57. 6.*
rum, & doctorum, qui cæleſtibus diuinorũ eloquiorum incantationibus ſopire lethalia ipſius venena nituntur; ita vt ſicut aſpis aures ſuas obturat incantationibus, alteram terræ affigendo, alteram, vt Auguſtinus, B
& Euthimius referunt, obſtruendo cauda; *Aug. ſer. 99. de diuerſis. Euthim. in eund. Pſal.*
ita ille terrenis affectibus, & dæmonum ſuggeſtionibus mẽtis aures diuinis vocibus occludens auditum tali pacto corrumpat. Sic Aethiopum populos ad nouiſſimum Nili cataractem refert Plinius ex eo ſurdos eſſe, *Plin. li. 2.*
quia tanto fragore inibi inter occurſantes ſcopulos aquæ ruunt, vt nimia ſoni vehemẽtia auditus inſtrumentum corrumpant: nam, cum teſte Iſaia: *Sit cor impij tanquam mare feruens, quod quieſcere non poteſt*; vn- *Iſaia 57. 20.*
de Dauid de peccato liberatus, de maximo ſe liberatum ſtrepitu dicit: *Eduxit*, inquiẽs, *Pſ. 39. 3.*
me Dominus de lacu miſeria. Hebræus: *de lacu ſonitus*. Chaldæus: *De lacu ſtrepitus*, C
à varijs hinc inde terrenis affectibus agitatum ad verbum Dei percipiendum auditum adcò corruptum habet, vt meritò Sapiens fruſtra eum laborare dicat, qui huiuſmodi hominem verbum Dei audire contendit.
Sic, *ponit*, inquit, *acetum in nitro, qui* *Prou. 25. 20.*
cantat carmina cordi peſſimo: nam ſicut, teſte Beda, acetum nitro ſuperpoſitum protinus ebullit, crepitat, & exfumat, non ſecus ac calx viua aqua perfuſa ſoleat; ita *Beda ibi.*
cor peſſimum, dum verbum Dei decantari audit, non modo illud mente ſua non percipit; ſed potius peius, & acrius euadit, contraque ſuum monitorem non raro exardeſcit: quod nos docuerunt Sedechias, Achab, Ieroboam, Herodes, & alij nonnulli Hebræorum peſſimi reges, inter quos inſignis fuit Ioachim Ioſiæ filius, qui adeò contra ipſum ſacrarum ſcripturarum volumen excanduit, vt vix Iudi tres eius pagellas, D
vel quatuor eo præſente legerat, quando cultello ſcribæ ipſum auſus eſt conſcindere, & in ignem proijcere. *Ne timuerunt*, in- *Ierem. 36. 24.*
quit Ieremias, *nec ſciderunt veſtimenta ſua rex, & omnes ſerui eius qui audierant omnes ſermones iſtos*. Quare ſepultura aſini, vt idem ait, dignus fuit. Sic phariſæi à verbo incarnato verbum diuinum audientes, dicebant Chriſto. *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium babes?* Ex quo meriro, vt Gregorius *Ioã. 8. 48.*
ait, dicere potuiſſet Dominus, quod Iob de coniuge ſua dixerat; *ſed & habitum meum exhorruit vxor mea*, cum ſinagoga Chriſto *Greg. in Iob 19. 17.*
deſponſanda adeo ſaluatoris ſui doctrinæ halitum exhorruerit, vt magis exacerbata in ipſum crepitare coeperit. Et quidem E

non verbi Dei, quod ſanat omnia; ſed ipſius peccatoris malè diſpoſiti vitio: ſic bona ac benè diſpoſita terra aqua fœcundatur, & malè diſpoſita ab eiuſdem guttis in bufones & rubeta conuertitur. Ex quibus impiorum conditio adeo miſera efficitur, vt ſi cum illis ſtultè loquaris, placeas; ſi ſapienter, non intelligant, vel ſubſannent. *Si leuius tractantur*, ait Baſilius, *elato animo inſolentiores plerumque fieri ſolent*: ſi agas aſperiùs, vt vlcus carcinomaticum, quod vocant noli me tangere, magis exaſperantur, æternæ quidem reprobationis, vt Chriſtus phariſæos docuit, non occultum indicium: *Qui ex Deo eſt*, ait ille, *verba Dei audit, propterea vos non*

F

auditis, quia ex Deo non eſtis: Etenim quo pacto aucupes in ipſa intempeſta nocte volucres, amatores lucis, ſuccenſa face nullo aucupantur negotio, quippe quæ ſtatim ad lucem aduolent, eas verò, quæ lucem refugiunt, nullo pacto capere queunt; ita Concionatores, filios, quos vocat B. Paulus, *lucis*, nimirum prædeſtinatos, in ipſa etiam peccatorum nocte poſitos, diuini verbi luce facilè conuertũt, quòd illud libenter audiant; nunquam verò peccatores, qui audire detrectant. Atque adeò Dauid, qui amator lucis Deo dicebat:

Pſal. 118. 105.

lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis, in ipſa peccatorum nocte poſitus, vbi lucem verbi Dei, ſibi per Natan prophetam propalatum vidit, ſtatim accurrens clamare cœpit: *peccaui*. Et BB. etiam Maria Magdalena, & Paulus lucis amantes, vocantem Chriſtum facillimè audierunt, & gentes, vt idem B. Paulus docet, conuerſæ

G

ſunt, & reprobati Iudæi, quòd ad lucem diuini verbi illæ aduolarint, iſti verò ab ea ſemper refugerint. Sic *vobis*, ait ille Iudæis,

Act. 13. 46. 47.

oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus: poſui te in lucẽ gentium, vt ſis in ſalutem, vſque ad extremum terræ. Et infra de Gentibus: *Audientes*, ait, *gentes, gauiſa ſunt, & glorificabant verbum Dei, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Ecce quomodo lucem verbi Dei libenter aſpiciãt ad vitam æternam prædeſtinati. Hinc optime Sapiens:

Prou. 21. 16.

Vir, ait, *qui errauerit à via doctrinæ in cœtu gigantum commorabitur*, ſeu vt alij interpretantur, *in cœtu mortuorum*: nam qui verbi Dei lucem contemnit, & à via doctrinæ

H

aberrat in cœtu mortuorum, eorum ſcilicet, qui morte ſecunda obierunt, vt iam ſunt dãnati, commorabitur: quòd ea vita priuandus ſit, ad quam per viam doctrinæ peruenitur, qui errando à via doctrinæ, viam carnis, & huius ſeculi ambulat, ac proindè cum gigantibus, qui iuxta Bedam, dæmones ſignificant, commorari debet. Iſidorus: *In cœtu*, inquit, *dæmonum commorabitur*. nam ſicut dulce, & periucundum vnicuique eſſe ſolet,

Beda in prouerb. Iſidorus ibi.

qui patriæ, & rebus proprijs non renunciauit, verba de illis facere, & alios de illis loquentes libentiſſimè audire: vndè filij Iſraël in Babylonica captiuitate flebãt, & lamentabantur, dum de patria recordarentur: *ſuper flumina Babylonis* dicentes, *illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion*; ita ad

Pſ. 136. 1.

I

vitam æternam prædeſtinatus, dum patriam illam beatam conſiderat, à qua exulem ſe cognoſcit, ad illius recordationem plorat, verba de illa facientem libenter audit, ſemperque de illa loqui vellet. Hinc de D. Auguſtino, & ſanctiſſima eius matre legimus, quod poſiti apud Oſtia Tiberina colloquebantur ſoli valde dulciter, & inhiabãt ore cordis in ſuprema fluenta fontis vitæ, vileſcebatque illis mundus iſte inter verba cum delectationibus ſuis. Et Scholaſticam ſanctiſſimam virginem cum fratre ſuo Benedicto de diuinis rebus colloquentem, tanta ſuauitate perfuſam narrat Gregorius, vt cum frater imminente iam nocte ad monaſterium redire vellet, illa fuſis cælo ſereno ad Deum precibus, eam vim imbrium impetrauit, quæ fratrem ad monaſterium redire prohibens, totam illam inſuper noctem inſatiabili quadam voluptate, in diuinis colloquijs cum illa tranſigere coëgerit.

Aug. in Conf.

Greg. in dialog. lib. 2

L

Quid verò duos illos Anachoretas memorẽ? quorum cum alter alterum, de diuinis rebus alloquuturus inuiſeret, & lenticulas interim, dum loquuntur, igni admouerent, quibus poſt colloquium reficiendi eſſent, vbi totum diem huic ſtudio impendiſſent, corporeæ refectionis obliti à ſe inuicem diſceſſerunt. Hæc reprobis hominibus, quibus de cæleſti patria nulla eſt cura, quique tantum hæc mundi bona ſibi acquirenda proponunt, licet incredibilia videantur, facile tamen credent, ſi integras ſe conſumpſiſſe noctes in ludis, & alijs mundanis oblectamentis conſiderent, & ſpirituales diuitias tanto cæteras mundi delicias antecellere, quanto ſpiritus eſt carne præſtantior: quare ſanent iam, & ipſi auditum, & cũ prædeſtinatis ad lumen verbi Dei accurrant,

VV. PP.

M

& credent: incipiant amare cæleſtia, & experientia, quæ diximus, comprobabunt.

Quòd peccatum grauiſſimos conſcientiæ remorſus inducat.

DOCVMENTVM X.

A

ACCEDVNT *tormina*. Neque enim ea tantùm, quæ enarrauimus, mala grauiſſima peccatori contingunt, vbi illum peccati venenatus ſerpẽs momordit; ſed etiam tormina accedunt grauiſſima. *Apprehendit*, ſcilicet eum, vt de Antiocho legimus, *dolor dirus viſcerum, & amara internorum tormenta*; nam ſicuti Troianam vrbem equus ligneus à Græcis dolo fa-

2. Mach. 9. 5.

bricfa-

brefactus, haud ingreſſus fuit, vt feſtum diem Troianis ageret, vt illi putabant; ſed vt eorum Gazas, & Priami theſauros ſuffuraretur, ipſamque torminibus repleret vrbem, & ad vltimum excidium dnceret; ſic peccatum dolo à Græcis, mundo ſcilicet, dæmone, & carne perſuaſum non intrat animam, vt eam conſolationibus repleat, vt putant peccatores; ſed vt eam confundat, ſuffuretur, grauiſſimiſque torminibus repleat, conſcientiæ ſcilicet ſtimulis, quibus nullum tormentum, nulla pœna grauior. *Peccatum,* inquit Chryſoſtomus, *mentem flagellat, cor laniat, & quouis tortore grauius apprehendit* & Bernardus: *nulla*, inquit, *pœna grauior eſt praua conſcientia:* mala cõſcientia *proprijs agitatur ſtimulis.* & alibi: *infernus quidã eſt, & carcer animæ mala conſcientia*. Et Auguſtinus. *Inter omnes tribulationes humanas nulla*, inqnit, *eſt maior tribulatio, quàm conſcientia delictorũ:* adſtat enim ſtatim peccatũ pro foribus, vt Dominus prædixit Cain euenturũ; vbi illi ſic habuit: *Sin autem mala egeris, ſtatim præ foribus peccatum tuum.* Hebraicè: haphethah Cattath *Robes*. *Ad oſtium peccatum cubans.* more nimirum moroſi canis, qni hominem, nec ingredi, nec egredi ſinit, quin illum importuno latratu ſemper inquietat, ita licèt Deus peccatorem impunitum ſinat ad tempus; ipſe tamen conſcientiæ morſus, quaſi canis ad oſtiũ cubans ſemper latrat, & peccatorem, quocunque pergit, inquietat. Vnde Iſidorus: *nulla*, inquit, *pœna grauior eſt pœna conſcientiæ: vis autem numquam eſſe triſtis? benè viue. bona vita gaudium ſemper habet: conſcientia autem rei ſemper in pœna eſt: nunquam ſecurus eſt reus animus: mens enim mala conſcientiæ proprijs agitatur ſtimulis*, & Lucanus:

B
Chryſ. 17. in Gen.
Bern. de interior. dom. ad Eug. c. 45.
Et ſer. 4. de aſſumpt. B. Maria poſt me
Aug. tom. 8. in enarr. pſal. 45. in princ.
Malæ conſcientiæ ſtimuli grauiſſimi.
Gen. 4. 7.
C
Iſid. lib. 2. ſoliloq.
Lucan lib. 1.

Omnes in Caſare manes
Hunc omnes gladij, quos aut Pharſalia vidit,
Aut vltrix viſura dies ſtimulante Senatu
Illa nocte premunt: hunc infera monſtra flagellant
Heu quantum miſero pœnæ mens conſcia donat.

D

Hoc feſtum, qnod per ingreſſum peccati in animam agimus: hæc ſunt, quæ promittit gaudia cùm primùm per conſenſum vrbis noſtræ ianuas rumpimus, vt illud introducamus.

Delrius in opere Mariano.
Anima noſtra vrbi ſimillima.

Eſt ſiquidem, vt perbenè Delrius notat, anima noſtra vrbi quàmſimillima, in cuius ſuperiore, & tutiore parte princeps manet: in inferiori vero plebs: ſunt eius ianitores quinque ſenſus, per quos neceſſe eſt tranſire quicquid in vrbem introducitur: eſt eiuſdem ſcriba fantaſia, quæ omnia, quæ intrant, ex ipſis ianitoribus excipit: ſunt quaſi eius tribuni plebis concupiſcibilis, & iraſcibilis facultates, qui ſemper ſe mutuò fouent, & auxiliantur: vnus ex eis nempe concupiſcibilis, quod pulchrum eſt à fantaſia exhibitum adipiſci curat: impedimenta alius, iraſcibilis ſcilicet, expellit. Hinc tumultus non parui, nec infrequentes exoriuntur: ſeditiones contra principem mentem, dum qnod iniuſtum eſt appetunt, at menti quaſi vigil adſtat conſcientia, ſeu ſynderesis, quæ concedenda, & neganda continuò docens, ſemper contra peccatum clamat: *Caue ne aliquando peccato conſentias, & quaſi à facie colubri fuge peccatum.* quod ſi mens illam andire renuat, & potiùs prauæ conſcientiæ peccando ſe ſubdere velit, non ob id à ſuis illa ceſſat clamoribus; ſed vnde timorem incutiat continuò pœnas proponens meritas clamat: fuge, caue, imperium reaſſume, concupiſcentiam ſubde. Ex quo fit, vt qnemadmodum inter tyrannum, imperium inuadentem, & legitimum eiuſdem, imperij regem, nunquam pax eſſe poteſt, quòd omni quærat arte in ſui regni poſſeſſionem rex naturalis reſtitui; ita in anima, cui mens, & ratio tyrannidi concupiſcentiæ ſunt per peccatum ſubditæ, nunquam quies eſſe poſſit; ſed continua inſurgunt in ea tormina, & inteſtini dolores, ſemper reclamante conſcientia, & rationis imperium prouocante: eſt enim illa perpetuus rectè factorum teſtis. Quare B. Paulus: *Veritatem dico, teſtimonium perhibente conſcientia mea*. dux rectè faciendorum, & lumen, de quo Dauid: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*, ſemper illuminans: nam. *Hominum generi*, inquit Chryſoſtomus, *conceſſit diuina miſericordia, vt vnicuique noſtrum inſitum ſit indeprauabile iudicium conſcientiæ, habentis iuſtum inter bonum, & malum diſcrimen, id quod potiſſimùm omnem nobis defenſionem tollit, quod non per ignorantiam in peccata incidimus; ſed per animæ deſidiam, & virtutis negligentiam.* Nec alium vllum habet quis tam fidelem monitorem, nec patrem, nec matrem ipſam, qni vbi ſemel, iterùm, ac tertiò filium increparint, incorrigibilem à domo, & familia abdicant, expelluntque, quod non facit conſcientia, quæ licèt ſemel, iterum, ter, & millies admonuerit; monet tamen iterum, nec ad ſupremum vſque hominis halitum deſiſtit, & domi, & foris peccatorum ſimulacra, ſpectraque frequenter repreſentare. Sic omnes licèt deficiant monitores; remanet tamen ſemper conſcientia, & eum ſeruo illo Iob dicit: *Ego remanſi ſola, vt nuntiarem tibi*.

E
Tob. 12. 10.
Eccli 21. 2
F
Rom. 9. 1.
Pſal. 4. 7.
Chryſ. hom. 5. in c. 1. Gen. ante med.
Conſcientia bonum à malo diſtinguit.
G
Idem tom 2. hom. 4. de Lazaro in c. 16. Luca.
Iob 1. 15

Eſt deniqne conſcientia index, & accuſator, & Iudex quidem adeò ſeuerus, & adeò iuſtus, vt nulla re decipi, vel corrumpi valeat: Sic: *nullus eſt inter homines iudex*, inqnit Chryſoſtomus, *adeo vigilans, vt eſt noſtra conſcientia: nam externi iudices & pecunijs corrumpuntur, & aſſentationibus deliniuntur, & metu ſimulant, deniq; multa ſunt alia, quæ rectum illorum iudicium deprauant. At conſcientia tribunal nulli hominum nouit cedere,*

Conſcientia index & accuſator.
H
Chryſ. vbi ſup. ante med.

ſed

ſed quamuis dederis pecuniam, quamuis mi neris, quamuis aliud quidlibet feceris, iuſtam feret ſententiam aduerſus. peccatorum cogitationes, adeò vt ipſe quoque, qui peccatum admiſit, ſe ipſum condemnet, etiam ſi alius nullus accuſet: neque id ſemel, atque iterum; ſed ſæpius, immò per omnem vitam hoc facere non deſinit, & licèt ingens temporis interuallum interceſſerit; nunquam tamen obliuiſcetur eorum, quæ facta ſunt: quia & I *cùm perpetratur peccatum, & priùs quàm perpetretur, & poſtquam eſt perpetratum, acerbus nobis imminet accuſator.*

Ex hoc ſanè accuſatore mille oriuntur pauores, & mille formidines in peccatore, ex quo fit, vt in ſuis peccatis, & mundi conſolationibus ſemper pauidus maneat, illique contingere ſoleat, quod olim Democli illi Siculo, de quo ex antiquis ſcriptoribus Sidonius, qui cùm nimijs laudibus bona patroni ſui Dionyſij tyranni efferret, ab eodem iuſſus eſt gemmis, margaritiſque ornari, aureo in lecto ſericatoque toreumati imponi, & pranſuro ſardanapalitium in morem panem dari voluit Leontina Segete confectũ, inſuper dapes cultas ferculis cultioribus ante illum apponi, & ſupra tergum ſic recumbentis filo equinæ ſetę L ligatum mucronem diſtrictum è lacunaribus, & ita pendere minantem, vt videretur in iugulum purpurati iam iam ruiturum, qui acunine gulam formidoloſi adeò Tantaleo frenanit exemplo, vt ne cibi ingreſſi per ora, per vulnera exirent, nunquam ex illis tantillum comedere potuerit. Vnde poſt mixtas fletibus preces, atque multimoda ſuſpiria vix abſolutus, emicatimque proſiliens, illa refugit celeritate diuitias, deliciaſque regales, qua ſolent appeti. Sic licet quicquid ſibi eſt in optatis habeant peccatores, viſum, guſtum, auditum, cæteroſque ſenſus prauis cupiditatibus expleant; ſemper tamen eos timere, ſemper interna tormina illos affligere oportet, dum continuo accuſatricem conſcientiam geſtant, & vltionis diuinæ enſem huius vitæ ſtamine ſuper caput pendulum cernunt. Sic Dauid huius mundi bonis licet abundans; poſt M commiſſum tamen peccatum ſe ipſum inquietum teſtatur, dicens: *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum*: nam, vt docet Cyrillus, turpis eſt voluptatis effectus cor exagitare, paceque priuare, quæ omnem ſenſum exuperat. *Plerunque*, inquit Auguſtinus, *irruit neſcio quid repentinum, fit conturbatio cordis, contremiſcit terra, tonitruus datur de cælo, horribilis fit impetus, vel ſtrepitus, leo fortè videtur in via, fit conturbatio, latrones inſidiantur, fit conturbatio cordis, pauetur, vndique ſollicitudo incurritur. Vnde hoc? quia deſeruit me virtus mea; ſi enim maneret illa* N *fortitudo, quid timeretur? quicquid nũtiaretur, quicquid fraudaret, quicquid ſonaret, quicquid caderet, quicquid horreret, non terreret.* Hinc timor Adæ in paradiſo: Cain cum primum peccatum homicidij commiſit: Ammon poſt inceſtum ſororis. Hinc defectus filiorum Iſrael, vbi à viris Hai fugati ſunt, quem obſtupeſcens Ioſue ait Domino. *Quid dicam videns Iſrael hoſtibus ſuis terga vertentem?* Cui Dominus: *Peccauit in me populus tuus, & ideo non poterit reſiſtere aduerſarijs ſuis.* hinc dolores, hinc timores, hinc conſcientiæ grauiſſima tormina.

Sidon. Apollinar. lib. 2. epiſt. 13.

Peccator in quacunque felicitate miſer ob conſcientiæ ſtimulos.

Pſ. 37. 11.

Cyrill. in pſ.

2. Reg. 13.

Ioſue 7. 8.

Fuge igitur, ò peccator, fuge huius mundi voluptates tuo malo illas expertus, intra cubiculum conſcientiæ tuæ, & grauiſſima, quę afferunt, tormina conſidera.

Sed quemadmodum, ait Auguſtinus, *nolũt* O *intrare domos, qui malas habent vxores, quia intraturi ſunt ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad euerſiones, quia non eſt domus compoſita, vbi inter virum, & vxorem pax nulla eſt. Et melius illi eſt foris circuire*; ſic miſeri iſti voluptatum amatores propriam intrare nolunt conſciẽtiam, ne illa ſentiant, licet nec extra ſe ſine torminibus conſcientiæ maneant: nam vt idem Auguſtinus ait: *peccatoribus non eſt locus in ijs, quæ foris ſunt, quia benè eſſe cum malo non poteſt; quiſquis autem malus eſt, male ſecum eſt, torqueatur neceſſe eſt, ſibi ipſi tormentum eſt*; ſed plura de hac materia vide ſupra.

Aug. to. 8. in expoſ. pſal. 31 poſt princ.

Idẽ ibid. pſ. 36 conc. 2. poſt princ.

Sup. c. 3. v. 16 in docum.

Quòd peccati pondus maximum ſit, & importabile.

DOCVMENTVM XI.

C*APITIS grauitas.* Tanta, A talisque eſt grauitas, quam virus peccati in mentem, ſupremam hominis partem inducit, vt nulla res in ea grauior, nulla intolerabilior eſſe queat: nam: *ſuper plumbum*, inquit Sapiens: *quid grauabitur? & quod illi aliud nomen quam fatuus?* quia licet ſit plumbum omni alia re grauius; ſuper illud tamen grauatur fatuus, hoc eſt vir peccator, qui eam peccati ſarcinam ſuſtinet, quam nec cælum, terra, mare, nec quicquid aliud præter infernum eſt, ſuſtinere valet: etenim quamuis cælum ſolidiſſimum ſit, & quaſi ære perfuſum, ut Elephaz dixit Iob: *Tu forſitan*, inquiens, *cum Deo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi, quaſi ære fuſi ſunt?* peccato tamen Angelorum adeò grauatum eſt, ut illud ferre nequiuerit; cumque nihil ſit Angelis ſubtilius, ni- B hil ad aſcendendum aptius, ſimulatque peccauerunt quaſi graui põdere oppreſſi ad ima ruerunt tartara. Solida licet terra ſit. *& fundata*, ut Dauid loquitur, *ſuper ſtabilitatem ſuam. quæ non inclinabitur in ſeculum ſeculi*; ad peccatum tamen Datan, & Abiron de-

Eccli. 22. 17.

Iob 37. 18

Pſ. 103. 5.

hiſcens illos abſorbuit: ſicut nec aliquem
aliorum peccatorum ſuſtineret, niſi Domi-
nus manum ſuam apponeret: Ex quo Da-
Pſ. 93. 17. uid: *Niſi quia Dominus adiuuit me*, inquit,
paulò minus habitaſſet in inferno anima
mea, hoc eſt, terra ſe aperuiſſet, & inferuus
Iren. li. 3. aduer. hæret. c. 3 me viuentem excepiſſet. Hinc Irenæus ex
ijs, qui à Polycarpo martire audierunt, re-
fert de Beato Ioanne Euangeliſta, quòd cum
Epheſi in balneum introiſſet, vbi Cerinthus
hæreticus lauabatur, ſtatim ac illum vidit,
C exiliens dixit, timere ſe ne locus con-
cideret, in quo veritatis hoſtis adeſſet, ſi-
gnificans mirum eſſe terram ſceleſtiſſimos
huiuſmodi homines hæreticos ſuſtinere poſ
Greg. li. 2. dialog. c. ſe. Et Gregorius quendam narrat Florenti-
num, qui inuidia permotus S. Benedictum
veneno interficere, eiuſque diſcipulos ad
laſciuiam inducere curauerat, tota domus
fabrica immobili permanente, ab eodem
ipſo, in quo ſtabat ſolario, miſere oppreſ-
Iſa. 24. 19 ſum fuiſſe. Sic Iſaias: *Confractione*, inquit,
confringetur terra, &c. & grauabit eam ini-
quitas ſua, & corruet, & non adijciet, vt
reſurgat.

Sed quã inualida ſit aqua ad peccati onus
Iona 1. 3. ſuſtinendum, exemplo ſuo nos docuit Ionas,
qui à facie Domini fugiens, vix nauim con-
ſcenderat, quando mare ipſius peccati pon-
D dere grauatum ſe nimis ſentiens, adeo cou-
turbari cœpit, vt eius tempeſtatem expaue-
ſcentes nautæ ad nauim leuandam iacturam
Hier. in Ionã. fecerint; *Arbitrabatur enim*, inquit Hiero-
nymus, *nauem ſolito pondere grauari, neque*
intelligebant totum pondus eſſe fugitiui pro-
pheta. quapropter illam haud vnquam le-
uare potuerunt, donec fugitiuum Ionam
in mare proiecerint. Sic Aegyptij videntes
filios Iſraël per mare rubrum ſicco veſtigio
tranſiſſe, illos, cum inſequerentur, ad ima
maris pondere peccatorum grauati deducti
ſunt: nam abyſſi operuerunt eos, *& deſcende-*
runt in profundum quaſi lapis. Quin & ip-
ſe Apoſtolorum princeps, qui confidens in
Domino ſicco veſtigio mare calcauerat, vbi
diffidere coepit, coepit & mergi. Quare
cum ſolus infernus peccatum ſuſtinere va-
leat, non mirum ſi peccatorem ad illum tan-
quam ad centrum ſuum deducat, adeoque
E velociter, vt dicat Iob de peccatoribus: *Du-*
Iob 21. 13. *cunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad in-*
ferna deſcendunt. Et quidem quod in pun-
cto deſcendant, non niſi ex infinita quadam
ipſius peccati grauitate contingere poteſt;
quia, ſicut philoſophi docent, cum velocius
ad ima res deſcendant, quæ maiorem in ſe
grauitatem habent; liquet inſtantaneo de-
ſcenſui, non niſi infinitam poſſe congruere
grauitatem: & cum rei ponderoſitas à vi,
quam habet ad rem, cui imponitur, depri-
mendã apertiſſime cognoſcatur, eo grauior,
& ponderoſior cenſenda res eſt, quo magis
rem, cui imponitur, deprimit; ſed cum & ipſa
venialis culpa adeo aggrauet animam, depri
matq. vt illã in ipſis purgatorijs ignibus de-
tineat, nec in cælũ euolare permittat, quod
nullum alium pondus poteſt efficere; ſequi- F
tur, nullum aliud eſſe peccati pondere gra-
uius. Ex quo merito Zacharias peccatum Zachar. 5.
ſuper *talentum plumbi* reſidere dicit, ſigni- 7.
ficans, inter grauia grauiſſimum eſſe pec-
catũ, non ſecus ac inter metalla plumbum,
vt inter antiquorum omnia pondera talen-
tum. Quin & Dauid peccatum onus graue
per antonomaſiam vocat, quaſi cætera om-
nia ipſi comparata ſint leuia: vnde ait: *Ini-*
quitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, Pſ. 37. 5.
& ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me,
docens ſimul citra ſupernam opem, nullum
mortalium peccato lęthali ſuccũbentium de
ſub infinito eius pondere, emergere per ſe
ipſum poſſe: ac ſi dixiſſet; *iniquitates meæ* G
ſupergreſſæ ſunt caput meum, nimirum,
culpæ, quibus iram Dei promerui, adeo mul-
tæ fuerunt, vt ſicut aquæ inundantes ſuper-
greſſæ ſint caput meũ, & in illis eouſq; demer
ſus ſim, vt emergere minime potuerim, quod
minus etiam potuiſſem, ſi ſaltem omni one-
re leuatus eniti, & ſuperare molem tantam
iniquitatum potuiſſem: ſed cum illæ ſicut
onus grauatæ ſint ſuper me, tam graui pon-
dere preſſus in profundum demergi coactus
ſum, nec vel in minimo ſurgere valeo. loqui-
tur etiam hoc loco de ſe ipſo Dauid, ac ſi de
vili iumento, vltra modum grauato. loque-
retur, vt inſuper oſtendat viliorem ipſis be-
ſtijs quodammodo hominem peccatis effici,
& onus, quod ſibi peccando imponit, adeo
importabile eſſe, vt illi cogatur cedere, non
ſecus ac cedat iumentum oneri, quod ſuas
vires ſuperat: ſic, *miſer*, ait, *factus ſum*,
& curuatus ſum vſque in finem, eouſque H
ſcilicet, vt amplius curuari non poſſim.

Sed quid mirũ peccati pondere eouſque
peccatorem grauari, ſi & ipſum quodammo-
do Deum fatigaſſe legimus. Vnde: *Laboraui*, Iſaia 1. 14
inquit per Iſaiam, *ſuſtinens*, & quaſi ampliùs
tale pondus ferre nequiuerit, vt canit Ec-
cleſia; *propter nos homines, & propter no-* Eccleſia in
ſtram ſalutem deſcendit de cælis, & veniens, ſymbolo.
vt Dauid loquitur, *in altitudinẽ maris, tem-* Pſ. 68. 3.
peſtas demerſit eum: nam cum genus huma-
num ab hoc grauiſſimo pondere peccati op-
preſſum ad ipſum clamaret; *mitte manum*
tuam de alto, & libera me de aquis multis, ad
illud liberandum Vnigenitus Patris deſcen-
dens, vbi in altitudinem maris miſeriarum
eius perueniſſet, patri nimirum volens pro
illo ſatisfacere, ipſiuſque peccati promeri-
tam poenam ſubire, morte probroſiſſima I
interijt.

Quod ſi tantum peccati onus peccator nõ
ſentit, non dubiũ id ex eo contingere, quod
Deo mortuus ſenſum ſpiritualem amiſerit;
quare ſicut nec cadauera molẽ ſentiunt ſar-
cophagorum, ita non mirum ſi nec ille gra-

uiſ-

Digitized by Google

Ierem. 31. 21.

uiſſimam ſentiat molem peccati. *Statue* itaque *tibi* ò peccator, dicam cum Iſaia *ſpeculam: pone tibi amaritudines*. Extrahe meditatione à ſuo loco peccatum, & illius percipies grauitatem: neque enim grauant res, vt aiunt philoſophi, in proprio loco, quod natatores experiuntur, qui quantumuis in aliſſimas aquas ſe mergant: aquarum tamen pondere haud vnquã grauantur, quod ſi proprio extrahantur loco, nec minimam

L

earum partem ſuſtinere poſſent: Sic, inquam, cum peccandi conſuetudine ſint in te peccata, tanquam in proprio loco, extrahe illa meditatione, & pœnitentia abs te reijce, & quanti ſint illa ponderis cognoſces.

Quòd peccatum hominem reddat fatuum.

DOCVMENTVM XII.

A

Amb. lib. 4 in c. 4. Luca.

FEBRIS *phrenetica*. In hanc incidunt febrem, quos peccati ſerpens momordit; quia vt Ambroſius ait: *non minor eſt febris amoris, quam caloris: nam illa animam, hæc corpus inflammat: febris enim noſtra auaritia eſt: febris noſtra libido eſt; febris noſtra luxuria eſt; febris noſtra ambitio eſt; febris noſtra iracundia eſt*. febris corporea, ſi phyſicis credimus, calor eſt inordinatus naturæ contrarius, qui inflammatus in corde per venas, & arterias, ac ſanguinem in vniuerſum cor-

Peccatũ animæ febris.

pus diffunditur: Sic febris animæ peccatum calor eſt inordinatus ipſi animæ contrarius in appetitu ſenſitiuo inflammatus, qui per intellectum, & voluntatem in eam totam diffunditur. Et quidem calor eſt inordinatus, quia diligit peccator magis creaturas, quam creatorem, corpus quam animam, pro

B

prium commodum, quam ſalutem proximi; quod ordinatus amor, qualis eſt ſponſæ in

Cant. 2. 4.

canticis, de quo ait; *Ordinauit in me charitatem*, haud patitur, quo primo Deus, deinde cætera propter ipſum amantur. Inflammatur calor iſte peccati in appetitu ſenſitiuo, quia vt B. Iacobus ait; *Vnuſquiſque*

Iac. 1. 14.

tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus: & inde per intellectum, & voluntatem diffuſus, animam ipſam perimit: nam vt idem B. Iacobus ait: *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem*. Eſt febris iſta, quam peccatum in animam inducit, non quæcunque; ſed phrenetica, hominem adeo amentem efficiens, vt ob breuem delectationem meritum bonorum operum perdere non dubitet; nam quo pacto,

Græca hiſtoria.

vt Græca narrat hiſtoria, ante Vlyſſem aliquando veſaniam ſimulantem & aratrum

C

per quendam fundum ducentem, vt bellorũ diſcrimina, quæ contra Troiam parabantur, euaderet, Palamedes eius duos filios in terram ante aratrum poſuit, vt ſi illud recta in eos duceret, manifeſte conijceret vere eſſe fatuum: contra vero ſapientem, ſi illud ab eis auerteret; ita cum peccator opera omnia bona, quæ partus ſunt animæ, conculcet, & non ſolum in ea; ſed in propriam etiam animam ſæuiat, ſponte ſua illam detrudens in baratrum, vt in Apocalypſi ab ea fuit ſtella ſignificatum, quæ cadens de cælo aperto abyſſi puteo, ſponte ſua ſe in illum proiecit: ſi huius Palamedis exemplo vti placet, non dubium eum amentem, & eſſe, & dici poſſe. Ex quo ſacræ literæ omnem hominis defectum, & caſum verbo Hebræo *na-*

D

balah, quod à vulgato interprete, virum ſtultum interpretatur, exprimunt. Sic in libris Iudicum legimus virum illum Gabaonitam, qui Leuitam Ephratæum redeuntem ad propria in hoſpitium receperat, conciues ſuos in hoſpitem ſuum inſultantes, vocaſſe nabalah, ideſt fatuos: *Ceſſate*, inquiens, iuxta vulgatam lectionem, *ab hac ſtultitia*, ubi pro ſtultitia ponit Hebræus *nabalah*. Virum etiam ſuum Abigail, qui auarè nimis Dauid contra ſe prouocauerat, iuxta nomen ipſius fatuum appellauit, dum Dauid alloquens dixit: *Ne ponat oro, Dominus meus rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal, quoniam ſecundum nomen ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo*. Sed ma-

Iudic. 19. 23.

1. Reg. 25. 25.

E

niſeſtius Moyſes peccatores omnes fatuos in Deuteronomio vocauit, dicens: *Haeccine reddis Domino popule ſtulte, & inſipiens?* Et Beatus Paulus: *obſcuratum eſt*, inquit, *inſipiens cor eorum*. Dauid etiam peccatum ſuum ſtultitiam vocauit, dicens: *Putruerunt, & corrupta ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ*. Et alibi: *Tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita*. Et verè ſi benè perſpiciamus, nihil eſt, quod hominis mentem æquè ac peccatum peruertat, quod licet ſatis apparuerit in ipſo Dauid, qui poſt peccatum adeò inſipiens euaſit, vt verum putauerit, quod parabolicè à Natan illi narratum fuerat, ouem nimirum reperiri, quæ de pane Domini ſui comederet, de calice biberet, & in ſinu eiuſdem dormiret, eſſetque illi ſicut filia; clarius tamen in agricolis illis cognoſcitur, quos eo dementiæ perueniſſe

Deut. 32. 6

Rom. 2. 21

Pſ. 37. 6.

Pſ. 68. 6.

F

narrat Beatus Matthæus, vt poſt occiſos Domini ſui nuntios, videntes filium, & hæredem dixerint: *hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius*. fieri poſſe credentes, vt à patrefamilias in hæredes conſtituerentur, ſi filium eius occiderent. Sic & diues ille Euangelicus, de quo Beatus Lucas, iam morti proximus in annos plurimos ſe adhuc viuere poſſe credebat: cui Dominus: *Stulte, animam tuam*

Matt. 21. 38.

Luc. 12. 20

hac nocte repetent à te , & quæ paraſti cuius erunt ? Et horum , vt docet Sapiens *infinitum eſſe numerum* , ex eo patet , qnod omnes ferè hnmines ament diuitias , honores , & voluptates, Deum, à quo illæ proueniũt,
Ierem. 2. 12. 13. contemnentes . Vnde : *Obſtupeſcite* , ait Ieremias , *cæli ſuper hoc , & porta eius deſo-*
G *lamini vehementer : duo enim mala fecit populus meus , me dereliquerunt fontem aquæ viuæ , & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas , quæ continere non valent aquas* .
Obſtupeſcite nimirum maximam peccatorũ dementiam , qui cum Denm fontem aquæ viuæ ad extinguendam ſuam ſitim habeant, maximo ſudore ciſternas ſibi parant diſſipatas , diſruptas , inutiles , nec valentes , vel eam aquam , quam ipſi propinant, retinere.
Iſaia 1. 2. *Audite cæli , filios enutriui , & ipſi ſpreuerunt me* . Et quæ maior dementia eſſe poteſt , qnam bene de ſe merentem tanqnam phreneticus nõ cognoſcere, quinimmo ſpernere , & alteri , quod illi deberes , ſacrificinm impendere ? Sic ait Dominus per O-
Oſea 2. 8. ſeam . *Ego dedi ei frumentum , & vinum , & oleum , & argentum multiplicaui ei , &*
Chaldæus. *aurum , quæ fecerunt Baal* , ſeu , vt Chal-
H dæus vertit. *Ex quibus idola fecerunt* .
Quod ſi dementia eſt maxima indumentum capitis pedibus applicare, qualis erit dementia , bona à Deo pro Deo ip-
Iudic. 18. 31. ſo ſuſcepta , in inimicorum eiuſdem Dei vſum , aut creaturis applicare ? Inſipiens ſanè Michas ille , de quo in libris Iudicum , fuit , qui eo tempore , quo rex non erat in
1. Cor. 8. 4. Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi videbatur, faciebat , Theraphim, ideſt idolum colebat , qund , vt Beatus Paulus ait, nihil eſt , illudque ſibi furto ſublatum adeo amarè ſlenit , vt vocibus , & gemitibus totam illam impleuerit regionem. At inſipientiores cenſendi ſunt peccatores , non vanum idolum; ſed verum Deum , qui cælum , & terram implet , criminibus ſibi ſublatum haud lu-
I gentes , neque eiuſdem abſentiam (incre-
Gen. 31. 30 dibilem ſanè calamitatem !) ſentientes .
Laban quoque ſtultè falſorum deorum iacturam dolnit , gener umque ſuum ſeptem dierum itinere inſectatus eſt , vt eos recuperaret . Deos, inquam, qui oculos habenr,
Pſ. 113. 7. nec vident ; manus habenr , nec palpant; pedes habent, nec ambulant , nec denique clamant , *in gutture ſuo* ; ſed multo ſtulriores ſunt peccatores, qui omnipntentis Dei iacturam non dolent, cuius oculis illuminantnr , voce audiuntur , manu potenti ſuſtinentur : neque , vt illum inueniant , atque poſſideanr vſque ad ſe ipſos properare feſtinant . Et quis tantam peccatoris dementiã non miretur ? qui pro rebus parui momenti, vt ſunt huius mundi bona , periculo æternæ damnationis ſe exponit, & ſalutis ſuæ
L prodigus meritum bonorum omnium ſpi-
Oſea 7. 11. ritualium , quæ per totum vitæ ſpatium acquiſiuit , momento vno amittit . Vere , vt
Oſeas ait : *Factus eſt Ephraim quaſi colum-* Hier. ibi.
ba ſeducta non habens cor . nam cæteræ aues , vt docet Hieronymus , pro pullis pugnant ſuis , eosqne defendunt ; at illa non minus corde tarda, quam velox ſit alis, ſuos non dolet ablatos , nec requirit : qnin & in retia quodammodo ſponte ſua incurrens, nec aucnpem retia tendentem aut videre , aut vitare magnopere curat . Ita non abſimili vecordia , aut ſtultitia peccator, cum per peccatum mortale ſe capi , in miſeramque diaboli ſeruitutem deduci cognoſcat , & omnibus ſuis meritis , & bonis priuari , iacturam tamen ſuam, ac ſi pro nihilo haberet, nec in minimo pro ea, quam ſanguineis flere deberet lacrymis , dolet .

Quòd peccatum omnibus tandem animæ bonis peccatorem denudatum relinquat.

DOCVMENTVM XIII.

DENTES leonis dentes illius interficientes animas hominum . Eiuſmodi eſſe diximus dentes leonis, vt ſuo morſu , non ſolum carnem ; ſed & oſſa ipſa comminuat : quod ſanè contingere in anima ex morſu peccati apparet ; neque enim tantnm eo modo, quo diximus , labefactatur ; ſed etiam eius oſſa , nimirũ virtutes, & bonas operationes cõminuit. Per oſſa virtutes, & fortia acta ſignificari docuit Greg. dũ ait ; *Quid per oſſa, niſi* Greg. li. 6. moral. c. 31. & lib. 23. c. 16.
fortia acta ſignificãtur? Et alibi: *Oſſa*, inquit, *in ſcriptura ſacra virtutes accipimus , ſicut ſcriptũ eſt: cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum , vnum ex his non confringetur , quod vtique non de oſſibus corporis ; ſed de virtutibus dicitur mentis ; nam certo nouimus , quod & multorum martyrum corporaliter oſſa confracta ſunt , & perſecutores Domi-* B
ni latronis illius , cui dictum eſt , hodie mecum eris in paradiſo , ſicut alterius latronis in cruce oſſa fregerunt . Hæc omnia à pec- Virtutes labefactat.
cato oſſa comminui , ipſemet Dominus per Ezechielem docuit , dum ait : *Si auerterit* Ezech. 18. 24.
ſe iuſtus à iuſtitia ſua , & fecerit iniquitatem , nunquid viuet ? Iuſtitia, hoc eſt virtutum actionibus : vt etiam apud Beatum Matthæum , vbi dicitur: *Attendite, ne iuſti-* Matt. 6. 1.
tiam veſtram faciatis coram hominibus. Et apud Beatum Paulum : *Operati ſunt iuſti-* Hebr. 11. 33.
tiam . Sic docens, iuſtum dentibus arreptũ peccati , vbi auertit ſe à iuſtitia , mortem animæ non tantum incurrere ; ſed etiam ita bonorum operum merito priuari ; ac ſi nullum vnquam bonum ſit operatus : non enim ; vt Dauid loquitur, *qui operantur* Pſ. 118. 3.
iniquitatem , in vijs eius ambulauerunt : nã licet citiſſimo curſu per viam Dei quis am- C

bu-

Digitized by Google

bulet, bonorumque operum merito repleatur, tamen poſt læthale peccatum remanet ac ſi ſemper ſtetiſſet, nihilque apud Deum promeruiſſet: quare ſicut læſæ maieſtatis reus, fortunis omnibus, dignitate, ac vita ipſo iure priuatur: ita qui peccatum lęthale perpetrant, cum læſæ maieſtatis diuinæ ſint rei; iure optimo, non ſolum Dei charitate, & gratia; ſed etiam omnium virtutum merito expoliantur. Et hæc myſtice comminatio illa fuit, quam legimus factam Iſraëli, vbi dicitur: *Vrbs, de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum, & de qua egediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Iſraël*: nam, vt Origenes docet: anima noſtrorum vniuſcuiuſque vrbs eſt, quæ ædificatur à Domino ex lapidibus viuis, ideſt ex varijs virtutibus, quorum calx, qua inter ſe colligantur, eſt charitas quam vocat Apoſtolus: *vinculum perfectionis*, ideſt vinculum perficiens. colligat enim virtutes, eaſq. mirabiliter perficit. ſicut igitur quotieſcunque peſte, aut fame ciuium numerus per peccata minuitur, contingere ſolet, vt vrbs, de qua mille egrediebantur milites, vix centum poſtea egrediantur, & de qua egrediebantur centum, ad tantam redigatur paucitatem, vt decima tantũ eius pars in ea relinquatur; ita quotieſcunque homo peccatum cõmittit, ex anima, ex qua egrediebantur mille, ideſt omnium virtutum operationes: ſignificatur enim per numerũ millenarium vniuerſitas, vt in pſalmis: *Verbi quod mandauit in mille generationes*, non egredientur niſi centum, numerus decuplo minor, & ex qua centum egrediebantur, non relinquentur in ea niſi decem: nam ſicut de omni verbo ſcientiæ, & intellectus qnod ſciſcitatus eſt, inuenit rex in Daniele decuplũ ſuper cũctos ariolos, ita minuit peccatum omnium virtutum opera, eaque omnibus modis efficit imperfectiora. Et cum decima mille ſit centum, & decima centum ſit decem, & omnium rerum decimæ in lege Deo dicatæ eſſent, has vendicat ſibi aliquando decimas Deus, eaſque in peccatore reliuquit, vt facilius conuerti poſſit; quia licet per lęthale peccatum, bonorum omniũ amittat peccator meritum; remanent tamen adhuc in illo aliquarum virtutũ habitus, quibus, licet improprie, aliquo pacto diſponitur ad diuinam gratiam recipiẽdam; caueat tamen diù conuerſionem ſuam differre, ne quas reliquit Deus in eo decimas, omnino deuaſtet; nam *ponam*, ait per Micheã, *Samariam quaſi aceruum lapidum in agro, cum plantatur vinea*. Hebræus. *In aceruos agri in plantatione vinearum*. Ciuitatem ſcilicet iſtam animæ rebellem non ſolum bonarum operationum meritis minuam; ſed etiã adimplebo ruinis, ponamque muros eius ac ædificia, omnem ſcilicet habitnum ipſius firmitatem in aceruos lapidum, quales fieri ſolent in agris, dum agricola lapides in vnnm locum iacit: etenim ſicut è muro magno impetu arietibus diù pulſato lapides à calce diſſoluti paulatim concidunt; ita peccati mortalis ariete diù pulſata anima, & ſuperbia, virtutes à charitate, quam diximus eſſe vinculum earum, ſolutæ concidunt, & pulchrum animæ ædificium, vrbſque magnifica terræ æquata in aceruum lapidum vertitur, inqne eo ſolo, vbi habitus erant virtutum, à quibus veluti fortiſſimis muris hoſtiũ ſuperabat inſultus, vinea tranſportatur, de qua ſcriptum eſt; *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrha; vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi*. In qua nimirum vites multæ ſunt vitiorum, & peruerſarum cupiditatum propagines, & ne locus in ea vllus ſit vacuus, lapides veteris ædificij dimittuntur in valles, vbi terra, & herbis operiantur, nulliuſque ſint commodi in poſterum; virtutes enim illæ ſolutæ, ac mortuæ, locoque ſuo deturbatæ, puluere terrenarum curarum, & nouarum cupiditatũ germinatione ita operiuntur, vt nullæ appareant, ac ſi nunquam fuiſſent. Tunc reuelantur fundamẽta ædificij, & fides, & ſpes, forma, & vita carentes, ideſt animaduertitur ex operibus, cæteras deeſſe virtutes, & relicta eſſe ſola fundamenta, neq; ea quidem ſatis firma, ſi in ſuis peccatis peccator perſeueret, vineaq. in eo plantata ſuos amariſſimos botros continuo producat; nam remorſum conſcientiæ ferre diu peccator non valens, vt à ſe timorem inferni, bonique amiſſi dolorem excutiat, paulatim de inferno, & de beata gloria dubitare incipit, tandemque cũ inſipiente dicit *in corde ſuo, non eſt Deus*.

Amos 5. 3. — Orig. hom. 8. in Ioſue. — D — Charitas cur ab Apoſtolo dicta ſit vinculum perfectionis. — Pſ. 104. 8. — E — Dan. 1. — F — Michea 1 6. — Vide Riberã in hunc locũ. — Cõuerſio nõ differenda. — G — Deut. 32. 32. — H — Pſ. 13.

Quòd peccatum animas hominum interficiat.

DOCVMENTVM XIV.

DENTES *leonis dentes illius interficientes animas hominũ*. Sicut enim dentes leonis, fortiſſimi cum ſint, pernicioſiſſime, & crudeliſſime humanum corpus perimunt, ipſaque oſſa confringunt; ita miſere, crudeliterque animas hominnm peccatum interficit, dilaniatque, ac vires bene faciendi cõminuit. Quod vt melius perſpiciamus, meminiſſe oportet ex Apoſtoli doctrina, in vnoquoque noſtrũ duplicem eſſe hominem, externum videlicet, & internum, hoc eſt corpus, & animã; ac proinde duplicem in nobis eſſe vitam, & duplicem mortem, nimirum corporis, quam cum brutis, & animę, quã cum Angelis habemus communem; corporeæque vitæ principium animam eſſe, quæ dat vitam corpori, quia

A — 2. Cor. 4. — Vita hominis duplex.

B ſublata moritur corpus; ſpiritualis vero vitæ principium Deus eſt gratia ſua animam noſtram informans, qua ſublata moritur & anima. *Quamuis enim*, vt Auguſtinus ait, *humana anima veraciter immortalis perhibeatur; habet tamen quandam etiam ipſa mortem ſuam.* Et infra: *mors igitur animæ fit, cũ eã deſerit Deus; ſicut corporis, cũ illud deſerit anima, quia,* inquit alibi, *ſicut vita corporis anima eſt, ita vita animæ Deus eſt.* Habet etiam ſpiritualis hæc vita ad inſtar corporalis, quinque ſenſus, nimirum guſtum, quo diuinis fruitur, delectaturque: nam *fructus eius*, inquit Sponſa, *dulcis gutturi meo.* & Dauid: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* Habet viſum, & auditum, quibus audit quæ Dei ſunt, *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam*, inquit idem Pſaltes: Habet olfactum, quo Chriſti adoratur ſuauitatem. vnde ſponſa. *Curremus*, inquit, *in odorem* C *vnguentorum tuorum*. Habet etiam tactum, quo Deum appræhendit, nec dimittit: *Tenui eum*, inquit eadem ſponſa, *nec dimittam.* Habet denique ad inſtar vitæ corporeæ vires, hoc eſt virtutes, quibus ſuſtentatur, quæ omnia ſæuiſſimus hoſtis peccatum aufert, non ſecus ac auferant infirmitates ſenſus, robur, & vitam corporis, quin & ipſum Deum (qui, vt Moyſes docet, *eſt vita noſtra*, & vt ipſemet Chriſtus, *via, veritas, & vita.* Vnde B. Paulus: *Mihi viuere Chriſtus eſt.*) ab anima eijcit, non formaliter, aut effectiue, vt ſcholaſtici loquuntur; ſed demeritorie, animam tali pacto inficiens, vt diuinum fieri gratia habitaculum demereatur: nam vbi per gratiam ab illa Deus diſcedit, & illã viuificare deſinit: *quoniam*, vt Sapiens ait, *in maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in* D *corpore ſubdito peccatis.* Quare ſicut patriarcha Iacob, vt habetur in Geneſi, à Laban ſoccero ſuo nõ expulſus diſceſſit; ſed quod ab eo nõ ea fronte, qua ſolebat, reciperetur: vnde Rachel, & Liæ dixit: *Video faciem patris veſtri, quod non ſit erga me ſicut heri, & nudiuſtertius;* ita cum peccator peccans ab incommutabili bono ad creaturas auertatur, magis eas, quam ipſum Deum diligendo; merito mutando faciem Deus ab illo, vt demeretur, diſcedit, quo diſceſſu, vt diximus, infelix moritur anima, & amplius non niſi nomine viuit, vt B. Ioannes in Apocalypſi ad quendam peccatorem ſcripſit: *nomen*, dicens illi, *habes, quod viuas, & mortuus es*. ſignificans non veram, ſed ſimulatam eius vitam eſſe, qui viuit in peccatis. nam quemadmo- E dum Babylonis ſimulacra, exterius aurea, & ſplendentia, interius vero carioſa vermibus, ac foraminibus erant plena, ſic flagitioſi peccatores egregia quidem, elegantique ſpecie in hominum conſpectu aliquando apparent, nomenque habent quod viuant, cum vere ſint mortui. Sic pater ille Euangelicus filio congaudenti de lætitia ipſius ob reditum prodigi ait: *hic filius meus mortuus erat, & reuixit*: mortuus quidem erat, quia licet ſibi lætiſſime, iucundiſſimeque viuere viſus ſit; luxurioſe tamen, omniaque ſua conſumens in peccatis vixerat. Hinc facile intelligere poſſumus quid ſibi voluerit ſpiritus ſanctus, dum in ſacris literis docet, Saul filium vnius anni fuiſſe quando regnare cœpit, & duobus tantum annis regnaſſe. *Filius*, inquiens, *vnius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnauit ſuper Iſraël*: nam vt Gregorius ait: *licet multos annos regnauerit Saul: illis tamen ſolis regnaſſe dicitur, in quibus innocens, & humilis fuiſſe perhibetur.* Et Hieronymus: *ſic erat Saul innocens, quomodo regnare cœpit, ſicut filius vnius anni, & in eadẽ innocentia duobus annis regnaſſe dicitur.*

Aug. li. 13. de ciu. Dei. c. 2. — *Idem ſer. 13. de ſanct. tom 10. in append.* — *Cant. 2. 3.* — *Pſ. 118. 103.* — *Pſ. 44. 11.* — *Cant. 1. 3.* — *Deut. 30. 20.* — *Io. 14. 6.* — *Philip. 1. 21.* — *Sap. 1. 4.* — *Gen. 31. 25* — *Apoc. 3. 1.* — *Lucæ 15. 24.* — *1. Reg. 13. 1.* — *Greg. lib. 5. in c. 13. Reg.* F — *Hier. lib. de tradit. Hebr.*

Ex quibus liquet illos tantummodo in ſacris literis vere viuere dici, qui cum Deo viuunt, reliquos vero, qui ſine Deo viuunt, nomen tantum habere quod viuant; at vere mortuos eſſe. Sic ad indicandam veram mortem animi mortem corporis ſomnum Pſaltes appellat: *Dormierunt*, inquiens, *ſomnum ſuum.* Et alibi; *Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris.* & in Deuteronom. Moyſes: *Dormiens cum patribus ſuis.* Et in libris regum. *Dormiuit Dauid cum patribus ſuis.* Et multoties alibi: Hinc factum eſt, vt & nos mortuos aliquando dormire dicamus, & quieſcere, vt in ſepulchralibus inſcriptionibus appa- G ret. Hinc ſatis mirari non poſſumus eam eſſe peccatorum dementiam, vt mortem corporis, quæ vmbra eſt mortis, adeo timeant, & veram animæ nihili faciant. nam *quid*, inquit Auguſtinus, *non facit homo ſub mortis periculo conſtitutus? gladio impẽdente ceruicibus prodiderunt homines quicquid ſibi, vnde viuerent, reſeruabant, quis non, vt viueret, continuo perdere voluit, vnde viueret, eligens magis vitam mendicantem, quam celerem mortem? Cui dictum eſt nauiga, ne moriaris, & piger fuit?* Nec tamen vita hæc corporis actibus proprijs creſcit, nec per ſenſuum operationes multiplices, aut perfectior in ſe, aut diuturnior euadit, cum vita ſpiritualis animæ virtutum actionibus augeatur, & maior atq; perfectior in dies efficiatur. ò quantum homines videre, & audire vellent, ſi corporis viſum videndo dilatare poſſent; qui tamen bonis operibus vitam animæ haud propagare curant, cum tamen vita corporis, ſumma licet H diligentia protrahatur, ſemper quotidianis, immo momentaneis diminutionibus exhauriatur, breuiorque & contractior efficiatur, & vita animæ diuinorum mandatorum obſeruantia continuo propagatur. Sic *Iuſtorum ſemita*, id eſt vita ait Sapiens, *quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit, vſque ad perfectam diem*, contra vero vita corporis mors quædam eſt doloribus plena: nam *quis numerare poteſt*, inquit Auguſtinus, *præſentis vitæ moleſtias, eſurire, ſitire, algere, calere, laſſari,*

Pſ. 75. 6. — *Pſ. 87. 6.* — *Deut. 31. 6* — *3. Reg. 2. 10.* — *Aug. in pſal.* — *Prou. 4. 18* — *Aug. de viſit. infirm. c. 6. 10. 9.*

& in-

& innumerabilia alia, ex ipſa cõſuetudine no
bis domeſtica? ſunt tamen initium dolorũ hæc,
tamen quis immunis, quis liber eſt ab his omni
bus? Si igitur huius corporeę miſerę vitę pri-
uationem vltimum terribilium dicit Philoſo-
phus, quid nobis dicendum de morte animæ?
nam ſi tanto peior, & miſerabilior ea cenſe-
tur priuatio, quæ meliori bono priuat, vnde
I valetudinis magis quam fortunarũ amiſſio ti-
meri ſolet, & vitæ quam valetudinis, quæ erit
proportio inter mortem corporis, & animæ,
quarum vna priuatio eſt animæ ab vnione
corporis, & altera animæ ab vnione Dei? Sane
ſicut charadius auis maritima ictерico morbo
laborantes ſua inſpectione ſanare, diſceſſuque
breui ægrotos morituros deſignare docet Ae-
Aelian. li. 15 c. 16. lianus. Ita Dei inſpectio vitam animæ deſi-
gnat, diſceſſuſque mortem. vnde Pſaltes: *re-*
Pſ. 24. 16. *ſpice*, ait, *in me, & miſerere mei*. Et ipſe
Oſeæ 9. 12. Deus per Oſeam: *Væ*, ait, *eis*, nimirum pecca-
toribus, *cum receſſero ab eis*.

Quod turpitudo, & fœditas peccati omnem aliam fœditatem, & turpitudinem ſuperet.

DOCVMENTVM XV.

A NVLLAM eſſe tam grandem
monſtruoſitatem, aut tam de-
formem maculam in humano
corpore, nec vllius eſſe mor-
ticinij, aut cadaueris tam pu-
tridum fœtorem, qui vel ad
minimum deformitati, & putori animæ pec-
catricis valeat cõparari, facile ille cognoſcet,
Animam fœdat. qui animæ pulchritudinem fœdiſſime à pecca-
ta deturpari conſiderabit; nam *electorum ani-*
Greg. ibi. l. 35 moral. c. 14. *mæ*, ait Gregorius, *humanum genus, quod in*
terram ſecundum hominem conſeruatur, ſuæ
pulchritudinis decore tranſcendunt, quanto-
que ſe exterius affligendo deſpiciunt, tanto ſe
verius intus componunt. Hinc eſt enim quod
ſancta Eccleſia, quæ electorum pulchritudi-
ne decoratur, per Pſalmiſtam dicitur: *Con-*
Pſal. 44. *cupiuit rex ſpeciem tuam* Et Ieremias: *Candi*
diores, ait, *facti ſunt Nazarei eius niue, niti-*
diores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſap-
Thren. 4. 7 *phiro pulchriores*. Et quidem licet per Naza-
B reos homines videatur intelligere, qui in vete
ri lege ad altiora perfectionis opera aſpira
bant, ſeque vel ad tempus, vel in perpetuum
Deo deuouebant, ex quo conſecrati, ſeu ſe-
parati (id enim Nazarei nomen importat) di-
Orig. Theodoret. Hugo. S. Tho. in c. 4. Threnor. cebantur. Origenes tamen, Theodoretus, Hu-
go, & S. Thomas, non de illis hic prophetam
verba facere docent; ſed de iuſtis viris noui
teſtamenti, qui optime in puritate, & mun-
ditia niui comparantur: in nitore conſcien-
tiæ lacti: in aſſidua & frequenti exercitatione
rubori antiqui eboris; & tandem in cæleſti con
uerſatione ſaphiro lapidi cærulei coloris. Et
quidem hanc iuſtorum venuſtatẽ tantam ali
quando fuiſſe, vt etiam in externam corporis
partem ipſam Angelorum ſpeciem ſit imita-
ta, plura exempla nos docent, Sic Moyſi ex
diuino conſortio facies ita reſplenduit; illam
vt non poſſent filij Iſrael intueri. Beatiſſimæ
Virgini tanta fuit externa venuſtas, vt, Nice- C
phoro teſte, omnes illam intuentes vehemen- *Niceph. hiſt. eccleſ. lib 2.*
ter mirarentur, quin & ipſe Ioſeph tantum
Virginis ſplendorem intuitus, indignum ſe
illius conſpectu ratus, ab illa recedere cogita-
rit. Chriſto patienti adeo reſplenduit facies,
vt milites haud eam colaphis percutere ſint
anſi, niſi poſtquam velo illam operuerunt, vt
pie auctor commentariorum in Matthæum *Auctor cõmentariorum in Matthæũ inter opera Hieronymi.*
inter opera Hieronymi meditatur. Et cum
Theodoricus rex Cæſareum Epiſcopum Arela
tenſem ad ſuum tribunal ſiſti iuſſiſſet, vt com-
paruit, teſte Rubeo, illum maximo contra *Hier. Rub. in hiſt. Rauẽnat. lib. 3. anno Chriſti 510.*
omnium ſpem affecit honore; tanta enim luce
eius facies, decoreque nituerat, quemadmo
dum idem ipſe interrogãtibus eſt confeſſus, vt D
angelum ſibi non hominem adſtare cenſeret.
Hanc tantam animæ pulchritudinem pecca-
tum ita conſumit, vt quæ prius in ea Angelis
comparabatur, turpiſſimæ cuique rei deinde
poſſit aſſimilari. Hinc Ieremias: *Denigrata eſt*, *Thren. 4. 8*
inquit, *facies eorum ſuper carbones, & non*
ſunt cogniti in plateis, adhæſit cutis eorum
oſſibus, aruit, & facta eſt quaſi lignum. Et
alibi, hoc idem triplici exprimẽs hieroglyphi-
co ait: *filij Sion inclyti, & amicti auro pu-* *Ibid. 4. 2.*
riſſimo, quo modo reputata ſunt in vaſa teſtea
opus manuum figuli. Quin tantam eſſe hanc
peccati deformitatem, vt nulla valeat natura-
li virtute, vel laudabili opere deleri, ſapien-
tiſſime Theophraſtes oſtendit: qui Demetrio *Theophraſt.*
cuidam ſe ob deuictum leonem nimis laudan
ti, vulneraque ſuſcepta oſtentanti ait: Et cur
vulnera Lamiæ non oſtendis? meretricem E
ſignans, cum qua infamem degebat vitam:
ſignificans nulla eum dignum laude, qui in-
fami culpa notatur: nam, vt Ieremias ait:
Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi her- *Ierem. 2. 22.*
bã borith, maculata es in iniquitate tua. nullis
ſcilicet pigmentis tegi, nec vlla vel fortiſſimi
ſaponis vi turpitudo peccati elui poſſe docẽs.
Cuius etiam fœtor tantus eſt, vt omnis mor-
ticinij licet quatriduani fœtorem certiſſime
ſuperet; eſt enim, vel teſte Philoſopho, corru-
ptio optimi peſſima. Quare nulla eſſe poteſt
maior corruptio, quam corruptio mentis, quæ
pars eſt hominis optima; atque adeo peior
eſt corruptio bruti corruptione ligni, corru-
ptio hominis corruptione bruti, corruptio tan
dem animæ corruptione corporis. Hinc opti- F
me Dauid de peccatoribus loquens: *Corrupti* *Pſ. 13. 1.*
ſunt, ait, *& abominabiles facti ſunt in ſtudijs*
ſuis. in illis ſcilicet rebus, in quibus ſummo-
pere delectabantur, abominabiles facti ſunt,
& quidem non ſolum hominibus; ſed etiam
Angelis & ipſi Deo. Vnde *legitur*, inquit San

ctus

S. Antonin. p. 4. ſum. 7 heol. tit. 4. c. 6. §. 2

ctus Antoninus, *quod Angelus in corpore aſſumpto, & Eremita gradiebantur ſimul, & appropinquauerunt cadaueri, quod iam per plures dies iacebat, & fœtebat; Eremitæ autem nares obturanti, dixit Angelus; quare nares tuas conſtringis? at ille non valeo, inquit, cadaueris illius fœtorem ſuſtinere: paulo poſt iuuenis quidam pulcher, & ornatus ſertis floreis, eum phaleris, & ſella aurea equitando tranſibat, & eum adhuc longe eſſet, Angelus cœpit obturare nares corporis aſſumpti: cui Eremita valde admirans, ait: quare nares ita*

G *ſtringis? quia, reſpondit, ille iuuenis laſciuus, & ſuperbus, plus fœtet in infinitum coram Deo, & Angelis, quam quodcunque cadauer coram hominibus.* Hæc ille.

Exod. 30. 8.

Et in Exodo præceptum Dei fuiſſe legimus; ſemper in templo thymiama, bonosque odores comburi: non tantum ob fœtorem animalium, quæ in eo quotidie ſacrificabantur, quantum ob fœtorem peccati, pro quo huiuſmodi ſacrificium fiebat, deſignandum.

Quod ſolus Deus animam à peccato liberare poſſit.

DOCVMENTVM XVI.

A QVASI *rompbæa bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non eſt ſanitas.* Hæc tertia, & vltima res eſt, cui Sapiens peccatum ſimile eſſe dixit: *rompheæ*, nimirum, *bis acuta*, hoc eſt, gladio ancipiti, & ex vtraque parte ſcindenti. *Plaga illius non eſt ſanitas*, pro ſanitas Græcis ἴασις, quod ſanationem, & curationem magis, quam ſanitatem ſignificat, quod peccatum animam, & corpus in vnum feriat, & quidem plaga adeo inſanabili, vt à nullo præter Deum ſanari queat.

Ierem. 30. 12.

Vnde Ieremias: *Inſanabilis*, ait, *eſt fractura tua, peſſima plaga tua, curationum vtilitas non eſt tibi.*

Prou. 30. 4

Et Sapiens. *Quis*, inquit, *ſuſcitauit terminos terræ*, per terminos terræ hominem intelligens, in quem terreſtres omnes creaturæ ſunt ordinatæ, quique vltimo, ac extremo loco inter omnes creaturas fuit creatus. Cuius plagæ non eſt ſanitas, quia præter Deum

B nihil eſt, quod hominem peccatorem iuſtificare queat, ipſumque ex terra cælum efficere; nam agios, quod latinè ſanctum dicimus, idem eſſe docet Cyrillus, ac ſine terra.

Cyrill in Iob. Iob 14. 4.

Vnde Iob: *Quis*, inquit, *poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? non ne tu, qui ſolus es?* nam ſicut totis naturæ viribus omnino impoſſibile eſt à priuatione ad habitum dare regreſſum; ſic omnimode impoſſibile eſt, diuina virtute non interueniente, de peccato, ideſt de priuatione gratiæ, ad habitum gratiæ redire: quam veritatem contra Pelagium ſacra Tridentina Synodus ſic definiuit. *Si quis dixerit hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiunt, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia, poſſe iuſtificari coram Deo, anathema ſit.* — Seſſ. 6. can. de iuſtificat.

Hinc Dominus per Oſeam: *Perditio tua ex te Iſrael, ex me tantum auxilium tuum.* — C Oſeæ. 13. 9

Ac ſi dixiſſet, benè quidem ex propria arbitrij tui libertate te ipſum præcipitem in peccatum dare potes; at ex eo reſurgere non niſi ex me, qui ſolus claues mortis, & inferni teneo. — Apoc. 1. 18

Etenim habet ſe mors animi ad inſtar illius oſtij, quod obſerari à quolibet poteſt; reſerari tamen nequit niſi ab eo, qui clauem habet: Et ad inſtar Crētenſis labyrinthi, quem eo artificio elaboratum ferunt, tantisque viarum ambagibus intricatum, vt qui illum ſemel intraret, ex eo nullo pacto ſine duce egredi poſſet: atque adeò ſicut magi Pharaonis actiua paſsiuis applicando, colubros venenatos, & angues mortiferos procreare poterant, quos enecare nullo deinde pacto valebant; ita pro ſua quiſque arbitrij libertate, angues peccatorum procreare poteſt; at interimere non ſine Deo: quod in Ioas rege ſignificatum — D

fuit, qui præcipiente Eliſæo ſagittam ſalutis haud vnquam emiſit, niſi, vt ſacra dicit hiſtoria, quando *Eliſæus manus ſuas, ſuper manus regis ſuperpoſuit*: cum ſalutis noſtræ ſagittas, ſine gratia Dei, à qua tota ſalus noſtra pendet, emittere haud quaquam poſſimus. — 4. Reg. 13. 16.

Hinc Dauid: *Deus noſter*, inquit, *Deus ſaluos faciendi*, — Pſ. 67. 21.

Et alibi, licet in Vriam, & Betſabæam grauiter peccauerit, dicit tamen Deo: *Tibi ſoli peccaui.* — Pſ. 50. 6.

Quia ſolum Deum nouerat ſuo peccato medicinam adhibere poſſe. Sic æger aliquando perito medico dicit; tibi ſoli ægrotaui, hoc eſt, ab alio ſanari cùm nequeam à te ſanitatem expecto; cum ſicut Beatus Paulus ait: *Non ſit volentis, neque currentis*, — Rom. 9. 16.

E intellige viribus naturæ à peccatis reſurgere: ſed miſerentis Dei, qui tamen gratiam ſuam ſufficientem nemini vnquam negat ad reſurgendum. Cuius rei cauſam, vt percipiamus, ſciendum, vt Sanctus Thomas docet, triplicem incurrere hominem detrimentum, dum peccat, quod tollit qui à peccato reſurgit: nam reſurgere à peccato, eſt reparari ea, quæ amittuntur peccando, videlicet maculam, corruptionem boni naturæ, & reatum pœnæ; maculam, in quantum priuatur homo decore gratiæ ex deformitate peccati: nam ſicut res nitida, rei alicuius ſordidæ contactu maculatur; ita maculatur anima, pulchritudinemque, ac nitorem ſuum, nimirum gratiam, & rectum vſum rationis amittit ex contactu peccati,

S. Tho. 1. 2. q. 109. ar. 7.

Sufficiens ad reſurgendũ è peccato, gratia nemini denegatur.

inhæ-

inhærendo ſcilicet creaturæ per amorem contra regulam rationis, & Dei. Incurrunt F deinde corruptionem boni naturæ, inclinationis videlicet illius, quam habet ad virtutem, ſeu ordinis naturæ, quo voluntas humana voluntati diuinæ in omnibus ſe ſine aliqua determinatione, & ſimpliciter ſubijcit, quæ inclinatio licet à gratia ſit habituali: eſt tamen naturæ benè ordinatæ debita ex dono Dei, ſicuti debitum eſt mihi regnum, poſtquam illud ſemel ex dono alterius accepi, quod, antequam illud accepiſſem, nullo modo mihi debebatur. Incurrit demum reatum pœnæ: nam peccando mortaliter ad æternam meretur pœnam damnari. Quæ tria damna, cum non niſi Deo adiutore homo reparare poſſit; ſequitur ſine auxilio gratiæ, & habitualis, & actualis haud peccatorem reſurgere à peccatis poſſe. Et quidem nequit ex ſe peccator maculam delere peccati; quia cùm decor gratiæ ex illuſtratione diuini luminis procedat, nō poteſt talis decor in anima reparari, niſi Deo denuo illuſtrante; vnde requiritur habituale donum, quod eſt gratię lumen: nec ordinem reparare naturæ, niſi Deus voluntatem ipſius ad ſe trahat: nec pro reatu pœnæ æternæ ſatisfacere, niſi Deus, in quem eſt peccatum commiſſum, & qui iudex eſt hominum in ſe ſatisfaciat. Ex quo manifeſtum relinquitur, nullam aut curationem, aut ſanitatem naturalem reperiri plagæ peccati poſſe. Sed hæc breuiter dicta ſufficiant, ad ſæuitiam, & hoſtilitatem peccati conſiderandam.

CONCLVSIO TRACTATVS.

EX dictis apertè colligitur, quam verum ſit Angeli Raphaelis dictum: *Qui faciunt iniquitatem, & peccatum, hoſtes ſunt animæ ſuæ*, dum peccando adeò hoſtiliter ſecum ipſe peccator agit, vt bona omnia non modo fortunæ, quæ vocant, & corpus diſſipet; ſed etiam ſpiritualia vniuerſo orbe pretioſiora.

ORATIO.

TE igitur, à Pijſſime, & Clementiſſime IESV CHRISTE, *qui pro noſtris ſceleribus tam amanter in perditiſſimorum hominum manus tradi voluiſti, vt probroſiſſima morte tua à morte æterna, quam fueramus promeriti, nos liberares; per illibatam animæ tuæ puritatem, & innocentiam, per immenſum, & immeritum ſanctiſsimi tui corporis cruciatum, & mortem humillime deprecor, vt mihi, & populo mihi commiſſo gratiam donare digneris, quo tempeſtiuè ſæuitiam, & hoſtilitatem lethalis culpæ videamus, quæque facienda nobis ſunt, vt diuinæ tuæ maieſtati placeamus, & pariter voluntatem, ac robur, vt eadem rectè, & conſtanter opere compleamus, vt à peccato liberati, poſt bonam, ſanctam, & laudabilem vitam, per gratiam tuam ad æternam peruenire mereamur. Amen.*

Digitized by Google

DE SVPERBIA, EIVSQVE GRADIBVS, ET REMEDIIS.

TRACTATVS

FABIANI IVSTINIANI GENVENSIS

E Congregat. Orat. Rom. Epiſc. Adiacenſis.

Ad verba Tobiæ cap. 4. verſ. 14. *Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: In ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.*

PRÆFATIO AD LECTOREM.

VIDIMVS ſuperiori tractatu grauiſſima, quæ affert peccatum, damna, quamque hoſtiliter ſecum ipſe agat, qui peccato conſentit: de principe nunc vitiorum ſuperbia, omnis perditionis initio verba facere decreuimus, fuſioriquè tractatione illa diſquirere, quæ ad indicata verba Tobiæ in hiſtorica explanatione, documentoque tetigimus. Et quidem, vt tantæ perditionis, & naturam, & gradus diligentius perpendentes, ab illa, quoad fieri poteſt, ſenſus noſtros reuocemus, nec in verbo aliquando noſtro dominari patiamur; ita enim fiet, vt ſuperbiam, à qua omnem perditionem initium ſumere Tobias docet, radicitus euellentes, omnem aliam peccari perditionem, à quo tanta nobis contingere mala docuimus, prorſus exterminemus. Eſt enim *ſuperbia*, vt Auguſtinus ait, *immoderatus propriæ excellentiæ amor*, ſeu appetitus, qui, vt docet Sanctus Thomas, in actibus voluntarijs, cuiuſmodi ſunt peccata, rationem habet finis. Quare cùm in moralibus finis ſit primum mouens, & quicunque peccat ex parte intentionis propriam excellentiam habeat finem; omnis perditionis initium eſſe ſuperbiam, manifeſtum relinquitur: vel etiam ex parte auerſionis à Deo, cuius præceptum homo ſuperbiendo contemnit, à qua omnis peccati ratio incipit. Hinc Proſper: *Superbia*, inquit, *ideo initium omnis peccati dicitur, quoniam non ſolum peccatum eſt ipſa; ſed etiam nullum peccatum fieri potuit, poteſt, aut poterit ſine ipſa, ſiquidem nihil aliud peccatum, niſi Dei contemptus eſt, quo eius præcepta calcantur, quem contemptum Dei nulla res alia perſuadet hominibus, niſi ſuperbia.* Ex quibus patet ab ijs, qui nolunt in baratrum vniuerſorum malorum decidere, magnis conatibus vitandam ſuperbiam eſſe.

Sup. in explanationibus, & docum. c. 14. verſ. 14.

Aug. ſer. 53. de ver. Dom. & lib. 14. de Ciu. Dei c. 13

S. Tho. 1. 2. q. 84. art. 2. in corpore.

Superbia quomodo omnis perditionis initiũ ſit.

Et quia ex illa tanquam ex infauſta parente naſcuntur Curioſitas, Leuitas animi, Inepta lætitia, Iactantia, Singularitas, Arrogantia, Præſumptio, Defenſio peccatorum, Simulata confeſſio, Rebellio, Libertas peccandi, & Conſuetudo peccandi, quæ duodecim eſſe gradus, quibus ad ſummum eius malitiæ peruenitur, docet Bernardus; de illis poſtquam ſingillatim dixerimus, potiora etiam ad eam expellendam remedia proponemus.

Bernard. in trac. de grad. humilit.

De

De primo ſuperbiæ gradu Curioſitate.

CAPVT I.

A

S.Tho.2.2.q. 167.a.1.& 2

Curioſitas quid.

CVRIOSITAS, vt ex S.Thoma colligitur, nihil eſt aliud, quam ſuperflua quædã cura, & appetitus inordinatus eà noſcendi, quæ vel nobis inutilia ſunt, vel captui noſtro non accõmodata: quam habent illi, qui res alienas, vel ipſas phyſicas ſcientias addiſcere cupiunt, & inueſtigant, vt ipſas tantum ſciant:, & illi, qui videre, audire, olfacere, guſtare, & tangere appetunt, (habet enim curioſitas locum, etiam in notitia ſenſitiua) cauſa tantummodo ſciendi, vel iudicandi, vel addiſcendi ea, quorum notitia nihil ad eos pertinet: non tamen in ipſa cognitione principaliter conſiſtit; ſed in appetitu, & ſtudio inordinatæ cognitionis: Sic: *Curioſitas*, inquit Auguſtinus, *non ad ſubeundam voluptatem, aut moleſtiam; ſed experiendi, noſcendique libidine cõmittitur. Quid enim voluptatis habet videre in laniato cadauere quod exhorreas? & tamen ſicubi iacet, concurrunt, vt triſtentur, vt palleant: Timent etiam, ne in ſomnis hoc videãt, quaſi quiſquã eos vigilantes videre coegerit, aut pulchritudinis vlla fama perſuaſerit; ita & in cæteris ſenſibus, quæ proſequi longum eſſet.* Quare quotieſcunque appetitus is ſciendi nullum rectum finem habet à propheta vanitas appellatur. Vnde ait: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* oculos, nimirum corporis, & animi; corporis, per quos omnis ſenſatio: animi, per quos omnis cognitio ſignificatur; nam omnia ſenſibilia videri dicuntur: quia, vt Auguſtinus docet, cum oculi ad cognoſcendum in ſenſibus ſint principes, ad ipſos curioſitas ſpectat cognoſcendi. Sic *generalis*, inquit, *experientia ſenſuum, oculorum concupiſcentia dicitur, quia videndi officium, in quo primatum oculi tenent, etiam cæteri ſenſus ſibi de ſimilitudine vſurpant, cũ aliquid cognitionis explorant.*

Aug.li.10. cõfeſſ. c.35.

B

Pſ.118.37.

Aug. vbi ſup.

C

Aug.tom.1.li. 10.conf.c.35.

Eſt huiuſmodi inordinatus appetitus ſciẽdi primus ſuperbiæ gradus, quia per illum primo aſcendit homo ad propriæ excellentiæ deſiderium: tũ quia excellentiam quandam ſibi improportionatam expetit, dum rerum inutilium, & improportionatarum notitiam quærit: tum quia, dum res alienas, & cognitionem rerum, inutilium affectat, ſui ipſius obliuiſcitur, dumque aliena inquirit errata, propria deſidioſe prætermittit: *Si enim ſe homo vigilanter attenderet, mirum eſſet*, inquit Bernardus, *ſi aliud vnquam intenderet.* Et Gregorius; *graue curioſitas eſt vitium, quæ, dum mentem ad inueſtigandum vitam proximi exterius ducit, ſemper ei ſua interna abſcondit, vt aliena ſciens ſe neſciat. & curioſus animus quanto peritus fuerit alieni meriti; tanto fiat ignarus ſui.* Quod malum, cum ſe incurriſſe Dauid cognoſceret, dicebat: *Cor meũ conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum*: ac ſi diceret, non orbatum me oculis doleo, quod lynceos, & perſpicaciſſimos mihi habere videor: ſed quod alios inſpiciendo, me dereliquerint: doleo eos mearum prætermiſſionum, & erratorum ignaros ad aliena curioſè inueſtiganda ſe contuliſſe. In hoc enim Sapientes à ſtultis diſcrepant, quòd ſapientes non ſicut ſtulti in calcaneis, hoc eſt infima ſui ipſorum, & beſtiali parte; ſed in capite, & in ſuprema rationis, lumen ſemper oculorum ſuorum ſecum geſtant, vt ſe ipſos conſiderent; quod teſtatur Sapiens, vbi ait: *Sapientis oculi in capite eius: Stultus in tenebris ambulat*: Quare, quo modo ſi duo ſimul in tenebroſa nocte iter faciant, qui ex eis facem defert accenſam ſe ipſum optime, vix vero ſocium videt, cum è contra, qui ſine lumine incedit, optime ſocium, & nihil ſe ipſum conſpiciat; ſic rationis lumen, de quo Dauid: *Signatũ eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, in opere deferentes, ſe ipſos optimè, vix reliquos cognoſcunt: at qui illud in opere minime deferunt, optimè reliquos, vix contemplantur ſe ipſos. Vnde meritò huiuſmodi homines non ratione prædití; ſed magis belluæ, & bruta animantia ſunt cenſendi: dum, licet rationem habeant; ſine ratione tamen, ſicut illa, operantur. Sanè quo pacto ſtudijs deditus ſuum animaduertens cubiculum luminoſum, ab omni ſorde mundum, libris, & omni re vſui, ac ſtudijs ſuis apta refertum, adeo in illo libenter commoratur, vt vix aliquando induci poſſit, vt vel relaxandi animi gratia extra illud exeat: contra vero tenebroſum, ſordidumque illud habens, ijsque commodis vacuum, abſque vlla cauſa extra illud vagatur, libentiuſque in alienis, quam in proprio commoratur; ita qui conſcientiæ cubiculum, lumine rectæ rationis illuſtratum, mundumque habent, libenter illud inhabitant, quod vix ad modicum faciunt, qui illud ſordidum, ac tenebroſum ſe habere conſpiciunt: ſed potius aliena inquirunt. Vnde Sapiens; *Stultus*, ait, *reſpicit per feneſtras; vir autem eruditus foris ſtat.* ac ſi dicat: Sapiens in hoc à ſtulto differt, quod dum alterius domum petit, expectat, donec dominus clauſum oſtium aperiat, vel recedit; at ſtultus ſe ipſum ingerit, & alienam domum curioſè intrat, quòd ſi clauſis ianuis impediatur, per feneſtras, vel per oſtij rimulas, quæ intus fiant, inueſtigat. Sunt hi miſeri ſenibus quibuſdam conſimiles, quorum acies oculorum ſic affecta eſt, vt cum res à ſe diſtantes videant: prope ta-

Bern.de gradu hum. in 1. gradu ſuperbiæ.

Greg.hom.36

D

Pſ.37.11.

Eccle.2.14.

E

Pſ.4.7.

F

Curioſitatis radix.

Eccli.21.26.

G

men poſitas haud diſcernere queunt. Sic *Luc.* 18. 10 phariſæus ille enangelicus in templo conſtitutus, quotquot in plateis erant, raptores, iniuſtos, & publicanos videns, tumorem, quem intra ſe habebat, minime conſpiciebat, nec trabem, quam habebat in oculo; & de publicano ſollicitus, ſui ipſius non recordabatur. Sed quantum huiuſmodi homines, qui quaſi aquilæ, & talpæ animalia in lege immunda, quorum vnum, & ſolem ipſum acumine ſui viſus contemplatur: aliud vero neqoe terram ipſam, in qua degit, cernit, qui ſcilicet nimis alios, ſe ipſos H oihil vident, execretur Deus, dũ vxorẽ Loth curioſè retroſpicientẽ in ſtatuam ſalis conuertit, ſat nobis declaratum voluit. Etenim cum pactũ ſalis, vt in Numerorum libris habetur, ſit ſempiteroum; ſempiterna ſe curioſos affecturum pœna ſignificauit. *Prou.* 20. 10. *Pondus, & pondus*, ait Sapieos, *menſura, & menſura, vtrumque abominabile eſt apud Deum*. quem locum explicans Hieronymus: *Hier. ibi.* *pondus*, ait, *& pondus; hoc eſt pondus maius, & minus: menſura, & menſura. hoc eſt menſura maior, & minor. diuerſum namque pondus in domo ſua, diuerſamque habet menſuram, vt aliter videlicet in ſemetipſo, aliter metiatur in proximo, qui in ſuis ſemper actibus, quæ laudari, in aliorum vero quæ vituperari poſſint rimatur; & ideo huiuſmodi hominem iuſtè abominatur Dominus: quia nimirum quantũ* I *ſibimet ipſi abſque meritis placet, tanto ſuperno inſpectori merito diſplicebit*. O infelicitiſſimos! inuertite, inuertite miſeri cognoſcendi ſtudium, & iam ab externis, ad ea, quæ intra vos exiſtunt, curioſitatem veſtram transferte: nam ſi malorum hiſtoriam aggredi eſt cordi, tantam erratorum multitudinem intra vos ipſos reperietis, malarumque cupiditatum, & negligentiæ ſegetem, vt domi quod agatis affatim habituri ſitis. O verè laudandam Locrenſium legem, quæ, Plotarcho teſte, ſi quis peregrè reuerſus rogaſſet, nunquid noui? eum multa afficiebat: *Plutarch. in opuſc.* *Quemadmodum enim coqui*, inquit ille, *optant vberem pecudum prouentum, piſcatores piſcium: ſic optant curioſi annonam malorum, & negotiorum multitudinem, nouitates, & rerum mutationes, quo ſemper habeant, quod venentur, mactentque. Audi* itaque, *curioſe Salomonem, audi ſtulte*, in- L *Bern. vbi ſup.* quit Bernardus, *Sapientem: Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum: quo enim à te curioſè recedis? cui te interim committis? vt quid audes oculos leuare ad cælum, qui peccaſti in cælum? terram intuere, vt cognoſcas te ipſum: ipſa te tibi repræſentabit, quia terra es, & in terram ibis: ſin alias, non propheta, non Domini, ſed Dinæ, & Euæ, immo ipſius Satanæ imitatorem te dixerim.*

Sed quid, (de illorum curioſitate, qui ſuperſtitioſis ſcientijs aliena inquirunt) dicendum? quique ad futurorum prædictionem, vel ad occultarum rerum manifeſtationem, magicis, & pleriſque aſtrologicis, chiromanticis, hydromanticis, & ſimilibus curioſis ſtudijs vacantes, explicitum, vel ſaltem implicitum cum ipſo dæmone pactum ineunt? O vere miſeri, & nõ M niſi temporali, & æterna morte plectendi! *Maleficos*, inquit Dominus, *non patieris* *Exod.* 22. 18. *viuere*. Et alibi: *Caue, ne inueniantur in te, qui ariolos ſuſcitantur, aut obſeruant* *Deut.* 18. 11. & 12. *ſomnia, atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec diuinos, &c. omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter huiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo.*

Sed hos reprobos omittentes, qnorum ſatis nota eſt impietas, iam videamus.

Quanta ſit curioſitas eorum, qui futura, vel ſua, vel aliorum per aſtra quærunt.

Aſtrologiæ naturalis curioſitas.

DIximus initio, eos omnes curioſos eſſe, qui vel ea ſcire appetunt, quorum notitia nihil ad eos attinet, vel ea, quæ captum eorum ſuperant, quæ duo manifeſtiſſimè appetunt illi, qui aſtrorum contemplatiooi, ad futurorum notitlam, per ſe, vel per alios incumbunt. Duplex enim, vt Theo- N *S. Tho.* 2. 2. q. 95. logi doceot, aſtrorum contemplatio, ſeu aſtronomia, aut aſtrologia, (neque enim hæc duo conſueuerunt diſtingui, vt aliqui faciunt) naturalis ſcilicet, & iudiciaria: naturalis, quæ natoram aſtrorum, planetarum, ortum, occaſum, innctionem, oppoſitionem, varium aſpectum, tum inter ſe, tum ad ſtellas fixas, & Ecclypſes cooſiderat, & ex eorum motu, & ſitu de futuris elementorum, & corporum affectionibus, ſerenitate, pluuijs, tempeſtatibus, niuibus, grandine, æſtu, frigore, corporum tandem alterationibus, & ſimilibus, quæ è cælo pendent, coniectat. Iudiciaria verò ex ſyderum obſeruatione de futuris euentibus, à libero arbitrio aliqua ratione depẽdentibus, vt de conditione vitæ, de matrimonijs, de liberis, honoribus, opibus, infortunijs, O inimicitijs, prælijs, exilio, carcere, morte, alijſque humanis caſibus iudicat, cuius cultores, modo Genethliaci, modo Chaldæi appellantur, & à ſacris literis augures, vt apud Iſaiam, vbi dicitur: *Stent, & ſaluent te* *Iſaia* 47. 13. *augures cæli, Aſtrologi cæli*, habeot LXX. *qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant mentes, vt tibi verè prædicarent.*

Aſtrologiæ naturalis ſcientia vtiliſſima.

Aſtrologia naturalis ea parte, in qua naturam contemplatur ſtellarum, earumq. ortum, occaſnm, aſpectum, colorem Solis, & Lunæ, &c. ſi ad agriculturam, medicam, vel nauticam artem iuuandam, aut aliquo alio bono fine addiſcatur, licita eſt, & vtiliſſima. Hinc Baſilius: *Quantam au-* *Baſil. hom.* 6. *in Hexam.*

tem

tem vtilitatem vitæ præbeat ſignificatio ex aſtris, quis ignorat? Expedit enim nautæ intra portus nauem continere, vbi pericula ex ventis proſpexerit.

P

Expedit iter facienti procul declinare detrimentum ex triſtitia aeris mutationem expectāti: agricolæ autem qui circa ſemina, & plantarum curas occupati ſunt, omnes inde inueniunt operarum opportunitates. Sic profuit huiuſmodi aſtrorum notitia Chriſtophoro noſtro Columbo, qui dum primus Chriſti nomen nouo orbi detuliſſet in inſula Iamaica, cum inciperet deſpici, rebusque neceſſarijs ad ſui, & ſuorum ſuſtentationem carere, minacem Deum inſulanis accerſitis, & iratum, ni ſibi prouiderent, futurum ſignificauit, ſignūque diuinæ iræ futuram poſt biduum Lunæ Ecclypſim dedit, quam cum illi factam poſt biduum conſpexiſſene, rei ignari, & cæleſte portentum iudicarunt, & Chriſtophoro neceſſaria omnia ad commeatum ſubminiſtrarunt.

Ex hiſt. vniuerſal. vtriuſque Indiæ li. 2. c. 19.

Q

Verum ſi huiuſmodi aſtrorum naturæ contemplatio, & ſtudium bono alioqui fine caret, vt ſcrutari quid Sol, quantaue eius rotæ magnitudo ſit, quot ſtellæ firmamento affixæ, quæ diſtantia cæli à terra, &c quæ omnia ſcire nihil, vel parum confert, curioſitas cenſenda eſt. Quare Auguſtinus in ſuis confeſſionibus: *Sunt*, ait, *qui curioſa peritia nouerunt ſtellas, dimetiuntur ſydereas plagas, & inueſtigant vires aſtrorum, Ecclypſes pronuntiant, mirantur hæc omnes, & ſtupent, quia neſciunt, exultant, atque extolluntur, qui ſciunt, & per iniquam ſuperbiam recedentes, atque deficientes à lumine tuo, defectum futurum Solis prauident, & in præſentia ſuum non vident.*

Aug. tom. 1. li. 1. conf. c. 4.

R

Vnde à talibus etiam ſtudijs recedere curioſum hortatur, dum ait: *Dicant quid volunt de cæli ſyderibus alieni à patre, qui eſt in cælis, nobis autem de interuallis, & magnitudine ſyderum ſubtilius aliquid quærere, talique inquiſitione rebus grauioribus, & melioribus neceſſarium tempus impendere, nec expedit, nec congruit: & melius credimus, ea eſſe cæteris maiora luminaria, quæ ſacra ſcriptura ita cōmendat; Et fecit Deus duo magna luminaria, luminare maius, vt præeſſet diei, &c.* Et alibi: *Pauciſſimis*, inquit, *cæterorum ſyderum, vel ortus, vel occaſus, vel quælibet momenta ſine vllo errore ſunt notiſſima, quæ cognitio quanquam per ſe ipſam ſuperſtitione quoſdam non alliget, non multum tamen, ac prope nihil adiuuat tractationem diuinarum ſcripturarum, & infructuoſa intentione plus impedit, vnde commodius, honeſtiusque contemnitur.*

Idem tom. 3. lib. 2. ſuper Gen. c. 16.

Idem tom. 3. li. 2. de doctr. Chriſt. c. 19.

S

Curioſiſſima tamen eſt, licet culpæ mortiferæ expers aſtrologia hæc naturalis in altera ſui parte, qua nimirum ex ſitu, vel motu ſyderum, de futuris, elementorum, & corporum affectionibus iudicat; nam cum nulla aſtrorum, præter Solis, ac Lunæ, virtutis certa notitia, aut experientia ſit, haud fieri poteſt, vt eorum certum aliquem effectum noſcamus. Neque enim ſcire poſſumus, an videlicet is particularis effectus pluuiæ, grandinis, ſerenitatis, à tali, vel tali oriatur planeta, nimirum Ioue, Saturno, Venere, vel alio quopiam; tum quia nunquam hactenus, ob proprium ſpheræ octauæ, ac nonæ motum, idem fuit eorum aſpectus, vnde certa experientia id cognoſci poſſet: tum quia ex alijs cauſis nobis ignotis (neque enim perſpectas habere poteſt homo omnium ſyderum proprietates, aut coniunctiones) talis effectus poteſt impediri, vel etiam immutari à ventis, vaporibus, æſtu, & frigore, & ſimilibus, cum certum ſit, actiones rerum à medij variatione variari, quod etiam ephemeridum annuarum patet experientia, quæ cum vix aliquando verum demonſtrent Ioannes Picus iureiurando confirmat, ex centum triginta prædictionibus nobiliſſimi cuiuſdam mathematici de mutatione cæli, & auræ ſe adhibita accurata obſeruatione tantum ſeptem veras deprehendiſſe, quod non contingeret, ſi proprios ſtellarum effectus nobilis mathematicus cognouiſſet. Quare de Aſtrologis dicere veriſſimè poſſumus, ſi ipſorum excludimus demonſtrationes, quod Beatus Paulus de Cretenſibus: Aſtrologi ſemper mendaces.

Futurorum cōtingentiū præcognitio per aſtra nulla eſſe poteſt

Aſpectus planetarū vnus, ac idem nunquam fuit.

T

Io. Picus li. 2 con. aſtrolog. c. 9.

V

Nec ſatis mirari poſſum hominum curioſitatem, qui cum cæteris hominibus nullam habeant fidem, vbi eos vel ſemel in mendacio deprehendere: aſtrologellis tamen iſtis, millies vna pagina, aut libello mendacij luculenti notatis, fidem adhuc habent aliquam, eorumque emunt prædictiones, ſeu magis mendacia, propter veritatem vnam caſu, & coniectura, aut certa vulgi fama prædictam: nam, vt medici tentando, & multa interrogando recte nonnunquam de morbo vno cenſent; ſic iſti de contingentibus aliquando rem attingunt multa interrogando, *Et neſcio quidem*, ait Boskhierius, *an non forte ex ſtellis erraticæ quædam ſint dictæ, non tam, quod motibus, ſedibuſque incertis ipſæ errent, quam quod in errorem aſtrologos, eorumque clientes inducant, eo dicendi genere, & phraſi, quo pallida mors vocatur, non quæ palleat, ſed quæ pallore cadauera afficiat, & pigra hyems ab effectu.* Non itaque mirum, ſi multo minus de corporis humani temperamento, & inclinationibus ex aſtris, & hora natiuitatis quicquam poſſunt conijcere, cum magis ex temperamentis, & alimentis parentum, quam ab aſtris hæc pendeant. Verum.

Boſkierius in ara cæli Echo concionis 20. vel 10. decadis 2. n. 2.

AA

De Aſtrologia Iudiciaria ſuperſtitioſiſſima curioſitate.

Aſtrologia iudiciaria lege Canonica prohibita.

DIcendum ob maximam ſui curioſitatem, & ſuperſtitionem iure optimo lege canonica prohiberi: vnde non ſolum grauiſſimè peccant; ſed & grauiſſimas cenſuras incurrunt, qui illi operam nauant. *Epiph li. 1. hæreſ. 16.* Epiphanius ſcientiam inconſtantem, & inſanam illam dicit: nam de aſtrologis loquens ait: *Inconſtantem, & inſanam aſtronomiæ ſoliditatem mundo inuexerunt.* BB *Amb li. 4. Hexam. c. 4. to. 4* Et Ambroſius eam appellat inutilem perſuaſionem, impoſſibilem, & ridiculam: *nonnulli*, dicens, *tentauerunt exprimere qualis futurus ſit vnuſquiſque, qui natus ſit, cum hoc, non ſolum vanum, ſed etiam inutile quærentibus, impoſſibile pollicentibus.* Et infra: *Quæ ſua ſunt, neſciunt, & quomodo aliena nouerunt? quid ſibi iuuet ignorant, quomodo poſſunt alijs, quæ futura ſunt, denuntiare? ridiculum eſt credere, quia ſi poſſent, ſibi potius prouiderent.* Thales philoſophus cum aſtra intueretur, non vidit foueam, in quam ſpeculabundus, dum cecidiſſet, ancillæ ludibrio merito fuit, quæ id eum meritò pati dixit, qui eum iuxta pedes poſita ignoraret cæleſtia vellet intueri. *Stobeus ſerm. 78.* Sic Bion maximè ridiculos dicebat eſſe aſtronomos, qui cum non videant piſces iuxta ſe nantes in litore, illos, qui in cælo ſunt, ſe videre dicant. CC Pompeius Magnus, qui his aſtrologicis rebus valdè fuerat mancipatus, haud præſcire valuit ſuam capitis minutionem. *Epiph. li. 7. cõ. hæreſ. c. 1.* Neque Zoroaſtes primus, vt ferunt, huius ſcientiæ indagator, ſe à Niſio ſuperandum, & cædendum præuidit. Quare Alphonſus, cum cæterarum rerum magiſtros honoraret, aſtrologos ſolos præteribat: de qua re cum inter nonnullos quæſitum eſſet, quidam cæteris acutior dicitur reſpondiſſe. *Aeneas Silu. lib. 4 cõment. de reb. Alphõſ.* Sydera ſtultos regunt, impelluntque, ſapientes ſtultis imperant; à ſtultis ergo principibus honorari aſtrologos conſequens eſſe, non à ſapientibus, in quorum claſſe eſt Alphonſus: merito itaque fatua, & inſana ſcientia à Nazianzeno eſt appellata: impoſſibilis, vana, & inutilis ab Ambroſio, ob nimis præcipitem motum ſyderum, eorumque nimiam à nobis diſtantiam: cælum enim octauum dicuntur ipſimet aſtrologi tanta ve- DD locitate moueri, vt intra centeſimam vnius horæ particulam plusquam trecenta millia millium conficiat. Quod ſi verum eſt, in ictu oculari aſpectus aliquorum ſyderũ mutari neceſſe eſt, & quæ in tanto motu poteſt eſſe aut certa ſpeculatio, aut fixa iudicatio? Syderum deinde numerus ferme infinitus eius impoſſibilitatem demonſtrat: nam licet ab aſtrologis nonnullæ numerentur ſtellæ: præciſus tamen eorum numerus haud ſciri poteſt. *Gen. 15. 5.* *Numera*, inquit Deus Abrahamo, *ſtellas cæli, ſi potes.*

Vanam etiam hanc ſcientiam, nullumque eſſe ſtellarum influxum in animis, aut in corporibus ad animum inclinandum, geminorum multorum fratrum natiuitas docet, qui eodem tempore nati diuerſiſſimas inter ſe habuerunt inclinationes. Gemelli, vt multis placet, fuerunt Abel, & Cain; at diuerſiſſima eorum EE ſtudia & mores: tales etiam fuerunt Iacob, & Eſau; vnus autem eorum venator, alter opilio fuit. *Proclus, & Euriſtenes*, inquit Cicero, *Lacedæmoniorum reges fratres fuerunt: at hi non totidem annos vixerunt.* *Cic. lib. 2. de diuinat.* Romulus, & Remus gemelli fuere, at Romulus non Remus regnauit. *Thomas Didimus, hoc eſt gemellus.* Thomas, qui, & Didimus, quod idem eſt ac geminus, ſeu gemellus Apoſtolus fuit Chriſti, & ſaluus; de fratre nihil ſcriptum inuenimus. Sed quid? eodẽ momento temporis quando natus eſt Petrus Apoſtolus non ne etiam alios natos putamus infantes? ipſi tamen ſolummodo claues cæli, & terræ datæ ſunt, quod & de alijs ſanctis dici poteſt. Omnes ne, qui diluuio periere, eodem ſydere nati? qui cremati ſunt in Puteopoli? Omnes pueruli illi innocentes, qui ab iniquo Herode interfecti ſunt? qui in prælijs, igni FF bus, aut mari eodem momento trucidantur, cõburuntur, ſuffocantur? Valeant, valeant diabolicæ iſtæ nugæ, & longe ab humanis mentibus depellantur, quæ ſi aliquando veræ apparent, non vere, ſed præſtigioſe, & dæmonis opera, vt nos decipiat, ſunt procuratæ. *Illi enim ſpiritus, qui decipere volunt*, inquit Auguſtinus, *talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per ſuſpiciones, & conſenſiones eius viderint (id eſt anticipata opinione) quaſi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata ſunt, quæ tamen omnia plena ſunt peſtiferæ curioſitatis, nec enim quia valebant animaduerſa ſunt, ſed animaduertendo, & ſignando factum eſt, vt valeant.* *Aug. lib. 2. de doct. chriſtiana c. 24.*

Sed quam inutilis: immo quam damnoſa (etiam ſi per ſydera præſciri poſſent futura) futurarum rerum notitia ſit, quis eſt qui non GG videat? nam, vt Phauorinus ait apud Gelliũ: *Gell. lib. 14. noct. c. 1.* *Aut aduerſa euentura Aſtrologi dicunt, aut proſpera: ſi dicunt proſpera, & fallunt, miſer fies fruſtra expectando: ſi aduerſa dicunt, & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo. Si vera reſpondent, eaque ſunt non proſpera, iam inde ex animo miſer fies, ante quam è fato fiant: ſi felicia promittunt, eaq. euentura ſunt, tum plane duo erunt incõmoda, et expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurũ gaudij fructũ ſpes tibi iam deſlorauerit.* Omnis enim prædictio mali tum probatur, cum ad prædictiones cautio adiungitur. Sic de Deo Dauid: *Ps. 59. 6.* *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui.* Indicaſti ſcilicet quomodo liberari poſſent. Et Gregorius: *minus enim iacula feriunt, quæ præuidentur.* *Greg. hom. 35 in Euang.* HH Immo carnifices ipſi cum ſunt ferituri, non pronuntiant damnatis; ſed vt à cogitatione ictus mentem auertant hortantur. Merito itaque ſcientia hæc aſtrorum,

ſcien-

ſcientia eſt fatuorum; vana, & inutilis, immo, vt ſic concludam, Deo inimica. Ita Ambroſius: *Sapientia carnis inimica eſt Deo*, aſtrorum ſcilicet inuenta, & diſputatio.

Amb. in c. 8. ad Rom. in illud: Sapiētia carnis inimica eſt Deo.

De Curioſitate circa fidei myſteria.

Dicendum eſt, omnium eſſe curioſitatem curioſiſſimam iuxta ac pernicioſiſſimã, vtpote quæ res diuinas totius naturæ captũ excedentes, ratione percipere quærat, quam illi habent, qui vel curioſe nimis inquirunt quid diuina mens ageret, ante quam mundi fundamenta iaceret: cur alios prædeſtinauit, alios præſciuit: cur hos ad ſe trahat, illos non trahat: cur tandiu generis huma

I I ni redemptionem diſtulit: aut cur tot infidelium nationes in tenebris agere patiatur, hiſque ſimilia. Huiuſmodi enim myſteria humanis mentibus inacceſſa ſunt, & quæ ſcrutari non licet; ſed ſuppliciter in illorum contemplatione decet fidelem clamare cum Apoſtolo: *ò altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Et fortaſſe prima illa parentis noſtræ inobedientia huiuſmodi curioſitatis affectione nõ caruit, quæ vt vidit lignum aſpectu pulchrum, & ad veſcendum ſuaue, curioſitate fœminea: an id, quod ſerpens pollicitus eſt verum eſſet, experiri voluit. Hinc Sapiens: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus*

Rom. 11. 33.

Curioſitas primi peccati radix.

Eccli. 3. 22.

LL *operibus eius ne fueris curioſus.* Maiora ſcilicet, & difficiliora, quam aſſequi poſſis, ne inquiras; ſed illa tantum, quæ præcepit tibi Deus: quod & B. Paulus admonuit, dicens: *Non plus ſapere, quam oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem.* Oſtendens non ſolum nobis euitandum eſſe curioſum ſcientiæ exceſſum; ſed etiam nimium ſcientiæ defectum: ſolent enim meticuloſi quidam homines, & vecordes humilitatis obtentu ſordes puſillanimitatis ſuæ, atque ignominiæ obtegere, ſubducentes ſe negotijs publicis, & maxime fidei, vbi ſua opus eſt doctrina, & diligentia; ideoque iuxta Beati Pauli doctrinam, ita compeſcendus à nobis eſt, infrænandusq. curioſus affectus ſciendi, vt tamen non ſit differendum officium; ſed ſapiendum ad ſobrietatem: hoc eſt adeunda prouincia, quæ nobis incumbit, ne receptum talentum abſcondentes iacturæ factæ pœnas in die iudicij

Rom. 12. 3.

Fidei myſteria curioſè non inueſtiganda.

MM grauiſſimas exoluamus: immiſcendũ vt ſponſa in canticis ait, vinum cum lacte. *Bibi*, inquiens, *vinum meum cum lacte meo*; nimirum vinum, qui potus eſt fortium, & lac, qui cibus eſt paruulorum, virorum ſcilicet prudentia cum paruulorum ſimplicitate; prudentia virorum ad inquirendum quantum ſufficit de rebus fidei; ſimplicitas paruulorum ad facile illa credendum, quæ Deus propoſuit: nam ſicut peruerſi paruulorum oculi ſũt,

Cant. 5. 1.

dum fulgorem Solis aſpicere non valentes ab illo ſe coguntur auertere, & cæcutiunt fortiũ, dum impotentes rotam eius cõtemplari pertinaciter audent. Ita, *qui ſcrutator eſt maieſtatis*, ait Sapiens, *opprimetur à gloria*. Quare ſic miſcendum vinum cum lacte eſt, vt ſapiamus ad ſobrietatem. Vnde Sapiens: *mel*, inquit, *inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus euomas illud*: nam licet ſalubre, & dulce mel ſit; immodicè tamen ſumptum ſoluit ventriculum, facit nauſeam, & ad vomitum prouocat. ſic dulcia licet ſint palato humano diuina myſteria, vt Dauid teſtatur. *Quam dulcia*, dicens, *faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* Et Salomon; *Comede*, inquit, *fili mi mel, quia bonum eſt, & fauum dulciſſimum gutturi tuo, ſic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ.* Qui tamen plus de illis ſumunt, quam ſtomacho intelligentiæ concoquere valeant, plus ſapere volentes, quam oportet, quæ fidei lumine colluſtrati iam benè cognouerant, non raro amittunt, atque adeò à vera excedentes fide, varijs inſuper animi malis ſe immiſcent. Sic filij Iſrael grauiſſima à Deo affecti ſunt pœna, quia dum ſuauiſſimo paſcerentur Man, quod illis in neceſſarijs faciebat ſatis, ſuperfluarum carnium affecti ſint deſiderio, ceparum, ac alliorum: vnde cum ad nauſeam vſque coturnicũ carnes à Domino ſuſcepiſſent. *Adhuc eſca eorum*, inquit Dauid, *erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Sic varijs animi, & corporis morbis, & affectionibus à Deo corripimur, dum ſuauiſſimum fidei Man habentes, quod ad animam noſtram ſuſtentandã ſufficit, plus quam oportet, vana curioſitate, ea ſcire de Deo volumus, quæ reuelare Deus ipſe noluit. Miranda ſanè hominis ſuperbia, qui cum vix valeat ea, quæ iuxta ſe ſunt, cognoſcere, talia inquirere non vereatur. *Difficile æſtimamus*, inquit Sapiens, *quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore, quæ autem in cælis ſunt, quis inueſtigauit?* Nam

Prou. 25. 17.

Eccli. 3. 2.

Prou. 25. 16.

NN

Pſal. 118. 103.

Prou. 24. 13. 14.

Num. 11.

OO

Pſ. 77. 30. 31.

Sap. 9. 16.

PP dicat obſecro curioſus is, quid eſt quod palea tam frigida eſt, vt obrutas niues ſeruet, tam feruida, vt poma immatura maturet? quid eſt quod igne quæque aduſta nigreſcunt, cum ipſe ſit lucidus? quid eſt, quod calx ignem tam latẽter ſeruat, vt nulli noſtro ſenſui prorſus appareat, niſi cum extinguitur? Vt enim occulto igne careat, aquæ infunditur, aquaue perfunditur. *Et cum ante ſit frigida*, inquit Auguſtinus, *inde ferueſcit, vnde feruentia elicta frigeſcunt. Velut expirante ergo illa gleba diſcedens ignis, qui latebat, apparet, & deinde tanquam mortua ſit frigida eſt, vt adiecta vnda non ſit arſura, & quam calcem vocabamus viuam, vocemus extinctam.* Quid eſt tandem, quod magnes trahit ferrum, & illud remittit, ſi Arabicus, vel Indicus adamas approximetur? *Apud Garamantas*, inquit Auguſtinus, *quendam perhi*

Aug. li. 21. de ciu. Dei c. 4.

QQ

Aug. vbi ſup. c. 5.

Plin. lib. 2.

bent eſſe fontem, tam frigidum diebus, vt non bibatur, tam feruidum noctibus, vt non tangatur.

Idem ibid.

In Epiro alium fontem, in quo faces, vt in cæteris extinguuntur ac

Mela lib. 2.

cenſa; ſed non vt in cæteris extinguuntur extinctæ.

Plin. lib. 30.

Aſbeſton Arcadiæ lapidem propterea ſic vocari, quòd accenſus ſemel, iam nō poſſit extingui.

Idem lib. 13. c. 7.

Lignum cuiuſdam ficus Ægyptiæ, non vt ligna cætera in aquis natare; ſed mergi, et quod mirabilius, cum in imo aliquamdiu fuerit, inde ad aquæ ſuperficiē rurſus emergere, quando madefactum debuit humoris pōdere prægrauari.

Oſorius Solin. in Polyhiſtore

Tacit. li. vlt.

Hegeſipp. li. 4.

Poma in terris Sodomorum gigni quidē, & ad maturitatis faciem peruenire; ſed morſu, preſſurave tētata in fumum, ac fauillam corio fatiſcente euaneſcere, &c. De his atque alijs innumerabilibus hiſtorijs reddant rationem, ſi poſſunt, curioſi iſti: quod ſi non poſſunt, cum tamen hęc naturalia ſint, & quomodo tanto, tamq. temerario auſu conantur earum rerum rationē inquirere, quæ totam naturæ humanæ capacitatem ſuperant? Sanè quomodo ſi brutū animal, humanarum actionum rationem inquireret, vt temerarium reijceretur; ita cū ſit homo in comparatione Dei viliſſimū animal, ex quo Dauid: *Vt iumentum*, inquit, *factus ſum apud te* rerum diuinarum naturæ ſua incapaciſſimus, meritò vt temerarius reijciendus, vbi rerum, quæ omnem captū excedunt, rationem ſe atringere poſſe putat.

RR

Pſ. 72. 23.

Et ſi fatuus diceretur, qui grammaticam, antequam prima didicerit elementa, ſcire vellet tentaret; cur non ſtultiſſimus dicetur ille, qui diuina inueſtigare pręſumit, antequā infima, & humana didicerit? *Cum vix paruam ſtillā ſermonis eius audierimus*, inquit Iob, *quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Vnde merito Abbatem Nilum cuidā, quem ſpiritu diuino adulterum nouerat, aliquando à ſe percunctanti, An ſaluus eſſet admirabilis ille Salomon, nec ne, reſpondiſſe ferunt. Et ego ſcire etiam de te vellem, an ſaluus ſis, nec ne. Quæ enim vtilitas mihi, vel tibi, ex ſalute, vel damnatione Salomonis? non enim illi, ſed nobis præceptum fuit illud. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* De Salomone autem nihil vſquā reperimus in ſacra Scriptura, talibus docens non curioſè de aliena, ſed de propria inueſtigandum eſſe ſalute.

SS

Iob 26. 14

Baron. in annal. to. 6. an. 976. n. 4.

Propria non aliena inquirenda.

Matt. 5. 28.

TT

Sanè *quemadmodum*, inquit Plutarchus, *venatores non ſinunt canem aberrare, & quemlibet odorem proſequi; ſed loris retrahunt, reuocantque, olfactum eius ſeruantes purum, & integrū officio peculiari, vt acrius inhæreat veſtigijs; ſic oportet, & curioſitatem ad quiduis ſpectandum, audiēdumue excurrentem, atque aberrantem cohibere, atque retrahere, quo ſeruetur ad vtilia. Etenim ſicut leones, & aquilæ dum ambulant, vngues vertunt retrorſum, ne aciem illorum, & cuſpidem deterant; ſic exiſtimantes curioſitatem ad multarum rerum cognitionē, aciem quandam, & acumen habere, ne conſumamus illud, nec hebetemus in rebus deterrimis: ſecundo vero loco conſueſcamus, quando præterimus fores alienas non introſpicere, nec in ea, quæ ſunt intus oculis irrumpamus, vtentes curioſitate vice manus: Sed illud Xenocratis in promptu ſit, qui negauit quicquam referre vtrum pedes an oculos inferas in ædes.* Et paulo inferius. *Hoc etiam admonendum ne redditam epiſtolam mox ſoluamus, quemadmodum faciunt plerique, qui ſi manu ſint tardiores, dentibus epiſtolæ vincula dilacerant. Cum ergo quondam Romæ diſſererem, Ruſticus ille, quem poſt occidit Domitianus, gloriæ illius inuidus, me loquentem audiebat, atque interim ſatelles accedens, Cæſaris epiſtolam illi reddidit, atque orto ſilentio, meque ſermonem interrumpente, quo poſſet epiſtolam legere, noluit, nec prius reſignauit, quam ego finiſſem orationem, ac dimiſiſſem auditorium. Qua quidem in re omnes viri grauitatem admirati ſunt.* Hæc ex Plutarcho, vt vel ſaltem confundantur philoſophum talia docuiſſe, quæ nos veri Dei cultores ſi faceremus, maximum quid facere crederemus. Sed iam de alijs ſuperbiæ gradibus à Bernardo enumeratis diſſeramus.

Plutarch. aduerſ. curioſ. vit.

VV

De leuitate animi ſecundo, & inepta lætitia tertio ſuperbiæ gradu.

CAPVT II.

A

VT igitur miſer homo ad curioſitatis primum ſuperbiæ gradum peruenerit, ſuique ipſius oblitus ad actionem alienarum, rerumque inutilium contemplationem ſe dederit, ſecundum iam ſuperbiæ gradum aſcendit, qui eſt leuitas animi: nam dum quoſdam in multis ſibi ſuſpicit ſuperiores, quoſdam vero inferiores deſpicit, inde *leuigatus animus*, inquit Bernardus, *nunc per inuidiam nequiter tabeſcit, nunc per excellentiā pueriliter hilareſcit, in altero nequā, in altero vanus, in vtroque ſuperbus, quia & quod ſuperari ſe dolet, & quod ſuperare ſe gaudet amor propriæ excellentiæ facit.* At quia proprium eſt ſuperborum læta ſemper appetere, iuxta illud: *Cor ſtultorum vbi lætitia*, ad tertium inde gradum, qui eſt inepta lætitia, ſe transfert: nam cum gaudium, quod ſemper appetit, frequēti videat interpolari triſtitia, quam de bonis alterius contrahit: *impatiens ſuæ humiliationis*, inquit Bernardus, *ſibi ſua vilitas, & aliena excel-*

Bern. in trac. de grad. hum. grad. 2.

B

len-

lentia monſtratur, reſtringit curioſitatem, & diſſimulans, in quo alter praecellit, tantũ in quo ipſe videatur praecellere curioſus notat. Inepta hæc lætitia dicitur, quod intra ſe ipſam contineri vix queat, ſed hominem ſemper ad inania, ſcurrilia, & ludiera prouocet, vnde qui illam habent, teſte Auguſtino.

Aug. de conf. vit.

Vt quid, dicunt, *animi gaudium intus abſcõdis? ingredere in publicũ lætus, dic aliquid foras, vnde vel tu, vel proximi videant*. Et quidem, vt extrinſeca illa, & tumultuoſa lætitia, cõſcientiæ morſum, qui animũ de culpis dolentem reddit, non ſentiat. Sic enim ſacrificuli idoli Moloch, vt Ieremias docet, varijs & tumultuoſis inſtrumentis efficiebãt, ne parentes gemitus filiorum, quos ſacrificabant, perciperent.

Ierem. 7. 31.

C

Sed quantum hæc lætitia hominẽ Chriſtianum dedeceat Chryſoſtomus his verbis declarat.

Chryſoſt. Matt. hom. 6

Non eſt, inquiens, *noſtrũ aſſidue ridere, reſolui cachinnis, molliri delicijs, ſed eorũ potius, et earum, quæ ſpectantur in theatris, quæ in lupanarijs inquinantur, eorum, qui adhuc ſunt facti paraſitorũ, & adulatorum: non eſt, inquã, hoc eorum, qui ad æternum regnum vocati ſunt*. Quare Caietanus:

Caiet. Eccli. 21.

Riſus, inquit, *raro tribuitur ſapienti, & gaudia nihil egregij pariunt*. Nam *fatuus*, vt inquit Eccleſiaſtes, *in riſu exaltat vocẽ ſuã: vir autem ſapiẽs vix tacitè ridebit*.

Riſus raro tribuitur ſapienti.

Fatuus, cuius cor timore vacuũ eſt, cachinnos edit, Sapiens vero, qui vallem lacrymarũ ſe incolere videt, lacrymatur, & vix tacitè ridet; etenim *gaudere, & ridere in hoc ſeculo, non eſt hominis ſenſati, ſed phrenetici*, inquit Auguſtinus.

Aug.

D

Et quis vnquam ſapiens incarceratus ad fatum, fabamque mortis riſit? Paucis ſanè quadrat illud Saluiani

Saluian. lib. 7

Sardonicis quodammodo herbis omnem Romanum populum putes ſaturatum, moritur, & ridet: nam rarus, qui ridendo mortem vltimum terribilium toleret. Sapientes timent iudicis ſententiam, timent ſe luituros poſt mortem pœnam eorum, quæ viuentes peccarunt, illudque Sapientis dicunt:

Eccle. 2. 2.

Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? riſus, inquam, leuitatis, non fortitudinis: etenim multos ſanctorum fortiter, conſtanterq. riſiſſe non dubium: quod ſi morti adiudicatum leuiter, & inaniter ridentem fatuum dicimus, cur non homines ſtultos dicemus, qui morbi ob patrata ſcelera adiudicati, & ni reſipiſcãt æternæ, ſemper rident, & in tripudijs verſantur?

E

Sanè ſi in ſpatioſiſſimo quodam campo maxima hominum adeſſet multitudo, quibus ab Angelo reuelatum eſſet caſurum è cælo fulmen, pempturumque ex eis vnum, vel plures, quiſque ſibi timens, ni fugere inde poſſet, illacrymans preces ad Deum funderet, ne ſibi tantum malum contingeret, maiorique niſu tremerent vniuſcuiuſque membra, cor palpitaret, ſanguis congelaretur, non cibũ, non potum, non ſomnum eſſet qui caperet: & ſi ex illa multitudine quiſpiam adeſſet, qui tali nuntio non modo non commoueretur; ſed ſicut prius rideret, comeſſationibus, & ebrietatibus indulgeret, phreneſi laborare, vel fatuitate diceretur; ita cum multo maius periculum certa reuelatione ſibi imminere homo ſciat, fulmenque, ac ſagittam ſumme læthalem, & extimeſcendam diuinæ iuſtitiæ, qua peccatores æterna morte puniuntur, caſuram, ni eos ſuorum peccatorũ pœniteat; quomodo qui graui contaminatus eſt culpa non fatuus eſt cenſendus, ſi hæc ſciens rideat?

F

Quomodo nos omnes ridere poſſumus audientes Dominum dicentem:

Matt. 20. 16. & 7. 14

Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi. Et, *Anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam*. Et Chryſoſtomum, dum in inſigni ciuitate Antiochiæ, Syriæ metropoli concionaretur.

Chryſ. hom. 6. ad popul.

Quot, inquientem, *eſſe putatis in hac noſtra ciuitate, qui ſalui fiant? infeſtum quidem eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen: non poſſunt in tot millibus centũ inueniri, qui ſalui fiant, quin & de his dubito*. Quod an vir ſanctus amplificandi gratia, an alia ratione dixerit, modo nõ eſt animus diſquirere. Heu fulmen è cælo lapſurum, non timemus, & ignem æternũ ab æterna procedente iuſtitia non pertimeſcimus!

G

O infelices! & vnde quæſo tanta vecordia? vnde hęc extrema fatuitas? Merito itaq; inepta hæc lętitia ſuperborum dicitur, qui vanitate tantummodo huius mundi paſcuntur.

De iactantia quarto ſuperbiæ gradu.

CAPVT III.

A

QVARTVS ſequitur ſuperbiæ gradus, quem Bernardus dicit iactantiam. Ariſtoteli ἀλαζονεία, quæ propriè vitium eſt in ſermone contra veritatem, cum quis maiora de ſe prædicat, quam ſibi inſint: eidem Ariſtoteli ἀλαζών, ideſt iactator, quòd ſi fiat de malo quod quis fecit, non eſt propriè iactantia, quia deeſt mendacium; ſed eſt vana gloriatio ſimilis iactantiæ, eo peior, quo res, de qua gloriatur, peior eſt; ſi autem fiat de malo, quod non fecit, eſt peccatũ iactantiæ, quia eſt mendacium, quo de re maiora prædicat, quam inſint.

Iactantia quid.

Nec obſtat malum id eſſe, quod de ſe dicit, quia accipit illud inſtar boni, & laudabilis, & ita in opinione ipſius bonum eſt. hoc vitium licet de ſe peccatũ ſit veniale, quando tamen vel eſt contra gloriam Dei, vel in notabile damnum proximi, vel de graui culpa, graue etiam peccatum eſt.

B

Aſſimilat iactabundos Plutarchus cupreſſo, quæ licet alta ſit arbor; nullum tamen fert fructum.

Plutarch. de Phocione.

Laoſtenes, inquit, *cum*

Athenienſes ad inferendum reliquæ Graciæ bellum aſſiduis ſtimulis concitaret, ac de ſe multa, variaq. iactaret, Phocion ait: Cupreſſui ſunt planè ſimiles ſermones tui. illæ enim magnæ ſunt, nec tamen vllos ferunt fructus, niſi ridiculos. Quare Salomon:

Prou. 14. 23.

Vbi verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas. Etenim vites, quæ folijs multis luxuriantur, vini haud multum proferunt; ita qui multa de ſe ipſis garriunt, & iactant, raro multi conſentaneas actiones edunt: nimis enim magnum videtur, & non niſi Heroum, quod Liuius de Romulo prodidit:

Liuius de Romulo.

C

Iactantia ſapientiam, & prudentiam fugat.

Plutarch.

Dictis, factisque perinde quam eſſe magnificum. Nam iactantia, ſapientiam, & prudentiam in primis expectorat, nec fieri poteſt, vt vel ſapiens fiat iactabundus, vel ſi iactabundus quis eſſe incipiat, ſapiens perſeueret. Veriſſimum enim illud Plutarchi: *Vaſa inania maxime tinniunt*, ita quibus minimum eſt mentis, quam loquaciſſimi ſunt, & iactabundi. Quare Eccleſiaſticus: *Sicut*

Eccli. 19. 11.

ſagitta, ait: *in femore carnis, ſic verbum in ore ſtulti.* Vacui enim cum ſint ſapientiæ, conceptum ſermonem minime retinere poſſunt; ſed ſicut ſagitta femori infixa grauiter, niſi euellatur, excruciat; ſic conceptus ſermo in ore iactabundi non ſinit eum quieſcere, donec extra perferatur. Hinc Bernardus.

Iactabundus linguam cohibere non poteſt.

Bern. in hoc gradu.

Eſurit, & ſitit iactabundus auditores, quibus ſuas iactet vanitates, quibus omne, quod ſentit, effundat, quibus qualis, & quantus ſit innoteſcat.

D

Miſeri ſanè, & miſerabiles! Auceps reuocabilem accipitrem non emittit manu, niſi cernat at deam, nec venator item reuocabilem carnem ſoluit, niſi viſa præda: nos miſeri irreuocabile verbum, ex quo quales ſimus innoteſcit, in aerem mittimus, nulla nobis propoſita animæ vtilitate. Qui mœnia quatiunt milites, ſulphureas machinas non niſi ad ruinā ictu collibrato explodunt, & Chriſtianorum verba incaſſum volabunt, & in proprium ea proferentis exitium? Petrus

Pet. Dam. ſer. 2. ſeu de vit. lingu.

Damianus iactabundos comparat aui, quam vocant turdelam quæ ſuam ſibi necem cibi concoctione parat, frutex enim ex eius fimo naſcitur, qui viſcus appellatur, cuius tenacitate ab aucupe ipſamet deinde capitur, & igne aſſa comeditur; ita iactabundi, verba vana dum proferunt, laqueos nectunt, quibus vafri dæmones eos vinciunt, & ignibus æternis cremandos deinde tradunt.

E

Quod exemplo Sanctus Gregorius comprobat. Sic ille:

Greg. 4. dial. c. 51.

Felix Portuenſis Epiſcopus quandam ſanctimonialem in Sabinenſi prouincia fuiſſe teſtatur, quæ quidem continentiam habuit, ſed linguæ procacitatem, iactantiam, & ſtultiloquium non declinauit. Hæc igitur defuncta, atque in Eccleſia ſepulta eſt. Eadem autem nocte cuſtos eiuſdem Eccleſiæ per reuelationem vidit, quia deducta ante ſacrū altare per medium ſecabatur, et pars vna illius igne cremabatur, & pars altera intacta remanebat, cumque hoc ſurgens mane fratribus narraſſet, & locum oſtenderet, in quo fuerat igne conſumpta, ipſa flammæ combuſtio ita ante altare in marmoribus apparuit, ac ſi illic eadem fœmina igne corporeo fuiſſet concremata.

Iactantiæ pœna.

F

Qua pœna, quod dicebamus, indicatur, nempe morti æternæ, atque ignibus æternis addictos, cibumq. dæmonum fieri, quos iactantia, & vaniloquia capiunt. Huc alludebat ille, quem R. Iehuda per vicos, & compita clamare conſueuiſſe narrat ſibi pharmacum vitæ domi eſſe. quem

Rab. Iehuda lib. Muzar. c. 12.

adiens filia Rab. Iodai, patriq. renuntians, à circumforaneo ille quæſiuit, vbi nam calix ille pharmaci vitalis eſſet: nam ſibi eo empto opus, cui ille: quem ego vendo calicem, tu quoque vendis. Scriptum eſt enim in pſalmis: *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit*

Pſ. 33. 13.

dies videre bonos? prohibe linguam tuam à malo. Indicans linguæ cuſtodiā eſſe vitæ calicem, eiusque vanā iactationē mortis. Quare Dauid;

Lingua cautè cuſtodienda.

Dixi, inquit, *cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.*

Pſ. 38. 2.

G

Dixi non externa tantum, aut vocali voce; ſed & mentali verbo apud me ipſum ſtatui parcere ori meo, ne lingua peccem; eſt enim cuſtodire vias ſuas in ſacris literis idem aliquando, quod cuſtodire os: Sic, *qui cuſtodit os ſuum*, inquit Salomon, *cuſtodit animam ſuam.*

Prou. 13. 3.

quā ſententiam alibi repetens ait: *Cuſtos animæ ſuæ ſeruat viam ſuam.* Et vertunt LXX. *Cuſtos animæ ſuæ parcit ori ſuo.*

Ibid. 16. 17.

LXX.

Sic Iob vias ſuas cuſtodiuit, de quo ſacra Scriptura: *In omnibus his non peccauit Iob in labijs ſuis, neq; ſtultum aliquid contra Deū locutus eſt.* Vtinam hæc nobis ſemper obuerſarentur ob oculos! vtinam ea iugiter lingua, ac corde pronuntiaremus! Pambus Aegyptius ex illis priſcis pœnitentiç laudibus claris patribus, teſte Socrate, ad quendam ex doctoribus monachus literatum ipſe ignarus accedens, vt pſalmos edoceretur, auditis primum allatis verbis pſalmi, recuſauit vlterius diſcedendo progredi, quia, aiebat, pauca illa verba, ſi opere impleret, ei ad perfectionē ſuffectura.

Socrat. in hiſt. eccl. li. 4. c. 23

H

Abijt nec ſemeſtri toto magiſtrū adiuit, è quo tum obiurgatus, quod ad reliqua diſcenda nō redijſſet, ſe excuſauit dicens, non dum primū verſiculū re ipſa tenere. Poſtea multis annis elapſis ab alio interrogatus nū verſum illum iam probe calleret: quadraginta, & nouem annis reſpondit ſe illum vix adimplere valuiſſe. quo exemplo quanta frænandæ linguæ ſit difficultas conijcere poſſumus, quāque merito impoſſibilem viribus naturæ dixerit B. Iacobus eius cuſtodiam, in ſua canonica, vbi ait: *Omnis quidem natura beſtiarū, volucrum, & ſerpentium, & cæterorum domantur, & domita ſunt à natura humana: linguam autem nullus domare poteſt, inquietum malum, plena veneno mortifero.*

Iacob. 3. 7. 8.

Dicas itaque ſerio: *Dixi cuſtodiam, etc.*

Digitized by Google

Et Dom nus dab t tibi gratiam, vt non delinquas in lingua tua, etenim cum, præueniente diuina gratia, tibi adiaceat velle, qui dedit velle, dabit & perficere. *Sciamus*, itaque, vt ait Ambroſius, *neminem iactare ſe debere, nam ſi Petrus lapſus, qui dixit, & ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ſed non ego: quis alius iure de ſe præſumat? Denique, & Dauid, quia dixerat: Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum, eam ſibi iactantiam obfuiſſe confitetur dicens; auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Ne glorieris in craſtinum ait Salomon; ne laudes te, habet Hebræus, de his, quæ facturus es in die craſtino, laudet te alienum os.*

Amb. & habetur 6. q. 2. can. imitere.

I

Ec hoc illud eſt, quod præcipue noſter Tobias filium ſuum docet, dum ait: *Superbiam nunquam in tuo verbo dominari permittas.* Etenim ſicut Auguſtinus ait; *Iactantia non eſt vitium laudis humanæ; ſed vitium animæ peruerſæ amantis humanam laudem.*

Aug. li. 10. de ciu. Dei c.

De *Singularitate V. ſuperbiæ gradu.*

CAPVT IV.

A

Antonin par. 2 tit. 3. §. 8.

Singularitas quid.

SINGVLARITATEM definiens Antoninus ait: *Singularitas, eſt facere aliquid vltra communia, & conſueta ad honorem, & reputationem ſuper cæteros captandā,* quam amplexari dicit eos, qui nouitates in opinionibus, in verbis, in veſtimentis, vel in alijs rebus, etiam ſpiritualibus inquirunt, quique in tractationibus, & negotijs gerendis ab aliorum diſcrepant modo, & ſententia, vt præ cæteris doctiores, ſubtiliores, ingenioſiores, & prudētiores videantur. Eſt etiam altera ſingularitas, qua ſcilicet iuſtus à conſortio, & imitatione iniquorum, & imperfectorum, ſe ipſum ſegregat, vt diuinam legem perfectius obſeruet, & diſciplinam ſanctorum cautius, & diligentius cuſtodiat; hæc tamen, vt patientiæ filia, feruoris ac virtutum mater chariſſima, amplectenda, ſicuti eam omnes ſancti & electi viri, vt dilectiſſimam ſociam ſunt amplexati.

B

Peccatorum conſortium vitandum.

Pſ. 140.

Dicat proinde virtutis cupidus, quod in perſona Dauidis dictum eſt: *Cadent in retiaculo eius peccatores, ſingulariter ſum ego, donec tranſeam.* nam ſi peccatores in diaboli retiacula incidunt; optimum eſt ſeorſum ab illis diſiunctumque eſſe, ne ſimul in ea ipſa diaboli retia incidamus. Hanc amplexatus eſt ſingularitatem noſter Tobias, vt iam vidimus: quare *cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Iſraël, ipſe ſolus fugiebat conſortia omnium. Cumque omnes ederent ex cibis gentilium, ipſe cuſtodiuit animam ſuam, & nunquam contaminatus eſt in eſcis eorum.*

Tobias c. 1 5. & 12.

Vnde cum Dauid dicere poterat: *quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* *Pſ. 4. 10.*

C

Vitanda tamen prima, de qua præcipue noſter eſt ſermo, vtpote ſuperbiæ filia, & multorum vitiorum mater, & animæ omnimoda deuaſtatio, quod innuit, teſte Bernardo, Dauid, vbi ait: *Exterminauit eā aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* *Pſ. 79. 14.* Aper, vt Auguſtino placet, ſingularis ferus dicitur, quod ob ſingularem ſuam feritatem ſolitudinem amet, & aliorum eſſe comes dedignetur. *Aug. in pſ.* Talis eſt ſingularitas, quæ animam totam hominis deuaſtat, ipſumque hominem ferinum efficit, dum eum ab aliorum opinione, & conuerſatione diſgregat: etenim cum homo, vt homo, non ſingulare animal ſit, ſed ſociale, dum vnionem, & conformitatem morum cum reliquis hominibus non habet, nec ſocialis eſſe poteſt, & conſequenter nec homo: *De his quid dicam*, ait Bernardus, *niſi manus eorum contra omnes, & manus omnium contra ipſos, animales ſpiritum non habentes, quoniam nemo in ſpiritu Dei loquens dicit anathema Ieſu?* *Bern grad. 5.*

D

Hoc vitium Luciferum à ſuprema, quam habebat inter Angelos felicitate deiecit, quia alijs ſtantibus ipſe ſedere, & æqualitatem habere ad Deum concupiuit. Luciferi ſingularitas. Angeli quidem vniuerſi coram ſuo ſtabant Conditore; nam ſcriptum eſt: *Seraphim ſtabant ſuper illud*, *Iſaia 6. 1.* hoc eſt ſuper templum, vbi gloria Domini ſe oſtendebat. & rurſus: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* *Dan. 7. 10.* Et B. Paulus: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus?* *Heb. 1. 14.* Solus Lucifer ſtantibus cæteris ſedere voluit, dicens in corde ſuo; *Sedebo in monte teſtamenti, & ſimilis ero altiſſimo.* *Iſaia 14. 13.* Vnde propter ſuperbam ſingularitatem ſuam, & ſingularem ſuperbiam, è manſionibus cæleſtibus deturbatus eſt, & pulcherrimus Angelorum monſtruoſus dæmon effectus. Exterminauit eum Aper, &c.

E

Quid itaque mirum, ſi eadem in homine ſingularitas faciat, quod in ſupremo effecit Angelo, & ipſius etiam deuaſtet animam, & exterminet, à cœpta eū deijciendo iuſtitia? Heu quot reperiuntur, qui religioſorum, & communem piorum vitam plus æquo remiſſam iudicātes, dum ſingularia quædam exercitia facere incipiunt, miſere in huius ſingularis apri deuaſtationē incurrunt? Singularitatis damna. Sic enim multoties contingit, vt qui ſingulariter voluerunt ſuper capita ſuorum fratrum ambulare, poſtea corporeis incommodis illigati cupiant, nec poſſint eorundem pedibus adhærere: ideſt qui per ſuperbam ſingularitatem voluerunt maiora, & difficiliora præſumere, deinde non valeant communem fidelium vitam ſeruare; ſed neceſſe habeant mille indulgentijs, & præceptorum Eccleſiaſticorū relaxationibus ſuffulciri, quique ſingulares eſſe voluerunt,

F

ſem-

ſemper ſingulares eſſe cogantur : ita vt qui-
bus prius communis piorum vita delicata,
& mollis apparebat, poſt modum ſingulares,
tepidi, & puſillanimes euadant, eorundemq.
piorum fidelium vitam diſcretiſſimam, ſibi
Iona 2. exiſtiment intolerabilem. Qualium virorum,
Ionas figura fuit, qui Niniuem ciuitatem iam
conuerſam ad Dominũ, & pœnitentiam agen
tem ingredi detrectans, ad orientem potius
ciuitatis ſolus ſedere voluit, ibique noua ad-
uerſus ardorẽ ſolis vmbracula requirere, quæ
miraculo adinuenta dum minus putabat, ſub
mota ſunt, ipſeque vſque ad mortis deſide
rium ſolis ardore combuſtus. Sic inquam ſin-
gularis, dum communem conuerſationem
G iuſtorum recuſans, nouam, & inuſitatam vi
uendi rationem inducere tentat, aut æſtu ſu-
perbiæ concitatur, aut ſi præ corporis infir-
mitate perſeuerare non poſſit, verme iracun-
diæ, atque indignationis affligente corrodi-
tur. Non ſic prudentes viri, qui ſocialem
vitam non deſerentes ſuper iuſtorum vias iã
Iſa. 49. 9. cognitas, protritaſque paſcuntur : *& in om-
nibus planis paſcua eorum*.

Et hæc cauſa eſt, quare diabolus quaſi al
ter Goliath ad ſingulare certamen ſemper iu
1. Reg. 17. 4. ſtos homines prouocat, quos congregatos &
coniunctos, ſe ſuperare non poſſe cognoſcit:
etenim licet non ſit poteſtas ſuper terrã, quæ
Iob 41. 24. comparetur ei; iuſtorum tamẽn congrega
Cõmunitas Dæmoni formidabilis. tio, & cœtus: nimirum Eccleſia, eidem *terri-
bilis* eſt *ſicut caſtrorum acies ordinata*. qua-
H re ſicut pyrata haud temere nauem aggredi
præſumit, quæ copioſæ coniugatur claſſi; ita
diabolus haud virum illum aggredi præſumit,
qui ſanctorum doctrinæ, vitæque communi
cat. Quando aquæ erant congregatæ, vt ſa
Gen. 1. 2. cræ narrant literæ, Spiritus Sanctus fereba-
tur ſuper eas, quod tamen non dicitur fe
ciſſe; poſtquam ab inuicem ſunt ſeparatæ, vt
oſtendatur eos à Spiritu Sancto deſeri, qui ſin
gulares ſunt, ſeque à communi iuſtorum vi
ta ſuperbè nimis ſegregant. Sane Petrus col
legio apoſtolorum aſſociatus Chriſtũ confite
Matt. 16. 16. tur dicens, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, ab
Apoſtolis deinde ſeparatus ait, quia *neſcio ho-
Marci 14. 71. minem iſtum, quem dicitis*. Cum cæteris au-
dit : *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, &
Matt. 16. 17. ſanguis non reuelauit tibi; ſed pater meus
qui in cælis eſt*: ſegregatus, ne in maledictio-
ne, qua oppreſſus eſt, pereat, à Domino be-
nignè reſpici debet, & vt ſaluet ſe ipſum ad
I gregem reduci. Thomas extra cœtum Apo-
ſtolorum viſione Chriſti reſurgentis priuatur,
tantaque cordis duritie tangitur, vt dicat:
Io. 20. 25. *Niſi videro in manibus eius fixuram clauo-
rum, & mittam digitum meum in locum cla-
uorum, & mittam manus meas in latus eius,
non credam. Falleris, Thoma, falleris*, in-
Bern. ſer. 6. de Aſcenſ. quit Bernardus, *ſi videre Dominum ſperas ab
Apoſtolorum collegio ſeparatus; non amat ve-
ritas Angulos, non ei diuerſoria placent, in
medio ſtat, ideſt diſciplina communi, commu
ni vita, cõmunibus ſtudijs delectatur*. Sic ſo-
lus deceptus eſt, qui alijs deinde aggregatus
ad mentem redijt, beneficijſq. quibus priuatus
fuerat, abunde potitus. Sed quod peculia-
riter ſingulares confundit eſt Heronis exem-
plum, de quo etiam ſupra, Caſſiano teſte, quin- Caſſian. coll. 2. c. 5.
quaginta annis in Thebaidis deſerto commo- Sap. c. 3. verſ. 6. docum. 2.
ratus, dum ibi ſingularem continentiæ rigo-
rem tenere vellet, illuſione diaboli miſere à L
ſummis ad ima deiectus eſt : ſiquidem, vt ille
ait, *tanto rigore inimitabilem ieiunijs con-
tinentiam exercuit, & ſolitudinis, cellaque
ita iugiter ſecreta ſectatus eſt, vt ab eo partici-
pationem ineundi cum fraternitate conuiuij,
nec veneratio diei Paſchalis aliquando potue-
rit obtinere, in qua fratribus cunctis pro an-
niuerſaria ſolemnitate, in Eccleſia retentatis
ſolus non potuit aggregari, ne quantulumcun-
que perceptione leguminis paruæ à ſuo videre-
tur propoſito relaxaſſe*. Quam ſingularitatem,
& ſolitudinem, cum perſpexerit verſipellis
beſtia, transfigurans ſe in Angelum lucis ad
ſingulare certamen acceſſit, & dum eum tan-
ti meriti apud Deum eſſe diceret, vt ſi ex ar-
duo aliquo loco ad imum rueret, corpus ſuũ
affligi, lædiue non poſſet, infelix immemor M
ſcriptum eſſe : *Non tentabis Dominum Deum* Matt. 4. 7.
tuum: ſed potius in perniciem ſuam illud im-
prudenter amplectens : *Angelis ſuis Deus* Luc. 4. 12.
mandauit de te, & in manibus portabunt te, Pſ. 90. 12.
ne forte offendas ad lapidem pedem tuum, no-
ctu ſurrexit, & in puteum non modicæ alti-
tudinis præcipitem ſe miſit, neque inde miſer
ſemianimis extractus induci potuit, vt ſe il-
luſum confiteretur, ſed obſtinate in ſua opi-
nione animam exhalauit. Proh dolor! tot tan-
toſque viri labores ſingularis ferus depaſtus
eſt? Itaque dicam cum Ioel, Sanctificate ieiu-
nium : vocate cœtum. *Quod eſt*, inquit Ber-
nardus, *cœtum vocare? vnitatem ſeruare,* Bern. ſer. 4.
*diligere pacem, fraternitatem amare. Super-
bus ille phariſæus ieiunium habuit, ieiunium
ſanctificauit, qui nimirum & ieiunauit bis* Luca 18.
*in Sabbato, & gratias egit Deo; ſed non voca-
uit cœtum dicens: Non ſum ſicut cæteri ho-* N
*minum, ideoque ala vna nitens ieiunium eius
non peruenit in cælum. Vos ergo, chariſſimi,
lauate manus veſtras in ſanguine peccatoris,
& omnino ſolliciti eſtote, vt alas duas habeat
ieiunium veſtrum, ſanctimoniam ſcilicet, & pa-
cem, ſine qua nemo videbit Deum, ſanctifica-
te ieiunium, vt pura intentio, & deuota ora-
tio diuinæ illud offerat maieſtati, vocate cœ-
tum, vt congruat vnitati*. & alibi; *Amat*, in-
quit, *ſemper media Ieſus, diuerticula ſemper,* Idem ſer. B. Maria in illis verb. Luc. 18. vbi duo, vel tres, &c.
*& reclinatoria reprobat filius hominis, eos ſa-
ne deſerens, qui ſuperbe ab alijs ſingulariter
ſe diſgregant*. Sanctam itaque diligamus ſo-
cietatem, ſuperbam vitemus ſingularitatem,
vt Deus ſit pro nobis, nec præualeat inimicus
contra nos.

De

Digitized by Google

De arrogantia, & præſumptione, ſexto & ſeptimo ſuperbiæ gradu.

CAPVT V.

A S. Tho. Arrogantia. Bern. gr. 6.

ARROGANTIA, teſte S. Thoma, *eſt vitium, quo quis plura ſibi tribuens, quã habet, cæteris ſe præſtantiorẽ exiſtimat.* dum enim, vt Bernardus explicat, ex his quæ ſingulariter, ſed inaniter agit ſuperbus apud ſimpliciores, qui opera, & non vnde prodeant cernunt, ſuam nouerit excreuiſſe opinionem, ab illis dum miſer laudatur, in errorem inducitur; nam ſuam obliuiſcens vanam intentionem, eorum amplectitur opinionem: *Credit*, inquit, *quod audit, laudat quod agit, quique de omni alia re plus ſibi credit, quam alijs, de ſuis tantum ipſius laudibus plus alijs credit, quam ſibi.* Sic non iam, vt iactabundus verbo tenus tantummodo alijs ſe præſtantiorem dicit, ſed & intimo cordis affectu, dum talem eum prædicant, talem ſe eſſe exiſtimat. Hinc fit plebeium diuitijs, uel à patre vſurario, latrone,
B impio vel ærumnoſo quæſitis ſuæ conditionis oblitum, tanta arrogantia aliquando duci, vt aſſentationibus credens, nobiliũ titulos quærat, ambiat, à principibus mercetur, nobilis haberi velit, eiuſque antiquæ nobilitatis, quã nullo pacto retinuit, ſucceſſorem. Nobiles vero, ex progenie ſcilicet nobili procreati, qui vitijs, & impudicitijs non paucis à vera nobilitate degenerant, inanibus maiorum nominibus ſibi perſonas induere, fingere titulos, & principes haberi velle. Principes eadem arrogantia reges, reges imperatores, imperatores tandem Deos. Sed quid? ea eſt arrogantis hominis dementia, quemadmodum Bernardus ait, *vt quicquid de ſe laudatum agnouerit, non ignorantia, aut beneuolentia laudatoris ſed ſuis ipſorum meritis adſcribat.* Aſino certe illi perſimiles, de quo
C Gabrias. eſt Gabriæ apologus:

Ὤμοις ὄνος παρῆγεν ἀργυροῦ βρέτας,
Ὅπερ συναντῶν πᾶς τις αὖ ἐπροσκύνει,
Τύφῳ δ' ἐπαρθεὶς, μὴ θέλων μένειν ὄνος
Ἠνείχετ', οὐ θεὸς σὺ, τὸν θεὸν δ' ἄγεις, ideſt
Simulacrum aſellus baiulans argenteum,
Cum id tranſeuntes flexo adorarent genu,
Sui hoc honoris gratia eſt fieri ratus:
Iamque inſolenti elatus arrogantia,
Nolebat ambulare, donec aſpero
Probe dolatus fuſte clunes audijt.
O ſtulte non es tu Deus, ſed fers Deum.

Sic ſane miſero arroganti dici poteſt: O ſtulte cur ſuperbis? non tu Deus, ſed imaginem
D gerens Dei: non virtute præditus, ſed virtutis formam oſtentas, quare non eſt, cur tibi ipſi laudes, quas recipis, adſcribas.

Præſumunt ſemper arrogantes, plus de ſe, quam de cęteris, vnde & in ſeptimum incurrunt gradum; nam vt Bernardus ait: *Qui per arrogantiam alijs ſe praeſſe putat, quomodo plus de ſe, quam de alijs non præſumat? primus in conuentibus reſidet, & in concilijs primus reſpondet, non vocatus accedit, non miſſus ſe intermittit, reordinat ordinata, reficit facta. Quicquid ipſe non fecerit, nec recte factum, nec pulchre exiſtimat ordinatum. Si non promoueatur ad dignitates, ſuperiorem inuidum iudicat, aut deceptum: & minora accipiens indignatur arbitrans, ſe non eſſe in minoribus occupandum, qui ſe ad maiora ſentit idoneum.* Bern. hic.

E Præſumptio quid.

Eſt enim præſumptio nimia ſuarum virium confidentia, qua fit, vt quis aggrediatur aliquid, vel paratus ſit aggredi, quod eſt ſupra ſuas vires. Supponit hoc vitium in intellectu falſam de ſuis viribus opinionẽ, ex culpabili ignorantia, uel opinione: nam ſi inculpabiliter ignoraret, uel exiſtimaret aliquid, quod eſt ſupra ſuas nires, ſe poſſe aggredi, haud peccaret illud aggrediendo. In uoluntate etiam requirit, uel affectum abſolutum exequendi tale opus, uel conditionatum, nidelicet ſi ad me pertineret, ſi locus, & tempus poſceret, &c. hoc modo præſumptuoſi cenſendi hæretici, qui ſcripturas audent exponere, non prænio longo ſtudio, aut SS. Patrum lectione: Qui ignari ſcripturarũ, & argumentorum eum hæreticis diſputationem aggrediuntur. Vnde & quidã religioſus præ-
F Antonin. in ſum. par.
ſumptuoſus, teſte Antonino, dum ignarus errores fraticellorũ uellet refellere, iuſto Dei iudicio in eandem hæreſim lapſus eſt. Qui cum ſe ipſos in uictu, & neceſſarijs iuuare poſſint, cibum de cælo expectant: ſicut duobus eremitis in vitis Patrum contigiſſe legimus, qui dum preſumptuoſe nimis ſociorum contubernium dereliquiſſent, ve diuinæ ſe prouidentiæ omnino committerent, itinerantes cum iam cœpiſſent eſurire, & præ debilitate deficere, *obuiauerunt*, vt ibi dicitur, *quibuſdam barbaris, qui diuina inſtigatione commoti præter ſolitum obtulerunt eis ad comedendum, quibus aſſenſit, & acceptauit vnus illorum, intelligens à Deo diſpoſitum, vt homines ita fieri eis cibum obtuliſſent, & comedit, alter permanens in ſua præſumptione noluit:* VV. PP.
G *ſed expectauit cibum ſibi à Deo mitti: vnde præ fame mortuus eſt ſui homicida.* Vult enim Deus ordinarie ordinem naturalem ſeruari, & cauſas naturales iam inſtitutas quantum fieri poteſt adhibet, neque hunc ordinem ſine neceſſitate prætermittit. Quare cum nulla eſt neceſſitas, & nullum nobis ſuppetit indicium voluntatis Dei aliter præcipientis, præſumptuoſe agimus, extraordinariam opem à Deo poſcendo, vel expectando.

Præſumptuoſi qui dicantur.

Præſumptuoſi etiam ſunt, qui abſq; debita peritia ſuſcipiunt officium medici, aduocati, parochi, confeſſarij, & ſimilia, & mortifere peccant, vtpote rem aggredientes, quam

non

non niſi cum graui ſui, & aliorum detrimen
to exercere valent. Hi enim omnes ex illis
ſunt, quibus Dominus per Ieremiam male-
Ierem. 17. 4.5.6. dicit, dicens: *Maledictus homo qui confidit*
in homine, & ponit carnem brachium ſuū,
H *& à Domino recedit cor eius: erit enim qua-*
ſi myricæ in deſerto. Maledictus ſcilicet ho-
mo ille à Deo, qui de alio homine, *de Adam*
habet Hebræus, qui ex ea parte, qua ex terra
conditus eſt, filius eſt Adamach terræ rufæ,
præſumit, qui ſcilicet confidit in carne im-
becilli, & infirma: nam is infelix, quaſi myri-
cæ erit. Symmacus; *quaſi lignum infru-*
ctuoſum, ſeu ſylueſtre, quod in ſolitudine
naſcitur. Solus enim eſt, qui de ſe ipſo præ-
ſumit, quia non habet ſubleuantem ſe, cum
homines eum ſubleuare nequeant, & eſt in-
fructuoſus: nam licet aliquando aliquam
ſibi vitæ emendationem proponat, & abſti-
nentiam à peccatis; quia tamen talia deſide-
ria non diuinæ liberalitati accepta refert;
I ſed ſuæ ipſius diligentiæ, qua etiam ea adim
plere ſe poſſe præſumit, tanquam myricæ in
deſerto infructuoſus euadit, & non ſolum
opus, ſed & bonum deſiderium prętermittit.
Huius rei non obſcurum præbuit documen-
tum Beatus Petrus in nocte ſupremæ cœnæ,
quando de Chriſti paſſione, & reliquorum
Matt. 26. 33. ſcandalo monitus, *Et ſi omnes*, inquit, *ſcan-*
dalizati fuerint in te, ego nunquam ſcanda
Marci 14. 29. *lizabor*: quia dum nimis de ſe ipſo præſu-
meus, ſe alijs prætulit, iuſto Dei iudicio ca-
dem nocte ad ancillæ vocem ſui propoſiti
oblitus, ter Chriſtum negare permiſſus eſt.
Sed ſingulari modo id nobis ſignificatū fuit
apud iudices in iuſtiſſimo illo bello, quod
habuerunt vndecim Tribus Iſrael cum Tri-
Iudic. 21. bu Beniamin, quod licet iuſſu Dei ſuſcep-
tum ſit, qui etiam illis Iudam belli ducem
L conſtituit, ad improbitatem, nefandamque
ſalacitatem virorum Gabaenſium puniendā,
Fidentes in propriis viribus, & nō in Deo puniuntur. quam punire viri Beniamitæ, detrectarunt;
tamen antequam victores euaſerint, ſemel,
& iterum adeo infeliciter pugnauerunt, vt
prælij vtriuſque cædes ad bellatorum qua-
dragintamillium aſcenderit, duplo fere ma
ior, quam hoſtium omnium eſſet numerus,
& quidem, vt ſacra docet hiſtoria, quia in
primo, & ſecundo prælio, non in Deo; ſed in
fortitudine, & numero bellatorum confide-
rant. Hæc enim cauſa eſt, cur toties, & noſtrū
quod habemus ſpirituale bellum cum dæmo
ne, mūdo, & carne, licet iuſtiſſimū, & Dei iuſ-
ſu intentatum, adeo infeliciter cedit. Contra
Ierem. 17. 7.8. vero: *Benedictus*, ait Ieremias, *vir, qui confi-*
dit in Domino, erit quaſi lignum, quod tran
ſplantatur ſupra aquas, erit folium eius vi-
ride in tempore ſiccitatis, non erit ſollicitum,
M *nec aliquando deſinet facere fructum,* vt pa-
2. Paralip. 25.2. tuit in Amaſia rege Iuda, qui præliaturus cū
Idumæis cum præter trecenta millia militū
Vid. ſup. c. 1 n. 4. ſui regni, mercede quoq; de Iſraele conduxiſ
ſet centum millia robuſtorū centum talentis
argenti, venit homo Dei ad illū, & ait: *O rex*
ne egrediatur tecum exercitus Iſrael, nō eſt
enim Dominus in Iſrael, cumq. tæderet eū
talem exercitum, tantamq. nummorū ſummā
amittere, ait illi iterum ſeruus Dei. *Si putas* 2. Paral. 25.8.
in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari
te faciet Deus ab hoſtibus: credidit rex pro-
phetæ, & dimiſit exercitum Iſrael, accedēſq.
confidenter ad pugnam, Idumęos, & qui cum
illis erant, deuicit. Sic: *Omnis*, inquit Chri- Luc. 6. 47. 48 49.
ſtus, *qui venit ad me, et audit ſermones meos,*
& facit eos, oſtendam vobis cui ſimilis ſit: Si- Matt. 7.
milis eſt homini ædificanti domum, qui fodit
in altum, & poſuit fundamenta ſuper petrā.
Inundatione autē facta, illiſum eſt flumen N
domui illi, & non potuit eam mouere, funda-
ta enim erat ſupra petram, qui autem audit,
& non facit, ſimilis eſt homini ædificanti do-
mum ſuam ſuper terram ſine fundamento, in
qua illiſus eſt fluuius, & continuo cecidit, et
facta eſt ruina domus illius magna. Fodit
enim profundè, & domum firmam ædificat
quicunque ſuam emēdationem, & bonarum
operationum ędificium ſupra firmam petrā,
qui Chriſtus eſt, ædificat, eāq. pro fundamen 1. Cor. 10. 4.
to ſui ædificij ponit, qui nimirum diuinas in
ſpirationes ita recipit, vt ſolius Dei memo-
res ſe illis reſpondere poſſe confidit. Diſca-
mus itaque nunquam de noſtris viribus præ
ſumere, quod, vt faciamus ſemper, vt Benedi
ctus ait, nos ipſos ad omnia inutiles, & indi- Benedict. in grad. humil. 6
gnos iudicemus; nam facile de ſe ipſo diffi- O
dit, qui ſe ad nihilum valere iudicat.

De peccatorum defenſione octauo ſu-
perbiæ gradu.

CAPVT VI.

POST enarratum ſeptimum ſuper- A
biæ gradum præſumptionis, octa-
uum numerat Bernardus, quem
vocat defenſionem peccatorum:
nam, *qui præſumptuosè ad omnia ſe conſue-*
uit ingerere, impoſſibile eſt, inquit, *aliquan-*
to non errare, ad prælatū autē pertinet er-
rantem arguere. Sed quomodo culpā ſuā con
fitebitur, qui nec eſſe putat, nec putari culpa-
bilis patitur? Is varias excuſationes in pec-
catis affert, aut enim dicit, non feci, aut feci
quidem, ſed bene feci, aut ſi male, non mul-
tum male, aut ſi multum male, non mala in-
tentione, ſi autem de illa ſicut Adam, &
Eua conuincitur, aliena ſuaſione excuſa-
re ſe nititur dicens: *Mulier, quam* Gen. 3. 12.
dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno,
& comedi. Ac ſi dicat: niſi Euam, ſeu
fragilem mihi dediſſes carnem ſociam,
haud peccaſſem, ſic *obliquè* cum Adam *Do-* B
minum tangens, inquit Gregorius, *ac ſi pec-* Greg. lib. 22. moral. c. 9.
cati eius auctor extiterit, qui Euā, ſeu carnē

ſo-

ſotiam dedit. Erras ò miſer: nam vt Iacobus ait: *Deus intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat, vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus*: neque enim ille patitur, nos tentari ſupra id, qnod poſſumus.

Iacob. 1. 13 14.

Defendũt propriam culpam alij, alios incuſantes, & auctores propriæ culpæ facientes: ſcandalum, iuquiunt, amicus ille mihi fuit, ſuis coactus precibus id peregi, eamq. mihi vim intulit, quam euitare honoratus non valui, atque adeò miſeri ſe ipſos defendentes iueuſant, dum amicitiam hominum pluris feeiſſe oſtendunt, quam Dei. Alij diabolum babuiſſe impulſorem ſui ieeleris dicunt. Sic Eua: *Serpens*, inquit, *decepit me*, uec animaduertunt, nullam eſſe poteltatem, quæ nos ad pecearum eoarctet: *Satanas non cogit*, inquit Auguſtinus, *in tua poteſtate eſt conſentire, aut non conſentire*. tentare quidem poteſt, at ni velimus, ſuperare non poteſt. Hinc adoleſeentula quædam, vt pius quidam teſtatur, ad impuguatam caſtitatem ſeruandam, conſulto patrem, patriamq. relinquens pagum petijt, iu quo tutam ſe viuere poſſe fidebat. Cui iter facieuti ſub veneranda viri forma obuius diabolus factus, quo tenderet, & cur patriam relinqueret ab illa quæſiuit; eiusque venerando intuitu, verbisque blaudis illa permota; cauſam fidenter expreſſit. qua diabolus audita, eaue tibi, ait, ò filia: nam & vbi pergis multos habebis tuæ honeſtatis hoſtes, alioq. ſe profecturum ſimulans, abijt.

C
Gen. 3. 13.
Aug. in enar. pſal. 91.
Paulin. ſerm. de pœnit.
Dęmon peccatum ſuadere non cogere poteſt.

D

Ad pagum cum perueniſſet puella, uon multo poſt grauiter tentata virginitatẽ amiſit. Quare patriam repetendam putauit, vt occaſionem iterum cadendi vitaret, dumq. iter faeeret, iterum ſub priori forma obuium diabolum habnit, Cui quomodo iu pago illo ſe habuerit interrogauti, diaboli impulſu ſe cecidiſſe reſpõdit. Tuuc puellæ dæmon, mentiris, ait: uam ego diabolus eum ſim, ue illue pergeres ſuaſi, hiſque dictis alapam illi impiugens, euanuit. Quo ſanè exemplo oſtendit Deus, nullam aliam noſtri ſceleris nos habere potiorem cauſam, quam ipſa ſit peruerſa noltra voluntas: *nam ſi Satanas non ceſſat ſuadere malum*, inquit Auguſtinus, *nec Deus ceſſat admonere bonum, modo aures tua poſita ſint inter monentem Deum, & ſuggerentem ſerpentem, quare huc flectuntur, hinc auertuntur? malitia tua eſt, ſi cadis, non diaboli*. Hinc Dauid orabat: *Non declines cor meum in verba malitia ad excuſandas excuſationes in peccatis*; ſed vnde tanta iu homiue proeliuitas ſit ad ſuã culpam exeuſandam docuit Ambroſius, qui cum de Adam verba feciſſet ait: *Quicunque preuaricatur mandatum Dei, ſpoliatur, atque nudatur, & fit ipſe ſibi turpis, & ideo vult ſe operire quibuſdam ficus folijs, fortaſſe quibuſdam inanibus, & umbratilibus ſermonibus, quos compoſitis mendacijs aſſuens, & verbum verbo ſlruens ad operiendam conſcientiam ſua mentis, factique velamen peccator intexit, vt pudenda ſua contegat. Facit enim ſupra ſe folia, qui culpam velare deſiderans, aut diabolum deliĉti memorat auctorem, aut carnis pratendit illecebras, aut alium quemquam perſuaſorem prodit erroris, & de ſcripturis diuinis frequenter prodit exempla, quibus iuſtos in culpam perhibet incidiſſe, dicens ſi fortè in ſtupris fuerit deprebenſus, & Abraham cum ancilla concubuit, & Dauid alienam adamauit, & ſibi aſciuit vxorem. aſſuit enim ſibi quadam exempla de propbeticarum ſerie ſcripturarum fructum earum non putat requirendum*.

Aug. vbi ſup.
E
Pſ. 140. 4.
Ambr. lib. de parad. c. 13.
Peccati excuſatio in homine, vnde.
F

Quicunque igitur huue gradum deuitare exoptat, ſicut Benedictus ait, prauas cogitationes, & mala à ſe in occulto commiſſa humiliter confiteatur, nee excuſatioues in peccatis alias requirat, quam peruerſam ſuam voluutatem.

Benedict. de Grad. humil. grad. 5.

De ſimulata confeſſione, nono ſuperbiæ gradu.

CAPVT VII.

A

CONVICTVS itaque de ſuo exceſſu ſuperbus, eum nullum excuſationis locum ſupereſſe cognoſcit, culpã fatetur ſuã, ſignaque magnæ humilitatis, & emendationis oſtendens, *vultus dimittit*, ait Bernardus, *proſternit corpus, aliquas ſibi lacrymas extorquet, vocẽ ſuſpirijs, verba gemitibus interrumpit, nec ſolũ obiecta non excuſat; ſed ipſam quoque culpã exaggerat, vt dum impoſſibile aliquid, aut incredibile culpæ ſuæ ore ipſius additum audis, etiam illud, quod ratum putabas, diſcredere poſsis, & ex eo, quod falſum eſſe non dubitas, dum confitetur in dubium veniat, quod quaſi certum eſſe tenebatur*. adeoque patri eius diabolo perſimilis ad pœnitentiam ſimulandam *transfigurat ſe in Angelum lucis*, ſeu, vt habet Dauid, iu arcum prauum conuertatur, qui ſicut à ſcopo toto cælo aberrat, nee illud vel aliquaudo ferit; ita ille dum propriam quęrit, à Dei gloriæ ſcopo deflectit, quẽ opera uoſtra omnia ferire debent. Huiuſmodi geuus hominũ Gabaouitis perſimiles dixerim, de quib. apud Ioſue legitur, quod *ſaccos veteres aſinis imponẽtes, et induti veteribus veſtimentis, venerunt ad Ioſue, & dixerunt ei, atque ſimul omni Iſrael: de terra longinqua venimus pacẽ vobiſcum facere cupientes*. & infra: *Poſt dies autem tres audierunt, quod in vicino habitarent*: ita profecto ſimulatores,

Bern. grad. 9. *de grad. humil.*
1. *Cor.* 11. 14.
Pſ. 77. 57.
Hypochritæ opera qualia ſint declarantur.
B
Ioſue 9. 4.

vt

vt ſe ipſos à peccati confuſione liberent, ſimulate, & mendaciter, ſaccos veteres pœnitentiæ, veteraque mortificationis veſtimenta induunt, vt nomen, atque honorem, & gloriam ab hominibus accipiant, ac ſi vere pacis fœdera cum Ieſu, & populo eius iniſſent.

Greg. lib. 3. moral. c. 4.

De his recte dixit Gregorius, quod *qui religionem venari cupiunt, ipſi cultum religionis aſſumunt, & bonorum vitam ſub deſpectis*

C

veſtibus iniquis moribus premunt, immundi quippe dilectores ſunt, & hoc in ſe, quod homines venerentur oſtendunt, atque eis, qui vere ſemetipſos deſpiciunt, non mente, ſed veſte copulantur: quia enim præſentem gloriã amantes, aſſequi non poſſunt, quaſi deſpicientes ſequuntur. O glorioſa humilitas, inquit

Bern. grad. 9.

Bernardus, *qua ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit, ne vileſcat:* quod apologo quodam ſatis facete Gabrias declarat,

Gabrias in Apologis.

dum vulpem quandam ſtatuarij officinam ingreſſam inter cætera humani capitis effigiem obſeruaſſe dicit: & *ò pulchrum* exclamaſſe, *caput, ſed cerebrum non habet.* Sunt enim ſimulatores ſimulachris illis perſimiles, de quibus

Pſ. 113. 5.

Pſaltes: *Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt*; quare ſicut inſani ſeminatores illi dicerentur, qui ſemen iacere

D

nollent, niſi vento vehementiſſimo flante, qui ſemen in propinquam terram, non cultam, vbi germinare nequit abriperet, ita fatui omnino cenſendi ſunt, qui bona opera nequeunt ſeminare, niſi aura populari flante, qua fiunt opera ipſorum, dum in terra non bona ſeminantur, omnino infructuoſa: euadunt *ſicut*

Pſ. 128. 6. 7.

fœnum tectorum, vt David loquitur, *quod priusquam euellatur exaruit, de quo non impleuit manum ſuam qui metit*, & ſicut telæ aranearum, ex quibus nullum ſibi veſtimentum efficere queunt. Sic Iſaias de ſimilibus

Iſaia 59. 5. 6.

inquit: *telas araneæ texuerunt, telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis; opera eorum opera inutilia.* Hinc B. Iudas de hæreticis ſimulatoribus verba fa-

E

Iudæ 1. 11

ciens. *Væ*, inquit, *illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt: hi ſunt in epulis ſuis maculæ conuiuantes ſine timore, ſemet ipſos paſcentes: Nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris deſpumantis ſuas confuſiones, ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum, de his enim prophetauit ſeptimus ab Adam Enoch dicens: Ecce veniet Dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudicium, & iuſtitiam in terra.*

Simulatores hypochritæ in via Cain ambulant. *Gen. 4. 3.*

Etenim in via Cain vadunt ſimulatores iſti, dum ſimulata confeſſione ſacrificium, ſicut Cain Deo offerunt; nam ſicut offerebat ille de fructibus terræ, fingens ſe cæleſtis numinis ſtudio teneri: & illud ſacrificijs externis pie colere, cum tamen animo nullam pietatem, nullam religionem

F

præſeferret, ſic iſti ſacrificium pœnitentiæ. *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritũ, &c.*

Pſ. 50. 19.

ſimulate offerentes, nullum re vera dolorem, nullam contritionem habent. *Erroreque* Balaam miſeri *mercede effuſi ſunt*, dum ſicut ille rerum temporalium mercede ducti, ſanctitatem ſimulant, honoriſque Dei zelum, cum re vera aurum tantum Balac, honores ſcilicet, & mundi gloriam quærant. *Perierunt* hi miſeri *in cõtradictione Core*, qui cum diuinum ſacerdotium repræſentaret, ſuperbia, proteruiaque turgidus, iuſto Dei iudicio horribili terræ motu ſub pedibus eius dehiſcentis abſorptus deſcendit in infernum viuens. Sic iſti miſeri, dum honorem veris Dei ſeruis debitum ſimulato zelo efflagitant, iuſto Dei iudicio in peccatorum G infernũ viuentes deſcẽdunt, nunquam quieti, nunquam ſaturi. Sunt hi *in epulis ſuis maculæ*, dum omnia, quæ faciunt bona, peruerſa intentione commaculant. *Conuiuantes ſine timore, & ſemet ipſos paſcentes*: nam licet timorem Dei oſtendant, & alios piorum eleẽmoſynis ſe alituros prædicent: re ipſa nihil horum præſtant: ſed impuri gurgites omnia vorant, abſumunt, & ventrem intrepide farciunt. *Nubes ſine aqua*, hoc eſt exhalationes, & fumi ſurſum elati, & è ſublimioris aëris parte deſcendentes, quæ aliquando ſitienti terræ, & aridæ videntur pluuias polliceri, cum ipſæ tamen ſiccæ ſint, & fallaces, terram nec irrigantes, nec fœcundantes, ſed tantummodo caliginem rebus humanis offundentes, tandemque hinc inde diſſipatæ euaneſcentes in auras. Ita ſimulatores iſti multa exterius pollicentur, quorum nihil omnino præſtant, H *Arbores autumnales infructuoſæ*, ſcilicet, quæ extremo autumni tempore, præter omnem temporis rationem florent, fructuſque agricolis repromittant; ſed intempeſtiue, atque mendaciter: nam mox aëris intemperie folia, floreſque euaneſcunt, moriuntur, decidunt, illæque deciduæ, & ſteriles radicitus euelluntur, ne terram vlterius occupent. Ad hunc modum ſimulatores ſpecioſa verborum folia proferunt; multa de humilitate, de virtutibus, de decalogi obſeruatione, vt iucundos flores oſtentant, ſed nullos tandem veros, ac ſolidos fructus edunt. Parturiunt quippe montes, & naſcitur ridiculus mus. ficus ſunt ſterilis, cui Chriſtus maledixit, bis mortui, ac perditi, tum in verbis, tũ in operibus, quorũ I finis tandem confuſione, & ignominia eſt plenus. *Fluctus feri maris deſpumantis ſuas confuſiones*, qui cælũ videntur attingere, & terrã feriunt: *Sydera errantia*, denſiſſimis errorum tenebris inuoluti, omnino inſtabiles, & varij, fulgores oſtentantes Stellarum. *Quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Prophetauit autem de his ſeptimus ab Adam Enoch dicens: *Ecce veniet Dominus*, &c. qui nimirum iuſto ſuo iudicio omnes horum iniquitates propalabit, & confuſionem pro gloria dabit, eorum detegendo ſimulationes,

Digitized by Google

Greg. li. 4. dia log. c. 38.

vt quodam formidabili exẽplo nobis oſtendit Gregorius in ſois dialogis.

Sit itaque noſtra cooſeſſio non ſimulata; ſed eo modo, quo Dominus per Micheam

L

Michea 1. 16.

nos docuit, dicens: *Decaluare, & tondere ſuper filios deliciarum tuarum, dilata caluitium tuum, ſicut aquila*: ad cuius loci

Comarum tonſio maximi doloris fuit aliquando ſignum.

intelligentiam ſciendum eſt, tooſionem comarum, & capitis abraſionem ſigoum maximi doloris olim fuiſſe. Sic apud Iob: *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit*, &

Iob 1. 20.

per filios deliciarum ſanctas meditationes, ieiunia, eleemoſynas, humilitatis, & charitatis actiones moraliter ſignificari, de quibus dictum eſt in Oſee.

Oſee 9. 16.

Quod & ſi genuerit interficiam amantiſſima vteri eorum. Itaque ſuper hos amiſſos filios per peccatum vehementer dolendum eſſe Dominus docet. Vel *decaluare, & tondere, &c.* quia io decaluatione, & tonſiooe amouetur id, quod nos extrinſecus ornabat, & apparet

M

quod ioterius fœdum eſt: Quare decaluari animam, quid eſt aliud, quam dolendo de amiſſis filijs amouere id, quod oos extrinſecus ornabat, vt appareat quod ioterius fœdum eſt? Quod cùm per Dei miſericordiam accipimus, fit illud, quod irati videtur, & minantis, ſed eſt ad animam tranſlatum propitij, & miſerentis.

Iſaia 3. 17

Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. Sed quale futurum eſt caluitium? *Dilata*, inquit, *caluitium tuum ſicut aquila*: aquila ſenio confecta veteres plumas abijcit, & nouis ſumptis iuueneſcit, ſicut ait Dauid:

Pſ. 102. 5.

Renouabitur, vt aquila iuuentus tua: quod, teſte Magiſtro de proprietatibus rerum, efficit è

Magiſter lib. 12.

fonte ſcaturieotis aquæ ſurſum per directũ aeris auolando, donec ex motu, & aere ſe

N

calefactam ſentiens io frigidæ aquæ fontem ſe præcipitem mergat, ex qua immerſione, vi caloris reſiſtentis frigori aquæ, plumæ diſſoluuntur, dilabuotorque: quod ſpiritualiter in pœnitentiæ decaluatione peccator facere debet, nimirum per mentis eleuationem erga Deum aſcendendo, vt igne diuini amoris mente ſuccenſus, ſe facilius in opera pœnitentiæ præcipitem dare poſſit, in illisq. à præteritis culpis decaluari.

De rebellione, decimo ſuperbiæ gradu.

CAPVT VIII.

A

Rebellio quid.

EST rebellio inobedientia, & contemptus mandatorum ſuperioris. Vbi enim, vt Bernardus docet, ſimulatio pœ-

Ber. grad. 10.

nitentiæ retecta fuerit, videns ſuperbus ſe hac ratione noo poſſe honorem ſuum tueri, ad impudentiam ſe conuertit, & tanto deterius, quaoto deſperatius in decimum gradum rebellionem corruit. quiq. prius latenter arrogans fratres cõtempſerat, iam patenter inobedieos etiã magiſtrum contemnit. Is niſi actutum reſipiſcat, & modeſtiæ ſtudeat, aduerſus ipſum Deũ inſoleſcere incipit, ſibique, ſi quid præclarè, & laude dignũ fecerit, non Deo adſcribere. Cuius rei inſigne Dorothæus narrat exemplum

Dorot. ſer. de cord. humil. qui eſt 2.

cuiuſdam ſibi optime noti, qui ad hunc miſerabilem ſtatum deuenerat. *Hic*: inquiens, *primo quidem eum de fratre quopiam aliquid quiſquam depradicaret, ſtatim reſpuebat eum dicens, quis eſt ille? Non eſt qui*

B

momenti ſit alicuius niſi Zoſimus, & qui ei eo ſunt. Poſt cœpit, & hunc contemnere, ac nihili pendere dicens: Nemo eſt, qui quicquam valeat præter Diuum Macharium. & non multo poſt ait, quid eſt Macharius? Nullus quicquam eſt præter Baſilium, & Gregorium, atque etiam paulo poſt cœpit hos terruncifacere dicens, quid eſt Baſilius? quid eſt Gregorius? nemo quicquam valet niſi Petrus, & Paulus. Cui ego dixi: certe frater & hos etiam contemnes, credite mihi non mentior: nam paulo poſt dicere occœpit: Quid eſt Petrus? quid eſt Paulus? nemo eſt alius, niſi ſola Trinitas; poſtmodum vero, & contra Deum ipſum ſuperbire cœpit, & inſoleſcere. Denique ad eum modum delapſus eſt in perditionis barathrum. Ad hoc enim miſer ho-

C

mo rebellis deuenit, vt cum Pharaone tandem dicat:

Exod. 5. 2.

Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam: Etenim

Prou. 18. 3

impius eum in profundum deuenerit peccatorum contemnit. Quare ſi decimum hunc ſuperbiæ gradũ deuitare cupimus, & præceptis ſuperiorum noſtrorum recto animo parere, ſuperiores noſtros obſeruare quammaxime debemus, ea ſcilicet obſeruaotia, quæ non ſolum cultus externi eſt actio: ſed quæ

Prælati Eccleſiaſtici diligendi, vt eorum præceptis pareamus.

ex voluntate proficiſcitur, bonaque affectione erga illos: quam ſacræ literæ, non ſolum erga ſuperiores bonos, & Chriſtianos præcipiuot; ſed etiam ergà infidelrs, & diſcolos: quia oon eſt poteſtas, niſi à Deo: & precipue ſacerdotes, & prælatos Eccleſiæ, quos Deus populo ſuo, taoquam principes, teſte Dauid cooſtituit. vbi ait:

Pſ. 44. 17.

Conſtitues eos principes, &c. Nec principes modo, ſed reges: *melchiſedech rex Salem ſacerdos Dei altiſſimi*: Nec reges ſolum, ſed Angelos: *Angelus enim Domini exercituũ eſt*, nec Angelos

D

Exodi 7. 1

tantum, ſed Deos. *Conſtitui te Deum Pharaonis. Deus ſtetit in Synagoga Deorum.* Idcirco vult Deus ipſos audiri à nobis, eorumque dictis præſto eſſe ooo ſecus ac ſuis, diceos:

Luc. 10. 16

Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit me ſpernit. Vnde, & eos contemnentes ſeueriſſime punit, vt in Maria ſorore

Moyſis, & in Datan, & Abiron apparuit: nam illa lepra ob detractionem in fratrem eſt percuſſa; hos terra dehiſcens abſorbuit cum ſuis, igniſque alios conſumpſit, dum auſi ſunt Moyſen, & Aaron contemnere: etenim qui ſuperiorẽ ſuum non diligit, nec reueretur, impoſſibile eſt: vt eius iuſſis obtemperet: quod Chriſtus illis verbis oſtendit;

Io. 14. 15.

Si diligitis me, mandata mea ſeruate: indicans effectum dilectionis eſſe mandatorum obſeruantiam. Quare ſpirituales magiſtri perfectæ obedientiæ quoddã fundamentum eſſe volunt dilectionem rei iuſſæ, & perſonæ iubentis: ibi enim dura neceſſitate ſeruitur, vbi non diligitur quod iubetur.

Dilectio facilem reddit mãdatorum obſeruantiã.

E

De *libertate, & conſuetudine peccandi vndecimo, & duodecimo ſuperbiæ gradu*.

CAPVT IX.

A

POST inobedientiam, & rebellionem deſcendit, teſte Bernardo, ſuperbus in libertatem peccandi: nam cum nullũ habeat amplius magiſtrum, quem timeat, nec fratrem, quem reuereatur, quanto ſecurius, tanto liberius ſua deſideria implere contendit: eamque libertatem, quam conſcientiæ vocant hæretici, ſibi aſſumit, vt ſcilicet quicquid libet faciat, ſine alicuius legis diuinæ, vel humanæ timore. Hos Deo ſimiles fieri ſe velle dicit Anſelmus: nam qui liber vult eſſe, nec vlli legi ſubijci, è capite Dei vult auferre coronam, cuius tantummodo proprium eſt nemini ſubiacere, nullamque præter ſuam voluntatem habere regulam.

Anſel. in li. de ſimilit.

De conſuetudine peccandi.

Ad hanc libertatem qui deſcendunt, in conſuetudinem peccandi, vltimum ſuperbiæ gradum, nulla difficultate præcipitant, à quo deinde vix aliquando pedem attollunt: tum quia *ſuperbi*, vt Gregorius ait, *prius ſciendo rebelles ſunt; poſtea cæcantur, vt neſciant, vnde nequeant oculi*, vt inquit Auguſtinus, *aſſueti tenebris, ſumma veritatis radios intueri: tenebras vident, tenebras diligunt, tenebras approbant, de tenebris euntes in tenebras, neſciunt vbi corruant*. Et Euſebius Emiſſenus, *ſuperbia*, inquit, *acquieſcere cœpi, regulam violaui, ſeniorem læſi, iuniorem deſtruxi, ſi non ſtatim me pœnituit, tam grauiter fuiſſe prouentum, ita de die in diem libentiſſime me rapuit ipſa violentia conſuetudinis, & impetus paſſionis, vt iam nec delinquere me intelligam, nec peccare me ſentiam*. tum etiam quia ita debiles à peccato effecti ſunt, vt licet intelligerent, vix tamen bonum poſſent operari.

Greg. 26 mor. c. 26.

B

Aug. in meditat.

Euſeb. Emiſſ. hom. 3. ad monac.

Erit, inquit Iſaias, *fortitudo noſtra, vt fauilla ſtuppæ*, quæ tam debilis eſt virtute, vt vix accenſa videatur, quod expertus Dauid ait: *Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt*: quem locum ſic vertit Hieronymus: *Infirmata eſt in iniquitate virtus mea, & oſſa mea contabuerunt*. cum tamen ad malum quotidie fortiores euadant. vnde Sapiens; *Pedes*, inquit, *eorum ad malum currunt*. Et Ioël propheta: *quaſi equites*, inquit, *ſic current*. Difficile tandem peccandi conſuetudo tollitur, quia generat habitum: ex frequentatis enim actibus fit habitus, qui eſt diſpoſitio difficile mobilis, & eo difficilior, quo frequentiores erunt actus: nam ſicut quo pluribus ictibus petitur clauus, eo altius infigitur, & quo pluribus adſtringitur nodis vinctus homo, eo difficiſius ſoluitur; eundem in modũ, quo diuturniori conſuetudine flagitia committuntur, eo altius animo imprimuntur, & quo pluribus criminum nodis corda alligantur, eo difficilius liberantur. *Cum culpa in vſum venerit*, ait Gregorius, *ei iam animus, etiam ſi appetat difficilius reſiſtit: quia quot vicibus praua frequentationis aſtringitur, quaſi tot vinculis ad mentem ligatur*. adeoque fixus, & alligatus is eſſe poteſt habitus, vt in naturam quodammodo conuertatur. *Anima*, ait Baſilius, *morbus, vbi iam vetuſtuit, mali item exercitatio, ſimulatque occalluit diuturnitate, vix vllam admittit medelam, cum plerumque conſuetudo mutetur, & abeat in naturam*. ex quo fit, vt ſicut impoſſibile eſt à naturalibus abſtinere; ita illis impoſſibile omnino naturaliter ſit (nam per gratiam ſupernaturalem omnia poſſumus) à peccatis ceſſare. Sic Dauid peccatorem conſuetudinarium peccatorem ab vtero vocat his verbis: *alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero*. hoc eſt alienati ſunt peccatores à Deo, & ab eo alienati ſunt, non poſtquam ad virilem peruenerunt ætatem, ſed à ventre, ita ſcilicet peccant, ac tanta facilitate, ac ſi cum habitu illo peccandi nati eſſent; nam *ſicut ferrum, etiam ſi nolit ad magnetem perfugit*, ait Climacus, *natura vi ſecretiſſime pertractum: ita & qui anticipationibus delictorum aſſueti in earũ habitum tranſierunt, violenter ab eis opprimuntur*. Hanc tandem difficultatem reſurgendi à peccato conſuetudinis Dominus apud Ezechielem oſtendit, quando prophetam ſic allocutus ait: *fili hominis vides tu quid iſti faciunt, abominationes magnas?* & introduxit eum ad oſtium templi, cuius parietes cum fodiſſet, ingreſſus, *vidit ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël ſtantes ante idola, & vnuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua*. quod ſpectaculum, cum mœrens propheta aſpiceret, ait illi Dominus: *adhuc conuerſus videbis abominationes maiores*. Et cum introduxiſſet eum per oſtium

Iſaia 1. 31.

C

Pſ. 30. 11.

Hier. in Prouerb.

Prou. 1. 16

Ioel. 2. 4.

Habitus peccatorum difficile tolluntur.

D

Greg. li. 4. moral. c. 25.

Baſil. in pſal. 1. 2.

Pſ. 57. 4.

E

Climac de diſcret. grad. 26 non longe à princ.

Ezech. 8. 6

Ibid. 11.

F

Ibid. 6.

do-

Ezech. 8. 6 domus Domini: *Et ecce ibi mulieres ſeden-*
tes plangentes Adonidem. Sed obſecro, &
quomodo peccatum hoc priore maius eſt?
nam ſi nudum factum inſpicimus, ſimplicis
iſtud vanitatis eſt, illud vero formatæ ido-
latriæ: ſi perſonas conſideremus, illi homi-
nes, & ſenes erant, qui iure prudentiores
eſſe debuiſſent: iſtæ mulieres fragiles, & ani-
mo leuiores. At facilis erit reſponſio con-
ſideranti, ſtantes in idolatria ex eo ſenio-
res dici, quod actu quidem grauiter pecca-
rent; ſed eo modn, vt facile à peccato poſ-
ſent recedere, ſicut facile alio ſe conferunt,
qui ſtantes ſunt: contra vero peccatum mu-
G lierum, quod ſedentes flerent Adonidem,
peccatum conſuetudinarium fuiſſe eo gra-
uius, quo difficilius in curatione. Hinc Pſal-
Pſ. 1. 1. tes: *Beatus*, inquit, *vir, qui non abijt in*
conſilio impiorum, & in via peccatorum non
ſtetit, & in cathreda peſtilentiæ non ſedit,
ita diſponens tria illa verba, abijt, ſtetit, &
ſedit, vt ſemper quod ſequitur, priore gra-
uius, ac prius oſtendat, nam de eo, qui iter
vitiorum perambulat, non ita deſperatum
eſt, ſicut de eo, qui in peccatis ſtat, neque
de eo, qui in peccatis ſtat, ita deſperatum
eſt, ſicut de eo, qui in illis quieſcendo ſe-
det, & oblectatur (frequenter enim ſacræ
literæ ſedere pro cubare, & requieſcere po-
Deut. 29. 20. nunt) Sic in Deuteronomio, *ſedeant ſuper eũ*
omnia maledicta, quæ ſcripta ſunt in hoc vo-
lumine) quod Chriſtus ipſe ſecundum tro-
H pologiam, Auguſtino, & Gregorio teſtibus,
in ſuſcitatione Lazari, qui peccatorem in
morte peccati putridnm ſignificabat, mani-
Aug. ſer. 44. de verb. Dom. Greg. 4. mor. c. 21. vel 29. feſtnm fecit. *Tres tantum mortuos*, inquit
Auguſtinus, *inuenimus à Chriſto reſuſcita-*
tos viſibiliter. Quot autem ſuſcitauerit quis
nouit? non enim omnia, quæ fecit ſcripta
ſunt. Ioannes hoc dixit cap. 21 multa alia
fecit Ieſus, quæ ſi ſcripta eſſent, arbitror to-
tum mundum non poſſe libros capere: tria
itaque genera mortuorum ſunt tria ge-
nera peccatorum. Deinde docet, pec-
catores, qui in corde tantum peccant filia
Ietri ſignificari, quæ intus in domo ſuſci-
tata eſt, eos vero, qui opere peccant, filio
viduæ, qui extra portam, qui autem con-
ſuetudine Lazaro: nam *conſuetudine*, Inquit,
maligna preſſi, tanquam ſepulti ſunt, & ita
ſepulti vt de Lazaro dictũ eſt iam putet, quos
I ſuſcitari quam difficile ſit oſtendit, quando
ante ſuſcitationem Chriſtus infremuit, lacry
matus eſt, clamauit, quoniam multo ob-
iurgationis clamore, laboreque opus eſt ad
eos à peccatis ſuſcitandos, qui conſuetndi-
ne obduruerunt. Significatum etiam id no-
bis fuit apud Iſaiam, & Ieremiam, quos cum
elegiſſet Deus ad diuini verbi prædicatio-
nem, excuſare ſe ambo à tanto munere cœ-
Iſaia 6. 5. perunt, immundos ſe eſſe profitentes. *Væ*
mihi inquit Iſaias, *quia vir pollutus labijs*
Ierem. 1. 6 *ego ſum*: Et Ieremias: *Ah, ah, ah, Domine*
Deus ecce neſcio loqui quia puer ego ſum.
quos vt mundaret Deus, aptoſque ad tantũ
miniſterium redderet. *Volauit ad me*, in- Iſaia 6. 6.
quit Iſaias, *vnus Seraphim, & forcipe tu-*
lit calculum de altari, & tetigit os meum,
& dixit ad me: ecce tetigi labia tua, & au-
feretur iniquitas tua. Et Ieremias; *Miſit*, Ierem. 1. 9.
inquit, *Dominus manum ſuam, & tetigit os*
meum, & dixit Dominus ad me, Ecce dedi L
verba mea in ore tuo. Sed vnde quæſo tan-
ta in mundatione differentia? Ieremias nul-
lo fere negotio mundatur, *tetigit*, inquit,
os meum; at Iſaias non niſi ferro, & igne: ni-
ſi quia ille eius gerebat perſonam, qui in
peccatis non dum obcalluit, vt *puer*, inquit,
ego ſum, qui facile peccatis renuntiat; iſte
vero, qui virum ſe dicit, eius, qui conſue-
tudinarius in peccatis eſſet: *vir pollutus*
labijs ego ſum, qui non niſi maxima difficul-
tate mundatur, vt inde diſcas non eadem
facilitate ſimplicem, & conſuetudinarium à
peccato reſurgere: nam licet in vtriuſque
reſurrectione ex parte Dei eadẽ infinita re-
quiratur potentia, ex parte tamen ſubiecti
maior eſt difficultas in vno, quam in alio; nã
in peccatore non conſuetudinario adhuc bo-
ni remanent habitus, qui illum ad gratiam,
licet à longe diſponunt; quibus tamen ma- M
xima ex parte, vel omnino priuatur conſue-
tudinarius, qui *conteritur*, vt ait Iſaias, *ſi-*
cut conteritur lagena figuli contritione, adeo Iſaia 30. 14.
perualida, vt non inueniatur de fragmen-
tis eius teſta, aliquis nempe virtutis habi-
tus, *in qua portetur igniculus de incendio*
diuini amoris, *aut hauriatur parum aquæ*
lacrymarum *de fouea* pœnitentiæ. ſic, vt idem
habet Iſaias; *Præuaricantes præuaricati* Iſaia 24. 16.
ſunt, præuaricatione præuaricatorum præ-
uaricati ſunt: Quid inde? *formido, fouea,*
& laqueus ſuper te, nihil ſcilicet in eo, qui
conſuetudine peccat, remanet, niſi formido
conſcientiæ, fouea peccatorum, & laqueus
prauæ conſuetudinis, quem licet aliquando
rumpat per pœnitentiam, & dicat cum Da-
uid, *laqueus contritus eſt, & nos liberati ſu-* Pſ. 123. 7.
mus: frequentiſſime tamen illi contingit,
quod volucri, quam puer alligatam tenebat, N
quæ licet laqueum diſruperit, libereq. auo-
larit; vix tamen pedem in aliqua firmauit ar-
bore, quod iterum perdiſrupti fili partem,
quam ſecum pedi alligatam detulit, ramis
arboris implicata non difficile capitur. Sic,
inquam, licet conſuetudinarium peccatorẽ
pœniteat aliquando de culpa commiſſa, &
auolet; ad primam tamen occaſionem pec-
cati iterum ſua ipſius praua conſuetudine
implicatus cadit, & miſere capitur. Memo-
rabile huius rei exemplnm refert Dorotheus Dorot. ſer. 11 poſt med.
dicens. *Cum eſſem in cœnobio cœperunt fra-*
tres cogitationes ſuas ad me deferre: venit
autem quadam die ad me vnus ex fratribus,
& dixit mihi: ora pro me pater, quoniam
& furtim ſurripio, & comedo. aio ad eum:

cur iſtud agis? eſuris ne? Certe equidem reſpondit, neque enim mihi ſatis eſt, quod in communi menſa fratrum exhibetur, & pudore teneor, & erubeſco neceſſitatem meam Abbati inſinuare. Conueni ego Abbatem,

O *remque illi totam, vt erat, expono. Abbas vero fac, inquit, quod bonum tibi videtur, & curam illius habe. Tunc aſſumpto illo fratre, ad Oeconomum me confero, & aio ad eum: quacunque hora frater hic ad te veniet, da illi, vt edat quantum vult; faciebat hoc ille, vt iuſſeram. Non multos vero poſt dies venit ad me iterum, frater ille. Ignoſce, inquit, mihi pater, iterum cœpi furari, & furtum comedere; licet enim œconomus, quod peto, libenter exhibeat, erubeſco tamen petere. Veni igitur, inquio, ad me, ſi de me non erubeſcis, & ſume quicquid velis, & noli amplius furari. Accedebat igitur ad me, & quicquid illi opus erat ſumebat, poſtmodum vero poſt aliquot dies cœpit denuo furari: & venit ad me triſtitia, &*

P *mœrore confectus, & inquit Pater denuo furor, & licet nihil mihi deneges, neſcio cur id facio. Aſino appono ea; En fratres: videte quam miſerum ſit paſſiones habere iam inoletas.* Dum itaque vitia, & paſſiones noſtræ recentes ſunt, ac primum emergunt, euellamus, tunc enim facile poterimus: aliud enim eſt herbas euellere, cum perfacile actutum extirpantur, atque aliud eſt ingentem arborem eradicare. *Otioſus aliquando erat magnus quidam ſenex*, vt idem Dorothæus ait, *cum ſuis diſcipulis in loco quodam, vbi multa, ac varia, magna ſcilicet, & parua erant cupreſſi: tunc vni ex illis diſcipulis imperauit ſenex cupreſſum euellere, quæ cum admodum eſſet paruula, ſtatim perfacile auulſa eſt, vna tantum admota manu: poſtea oſtendit alteram maiuſculam, quã duabus apprehenſam manibus euulſit; rurſus oſtendit tertiam, deinde quartam maiorem, & deinceps, donec nec ſolus, nec cum ſocio eas valuit ob earum magnitudinem euellere.*

Dorot. vbi ſupra non longe à princip.

Q *Tunc ſenex conuerſus ad omnes diſcipulos ſuos ait: ad hunc modum ſunt paſſiones, & affectus noſtri, dum paruuli ſunt, & recentes, ſumma facilitate, & quiete, modo velimus, excidere eos, & extirpare poſſumus, ſi vero eos vti paruulos, & exiguos neglexerimus, paulatim obdureſcent, nec valebimus eos extirpare, niſi maximo conatu, & labore. Facile enim eſt,* inquit Chryſoſtomus, *riuum cum primum à fonte ſcaturit, quocunque volueris flectere; at vbi aliorum fluminum acceſſione auctus eſt, vix vlla arte poſſes eius impetum reprimere, aut curſum alio deflectere; ita facile eſt vitium adhuc recens natum abſcindere; at multorum annorum natum, ac roboratum quis facile ſuperare*

Chryſoſt.

R *queat?* ante languorem itaque, *adhibe medicinam:* Ante languorem ſcilicet inueteratum, iuxta illud poëtæ.

Eccli. 18. 20.

Principijs obſta. Sero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Quàm vehemens ſit ſuperbiæ affectus, deque diuinæ maieſtatis conſideratione, primo eius remedio.

CAPVT X.

PRAETEREA grauiſſimum inter omnes animi mobos ſuperbiæ affectum eſſe non dubium; etenim cum ſpiritualium morborum multa ſint genera, quorum alia ipſi homini, alia proximo primario aduerſantur; ſuperbia ſola eſt, quæ ipſum Deum immediate petit, & ab homine expellit. Eripit ira hominem ſibi, quia iratus homo, quo tempore ira æſtuat, rationis, quæ qualitas eius eſt propria, expers efficitur. Eripit inuidia proximum, & eius bona, quia charitati, virtuti maxime vnitiuæ aduerſatur. Eripiunt alia vitia alias virtutes, fœdeque animam deturpant, & à Deo ſeparant. At ſuperbia ſingulari quodam modo eripit nobis Deum, vtpote quæ ſingulariter etiam ſemper cum eo de primatu contendit. Vnde Caſſianus: *Tantum*, inquit, *eſt malum ſuperbia, vt non angelum, non alias virtutes contrarias, ſed ipſum Deum aduerſarium habere mereatur: propterea dicit ſcriptura*, vt ait Ambroſius: *Dominus ſuperbis reſiſtit. Tanquam ſuæ contumeliæ propulſator veluti quoddam ſuſcipit aduerſus ſuperbiam ſpeciale certamen: tanquã dicat. meus iſte aduerſarius eſt, qui me laceſſit, mihi debetur iſta congreſſio.* Tanta inſuper eſt huius morbi vis, vt hominem ad quodcunque perpetrandum facinus, licet atrox, & horrendum impellat. Autoninus Caracalla B
Seueri imperatoris filius fratrem ſuum in matris gremio annos natus vigintiduos, vt ſolus imperaret, pugione confodit. Abimelech ſeptuaginta ſuos fratres interfecit. Athalia vniuerſam regiam prolem extinxit. Abſalon infenſiſſimus hoſtis patri fuit. Noſtra fere ætate regis Tunicij filius regnandi libidine incenſus, ſeniorem patrem, cuius celerem expectare potuiſſet mortem, candentis ferri lamina ante eius oculos poſita, veroque lumine orbauit. Caligula, teſte Fulgoſio, ſuorum deorum ſimulacra decapitauit, & ſingulis ſingula inſeruit capita, quæ ſui ipſius vultum referrent, vt ab hominibus adoraretur. *Fabula etiam ferunt*, inquit Hieronymus, *de quodam, quod cum vulgo eſſet ignotus, & nihil boni poſſet facinoris excogitare, quo nobilis fieret, Dianæ incendiſſe templum, & nullo prodente ſacrilegium, fertur ipſe in medium proceſſiſſe, cla-* C

A — Superbia Deo ſpecialiter aduerſatur.

Caſſian. lib. 12. inſtit. c. 7.

Ambroſ. in pſ. 118. ſerm. 7.

4. Reg. 15.
2. Reg. 15.

Fulgoſ. lib. 9.

Hier. aduer. Heluidiũ de perpet. Virgin. Mariæ tom. 2

mi-

mitans ſeſe incendium ſubieciſſe. Sciſcitantibus Epheſi principibus, quam ob cauſam hoc facere voluiſſet, reſpondiſſe, vt quia bene non poteram, male omnibus innoteſcerem. & hoc quidem Græca narrat hiſtoria. Ex quo colliges quantorum malorum ſit cauſa ambitio in illo, qui tam grandem Deæ (quã talem credebat) irrogauit iniuriam, tantum vt inde, ſi non claram cum laude notitiam reportaret, vel natus mundo eſſet, nobilis factus in ſcelere.

Bern. lib. 3. de conſ. ad Eug. Hinc Bernardus: *Ambitio ambientium crux quo modo omnes torquens omnibus places? nihil acerbius cruciat, nihil moleſtius inquietat, nihil tamen apud homines mortales celebrius negotijs eius.*

D Sed parum eſſet, ſi tantum in ſceleratos homines is ſæuiret affectus, at quod grauius eſt, fere *nulla*, ait Valerius, *eſt tam grandis humilitas, quæ aliqua dulcedine gloriæ non tangatur.* (Valer. lib. 7.) Sic nullus fere reperitur, etiam ſi in tuto, & ſecuro conſtitutus, quem is affectus aliquando non petat, & ſuperet. Securus videbatur primus angelus, ab hoc tamen affectu ſuperatus, ſimilitudinem Dei auſus eſt attentare, *aſcendam,* dicens, *ſuper altitudinem nubium, ero ſimilis altiſſimo.* (Iſaiæ 14. 14.) Humani generis parentes, in amœniſſimo illo paradiſo voluptatis, cæleſtibus donis muniti, iuſtitiaque originali inſtructi, à dæmone tamen illis verbis tentati: *eritis ſicut dij ſcientes bonum, & malum,* miſere ceciderunt. *Et vero Adam, & Eua,* inquit Auguſtinus, *rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt felicitatem.* (Aug. in pſ. 68.) E Ab hoc affectu victus Dauid, populum numerauit. (2. Reg. 24. 1.) Ezechias iactabundus, regis Babylonis legatis domus ſuæ opulentiam oſtentauit. (3. Reg. 24.) Ipſi tandem Chriſti diſcipuli, quando contentio orta eſt inter eos, *quis eorum videretur eſſe maior,* (Luc. 22. 24.) ab eodem ſunt ſuperati. Quis igitur ſe, licet ſãctiſſimus à ſuperbia tutus exiſtimabit? Merito Dauid ad Dominum confugiens ait. *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo,* &c. (Pſ. 18. 13.) nam *ſi mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo: à ſuperbijs* vertit Hieronymus, *prohibe ſeruum tuum, & mundus ero à præuaricatione maxima.* (Hier. in pſal.) F

Chryſ. homil. 43. ad popul. Ant. tom. 5. — Superbiæ tria remedia

Habet tamen & is morbus remedia. Quare Chryſoſtomus: *morbus quidem* eſt, inquit, *ſuperbia, non tamen incurabilis: ſed admittens remedium, & medicinam, & multo magis, quam corporalis: ſi namque volumus, poſſumus eum extinguere: ſed quomodo poſſumus ſuperbiam extinguere? Si Deum agnoſcamus: nam ſi ex ignorantia Dei naſcitur, eum ipſum cognoſcimus, expellitur omnis inſolẽtia. Cogita ipſam humanam naturam, quod nihil ſit homo: præſentium rerum vilitatem cogita, & quod ab vmbra, ſomnioque nihil differant.* Quare tria hic videtur Chryſoſtomus proponere medicamenta efficacia ad ſuperbiam expellendam, videlicet Dei, ſui ipſius, & mundanarum rerum contemplationem: Maieſtatis nimirum Dei, ſui ipſius vilitatis, & vanitatis rerum mundanarum. *Hæc,* inquit, *poterunt nos à tali propoſito abſtrahere.* G Quæ medicamenta etiã tanquam validiſſima proponit S. Thomas, dicens; *Poſtquam motus ſuperbiæ deprehenſus fuerit per rationem, tunc facile euitatur. Tum ex conſideratione magnitudinis diuinæ, ſecundum illud Iob: quid tumet contra Deum ſpiritus tuus?* (S. Tho. 2. 2. q. 162. ar. 6. ad 1.) (Iob 15. 13.) *tum ex conſideratione propriæ infirmitatis, ſecundum illud eccleſiaſtici; quid ſuperbis terra, & cinis?* (Eccli. 10. 9) *tum ex imperfectione bonorum, de quibus homo ſuperbit, ſecundum illud Iſaiæ. Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quaſi flos agri. & infra: quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ tuæ.* (Iſaiæ 40. 6) Et verè, vt à primo exordiamur, quis ſupremam illã Maieſtatem conſiderans, ſe viliſſimum puluerem & cinerem cum Abrahamo non confiteatur? & cum B. Paulo purum nihil? Raptus enim ille vſque ad tertium cælum, quem Empyreum dicunt, *ſiue in corpore, ſiue extra corpus,* (2. Cor. 12. 2.) vt ipſemet loquitur *neſcio, Deus ſcit,* H *audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui,* diuinamque videns eſſentiam, per modum, vt aiunt, tranſeuntis, in eius ſupremæ maieſtatis intuitu, tanta caligine offuſus eſt, vt ſui ipſius, ac ſi non eſſet, oblitus, nihil aliud niſi Deum videre valuerit: ex quo factum eſt, vt nec iudicare quiuerit de ſe ipſo, in corpore ne, an extra corpus cælum conſcenderit: nam ſicut rotam ſolis intuentium oculi, ita debilitantur, vt nec ea, quæ coram habent videre valeant, ita nequibat Apoſtolus ante diuiniſſimam illam lucem poſitus ſe ipſum videre. (Humiliant ſe, qui diuinam conſiderant maieſtatem.) Quod ſane omnibus contingeret, ſi inacceſſibilem illam diuinæ maieſtatis lucem oculis mentis aſſidue contemplarentur. Hinc de myſticis illis quatuor animalibus ante Deũ incedentibus, ait Ezechiel; I *Cum fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum, ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas.* (Ezech. 1. 25.) *Sciendum eſt,* inquit Gregorius, *quia noſtris ſenſibus aliquando vox carnis loquitur, aliquando vox animæ, aliquando vox firmamenti, aliquando vox, quæ eſt ſuper firmamẽtum.* (Greg. in Ezec.) Sic deinde vocem carnis, quæ carnalia tantum proponit, & vocem animæ, quæ ſpiritualia, voces ait eſſe ſub firmamento, & vocem de firmamento contemplationem rerum cæleſtiũ, & Angelicarum; vocem vero, quæ eſt ſupra firmamentum ipſius Dei contemplationem eſſe: *cuius naturæ,* inquit, *potentiam cum ſtrictus in ea cogitat animus, vox ſuper firmamentum fit, ad cuius vocem ſtant animalia, & ſubmittunt alas ſuas: quia ſanctorum mentes cum creatoris ſui potentiam intenta contemplatione conſiderant, vileſcunt eorum animo virtutes, quas habent, & tan-* L

to fiunt apud ſe humiliores, quanto eis illud altum eſt, quod ſuper Angelos ſonat. Tanta enim diuina maieſtas, vt coram illa *Omnes gentes*, ait Iſaias, *quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputata ſint. Ecce inſulæ quaſi puluis exiguus, & libanus non ſufficit ad ſuccendendum, & animalia eius non ſufficient ad holocauſtum.* Sic docens omnes gentes, quotquot à principio natæ ſunt, & ad finem vſque mundi naſcentur, coram Domino, non ſecus ac paruam eſſe guttam de vaſe ſtillantem. *Repete modo omnes gentes*, ait Chryſoſtomus, *Syrios, Cilices, Cappadoces, Bythinios, Phryges, Lycios, Pamphilios &c. hæc omnia mortalium genera inſtar guttæ labentis de ſitula coram Deo. Accipe accuratius, dic quæſo quota eius gutta eſt particula?* Et quaſi momentum ſtateræ (momentum nomen שחק, notat leuitatem, & ſumitur hoc loco pro tenuiſſimo puluere in lances incidente, qui nullius eſt ponderis). Quin tantam Dei maieſtatem eſſe, vt ſi pro dignitate offerenda illi eſſent ſacrificia, vniuerſæ arbores, quas profert Libanus, ad ignẽ non ſufficerent, neque vniuerſa animalia, quæ nutrit, ad victimas. Sed quid? tantum, tamque immenſum Deum dicit, vt ſi cum eo omnes gentes conferantur, non quaſi ſtillam ſitulæ, aut momentum ſtateræ, quæ aliquam habent quantitatẽ in infinitum ſecundùm ſe diuiſibilem, quorum partes licèt minimæ ſemper aliquod retinent eſſe; ſed *omnes gentes*, ait, *quaſi non ſint, ſic coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputata ſunt ei.*

Iſaia 40. 15. 16.

Rerum terrenarum vilitas coram Deo.

Chryſ. hom. 2 de incõpreh. Dei nat. tom. 5.

M

Iſa. 40. 17.

H

Pſ. 138. 14

Hanc diuinam maieſtatem conſiderans Dauid: *Confitebor tibi*, ait, *Domine, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.* Quæ verba explicans Sanctus Chryſoſtomus, illo aduerbio *terribiliter* dicit alludere Pſaltem, ad id, quod euenire illi ſolet, qui maris vaſtitatem, immenſoſque gurgites in eminenti loco proſpicit. *Is enim*, ait, *vertigine quaſi tentatus ſtupeſcit, ac ſummo cum timore demirans recedit.* Etenim capilli eius præ timore eriguntur, caput euaneſcit, contremiſcunt membra, & ſtupore affectus intra ſe ipſum quodammodo ſe reperire curat. Sic ſanè illis accidit, qui Deum conſiderant: etenim dum immenſam illam abyſſum omnium magnarum rerum contemplantur, intra nihilitatem ſuam ſe ipſos reducentes, tantamque maieſtatem contremiſcentes, exclamant cum Dauid: *ſubſtantia mea tanquam nihilũ ante te. Memini*, inquit Dorothæus, *cum aliquando de humilitate verba faceremus, & quidam de illuſtribus viris Gazenſibus audiſſet nos iſthuc idem aſſerẽtes: nimirum, quod quanto quis Deo propius adhæret, tanto ſe magis peccatorem agnoſceret, & viliorem prædicaret, admiratione illum, & ſtupore affectum dixiſſe: quomodo fieri hoc poteſt? ignorabat enim, & volebat addiſcere. Tum ego illi aio. Dic mihi obſecro præclare Domine, quem locum habes in tua ciuitate? ille verò reſpondit: magnum quidem, & principem locum teneo. Dico illi. Si Cæſaream iueris, quem locum ibi obtinebis? Viliorem inquit, & peiorem omnibus, qui illic degunt. Tunc ego. Si vero, inquam, Antiochiam perrexeris, quem ibi te faceres? Cui ille, vt ruſticum certè, & ſemipaganum me haberem. Quod ſi ad regiam Ciuitatem, inquam ego, perrexeris Conſtantinopolim, quem tibi locum putares? Certè, inquit, vt pauperem, & mendicum me exiſtimarem. Tum ego illi: Ecce, inquam, ita ſe habent ſancti viri, quanto propius, & vicinius ad Deum accedunt, tanto ſe viliores aſpiciunt, & peccatis magis onuſtos. Sic Abraham cum videre Dominum venuiſſet, terram ſe vocauit, & cinerem. Iſaias virum pollutum labijs, &c.* Hæc Dorothæus. *Auditu auris audiui te*, ait Iob, *nunc autem oculus meus videt te, idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Olim ſcilicet cum inſipienter loquerer, auditu tantum de te multa ſciebam; etenim fides eſt per auditum, quare flagellis aggrauatus, non vt debueram, ad te mente erigebar: verum nunc diuino tuo lumine cum profecerim ad tuam cognitionẽ, & reuerentiam, quia oculus meus videt te, & ſpeciali modo te ipſum contemplatur, ipſe me reprehendo: *ſpreui me ipſum*, habent Septuaginta. Nicetas: *conditionis meæ indignitatem, atque ſordes cognoſco. Quanto enim quiſque ſe minus videt*, ait Gregorius, *tanto ſibi minus diſplicet, & quanto maioris gratiæ lumen percipit, tanto magis reprehenſibilem ſe eſſe cognoſcit. Et ago pœnitentiam in fauilla, & cinere. In fauilla enim, & cinere pœnitentiam agere*, ait Hieronymus, *eſt contemplata diuina eſſentia, nihil aliud ſe, quam fauillam, & cinerem cognoſcere. Putaui me terram, & cinerem*, habent Septuaginta. Sic tunc præcipuè humiliauit Iob ſe ipſum, quando Domini maieſtatem ſpeciali modo eſt contemplans.

O

Pſ. 38. 6.

Dorot. ſer. 2. prop. med.

Diuinæ magnitudinis cõtemplatio humilitatis parens.

P

Iob 42. 5. 6

Q

LXX.

Nicetas.

Greg. lib. 32. mor. c. 1. vol. 1.

Hier. lib. 2. in c. 5. Ierem. & Greg. vbi ſup.

LXX.

Sed, vt ad rem noſtram veniamus, ſi ſanctiſſimi viri ante diuinam illam, & ſupereminentiſſimam poſiti maieſtatem adeò ſe ipſos humiliant, vt puluerem, cinerem, viliſſimoſque ſe peccatores exiſtiment; cur ſuperbus vitijs, & peccatis plenus non humiliabitur, & confundetur, ſi ad illam immenſam maieſtatem accedat? *Ad illud enim lumen veritatis conſtitutus homo*, ait Bernardus, *ſe ipſum, & ſine diſſimulatione inſpicit, & ſine palpitatione dijudicat, ſicut næuos omnes ſui corporis perſpectos habet, qui ſe ipſum ſoli exponit, vt in eius lumine detegantur.* Quare cum ad tantum lumen optimè ſuas ſuperbias, & miſerias contempletur, & confundatur, & ſuperbiæ medeatur neceſſe eſt.

R

Ber. ſer. 42. in Cant.

De

De cognitione propriæ infirmitatis, & vilitatis, ſecundo ſuperbiæ remedio.

CAPVT XI.

Sup. c. 10.
A

Chryſ. homil. 43. ad pop.

SECVNDVM Superbiæ medicamentum propriæ infirmitatis eſſe cognitionem, vt vidimus, manifeſtè Chryſoſtomus, & Sanctus Thomas declarant. *Cogita*, ait Chryſoſtomus, *ipſam humanam naturam, & quod nihil ſit homo.* Etenim, vt ſacræ narrant literæ, à ſuperbo, & fugitiuo Iona exquiſierunt nautæ: *quod eſt opus tuum? qua terra tua? et quo vadis?* Sic, vt Innocentius docet, *circa ſtatum humanæ conditionis tria præcipuè conſiderare debemus, ingreſſum, progreſſum, et egreſſum.* & poſt pauca: *De quo factus eſt homo, quid faciat homo, quid futurus ſit homo.* Cum enim apis, teſte Ambroſio, aeris motus ſuſpectos habet, timetque ne leue remigium ſuarum alarum ventorum flagra præcipitent, lapillis ſæpe ſublatis per inania ſe librat nubila, eoque pondere aggrauata eorum impetum vitat.

Innoc. iij. in Dom. Septuageſſ. ſer. 1.

Amb. li. 3. de Virgin. c.

Sic; qui à ſuperbiæ vento ſibi timet, ne eius impulſu in tranſuerſum rapiatur, ſuarum imperfectionum, inquit, *conſideratione aſſumpta, mentis ſuæ cogitationes ſic libret, vt quantum ſuperbia tollere eas potuit, tantum illa deprimat.* Quæ eſt itaque terra tua, de qua factus es? *In ſordibus generamur*, ait Bernardus, *in tenebris confouemur, in doloribus parturimur, ante exitum miſeras oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus: mirum quòd non ipſi pariter laceremur, primã vocem plorantes emittimus, meritò quidem, vtpote vallem lacrymarum plorantes ingreſſi.* *Quid eſt homo*, ait Dauid Domino, *quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* *Quid eſt Enos*, habet Hebræus, *aut filius Adam* אנוש, Enos, ideſt miſerabilis, ſeu obliuioſus. Et, vt ab Euſebio fuit obſeruatum. *Filius Adam*, hoc eſt filius terræ ab אדמה, Adama, quod argillam, ſeu terram aptam conformari ſignificat, ſicut etiam dicitur homo ab humo, ex qua formatus eſt. Legimus in epiſtolis Neotericorum, qui de rebus Indicis oculati ſunt teſtes, & ex India in Europam ſcripſerunt latiſſimè, quendam ibi regem Magor ex Tamburlanis nepotibus imperare, cui in more poſitum dicunt, ſtrenuiſſimum quemque licèt viliſſimum, nulla ſanguinis, ſed virtutis ſolius habita ratione præcipuis belli, pacisque muneribus præficere, atque vt eos in propriæ vilitatis recordatione conſeruet, lege lata ſanciuiſſe, vt ſua cuique artificij conſueti ſymbola præferantur; fabro nimirum malleus, Sartori forfices, ſutori ſubula, cæteris item ſuæ, cuique

B
Homo in ſua natiuitate viliſſimus.

Bern. in ſer. 4 hebdom. pœnoſ.

Pſ. 8. 5.

Euſ.b. li. 1 de prep. Euang. c. 4.
C

Epiſt. Indic. excuſ. Mogunt. 1599.

Mos Indorũ laudatiſſimus.

artis inſtrumenta. At ſapientius longè diuina ſapientia conſuluit hominibus, quia cum poſſint hæc inſtrumenta dolo intercipi, & obliuione, vel contumacia relinqui, materiam illam circunferri voluit, & infirmitates quæ ſicut nec occultare ipſe; ita nec alius intercipere poteſt. Hinc Auguſtinus: *Laudare*, inquiens, *te vult homo aliqua portio creaturæ tuæ, & homo circumferens mortalitatem ſuam, circumferens teſtimonium peccati ſui, & teſtimonium, quia ſuperbis reſiſtis.* Semper enim nobis quod ſumus, & in quibus infirmitatibus per peccatum incidimus, ante oculos poſitum eſt, nec obliuiſci materiæ noſtræ poſſumus, niſi moriamur, nec enim prius à terra recedimus, quam in terram redeamus, ex terra creati, in terra nati, & educati. Quare meritò Eccleſiaſtes: *Quid*, inquit homini, *ſuperbis terra, & cinis?* *Memento*, ait Iob cum Domino loquens, *quod ſicut lutum feceris me*, vel vt habent Septuaginta, *quod lutum finxeris me.* Tritum illud de Bruto, qui ſummum in Vrbe obtinuit imperium, quia matrem exoſculatus eſſet, nimirum terram, ſic oraculum è ſpecu intelligens, vt refert Liuius. Cui perſimile coniectorum reſponſum ſuper ſomnio Iulij Cæſaris, vt Suetonius. Mos etiam erat antiquis, Varrone teſte, recentem fœtum ſtatim in terra ſtatuere, opemque, quam ſibi finxerant Deam, & à leuando de terra Leuamen nominabant, inuocare. Sic ſanè, vt Chryſoſtomus ait. Cum cogitauerimus, & nos vnde conſtitutionis ſuæ initium natura noſtra ſuſceperit, etiam ſi ſexcenties ſuperbia ſurrigamus, eam reprimemus, & humiliabitur, & ſubſtantiæ noſtræ qualitatẽ perpendentes modeſtiam diſcemus.

D

Aug. li. 1. Confeſſ. c. 1.

Eccli. 10. 9

Iob 10. 9.
LXX.

E

Liu. lib. c.

Suet. c. 7.

Varro lib. de lingu. Lat.

Chryſ. hom. 12 in Gen. poſt med.

Sed, *quod eſt opus tuum?* Diximus de quo formatus eſt homo, dicamus ad quid natus eſt homo. *Homo naſcitur ad laborem*; ait Iob, *auis ad volandum*, ita ſcilicet naturale eſt homini, vt explicat Chryſoſtomus, & plerique Latini, laborare, ſicut auium generi volare, neque enim poteſt homo volatu ſibi conſulere, aut laborem aliis ſubterfugere, vt aues faciunt, vincentes laqueorum, vitæque diſcrimina; ſicut à Sapiente ſcriptum eſt: *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Et ab Oſea, *Auolabunt quaſi auis ex Aegypto.* nam fruſtra tentat homo ærumnis, atque doloribus, & mille eaſum laqueis ſe ſubducere, cum non valeat auolare, vt ab Iſaia dictum eſt. *Ecce tribulatio, & tenebræ, diſſolutio, & anguſtia, & caligo perſequens, et non poterit auolare de anguſtia ſua.* Ideſt nullum habebunt miſeriarum perfugium, quarum numerus tantus eſt, vt numerari nequeat. *Quis*, ait Auguſtinus, *numerare poterit præſentis vitæ moleſtias, eſurire, ſitire, algere, calere, laſſari, et innumerabilia ex ipſa conſuetudine nobis domeſtica? ſunt tamen initium dolorum*

Homo ad quid natus ſit.
Iob.
F

Prou. 1. 17

Oſe. 11. 11.

Iſai. 8. 22.

Aug. de viſit. infir. c. 6. to. 9

G

hae ; ſed vt altius reuoluamus , quæ intra nos
ſunt , cupere , amare , odire , fornicari, adul
terari , occidere , vel occidi , rapere , vel fu-
rari , nonne inimicæ paſſiones nobis ſunt;
tamen quis immunis , quis liber eſt ab his
Bern. ſer. 10. in cœna Dom. ante med. *omnibus ?* Et verè , vt Bernardus ait , *ab e-*
greſſu propria matris vteri , vſque ad ingreſ
ſum ventris omnium matris , quid habet ho-
mo miſer à mundo ? famem , ſitim , nudita-
tem , frigus erucians , cauma perturbans ſea
biem cutis , dolorem capitis , chyragram in
manibus , podagram in pedibus , morbum in
liene , morbum in iecore , vndique miſeriam
intus , & extra . Ita vt optimè cum Iob ex-
Iob 14. 1. clamare poſſimus . *Homo natus de muliere,*
H *breui viuens tempore , repletur multis miſe-*
rijs , quod verbum quam verum ſit , non nos
verba tantum docuere ; ſed etiam verbera .
Homo , inquit , *natus de muliere* , natus qui-
dem , & conceptus : eſt enim in Hebræo ילד
ialad , quæ non ſolum patiendi , & naſcendi ,
ſed etiam concipiendi , & generandi vim ha-
bet : *de muliere* , qua nihil abiectius , vt pote
ſymbolo imbecillitatis , quicquid enim mol-
le , & infirmum eſt , mulieris compellationem
Ierem. 51. 30. habet in ſacro eloquio , vt apud Ieremiam :
deuoratum eſt robur eius , & facti ſunt qua-
Io. 1. 13. *ſi mulieres* . Hinc Ioannes , *filios Dei non ex*
ſanguinibus , neque ex voluntate carnis , id-
eſt mulieris , *neque ex voluntate viri , ſed ex*
Hominis inconſtantia. *Deo natos* dicit . At ne fortè ex ipſa ſibi vo-
luptate corporeorum ſenſuum , quam de ſenſi
Iob. 14. 1. bilibus haurit , blandiatur , *homo natus de*
I *muliere* , in ipſo ſtatim introitu , de exitu quo
que terribiliter admonetur , cum dicitur : *bre*
ui viuens tempore . Et ſanè tanta eſt vitæ hu-
Iob ibid. manæ breuitas , quod , *quaſi flos egreditur* ,
eodem Iob teſte , *& fugit velut vmbra* : eſt
enim in flore fragrantia , ſuauitas , color , de-
cor , magnitudo , &c. quæ omnia breuiſſimo
conſumuntur tempore , quia flos , & ſi nulla
aeris violentia decutiatur , aut ferro excida-
tur , decerpaturue manu , ſponte ſua abſu-
mitur , & concidit : ſic humana vita , licèt in
huius mundi conuallibus vernare , & florere
aliquando videatur ; facile tamen per ſe ipſam ,
aut morbo defloreſcit , aut vetuſtate extin-
guitur , *& fugit velut vmbra* , quæ breui a
bit , & euaneſcit in nihilum , nullo veſtigio re-
licto , quæque tunc breuior eſt , quando eſt
longior : nam prope occaſum Solis , quando
L longiſſima apparet , tunc in nocturnas tene
bras velut curſor tranſit , vt auis volat , vt
cogitatio euaneſcit , & vix cœpit , cum iam
finem ſibi inſidiantem , ac ſe ad victoriam pa-
rantem agnoſcit . At ne ſpatiolum illud , quod
inter ingreſſum , & egreſſum relinquitur , ſibi
liberum putet homo , *repletur* , ſubdit Iob ,
multis miſerijs , multis , ac multiplicibus mi-
ſerijs corporis , miſerijs cordis , miſerijs cum
dormit , miſerijs dum vigilat , miſerijs qua-
qua uerſum ſe vertat , repletur , ac ſaturatur ,
inquietatur , commonetur , ac conturbatur ,
eſt enim in Hebræo pro miſerijs vox deducta
à radice רגז ragaz , quod inquietari , com-
moueri , & conturbari aliquo vehementi do-
loris affectu , triſtitiæ , metuſue , aut iræ , quæ
omnia inſtar cibi , & potus in hominis ita
ſubſtantiam conuertuntur , vt ad illa , ſicut vi M
dimus , ſolum natus videatur : haud enim Nulla in hac
eſt in hoc mundo tam grandis voluptas , quæ vita volup
amaritudine aliqua non tangatur . *Roſa* tas pura .
hic , ait Baſilius , *ſpinis eſt coniuncta exter-* Baſil. hom. 5. in Hexam.
na gratia moleſtiam obtegens , nos aperta vo-
ce conteſtans , & dicens , quæ iucunda ſunt
vobis , ò homines , triſtibus permixta ſunt .
Sic ſanè videmus lætitiæ , & hilaritati , mœ-
ſtitiam conglutinari , viduitatem coniugio ,
fœcunditati abortum , vitæ ſplendori igno-
miniam , delitijs faſtidium , & proſperis ip-
ſis acceſſibus diſpendia . quod cum Darius
ille magnus rex Perſarum probe calleret , dum
inſtructa acie milites ad pugnam contra Ale-
xandrum hortaretur , Q. Curtio referente ,
illud adiecit , *Præterea breues , & mutabi-* Q. Curt. lib. 4.
les vices rerum ſunt , & fortuna nunquam N
ſimpliciter indulget : forſitan ita dij fata or-
dinarunt , vt Perſarum imperium , quod ſe-
cundo curſu ducentum triginta annos ad ſum
mum faſtigium euexerant , magno motu con-
cuterent magis , quam affligerent , admone-
rentque nos fragilitatis humanæ , cuius nimia
in proſperis rebus obliuio eſt . Et ſanè dein-
de ab Alexandro deiectus , expertus eſt ipſius
fragilitatis ludibrium , & qui de pluribus an-
tea triumpharat , ipſe victus , ſpoliatus impe-
rio , fugiens à ſuis necatus eſt . Quare (quod
etiam hominis miſeriam auget) veriſſimum
etiam illud Iob apparet , quod *nunquam in* Iob. 14. 2.
eodem ſtatu permanet : Nam quoad corpus
contrarijs ſemper impreſſionibus . viciſſitu-
dini temporis , ætatis , & cæterarum rerum
manet ſubiectus : quoad animum vero mi-
rum eſt quanta ſit eius inconſtantia : nunc
genuflectit Baal , nunc Deo ; nunc procum-
bit pietati , nunc vitio ; paſſim ſtudia , & ac- O
tiones mutat , vti de illis dictum eſt : *Credi-* Pſ. 105. 12
derunt verbis eius , laudauerunt laudem eius , 13.
citò fecerunt , & obliti ſunt operum eius , id-
eſt , cito perfecerunt diuinas laudes , & cito
pietati , & grati animi memoriæ nuntium
remiſerunt . Hinc Bernardus : *Cor hominis* Bern. lib. medit. c. 9.
ſicut molendinum voluitur velociter , & nihil
reſpicit : ſed quicquid imponitur molit , ſi au-
tem nihil apponatur , ſe ipſum conſumit ,
ſemper eſt in motu , nunquam quieſcit ; ſed
ſiue dormiat , ſiue vigilet , ſomniat , & cogi-
tat quicquid illi occurrit . Et ſicut molendi-
num arena , ſi imponitur , exterminat , pix
inquinat , palea occupat ; ſic cogitatio amara
perturbat , immunda maculat , vana inquie-
tat , et fatigat , vanitas illud recipit , curio-
ſitas deducit , cupiditas allicit , voluptas ſe-
ducit , polluit luxuria , torquet inuidia , tur- P
bat iracundia , cruciat triſtitia .
Ecce ad quid natus eſt homo , ſed iam quo

ten-

Digitized by Google

Homo viuẽs tẽdit ad mortem.

Iob 13.28. tendat videamus. *Quaſi putredo*, ait Iob, *conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea*, ac ſi dicat: illuc ego mortalis homo tendo, quo tendit res putrida: (ponit enim abſtractum pro concreto) & quo veſtimentum, quod à viliſſimo comeditur vermiculo, videlicet, in corruptionem, & in puluerem.

Pſ. 103. 29 *Auferens*, ait Dauid, *ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur*. Et Seneca:

Seneca ep. 72. *Omne hominum genus, quodcunque eſt, quodcunque erit; morte damnatum eſt*. Et Salomon:

Eccle. 3. 20. *Omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur*; quem locum de homine ad literam Chaldæus intelligit:

Chaldæus. *Omnes*, inquiẽs, *habitatores ſeculi creati ſunt ex puluere: & quando mortui fuerint illi, futuri ſunt, vt conuertantur in puluerem*. vocem Hebræam הכל hacol in genere maſculino interpretatus de hominibus explicans. Et

Q

Phocylides. Phocylides

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, ϗ πάντες ἐς αὐτὴν
Λυόμενοι κόνις ἐσμέν:
Ex terra nobis corpus eſt, & rurſus in illam.
Soluimur, & puluis ſumus.

Ariſt. de generat. et corrup. Etenim vnumquodque, vt Philoſophus ait, reſoluitur in ea, ex quibus componitur. Quare cum homo de terra formatus ſit, vt in terram redeat neceſſe eſt, & vt idem Salomon ait;

Eccle. 12. 7. *reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, ad Deum ſcilicet, qui eſt eius auctor, conditor, & eius quodammodo originalis regio. Vnde rogatus ex philoſophis quidam morti proximus à diſcipulis, vt memorabile aliquod illis ante obitum traderet documentum, accepto ille calamo, cum amplius loqui non poſſet, duo ſcripſit O O, cumque illi poſt eius obitum inter ſe de eorum ſignificatione diſceptarent, exiſtimarentque alij, illis philoſophũ indicare voluiſſe, mortem omnium rerum eſſe obliuionem: alij rem altius indagantes, nihil addendum duobus OO iudicarunt, ſed illis, vtpote literis circularibus ſignificatum fuiſſe dicebant, animam, & corpus partes conſtituentes hominem in morte circulum perficere, dum per illam anima ad Deum, & corpus ad terram vnde traxerunt originem, redeunt, nec quidem inepte: nam

R

Ioſue 23. 14 & Ioſue mortem *viam vniuerſæ terræ*, per quam ſcilicet omnes perambulant, appellauit, & poëta ille

Horat. lib. 1. od. 4. ad Sext.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas.
Regumque turres.

Pſ. 88. 49. Et Pſaltes. *Quis eſt homo*, ait, *qui viuet, & non videbit mortem?* moritur doctus pariter & indoctus, fortis, & debilis, diues, & pauper, ſenex, & iuuenis, omnibus eſt mors inſuperabilis. *Aduerſus alia quidem*, ait Stobeus, *munimenta parari poſſunt, quod vero ad mortem attinet omnes homines ciuitatem non munitam habent*.

Stob. ſer. 119. Mors enim eſt omnium æqua portio. Policrate feliciores, Alexandro victorioſiores, Creſo ditiores, Ariſtotele Sapientiores, infantibus iuniores, omnes morimur.

Mors omnia æque proſternit.

Amos 8. 2. Hinc Dominus ad Amos. *Quid tu vides Amos? & dixi*, ait ille: *vncinum pomorum ego video*. Cui Dominus; *finis ſuper populum meum Iſraël*: ſignificans mortem, quæ finis eſt omnium, quaſi vncinum eſſe pomorum, quo non ſolum inferiores arborum rami; ſed etiam ſupremi, & eminentiores inclinantur.

T

Pſ. 7. 13. 14. Ita Dauid; *niſi*, inquit, *conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit*. Niſi conuerſi fueritis, ò ſenes, Dominus gladium ſuum, quo de vicino percutit *vibrabit*, eoſque iam morti proximos feriens necabit. Et vos ò iuuenes, licet ſecundum naturæ curſum magis à morte diſtantes, ne differatis conuerſionẽ veſtram; etenim arcum, & ſagittam fert Dominus, quo à longe ferire vos poterit, *arcum ſuum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis, ſagittas* ſcilicet, quas vobis adhuc calore naturali *ardentibus effecit*, velociores ſcilicet, & aptas ab vos feriendos, licet diſtantes, vel, vt habet Hieronymus:

Hieron. *Sagittas ſuas ad comburendum operatus eſt*.

Ierem. 46. 6. *Non fugiet velox*, ait Ieremias, *nec ſaluari ſe putet fortis*. Nemo vlla ratione poteſt mortem euadere, neque velox fugiendo, neque fortis pugnando.

V

Pſ. 81. 6. 7. *Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes, vos autem ſicuti homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis*. licet enim ego; ait Dominus, vos per prophetas meos vocauerim Deos, propter communicatam vobis poteſtatem iudicandi, & vindicandi mihi propriam, & ſimiles Angelis, qui dilectione ſunt quaſi filij mihi (apud Iob, & Danielem

Iob 1. 6. Dan. 3. 92 per filios Dei Angelos ſacræ literæ intelligunt) verum aliter vobis quam filijs Dei eueniet, neque enim immortalitate donabimini, ſicut hi, qui tantum ſunt homines, quique inter homines ſunt abiectiſſimi; *Sicut Adam moriemini*, vertit Hieronymus, qui ſane parens omnium fuit viuentium.

Hier. Bern. ad Eug. Hinc ſcribens Bernardus ad Eugenium, duo ſemper illi conſideranda proponit, rationale ſcilicet, & mortale; *Conſideranti duo hæc*, ait *rationale, mortale, tibi exinde occurrit fructus, vt mortale, quod eſt in te, rationale humiliet: rurſum rationale mortale confert, quorum neutrum neglectum eſt homini circunſpecto ſcientia: nam & ſi ſuperbierit ex rationali, quod ei commune eſt cum Angelis, ex mortali ſit humilis, quod participat cum iumentis*. nam certe ſit aliquis laudato pauone ſuperbior, qui viſa Iride

AA

ſuæ, & rotã è plumis ſtellatis pẽnas extollit.

Ouid.

Laudatas extollit auis Iunonia pennas; deijciet tamen, ſicut illa deijcit & rotam, & animos, ſi pedes, quos habet turpiſſimos, aſpiciet, ſi finem ſcilicet ſuum, & mortem mente concipient, qui qualis ſit Sapiens his verbis declarat: *Vnus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.* Pontificum, regum, inopum par in morte carnium tabes, pares cadauerum quorumlibet corroſores vermes; mox enim à morte noſter omnium cinis in cinerem reuertitur, & exteri hominis noſtri nihil præter cinerem. *Nulla diſtinctio*, ait Ambroſius, *inter cadauera mortuorum, niſi forte quia grauius fœtent diuitum corpora.* Hac Diogenes Cynicus, ſeu vt alij, rex quiſpiam Brachmanorum retudit Alexandri faſtum. Interroganti enim quid ita intueretur oſſa mortuorum? *Caluaria*, inquit, *& oſſa Philippi patris quondam tui quæro; ſed inter plebeiorum non diſcerno.* Quare, vt Hieronymus ait, *nihil æque nobis proficit ad temperantiam omniũ rerum, quam frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti; quicquid facis reſpice finem;* nam, vt idem alibi ait: *facile contemnit omnia, qui ſe cogitat eſſe mortuum:* facile enim ex tali conſideratione mundi fraudes, & fallacias, detegit. Sic facile detexit Daniel, vt ſacræ narrant literæ, artes, & fraudes falſorum Baalis idoli ſacerdotũ, dum per templi pauimentum clanculum cineres ſparſit. *Templum Dei eſtis vos*, ait B. Paulus. Quare ſi fraudes mundi, vanaſque ſuperbias detegere cupimus, mortis meditatione, & cinere, in quam conuertemur, caput noſtrum ſpargere debemus. *Magnus eſt Deus Bel*, admirans factum, rex Babyloniæ exclamauit: Verum, conſpectis cineribus per templum ſparſis, detectiſq. per illos falſorum ſacerdotum fraudibus, ceſſauit mirari, & Bel, eiuſque ſacerdotes contempſit. Miramur ſane & nos mundi faſtum, diuitias, & ſuperbias, magnum idolum Bel proclamamus; at illa contemnimus cum primum magnatum huius mundi veſtigia in paruo cinere impreſſa conſpicimus: cum primum animaduertimus, in paruum puluerem omnem tandem humanam potentiam, ingentia imperia, & ſceptra deſiuiſſe. Hoc plane, vt multa alia argumenta præteream, vel vnius Cyri Perſarum regis Epitaphium ſatis indicat, illius inquam Cyri, de quo extat magnificentiſſimũ illud Iſaiæ vaticiniũ. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendit dexteram, vt ſubyciam ante faciem eius gentes, &c.* Hic igitur poſtea quam Aſſyriorũ regno potitus eſſet, & monarchiam ab Aſſyrijs ad Perſas transtuliſſet, tandem naturæ concedens, hoc ſibi tumulo epitaphium conſcribi præcepit.

Sap. 7. 6. — BB — Amb. in Hexam. — Hier. ad Paulam. — Idem alibi. — CC — Dan. 14. 13. — Cinerũ conſideratio, quod nimirũ morituri ſimus nos ad Deum conuertit. — 2. Cor. 6. 16. — Dan. vbi ſupra. — DD — Iſaia 45. 1 — Refert' iſtud Lud. Granat. in feſt. S. Michael. Archãgel. conc. 2.

O Vir quicunq; es, & vndecunq; aduenis
Neque enim te aduenturum ignoraui.
Ego ſum Cyrus, qui Perſis imperium conſtitui.
Puſillum hoc terræ, quo meum tegitur corpus.
Mihi ne inuideas.

Ecce gloriæ, atque humanæ potentiæ faſtigium, puſillum terræ, parum cineris. Quod ſi hic humanæ ſuperbiæ finis, quid habet pului͏s, & cinis cur inſoleſcere, atque efferri debeat? De ſanguiſuga ferunt naturales, quod carnibus adhæreſcens, vt ab illis abſtrahatur, nullum eſt præſtantius remedium, quam illam cineribus aſpergere. Eſt ſane ſanguiſuga animæ ſuperba: quare de Sancto Ioanne Climaco in eius actis dicitur ſolitudinis ſeceſſu ſanguiſugam ſuperbiæ vitare fuiſſe ſolitum, quæ omnia opera bona ſugendo corrumpit. *Hoc nempe ſuperbiæ opus eſt*, ait Chryſoſtomus, *vt non modo nihil boni nobis afferat; ſed etiam, quæ habemus corrumpat.* Hæc cinere noſtræ mortalitatis conſiderationis à nobis abſtrahitur, & decidit. Exemplum refert Cæſarius de quodam viro nobili, Liſſardo nomine, qui cum diu ad ſeniũ vſque humiliter ſe in monaſterio geſſiſſet, de ſuperbia tandem tentatus, hæc apud ſe habuit. Quid eſt quod agis Liſſarde? tu nobili genere natus in hoc monaſterio à tuis deſpectus, ſubulci adhuc perſonã geris? recede miſer, & eos confunde, qui tuæ non ignoſcunt nobilitati. Hæc dum per noctem cogitaret, ſtatuiſſetque mane è monaſterio recedere, illico quædam illi apparuit reuerenda perſona, quæ vt ſe ſequeretur, manu ſignauit: ſurgens ille citus è lecto, illamque ſequutus, oſtia omnia ad ſenis aſpectum pateſieri conſpexit, donec ad cœmeterium peruenerunt, quod cum introiſſent, ſtatim aperta ſunt etiam mortuorum ſepulchra, & ſenex monachum nuper ſepultum Liſſardo oſtendens, ait. Vides Liſſarde hunc hominem? Cito talis eris. quo vis ire? cumque ad alia putrida corpora multum fœtentia conſpicienda illum vellet ducere, cœpit Liſſardus reniti, & clamare; parce mihi Domine, parce, haud enim illa poſſum videre. Cui ductor. Si quod cito eris, non ſuſtines videre, vt quid per modicam ſuperbiam vis de portu ſalutis recedere? Ad ſe inde reuerſus Liſſardus promiſit diuina auxiliante gratia, perſeuerantiam, cumq. ad cubiculũ ſuum illum reduxiſſet, ſenex euanuit. Ecce quã efficaciter mortis meditatione ſanguiſuga ſuperbiæ abſtracta eſt, & diuulſa. *Non eſt reſpectus*, ait Dauid, *morti eorum, nec firmamentum in plaga ipſorum. Quod non cogitauerunt*, vertit Hieronymus, *de morte ſua.* Et Chaldæus, *Non terrentur, neque conturbantur propter diem mortis ſuæ.* ideo *tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate.* Non cogitauerat Liſſardus de morte, cum eum ſuperbia tenuit, cogitauit mortem, cinere caput ſuum aſperſit, *cogitauit ſe mori-*

EE — In vit. Ioan. Climac. — Chryſ. ho. 66. in c. 20. Mat. in fin. tom. 2. — Cæſar. lib. de illuſt. mirac. c. 4. — FF — Mortis conſideratio ſuperbiam expellit. — GG — Pſ. 72. 4. — Hier. Chaldæus.

tu-

turum, & omnia vana contempſit. Hęc itaque ſunt quæ cogitare debemus ad ſuperbiæ noſtræ medendum. *Quæ eſt terra tua? opus tuum? & quo vadis?* Hæc ſi cogitauerimus, humiliabimur; ſin minus, à ſuperbia ſemper detenti cum ſuperborũ principe Lucifero æternas ſuperbiæ noſtræ pœnas luemus. Sed tertium diſcutiamus medicamentum. H

De cogitatione imperfectionis, & vanitatis bonorum, de quibus homo ſuperbit, tertio ſuperbiæ remedio.

CAPVT XII.

A

Sup. ex Chryſ. hom. 43. ad pop.

EST tertium ſuperbiæ remedium, vt ſupra diximus, imperfectionis, & vilitatis bonorum omnium, de quibus homo ſuperbire ſolet, conſideratio: etenim ſiue bona corporis, quæ naturæ vocant, ſiue ſpectes externa, quæ vocant fortunæ; ſiue bona ipſa animi, quatenus à nobis procedunt, tantis repleta vanitatibus ea eſſe reperies, tantiſque imperfectionibus admixta, vt non ſolum nullam omnino ſuperbiendi anſam præbeant; ſed potius optimum ſuperbiæ medicamentum exiſtant. Et quidem de bonis corporis, ſeu naturalibus, nullam eſſe cauſam ſuperbiendi, manifeſtum apparet, ſi huiuſmodi bona, quæcunque ſint, cum ipſis brutorum æquipares. Quare Chryſoſtomus: *Quid*, inquit, *ſapis altum, ò homo, in re viliſſima? leo te eſt audacior, aper fortior, nec es ad eos culex, nec es pauone pulchrior, neque propter florem, neque propter alas in auibus eſt pennis victoria, te multum coma præſtant, & flore. Verum & cygnus valde pulcher eſt, & aliæ aues multæ, quibus ſi fueris comparatus te ipſum aſpicies nihil, frequenter autem, & viles pueri, & innuptæ virgines, & meritoriæ mulieres, & molles viri gloriam hanc habuerunt. Cygno, luſciniaue nunquam tu ſuauius canere poteris. In pedum velocitate, prima ferunt bruta lepus, & dorcas, nec ſicut dorcas, aut aquila acutè cernis, et auditum aſinus te habet acutiorem, & olfactum canis. Confundere miſer itaque in his alta ſapere, in quibus bruta tecum ſociantur.* Hæc Chryſoſtomus.

Bona corporis viliſſima. Chryſ. ho. 39. ad pop. poſt med. tom. 5.

Maiora in brutis, quam in homine. B

At de bonis externis, ſeu fortunæ quid dicam? Quid enim huiuſmodi bona ſunt, ſi talia, qualia re vera ſunt, perpendantur, niſi, vt ea vocat Salomon, *vanitas vanitatum, & omnia vanitas?* *Quid*, inquit idem Chryſoſtomus, *tibi arrogas homo, quia ſublimi curru veheris? quia te trahunt mularum quadrigæ? & quale illud eſt? nam & ſaxa ita plerunque, & ligna geſtantur. Sed ſpecioſa veſte circundaris, circumfers paſtum vermium, atque tinearum, quæ cum tibi incubuerint, celeriter te huiuſmodi ornatu nudum relinquent: nam veſtimentum, & aurum aliud quidem vermium cibus eſt; aliud vero terra, et cinis, et iterum terra, et propterea nihil.* Quare aperiendæ nobis ſunt oblatæ à mundo pixides, vt videantur mel, & aromata, venenaue latentia; deponendæ equorum fallaces phaleræ; videndum an arca ſit auro veſtita intus, & foris; excorianda bona hæc omnia, & introſpicienda; *exentera hunc piſcem*, ait Angelus iuniori Tobiæ, *et cor eius, et fel, et iecur repone tibi, ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta*. Fac anatomiam, & videbis illa, vt poma Sodomorum bene colorata, ſed intus putrida; vt vas illud, quod mulier in Apocalypſi Babylon magna vocata in manibus habebat, aureum quidem, ſed plenum abominatione, & immunditia. Videbis illa, quæcunque ſint fugacitate, fallacitate, & inſtabilitate plena. Vidit rex ille, qui oblatum ſibi diadema priuſquam capiti imponeret, attente dudum conſiderans, ait: O nobilem magis, quam felicem pannum, quẽ ſi quis penitus cognoſcat, quammultis ſollicitudinibus, periculis, & miſeriis ſit refertus, ne humi quidem iacentem tollere velit. Vidit, & Antigonus Macedoniæ rex, dum regnum dixit nobilem ſeruitutem. Viderunt & illi, qui apud Sapientem hæc omnia ſicut vmbram dixerunt: *Tranſierunt omnia ſicut vmbra*. Et benè quidem: nam ſicut vmbra, quæ à carentia ſolis per corporis interpoſitionem naſcitur, ſemper fugax eſt, ſemper fallax, & nunquam ſtabilis: ſic bona hæc mundi ſemper, vt diximus, fugacia ſunt, ſemper fallacia, & nunquam in eodem ſtatu permanentia: fugacia quidem, atque adeò, vt qui multitudine diuitiarum modo repletus viget, mundique oblectatur bonis, vt Dauid loquitur, dicto citius euaneſcat. Sic ille: *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſuper cedros libani, tranſiui, et ecce non erat, quæſiui eum, et non eſt inuentus locus eius*; Ac ſi dicat: vidi impium hominem tanquam cedrum, quales eſſe in libano ſolent proceræ, ramis denſæ, & firmis radicibus nixæ, propinquis multis, & potentibus genere, liberiſque ſtipatum, clientibus, & ſeruitio fultum, qualis Saul fuit, qualis Doëg Idumæus, *ſuperexaltatum, terribilem*, vertunt alij, *et omnibus formidabilem*. & alij: firmum, fortem, & robuſtum, & eleuatum. alij: *apertum, detectum*, quippe qui neminem pertimeſcens, apertè, & audacter in omnia ſcelera rueret: alij: *firmis radicibus nixum, et ſuperexaltatum ramis, atque coma eleuatum, et firmiter radicatum*, ſicut cedros Libani, quæ maximæ, & firmiſſimæ naſcuntur. Et quis

Eccle. c. 2.

Chryſ. ho. 24. in Matt. circa finem tom. 2. C

Res mundi vanitas, atq; fallacia.

Exodi 25.

Tob. 6. 5.

Solin. in polyhiſt.

Tacit. li. vlt.

Egeſippus li. 4

Apoc. 17.

D

Valer. lib. 7. c. 2.

Stob. ſer. 43.

Aelian. de var. hiſt. c. 20

Sap. 5. 9.

E

Pſ. 36. 35. 36.

F

adeò pulchram arborem ſubito exareſcere ſuſpicaretur? Et tamen *tranſiui*, inqnit, *& ecce non erat, quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius*. tranſiui, ideſt non ſteti, nihil moræ intercesſit, niſi dum illam arborem tranſirem, tantum temporis ſpatium interceſſit, quoad ego tranſirem, *& ecce non erat*, in ipſo momento tranſitus mei tanta firmitas, & pulchritudo deperijt: & adeo funditus eradicata eſt, vt nullum etiam veſtigium reliquerit, *quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius*. Sic omnia mundi bona prætereunt. *tranſierunt omnia*, dixerunt illi apud Sapientem, *tanquam nuntius percurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non eſt veſtigium inuenire, nec ſemitam carinæ illius in fluctibus*? Et quidem vbi nunc eſt domus principis, quam Nero voluit auream dici? vbi tabernacula impiorum, quæ Arbaces Sotarbos, Diocles in Media, Cyrus, Cambyſes, Artabanus in Perſia, Seleucus, Antiochus in Syria, & Aſia, atque alij, alijs in regnis, atque imperijs extruxerunt? Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes. Illa quidem, quam Nembrot ædificauit, quæ idolatriam inuenit, & per orbem diffudit; cecidit, & omnis alia Babylon, quæ prioris confuſionem imitata eſt, vt fuerunt Niniue, Tyrus, Sydon, Memphis, Troia, & huiuſmodi dinaſtarum Aegypti ſedes. Dictatorum Romæ domus ampliſſimæ, habitatores autem vbi ſunt? tanquam ſomnium omnes præteriere. Quare Philon: *An putas*, ait, *mortalem vllam rem vere eſſe, & ſubſiſtere, & non tanquam in ſuggeſto quodam ab inani, & incerta opinione ſuſtineri non aliter, quam ſomniorum ludiera? Vide regionum, & gentium mutationes. Floruit Græcia; ſed Macedones abſtulerunt ei potentiam, poſtea Macedonia omnino interijt. Inclyta fuit Perſarum felicitas; ſed vna dies tam ingenti regno finem attulit. Fuit Aegypti perampla potentia; ſed ad nubis morem eius præterijt felicitas. Quid Aethiopes? quid Carthago? quid Africa? quid Pontici reges? quid Europa, Aſiaque, & totus orbis habitabilis?* ad modicum hæc omnia euanuerunt. *Inimici vero Domini*, ait Dauid, *mox vt honorificati fuerint, quemadmodum fumus deficient*. Notat Incognitus, quod bene ſicut fumus exaltari dicuntur, quia fumus quanto altius exaltatur, tanto plus euaneſcit, ita mundanis accidit, quorum caſus eo grauior eſt, quo gradus eorum eminentior. *Quia*, inquit Gregorius, *præſentis vitæ gloria, quaſi in alta cernitur; ſed nulla ſtabilitate ſolidatur, velut eleuatus ſuper ventum ponitur, qui proſperitate tranſitoria lætatur, quando ad hoc ſolum hunc fugitiua felicitas aura ſubleuat, vt deterius repente in infimis cadat; præterit enim figura huius mundi*, ait B. Paulus; ſunt enim inter figuras aliquæ natura ſua permanentes, quæ aliquo temporis ſpatio perdurant, vt ſunt illæ, quæ à pictoribus; vel ſcriptoribus fiunt: ſunt & aliæ, quæ natura ſua nullam habent ſtabilitatem, vt ſunt imagines in ſpeculis repræſentatæ; illæ enim licet aliquando perpulchræ, & magnificæ appareant, ſi tamen ſpeculum amoueatur, in momento diſparent, & diſſipantur: his ſimilem mundi figuram docet eſſe B. Paulus, dum illam pertranſire dicit: quod prudenter conſiderans Auguſtinus, dum Romam totius mundi ſpeculum perluſtraret, paganorumque opera, & mirifica ædificia iam collapſa conſpiceret, ad Cæſaris tumulum, vbi perueniſſet, ait; *Vbi nam Cæſaris corpus præclarum? vbi magnitudo diuitiarum? vbi caterua baronum? vbi aues militum? vbi canes venatici? vbi equi veloces? vbi aues cantillantes? vbi thalamus pictus? vbi lectus eburneus? vbi thronus regalis? vbi mutatoria veſtimentorum? vbi capilli ſolares? vbi omnia, quæ ſub cælo ſunt?* Ad hæc mater reſpondit dicens: *Fili, omnia ſibi pariter defecerunt, quando defecit ſpiritus eius*. Defecerunt omnia, quando breuiſſima ipſius vita defecit, neque enim vlla mundi felicitas longior eſſe poteſt, quam hominis vita, qui ea fruitur, quæ quam breui natura ſua ſit, quamque breuior ob fortuitos caſus, non eſt qui neſciat, quam tamen longam dicimus, quia vltra nihil habemus. Pigmæi, vt ſcribit Plinius, populi ſunt in extrema parte montiū Indiæ habitantes ſalubri cælo, ſemperque vernante, ternos dodrantes non excedunt, vnde cubitales dicuntur [illegible], enim cubitus dicitur: his continua pugna eſt, vt ait Auguſtinus, cum gruibus; ſed vincuntur. de quibus ſatyricus cecinit:

Ad ſubitas Thracum volucres, nubemque ſonoram
Pigmæus paruis currit bellator in armis,
Mox impar hoſti, raptuſque per aëra curuis
Vnguibus à ſæua fertur grue, ſi videas hoc
Gentibus in noſtris, riſu quatiere; ſed illic
Quamquam eadem aſſidue ſpectentur prælia, ridet.
Nemo, vbi tota cohors pede non eſt altior vno:

Dices: quorſum hæc? audi. Horum mulieres quinto natiuitatis anno pariunt, & octauo ſeneſcunt, & ſi quę veniant ad decimum decrepitæ moriuntur. Ariſtoteles ait Beſtiolas quaſdam naſci, quæ vno die viuant. Ex his igitur hora pomeridiana quæ mortua eſt, prouecta ætate mortua eſt, quæ vero occidente ſole, decrepita, eo magis ſi etiam ſolſtitiali die. Confer modo noſtram longiſſimam ætatem, cum æternitate, in eadem propemodum breuitate, qua pigmęi illi, hęque beſtiolę reperiemur. Quid di-

Marginal notes, left margin:
Sap. 5. 9. 10.
G
H
Phil. Iud. in fin. lib. cui tit. Quod Deus ſit immort.
Pſ. 36. 20.
I
Incognitus in pſalmos.
Greg. lib. 20. moral. c. 24.

Marginal notes, right margin:
1. Cor. 7. 31.
L
Aug. ſeu auctor ſer. ad fratr. in Erem. ſer. 48.
M
Vita hominis breuiſſima.
Aug. lib. 16. de Ciu. Dei.
Iuuen. ſat. 13.
N
O

O dico in eadem breuitate? immo ſic collata
noſtra ætas nihil eſt etiam ſi mille annos ex-
Pſ.89. 4. cederemus, quoniam *mille anni ante oculos*
tuos, ait Dauid, *tanquam dies externa* etenim
finiti ad infinitum quæ analogia eſſe poteſt?
cum hac itaqne breuiſſima hominis vita om-
nia mundi bona breuiſſime pertranſeunt. Ita
nonnulli, vt ſcimus, pontificatum adepti non
toto eum anno geſſerunt: alij cum ad purpu-
ram, & infulas perueniſſent, breuiſſimo tem-
pore ijs prærepti ſunt, cum vix eos magi-
ſtratus attigiſſent. Sed demus ſane longiſ-
ſimum tempus, expectemus quamlibet diu-
turnam ætatem: tamen ad aliquod extremum
veniendum eſt, quo adueniente, illud, quod
præterijt effluxit, & iam nihil eſt, tumque de-
mum apparet, quod antea diuturnum videba-
tur, pene punctum fuiſſe, ſi præſertim, vt di-
P ximus, cum futura æternitate comparetur.
quod innuiſſe videtur Eccleſiaſtes, dum ait:
Eccleſ. 11. 8. *Si annis multis vixerit homo, & in ijs omni-*
bus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi
temporis, & dierum multorum, qui cum ve-
nerint, vanitatis arguentur præterita. Hinc
Amb. in c. 4. Lucæ. Ambroſius: *In momento*, ait, *terrena præ-*
tereunt, & ſæpe honor ſeculi abijt ante quam
venerit. quid enim ſeculi poteſt eſſe diuturnũ,
cum ipſa diuturna non ſint ſecula? Et Iob.
Iob 20. 5. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. In*
Greg. ibi. *puncto*, ait Gregorius, *ſtylus mox vt ponitur,*
leuatur, nec mora vlla agitur, vt per expri-
mendam lineam trahatur. Sic *hypocrita præ-*
ſentis vitæ gaudia cum tangit amittit. Quam-
Q uis enim honor ſiue fama quempiam ſinu ex-
cipiat, tota in eum fauore ſuo prona; tamen
vitri inſtar mox fauor ille frangitur, in quo
ſe beari putant homines. vnde Paulinus:
Paulin. in ep. ad Romanianum. *Nunc tibi falſa placent bona, nunc rapit*
omnibus auris
Ambitus, & vitreo, fert caua fama ſinu.
Iſaiæ 40. 6 *Omnis caro fœnum*, ait Iſaias, *& omnis glo-*
ria eius, quaſi flos agri, ſeu, vt alia habet
lectio, *& omnis figura eius quaſi flos fœni.*
Cuius ſimilitudinis ratio in eo poſita eſſe vi-
detur, quod flos fœni citiſſime, & quaſi de
repente deficit, cum maiorem viriditatis diu
turnitatem prima ſpecie pollicere videatur.
Greg. lib. 17. mor. c. 1. *Iniquorum*, inquit Gregorius, *potentia fœni*
floribus comparatur, quia carnalis, gloria
dum nitet cadit, & dum apud ſe extollitur, re-
pentino intercepta fine terminatur. Hæc eſt
mundanarum rerum vmbræ fugacitas. ſed iã
R eius fallacitatem videamus.
Mundanarũ rerum fallacitas maxima. Oriente enim ſole opacarum rerũ vmbras
in aduerſam regionem ad infinitum ferme
protendi mathematici docent, idque ex eo,
quia eodem tempore ſolis radio oculorũ acies
vincitur, atque adeo, nec clare videantur, nec
facile definiantur, quæ proſpectibus ſunt obie-
cta: quamobrem, quæ huic talia exiſtiman-
tur, alteri cuipiam diuerſi generis eſſe, vel exi-
ſtimari, vel fingi facile poſſint. Sic in libris
Iud. 9. 36. Iudicum ait Gaal ad Zabur: *Ecce de montibus*
multitudo deſcendit. Cui ille: *vmbras mon-*
tium vides quaſi capita hominum, & hoc er-
rore deciperis: quod ſane frequentiſſime mun-
danis hominibus accidit, quippe qui à pro-
prijs paſſionibus excæcati mundanarum re-
rum vmbram conſpiciunt, ac ſi maximum
quid eſſet. Sic terram tota punctum eſſe ma
thematici docent. Et Seneca: *punctum*, ait, S
eſt hoc totum, in quo nauigatur, bellatur, & *Senec. in præf.*
regna diſponuntur: Si quis formicis daret in- *lib. natural.*
tellectum hominis, non ne & illæ vnam aream *quæſt.*
in multas prouincias diuiderent? Et in ea con-
ſolationes eſſe putant, cum tantum dolori-
bus abundet. *O munde immunde*, ait Augu- *Aug. de ſymb.*
ſtinus, *teneri vis periens, quid faceres, ſi ma-* *ad Cath. li. 3.*
neres? quem non deciperes dulcis, ſi amarus *c. 1. & ſer. 39*
alimenta mentiris? Externa ſunt enim à no- *de ver. Dom.*
bis, ait idem alibi, *mundi bona, de quibus con-* *c. 6. tom. 10.*
ſolatio nulla eſt, & vniuerſos, qui Deum non *Idẽ in enarr.*
habent pecunia, amicitia, gloria, facultates *pſ. 36. concion.*
mundi, ſerui, & quæcunque bona ſunt cor- *2. ante med.*
poralia non poſſunt conſolari intrinſecus, ſed
magis tribulare. Sic optabat Rebecca pro- Bona terrena hominem conſolari nõ poſſunt.
lem vetero concipere, eiuſdem deſiderio quid
non fecerat? quid non tentarat? tamen poſt- T
quam voti compos effecta eſt, cum filios in
vtero pugnantes ſenſiſſet. *Si ſic*, inquit, *mihi* *Gen. 25. 22*
futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Id
multis accidit, qui poſtquam deſiderata mun-
di bona multo ſudore ſunt adepti, in quibus
ſe recreari putabant, quantum in eis fellis,
& fallaciæ lateat optime percipiunt. Hinc
Chryſoſtomus: *Carere*, ait, *diuitijs, iucun-* *Chryſ. ho. 49. ad popul.*
dius, quam habere diuitias, & vxore carere,
quam coniugio iunctum eſſe, & inani gloria
liberum eſſe, quam ventoſam gloriolam aucu-
pari, & delicias fugere, quam delicijs im-
mergi. Sic fallaces cogitationes earum re-
rum, quas fingimus, & expetimus, ægrotan-
tium ſimiles, ſi aduertimus, reperiemus:
æger enim dum ſiti oppreſſus fontes vberri-
mos, & nitidiſſimos ſomniat, expergefactus V
tamen ſe ſicut prius optata aqua carere co
gnoſcit. Hæc habent ſomnia vaniſſimi ho-
mines in mundi veterno ſopiti, ſe videre, &
habere putant quæ ab eis longiſſime abſunt.
Ad hos alludit Philon dicens. *Vigilantium* *Philo Iud. li. de Ioſe.*
imaginationes ſomnijs ſunt ſimillimæ: abeunt,
& auolant prius quam apprehendant quæ
cogitant. Et exemplo illius confirmat, qui in
ſomnijs ſe auem volantem capere cogitat,
& à ſomno experrectum nihil ſe cœpiſſe videt.
Tertullianus etiam eandem proſequens ſen- *Tertull. li. de*
tentiam: *Omnia*, inquit, *quæ in ſeculo ſunt,* *conſ. milit. pa.*
vtique imaginaria ſunt: nam ſecularis homo *mihi 127.*
honores ſemper meditatur, & quouſque in il-
lis progrediatur nec ſuis cogitationibus fi-
nem imponit. Et S. Gregorius Nazianze- *Nazianz. ho.*
nus hos ſimiles dicit ijs, qui characteres in *4. in Eccle.*
aqua formare conantur, ſed fruſtra; nam ad- AA
hibito labore in re fallaci, nullus effectus ap-
paret, nec remanet: ſic omnia huius mundi
commoda, & quæcunque expectantur, & ma-

gnopere ambiuntur, velut aqua elabuntur. *Nolite*, inquiens, *ſcribere in aqua mobilitate, nec in re mutabili, aut caduca pedem figatis, ne ſummergamini, vt qui in aqua nititur*. & addit plura. Sed quis, bone Deus, quam inſtabilia ſint hæc omnia mundi bona, valeat enarrare? numquã quieſcunt illa, ſed ſemper ſicut vmbra creſcunt, & decreſcunt; more nauis denique, ſuſque, deq. iactatæ nunc ſecundis rebus nunc aduerſis vtuntur, & vltro citroq. præſtuaria eunt: nam & marini æſtus nunc cum magno impetu, ſonituq. accedunt, & longe, lateq. per litora diffunduntur vndis ſtagnantibus, nunc refluunt retro. Simile quiddam accidit, quando fortuna, poſtquam populoſam aliquam gentem inundauit magnis felicitatibus, fluxu aduerſo ne guttam quidem ſinit reliquam. Hanc miram rerum viciſſitudinem illacrymatum fuiſſe Antiochum legimus, cum adductus illi fuiſſet Achæus Andromachi filius, qui filiã Mitridatis vxorem duxerat Laodicem, vniuerſæ regionis Tauri Dominus, vinctus & ad terram poſitus. Et Seſoſthenes rex Aegyptiorum illuſtris admodum, & felix poſt multas ſibi ſubditas nationes currum aureum multis diſtinctum pellucidis lapillis ornatum ſibi fieri procurauit, cumque trahi faciebat quatuor regibus deuictis iugo illis impoſito, quorum vnus, dum celebri feſto, currum illum traheret, cum ſæpe ad rotas retrorſum aſpiceret, & rotæ volubilitatem intueretur, cumque Seſoſthenes, cuius rei gratia tam frequenter oculos in rotam conijceret percunctaretur; reſpondiſſe fertur, cum ſtupore admiror, rotam adeo inſtabili modo ferri, atque alias aliter volui, & nunc quidem ſublimia demittentem, & rurſus demiſſa ſublimantem, quo intellecto Seſoſthenes, ſtatuit ne poſthac illi currum traherent, iam & ille intelligens, quantæ mutabilitati ſit obnoxius ſtatus felicitatis. Hinc Iuuenalis.

Mundi bona inſtabilia.

Ex Philone vbi ſup. in fin. lib. cui titul. Quod Deus eſt immortalis.

B B

Polybius li. 8. hiſt.

Niceph lib. 8. hiſt. Eccleſ. c. 20.

C C

Iuuenal. ſat. 7.

Si fortuna volet, fies de rhetore conſul,
Si volet hæc eadem, fies de conſule rhetor.

Et Manlius.

Manl. 4. Aſtronomic.

Quid numerem euerſas vrbes, regumque ruinas
Inque rogo Craſum? Priamumque in litore truncum,
Cui nec Troia rogus? quid Xerſem maius et ipſo?
D D *Naufragium pelago? quid captos agmine reges?*

Sic ſane recte rerum humanarum inconſtantiam, & inſtabilitatem, hi Philoſophi indicaſſent, ni male rati caſu contingere, & fortuna dixiſſent, cum vere ex diuina accidant voluntate, vt quantum ſit vanitatis in his mundi glorioſis homo dignoſcat. Merito itaque illi apud Sapientem hæc omnia mundi bona, vt vmbram præterire dixerunt, cum re uera fugacia, fallacia, & inſtabilia ſint, ſicut vmbra. Hinc, vt eſt in apologo, dum in quadam Græciæ ciuitate prodigioſæ magnitudinis coloſſus repertus fuiſſet, in cuius baſi hæc habebantur deſcripta: *Quando ad Kalendas Aprilis ſol feriens meum caput circumradiauerit, aureum illud habebo*, dum varijs diſceptatum eſſet opinionibus de huius inſcriptionis interpretatione, videre erat hominum, quos ſtudium nouitatis excitarat, ad Kalendas Aprilis ad locum ſtatuæ concurſus. fefellit miſeros inanis ſpes quorundam, qui aureum inuentum iri prædixerant; aliorum magis ridendus conatus, qui ligonibus ſtatuæ caput attundentes latere intus cerebrum aureum crediderũt: huc cõſulto acceſſerunt duo philoſophi, factis clarus vnus, dictis alter, diſtulerũtque expectationem in annum ſequentem. Et ecce tibi in ipſis anni expectati Kalendis Aprilis obſeruato momento, quo ſolis radij caput ſtatuæ attigerãt, vmbra capitis ſupra lapidẽ apparuit, quem cum ligone philoſophus remouiſſet, ingẽtẽ reperit theſaurũ, deinde ſocio ait: *Videntò diuitiæ, & quis alius locus vobis magis aptus eſſe potuit? decenter vos vmbra, & lapis tetigit.* Hoc idẽ docuiſſe Socratem refert Stobeus, qui cum Alcibiadem intuitus fuiſſet ob diuitias inflatum, & ſuperbientem, opibus, prædijſque, illum in quendam ciuitatis locum, in quo ſuſpenſa erat tabula terræ circuitum complexa, duxit, iuſſitque Alcibiadem, in ea requirere Atticam, quam vt inuenit, ſua etiam prædia inſpicere præcepit, quæ cum Alcibiades nuſquam eſſe picta diceret: *cur igitur*, ait Socrates, *ob illa ſuperbis, quæ circa nullam terræ partem exiſtunt?* O mira dementia! amplectuntur homines vmbram, & nihil. *Perforato*, ait Chryſoſtomus, *aquam dolio ingeris; nihil enim aliud eſt pro præſentibus iſtis laborare, quam flammam decerpere; quam pugnis aëra cædere. Certe fruſtra curris. Nonne vniuſcuiuſque artis finis quidam eſt. ita profecto. oſtende itaque mihi finem huius ſecularis ſtudij: ſed non potes; vanitas enim omnium.* Optime igitur Paligenius cecinit:

Apolog. philoſophicus. Ferdinand. de S. Iacob. in orat. fun. Philippi 2.

E E

F F

Stob. ex hiſt. Aelian. c. 22.

G G

Paligen. lib. 6 de fragilit. hum.

Quid ſumus ò miſeri, niſi puluis motus ab aura,
Et fragili vitro ſimiles, vmbraque fugaci,
Atque roſis, quæ mane vigent, mox veſpere languent,
Nunc viui, atque hilares, paulo poſt vermibus eſca:
Nunc pulchri, & validi, paulo poſt turpe cadauer:
Heu mihi quid prodeſt congeſta pecunia nobis?

Et Stigelius:

Stigel. de vit. hom. quæ medit. mortis eſt.

Mors tua, mors Chriſti, fraus terræ, gloria cæli,
Et dolor inferni ſunt meditanda tibi.
Viue diu, ſed viue Deo, nã viuere mundo
Mortis opus, vera eſt viuere vita Deo.
Quicquid erit tandem mea ſpes eſt vnica Chriſtus,

Huic

Huic viuo, huic moriar, cætera curo nihil.

HH *Quid valet hic mundus, quid gloria, quidque triumphus?*

Poſt miſerum funus, puluis, & vmbra ſumus.

Nec de bonis animi ſuperbiendum

Sed quid de bonis animi dicendum? cur in illis ſuperbis miſer homuncio? vide vide, ſi bene ſapis, cuius ſint illa, & cum tua non eſſe cognoueris, confundere miſer de aliena re ſuperbire:

1. Cor. 4. 7.

Quid autem habes, ait B. Paulus, *quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Omnia enim bona, quæ habet homo, quæcunq; ſint, ſiue naturæ, ſiue gratiæ à Deo habet, à ſe autẽ nihil, niſi ipſum nihil, & peccatũ. Sic Oſeas:

Oſe. 13. 9.

Perditio tua Iſraël, tantũmodo in me auxilium tuum. Vidit Auguſtinus, qui Dominum alloquens, ait:

Aug. in ſoliloq. c. 11.

Aperuiſti mihi oculos lux, & excitaſti, & illuminaſti me, & vidi quoniam tentatio eſt hominis vita ſuper terram, & quod gloriari non valeat ante te omnis caro, quoniam ſi quid boni eſt parui, vel magni, donum tuum eſt,

II *noſtrum non niſi malum eſt: vnde igitur gloriabitur omnis caro? nunquid de malo? hæc non eſt gloria, ſed miſeria; ſed nunquid gloriabitur de bono? nunquid de alieno? tuum Domine eſt bonum, tua gloria &c.*

Bona animi à Deo ſunt magis quam à nobis.

Sunt naturæ bona, ea quæ vitæ ſuſtentationem reſpiciunt, & opera quædam moralia, nempe gubernare familiam, educare liberos, iuſtitiæ, & miſericordiæ non admodum difficilia opera exercere, quæ quidem omnia, & his ſimilia opera, licet viribus naturæ fiant: magis tamen Dei ſunt, quam noſtra; non tantum ex eo, quia ab illo naturam, & vires illa faciendi accepimus; ſed etiam quia neque illa facere poſſumus ſine illius ſaltem generali concurſu: nam ſicut creatura ſuũ eſſe, quod in prima creatione accepit non retineret, niſi

LL cõſeruaretur à Deo; ita nec operari poſſet, niſi actualiter à Deo ad opus moueretur, quod quidem ratio, & ſacræ literæ docent: neque enim cauſa inferior aliter operatur, quam in virtute cauſæ ſuperioris, vt eſt videre in motibus cælorum, & elementorum à motu primi mobilis dependentium; qui omnes ita ab illo dependent, vt ſi primũ illud ceſſarẽt, & ipſi ſtatim ceſſarẽt.

S. Tho. 1. 2. q. 109. art. 1. & con. gen. lib. 3. c. 67.

Sic Deus cum ſit prima omnium rerũ cauſa, & primũ mouens omnino immobile, non dubiũ nihil poſſe cauſare aliquid, vel operari, niſi ab ipſo primo mouẽte moueatur: manifeſtum enim eſt, omnem actionem, quæ non poteſt manere, ceſſante impreſſione alicuius agentis, eſſe ab illo agente, ſicut manifeſtatio colorum non poteſt eſſe ceſſante actione ſolis, quæ aërem illuminat, & motus violentus, ceſſante violentia impellentis, vnde

MM non eſt dubium, quin ſol ſit cauſa manifeſtationis colorum, & virtus impellentis motus violenti lapidis: ſic cum Deus non ſolum eſſe dederit rebus, cum primum eſſe cœperunt; ſed quandiu ſunt, eſſe in eis cauſet, dum eas in eſſe conſeruat. *Portat enim*, vt Beatus Paulus ait, *omnia verbo virtutis ſuæ.* Et, vt Auguſtinus:

Aug. 4. ſuper Gen. ad lit.

Creatoris potentia, & virtus cauſa eſt ſubſiſtendi omni creaturæ; quæ virtus ſi ab eis, quæ creata ſunt, regendis aliquando ceſſaret, ſimiliter ceſſaret eorum ſpecies, omniſque natura concideret; neque enim ſicut ſtructuram ædium cum fabricauerit quis abſcedit, atque illo ceſſante, & abſente ſtat opus; ita mundus vel in ictu oculi ſtare poterit, ſi ei regimen Deus ſubtraxerit. Et non ſolum dederit eis virtutem operãdi, cum primo eas condidit; ſed ſemper eandem donat virtutem, adeò vt ceſſante eius influentia, omnis etiam earum ceſſet operatio; manifeſtum eſt omnem noſtram operationem licet naturalem eſſe à Deo, tanquam à principali agente. Hinc fit opera omnia quæcunque fiunt à nobis, Dei potius eſſe, quam noſtra. Sic ſacræ literæ Deum in nobis operari tradunt.

NN

Iſa. 26. 12.

Omnia opera noſtra operatus es in nobis, Domine, ait Iſaias, & Beatus Paulus:

Phil. 2. 13.

Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Quod etiam & multo magis de operibus ſupernaturalibus, quæ à noſtra natura nullo modo attinguntur, eſt dicendum: etenim non modo concurrit Deus ad illa generali quodam concurſu; ſed etiam ſpeciali quodam auxilio gratiam, & diuinas virtutes, vt eas efficere valeamus præbendo, dona quidem nobiliſſima, & ſolo infinito Chriſti merito parta, vt pote quæ

OO hominem ſupra naturam euehant, & diuinæ naturæ conſortem efficiant. Quare Beatus Ioannes, opera & naturalia, & ſupernaturalia complectens.

Io. 15. 5.

Sine me, ait, *nihil poteſtis facere.* Ex quibus luce clarius apparet, nullum eſſe bonum opus, de quo ſuperbire valeamus: ſed ſemper nobis cum Pſalte clamandum:

Pſ. 113. 1.

Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Equidem,

Iſa. 10. 15.

nunquid, ait Iſaias, *gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eũ, à quo trahitur?* nam cum iuſtè id facere nequeant hæc inſtrumenta: ita nec nos facere inſtè poſſumus, qui voluntarium ſumus Dei inſtrumentum. Hinc & Sponſa in Canticis Sponſum ſuum ad fructus ſuos colligendos inuitans, ait:

Cant. 5. 1.

Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructũ pomorum ſuorum.

PP Eſt enim hortus Chriſti anima iuſti diuerſis virtutum ſtirpibus ab eodẽ ſponſo conſitus: poma autem horti huius virtutis ſunt opera, quibus ille mirificè paſcitur, & delectatur. veniat itaque, ait anima iuſta, Deus animæ meæ dilectus in cor meum, ibiq. gratiæ ſuæ fructus colligat, & veſcatur.

Opera noſtra bona à Deo ſunt.

Sed mira Dei noſtri benignitas, qui ſuos hos fructus, ita à nobis exigit, & accipit, vt quaſi noſtri eſſent præmium inſuper pro illis reddat. Mirum ſanè eſſet nobiliſſimum videre virum aliquem, qui noſtra ope non egens, ad nos in extrema poſitos neceſſitate veniret,

& vt nobis ſuccurreret, nobiſcum plus quã nos in horto, vel vinea laboraret, præmiũque noſtri parui laboris nobis ipſis rependeret, ac ſi non pro nobis, ſed pro eo laborauiſſemus.

QQ

Talis ſanè noſter eſt Dominus, qui cum, teſte Dauid, bonorum noſtrorum non egeat; ad vtilitatem tamen noſtram plus de opere, quam nos complens, præmium inſuper noſtris paruis laboribus ſoluit, &, vt Auguſtinus ait: *ſua dona coronat in nobis*.

Aug. ep. 105. tom. 2.

Sed quod etiam humanam ſuperbiam valdè deprimit illud eſt, quod homo, licet bona opera quam plurima operetur; nunquam tamen an perfecta illa ſint cognoſcere poteſt: etenim cum an Deo grati ſimus, nobis ignotum ſit; ita & ignorare nos oportet, perfectum ne bonum, & perfecta ne virtus ſit illa, quæ in nobis eſt: nam licet, vt S. Thomas docet, in comparatione boni, ſeu finis particularis poſſit eſſe abſque charitate vera aliqua moralis virtus imperfecta; perfecta tamen haud eſſe poteſt, niſi ratione boni, & finis ſupernaturalis. *Si*, dicens, *illud bonum particulare, ad quod ſcilicet noſtra ordinatur operatio, eſt verum bonum, puta conſeruatio ciuitatis, & aliquid huiuſmodi; erit quidem virtus, ſed imperfecta, niſi feratur ad finem, & perfectum bonum, & ſecundum hoc ſimpliciter vera virtus ſine charitate eſſe non poteſt*.

S. Tho. 2. 2. q. 23. ar. 7.

RR

quam charitatem, qua ſcilicet diligimus Deum ſuper omnia ſimpliciter, ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem haud habere poſſumus ſine diuina gratia, quam cũ incertum ſit, vtrum habeamus: nam nemo ſcit vtrum odio, vel amore dignus ſit; ſic incertum etiam nobis eſſe debet, vtrum ſimpliciter perfectum virtutis opus operati ſimus.

Gratiam Dei an habeamus poſt peccatũ neſcimus.

Hinc Beatus Paulus: *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus ſum: Quamuis enim*, ait Idiota, *mihi certo conſtet, quia fidem habeo, per quam credo, nemini tamen nec de ſe, nec de alio certo conſtat, quod fidem habeat, per quam credat in Deum formatam charitate, quia nemini certum eſt ſe, aut alium charitatem habere, quamuis homo de ſe, & de alio, quod talem habeat fidem per multa ſigna veriſimiliter coniectari poſſit; nullam tamen certitudinẽ de ea habere poteſt, niſi ei per Deum reueletur*.

1. Cor. 4. 4.
Idiota in contemplatione de morte n. 2.

SS

Tametſi enim ſignis, & coniecturis, (in quantum ſcilicet homo nullius ſibi conſcius mortalis peccati percipit, ſe delectari in Deo, & contemnere res mundanas) ſcire aliquando quis poſſit ſe habere gratiam, niſi tamen ei reueletur, ſicuti ex ſingulari priuilegio cum Antonio, Galla, & Franciſco factum fuiſſe legimus; certo haud vnquam ſcire poteſt dum viuit: nam, vt Sanctus Thomas ait, *Certitudo non poteſt haberi de aliquo, niſi poſſit dijudicari per proprium principium, ſic enim certitudo habetur de concluſionibus demonſtratiuis per indemonſtrabilia vniuerſalia principia; nullus autem poteſt ſcire ſe habere ſcientiam alicuius concluſionis, ſi principium ignoretur. Principium autem gratiæ, & obiectum eſt ipſe Deus, qui propter ſuam excellentiã eſt nobis ignotus, ſecundum illud Iob: Ecce Deus magnus, & vincens ſcientiam noſtram; & ideo eius præſentia in nobis & abſentia per certitudinem cognoſci non poteſt ſecundum illud Iob, Si venerit ad me, non videbo eum, ſi autem abierit, non intelligam. Et ideo homo non poteſt per certitudinem dijudicare, vtrum ipſe habeat gratiam, ſecundum illud B. Pauli: ſed neque me ipſum iudico, qui autem iudicat me, Dominus eſt.* Hæc S. Thomas.

De S. Ant. S. Athanaſ. in eius vita.
De Galla S. Greg. 4. dial. c. 13.
De Franciſco S. Bonau. in eius vit. c. 13.
S. Tho. 1. 2. q. 112. ar. 5.
TT
Iob 36. 26.
Iob 9. 11.
1. Cor. 4. 4.

Ex qua gratiæ incertitudine manifeſtè apparet, de nulla virtute, aut bono opere, nobis vnquam eſſe ſuperbiendum, cum ſicut diximus, certũ ſit, nullã ſimpliciter perfectã reperiri virtutem ſine illa, & ignotũ omnino nobis ſit, vtrũ odio, vel amore ſimus digni.

VV

Hęc cogita homo, & ſuperbię prębuiſti medicamẽtũ: *Cogita Deum, cogita*, vt ait Chryſoſt. *ipſam humanam naturã, præſentiũ rerũ vilitatem cogita, & quod ab vmbra, & ſomnio nihil differant. hæc poterunt nos à tali propoſito abſterrere. Fily hominum*, ait Dauid, *vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Peccatores, & mundani (hos enim ſignificari per filios hominum docet Aug. & Chryſoſt.) vſquequo mundum ſequimini, eiusq. diuitias, honores, & voluptates? vſquequo veſtra opera conſiderantes magnũ quid de vobis ipſis exiſtimatis? non eſt, non eſt miſeri in hac re iucunditas, & beatitudo, non ſunt iuſtitiæ veſtræ, quales vobis eſſe videntur: nam omnia veſtra ſunt leuia, & fallacia: ſicut mundus ipſe eſt, mundana ſunt omnia. *Superbiam* itaque, *nũquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: ab ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio*. Et hæc narrata de hoc remedio ſufficiant.

Chryſ. vbi ſupra.
Pſal. 4. 3.
Aug. in hunc locum pſal.

Quòd hæc remedia humilitati omnium virtutum fundamento valde conducant.

CAPVT XIII.

AT non modo proſunt hæc remedia ad gradus ſuperbiæ nõ aſcendendos, ſeu deſcendẽdos; ſed etiam ad hominem in planitie humilitatis cõſtituendũ; nam ſicut, teſte Climaco, Omnium venenatarum ferarum ſenſibilium interemptor eſt ceruus: ita *intellectualium humilitas interfectrix eſt*, &, teſte Chryſoſt. ſola eſt cauſa cæterarum virtutum, & ſicut *omnium malorũ cauſa eſt ſuperbia*; ita, ait idem, *omnium bo-*

A
Climacus.
Doro. ſer. 2. de cord. humil. ant. med.
Chryſ. ho. 22. in c. 5. Io.

no-

norum cauſa eſt animi humilitas. Faber ferrarius in fornace ferrum, vt libet, nullo negotio in quamuis formam fingit, ac refingit, nec frangit, quod eo frigido haud efficere poſſet; ita vbi quis animum ſuum in fornace emollierit humilitatis, ad quamcunque virtutis formam facile ſe inclinat, flectitque. Et ſicut pueri, qui nihil per ſe aut intelligunt, aut poſſunt, facile regentis manus ductum ſequuntur: ita verus humilis, qui tanquã Euangelicus ille paruulus, nihil per ſe aut ſapere, aut poſſe arbitratur, facile ſe ad omnium virtutum officia docilem, atque tractabilem reddit. Vaſa vacua facile infuſum liquorem excipiunt, & retinent, quod plena non faciunt. Tabula etiam, in qua nulla imago depicta eſt, quamlibet formam, aut figuram recipere facile poteſt; ſic qui ſe pauperem, ac nudum, & rerum omnium indignum arbitratur, ſolaque diuinæ gratiæ ope nititur, facile eiuſdem gratiæ dona recipit, quod ſuperbis, qui ſe ipſis, hoc eſt, ſuis conſilijs, ſuæque prudentiæ exiſtimatione ſunt pleni, haud contingit: Sola denique humilitas omnium eſt fundamentum virtutum; quare ſicut videmus proceras arbores, quæ, in ſublime ſe ſe attollunt, altiſſimis radicibus niti, quãtum enim vertice ad auras æthereas, tantũ radice ad ima tendunt. Naturæ quoque ars æmula quo ſublimius ædificij fabricam erigere molitur, eo altiora iacit fundamenta, quæ totius fabricæ molem ſuſtinere queant; Ita, ſi magnum perfectionis ædificium conſtruere volumus, prius fundamenta humilitatis cogitare debemus. *Cogitas*, inquit Auguſtinus, *magnam conſtruere fabricam celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis*. Sic & Baſilius dicit humilitatem eſſe θησαυροφυλάκιον, virtutum, quæ virtutes tutiſſime cuſtodiunt. Eſt fundamentum virtutum non quidem directe, & principaliter: ſic enim ſola fides eſt ſupernaturalium virtutum fundamentum, iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos: *Credere enim oportet accedentẽ ad Deum, quia eſt*; ſed indirecte, vt aiunt, & diſpoſitiue, indirecte quidem, quatenus remouet virtutum impedimentum, quod eſt ſuperbia; diſpoſitiue vero, quatenus facit hominem Deo ſubditum, ac paratũ ad eius gratiæ influxum recipiendum, qui eſt virtutum ſemen, origo, & conſeruatio. Vtrunque inſinuat Iacobus in epiſtola dicens: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam*: nam ſi Deus illis reſiſtit, non ergo dat illis gratiam. Impedit igitur ſuperbia influxum diuinæ gratiæ, & conſequẽter virtutum ſtudium, quod ſine auxilio gratiæ conſtare nequit: Humilitas vero influxum illum attrahit, excipit, & colligit. Vnde Auguſtinus: *Confluit aqua ad humilitatem vallis, dènatat de tumoribus collis*. & alibi, *Videte magnum miraculum. Altus eſt Deus. erigis te, & fugit à te; humilias te, & deſcendit ad te. quare hoc? quia excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & attollit; alta ideſt ſuperba à longe cognoſcit, & deprimit*. Non enim nidificat Deus noſter, ſicut aquilæ, penes ſolem in nubibus, in pinis; ſed gallinarum inſtar humili in caſa, in tugurio ac ſæpe humi: ideſt ſuperbos ſpernit, & ad ſummiſſi animi homines diuertit. Gallinæ certe ſe ipſe aſſimilat, cum ſe Ieroſolymorum filios ait congregare ſæpe voluiſſe, *quemadmodum gallina cõgregat pullos ſuos ſub alas*, ipſos vero noluiſſe. Columbæ inſtar gratia Dei nidificat, *in foraminibus petra, in caverna maceriæ*. Modeſtis hominibus, pictoribuſque delectatur. Sic reges ſi foris apud exteros prandent, aut cœnant, apud plebeios id libentius faciunt, & iucundius. Ita rex Francorum Franciſcus I. caſa ruſtici dicitur egregie delectatus; quod etiã de quodam Burgundiorum duce relatum legi. Eſt Deus noſter *flos campi, & lilium conuallium*, illic naſcitur, & nutritur, in montibus autem tranſplantari non ſuſtinet. Hinc ipſe Dominus: *Omnis*, inquit, *qui ſe humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur*. eſurientes, ſcilicet humiles replebit bonis, faſtidioſos diuites, ac ſuperbos dimittens inanes.

Margin notes: Humilitas animũ ad omnes virtutes diſponit. B — C — Aug. hom. 10. de ver. Dom — Baſil. cõſt. monaſt. c. 17. — Heb. 11. 6 — D — Iac. in ep. ſua canon. c. 4. 6. — Aug. ſer. 27 de ver. Dom. & ſerm. 175 — Deus humilitate delectatur. E — Matt. 23. 37. — Cantic. 2. 14. — Cant. 2. 1. F — Matt. 23. 12. — Luc. 14. 11

Quòd ſuperbos Deus deprimat; & exaltet humiles.

CAPVT XIV.

METHODVS hæc fuit Deo inuiolata, humiles exaltare, ſuperboſque deprimere, quã adamuſſim ab origine mũdi nec dũ in hominibus in terra, ſed etiam cum Angelis in cælo ſequutus eſt, non ferens ex eis aliquem ſuperbire, quod non modo in ſacro eloquio apparet, vbi Dominus: *Qui ſe*, inquit, *humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur*, & BB. Petrus, & Iacobus, dicunt, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam*: Sed etiam in profano. vnde Chilon Lacedæmonius interrogatus in quibus voluptatem caperet, Deus, reſpondit *excelſa deprimit, & depreſſa extollit*. & teſte Herodoto, Artabanus modeſtiam, & conſilium Xerſi ſuadens: *Gaudet*, dicebat, *Deus eminentiſſima quaque deprimere, quia neminem alium, quam ſe ipſum ſinit magnifica de ſe ſentire*. Cum enim ſuperbia humana quædam ſit aduerſum cælum, & ſuperni numinis ſublimitatem, & celſitudinem impudentia, & auſus, quo videatur aduiri homo ſimilis eſſe altiſſimo, & ſuper aſtra cæli conſcendere, atque adeo de ſua ſede præ-

Margin notes: A — Superbos Deus deprimit. — Luca 14. 11. & c. 18. 4 — Matth. 23. 12. — 1. Pet. 5. 5 — Iacobi 4. 6 — Herodot. lib. 7 parum poſt initium. — B — Iſai. 14. 14

cipitem dare inſtar gygantum illorum, quos
1. Pet. 5. 5. ſuperbiſſimis euectos motibus, & cæli con-
ſcenſum affectantes fulmine diſiecit poten-
tia numinis. Sic Deus dicitur ſuperbis re
ſiſtere, quaſi tueri ab illorum temeritate, &
impudentia ſuam ſublimitaté volens: *Non*
Chryſ. hom. 1. de ver. Iſaiæ circa med. *quod inſtructa acie*, inquit Chryſoſtomus:
aut pugna Deo ſit opus, cum ſuperbo nihil
ſit infirmius: nam vt qui orbatus eſt oculis
expoſitus eſt iniuriæ; ita ſuperbus, qui non
videt Deum. Deus tamen ſe illis reſiſtere
dicit, & excuſſo eos deijcere fulmine, vt ve-
hemens odium erga illos declaret. Hinc So-
Iob 20. 6. 7. phor apud Iob de ſuperbo ait: *ſi aſcenderit*
vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius
C *nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine*
perdetur, et qui eum viderant dicent vbi eſt?
hoc eſt, ſi tam ſuperbus improbus erit, vt ſe
ipſum cum cęlo, quod celſiſſimum eſt, temere
de ſublimitate cõtendere audeat, & inſtar be
ne firmatæ, & annoſæ arboris, altis defixæ ra
dicibus, ſummis ramis, ſummmoque ver-
tice videatur nubes contingere, à ſupremo
iudice cæleſti tandẽ fulmine perdetur, tam-
que deinde abominandus cunctis erit mor-
talibus, ac ſi ſtercus viliſſimum, aut cœnum
foret, dicentque admirantes: vah in quam
ſordido, & abiecto loco cecidit ſuperbus ex
Iob 24. 24 tanta celſitudine: *Eleuati ſunt ad modicum*,
inquit Iob, *& non ſubſiſtent, humiliabun-*
tur ſicut omnia, & ſicut ſummitates ſpica-
rum conterentur: ad modicum &c. vt mol-
liſſimi, & vaniſſimi vapores, qui è terra ſub-
D lati tantillum durant, ſed præcipites è ſua
celſitudine pondere ſuperbiæ grauati ruunt:
ſicut enim in aëre cunei fulminis generan-
tur, & lapidoſæ grandines, quæ impetu ſu-
bitæ procellæ ad terram deferuntur; ita in
corde ſuperborum, in quibus quicquid eſt;
aër eſt, plumbei gignuntur lapides, quibus
Pſalm. 72. in terram confuſionis eunt præcipites, *De-*
iecisti eos, ait Dauid, *dum alleuarentur*. vbi
Greg. 32. moral. c. 7. obſeruat Gregorius, non dixiſſe Pſaltem de-
iecisti eos, poſtquam alleuati ſunt, ſed dum
Superborum felicitas momentanea. alleuarentur; *quia hoc ipſum*, inquit, *ſit ſu-*
perbis interitus deijci, quod eis à falſa cõtigit
gloria exterius eleuari. ipſum enim eleuari
deijci eſt: athleta namque à terra ſubleuat
inimicum, vt eleuatum deijciat. quare Chry
Chry. ſer. con. de ſuper. & ſuperb. tom. 5. ſoſtomus ſuperbum ſtuppæ flammeſcenti di
cit eſſe comparandum, quoniam ſicut ſtup-
pa poſt incendium mox inflammatur, & ſur-
E git, poſtmodum leuiori quodam manuum ta
ctu diſſoluitur in tenuiſſimos cineres, & ca-
dit in terram; ita animi tumentes, & inflam-
mati, tumore in alta conſcendunt magno
ſplendore nitentes; ſed ſtatim euaneſcũt ex-
tincti, & quaſi ampullæ in aquis formatæ fa-
cile diſſoluuntur. *humiliabuntur ſicut om-*
nia, quæ ſicut in tempore creantur, & deter-
minato tempore creſcunt; ita paulo poſt in-
cipiunt deijci, & tandem totaliter deſtruun-
tur; *marceſcent*, auferetur que momento tem-
poris vniuerſa illorũ gloria, *& ſicut ſummi*
tates ſpicarum conterentur, in puluerem
ibunt, & à vento circumferentur, vt ſummi-
tates ſpicarum erunt attritæ. Apparuit hoc
in impijſſimo illo Pharaone, qui cum ſuper-
bus buccas, vt dicitur, ambas inflaſſet, ſibiq.
triumphum contra filios Iſrael, quinimmo
contra ipſum Deum pro ipſis pugnantem F
promitteret, aiebat. *Perſequar, comprehen-* Exo. 15. 9.
dam, diuidam ſpolia; &c. ab eo, qui ſuperbis
reſiſtit, contritus eſt, ſicut conteruntur ſum-
mitates ſpicarum. *Currus* namq; *Pharao-* Exo. 15. 4.
nis, & exercitum eius proiecit in mare, ele-
cti principes eius ſubmerſi ſunt. Ozias etiã,
qui in conſpectu Domini, quod rectum erat
fecerat, vt in libris Paralip. habetur, dum
ingreſſus templũ Domini adolere voluit in- 2. Paralip. 26. 16.
cenſum ſuper altare thimiamatis, quod ſa-
cerdotibus filiorũ Aaron munus erat, ac, ne
ſacerdote quidem prohibente, abſtinere vo-
luerit; ſtatim à Domino eſt percuſſus, & or-
ta eſt lepra in fronte eius coram ſacerdoti-
bus, & expulſus de templo ad mortem vſq;
leproſus remanſit. Sic impij contriti ſunt, vt G
ſummitates ſpicarum, et vt Moyſes ait, *ſub-* Moyſes in ſuo Cant.
merſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehemẽ- Exod. 15. 10.
tibus. Huc pertinet illud pſalmi. *Vox Do-*
mini confringentis cedros Libani, & commi Pſal. 28. 5.
nuet eas tanquam vitulum Libani. Cedri Deus ſuperbos humiliat
enim nomine, vt Gregorius ait, ſuperba pra-
uorum potentia deſignatur, quam Deus tan-
quam vitulum, et tanquam Libanum, ait
Euthimius, comminuit; *quemadmodum*, in- Euthimius hic.
quit, *vitulum illum, qui ab Hebræis in Ho-*
reb fabricatus eſt, comminuit, ac diſſipauit,
Deus per Moyſen; ſic has cedros ſuperborum
comminuet, & humiliabit. Referunt enim
ſacræ literæ, quod cum deſcendiſſet Moyſes
de monte, in quo acceperat legem, & filios
Iſrael vidiſſet adorantes vitulum, quem eis
Aaron opere fuſorio formauerat, ex inauri-
bus aureis vxorũ, filiarumq. Hebræorũ, ira- Exodi 32. 20.
tus valde eum *combuſſit, & contriuit vſque*
ad puluerem, quem ſparſit in aqua, & dedit H
ex eo potum filijs Iſrael. vt ſanè diſcerent
contemnere, quod in ſeceſſum proijci vide-
rent. Quod idem facere Deum ſuperbis, in-
nuit Dauid, dum ait: *comminuet eos tanquam* Pſ. 28. 6.
vitulum. qui vix formatus, & adoratus, in
puluerem eſt comminutus. Quare ſicut, Ari-
ſtotele teſte, euidẽtiſſimum eſt mortis ſignũ Ariſt. li. 6. de hiſt. animal.
in homine, vel in quouis alio animali, pectus
ſolito eminentius eleuari in infirmitate; ſic
dicere poſſumus, manifeſtiſſimũ eſſe animæ
mortis, & perpetui exterminij ſignum, quan
do pectus, & cor per ſuperbiam inflatur.

Verũ eo chariores ſunt Deo humiles, quo
deteſtabiliores ſuperbi: quare tantum hos Humiles Deus exaltat.
exaltat, quantum illos deprimit. *Iudicabit*,
inquit Dauid, Deus *in nationibus, implebit* Pſ. 109. 6.
ruinas, cõquaſſabit capita in terra multorũ. I
Per capita, ſuperborũ corda intelligunt Au- Aug. & Caſſiod. ibi.
guſtinus, & Caſſiodorus, quæ conquaſſabit,

ideſt

ideſt potenti virtutis ſuæ brachio conteret
Deus, & humiliabit: *implebitque ruinas, im-*
Hier. *plebit valles*, vertit Hieronymus, demolietur
ſcilicet ſuperborum altiſſimos montes, & hu-
milium valles replebit, *implebit cadaueri-*
bus vertunt alij ſuperborum, ſcilicet Ange-
Incognitus. lorum ſedes, vt explicat Incognitus: etenim
verus humilis non paruam cum cadauere ſi-
militudinem babet, nam huius mundi di-
gnitates, & honores haud in vno maiorem
locum habent, quam in alio, ac ſi enim
ſenſu priuatus eſſet humilis, nullam quærit
ſibi gloriam, nullos honores, quod ſi coactus
recipiat, nec vel parum illis mouetur; ſed cũ
Gal. 2. 20. B. Paulo exclamat: *Viuo ego iam non ego, vi-*
uit autem in me Chriſtus. Sic vt Abdias ait:
Abdia 1. 19. *Hæreditabunt hi, qui ad Auſtrum ſunt mon-*
tem Eſau, & qui in campeſtribus Philiſtijm.
L humiles ſcilicet, qui non in tenebris, & frigo-
re Aquilonis, ſeu ſuperbiæ, à qua panditur om-
ne malum, ſed in Auſtro, regione lucis, & calo-
re Spiritus ſancti plena, & in campeſtribus hu-
militatis habitant (Auſter enim, teſte Augu-
Aug. 18. de ciuit. Dei. ſtino, myſticè feruorem charitatis, & ſplendo-
rem veritatis ſignificat) hæreditabunt montē
Eſau, & Philiſtijm, ſuperborum ſcilicet colles,
& bona: nam quod Deus ijs, quos abijcit da-
re ſolebat, eis dat, quos loco illorum eligit, &
gentibus nunc donat, quæ olim dabat Iudæis,
Iob 5. 11. ſic deprimendo ſuperbos, *ponit humiles in ſu-*
blime, vt Iob loquitur, in excelſo ſcilicet, & e-
minentiori illo loco, quem ſuperbi affectabāt.
M *Confluit* enim *aqua*, vt ait Aug. *ad humilita-*
Aug. ſer. 27. de ver. Dom. *tem conuallis, denatat de tumoribus collis. Et*
cuius erũt optima quæque Iſrael, ait Samuel,
1. Reg. 9. 20. *non ne tibi?* Sauli ſcilicet paruo, & humili in
oculis ſuis. Cuius vero erunt peſſima quæque
Iſrael? non ne Saulis ſuperbi, inuidi, & Dauidē
perſequentis? Optima Iſrael, immo, & cæli op-
tima humilium ſunt: peſſima vero tartari ſu-
perborum. Infimum locum eligit humilis; ſed
dum infimum eligit, ad ſummum euehitur, &
per infimum ſcandit ad ſupremum, vt dum ſi-
bi vileſcit, Deo ſit pretioſus. *Nõne*, ait Samuel
1. Reg. 15. 17. eidem Sauli, *cum paruulus eſſes in oculis tuis,*
caput in tribubus Iſrael factus es? nã paruuli
Humilis coram Deo magnus. cum ſumus in oculis noſtris, tunc magni apud
Deum ſumus. Sic Abraham puluis, & cinis in
Gen. 18. 27. oculis ſuis cum eſſet, vnde Domino dixit: *Lo-*
N *quar ad Dominum meum cum ſim puluis, &*
cinis? benedicitur ei, & ſemini eius. Iacob par-
uulus in oculis ſuis ſubmittit ſe fratri Eſau,
atque illum Dominum vocat, vt eum ſibi be-
neuolum reddat, vt leniat iratum, mittit nun-
tios cum muneribus: paulo poſt exaltatur à
Gen. 32. 30. Domino, ita vt dicat: *Vidi Dominum facie ad*
faciem, & ſalua facta eſt anima mea. & ſub-
miſſius cum fratre ſuo etiam agens à Domi-
no benedicitur, & inditur ei nomen Iſrael, hoc
eſt vir videns Deum. Loquẽte Domino de ru-
bo corruit Moyſes in faciem, & cum mitterc-
tur ad Pharaonem, populiq. de Aegypto, edu-
cẽdi dux cõſtitueretur, indignum ſe fatebatur
eo munere, atq; id inire recuſabat: ob id me-
ruit populi Iſraelitici fieri liberator ab Aegy-
ptiaca ſeruitute, legiſq. diuinæ lator, & mira-
bilium rerum patrator, & dilectus Deo, & ho-
minibus: *In fide enim, & lenitate ipſius ſan-* O
ctum fecit illum, ait de illo Spiritus ſanctus, *&* *Eccli.* 45. 4.
elegi eum ex omni carne. Iob patientiſſimus cũ
fortunæ, & corporis bona ſimul amiſiſſet, ad
extremam redactus miſeriam, humilitatis vir-
tutem non amiſit, ſed folium ſe, quod vento ra-
pitur, & ſtipulam ſiccam exiſtimabat. Poſt hæc
ſibi reſtitutus duplicia recepiſſe dicitur, vt
quantum ſe humiliauerat, tanto exaltatum, &
duplo magis intelligas. Sed quid de Ioãne Ba- *Io.* 1. 23.
ptiſta dicam? quid de Petro? Interrogatus Ioã-
nes quis eſſet, negauit ſe eſſe Chriſtum, malẽs
veritate ſubmitti, quam efferri mendacio, &
neque Eliam, neq; Prophetam ſe eſſe aſſeruit,
dum humiliatur: proinde Chriſti teſtimonio
extollitur, quòd videlicet in ſpiritu Eliæ veniſ-
ſet, quòd plus quam propheta eſſet, quod de-
nique inter natos mulierum nemo illo maior
ſurrexiſſet. Petrus indignum ſe Chriſti conſor- P
tio indicabat, vnde dicit: *Exi à me Domine,* *Luca* 5. 8.
quia homo peccator ſum, ab hoc ex piſcatore
Apoſtolus fieri meruit, & qui retibus piſces
capiebat, prædicatione verbi Dei homines ca-
peret. Porrò, quia humiliabatur plurimum, &
vehementius, quam ceteri diligebat, dedit ei
Dominus clauem regni cælorum, & principē
conſtituit Apoſtolorum. Mariæ tandem pro- *Luc.* 1. 48.
fundiſſima humilitas reſpicitur à Deo, & Dei
mater efficitur. Chriſtus humiliatus vſque ad
mortem ſic exaltatur à Deo, vt dederit *illi no-*
men, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomi-
ne Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terre- *Philip.* 2. 9. 10.
ſtrium, & infernorum. Oleum itaque, & ope-
ram perdunt, qui aliter exaltari cupiunt: *neq;* *Pſ.* 74. 7. 8.
ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deſer-
tis montibus. Eſt hoc loco reticentia quædã, Q
quæ iuxta originale rectè ſuppletur addendo,
non veniet exaltatio, aut *eleuatio: quoniam*
Deus iudex eſt: hunc humiliat, hunc exaltat:
ipſe enim pro æquitate cuncta diſpenſat: neq;
ſolum cum res ſuffragijs agitur, aut principis
vnius voluntate, & arbitrio, ſed etiam cum
ſortibus iactis, quis eligitur: *quia calix in ma-*
nu Domini: ipſe enim nõ cæca ſors eſt, à quo
cuncta procedunt. *Sortes mittuntur in ſinum,*
ait Sapiens; *ſed à Domino temperantur.* æ-
quiſsimo ſcilicet diſponũtur Dei iudicio, qui
de ſtercore erigit pauperem, qui ſolum in pul-
uere ſedentes, in ſublimi ſede ponit. Hæc vna,
& ſola eſt via aſcendendi, per humilitatem de-
ſcendere. *Sola eſt humilitas, quæ exaltat*, in- *Ber. ſer. 2. de Aſcenſ.*
quit Bernardus, *ſola ducit ad vitã.* Et ſi enim
omnes homines ad illam felicem gloriã æter- R
næ vitæ feſtinent, iſq. vnus ſit omnium finis;
ita tamen ab illo rectiſſimo, iuſtiſſimoq. iudi-
ce conſtitutum ſcimus, vt tanta illa præmia
æternæ ſortis non gratis omnino donarentur;
ſed potius, vt ſic loquamur aliqua mercede Humilitas cęlũ lucratur.
venderentur; eius vero merces, ac pretium in

re-

rerum contrariarum toletantia conſiſteret. Sic qui illius æternæ vitæ ſatietatem vellēt, illam eſuriendo, ac ſitiendo inquirerent, con ſolationem luctu, diuitias paupertate, &c. Sic quod in cæteris bonis illius vitæ fecit, hoc & in gloria fieri voluit: nam, vt in Prouerbijs à Salomone dicitur: *Humilem ſuſcipiet gloria.* Aſcendit itaque humilis, dum deſcendit; aſcendit apud oculos Dei, dum apud ſui ipſius oculos deſcendit: nec ſicut videtur, ſuam gloriam minuit, ſed accreſcit.

Prou. 29. 23.

In quo ſimile quid contingit ei, quod Plutarchus memoriæ prodidit cuidā inſigni pictori contigiſſe; qui cum ſpumam circa os cuiuſdam equi, quem mira arte coloribus expreſſerat, vellet depingere, nunquam potuit: quocirca ſpongiam, in qua penicillum tergebat, iratus in picturam proiecit, vt eā perderet: ſed aliter, atq; aliter cōtigit: nā ſpumam, quā ſoletti arte pingere nequiuerat, caſu expreſſit; & in quo picturā putauit diſſipare, in eo perfecit: ita qui totis adnititur viribus, vt gloriam accipiant, id nō aſſequuntur: aſſequitur vero qui ſuam deſpicientes gloriam, illam videntur deſtruere: nam fuga gloriæ eſt acquiſitio eius: vt enim arbor, quæ eſt altioribus defixa radicibus, excelſius fertur in ſublime; ſic homo, quo profundius per humilitatem abijcitur, eo magis aſcendit, & ſurſum per virtutem eleuatur. Hinc Chryſoſtomus: *Gloriam nō aliter aſſequi licet, niſi gloriam fugiendo: nam donec quidem eam ſectamur, nos fugit, cum autem eam fugimus, nos ipſa ſequitur: Si vis eſſe glorioſus, noli gloriam concupiſcere. ſi vis eſſe ſublimis, ne te ſublimem facias, noli te ipſum extollere; qui ſemetipſum extollit, ab alijs non extollitur, qui per ſemetipſum humliatur, ab alijs non humiliatur.* Hæc Chryſoſtomus. Ex quibus patet quam diuerſa ſit via Dei, à via noſtra: *Sicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltata ſunt viæ meæ à vijs veſtris* ait Dominus.

Plutarch. in opuſc. S

Chryſ. hom 39. ad pop. circa med. T

Iſai. 55. 9.

Via mundi incipit à magno, & terminat in paruum, incipit à turri Babel, quæ cælum pertingit, & terminat in confuſionem: incipit ab auro, & terminat in lutum, vt erat ſtatua Danielis: incipit à magno monte, & terminat in profundam vallem, quæ infernum attingit: Deus vero contra incipit à paruo, & terminat in magnum: incipit à profunda humilitatis valle, & terminat in montem excelſum, vſque ad cęlum pertingentē: à minimo ergo incipe, ſi vis eſſe magnus. *Omne ædificium*, ait Auguſtinus, *poſt humilitatem erigitur, prius enim fundamenta deorſum iaciuntur; quia omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur.* ea enim templum replere vidit Iſaias, quæ ſub Deo erant. *Et ea*, inquit, *quæ ſub ipſo erant, replebant templū.* vnde Bernardus: *Vide vt ſub ipſo inueniaris, alioquin eſſe non poteris cū ipſo. Quid enim? putas indifferenter admittet homines ad illud tantæ beatitudinis templum, qui nec ipſos quidem Angelos indifferenter relinquit in eo? aut non diſcernet inter glebas, qui diſcernit inter ſtellas?* Hinc & B. Petrus. *Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis.* Quod ſi Deus eos exaltat, qui ſub potenti manu ſua humiliātur, quid fieri putamus de illis, qui ſub pedibus eius decidunt? *Viderunt*, inquit Moyſes, *Deum Iſraël, & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis Saphirini, & quaſi cælum, cum ſerenum eſt.* Opus lateris videntur humiles, lutum immundū ab impijs reputantur: *Tanquam purgamenta huius mundi*, ait B. Paulus, *facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc*: at non lateris opus iſtud eſt; ſed opus lapidis ſaphyrini, & quaſi aſpectus cæli, cum ſerenum eſt, quam pulchritudinem, velint nolint tandem videbunt & ipſi, vnde exclamare cogantur: *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus; inſaniam: ecce quomodo facti ſunt inter filios Dei.*

V

Aug. de ver. Dom. ſer. 10.

Iſaia 6. 1.

Bern ſer. 2. de verb. Iſaiæ.

1. Pet. 5. 6

AA

Exod. 24. 10.

1. Cor. 4. 13.

Sap. 5. 4.

Humilium ſtatus, & locus quam tutus ſit, quamq. ab omni perditione alienus.

CAPVT XV.

A

VT enim elementorum tranquilliſſimum eſt terra, quæ infimū tenet locum; ita ſane omnium tranquilliſſimum eſſe eorum ſtatum, qui in nouiſſimo loco recumbunt, non eſt dubiū: aer motu cietur: aqua, ignisq. agitantur, ſuntq. in perpetuo motu; ſic ſuperbi pro excelſis locis, pro regnis, pro honoribus, pro dignitatibus in continuo ſunt motu, & perturbatione. *Ephraim*, ait Dominus per Oſeam, *paſcit ventum. & ſequitur æſtum.* Hebraicè, *ſubſolanum.* At quidnam quietis eſſe poteſt in ventis? quæ quies in eis, qui ventum dignitatum, & honorum ſequuntur? *Quid eſt*, ait Gregorius, *poteſtas culminis, niſi tempeſtas mentis? Omne, quod hic eminet*, ait idem alibi, *plus mœroribus afficitur, quam honoribus gaudet.* Templi tectum, teſte Ioſepho, verubus horrebat aureis; ſic excelſa loca verubus, licèt aureis; crudelibus tamen, & qui animum excruciant, horrent. At ſicut Emiſſenus ait: *vbi eſt humilitas, ibi requies, ibi tranquillitas, ibi omnis ſerenitas: dum enim ipſa ſibi pacata eſt, etiam ſi aliqua tribulatio, vel tempeſtas oborta fuerit, nihil erectum, nihil ſublime, nihil oppoſitum inuenit, vbi illidat impetum ſuum. Si quid itaque ex aduerſo irruerit, totum poſt ſe humiliata fronte tranſmittit. Qualibet tribulatio ab humilitate mitigatur, ac vincitur, ſicut in planis litoribus ſine aliquo fragore vnda conſumitur, aurarum motus, ferociam-*

Principum vita perturbationibus obnoxia.

Oſe. 12. 1.

Greg. 1. par. paſtor. c. 9. & lib. 32. moral. c. 17. alias 19

B

Euſeb. Emiſſen. hom. de Epiph.

Securitas humilitatis.

C

que

Digitized by Google

que ventorum montium obiecta ſuſcipiunt, vallium vero ſubiecta non ſentiunt. At verò è contrario via ſuperborum plena ſunt offendiculis, plena præruptiſſimis præcipitijs, quia vbi eſt ſuperbia, ibi eſt indignitas, ibi animoſitas, ibi labor, ibi tribulatio, vt iam ei ante iudicij diē iuſta damnatio tribuatur, & improba quoque mentes in ſemetipſis habeant pœnam ſuam, probabiles, & emendata in ſemetipſis inueniant refectionem, vel remunerationem ſuam. Hactenus Euſebius.

Prorſus enim accidit in ſuperborum vita, & ſtatu, quod ijs, qui arborum, vel domorū faſtigia conſcendunt, qui facillime cadunt, grauiſſimèq. colliduntur, vno videlicet pede, aut manu fallente, quæ ne fallant, vix ſatis caueri, & prouideri poteſt, cum è contrario, qui in ima terræ planitie gradiuntur, nihil ijs periculi immineat, quoniam nec tam facile, nec tam grauiter cadunt. Sic illis, qui honorum gradus, & ſupremū locum conſcendunt, non ſolum ipſo ſcandendi conatu; ſed
D etiam in illa altitudine magnis, & grauiſſimis ſubduntur periculis, præſertim cum & multi ſint impulſores, & ipſa per ſe natura grauis ſit, & ad cadēdum procliuis; qui vero humi, & in humili loco ſe continent, nō ambulantes in magnis, neque in mirabilibus ſuper ſe, ij ferè tuti, ac ſecuri ſunt. Quod nō
Auct. reg. monac. c. 15. inter opera S. Hier. tom. 9. iniucunda parabola docuit Hieronymus, ſeu auctor regulæ monacharum *Senex quidam*, inquiens, *Eremi cultor*, & Spiritu ſancto plenus nepotem ſuum quærentem, vtrū Epiſcopus electus munus accipere deberet, ſuper diſco ſatis altè à terra erecto diu fecit volutari, cumq. ille poſtremo caſum ſe timere di-
Honorū celſitudo periculi plena. xiſſet, iuſſit, vt deſcenderet, atq; iterum ſuper latam mollioris ſoli planitiē ſeſe agitaret, ex multa volutatione ſudanti, ac defeſſo, ſurge, inquit, & iā facere perge, quod tibi tutius
E factu putas. Itaque edoctus de præeminentiæ periculo, iuuenis electioni renunciauit, non diuque poſtea cum obijſſet, vita functus ſeni apparuit, & poſtquam gratias egiſſet, di-
1. *Reg.* 15. xit. *Scio, quia nunc eſſem de numero dānatorum, ſi fuiſſem de numero Epiſcoporum.* multa ſunt huius rei in vtramq; partē exempla, ſed illud celebre, & notiſſimum, quod in Saule primo Iudæorum rege demonſtratum eſt: hic enim dum priuatam vitam egit, ſemper in oculis ſuis paruus fuit, & in humili loco reſedit; at vero ad regnum euectus in tantam inſolentiam, & arrogantiam erupit, vt facile inter ſceleratiſſimos quoſq. reges numerari poſſit. *Ecce quanta eſt humilitas, ait*
Chry. de ver. Dom. quis iā ego. tom. 1. Iſid. de contēptu mūdi cir. fin. S. de contēptu mundi. Chryſoſtomus, *quam dulcis, quam radicata, quæ nulla tempeſtate mouetur, quia non habet vnde cadat. Alta arbor.* inquit Iſidorus, *vento forte agitatur, excelſa turres grauiorem caſum faciunt, altiſſimi montes ſæpè fulgoribus feriuntur.* quod etiam quidam poe-
F ta his verſibus expreſſit.
Horat. lib. 2. ode 10.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus: excelſa grauiore caſu
Decidunt turres, feriuntq. ſummos
Fulmina montes.

Sic diabolus, quos grauiori quærit præcipitio collidere, ad maiores honores exaltare curat, ſicut aquila, quæ vt teſtudinis teſtam frangat, altiſſime illā euehit, & ſuper petras deinde præcipitat. Hinc Paulinus ad Licētiū *Paulinus ad Licentium.*

Scandere celſa iuuat, tremor eſt deſcendere celſis;
Si titubes, celſa peius ab arce cades.

Et quis ita fortis eſt, vt nunquam titubet, præſertim in tam lubrico loco?

Ab his itaq; tantis periculis expers humiliū locus, quod quantopere æſtimandum ſit exemplo corporis intelligere poſſumus: vt enim corpus, etiā ſi nulla peculiari mulceatur voluptate; tamen hæc ipſa magna puta- G
tur voluptas, ſi recte valeat, ſi nulla iactetur febri, nulla humorū inæqualitate perturbetur, quod quidem quantum ſit indicat contrarium, ſi fortè vel pedum, vel laterum, vel alterius membri doloribus crucietur; quod ergo eſt in corpore iſta generalis, & perfecta ſanitas, idem eſt in animo hæc ægritudinum, & moleſtiarum ſecularium per humilitatem vacuitas. Itaque ſi ſanitas illa corporalis, ita hominibus cara eſſe ſolet, vt eam longo etiam tempore, & magnis impenſis quærant, ſintque qui huius rei gratia, vt mulier illa in Euangelio, *omnem ſuā ſub* *Luc. 8. 43.*
ſtantiam erogarint, qui ferrum, & ignem tulerint, ſeque vri, & ſecari ſint paſſi; an non ſimillimè, & multo magis huius humilium loci tranquillitas omni ſtudio, & contentione expetenda?

Sed præter hanc quietem illud etiam hu- Humilitatis locus illuſtriſſimus.
milium locus habet, vt virtutum ſit fœcundiſſimus, ad inſtar terræ, quæ in nouiſſimo H
orbis totius loco ſita fœcundiſſima ſemper eſt, & fructuum ferax, aliſque homines, ſitque inter cæteros honoratiſſimus: etenim is locus illuſtriſſimus cenſendus eſt, qui regi magis adhæret, cumq. humilium locus prope Chriſtum ſit, recte efficitur eum eſſe illuſtriſſimum. Quod autem humilium locus maxime propinquus ſit Chriſto, nemo inficiabitur, qui animo Chriſti vitam expenderit; nam ſi introitum eius in hunc mundum conſiderabit, in loco humillimo, nempe in præſepi iacentem videbit; ſi exitum in loco humillimo, nempe in cruce recumbentem aſpiciet: ſi reliquas vitæ partes ab humilitatis itinere, nullo vnquam tempore declinaſſe reperiet: quo igitur quiſque loco humiliori mente recumbit, eo propinquior eſt Chriſto regi. quamobrem præclariſſimū locum occupat. At ſi cælum, hoc eſt primum locum tumida mēte eligit, prope luciferum ſedere curat, cuius illa ſunt verba. *In cæ-* *Iſaia 14. 13. 14.*
lum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo I
ſolium meum, aſcendam ſuper altitudinem nubium: Sicut itaque, vt noſter docuit To-

bias,

bias, ſuperbia radix eſt, & cauſa omnis perditionis: ita humilitas, quæ gratiæ eſt fundamentum, omnis virtutis: quare viri ſancti, qui Deo coniungi, & ad eius gloriam exaltari cupiunt, honores ſemper contemnunt, & in poſtremis eſſe, & haberi volunt, & non niſi coacti ad dignitates, honores, & ſtatum ſublimem attingunt: ſicut enim gemmæ, (quæ in ſacris literis, quia ex abditiſſimis terræ finibus eruuntur, occultæ appellantur: *Trahitur*, ait Iob, *Sapientia de occultis*: Hebræus: *Sapientior eſt ſapientia margaritis*) in regijs coronis fulgentes, in loco illo excelſo non niſi ui continentur affixæ (ſi enim illis vis non adhiberetur, ſi non affigerentur, protinus in extremum locum, ideſt in teram deciderent); ita viri ſancti, qui ab humilitate occulti in ſacris literis, ſeu abſconditi appellantur: *ſuper populũ tuum*, ait Dauid, *malignauerunt aduerſus ſanctos tuos: aduerſus abſconditos tuos*, habet Hebræus, excelſa dignitatum loca non niſi vi adhibita conſcendunt, & ſi ſuæ relinquantur voluntati, in humilem, & nouiſſimum locum recumbunt. Sic Ammonium Monachũ aurem ſibi præcidiſſe ferunt, ne idoneus Epiſcopali officio haberetur, & cum nihilominus ad eam dignitatẽ accipiendam ab omnibus vrgeretur, etiam linguam ſibi ſe amputaturum proteſtatus eſt, niſi ſe miſſum facerent. Petrus etiam de Morono, qui Cæleſtinus V. dictus eſt, cum menſes ſex rexiſſet Eccleſiam, Pontificatum, quem Caroli regis ſollicitudinibus agitatus acceperat, vt vitam humilẽ, & ſolitariã repeteret, tam libenter depoſuit, quam inuitus gerebat. Otho etiam Epiſcopus Bambergenſis Epiſcopatum renunciaſſet, monachalem vitã, & obedientiam amplexatus, niſi ab illo, cui ſe parere vouerat, aliter ſibi præceptum fuiſſet.

[Margin: Humilis honorẽ refugit. — Iob. 28.18 — Pſ.82. 4. — L — Hiſt. trip. li.1 c.1. — Pallad. hiſt. 12.]

M *Recumbe itaque in nouiſſimo loco*, ait Bernardus, *non eſt periculum quantumcunque te humilias, quantumcunque te reputes minorem: quemadmodum enim ſi per oſtium tranſeas, cuius ſuperliminare nimirum baſſum ſit, non nocet quantũcunq; te inclinaueris, nocet autem ſi vel tranſuerſi digiti ſpatio pluſquam oſtÿ patitur menſura erexeris, ita vt impingas, & capite quaſſato collidaris; ſic in anima non eſt timenda quantulalibet humiliatio*. Sic B. Paulus ſe ipſum conſiderans ex ſua natura, & viribus, & non ex diuinæ gratiæ donis, peccatorum ſe omnium maximum dicebat: *Venit*, inquiens, *Chriſtus peccatores ſaluos facere, quorũ primus ego ſum*, primus quidem non ordine: etenim & Adam, & Dauid illo priores fuerunt: ſed primus, hoc eſt inquinatiſſimus omnium. Sic vulgo dicitur primus medicus, non qui tempore alijs excellit: ſed qui peritiſſimus eſt: etenim quantumcunque ſanctitatis laude florentes ſimus, quoties introſpicimus mala, quæ in nobis aut ſunt, aut extiterunt, & ea cum virtutibus aliorum conferimus, non difficile eſt alios meliores arbitrari, noſque omnium nouiſſimos, vt hac ratione per ea, quæ ſupra diximus, omnes ſuperbiæ motus, omnis perditionis initia eradicemus, & humilitatem omnium virtutum fundamentum acquiramus.

[Margin: Bern. ſer. 37. in Cant. — 1. Timot. 1 15. — N]

CONCLVSIO.

[Margin: Gradus humilitatis.]

VT itaque à noſtra mente, & ſenſu excludere valeamus initium omnis perditionis ſuperbiam, & omnium bonorum receptaculum, fontemq. noſtræ exaltationis humilitatem amplexari: ne curioſitatem incurramus: nos ipſos conſiderare debemus: ne leues animo ſimus, prudentiam complecti: ne inepta gaudeamus lætitia, grauitatem peccatorum noſtrorum perpendere: ne ſimus iactabundi, linguam compeſcere: ne ſingulares, fraternitatem amare: ne arrogantes, ſubmiſſè de nobis ipſis loqui: ne præſumptuoſi, noſtrarum virium debilitatem conſiderare: ne peccatorum defenſores, prauas cogitationes, & mala commiſſa confiteri: ne ſimulatè confiteamur, verè de culpa dolere: ne rebelles, ſuperiores noſtros obſeruare: ne tandem libertatem, conſuetudinemq. peccandi incurramus, difficultatem ab illa reſurgendi perpendere: ſicq. nos ipſos conſiderantes, & ipſam humanæ naturæ nihilitatem, præſentiumq. rerum vilitatem, non ſuperbiæ, ſed humilitatis gradus conſcendere, quibus ad æternæ vitæ faſtigium peruenitur.

ORATIO.

DEVS, qui ſuperbis reſiſtis, & humilibus das gratiam, elide quæſumus in nobis ſtimulantem propriæ exaltationis affectum, quo ſemper ad vlteriora conantes, magniq. fieri deſiderantes tuæ reſiſtimus voluntati, vt ad perfectam noſtri cognitionem, humilitatemq. peruenientes, tuam gratiam recipere mereamur. Amen.

FINIS.

INDEX ALPHABETICVS RERVM, AC VERBORVM,

Quæ in his Tractatibus continentur.

ADVERSA à peccatis euenire. De pecc. Docum. 3. H.
Anima noſtra vrbi ſimillima. De pecc. doc. 10. D
Eam à peccato liberare ſolus Deus poteſt. de pecc. docum. 16. A
Animæ ſitis rebus mortalibus expleri nō poteſt. de pecc. doc. 7. A
Eius turpitudo, & fœditas à peccato quanta ſit. de pecc. docum. 15. A
Animi bona a Deo ſunt magis, quam à nobis. de ſuperb. cap. 12. II
Idcirco de illis haud ſuperbiendum. de ſuperb. cap. 12. H
Animi leuitas ſecundus eſt ſuperbiæ gradus. de ſuperb. cap. 2. A
Arrogantia, ſextus eſt ſuperbiæ gradus. de ſuperb. cap. 5. A
Aſtrologia iudiciaria lege canonica vetita. de ſuperb. c. 1. M
Aſtrologiæ naturalis curioſitas. de ſuperb. cap. 1. M. Vtilitas. Ibidem O
Iudicium circa actus humanos in Aſtrologia vetitum. de ſuperb. cap. 1. A A
Bona animi, corporis, mundi, gratiæ, &c. Vide, mundi bona, corporis bona, gratiæ bona.
Bona corporis viliſſima. de ſuperb. cap. 12. A
Maiora in brutis, quam in homine. ibidem.
Bona omnia fortunæ, corporis, & animæ peccatum perdit, ac diſſipat. de pecc. doc. 3. A. & doc. 13. A
Bona terrena hominem conſolari nequeunt. de ſuperb. c. 12. S
Mundi bona inſtabilia. de ſuperb. c. 12. A A
Cæcitas peccatoris quanta ſit. de pecc. doc. 8. A
Charitas cur dicta ſit ab Apoſtolo vinculum perfectionis. de pecc. doc. 13. D
Cinerum conſideratio, quod nimirum morituri ſimus, nos ad Deum conuertit. de ſuperb. cap. 11. C C
Cogitatio imperfectionis, & vanitatis bonorum, de quibus homo ſuperbit, tertium ſuperbiæ remedium. de ſuperb. cap. 12. A
Cognitio propriæ infirmitatis, & vilitatis, ſecundum ſuperbiæ remedium. de ſuperb. cap. 11. A
Comarum tonſio maximi doloris fuit aliquando ſignum. de ſuperb cap. 7. L
Communitas dæmoni formidabilis. de ſuperb. c. 4. G
Confeſsio ſimulata, nonus eſt ſuperbiæ gradus. de ſuperb. c. 7. A
Conſcientia bonum à malo diſcernit. de pecc. doc. 10. F
Iudex eſt, & accuſator. de pecc. doc. 10. G
Conſcientiæ remorſus a peccato quantus ſit. de pec. doc. 10. A
Infirmitatis humanæ cōſideratio ſuperbiæ quomodo medeatur. de ſuperb. cap. 12. A
Maieſtatis diuinæ conſideratio, primum eſt ſuperbiæ remedium. de ſuperb. cap. 10. A
Mortis conſideratio ſuperbiam expellit. de ſuperb. c. 11. F F
Conſolatio nulla reperiri poteſt in bonis corporis. de ſuperb. cap. 12. S
Conſuetudo peccandi, duodecimus ſuperbiæ gradus. de ſuperb. cap. 9. A
Difficile tollitur. Ibidem C
Contemplatio diuinæ magnitudinis, humilitatis eſt parens. de ſuperb. cap. 10. N
Conuerſio non differenda. de pecc. doc. 13. F
